Introdusă în format electronic de Google

C550.1
*

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE BEQUEST OF
JAMES WALKER
(Class of 1814)
President of Harvard College

"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences"

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXX.

SANCTI PASCHASII RADBERTI OPERA OMNIA.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Introdusă în format electronic de Google

C5501.1

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1875, March 22
Bequest of
James Walker, D.D., LL.D.
(H.U. 1814.)
President of Harv. Univ.

2490
1.121

Introdusă în format electronic de Google

SÆCULUM IX.

SANCTI

PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

OPERA OMNIA,

JUXTA EDITIONES SIRMONDI, MABILLONII, MARTENII RECOGNITA ET DILIGENTISSIME EMENDATA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORR.

TOMUS UNICUS.

VENIT 8 FRANCIS GALLICIS.

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM.
SEU PETIT-MONTROUGE.

—

1852

Introdusă în format electronic de Google

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CXX CONTINENTUR.

S. PASCHASIUS RADBERTUS.

Expositio in Matthæum.	*Col.*	31
— in Psalmum XLIV.		993
— in Lamentationes Jeremiæ.		1059
Liber de corpore et sanguine Domini.		1267
Epistola ad Frudegardum.		1351
De partu Virginis.		3165
De fide, spe et charitate.		1387
De passione S. Rufini et Valerii.		1489
De vita S. Adalhardi.		1507
Epitaphium Arsenii, seu Vita Ven. Walæ.		1557

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Introdusă în format electronic de Google

AD OPERA
SANCTI PASCHASII RADBERTI
PROLEGOMENA.

S. PASCHASII RADBERTI ELOGIUM HISTORICUM.

(Apud Mabill., Acta sanctorum ord. S. Bened., tom. II.)

CAPUT PRIMUM.

Radberti vita, natale solum, educatio.

1. Tanta fuit Paschasii Radberti apud homines sui temporis existimatio, ut Engelmodus Suessionensis episcopus carmen condiderit de ejus laudibus, eidemque adhuc viventi nuncupaverit. Præter Engelmodum abbas piissimus multos habuit laudatores, ut inferius dicam; nullum vero, qui res ab eo gestas accurate in litteras retulerit. Vir quippe modestiæ singularis, *cum obitum suum præsensisset imminere, convocatis fratribus extremum vale dicens, ne quid de vita sua scriberetur, dicitur interdixisse*, testante Antonio de Caulincurte in Corbeiensi Chronico ms. quod superiori sæculo ineunte conditum est. Engelmodi de Radberto poematium, rude prorsus et obscurum, quod ipsius Radberti operibus a Sirmondo præmissum est, non visum est tanti ut hic recuderetur; sed satis esse duxi, si inde, quæ ad illustranda viri sancti gesta faciunt, hoc in elogio delibarem.

2. Natus est Radbertus in pago Suessionico, aut forsan in ipsa urbe, parentibus ignotis. Cum enim in monasterio B. Mariæ ejus urbis Deo puer consecratus sit, id argumento est eum in ligenam Suessionensem fuisse. Suspicatus sum aliquando virum sanctum ortum esse apud Basilicas [*Basoches*], oppidulum Suessionici pagi, ea motus ratione, quod petentibus ejus loci incolis librum de Vita et Passione sanctorum Rufini et Valerii expolierit. Falli ur certe chronographus Corbeiensis prælaudatus, cui *Radbertus Paschasius natione Romanus, in ordine diaconorum septimus* fuisse dicitur, et a beato Adalhardo in Galliam adductus. In idem erratum impegit Menardus noster, et alii nonnulli. Errandi occasio nata mihi videtur ex communione nominis et ordinis Paschasii S. R. E. diaconi, tempore Symmachi papæ, qui tamen Paschasius annis trecentis superior fuit Paschasio nostro. Quidquid sit, proprium huic nomen erat Radberto, quo nomine subscribit synodo Parisiensi; eidemque scribit Lupus : ascititium Paschasio, quod agnomen proprio nomini præponere ipse solet, ut in epistola ad Carolum Calvum inferius referenda.

3. A tenerioribus annis educatus est in Suessionico virginum Benedictinarum cœnobio beatæ Mariæ sacro; cujus parthenonis historiam recens composuit noster Michael Germanus, studiorum meorum socius et adjutor. Istius beneficii Paschasius meminit non semel in lucubrationibus suis, nempe in expositione psalmi XLIV, et in libello de Virginitate beatæ Mariæ : quod utrumque opus prædictis sanctimonialibus dedicavit in grati animi monumentum. His enim in locis se earum *alumnum* profitetur, maxime in epistolis nuncupatoriis. Accedit Engelmodi testimonium in poematio, ubi de istis virginibus agit in hunc modum :

A

His etenim temet vegetandum providus auctor,
Imperio qui cuncta tenens, excelsa vel ima,
Æterna ratione regit quæ condidit ipse,
Legavit tenerum, cum prima cre undia matris,
Quæ genuit, nigri fascient tegmina panni,
Expositumque vorax ambiret mortis imago.

Ex his versibus obscure intelligimus Radbertum puerulum, matre orbatum, in vitæ discrimen incidisse : ob idque expositum, pro more illorum temporum, quasi deploratum; aut certe in ædem virginis Deiparæ illatum sanitatem recepisse, et sanctimonialium providentiæ cœlitus commissum.

CAPUT II.

Ejusdem tonsura, vita sæcularis et monastica.

4. Eo in parthenone constitutus Radbertus, corona clericali insignitus est, uti ipse fatetur initio libri tertii de Expositione psalmi quadragesimi quarti, Engelmodo his versibus concinente post prædicta :

B

Germine quæ supero divini sanguinis ortæ,
Angelicique chori conferta dote gregales,
Te quoque concivem cœli super ardua raptum
Rite ministeriis aptarunt Cunctipotentis.

Audiendus Sanctus ipse in loco mox citato, Suessionenses alloquens sanctimoniales. « Ideirco, dilectissimæ, dum perpendo excellentiam vestram, dum considero sponsalitatis jura et laudes ubique divinas, vereor loqui, ne forte offendam in quibus placere desidero, si non debitam exhibuero reverentiam meis ubique in scriptis, quas sic in cœlo, ubi nomen delistis, intelligo honoratas, ut non solum sponsæ, verum etiam flores Ecclesiæ et ornamentum Sponsi sitis. Quas cum in dexteris benignissimi Dei et Salvatoris nostri Christi contueor multiplici varietate decoratas, ingemisco valde, eo quod coronam quam susceperam puerulus coram sancto altare Genitricis Dei, vestris cum precibus et officio laudis, quo vestra sponso Deo regi immortali cor la consecrantur et capita, longe diu exsulatus in sæculo perdidi eam, coinquinatus multis mundanis actibus. »

C

5. Humili ac modesta hac confessione docet nos vir sanctus, se ex eo monasterio discessisse in sæculum, in quo mundanis actibus dederit operam (in clericali, an laicali vita?); atque multum temporis hoc in vitæ genere consumpsisse. Quam ob rem ita subdit : « Unde rogo sauciatus, dum corda sursum sublevatis, ante vobis jam concessam divinitatis gratiam mei memores sitis exorando, quatenus, vestris intervenientibus meritis, clementissimus Judex pœnas a me debitas removeat, reddatque pius coronam perditam. »

6. Postea Radbertus, sæcularis vitæ pertæsus, secessit in Corbeiense monasterium, in quod admissus est (testante Gualdone monacho in prologo libelli de Vita S. Anscharii) a S. Adalhardo abbate, quem suum ipsius magistrum ac præceptorem passim ap-

Introdusă în format electronic de Google

pellat. Eo in loco litteras excoluit tanta industria, sedulitate ac pietate, ut ipse postmodum sodalibus suis præceptor fuerit approbatus, magnamque sui existimationem promeruerit apud omnes. Corbeiam Radberti ætate, inquit Sirmondus, cum plurima illustrarint, haud scio tamen an Radberto ipso quidquam fuerit illustrius, viro scientia et integritate atque omnibus religiosissimæ sanctissimæque vitæ insignibus præstantissimo; cujus et sapientia cæteri doctiores, et exemplo sanctiores, et studio ac vigilantia, cum omnibus præesset, excitatiores fuerunt.

CAPUT III.

Præceptoris munus, exercitia, discipuli ac legationes.

7. Radbertus litteras humaniores non leviter attigerat, ut constat legenti ejus scripta, in quibus profanos auctores aliquando in medium adducit: nec dubito, quin etiam alios ejusmodi imbuerit disciplinis. Et eas quidem disciplinas, quantum necessarium fuit, ad animi sui aliorumque informationem ad dicit; ad potissimum ejus studium fuit in sacræ Scripturæ sanctorumque Patrum lectione ac meditatione. Hinc est quod diebus solemnibus Evangelium coram sodalibus suis edisserebat nondum abbas: cujus rei fidem facit prologus in Matthæum ad Guntlaudum monachum. « Dum sacræ professionis obedientia, inquit, coram fratribus Evangelium, uti consuetudinis est, diebus solemnibus, licet inclimato loquendi genere, exhortandi magis gratia tractaretur, cœperunt nonnulli eorum religione ferventes instanti devotione frequenter exposcere (nec si possem, intendentes) beati Matthæi Evangelistæ textum narrationis per ordinem explicarem. »

8. Omnino vero in studiis ac scriptis suis vir sanctus nullum prætermittebat officium monasticæ vitæ: sed *furtivis horis*, uti ipse ait in prædicto Prologo, *quia sub hac disciplina aliter non vacat, scribendi diligentiam persolvebat*. Quippe videbatur ei « nulla in præsentiarum actio beatior aut verior, quam angelicis interesse officiis, et divinis admisceri colloquiis, et aspectibus præsentari. » Hæc enim ejus verba sunt initio prologi in expositionem psalmi XLIV. In omnibus otium maxime detestabatur, ratus concessum esse monachis otium et solitudinis opportunitatem, « non ut ignaviter torpeamus, sed ut meditemur in mandatis Dei, in laudibus et contemplatione divina, in Scripturis sacris, in lege et prophetis, in Evangelio et doctrina apostolorum, in traditionibus sanctorum Patrum, si quo modo quæ novimus, Christo exhibeamus. » Huc fere omnia sua direxit studia et lucubrationes omnes, nimirum ut supinam otiositatem vitaret, quod postea uberius dicendum erit.

9. Discipulos quamplures habuit Radbertus in academia Corbeiensi, quos inter insigniores fuere Adalhardus junior, senioris discipulus ac vicarius in reginine monasterii; S. Anscharius, nationum septentrionalium apostolus; Hildemannus, et Odo, ambo, unus post alterum, Bellovacenses episcopi, intermedio Hermenfrido: Warinus Corbeiæ novæ post abbas, aliique permulti.

10. Inter hæc varias obiit legationes, peregrinationesque. Anno quippe 822, causa novi cœnobii (sic ipse loquitur in lib. I de Vita Walæ, cap. 7) in Saxoniam, ut scilicet Corbeiæ novæ conditio absolveretur, profectus est una *cum Antonio et Arsenio*, id est Adalhardo abbate et Wala ejus fratre: *quorum is comes fuit in omnibus specialis, et quasi tertius inter eos in omni negotio*, ex ejusdem libri cap. 14. Dein anno 826, cum, mortuo Adalhardo abbate Corbeiæ Gallicæ monachi in Walam suffragia sua contulissent, ipse missus est ad Ludovicum Augustum, ut istius electionis confirmationem ab eo impetraret. « Defuncto Antonio, » inquit Radbertus in libri jam citati cap. 11, « paulo post substituitur pastor eximius ejus in loco: ob cujus nimirum electionem a fratribus egomet directus, mox obtinui apud Augustum quod olim omnes optabant. » Quo in munere cuidam optimatum interroganti cur hominem tam severum elegissent, respondit inter alia Paschasius, eum præferri oportere, *non qui post tergum eat, sed potius eum qui præcedat*. Nec solum a domesticis, sed etiam ab ipso Ludovico Augusto publicis negotiis adhibebatur. Anno enim 831 ab eo in Saxoniam causa sacræ (ut puto) expeditionis, quæ per Anscharium in populos septentrionales, procurante imperatore, tum fiebat, legatus est, ex ejusdem libri cap. 8, unde *cum remeando Agrippinam veniret*, comperit Walam *exsilium tulisse pro munere*. Denique, Wala exsulante prope *Limanium lacum*, ipse *ab* eodem *Augusto directus* est *ob ecclesiasticarum rerum et monasticarum negotia*, ex lib. II cap. 10. Quo vero in loco ipsum habuerit Wala, quantique ipsius consilia fecerit, inde constat quod nusquam fere sine eo aut iter agebat aut negotia tractabat. Hunc quippe socium habuit tum in comitiis regni Judithæ causa convocatis, ex ejusdem lib. capitibus 9 et 10, tum in profectione ad Gregorium papam IV, ex capitibus 15 et 16. Nihil tamen, meo quidem judicio, Walæ in Paschasium amorem plus commendat, existimationemque sic testatur, quam extrema Walæ morientis verba, quæ Paschasius refert in Epitaphii lib. I, cap. 5, in hunc modum: « Infelix nimium ego, qui ultima verborum tuorum monita tam longe absens hausi! Ais namque, ut noster mihi Chremes attulit, aisque: Ita, fili, fac si quo modo, quæcunque scis boni, opere agas, ne tui minor inveniaris. Hæc tua, mi Pater, mihi novissima verba: hæc tuæ æstimationis mandata. Non quod scierim quod perfectus sim; sed ut sciendo proficerem, sollicite procurabas. » Nihil tenerius istis Walæ verbis, nihil modestius hac Paschasii sententia.

CAPUT IV.

Leviticus gradus, abbatis dignitas et gesta.

11. Tantus cum esset apud omnes vir sanctus, ita tamen de se modeste semper sensit, ut Levitico gradu fuerit contentus, nec unquam ad sacerdotium suscipiendum adduci potuerit. Hinc familiaris illi erat subscriptio ista: *Paschasius Radbertus Levita, monachorum omnium peripsema*. Quam modestiæ significationem amplius factis probavit quam verbis.

12. Neque tamen inferior ille gradus removit ab eo dignitatem abbatialem, quam Isaac abbate Corbeiensi mortuo inire coactus est.

> Tertius a primo decimus, sed quartus ab ipso,
> Qui dedit Ausoniis leges et fœdus in arvis,

inquit Gualdo monachus, initio carminis de Vita S. Anscharii. Nempe Radbertus a S. Adalhardo, qui Italiam sub Pippino minorenni moderatus est, quartus fuit abbas Corbeiensis; nam præter Adalhardum juniorem Adalhardo seniori successerant Wala ejus frater, Heddo, et Isaac Radberti decessor. Tempus initi a Paschasio reginiinis annum 844 signat Chronicon Corbeiense manuscriptum.

13. Biennio post concilio Parisiensi interfuit, et a Patribus obtinuit litteras in confirmationem immunitatis Corbeiensis. Qua de immunitate agit Gualdo monachus in prologo Vitæ sancti Anscharii, supra. Interfuit etiam synodo Carisiacensi Paschasius, anno 849 conv catæ adversus Gottescalchum, quem sine dubio habebat in animo, cum dixit libro octavo in Matthæum: « Quapropter scire certo debemus, quotiens aliquis perit, non ex præ destinatione Dei, ut quidam male sentiunt, neque ex voluntate Patris perit, sed proprio suo peccato justoque Dei judicio. »

14. Eo in munere variis curis pulsatus, studia intermittere coactus est. Sic enim hanc in rem loquitur initio tum expositionis in psalmum XLIV, tum libri quinti in Matthæum, ubi hæc legimus: « Expositum in Matthæo, charissimi, quod olim inchoa-

Introdusă în format electronic de Google

véram, ut eo in officio fratribus pensum servitutis meæ pro voto persolverem ; multis demum, suscepto regiminis loco, præpeditus sollicitudinum curis, et causarum sæcularium variis implicatus negotiis, tantum a me longe abductus, quantum a studio litterarum remotus, non solum illud imperfectum reliqui quod cœperam, verum etiam prætermisso quietis bono memetipsum pene plurimis aurarum allisus impulsionibus in naufragium dedi. Sed quia Deus nobis, ut ille vates ait, sua providentia hæc otia fecit, » etc.

15. Ex hoc loco intelligimus, Paschasium aliquas sustinuisse turbas, ut loco cedere coactus sit, quod apertius paulo post significat, dum ait susceptum se a Centulensibus fuisse in adversis rebus. « Quoniam ut præsenti ex omnibus et in omnibus gratissima me dilectione in Christo suscipere dignati estis et refovere sinu charitatis, Deoque committere precibus, maxime eo in tempore, juxta illud antiquum proverbium, quando amicus et medicus in necessitate probantur : hinc est, charissimi, quod tanto studio causa visitationis ad vos quam sæpe venire decrevi, desiderans vos videre et corrigere in me quod diu negligentius omiseram : qui me dilectionis affectu contra omnia adversa consolati estis in orationibus vestris. » Quæ fuerit hujusce tumultus causa, accurate paucis investigandum est.

16. Principio huic malo originem forsan præbuerunt discidiola nonnulla, quæ Paschasium inter et Ratrammum intercessere, tum de partu beatæ Virginis, tum de rebus (ut plerique volunt) eucharisticis ; tum etiam de gemina prædestinatione, qua in re Gottescalcho favebat Ratrammus, improbante Paschasio, uti superius vidimus num. 13. Fit enim, ut inter litterarias hujusmodi lites, ubi partium studiis abrepti fervent, alii ab aliis secessionem faciant, quod quidem contigit in Paschasii causa. Siquidem Ivo monachus de quo infra, et Chremes unus ex interlocutoribus a Paschasio adhibitis in libro I de Epitaphio Walæ, inter *discrimina illa* discessisse memoratur initio libri secundi. An etiam Ratrammus, mihi non liquet. Certe in eodem loco adhuc residebat sub finem anni 849, quo ei Lupus abbas Ferrariensis pro Hilmeradi Ambianensis episcopi confirmatione direxit epistolam 79, *charissimo suo Rotramno* inscriptam, in qua ei quædam Hilmerado electo suggerenda committit. Quod argumento est, ipsum in vicino Ambianis monasterio, scilicet Corbeiensi, tum degusse, aut certe in Centulensi.

17. His etiam turbis materiam subministrare potuit Caroli principis retrusio in monasterium Corbeiense. Anno quippe 849 Carolus Pippini Aquitaniæ regis filius, alterius Pippini frater, tonsus, retrususque eo est, testante Fontanellensi chronographo apud Chesnium tomo II. Annales tamen Fuldenses Caroli tonsionem, retrusionemque referunt ad annum 851, quo anno Paschasius dignitati cessit. Fortasse quod factiosorum partes juvaret Carolus, quem inde postea fuga elapsum invenio in Annalibus Bertinianis, in quibus hæc leguntur ad annum 854 : *Karolus Pippini frater, jam diaconus ordinatus, a Corbeiensi monasterio recedit*, nempe ad Ludovicum Germaniæ regem, ut ex Annalibus mss. probat Henscheuius in Commentario prævio ad Vitam Rabani archiepiscopi Moguntini, *cui Karolus, Pippini regis filius, qui de custodia Corbeiensis monasterii lapsus ad HLudovicum regem patruum suum defecerat, in episcopatum successit* VIII *Idus Martius, non solum ex voluntate regis, verum etiam ex consensu et electione populi*. Ex eodem monasterio etiam fugisse Carolomannum, Caroli Calvi filium, itidem diaconum, ac multorum monasteriorum abbatem, conjicio ex verbis Hincmari archiepiscopi Rhemensis, qui in consilio quod de Pippini quondam Aquitaniæ regis pœnitentia suggessit, ait non obliviscendum esse, *quod de eo* (Pippino) *in monasterio sancti Medardi accidit ; et quod de Karlomanno in Corbeia evenit. Nam quod factum est*, inquit, *adhuc fieri potest*. Pippinus enim Pippini Aquitaniæ regis filius, in Medardense monasterium retrusus, ibique tonsus, inde duorum monachorum factione subductus fuerat, ut testantur Acta concilii Medardensis anno 853. Ex variis hisce principuo discursibus varios etiam monachorum Corbeiensium motus provenisse veri simile est : quibus sedandis cum operam suam frustra locasset Paschasius, tandem Abbatiæ muntium remisit.

18. His duabus causis affinis est tertia, ex reprehensione procedens quorumdam vitæ laxioris monachorum : qui cum justam Paschasii censuram ferre non possent, ex monasterio Corbeiensi discesserunt. Etsi enim Paschasii tempore sic floreret monastica disciplina apud Corbeienses, ut, vel synodi Parisiensis testimonio, majores auctoresque suos non æquarent modo, sed anteire atque antecellere viderentur ; fuere tamen aliqui (ut nulla est societas tam sancta, quæ improbos non habeat admistos) qui ad solutioris vitæ mores prolapsi sunt. Ejus mali originem aperit Paschasius ipse in Epitaphio Walæ, qui remissiorum socordiam, vitiosorumque contumaciam *nunc minis, nunc plagis, nunc beneficiis, nunc blandis persuasionibus* repressisse fertur in libri I cap. 23, ob id *severus ac durus* ab ipsis appellatus. Wala autem mortuo, cum tanta non esset successorum ejus, Heddonis et Isaaci, auctoritas, eo prorupit vitiosorum licentia, ut *jus et æquum* perverterent, referente Paschasio in lib. I de Vita Walæ cap. 10, inerti otio, somno, atque deliciis proclivius indulgerent ex cap. 21. Ex eorum numero fuit Ivo, ejus loci monachus, Lupi abbatis propinquus, qui Corbeia pulsus, an fuga elapsus, eo reverti parabat, instructus *præsidio*, id est litteris, Caroli regis, quo *impunitatis securitatem* de malefactis suis obtineret. Quapropter Lupi auctoritatem apud Carolum postulavit Radbertus, impetravitque, quatenus Ivo refugium penes regem non inveniret, ut intelligimus ex Lupi epistola 56. In sequenti vero epistola, quæ *dilectissimo abbati Radderto* inscribitur, satis innuit, quemdam virum præpotentem Ivoni propinquo suo favisse, eoque tandem a Lupo adductum, « ut non modo noceat nihil, verum etiam prosit plurimum, si erga propinquum qui TEMPORE TUMULTUS discessit, et instaurata pace reverteretur, benignus exstitisset » Radbertus. Clarius illum tumultum ejusque auctores ac fautorem designat Lupus post prædicta. « Id vos et libenter facturos, et in omnibus quæ jubere dignaretur obsecuturos, dum ejus gratia frueremini, fiducialiter spopondi ; atque eo usque institi, donec firmissime promitteret, nihil se vobis offecturum, nisi prius mecum causam conferret. Itaque modum petitionis meæ hoc fine terminavi, ut si quando rebelles ejus favore suas querelas fulciri deposcerent, non vulgo acquiesceret, verum res duntaxat dignas vestræ conscientiæ reservaret. » Passus ergo est *rebelles* Paschasius e monachis suis nonnullos, qui severiorem forsan ipsius disciplinam ferre non poterant. Subdit Lupus : « Quædam alia comperi tum caute revelanda, ut ea litteris comprehendere tutum non putaverim ; tamque necessaria cognitu, ut quam potestis celerius, præterita qualibet alia utilitate, mihi ad colloquium occurrere debeatis. Cæterum nisi jam molestum sit, profecturo mihi cum rege, si Deus vult, ad Silvacum dirigite, ut cum gratias agere cœpero, uberius dicendi copia frustra conantem plurima non deficiat. » Sic tandem sopita est, ut puto, factio illa rebellium consilio et auctoritate Lupi, cujus et alia exstat ad Radbertum epistola proxime sequens, in qua itidem amici negotium regi a se exponendum esse pollicetur. Tanta erat inter utrumque abbatem necessitudo, tanta Lupi apud regem auctoritas ! In omnibus vero istis procellis Radbertus tantam semper moderationem ac placabilitatem præ se tulit, ut, cum de sua ipsius abdicatione mentio frequens occurrerit in scriptis suis, nullum

Introdusă în format electronic de Google

unquam indignantis animi verbum ab ejus calamo extorserit æmulorum acerbitas, quos ne nomine quidem uspiam expressit, aut quoquam pacto designavit.

CAPUT V.

Regiminis abdicatio, regressus ad studia, obitus.

19. Post hæc de abdicando regimine cogitavit Radbertus; id quod ejus animo insedit tum eximia viri modestia, tum superiorum turbarum consideratione, tum desiderio repetendi studia intermissa. Restiterc consilio isti primum alumni sui; sed tandem, annuente Deo, votis potitus est suis. Rem gestam declarat præfatio libri noni in Matthæum. « Mihi quidem post innumeros actus sæculi et molestos vitæ labores, post sollicitudines tanti regiminis et longa vitæ præsentis dispendia, optabile satis tandem prudenti viro concessit otium Deus; adeo ut nihil illi profecerint qui moliebantur aliud, et filio tunc mihi charissimo, vix expleto tirocinio, valde negotiosissimum imposuit jugum, quia vigebat animo et corpore, ut opto etiam et merito sanctitatis. » Odonem intelligit, futurum postea Bellovacensem episcopum, qui magistro suo successit anno 851, quo anno Radbertus perperam obiisse dicitur. Lupi abbatis exstant epistolæ duæ ad Odonem abbatem, nimirum 111 et 112; qui Odo concilio Suessionensi in sancti Medardi monasterio interfuit anno 853.

20. E procellosis prælaturæ negotiis eductus vir sanctus, statim reditum fecit ad optata sacrarum litterarum studia, quibus senectutis molestias temperavit ac demulsit. Hoc ipse cum magna voluptate animi testatur non semel, maxime initio jam dictæ præfationis, cujus hæc verba. « Nunquam digne satis laudari philosophia potest, fratres charissimi, cui qui paret, omne tempus ætatis suæ poterit sine molestia quodam modo conversari: quia quos nutrierit a puero, etiam in senectute non deserit. Hinc est quod me, licet ego deseruerim eam, non passa est in hac ætate longius a se amplius peregrinari; sed mox ut redii ad eam, multum diuque male vexatus sæcularium rerum curis, recognovi veram non esse viam prioris vitæ, et lactare me cœpit quasi puerum, suisque recreare uberibus. Merito igitur quia puerorum et senum pene una est conditio, et coæqualis eorum mors mihi videtur. Et ideo eorum semper utrorumque lacte Scripturarum divinarum nutriendus est animus puer siquidem ut crescat, senex vero ne deficiat; imo uterque eorum ut proficiat in melius, et vivat divinis lactatus uberibus. » Vides ut, præ gaudio restituti otii, vix sibi temperet emeritus senex; adeo totus in amorem studiorum sacrorum incalescebat. Legendus etiam liber primus in psalmum XLIV, cujus libri initio sic habet: « Cum sollicitudine pastoralis officii curisque regiminis et negotiis actionum essem tandem exoccupatus, divino dispensante Judicio, retuli me ad ea studia, quæ profecto retenta animo, remissa temporibus, inter varios rerum sæcularium anfractus abjeceram: sicque longo intervallo intermissa revocavi. » Idem etiam præfert initio libri secundi de Walæ Epitaphio.

21. In his studiis consenuit defecitque vir piissimus; a quo id contigerit anno, certo non liquet. Eum tamen non exiguo tempore post abdicatam præfecturam superfuisse probant relictæ ab eo lucubrationes. Siquidem liber secundus de Walæ Epitaphio, postremi quatuor libri explanationis in Matthæum, de psalmo XLIV libri tres, atque etiam, ut mihi videtur, libri quinque in Threnos Hieremiæ, hoc est operum ejus media fere pars, omnes post regiminis abdicationem conditi ab eo sunt. Hinc colligere licet eum non decessisse ante annum 860. Certe in libro quarto expositionis Threnorum, meminit incendii Parisiacensis ad litteram *Lamed:* « Quis unquam crederet, vel quis unquam cogitare potuisset quod accidere aliquid tale potuisset in nostris partibus, quod transcurso tempore omnes accidisse conspeximus, doluimus, ac deflevimus, et valde pertimuimus, unde et adhuc hodie non minus pertimescimus? ut piratæ, diversis admodum collecti ex familiis, Parisiorum attingerent fines, ecclesiasque Christi hinc inde igne cremarent circa littus. » Et infra: « Fateor enim, ut æstimo, non longe retro, quod nullus ex regibus terræ ista cogitaret, neque ullus habitator nostri orbis audire potuisset, quod Parisium nostrum hostis intraret. » Nortmanni Lutetiam Parisiorum aggressi sunt usque quater, nimirum anno 846, teste Aimoino in libro primo de Miraculis sancti Germani; deinde anno 857, tum post annos quatuor, ex Annalibus Bertinianis, aliisque; ac demum anno 886. Prima vice vacuam urbem ac suburbana reperisse, secunda et tertia eam cremasse dicuntur. Erit forsan qui præmissum Radberti locum explicet de prima vice, cum Nortmannos *Parisium intravisse* dicat: Aimoinus vero *vacuam urbem* tum invenisse. At de Norta annorum secunda impressione sine dubio interpretandus est, quum isti *Lutetiam Parisiorum invaserunt, atque incendio* tradiderunt cum pluribus ecclesiis. In prima enim impressione nulla, aut pene nulla facta est clades, nulla incendia. Diem quo Radbertus obiit, signant veteres chartæ Corbeienses VI *Kalendas Maii*, quo die in ms. Nevelonis Martyrologio notatur his verbis: *Corbeia monasterio transitus sancti Radberti abbatis et confessoris. Sepultus est in ecclesia sancti Joannis Evangelistæ; medio loco ante introitum presbyterii*, ut legitur in Corbeiensi Chronico ms., ubi hactenus ejus cenotaphium cernitur. In pervetusto indice pastuum ejus monasterii: VI *Kal. Maii obiit Radberus abbas, pro quo camerarius fratrum fratribus impendat servitium.* Quo tempore sacris fastis inscriptus sit, in consequentibus dicemus. Interim de ejus virtutibus, monitis, et scriptis aliqua præmittenda.

CAPUT VI.

Virtutes, præcipue otii fuga, et studia sacra.

22. Præcipua virtus in Radberto effulsit humilitas, quæ in causa fuit ut se *omnium monachorum peripsema* identidem appellaret, et nunquam ad sacerdotii gradum conscendere voluerit, vetueritque ne sui ipsius mortui gesta litteris mandarentur. Hujus virtutis indicia per omnes ejus lucubrationes respersa sunt. Eam Radberti virtutem in primis commendavit Engelmodus episcopus, testatus quod, tametsi reges ac principes sese viro sancto ob meritorum existimationem inclinarent, ipse nihilominus ventosis laudibus exsufflatis *simplex atque humilis* remaneret. Huic virtuti proxime accessit sincerus veritatis amor. *Quod in Scripturis sanctis non legimus*, inquit libro II in Matthæum, *melius ignorare quam temere definire credimus.* Hinc est quod, etsi intelligeret quosdam Patres excusasse negationem Petri apostoli, eos tamen qui hoc asserebant, non esse audiendos probat in libro XII ad Matthæi capita XXVI et XXVIII. Sic enim loquitur in primo loco: *Pii defensores Petri, qui sic eum defendere conantur, ut Dominum mentitum fuisse probent.* Ex hoc sinceri amore factum est, ut in exponendo Matthæo non sequatur « tropologias Evangelii, nec mysticas sententiarum intelligentias; sed solummodo simplicem sensum, prout oportuit, explicet, » ut scribit in fine libri quarti.

23. Lacrymis etiam totus deditus erat, ob idque Hieremiæ Threnos explanare aggressus est, ex præfatione ad Odilmannum Corbeiensem monachum. Nimirum « quia consenescentibus nobis, » ait in prologo libri secundi, « hoc longævum semper constat fuisse officium, orationibus incumbere, insistere lamentis, et vel nostra vel aliena facinora deflere. » Hanc virtutem potissimum in senio sectatus est.

24. Omni vero tempore maxime abhorruit ab

Introdusă în format electronic de Google

inerti otio, studuitque omnes vitæ suæ horas subsecivas (*furtivas* ipse vocat in præfatione libri primi super Matthæum), quæ scilicet post regularis disciplinæ pensa restabant, litterarum studiis consecrare. Audi enim initio commentarii in Matthæum ita proloquentem : « Unde, quæso, nemo mihi succenseat, si tandem, Dei confisus gratia, elegi solertiam, quam in me cœlestis providentia eruditionis sale condivit, Domino dedicare, quam inanis vitæ otio, præ ernisso studio, torpere; quia etsi non multis, mihimet tamen meisque profuturum credidi, ut istuc interdum animum transponerem, et fugaces doctrinarum sensus longo labore quæsitos litteris allegarem : quatenus per hoc essem ad cogitandum instructior, et ad disserendum paratior. » Præclara est *hanc* in rem ejus exhortatio ad monachos in *prologo* libri undecimi : « Inter alta silentia cordis et negotiosissima monasticæ disciplinæ otia, nos qui divinis astringimur votis, ne sine fructu æternæ contemplationis otiosi inveniamur, optabile satis nobis esse debet illud Catonis exemplum, maxime mihi seni, si forte unquam ac vere possim dicere, quod ipse jam senex de eo scripsit, et ait quod solitus esset dicere, nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum *solus* esset. Quæ nimirum vox magnifica est, fratres mei, et viro magno ac sapienti digna; sed nulli magis quam *nobis* monachis decens et pernecessaria : quæ declarat talem tantumque virum, et in otio de negotiis bonæ vitæ cogitasse, et in solitudine secum loqui utilia solitum fuisse; neque cessasse unquam de bonis necessariisque rebus cogitare. Quanto magis nos, charissimi, oportet nunquam cessare in otio ne divina cogitemus, qui cœlestibus mancipamur disciplinis; nunquam nos solos esse in solitudine, qui semper et ubique coram Deo versamur, in quo vivimus, movemur, et sumus; coramque omni frequentia supernorum civium, ne forte derideant hostes nostri sabbata nostra, si aliqua hora non solum inutiles simus nobis, verum etiam (quod sæpe contigisse dolendum est) perniciosi inveniamur et aliis. » Hæc ideirco fusius retuli, ut tanti momenti sententia altius insideat animis sodalium nostrorum, quibus una fere pernicies timenda est otiositas.

25. Id vitii, non tantum vigente sed affecta potissimum ætate, declinare curavit abbas solertissimus. Huc spectant ejus verba in fine libri quarti in Matthæum : « Quapropter, charissimi, senectus mea non *modo* non languida circa vos et circa fratres meos esse debuit, quos exhortari debui, cum præessem; neque iners, verum nec otiosa in ipso otio; sed operosa et semper agens aliquid et moliens tale, quo et vita formetur præsentium, et exemplum præbeatur futurorum; ne sacramentum salis, olim in ore pueruli quod accepi, evacuetur vel in senectute, vel in senio. » Intelligebat siquidem vir sanctus, monachum illum omnino infatuatum esse, ac cœlestis disciplinæ expertem, quisquis vel in senectute exercitationem abjiceret. Neque vero id molitus est tantum cum aliis præesset, verum etiam post abdicatam præfecturam, ut patet ex præfatione libri noni : « Propterea nullum debet esse tempus senectutis otiosum quod non prosit : maxime, quia in aliis meminimus proficere studia Scripturarum, divina verbi semina saltem juvenibus spargo. » Legatur initium libri primi in psalmum XLIV.

26. Hæc ergo præcipua mentis agitatio erat in viro sancto, ut ne remaneret otiosus, sed animum semper piis studiis ac cogitationibus, ubi tempus suppetebat, occuparet. Omnino vero addictus erat lectioni sanctarum Scripturarum et Patrum orthodoxorum, in primis Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Gregorii Magni, Joannis Chrysostomi, et Bedæ Venerabilis, quos ipse laudat in præfatione libri primi super Matthæum. His adjungebat Tertullianum, quem inter primos ejus ætatis scriptores Gallicanos laudat adducitque in vita Adalhardi. His, inquam, studiis vir studiosus animum recreabat. Neque enim probabat quorumdam sui temporis hominum diligentiam in meditandis et exponendis profanorum auctorum scriptis. Egregius est hac de re locus in præfatione libri tertii super Matthæum, ubi arguit « sæcularium litterarum amatores, qui varios et diversos requirunt expositores, ut ad luculenta nefandarum rerum mendacia intelligendo valeant pervenire; qui nullam non dico paginam, sed neque syllabam prætermittunt, quam non enucleatius discutiant summa cum vigilantia ac labore, » divinos autem libros pessime negligunt. « Unde miror, inquit, satis, quid divina eloquia quorumdam mores offenderunt, quod non velint mystica Dei sacramenta ea diligentia perscrutari, qua tragœdiarum nænias et poetarum figmenta sudantes cupiunt investigare labore. Quorum inefficax laboris studium nemo qui ambigat, ubi de re agitur quæ profecto caret fructu, et sine præmio invenitur. » Quod etsi in omnibus Christianis et ecclesiasticis viris indecorum est, certe longe turpissimum in monachis, quorum singulare studium esse debet, abjecta omni cogitatione sæculari, adhærere Deo, et cœlestibus occupare animos. Pulchre auctor noster in prologo libri tertii super Hieremiæ Threnos : « Non nostri operis est, frater et consenex, inquit Odilmannum alloquens, falsas poetarum fabulas jam revolvere, vel Milesias; quoniam nostra institutio alios reposcit mores : neque philosophorum perscrutari libros; quia in altero ludus et oblectatio est, in altero vero difficultas et sudoribus admistus labor. Verum magis Threnis nos decet et Lamentis indesinenter insistere, » etc.

27. Cur vero in explanandis Scripturis sacris sanctos Patres adhiberet, exponit in præfatione libri sexti super Matthæum. « Expositio mea, dilectissimi, multorum eruditissimorum est doctorum, quos antiquior tulit ætas, et firmavit auctoritas veritatis; sed proprio commendatam stylo novitas fecit esse meam, ita ut tractatus qui de omnibus colligitur, unus vere videatur et specialiter esse meus : quo communes plurium doctorum sensus fide et intellectu catholicorum proprios esse feci. Non enim mysteria divinæ intelligentiæ seu sententias Salvatoris Dei, meis tantum explanare probavi ausibus, quod multi fecerunt qui noluerunt sapere quæ sacra interius Scriptura divinitus inspirata sapit, sed eam in multis perverse suis applicuerunt erroribus, » etc. Hinc est quod nonnullos expositores argutis nimium indulgentes cavillationibus reprehendit in libro octavo super Matthæi caput 17; quoniam etsi exercitium in eo esse potest, fructus intelligentiæ nescio si ullus esse possit. Est et locus ejusdem argumenti libro sexto in Matthæi caput II, pag. 527. Merito proinde illi aptavit Engelmodus hos versus :

Non mentita fidem simulatio crimine fallens,
Non quoque latratus spumantis purgia litis,
Sordidulæ labis cœnoso polluit actu,
Aut ten pestivum mentis tenebravit acumen :
Sed pia simplicitas, virtus et conscia recti.

CAPUT VII.

Mores sui sæculi, varia ad diversos monita.

28. Mores suæ ætatis vir sanctus deplorat pluribus in locis, ambitionem, simoniam, avaritiam, errores, et hæreses, aliasque sui sæculi pestes. In ambitiosos invehitur libro secundo in Matthæi caput VII : « Infelix nimium nostri sæculi ætas, quando rarissime invenitur aliquis vivendo Evangelicam habens formam; sed omnes præsentium rerum sectantur honores, ut per fas et nefas magis præesse valeant quam prodesse. Verumtamen omnes ea prædicant quæ vix pauci tenere moribus ac vita velint; quia, dum paupertatem persuadent, cuncti regnare cupiunt. »

29. In simoniacos non uno in loco invehitur. Sic enim libro nono in Matthæi caput XXI : « Cæterum de venditione columbarum satis abundeque disputatum

Introdusă în format electronic de Google

est a sanctis Patribus multis in locis, maxime contra simoniacam hæresim, quæ multoties est oppugnata in Galliis, sed nunquam expugnata; quia latrones facti sunt, et qui emunt quæ proprie Ecclesiæ sunt, et qui vendunt. Quæ nimirum hæresis, etsi damnari potuit, ideo non potuit hactenus expugnari; quia latro sicut a latendo dictus est, ita et isti quam sæpe latenter faciunt, aut ita tamen audenter, quamvis impudice, ut nullus audeat contraire. Quod factum hodie, ut ita fatear, tota Gallia sentit et dolet. » Illud autem hoc in loco dignum observatione est, quod simoniacos appellat eos non solum qui ecclesiastica beneficia venderent, sed et qui indignis conferrent. Ita enim subdit paulo post prædicta : « Non enim dico isto in tempore qui cathedras tenent ecclesiarum, quod columbas vendant : sed quia quibus non oporteat, ecclesiæ committuntur, non ad lucrum animarum, sed ad luxum et voluntates proprias. Hinc sane præcavendum valde arbitror ne forte columbas sit eis vendere qui tradunt ecclesias, Christo Domino consecratas, flagitiosis et avaris hominibus tyrannice, quibus non oportuerat, indisciplinatis et irreligiosis, » etc. Quinam vero sint illi quos hoc loco notat, ex lib. II de Epitaphio Walæ cap. 5 forsan intelliges. Demum simoniacos rursus exagitat libro XII in Matthæi caput XXVI. « Tales igitur semper timendi sunt sacerdotes, quicunque pretio, et non ex gratia Spiritus sancti, honores sectantur ecclesiarum; cum quibus semper falsum aggregatur concilium, falsi testes quæruntur; cum quibus non veritas, non religio, sed iniqua semper in causis præfertur auctoritas. »

30. In avaros sacerdotes intorquet hunc versum ex libro quinto in Threnos Hieremiæ : « Aquam nostram pecunia bibimus, » etc., quo versu exposito ita subdit : « Congruit autem iste sensus adversus cupidos sacerdotes templorum Dei, qui domum Dei domum faciunt negotiationis : quia propter baptisma et doctrinam prædicationis suæ, seu propter charismata donorum Dei, lucra sectantur, et impensiores quærunt sui quæstus; contra quos plebs Christi jure deplorat et plangit. »

31. Eodem zelo arguit ecclesiasticos viros, qui « pro rebus pecuniariis lites ac jurgia grassantur, » libro quinto in Matthæi caput V; et libro quarto in Threnos Hieremiæ clericos et monachos sæcularibus negotiis addictos plangit in hunc modum : « Ecce jam pene nulla est sæcularis vitæ actio quam non sacerdotes Christi administrent, nulla mundi negotia in quibus ministri altaris se non occupent, nulla rerum improbitas qua se monasticus ordo non implicet, pene nulla illecebris vitæ blanditias qua se castitas sanctimonialium non commaculet. » Et infra : « Aliud ex honore susceptæ religionis quærunt, atque aliud ex officio actionis exhibent, et quotidie per multas nequitias pereunt. Curis enim sæcularibus intenti et vitiorum, tanto insensibiliores reddantur, quanto ad ea quæ foris sunt, et carnis concupiscentiarum cum studio avidiores inveniuntur. »

32. Episcopos monet in libro octavo super Matthæi caput 16, ut ne, nimia facilitate excommunicandi, abutantur potestate quam Christus eis concessit ligandi ac solvendi : ubi etiam egregia dat monita subditis, quamvis injuste ligatis. Tum infert : « Absit ergo hoc ab illo senatu cœlorum, ut secundum motum animi superbientis aut irascentis cujuslibet, et ipsi injuste ligent aut solvant coram oculis summi Judicis omnia circumspicientis. » E contrario vero conqueritur de nimia facilitate pastorum in absolvendis peccantibus. « Hinc enim est quod hodie in Ecclesia indulgentia pœnitentiæ toties conculcatur, et securitas promittitur : ita ut illusio potius interdum quam medicina sordescentibus fiat; quia, dum facile præstatur, vilior habetur, et percepta negligentius custoditur; atque culpa in facto cum spe veniæ audentius nonnunquam reiteratur. Hæc non ideo dixerim, inquit, ut crudelem esse doctorem doceam, sed ut ad cautelam incautos reducam; quia sicut quærentibus cum fide dilectionis non est neganda; ita delusoribus et infidis non est continuo præstanda. Inde est quod sacri canones multoties ad pœnitentiam reiterantes non facile admittunt; quos sane terminos nec nos oportet indifferenter transgredi, sed omnia cum discretione pensare. » Denique, libro septimo in Matthæi caput XIV, notat pusillanimitatem quorumdam episcoporum qui principes non esse arguendos dicebant : quod etiam confutavit Theodorus Studita in epistola ad Stephanum a secretis Constantini imperatoris, apud Baronium ad annum 795.

33. Varios errores suo tempore exortos convellit Radbertus. Felicis Urgelitani episcopi dogma perversum de Christi adoptione, passim in libris super Matthæum et in psalmum quadragesimum quartum; Claudii Taurinensis episcopi, qui cultum sacrarum reliquiarum et peregrinationes elevare tentabat, libro undecimo in Matthæi caput XXIV. Arguit etiam *quosdam novos assertores falsitatis*, qui *nulla alia esse genera pœnarum, neque loca tormentorum, præter proprias conscientias hominum*, affirmabant, in eodem libro ad caput XXV; quod in Joannem Scotum ejus erroris assertorem cadere non dubito. Denique in epistola Frudegardo inscripta notat aliquos qui non recte de eucharistia sentiebant; de quibus in præfatione.

CAPUT VIII.

Judicium de ejus scriptis.

34. Prima ejus lucubratio ex iis quæ nobis relictæ sunt, est liber de Corpore et Sanguine Domini, scriptus anno 831, tempore scilicet exsilii Walæ abbatis Corbeiensis, quem sui temporis Arsenium et Hieremiam appellat, ut in præfatione hujusce tomi exposui.

35. Postea scripsit in Matthæum libros duodecim, quatuor quidem adhuc monachus Guntlando Centulensi monacho; quatuor consequentes jam abbas, universis ejusdem cœnobii monachis nuncupatos : quorum monachorum doctrinam, sapientiam et religionem prædicat; reliquos post abdicatam præfecturam. Epistola ad Frudegardum, quæ libro de Corpore et Sanguine Domini subjecta est, scripta fuit post commentarios in Matthæum.

36. Vitam sancti Adalhardi abbatis Corbeiensis scripsit circiter annum 830. Epitaphium (quod vocat) Walæ, itidem abbatis et Adalhardi fratris ac successoris, edidit duobus libris, quorum priorem condidit anno 836 posteriorem abdicata prælectura, id est, post annum 851. In utroque hoc opere, quod in superioribus exhibui, præclara commemorat Paschasius ad res tum Francicas tum monasticas illustrandas, maxime in Walæ Epitaphio; in cujus libro II arcanam exauctorationis Ludovici Pii historiam accurate refert testis ipse plurimum oculatus; et Ecclesiæ Gallicanæ statum, qualis tum erat, egregie depingit. Scriptus est autem liber primus statim a Walæ obitu : secundus nonnisi post abdicatam a Paschasio præfecturam, ex initio ejusdem libri; et quidem post mortem Ermengardis imperatricis, Lotharii Augusti uxoris, ex cap. 24, id est post annum 851; imo post annum 857, siquidem Severus, qui unus est ex interlocutoribus libri primi, idem est cum Odilmanno Severo, cui Paschasius explanationem in Threnos post hunc annum nuncupavit. Scriptus vero est ante initam a Carolo et Ludovico concordiam ex cap. XIX, ac proinde ante annum 860, quo eam referunt Annales Bertiniani. Nescio an hanc Paschasii lucubrationem viderat Antonius de Caulineurte, in cujus Chronico Paschasius Walæ vitam edidisse perhibetur. De hoc Epitaphio iterum infra.

37. Librum de Partu beatæ Mariæ virginis inscripsit

Introdusă în format electronic de Google

Venerabili Matronæ Christi, nimirum Theodradæ abbatissæ, sorori sancti Adalhardi, *una cum sacris virginibus Vesona degentibus Paschasius Radbertus monachorum omnium peripsema.* Præfationis initium hoc est : *Quæstionem, charissimæ, de partu beatæ Mariæ virginis mihi nuper allatam vobis persolvere decrevi*, etc. Præfatio ista ante Spicilegii duodecimam editionem deerat in libris impressis, in quibus libellus iste mendose impressus Hildefonso Toletano episcopo male ascriptus erat, nunc demum auctori suo restitutus. Eum composuit Radbertus occasione libri a Ratramno editi de Nativitate Christi. Porro *Vesonæ* vocabulum non est proprium nomen parthenonis Suessionici, sed urbis ipsius, quæ *Vesona* et Suessio promiscue appellatur a Radberto. Neque verisimile est amanuensis errore scriptum esse *Vesona* pro *Suessona*. Nam, præterquam quod *Vesona* legitur in duobus codicibus mss. in quibus ista lucubratio continetur, idem etiam vocabulum tribus in locis reperitur in Expositione psalmi XLIV, et quidem conjunctum cum vocabulo *Suessionis*. Ex ipso autem contextu manifeste liquet eo nomine significari civitatem Suessionicam, non monasterium virginum. Sic enim legitur in libro tertio prædictæ Expositionis. « Inter quas etiam Vesona quam incolitis, quæ prius meretricabatur post idola fornicationis, cum muneribus venit, et facta est fidelis, quæ fuerat filia fortissimi diaboli. Et, ut cernere potestis, sicut dixit Isaias, mercedes ejus jam sanctificatæ sunt Domino; quia tota ecclesiis repleta fulget, et facta est possessio piissimi Salvatoris, quæ fuerat filia perditionis et præda vastatoris. Habet namque ad orientem sui nunc castra monachorum cum suis sanctis confessoribus atque martyribus : ad occidentem vero, ac si post tergum vestrum, tuba resultat sancti Evangelii in voce monentis; fitque ut nullis fraudetur donis cœlestibus locus in quo estis. Vos autem quasi in medio constitutæ, unum elegistis angulum tantum Suessionis angustæ » Et paulo infra : « Ista igitur sunt munera...., quæ mittit Vesona Christo, olim dicata dæmonibus, nunc consecrata Deo. » Et in fine prædicti libri : « Ad hunc angulum Vesonæ convolastis. » Ex quibus patet, Vesonam esse ipsammet civitatem, quæ ad orientem habet monasterium S. Medardi, ad occidentem ecclesiam cathedralem, in medio utriusque parthenona beatæ Mariæ, qui in ejus urbis angulo consis it. Certe Ptolemæus *Vesones*, et Strabo *Vesiones* appellant Suessionenses. Quod attinet ad hujus operis argumentum, per id tempus controversia quædam exorta est, an Christus communi cæterorum hominum via, id est dilatatis virginalibus claustris, an clauso matris utero in lucem prodiisset. Quæstio hæc primum in Germania ventilari cœpta est, forsitan in Fuldensi academia, Rabano præceptore; indeque in Galliam invecta eo fere tempore quo Lupus, tum Ferrariensis monachus, ex scholis Fuldensibus in patriam reneavit. Posteriores istius controversiæ partes tuebantur plerique omnes; priores Ratrammus, Corbeiæ Gallicæ cœnobita, edito libello *de Nativitate Christi*, ratus, Christum, si communi via non processisset ex matre, non vere natum genituuve, sed *violenter egressum* dici debere. Ratrammum ejusque sequaces refutavit Paschasius, asserens Christum haud *secundum communem legis naturam* fuisse natum, *qui non secundum usum naturæ in utero de carne Virginis* esset *procreatus*. Sic quorundam fratrum impudicam (quam vocat) temeritatem compescere tentavit uno libro; at cum nec sic discederent a sententia sua, sed sive scriptis, seu verbis eam propugnare pergerent, addidit secundum, totumque opus *venerabili matronæ Christi*, una *cum Christi virginibus Vesona monastice degentibus* nuncupavit. Hæc Christi matrona est Theodrada parthenonis beatæ Mariæ apud Suessiones abbatissa, sic dicta, quod in sæculo conjugata fuisset. Nam Immam ipsius Theodradæ filiam, et in cœnobii regimine subsequacem, perpetuo *virginem Christi* ac *filiam* appellat Paschasius in explicatione psalmi XLIV. Itaque primum saltem hujus operis de Nativitate Christi librum scripsit Paschasius ante annum 846, quo Theodrada e vivis excesserat. Scripsit, inquam, *multo senio jam confectus*, ut ipse in præfatione testatur, id est sexagenario major. Ex quo intelligitur eum ad annum ætatis psope octogenarium pervenisse, cum annum Christi 860 attigerit aut forte excesserit. Certe sæculo octavo natus adultusque fuerat, ut colligitur ex lib. I de Epitaphio Walæ cap. 3.

38. Libellum de Passione sanctorum Rufini et Valerii composuit abbas rogatu incolarum oppidi ipsis dicati, quod Basilicas [*Basoches*] vocant, in pago Suessionensi.

39. Expositionem in psalmum XLIV, tribus libris conditam, post abdicatum monasterii regimen nuncupavit, tacito licet nomine, Immæ Suessionici parthenonis post Theodradam abbatissæ, et Suessionici parthenonis virginibus, quas laudat præcipue in libris secundo et tertio; et in libro primo eas monet, ut ipsis *sufficiat cohabitatio ad necessitatem naturæ, et census exiguus*. Tria vero de istius cœnobii disciplina eo tempore servata notat in libro tertio, nimirum *oblationem* virginum a parentibus fieri solitam, earumdem *aternam clausuram*, et vota sanctimonialium tam virginum quam viduarum : *quarum*, inquit, *unum est votum obedientiæ; una sit conversio morum, una stabilitas loci*. Quibus verbis exprimitur Benedictinæ professionis ritus, quo professentes promittunt obedientiam, conversionem morum, et stabilitatem in congregatione.

40. Ultimo loco venit explanatio in Threnos Hieremiæ, seni Odilmanno Severo inscripta : quod postremum Radberti opus fuisse credit Antonius de Caulincurte in Chronico Corbeiensi. Is forsan est Odilmannus Severus, qui unus est ex interlocutoribus libri primi de Walæ Epitaphio, Severus appellatus. Non ergo Heddo abbas Walæ successor, uti suspicabar in notatione ad ejusdem libri caput 21. Quod si ita sit, liber secundus de Walæ Epitaphio, quem librum mortuo Severo scriptum esse constat ex initio libri, conditus est post explanationem in Threnos. Eam porro aggressus est Paschasius *multo longoque confectus vitæ tædio*, et quidem post annum 857 ex superiori num. 18. In his porro lucubrationibus omnibus apparet auctorem Græce et Hebraice doctum fuisse.

41. Præter ea opuscula, varias etiam scripsit epistolas ad Lupum Ferrariensem abbatem, aliosque, quas excidisse dolemus. Trithemius Paschasio tribuit librum de Vitis Patrum e Græco in Latinum versis, quas Paschasii diaconi annis trecentis antiquioris esse constat. Sunt qui Vitam S. Richarii abbatis Centulensis a Paschasio nostræ expolitam atque auctam ferunt, sed perperam, ut probatum est, in sæculo secundo ad S. Richarii Vitam. Idem esto judicium de carmine quod Nicolaus Mameranus post librum de Corpore et Sanguine Domini Coloniæ vulgavit anno 1550, tribuitque Paschasio, mera conjectura, propterea quod in eodem codice carmen istud cum Paschasii libro de Eucharistia compactus esset absque nomine auctoris. In ms. cod. Aniciensi idem carmen sic inscribitur : *Versus de die judicii Bedæ*, quanquam nec Bedæ venam assequi mihi videtur. Sed tamen probabilior est titulus, quam libri editi, *De solitaria Conversatione*. Errat porro Mameranus, qui ejus carminis auctori filiam fuisse colligit ex postremo disticho : cum ibi sermo sit de filia spirituali. Denique vana est anonymi conjectura, librum de Pontificibus Romanis, quem Luitprando in fronte tribuit, Paschasio Radberto in præfatione sub dubio ascribentis; cum nec tempus, nec styli qualitas Radberto conveniant.

Introdusă în format electronic de Google

CAPUT IX.

Varia ejus elogia, canonizatio.

42. Radberti varia leguntur elogia, tum apud auctores sui temporis, tum apud sequiores. Patres synodi Parisiensis in privilegio ei concesso laudant venerabilem fratrem Radbertum abbatem, ejusque discipulos appellant *præclara et pretiosa membra æterni Regis.* Quæ laus in præceptorem ac ducem redundat. Eumdem *bonis omnibus amplectendum* dixit Lupus in epistola præcitata; Engelmodus vero versibus heroicis, ut superius dictum est, adhuc viventem commendavit. Engelmodum Suessionensis Ecclesiæ episcopum fuisse constat ex privilegio quod episcopi Gallicani, Pistis Suessionas convocati, anno 862 Dionysianis monachis concesserunt; cui privilegio, quo autographum vidi, et cum editis conferri curavi, subscripsit *Angilmodus Suessonicæ Ecclesiæ indignus episcopus*, apud Dubletum pag. 798; sive is in locum Rothadi, qui eo in conventu abjectus est, tum suffectus fuerit; seu sub ipso Rhotado chorepiscopi officium gesserit. Radberti librum de Corpore et Sanguine Domini eximie laudat S. Odo abbas Cluniacensis in Collationum libro II, capitibus 30 et duobus sequentibus. Ob id etiam Durandus abbas Troarnensis in libro de Eucharistia, eum vocat *divini sacramenti scrutatorem diligentissimum discussoremque catholicum;* et ante eum Herigerus abbas Laubiensis in epistola seu libello de Eucharistia, qui sub titulo anonymi Cellotiani hactenus vulgatus est. His accedit Antonius de Caulincuriæ superioris sæculi monachus, in Corbeiensi Chronico ms. quod desinit in anno 1520. Idem argumentum fusius et accuratius persequitur noster Paulus de Bonofonte in sua Historia Corbeiensi inedita.

43. Demum Folone Corbeiæ trigesimo abbate, ejus nominis primo, « tanta per Dei gratiam ad sancti Radiberti abbatis facta est multitudo signorum, tam evidentia, super his qui infirmabantur, per ipsius merita claruerunt prodigia sanitatum, ut auctoritate Sedis apostolicæ corpus illius IV Idus Julii de sepulcro levaretur, et spectantibus pariterque adorantibus populorum turbis innumeris ac majorem ecclesiam sancti Petri decenter translatum cum aliis anno salutis millesimo septuagesimo tertio. » Hactenus vetustus abbatum Corbeiensium catalogus, ex quo corrigas Martyrologium Gallicanum, in quo id factum dicitur anno 1060, et quidem a Widone Ambianorum episcopo, qui in recentiori abbatum catalogo ejus rei auctor fuisse dicitur. Sancti hujus reliquiæ hactenus in ecclesia Corbeiensi asservantur; et in loco primarii sepulcri, nimirum in ecclesia sancti Joannis, ejus effigies rudi ac recentiori opere lapidi insculpta cernitur cum pedo insigni abbatis. Ejus festum diem ritu duplici Corbeienses nostri colunt VI Kal. Maii; quo etiam die in vetusto Martyrologio Corbeiensi *sanctus* appellatur, itidemque in alio codice ante annos quingentos manu exarato, qui posteriores in Matthæum libros quatuor, et Expositionem psalmi XLIV, continet; ubi initio prædictæ Expositionis pingitur cum aureola in capite.

CAPUT X.

Libri duo de Vita Walæ Paschasio vindicantur.

44. Tanta est styli convenientia inter Epitaphium Arsenii seu Acta Walæ et Vitam Adalhardi ejus fratris, ut licet ms. codex quo usus sum in edendo Epitaphio, nullum præferat auctoris nomen; hoc tamen Paschasio Radberto indubitanter asseruerim, tum propter quosdam catalogos et auctores qui hoc A opus Radberto ascribunt, tum propter Paschasii nomen, qui unus ex interlocutoribus est, et quasi scenæ choragus esse videtur. Hunc vero Paschasium interlocutorem haud alium esse a Radberto patet ex initio libri secundi, ubi fit mentio de abdicatione regiminis pastoralis, et reditu ad intermissa studia; quod utrumque Radbertus in genuinis scriptis suis identidem commemorat. Verum, quoniam vir doctus nuper in contrariam abiit sententiam, alia proferenda sunt argumenta, quæ Adalhardi et Walæ Acta conferentibus unum eumdemque auctorem esse persuadeant. — 1° *Epitaphium Arsenii*, qui titulus est Vitæ Walæ præfixus, Radberti verbis respondet in Vita Adalhardi, ubi Ambrosium et Hieronymum laudat, qui *suis epitaphia caris facundissime condiderunt.* — 2° Modus tractandi res lugubri et funebri more utrisque Actis convenit, in quibus Walam, uti et Adalhardum, ob lacrymarum gratiam maxime laudat, ut patet conferenti num. 25 Vitæ Adalhardi et initium Epitaphii B Walæ. — 3° Adalhardi educationem num. 7 describens Radbertus, ait eum *inter palatii tirocinia omni mundi prudentia eruditum* fuisse. De Wala, *Fuit a puero*, inquit, *inter tirocinia palatii liberalibus mancipatus studiis*, in lib. I cap. 6. — 4° Adalhardum passim *Senem* et *Antonium* in utroque opere appellat. — 5° Adalhardum ob intrepidum justitiæ zelum Johanni comparat Radbertus in ejus Vita, num 7. itidemque auctor Epitaphii in lib. II cap. 12. — 6° in Adalhardo paupertatis studium pluribus dilaudat num. 13, 23, 59, et maxime 68 ejus Vitæ. Iisdem pene verbis id præstat Epitaphium Walæ, in lib. I cap. 18 et 19. Quippe in Vita Adalhardi, num. 68, inducit Adalhardum suos, id est Corbeiæ novæ monachos, ad studium paupertatis hortantem, « et commendantem eis per omnia, ut in nullo terrenorum cupidi essent, neque quidquam vellent accipere unde alii gravarentur; » insuper etiam dicentem, « quod C multi non solum rectores ecclesiarum, sed etiam ipsi ibidem Deo degentes, qui sæculo renuntiasse videntur, ob id decepti essent quod rebus nimiis abundarent. » Idem de Adalhardo et Wala tradit interlocutor Paschasius in lib. I cap. 18 : « Ad hoc quippe duo isti eximii fundamenta in gentibus ad boream civitatis cum ponerent . . . tria ista omnino monebant, ne rebus multum ditescere gauderent, neque divitias sæculi appeterent, ita ut in eis cor apponerent; sed omnino delicias et voluptates, ac si venena, fugerent. Ad ultimum, ne ullis, ac si pro religione, honoribus et fastu delectarentur superbiæ, ne forte ex toto latescerent, et in vacuum deperirent : sicut in Galliis multas deperisse a religione ecclesia bene olim fundatas cernimus. » — 7° Adalhardo accommodat illud ex Horatio elogium :

Fortis et in seipso totus teres atque rotundus.

Idem Walæ tribuit Epitaphium Arsenii in lib. I cap. 9. — 8° Zeuxis pictoris exemplum in medium adducit Adalhardi Vita num. 20, idemque Epitaphium D Walæ statim ab initio. — 9° Walæ justitiam prædicant Adalhardi Acta, num. 32, ubi *justitiæ custos, et decus honestatis, oppressorum quoque justus oppressor* dicitur; in Epitaphium *justitia ferventior* in lib. I cap. 12. — 10° Quæ de novæ Corbeiæ conditione leguntur in primi operis num. 66, 67 et 68, omnino respondent iis quæ in secundi cap. 14 et sequentibus referuntur. — 11° Denique, ut cætera mittam, iidem utrobique characteres, idemque genius, idem stylus, eademque non raro verba, et quidem singularia : quale est *interdum* pro *interim*, quod in Actis Adalhardi num. 71 occurrit hoc sensu, et in Epitaphio, lib. I, cap. II, et alibi.

Introdusă în format electronic de Google

ENGELMODI EPISCOPI

VERSUS

AD RADBERTUM ABBATEM.

Eloquii cultu vernantem texere mitram,
Bracteolisque auri fulgens diadema polire,
Quo te, sancte Pater, devotio dulcis adornat,
Ingenii vires, docilisque industria fandi
Nobilium poterit doctorum, compote voto,
Qui te fertilibus satiati rite magistro
Doctrinæ dapibus, salientes dogmatis undas,
Largifluosque vomunt arguti carminis imbres.
At nos exiguum sterili de cespite gramen,
Devotum tibimet carpentes munus amoris,
Turpiloquis liquidas temeramus lusibus odas,
Materiesque virens calamo marcessit inerti.
Unde fuit pigri satius pressisse labelli
Organulum, læsæ vocis cohibendo fragorem:
Ne quid rancidulum lepidæ mulcedinis aures
Exciperent, nectarve favi turbaret amaror.
Sed tamen igneolus devoti pectoris ardor,
Quo te, charus amor, placido complector honore,
Non modo reflexæ tenuit retinacula habenæ,
Septorum pariter prædura repagula rumpens.
Cum campo sedenim sese committit aperto,
Effrenisque jubis aurarum flabra lacessit,
Non se carceribus fusum per inania ferri
Sentit et oppositas ludens pede proterit ulvas.
Ergo, beate Pater, decus et lux aurea mundi,
Ecclesiæ columen, paradisi maxima cedrus,
Relligionis apex, fidei fortissimus umbo,
Ergo precor liceat cursim mihi plaudere agrestis
Ingenii nugis, ranca reboante Thalia,
Festivos ludos, simplexque retexere carmen.
Nam dignum tibimet laudum præconia ferre,
Mirandumque decus vitæ vulgare verenter;
Lampade justitiæ qua cunctis celsa beati
Præmonstras iteris tendentis ad atria vitæ·
Et qua jam felix meruisti Patris in albo
Conscribi, cœli sociandus civibus almis.
Gloria te magnum præclari monstrat honoris,
Quo tibimet cuncti, latus quos continet orbis,
O sequiis parere piis, et supplice voto
Exoptant, gaudent, certant, cupiunt, sataguntque.
Gratia sed potior virtutum culmine surgit,
Atque jubar fidei præfulgens solis ad instar
Cœlestis penetrat solii sublime tribunal.
Qui, meritis florens, morum probitate relucens,
Ingenio pollens, sensus moderamine gaudens,
Obsequio fervens, pietatisque ignibus ardens,
Mansuetus, placidus, prudens, justusque, benignus,
Devotus, humilis, mitis, blandusque probaris.
Quem non ira ferox, non atri ruga tumoris,
Virus non odii, invidiæ non denique pestis,
Non lascivus amor, fœdus non ardor habendi,
Non mentita fidem simulatio crimine fallens,
Non quoque latratus spumantis jurgia litis,
Sordidulæ labis cœnoso polluit actu,
Aut tempestivum mentis tenebravit acumen.
Sed pia simplicitas, virtus et conscia recti,
Quarum lacte sacro primis nutritus ab annis,
Virgineisque simul blanditus rite fomentis,
Ut cunctum tradunt irruptis crescere nidis,
Dum lucina melos nocturnis personat hymnis,
Inter florigeros divini dogmatis hortos
Ætatis solidum crevisti tempus adusque.
Galbanei nitido perflatum nectare roris
Ridentes docuere jugi gaudere sereno,
Cunctorumque animis dulci bonitate placere.
A His etenim temet vegetandum providus auctor,
Imperio qui cuncta tenens, excelsa vel ima,
Æterna ratione regit quod condidit ipse,
Legavit tenerum, cum prima crepundia matris
Quæ genuit nigri fascirent tegmina panni,
Expositumque vorax ambiret mortis imago.
Germine quæ supero divini sanguinis ortæ,
Angelicique chori conferta dote gregales,
Te quoque concivem cœli super ardua raptum
Rite ministeriis aptarunt Cunctipotentis.
Nec incerta fides, aut rerum ficta fabella,
Ut quondam studiis præpollens docta vetustas
Prodigiosa vomens læsi documenta cerebri,
Lascivos super astra toros, mollesque Camilli
Amplexus statuit rapti Ganymedis honores,
Hocque Deum Saturnium venerata decenti
Sacrorum ritu stupris maculavit Olympum.
Verum pro meritis imitandæ relligionis,
Qua jugibus votis Christo domino famularis,
B Hæc tibi christicolæ digno sacramus honore.
O veneranda viri simplex et sancta colendis
Mens moderata bonis, semperque intenta supernis!
Angelicis conserta choris exsultat in astris,
Gaudet apostolicis felix sociata catervis,
Agmina martyrii cernit decorata cruore,
Cum grege candidulo spatiatur virginitatis,
In patriarcharum solio requiescit ovando,
Conferto alloquitur vigiles sermone prophetas.
Mystica percurrens epulatur dogmata vitæ,
Hisque jugi studio cœnis satianda recumbit.
Ac velut exemptis zephyro spirante pruinis,
Florida cum tellus pubentes parturit herbas,
Vere novo pingens distincta coloribus arva;
Exercetur apum campis dispersa juventus
Præteritos hiemis metuens quassata labores,
Purpureosque legit flores, et flumina libat.
Nec mora, nec requies, quin aut liquentia mella
Includat tenui compactis nectare cellis,
C Glutine vel lento fundamina dura favorum
Exstruat, aut croceas disponat in ordine ceras.
Fervet cura frequens, adolent purissima mella.
Sic tu, dulce decus, divino captus amore,
Dum cordis speculo cœlestia sola tueris,
Liber in excelsis animi statione locatus,
Eloquiique sacri saltus, et amœna vireta
Pervolitas, vitæ liquido quæ fonte rigata
Jucundis vernant foliis, et flore perenni.
Quorum rore pio distentus viscera blande,
Exceptoque recens oneratus brachia succo,
Impatiens animum somno relevare quietis,
Aut documentorum nectar stillando refundis,
Librorumve favos operoso construis actu.
Et cum jam meritis caput inter sidera tantis
Extuleris, flavo redimitus tempora serto
Ut te devota venerentur laude superbi
Imperii fasces, et fulgens gloria regni,
Plausibus atque tuis populosa theatra resultent:
Ventosi nunquam blanditus folle favoris,
D Supplex atque humilis felici jure bearis.
Quem cum quisque adiit nebuloso pectore tristis,
Defecisse gemens exhausti farris acervum,
Vocibus aut querulis incusans sortis iniquæ
Pondere se pressum miserandam ducere vitam:
Continuo largi recreatus munere doni,
Consiliive cati blando solamine fretus,

Introdusă în format electronic de Google

Gaudens atque hilaris propriam repedavit ad ædem.
Quodque magis stupeo, mira dulcedine pastus,
Corporis in gestu radiant insignia mentis,
Arcanumque animi vultus redimicula signant
Cæsaries etenim niveo candore nitescens
Virgineum cordi præpandit inesse pudorem.
At rosulis facies similis, formosa, rubescens,
Bellantis titulat victo serpente trophæum,
Aut ardore suo flammas imitatur amoris.
Nam visus parilis rideus et honesta voluptas,
Castoras ut credam læto fulgere nitore,
Actus et fidei palmam pingit socialem,
Vel gustata refert coelestis gaudia regni.
Circumfusa jubis blando sinuamine cervix
More spei latitat virtutum tegmine septæ.
Gratia quæ labiis, vel quæ sit in ore venustas,
Non capit ingenium, fandi nec copia perfert
Largior inde fluens salientis vena sophiæ,
Eloquiique altos emanans proflua rivos,
Aureolas verbi glebas, viridesque lapillos
Gemmantis sensus nitidis profundit arenis.
Quorum fulminibus armatus rite lacertos,
Contortoque gravis Balearis verbere fundæ,
Semiferum facili prosternis cæde Goliam,
Hostilis pariter cunei portenta dehiscens.
Huic te, sancte Pater, juvat insudare palæstræ,
Pro grege sacrificо, pro castis Cunctipotentis,
His exercitiis duros relevare labores:
Dum vitalis adest flatus, dum vesceris auris,
Præmia multiplici laturus fruge beata.
Cum rex altithronus mundum discreverit urna
Judicii, cunctisque vicem dependerit actus.
Tunc te florigero, confido, clarificatum
Excipiet gremio sublimis gloria regni.
Tunc que beatorum gaudebis consociatus
Agminibus, felixque frueris luce perenni.
At me, heu lacrymosa fero, referensque tremisco,
Pondere peccandi devinctum colla catenis,
Tunc forsan misero cessum tortoribus atris
Damnabit nimium crudelis judicis ira,
Exceptumque rapax anbaret flamma gehennæ.
Sed tu, sancte, precor, mediis te oppone periclis,
Auxiliisque pio defendens rore misellum,
Fumificos pœnæ placidus compesce vapores.
Et jam tempus adest funem religare carinæ,
Excursumque levem morsu stabilire saburræ,
Liberius ne forte ratem dum credimus Austris,
Illisi scopulis sero revehamur ad agros.

PRIVILEGIUM MONASTERII CORBEIENSIS,

RADBERTO *abbati concessum a synodo Parisiensi, anno* 866.

Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 846, Indictione x, regnante per provincias Galliæ gloriosissimo atque serenissimo principe Karolo, jam divisione regni ac pace cum fratribus, Lothario scilicet et Ludovico regibus, confirmata, convenientibus nobis Galliarum episcopis ex regio præcepto Parisios, ut super his quæreremus quæ in Ecclesiis Dei, tam propter civilis belli transactam violentiam, quam et ob inertiam prælatorum atque subjectorum, longe jam secus quam dignum est geruntur; necnon cujus rei gratia pestis atque lues tam diu in populo grassantur: qui etiam modus atque status, secundum institutionem Patrum, sanctarum Ecclesiarum esse deberet; quæve privilegia antiquitus tradita conservari deberent: inter cætera venerabilis frater noster RADBERTUS, abbas Corbeiensis monasterii, obtulit nobis sacras litteras piissimorum principum, Ludovici videlicet bonæ memoriæ piissimi imperatoris, ac Lotharii filii ejus, quibus cautum est ut ipsum monasterium, secundum antiquum morem jam inde a principio custoditum, electionis gratiam, et rerum suarum dispensationis libertatem haberet, cum omni integritate, tam nostris quam futuris temporibus. Insuper et auctoritatem atque consensum præcellentissimi atque nobilissimi regis Karoli protulit: qui et idem monasterium, secundum morem prædecessorum suorum, quasi jure hæreditario, in sua familiaritate ac defensione ab exordio regni sui favente Domino suscepit, et veluti munus revera Deo gratissimum, inter diversos turbines causarum, ut tranquillitate præcipue ordini eidem congruente potiretur, Deo devotissime obtulit, suisque sacratissimis litteris promulgavit. Petiit itaque a nobis, quo ea quæ sacris litteris piissimorum principum coali mata fuerant, nostra quoque auctoritate ex voluntate principis confirmarentur. Quod et nos justum et ordine nostro dignum esse censuimus, tam pro reverentia Dei, qui ipsum locum protegit atque provehit, quam et propter munus pastorale gregis Christi susceptum; necnon et ob eorum dilectionem qui ipso in loco laudabiliter Domino hactenus famulantur. Nam, sicuti cognovimus, ipse locus venerabilis, Bathilde regina a Clotario filio suo impetrante, a sanctis viris fundatus est, et sacræ religionis normam, quam primo tempore susceperit, inviolatam deinceps retinuit; in tantum ut eos qui se fundaverant non modo æquaverit, sed etiam pene superaverit. Qua de causa et nobilissimi viri in eodem loco ad Dei servitium sponte confluxerunt, et eumdem locum tam nobilitate sua quam et vitæ merito decoraverunt. Unde factum est ut ipse locus familiarior dominis rerum fieret: adeo ut sub sua tutela reges atque reginæ eum susciperent. Sed quia nostris temporibus omnia fere depravata erant, cernentes religiosi viri ejusdem loci electionis jura multis in locis non servari; verentes similia pati, sacras litteras clementissimorum principum expetierunt, electionem sibi, et rerum suarum liberam dispositionem juxta institutionem divinæ legis confirmantes; nec eas sufficere arbitrati, ex nutu nobilissimi atque præstantissimi regis, nostra quoque auctoritate sibi eadem postulaverunt confirmari. Quod nos non immerito concessimus. Primo quia patres et defensores Ecclesiæ esse debemus: deinde quia, nisi pro talibus invigilaverimus, rei fore ante conspectum divinæ majestatis pertimescimus. Quocirca monemus atque hortamur filios ac dominos nostros piissimos principes nostri pariter et futuri temporis, quia pene in omnibus locis id confunditur, saltem propter amorem et reverentiam Dei, et servorum ejus debitam dilectionem, insuper et regni sui prosperitatem atque augmentum, ut electionis gratiam, et liberam dispositionem facultatum suarum illi loco conservare satagant: et sit in illo monasterio semper privilegium electionis, sicuti antiquitus in Ecclesiis electio conservata fuit, non supposita, aut suffecta, sed libera, juxta auctoritatem canonicam et regulam S. Benedicti. Quod si aliquando contigerit ut rector aliquis in eodem loco non digne Deo vivat, aut forte minus officiosus circa principem sit, hoc statuimus ut, si ille propter suam negligentiam depositus fuerit, electio illis intemerata permaneat: videlicet ut eligant alterum, quem ad illud officium, secundum monasticam disciplinam aptum, invenerint. Non enim justum ut unius culpa super omnes redundet; neque ullo pacto rectum esse potest ut,

Introdusă în format electronic de Google

uno peccante, super omnes vindicta consurgat, aut causa unius Ecclesia Christi sua privilegia perdat : sed sic unius culpa resecanda est, ut omnibus qui in eodem loco sunt et venturi sunt consulatur. In ipsa porro electione regularis auctoritas conservetur, id est ut ille præponatur sanctæ congregationi, quem non multitudinis electio commendaverit, sed quem sanioris consilii, licet pauci numero, fratres elegerint, et quem vitæ meritum et sapientiæ dignitas probabilem reddiderit. Quod si aliquando contigerit ut aliquis pervasor, imo lupus ovilis dominici, aut pecunia, more Simonis, aut qualibet gratia apud dominos rerum monasterium illud impetrare voluerit : primo secundum canonicam auctoritatem, quia sæculari potestate Ecclesiam Dei obtinere voluit, anathematizamus, una cum omnibus sanctis Patribus, *qui* sacros canones edidere : quo non minus nostra, nobis misericordissima gratia Dei collata, obligetur auctoritate, quam et omnium præcedentium Patrum, qui pro stabilitate sanctæ Dei Ecclesiæ hujusmodi decreta protulerunt. Deinde inferimus, quia servorum Dei contubernium turbare voluit, exturbet illum sicuti Achan de terra viventium (*Josue* VII) : si tamen non cito resipuerit. Si autem et impetraverit, neque hic, neque in futuro societatem cum sancta Dei Ecclesia habeat, quam infami satis exemplo contaminavit. Imo chorus omnium Ecclesiarum *contra* eum indesinenter concrepet, qui dixit : Hæreditate possideo sanctuarium Dei, Deus meus pone illum ut rotam, sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis qui comburit silvam, sicut flamma comburens montes (*Psal.* LXXXII, 13, 14, 15), et cætera quæ sequuntur. Et, quia cupiditate ductus etiam pecuniam ac substantiam servorum et pauperum Christi invadere et asportare voluit, una cum Juda sacræ pecuniæ dilapidatore, et proditore Domini nostri Jesu Christi, maledictiones illas quæ in eum prolatæ sunt excipiat, utpote invasor gregis Christi, et necator pauperum. Præterea si filii nostri domini rerum eis qui hæc nunc forte machinantur, aut quandoque tentabunt, aspiraverint, semel et secundo et tertio vel amplius admoniti, si non se correxerint, similis eos obligationis sententia et hic et in futuro astringat, nisi se erga eum qui Rex regum, et Dominus est dominantium, per veram satisfactionem correxerint. Et ut hoc filii ac domini nostri, *quod* Dei et Ecclesiasticæ sanctioni adversum est, facere formident, canonica auctoritas quid de his in uno et in quamplurimis capitulis statuat adnectimus. Ita enim sancitum est (*Gangr. c.* 8, *lib.* 1, *c.* 47), Si quis dederit vel acceperit oblata, præter episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat, et qui accipit, anathema sit. Hæc ergo persecuti sumus, quo filii et domini nostri et quod agere debent faciant, et his qui Patrum auctoritatem violare non verentur resistant, ne sibi perpetuam obligationem imponant, neque sibi subjectis scandalum offensionis generent. Manifestum quippe est quod qui acquiescat male postulanti, et sibi animadversionis divinæ pondus inducit, et ei, cui conibet [connivet], justi et perpetui Judicis iram imponit. Quod ne fiat, monemus, hortamur et rogamus, ut filii et domini nostri, et hæc quæ statuimus illibata conservent, et nulli profano usu Ecclesiam Dei temerare volenti consensum aut nunc aut in futuro præbeant : quatenus non solum iram districti Judicis evadant, verum etiam coronam perpetuæ vitæ, et Davidici illius felicissimi et sempiterni regni gloriam consequantur. Sed et eos, quorum gratia hæc omnia loquimur et facimus, videlicet præclara et pretiosissima membra æterni Regis et Salvatoris omnium, monemus quatenus eodem affectu religioni suæ continuam devotionem adhibeant quo nos eorum et utilitati consulimus et tranquillitati in futuro hac in causa deservimus : videlicet ut tales esse studeant ante oculos Judicis omnia cernentis, quales in oculis hominum videntur esse et creduntur; ut nos ecclesiasticis negotiis occupatos oratione et merito Deo commendent, et dominis ac filiis nostris omnipotentis Dei propitiationem obtinere possint. Quo non modo illis perpetua facultatum suarum potestas et electionis gratia permaneat, sed etiam triumphus gloriæ sempiternæ post functionem vitæ præsentis illos excipiat. Et, ut hæc quæ sanximus in præsenti et in futuro tempore inviolata permaneant, nostræ manus subscriptione quæ superius comprehensa sunt corroboravimus. Successores quoque nostros monemus atque obsecramus quo, pro amore Christi, zelo Dei succensi, invigilent adversum insidiatores et fures ovilis Dominici, eosque repellant : et quidquid firmavimus, et ipsi confirment, tam auctoritate sacri Evangelii, et sanctorum Patrum, quam et sua eis clementissima gratia a Salvatore omnium attributa : veleti et nos, illius loci tranquillitatem et profectum diligentes, eum qui hoc privilegium temerare voluerit, secundum institutionem canonum anathematizamus, atque ab omni consortio sanctorum segregamus; si tamen non resipuerit, et per veram satisfactionem se correxerit. Obsecramus etiam fratres et coepiscopos nostros, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum; sed et religiosos abbates, qui ad hunc sanctum et beatum synodum non occurrerunt, in quorum manus hujus privilegii a nobis editi et corroborati pagina pervenerit, sua auctoritate et subscriptione hoc confirmare non differant.

Hincmarus, sanctæ metropolis Ecclesiæ Remorum episcopus, hoc privilegium episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, confirmavi.

Erpuinus, indignus Silvanectensis episcopus, huic privilegio episcopali auctoritate stabilito in nomine sanctæ Trinitatis subscripsi.

Guntholdus, sanctæ metropolis Ecclesiæ Rotomagensis episcopus, hoc privilegium relegi, atque episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti confirmavi.

Simeon, sanctæ Laudunensis Ecclesiæ episcopus, huic privilegio auctoritate episcopali assentiens, in sanctæ Trinitatis nomine subscripsi.

Rothadus, sanctæ Suessionensis Ecclesiæ præsul, huic privilegio auctoritate pontificali assentiens, subscripsi.

Theodericus, sanctæ Camaracensis Ecclesiæ episcopus, huic privilegio auctoritate episcopali assentiens, in nomine sanctæ Trinitatis subscripsi.

Irminfridus, sanctæ Bellovacensis Ecclesiæ episcopus, huic privilegio auctoritate episcopali assentiens, in nomine sanctæ Trinitatis subscripsi.

Wenilo, sanctæ Senonicæ metropolitanæ Ecclesiæ episcopus, hoc privilegium relegi, atque episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti subscripsi.

Fulcoinus, Taruanensis Ecclesiæ indignus episcopus, huic privilegio auctoritate episcopali assentiens, in nomine sanctæ Trinitatis subscripsi.

Helias, Carnotensis episcopus hoc privilegium relegi, atque episcopali auctoritate ratum fieri dignum duxi.

Raginarius, sanctæ Ambianensis Ecclesiæ episcopus, huic privilegio auctoritate pontificali assentiens, subscripsi.

Prudentius, sanctæ Trecassinæ Ecclesiæ indignus episcopus, huic privilegio auctoritate episcopali assentiens, in sanctæ Trinitatis nomine subscripsi.

Aldricus, Cenomanensium episcopus.

Agius, indignus episcopus Aurelianensis Ecclesiæ, huic privilegio episcopali auctoritate stabilito, in nomine sanctæ Trinitatis subscripsi.

Erchenradus, Parisiacensis Ecclesiæ episcopus, huic privilegio episcopali auctoritate stabilito subscripsi.

Introdusă în format electronic de Google

Freculfus, Lexoviensis Ecclesiæ episcopus, episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti subscripsi.

Saxobodus, Sagensis Ecclesiæ episcopus, hoc decretum consensi, et subscripsi.

Imo, Noviomagensis Ecclesiæ indignus episcopus, hoc privilegium consensi, et subscripsi.

Erluinus, gratia Dei Constantiæ episcopus, hoc privilegium consensi.

Ludovicus, monasterii pretiosissimorum martyrum Christi, Dionysii ac sociorum ejus abbas, privilegium hoc relegi, ratumque decernens subscripsi.

Radbertus ipsius monasterii abbas privilegium hoc relegi, ratumque decernens subscripsi.

S. PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

EXPOSITIO IN EVANGELIUM MATTHÆI.

(Juxta editionem Sirmondi.)

PROLOGUS

AD GUNTLANDUM MONACHUM MONASTERII S. RICHARII CONFESSORIS

1-2. Dum sacræ professionis obedientia, coram fratribus Evangelium, uti consuetudinis est, diebus solemnibus, licetine limato loquendi genere, exhortandi magis gratia quam docendi, tractaretur, cœperunt nonnulli eorum religione ferventes instanti devotione frequenter exposcere (nec si possem intendentes) beati Matthæi evangelistæ textum narrationis per ordinem explicarem, ut fluenta totius doctrinæ litteris contradicta ad plurimos uberius emanarent. Qui mox, memetipsum ingressus, posui, novo tactus affatu, maculosam fragilitatis vitam coram oculis, quibus essem criminibus obvolutus. Et cœpi dumosi pectoris ingenium, quod largitoris in me præstiterat indulgentia, disquirere, profunditatemque tanti mysterii perscrutari; si forte virtus divina siccam vellet fonte doctrinarum rigare pectoris rupem, et mei laboris stylo sanctorum Patrum sensus unitatis eloquio legentibus coaptare. Ita sane ut nec eloquentia, variis obscene sententiarum consuta pictatiis, animum lectoris offenderet; nec rimarum trámites diversi nitorem intelligentiæ confunderent. Sed hæc multum mecum diuque pudore pressus pertractans, auctoris venia continuo et gratia, per quam divinitus apostolatum meruit, ante oculos effulsit. Occurrit etiam quod publicanum se non erubuerit fateri, et qualiter sit vocatus a teloneo, Evangelica voce manifeste omnibus voluerit prædicari. Quibus quasi plane præmonitus, cœpi ulterius nihil dubitare de venia, nihilque hæsitare, quod debeam, ejus suffragio adjutus, doctrinarum convivio admitti; in cujus profecto, ante infusionem Spiritus, jam prandio Dominus cum peccatoribus et publicanis dignatus est epulari. Quem si recte inspicimus per totum textum Evangelii, curam peccatorum specialius gerit; unde et mores instituit, atque fontem veræ conversionis patenter ubique ostendit. Propter quod, etsi peccatorem me intelligam, ab hac gratia minime credidi cohibendum, præsertim cum eumdem evangelistam legam apud Æthiopes prædicasse, gratiamque Spiritus sancti evangelizandi officio perfudisse; ut, qui erant fuligine peccati pice pressius denigrati, formarentur ipsius exemplo ad gratiam, qua cœlitus iste de publicano evangelista est effectus. Unde, quæso, nemo mihi succenseat, si tandem, Dei confisus gratia, elegi solertiam, quam in me cœlestis Providentia eruditionis sale condivit, Domino dedicare, quam inanis vitæ otio, prætermisso studio, torpere. Quia, etsi non multis, **3** mihimet tamen meisque profuturum credidi, ut istuc interdum animum transponerem, et fugaces doctrinarum sensus longo labore quæsitos litteris alligarem; quatenus per hoc essem ad cogitandum instructior, et ad disserendum paratior. Unde mecum omnes pariter ad fontem veniæ currant, etsi non ferant pretium; absque ulla commutatione vinum et lac gratis percipiant. Mecum, si placet, hunc publicanum adeant, mecum fluenta illius bibant; quoniam melius est hujus mysticam sectari doctrinam, licet stylo reseratam subulco, quam si per Elysios campos flores colligerent, et fonte Tantali fluctus indesinenter aureos lambendo potarent. Et si forte hinc alii uberiores ducant rivos, divitiarumque fercula parent, saltem nec reor dedignari nostros ne velint percipere purissimos haustus, qui vocem doctrinæ quam sæpe ex jussu patris libenter audiunt in loquendo. Imo quia non aliis scribere delegi, quam quorum studia in talibus vigent, devotio fervet, charitas ad percipiendum quæ sanæ doctrinæ sunt, invitat. Segnes vero et livore pium opus male carpentes, hinc inde quasi pestes secerno; salteo duntaxat ut meis proficiam, qui me in divinis studi provexerunt, benevolentia ferventes. Quod si quispiam e contra invidorum opponere tentaverit, mo-

Introdusă în format electronic de Google

derno tempore post auctoritatem Patrum priorum, ut quid nisus sim Evangelium exponere? Noverit quod non temeritate usus hoc præelegerim, sed amore religionis, cupiens paterna supplere vota Christi gratia respersus. Profecto, quia hactenus nemo doctorum præscripsit donum sancti Spiritus, et mentis efficaciam futurorum, nemo qui interdixerit cœlestibus parere disciplinis. Sed ignavia fraudulentorum semper promptior exstitit ausu temeritatis proficua, quos modo veneramur, Patrum officia calumniari, quam veritatis scientiæ operam appendere. Hoc quippe passi sunt summi philosophi, hoc poetæ nobiles, hoc *nostri*, ut dixi, doctores; sed tamen omnes, prior*um* sectantes studia, ex eorum sensibus præstantiora posteris condiderunt. Unde, si præferenda est omnibus nostrorum auctoritas, noverint quod veritas doctrinæ commendat eos auctores, et non utique ipsi veritatem. Quia non disputatio doctoris ingenio subnixa veritate, sed veritas disputatione quæritur. Veritas quippe per se solida est; disputatio loquentis vero servit, ut per eam veritas 4 obscuritate velata reseretur. Porro reserata veritas, et fideliter litteris apprehensa, facit eos auctores, quorum nos vestigia sequentes minime dubitamus, legentibus utiliter commendari : dum gubernante Deo probaverint nulla nos in his fidei naufragia pertulisse. Quod si aliquis post hæc voluerit cæcatis oculis hujus operis exercitium infamare, cogitet quorum imbuimur disciplinis, quod sirenarum cantus nos surdis monuerint auribus pertransire. Nam et ipsi suo in tempore talia se linguarum monstra pertulisse docuerunt. Unde videant quibus quæ offerimus non fastidientibus si displiceant, propterea nos tacere non debuisse; cum auctores Ecclesiarum suorum in responsione luce clarius demonstraverint, utile quidem esse, plures a pluribus fieri libros, diverso quidem stylo, sed non diversa fide; ut ad plurimos una eademque doctrina sancti Spiritus promulgata perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Neque enim putandum est, nulli nunc temporis gratiam intelligentiæ largiri, cum pateat illud propheticum; *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII, 4). Sed et philosophis sæculi tale aliquid, post priorum studia, ratione vigente probatur concessum : quorum doctores quanto juniores fuere, tanto utique perspicaciores. Verumtamen, etsi ita loquar, non adeo fastum jactantiæ diligo, ut me ad eorum scientiam aut merita attigisse pollicear; sed quod fidem, quam ipsi docuerunt, et veritatem apprehendisse, ipsorum doctrina enutritum me esse gaudeo. Unde et ex eorum libris sparsim plura colligens, hoc opus devote ad legendum fratribus confeci; saltem ut pueri, quos ab ineunte ætate liberalibus sæcularis censura erudierat disciplinis, habeant quasi recentia, quorum incitamentis addiscant so licitius in campo Scripturarum sanctarum currere, atque in his operosius desudare : parvi quoque fomitis nutrimentum, quod ex me possunt adoriri, latius et uberius ampliare. Maxime quia et ipse, ad hoc provocatus, multum me profecisse, non dico in doctrina verum et in vita, gaudeo. Ut, dum aliis exhortationis gratia, profunda eloquiorum Dei mysteria pandendo, penetro, si quando infirmitatis humanæ vitiis propulsor, verbis propriæ assertionis prænonitus, ipse me reprehendam. Sed et sequaces recentioribus institutis, ad præcipua Scripturarum opera instantius meditanda, incitari non ambigo. At forte quos disciplina 5 Christi eminentior illustrat, scientia pollentibus altiori, hæc superflua videbitur et prolixa explanatio. Præsertim cum sanctus Hilarius, præcipuus fidei disputator, et beatus Hieronymus, divinæ legis interpres ac magister egregius, non nisi parvis ac si materiarum commentis hujus Evangelii fluenta voluerint reserare. Quibus interea non ego, sed ipse Hieronymus de se melius loquatur, ob quod quatuor interim libellis immensam loquendi materiam et paucis astrixerit sensibus. Dicit enim ita (Proœmio in Matthæum) : « *Miror, Eusebi dilectissime, cur, Romam subito navigaturus, hanc tibi a me quasi sitarciam dari volueris, ut Matthæum breviter exponens, verbis stringerem, sensibus dilatarem. Si meminisses*, inquit, *responsionis meæ, nunquam in paucis diebus rem annorum peteres.* » Ecce præcipuus virorum quantum hujus operis judicaverit negotium. Sed nunquid putas, inquam, quod in duabus, imminente jam Pascha, hebdomadibus, potuerit arcana omnia istius Evangelii rimari, et officio scriptoris cuncta diligenti studio explanare? Quippe quod idem multis approbat indiciis fuisse impossibile. Idcirco repromittit se quod reliquum est impleturum : ut sciri queat, sicut ipse ait, quantum sit inter subulcam dictandi audaciam, et elucubratam scribendi diligentiam. De cætero velim perpendant nostri, quantos et quales Græcorum facundia in hoc eodem opere habeat tractatores; et tunc potuerint dignoscere, quibus Latina paupertas egeat documentis, quia profecto in manus nostras vix perpauca priorum venerunt commenta. Licet Fortunatianum et Victorinum in eo opuscula edidisse dicatur, quos necdum invenire potuimus. Idcirco talibus et hujuscemodi causis ad hæc appulsus, feci non invitus, consensu Patris, ut prodessem multis, et seniorum, ut præmisi, suasionibus excitatus, sed et præfati doctoris Hieronymi voto majoris disputationibus ad prolixiora inductus, parvi petentibus, volens ejus officio promissa pietatis implere; ut, sicut ille jam remuneratur votorum obsequiis, ita demum ego suis intercessionibus merear indulgentiarum beneficio refoveri : necnon publicanus cum Domino in hoc convivio beati Matthæi saltem ultimus epulari, et contra quosque ejus meritus defensari. Nimirum qui, pro subulca tanti viri dictandi audacia, volui elucubratam, quam promiserat, saltem furtivis horis, quia sub hac disciplina aliter non vacat, 6 scribendi persolvere diligentiam. Non quod idoneus sim forte, quod ille incomparabili divinarum litterarum scientia suo sudore complesset, ut promiserat; sed elegi ex omnibus, unde illius vota sequens opus formarem. Nec ideo profecto compilator veterum appellandus, quan-

Introdusă în format electronic de Google

do, ut Tullius refert ipse rex eloquentiæ, quemdam Eleusinum est imitatus, qui ex omnibus Crotoniensium virginibus quinque delegit pulchriores, quas statuit coram oculis, dum Helenæ imaginem illis petentibus mirabile opus pingeret : ut quod uni earum minus esset pulchritudinis, ex his decorosius quidquid singillatim in se pulchrius exprimerent, totum picturæ suæ coloribus conferret : ita præfatus orator insignis, sicut in suo testatur opere, ex omnibus qui ante se fuerunt philosophis, coram se constituens, delegit unde rhetoricæ artis formaret mirabile documentum, quod usque hodie laudatur ab omnibus, et prodest illius peritiæ sectatoribus. Sic itaque et alii quamplures fecerunt philosophi, sic poetæ, sic etiam nostrarum litterarum expositores peritissimi; veluti hic, quem sequimur, divinæ legis interpres, et Scripturarum sanctarum mirabilis enodator, qui pene de omnibus ante se sua conficit sparsim opuscula; quod etiam in singulis ipse de se confiteri minime erubescit : sibi tutius æstimans eorum sequi doctrinam, qui prius catholice in hac Christi Ecclesia recto tramite divinas tractaverunt Scripturas. Tamen ille ut arbiter de singulis, nos ut pedisequi, quæ apta erant elegimus, a quo sane negotio pene nullum doctorum, si velis reprehendere, invenies immunem : sed omnes prædecessorum catholicorum sequi maluerunt vestigia, et suis ampliare semper ingeniis fluenta doctrinæ Christi; ut quod in divinis litteris occultatur necessarium, Dei reserante gratia, copiosius patesceret ad fructum. Quos ergo secutus, elegi egregium Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, et beatum Gregorium, necnon Joannem Constantinopoleos episcopum, eorumque ultimum Bedam presbyterum; quorum adhærens vestigiis, ab eorum sensibus credo me in nullo deviasse. Licet ex aliis interdum veritate concordi nonnulla interponerem. Quæ tamen prius contuli, ne admitterem, nisi quod aut præfati dixerint, aut veritas hinc inde consonat documento. Propter quod horum nominum litteras in hujus operis margine diligenter apponere **7** curavi, ex his ut possit lector securus incedere, vel cujus sequar vestigia, e regione mox cognoscere. Prætermissis itaque speciebus, quæ sæpe a doctoribus exterius, antequam sancti Evangelii verba tradantur, regulariter exponuntur; hoc solum commemorari ex eisdem canonibus volui, quos Ammonius Alexandrinus ob concordiam Evangelistarum, deinde sæpedictus Hieronymus, in singulis locis, ut consonantias singulorum per singulas sententias apprehenderent, curarunt affigere, quibus modis eorum concordia recte intelligatur. Nam videmus in quamplurimis locis ubi per eosdem numeros concordare dicuntur, quod nihil pertineat ad sensum alterius, quod alter eodem sensu dicere præsignatur; ut puta cum de paralytico, qui a quatuor portabatur, Matthæus, et Marcus, Lucasque, ut illi præfigunt consentiant; Joannes vero ex eo loco illis concordari signatur, quo de homine, qui jam triginta et octo habens annos in infirmitate sua juxta piscinam, quæ semel in anno ab angelo movebatur, jacuisse perhibetur. Qui nimirum locus non ad eumdem, ubi de paralytico narratur, me tacente, pertinere cunctis legentibus liquet. Quod et in quampluribus locis, lector, probare poteris. Sed hoc est, quod iidem exinde sensere, quia aut eadem simul dixerunt, aut vicina, aut certe singuli quæ sua sunt. Eadem vero duobus dicunt modis; cum simul sensu et superficie eadem scribunt, aut cum sensu tantum; aut sola superficie tantum eadem accipiuntur. Sensu quidem et superficie, ut est illud : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Matth.* XIII, 57; *Marc.* VI, 4; *Luc.* IV, 24; *Joan.* IV, 44); quæ si respexeris, in singulis evangelistis verbis et sensu eadem sunt. Cæterum sensu nec superficie quidem eadem; sicut habes illud in Luca, quod Dominus Petro dixerit : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.*, XXII, 32). Deinde Joannes, quod Dominus dixerit Petro : *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Quæ profecto sensu eadem sunt, sicut et illa de paralytico, atque homine qui jacebat exspectans aquæ motum : sed non superficie sociari videntur. Porro vicina similiter duobus dicuntur modis : cum aut sensu et non superficie junguntur, aut superficie nec tamen sensu copulantur, sicut est illud in Luca, ubi ait : *At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducassset coram eis, sumens reliquias dedit eis* (*Luc.* XXIV, 42). Cæterum in Joanne : *Venit Jesus, et accepit panem, et dedit eis. et piscem similiter* (*Joan.* XXI, 13). **8** Hæc superficie verborum tantum similia sunt, sensu autem dissimilia. Quia nec eadem historia est, nec eodem tempore gesta; licet quædam vicinitas eis sit, nec tamen magna diversitas. Similiter sensu et non superficie, velut est illud ex hoc Evangelio : *Liber generationis Jesu Christi*, usque ad, *virum Mariæ de qua natus est Christus* (*Matth.* I, 1). Et hoc quod ait Joannes : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Sive illud : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 9). Quia in his quædam vicinitas sensuum deprehenditur; tamen nec eadem per omnia esse possunt. Dicunt etiam quod quædam vicinitas simul sensu et superficie colligatur, ut est hæc genealogia in hoc loco, et illa in Luca; licet in multis differant, quia in utriusque una generatio texitur ex eadem familia Salvatoris. Hæc ideo dixerim, ne tantorum virorum proficuus labor non intellectus deperiret. Imo, obsecro, his ita præmissis, prudens lector omnia illa sedulus requirat, quæ ad intellectum sancti Evangelii exterius tractantur, ut ad ea quæ intrinsecus sunt capacior accedat.

Introdusă în format electronic de Google

PRÆFATIO

Contra eos qui dicunt genealogiam Christi ad Evangelium non pertinere.

Sanctarum Scripturarum virtus nec adeo est obscurata mysteriis ut eam simpliciores non valeant intelligere, neque tam aperta ut ad purum, dum hic vivitur, eam possit aliquis penetrare. Verum magis tanta præeminet dignitate, ut ad se nisi cum pietate ac devotionis affectu volentes accedere dominus non permittat, sed infra suas tenebras suo erroris vitio circumseptos, interdum vacuos derelinquat. Quia, etsi lux in tenebris lucet, tamen tenebræ eam non comprehenderunt; quia, si eam tenebræ comprehenderent, profecto tenebræ nequaquam remanerent. Aliquando enim magis possit fieri, ut non solum quosque vacuos exhibeat; verum etiam, quia in his divina vis latet, si qui eam impure tractare disponant, damnet. Unde nimirum Demetrius Antiocho regi vim divinæ legis cum exponeret, aiebat, teste Josepho, quemdam Theopompum exstitisse nomine, qui, volens ex divinis litteris in sua historia quippiam contrectare, illico mente turbatus fuit plus ferme triginta diebus, donec veniam vix precibus impetraret; ac deinde quod fuerit ei per visum **9** cœlitus declaratum, hoc illi ideo accidisse, quoniam irreligiose divina scrutatus esset, atque hominibus ea proferre impuris vellet. Quæ dum scribere quivisset, mox mentem dicitur recepisse. Referebat etiam et de Theodecte tragœdiarum poeta, quod nisus esset in aliquo dramaticorum genere quæ in divinis habentur interserere; ideoque obscuratis oculis cæcitatem subito incurrisse. Quo facto itaque discimus Faustum Manichæum mentis oculos subito perdidisse. Qui cum ad exponendum Evangelium temere potius quam devote, per contrarium sibi denique infaustus accessisset, mox ut principium beati Matthæi attigit, velut cœlesti lumine repercussus, rotare quasi præ vertigine cœpit, et infra suas se tenebras profundius reclinavit. Quibus nimirum se non valens explicare tenebris, majorem profecto impegit caliginem. Ait enim sibi ipse, nescio sub quo dialogo, quasi in persona cujusdam Christiani se interrogans: *Accipisne Evangelium?— Maxime*, inquit. *Tumque ille: Proinde ait, et natum accipe Christum. — Non ita est*, inquit. *Neque enim consequens est, ut si Evangelium accipio, idcirco et natum Christum accipiam: quia Evangelium quidem a prædicatione Christi et esse cœpit, et nominari. In quo tamen Evangelio nusquam se natum ex hominibus esse dixit. At vero genealogia adeo non est Evangelium, ut ipse ejus scriptor nec ausus sit eam Evangelium nominare. Quid enim scripsit? Liber generationis Jesu Christi filii David. — Non ergo*, inquit, *Evangelii, sed liber generationis. Quippe ubi et stella inducitur, quæ confirmat genesim, ut recte Genesidium nuncupari possit, quam Evangelium. Nam post inclusum Joannem in carcere, primum legitur Jesum Evangelium regni prædicare cœpisse. Ergo quidquid ante hoc narratum est, genealogiam esse constat, non Evangelium. Alioquin quid impediebat et Matthæum, Evangelium Jesu Christi Filii Dei ponere, sicut et Marcum fecisse cernimus? nisi quia improbum putavit genealogiam vocare Evangelium.* O insanum caput! Nunquid non manifeste colligimus, hunc, cum esset de gente tenebrarum, quam omnes Manichæi prædicant, lumen veritatis a principio ferre non potuisse, et ideo talia vomuisse? Præsertim quia totus hic locus contra eosdem facit, qui nec Vetus recipiunt Testamentum, nec Christum verum fuisse hominem, neque nasci de Maria Virgine asseverant potuisse. Unde nos, catholicam tenentes fidem, profecto asserimus eum secundum Matthæum **10** genealogia declaratum, et juxta quod Verbum caro factum est de Maria Virgine natum: necnon et verum hominem verumque Deum exstitisse, non solum ab istis evangelistis, sed etiam et ab angelo prædicatum agnovimus. Quid ergo? Nunquid liber Evangelii dici non potuit merito vel non debuit, sicut hic Faustus conatur asserere; maxime cum Paulus apostolus clamet segregatum se in Evangelium Dei, quod ante promiserat in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem? Quod verbum Evangelii si Faustus intelligeret, nunquam Christum per hanc genealogiam secundum carnem ex semine David venisse omnino negaret. Evangelium quippe Græce dicitur, quod Latine bonum nuntium, vel bona annuntiatio ex integro prædicatur. Quod quidem, cum aliquid bonum annuntiatur, etsi semper omnino dici potest, proprie tamen profecto hoc vocabulum tenere debuit illa annuntiatio Salvatoris in carne, quæ nobis omne bonum contulit: licet Matthæus, qui, secundum patrios usus, ex principio libri magis nomen indidit, *Liber generationis* dixerit. Nam et in ortu Salvatoris angelum ad pastores cecinisse legimus: *Ecce*, inquit, *evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator* (*Luc.* II, 10). Quod autem evangelizat, quid est, nisi quia secundum proprietatem linguæ Latinæ bonum nobis nuntium, videlicet Christum natum, annuntiat? Quod erit, inquit, gaudium omni populo. Unde liquido constat quia angelus dicit: Bonum annuntio vobis nuntium, quod erit gaudium omni populo, eo quod natus sit vobis hodie Salvator in civitate David, de cujus olim stirpe nobis fuerat repromissus. Quia Faustus Manichæus profecto mentitur, quod Matthæus generationem vel nativitatem Christi Evangelium non sit ausus nominare, sed Genesidium potius debuerit appellari. Ignorat enim manifeste, quibus modis

Introdusă în format electronic de Google

Evangelium recte dicatur. Evangelium quippe septem principaliter modis dicitur, quia de Christo nobis primum bonum incarnationem nuntiat. Secundum autem, quod ipsum, ut nostrum sanctificaret baptisma, baptizatum monstrat. Tertium vero, eum pro nobis passum manifeste declarat. Quartum, quod sepultus sit, infernum adiens jura confregerit inimici. Porro quintum nobis bonum prædicat, quod tertia die ab **11** inferis victor ascendit; ac deinde, ad confirmandam fidem apostolorum, per quadraginta dies in terra conversatus ostenditur. Sextum namque, quod quadragesimo die coram discipulis secundum carnem cœlos petiit, et quinquagesimo post resurrectionem Spiritum sanctum de cœlis ante promissum clementer effudit. Septimum vero nobis bonum adhuc denuntiat et promittit, illud scilicet, quando venturus ad Judicium redditurus est unicuique prout gessit. Dicturus est enim sanctis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv, 34). Ex his ergo conjicimus quod hæc sunt septem illa sigilla, quibus in Apocalypsi liber signatus monstratur (*Apoc.* v, 1); in quo profecto libro quæcunque sunt impleta in Christo, mystice scripta fuisse probamus. Unde duobus in via de se loquentibus exprobrat dicens : *O tardi corde ad credendum in omnibus quæ locutæ sunt Scripturæ! Et incipiens a Moyse et prophetis, interpretabatur illis omnia in omnibus Scripturis quæ scripta erant de eo* (*Luc.* xxiv, 25). Interpretabatur autem non aliud quam Evangelium, id est, seipsum quem exponebat; quod quidem jam olim Deus promiserat in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem. Nemo igitur recte potest ambigere, in Christo septem illa sigilla esse soluta, quoniam divinitus responsum est : *Ecce leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus* (*Apoc.* v, 5). Quæ signacula manifeste tunc soluta fuisse probantur, cum omnia hæc mysteria in Christo sunt adimpleta. Quippe et in eisdem sigillis septem dona sancti Spiritus omnibus sunt revelata. Nam in eo quod nasci secundum carnem voluit, quid aliud quam sapientia Dei Patris tunc primum in terris se innotuit? Antea vero semper absconditus fuit, de quo propheta dicit : *Tu es Deus absconditus, et nesciebamus te* (*Isa.* xlv, 15). Unde, cum se nascendo manifestius mundo infulsit, quid aliud quam tunc primum sigillum solvit? Ac perinde quod dudum mundus nescivit, donum sapientiæ credendo percepit. Cum autem perventum est ad baptisma, quasi secundum salutis nostræ sigillum solvit; in quo nobis spiritum intelligentiæ, cœlos reserando, dignanter patefecit. Quia altissimum est intelligere quod fuimus, et modo gratia Redemptoris quod facti sumus. Necnon et illud, quod vox Patris manifestando Filium desuper intonuit : *Quia hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* **12** *complacui : ipsum audite* (*Matth.* iii, 17, et xvii, 5). Sed et Spiritus sanctus in specie columbæ, inibi (quod nondum aperte prædicatum fuerat), quod Deus Trinitas esset, luce clarius designavit; ex quo profecto intelligimus mysterium quod sæculis et generationibus necdum fuerat declaratum. Sequitur interea passio Salvatoris, per quam patefactum est consilium quod nec angelis erat creditum, nec in terris penitus demonstratum. *Quod si cognovissent*, inquit Apostolus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* ii, 8). Unde et per Isaiam, idem magni consilii angelus nuncupatur. Quo profecto liquet, in æterno suo consilio hoc mysterii sacramentum semper fuisse absconditum, quod novissimis temporibus omnibus est declaratum. Cæterum consilii nostri summa ex hoc colligitur, ut mortui sæculo commoriamur Christo, si quo modo ei convivere possimus qui ex mortuis resurrexit. At vero quod sepultus ad infernos descendit, quid aliud quam virtus fortitudinis fuit? De quo Psalmista quasi ex præconio cœlestium angelorum canit : *Tollite*, inquit, *portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* xxiii, 7). Quibus respondentes adversariæ potestates, dixerunt : *Et quis est iste Rex gloriæ?* Tum sancti angeli : *Dominus*, inquiunt, *fortis et potens, Dominus potens in prælio*. Verum, quod nisi primum alligasset fortem, et arma ipsius auferret, nunquam spolia ejus suo jure distribuens Ecclesiæ potenter diceret, quod portæ inferni adversus eam non prævaleant (*Matth.* xvi, 73). Unde suis militibus adhuc de cœlo clamat dicens : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* xvi, 33). Ac si dicat : Fortes estote contra omnia adversantia, quia in mea fortitudine vestra profecto erit victoria. Spiritum ergo nobis scientiæ in quinto suæ revelationis sigillo nimirum tunc aperuit, cum idem victor ab inferis resurgens, et spem nobis resurgendi solidius confirmavit; pro quo Apostolus dilecto filio monens ait : *Memento Jesum Christum a mortuis resurrexisse ex semine David, secundum Evangelium meum* (*II Tim.* ii, 8). Magnum igitur est scire sacramentum resurrectionis, in qua Christi in nobis charitas confirmatur. Unde idem Apostolus scire nos desiderat supereminentem charitatem Christi (*Ephes.* iii, 19). Ergo et cum sextum sigillum, videlicet ascensionem suam, nobis in carne exhibuit, liquido juxta pietatis suæ mysterium, tunc viam nobis cœlestem patefecit, et magnum sacramentum reconciliationis ostendit : ut, qui digni infra terrenum paradisum **13** non fuimus diutius permanere, uniti in corpore ejus ad cœlestia in melius reformati transferamur. Ad ultimum vero Spiritus timoris manifestatur, quando ad judicium venturus repromittitur. Et ideo interea, dum vivimus, sub metu ac tremore versemur. Unde Salomon in fine libri sui ait, dicens : *Deum time, et mandata ejus observa; hoc est*, inquit, *omnis homo* (*Eccle.* xii, 13). Hinc David ait : *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* xviii, 10). His ergo septem in Christo reseratis cœlestium sacramentorum mysteriis, illud Isaiæ vaticinium adimpletur, ubi ait : *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus*, inquit, *sapientiæ et intellectus, spiritus*

Introdusă în format electronic de Google

consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini (*Isa.* XI, 2). Cur ergo, inquam, unus Spiritus super eum requievisse dicitur, cum in septem spiritibus continuo subdistinguitur? nisi ut ostenderet gratiam, quæ simul ei inerat, omnia adimplendo, nobis per intervalla distribuisse? Unde et Joannes in Apocalypsi sua (*Apoc.* V, 6) introducit Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, in quibus mortem devicit, et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram: Quid enim est Agnum, in medio throni et animalium ac seniorum, septem cornua septemque oculos habere, nisi septenaria Spiritus sancti operatione ubique per orbem in sua Christum Ecclesia, morte divicta, regnare? His quippe septem cornibus, virtute Spiritus sancti, Ecclesia in regni fortitudinem sublimata, omnia peccatorum cornua confringit; istis siquidem oculis illuminata, signis et virtutibus illustratur. Eisdem sane columnis domus, quam sibi Sapientiam ædificasse legimus, fulcitur ac firmatur. Quæ domus sancta Dei Ecclesia fore probatur, quam sibi Christus, Dei virtus, ac Dei sapientia Patris, isto septenario virtutum opere dedicavit. Ista sunt autem septem lucentia candelabra coram Domino; quia nimirum in Christo, ad illuminationem et redemptionem nostram, fuerunt hæc impleta: et modo cum universo suo opere jugiter coram Deo Patre idem interpellat pro nobis. Unde et hi septem spiritus coram Dominatore dicuntur assistere: quoniam quidquid est illud quod nos sumus, hoc totum in illius operatione consistit, qui, pro nobis immolatus, quotidie coram oculis divinæ majestatis offertur. In hac igitur sapientia Dei Patris mundum cum sua discimus calcare sapientia; quoniam **14** stulta mundi elegit Deus, ut, fortia quæque calcantes, agamus qualiter coram Deo sapientes inveniamur. Porro tali intellectu si quid est quod percipimus, omnino intelligimus ut renati in Christo ad vocem Patris desuper intonantem obtemperemus, *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5). Hujuscemodi, inquam, vox nusquam audita est, nisi super unigenitum Filium Dei. Idcirco mandatis ejus obtemperemus, si quo modo possimus dicere cum Propheta: *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis* (*Psal.* CXVIII, 103). Consilium autem nostrum salutare ac unicum est, ut Christo commoriamur; quia si compatimur, et conregnabimus. Cæterum fortitudo nostra quæ esse poterit, nisi ejus victoria? manifeste cum Apostolus clamet: *Quod neque volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei* (*Rom.* IX, 16). Hinc et Propheta dicit: *Dominus fortitudo plebis suæ* (*Ps.* XXVII, 11). Deinde magnum est pietatis xenium, quod jam cœlos uniti in Christi corpore penetrare speramus. Ultimum vero timoris spiritum tunc recte percipimus, si, juxta Petri vocem, cum timore ac tremore nostram denique salutem operamur. Isti sunt igitur spiritus in septem filiis Job A mystice præsignati, ejus scilicet qui, pro nobis clementer passus, doluit. Singuli ergo isti, in domibus suis secundum dierum transcursum convivia celebrantes, mittunt et vocant tres sorores suas. Quia nimirum fides, spes ac charitas in nullo alio recte epulantur convivio, nisi ubi hæc septem dona Spiritus sancti pariter in Christo dignissime participantur. Alioquin vacua est fides nostra, et vacua spe extollimur, si nescio ex quo altero, vel forte quasi ex nobis inaniter gloriamur: quia de se quisque dum inflatur, nescio quid sibi aliud repromittens, alienus a regni consortio velut palea ventilatur. Sed quia, dum ista explicare volumus, nostris involvimur verbis, quomodo celatum sit sæculis ac generationibus mysterium, quod nobis nunc in B tempore revelatur. Nunquid igitur aut supernæ patriæ angelicis spiritibus, aut sanctis hominibus, sive in carne viventibus sive defunctis, ventura Redemptoris dispensatio latuit, ut eam saltem a longe spiritalibus oculis respicere non possent? Quis hoc dixerit? cum Isaias tanquam in præsenti posito, dicat: *Quare rubrum est indumentum tuum?* (*Isa.* LXIII, 2.) Ac si diceret, quid est quod in carne mori voluisti? cum nullum de carne peccatum traxisti? **15** cui ille respondit: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Solus utique torcular calcavit, quia solus mortem, quam pertulit, superavit. Unde et Joannes angelum se vidisse testatur fortem, prædicantem voce magna: *Quis est dignus aperire librum, et solvere septem signacula ejus?* Ubi continuo subinC fertur: *Et nemo poterat neque in cœlo neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum* (*Apoc.* V, 2, 3). Id est, nemo in cœlo; quia neque angelus humanæ salutis dispensationem perficere poterat. Hinc Isaias ait, non angelus, non legatus, sed ipse *Dominus salvos faciet eos.* Nemo in terra; quia neque homo vivens in corpore, eo quod homo redimendus solius Dei creatoris egebat auxilio. Neque subtus terram; quoniam nec anima exuta corpore. Si enim homo vivens in corpore, qui usique potest tanquam victima mori, hoc implere non poterat; quanto minus anima, quæ sine corpore mori essentialiter jam non potest? Sed quid est quod dicit: *Quia nemo poterat respicere illum?* Nun- D quid non ipse conspexerat qui paulo ante fassus est, *Quia vidi librum in dextera sedentis in throno, scriptum intus et foris?* Ubi quæso erat? An forte neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram erat, quando eum vidit? Unde profecto mihi videtur *respicere* hoc loco pro *comprehendere* dixisse. Quis enim capiat; quomodo incarnatus sit sine semine Deus, quomodo clauso exierit utero, quomodo Dominus gloriæ crucifigatur, cum solus homo moriatur? Et reliqua omnia quæ de Christo ineffabilia narrantur? Hinc est quod apostolus incomprehensibiles divitias Christi gentibus prædicare se dicit (*Ephes.* III, 8). Ex quo liquet quia non solum nemo angelorum vel hominum librum aperire potuit, verum etiam nec respicere, sicut in Dei Filio com-

Introdusă în format electronic de Google

pleta sunt omnia. Quia etsi revelandam a longe Christi dispensationem prævidere poterant; non tamen ad liquidum, ut postea sunt impleta, eorum quispiam potuit intueri. Sed, quia in Christo fuisse hæc impleta commemoravimus, super quem spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, ac spiritum timoris requievisse cognovimus : profecto et in Ecclesia, quasi in uno corpore, videlicet in sponso et sponsa, in viro atque nupta, requievisse minime dubitemus. Sed excellentius in capite, quam in membris claruisse novimus. Sunt enim per eum hæc **16** in nobis dona. Sed nunquid tam amplissima ut in Domino patuerunt? Constat nimirum quia ex eo percepimus, quibus gratis eo favente proficimus. Sed alias ista explicare debemus. Nunc de Christo, quod summum bonum nascendo intulerit, et reliqua perficiendo consummaverit, copiosius gratulemur. Hinc namque sancta Dei Ecclesia hunc sibi ad salutem sufficere credit, hoc summum esse Evangelium patenter cunctis prædicat. Nam et omnium Christianorum spes in his pendet muneribus, et charitas dilatatur et crescit, si quo modo diligamus eum qui prior dilexit nos. Quæ si profecto Faustus Manichæus scire quivisset, nequaquam Genealogiam Christi Genesidium appellasset, neque natum Christum omnino negasset. Hinc Dominus, in Evangelio, ad Patrem ait : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli ac terræ, quia abscondisti ea a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Hinc rursus apostolis ait : *Vobis datum est nosse mysterium, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* VIII, 10). Quod si profecto huic nosse datum esset, nunquam sic ebrius talia vomuisset? Nescivit enim miser, quia non Manichæo præstita est Apocalypsis Evangelii, sed Jesu Christo, quam dedit illi Deus palam facere, non philosophis, neque humanæ sapientiæ deditis, non Judæis in lege gloriantibus, non variis doctrinarum occupatis erroribus, neque his qui de gente tenebrarum fuerunt; sed servis suis, sed divinæ gratiæ subjectis. Ipsis enim revelatio cœlestis Evangelii manifestius aperitur. Nimirum ut videntes non videant, et intelligentes non intelligant; et qui erant humiles de tenebris eruantur. Hæc ita duntaxat ad hoc sufficiant dicta, quod vere Genealogia Christi initium sit Evangelii.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. *Liber*, inquit Matthæus, *generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* Cur autem tali exorsus sit proœmio, non abs re factum credimus. Futurum enim forsitan hunc Faustum noverat, qui Testamentum Vetus non reciperet : et ideo tali usus est principio, ut ex eo hunc continuo **17** repercutiat ac condemnet. Nam liber principii Veteris Testamenti Geneseos denique ex initio voluminis appellatur; quia in eo, secundum nostram interpretationem, scriptum legimus : *Hic est liber generationis Adæ* (*Gen.* V, 1). Et illud, *Istæ generationes cœli ac terræ, quando creatæ sunt* (*Gen.* II, 4). Ex quo constat, quocunque tamen modo, ex eo quod in primordio ibidem generatio cœli ac terræ inscribitur, quia inde Genesis appellatur. Et ideo dignum profecto fuit Novi Testamenti initium, quantum possibile erat, simili modo præsignari; ut ejusdem Novi ac Veteris Testamenti unum Deum auctorem taliter promulgando Evangelista monstraret. Præsertim cum idem Matthæus, Hebræo sermone, eisdem qui ex Hebræis crediderant scripserit : ut quod dudum jam ex lege perceperant, manifestius recognoscerent, et probarent quod vere Evangelium Christi testimonium a lege habeat et prophetis, sicut consequenter in multis declarabitur locis. Nec dubium hoc innuere voluisse, per quem creata et redempta sunt omnia unum eumdemque Deum, utraque pagina designari. Alioquin, quamvis consuetudo sit Hebræorum ex initio libris nomen imponere; videtur nimium consonum esse, ut utriusque Testamenti principium uno vocetur nomine. Et notandum quod, sicut illud secundum litteram carnali Israeli proponitur, ita istud in Christo spiritali copiosius destinatur. Nam et uterque eorum liber apud Græcos Biblos Geneseos [βίβλος γενέσεως] titulo prænotatur. Quamvis et hic non immerito cœli ac terræ generatio inferri possit; quia videlicet in Christo cum sit Deus et homo, utraque natura verissime comprehenditur. Unde et Jesu Christi sub duobus nominibus apte titulus inscribitur, ut per regiam et sacerdotalem personam, Dei et hominis natura quasi in fronte illico designetur. Jesus autem sub figura nominis in alio jam præcessit. Sed quod ille typice vocatus est, hic tandem substantialiter designatur. Cæterum Christus nomen officii est, non naturæ; eo quod unctus sit præ consortibus suis in sacerdotium, ad expiandum pro nobis. In Veteri quoque Testamento, quia in una hæc eadem persona expleri non poterant, venit mediator Dei et hominum homo Christus Jesu, factusque nobis regnum et sacerdotium, ut ad terram multum diuque patribus repromissam filios introduceret. Unde secundum proprietatem nominis Jesu, velut **18** Deus potens est salvare credentes; secundum vero officii dignitatem quotidie Christus interpellat pro nobis. Igitur notandus etiam hoc in loco litteræ textus, qui juxta usitatum humanæ locutionis modum, minus habere videtur. Plenior enim sensus redderetur, si præpositis duarum orationum particulis, id est pronominis ac verbi, *Hic est liber generationis* diceretur. Sed frequentissimus divinarum Scripturarum mos est ut in principiis librorum prænominatæ partes orationum non anteponantur. Unde nec Marcus ait : *Hoc est initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei*, sed tantum : *Initium Evangelii.* Hac consuetudine usus est Isaias, non addens : Hæc est visio Isaiæ, sed simpliciter : *Visio Isaiæ*, tantum incipit. Hac

Introdusă în format electronic de Google

usus est Salomon in duobus libris suis, hac utique Jeremias, hac etiam illi qui Psalmos titulis prænotarunt. Sed et Joannes Apocalypsin suam ita incipit . *Apocalypsis Jesu Christi*, et non addidit *hæc est*. Quod videlicet agentes, non solum secundum idioma divinarum litterarum, verum etiam juxta consuetudinem sæcularium, brevitati studentes, subauditionem tales sententias etiam alibi habere docuerunt. Verbi gratia, cum legitur *Liber generationis Jesu Christi*, subintelligamus plenius, *Hic est liber generationis Jesu Christi*. Cur autem generationis liber singulari notetur numero, cum quadraginta per ordinem replicentur, nulli dubium quia unius tantum generatio quæritur Jesu Christi, cæteræ vero propter hanc insinuandam ad medium deducuntur. Et non solum in principio, sed etiam usque in finem libri totum hoc agitur de hac sola generatione, ut idem qui natus est pro nobis Deus et homo intelligatur. Quæri etiam potest, et profundissima quæstio videtur, cur Matthæus publica voce *Liber generationis Jesu Christi dixerit*, cum Isaias clamet et dicat, *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII, 8.) Si enim, *quis* pro impossibilitate ibi accipitur, quomodo hic iste generationem ejus narrare sibi possibile judicavit? Nisi quia ibi de generatione, quæ secundum Divinitatem est, dictum putamus : hic autem de generatione, quam pro nobis secundum hominem suscepit, quanquam et ista magna ex parte inenarrabilis esse credatur. Verumtamen illa, per quam genitus est ab æterno, tota ineffabilis et incomprehensibilis esse probatur. Nisi illud obsistat quod Joannes ait : *In principio erat Verbum*, **19** *et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Ergo dum ait, *In principio erat Verbum*, narravit aliquid, et cum addidit quid hoc Verbum esset, et quod apud Deum Patrem esset, jam non solum aliquid de eo, sed multa dixit. Unde non inconvenienter sane quæritur, quomodo ineffabilis, si effari possit, recte dicatur? Aut si non possit, quomodo ut probamus, quidpiam de eo narratur? Nam et sancta Dei Ecclesia ex omnium divinarum Scripturarum auctoritate colligens, plura de hac divina nativitate catholice confitetur. Forsitan ergo quando dictum est, *Generationem ejus quis enarrabit?* non impossibilitatem, sed raritatem narrandi ostendit, sicut et in aliis Scripturarum locis legitur. Denique habes in psalmo : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (*Psal.* XIV, 1.) Non enim dicit quod nullus habitabit, nec hoc, quod nemo requiescat, sed quod rarus et non nisi electus. Et, ut scias hoc verum esse, continuo definit qualis loci illius habitator esse debeat. Et in alio psalmo : *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in monte sancto ejus?* (*Psal.* XXIII, 3.) Ut sit sensus, non quicunque de vulgo vel plebe, sed vitæ egregiæ, singularisque meriti. Quotiescunque *quis* dicitur in divinis litteris, non *nullus*, sed *aliquis* interdum significatur. Interdum autem, impossibilitatem ostendit : sicut illud, *quis audivit unquam tale*, aut *quis vidit huic simile?* Et sicut hoc in loco fortassis ex quo nunc agitur. Et alibi, ut, *in inferno quis confitebitur tibi?* (*Psal.* VI, 5.) Cæterum ubi dicit : *Quis sapiens et intelligit hæc?* (*Ose.* XIV, 10.) Et inibi : *Quis fidelis est dispensator et prudens, quem constituet Dominus super familiam suam?* (*Luc.* XII, 42.) Nec non et illud : *Si autem in Deum peccaverit homo, quis orabit pro eo?* (*I Reg.* II, 25.) In his igitur locis idoneus requiritur interventor, aut certe sapiens; nec excluditur aliquis, sed quæritur. Unde si hoc loco, *quis* raritatis esset, videretur quodammodo quæstio esse soluta. Sed, quia hic *quis*, impossibilitatis est, ut verius reor, fatendum quod dici vere possit, quia est Filius Dei ab æterno Patre genitus, ita tamen ut nunquam sine ipso fuisse Pater intelligatur; et omnia illa quæ de Dei Filio catholica fides confitetur, dicibilia quidem esse. Sed quomodo sit, vel qualiter æternus genitus sit, nimirum sacræ nativitatis arcanum, nec apostolorum quispiam didicit, nec prophetarum comperit, nec angelorum scivit, neque creatura ulla cognovit. Idcirco videte, si ejus nativitas a propheta non potuit **20** enarrari, quis recte valeat profiteri se nosse quomodo potuerit a Patre Filius generari? Narramus itaque de eo ac verissime confitemur quoniam a Patre est Filius coæternus, sed quomodo sit, penitus ignoramus. Hinc illud in libro Job : *Sapientiam Dei Patris unde invenies? Latet enim ab oculis hominum, et a volucribus cæli absconsa est* (*Job.* XXVIII, 20), id est, etiam ipsis angelis incognita. Et alibi : *Radix sapientiæ cui revelata est?* (*Eccl.* I, 6.) Origo scilicet Filii Dei, eo quod super angelorum etiam intelligentiam atque scientiam est. Unde probatur omnino generatio ejus secundum Divinitatem, ex toto quod ineffabilis est. Idcirco ad eam quæ juxta carnem est, quanquam et ipsa ex parte inenarrabilis sit, Domino favente, veniamus.

Filii David, filii Abraham. Non abs re factum creditur cur, ex omni prosapia Veteris Testamenti, hos duos tantum patres posuerit, quorum filius solum secundum carnem Christus dicatur. Ex quo profecto liquet quia, cum eis scriberet qui ex lege Christum noverant repromissum, voluit luce clarius aperire quod ipse esset qui eisdem longe fuerat diu repromissus. Ad hos etenim tantum ex omnibus, in Veteri Testamento facta legitur repromissio, ut qui de istorum semine futurum sibi scierant Salvatorem, liberius reciperent, cum vidissent in eum consona voce legis et prophetarum omnia vaticinia adimpleri. Nam Abrahæ per semetipsum Deus, quando Filium suum obtulit, jurat, dicens : *Per memetipsum juravi quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris. Et possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ* (*Gen.* XXII, 16). Quem locum Paulus apostolus ita edisserit dicens : *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non enim dicit : et seminibus*, inquit, *quasi in multis, sed quasi in uno : et semini*

Introdusă în format electronic de Google

tuo, quod est Christus (*Gal.* v, 16). In quo nimirum semine, id est in Christo, benedicentur omnes gentes : ut idem Abraham per immutationem nominis, qui erat Pater excelsus, fieret pater multarum gentium. Non quod interpretatio nominis hoc totum contineat ; sed quia Spiritus sanctus per Moysen subdendo *gentium* voluit subintelligi. Pater autem multarum gentium non aliunde quam per Christum, de quo David canit juxta promissum hujus loci : *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes* **21** *gentes magnificabunt eum* (*Psal.* LXXI, 18). Vides autem quam consona voce Spiritus sanctus adhuc per Prophetam repromittit benedictionem omnium in Christo, quem dudum semen Abrahæ nominabat. Idcirco præsens Evangelista filium eum Abrahæ modis omnibus approbat ; ut eum non solum Judæi, quorum erat repromissio, verum etiam omnes gentes, vel omnes tribus terræ gaudenter, de semine ejus jam venisse susciperent, per quem et Abraham pater fieret multarum gentium. Sed, quia de semine ejus duplex repromissio erat, una videlicet carnis, alia vero spiritus ; primum dictum est quia erit semen tuum sicut pulvis terræ. Deinde, quamvis et ipsi de pulvere erigantur, qui in secundo repromittuntur, tamen sicut stellæ cœli, futuri non natura, sed gratia, pollicentur. At vero hæc ultima benedictio sui utrumque genus benedictionis amplectitur, eo quod in Christo renati filii Abraham, et carnales quodammodo et spirituales inveniuntur ; ut alii nomine tenus tantum, alii vero secundum electionis gratiam in semine computentur. Nam et de hoc semine simili modo, quod in eo omnes gentes benedicantur, longe post per Isaiam prophetam repetitum legimus, ut manifestius patesceret, nequaquam de Isaac qui jam mortuus erat, neque de alio quam de Christo, debere intelligi. Hinc quippe per eumdem Isaiam Deus loquitur : *Educam*, inquit, *de Jacob semen, et de Juda possidentem montes sanctos meos* (*Isa.* LXV, 8). Quorum utrumque, ex quibus hic futurus repromittitur, de Abrahæ stirpe fuisse manifestum habemus. Et ideo Deo grata societas collegium sanctum fidenter teneat verum alvearium monachorum, sicut in catholica fide, non lacte tantum, sed etiam solido cibo pasti sumus. Quia, etsi dictum est : *Quærite Dominum, qnærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4), non alium tamen a Deo oportet quærere, quod unus est ; sed unum eumdemque ardenter investigare, quod infinitus est. Unde istum teneat fides nostra, si forte cum venerit Filius hominis, saltem fidem reperiat super terram. Interea, si Zacharias ad testimonium quæritur, qui utique ex Evangelio justus probatur, quoniam Judæi Evangelio contradicunt, manifeste colligimus hunc esse semen Abrahæ, de quo dicit : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ ; sicut locutus est*, inquit, *per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus* (*Luc.* I, 68). Deinde ut subaudiatur, hoc est **22** ait, *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis* (*Luc.* I, 54). Nec non et beata Virgo Maria canit : *Recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros*, scilicet *Abraham et semini ejus, usque in sæculum*. Hujus itaque Filium, sicut oportet, Christum profecto credimus : super quem et alia quamplurima concinunt sanctarum eloquia Scripturarum. Unde nec debemus ullam de eo ultra dubitationem recipere ; quin potius de David semine, secundum Scripturas sanctas quomodo sit repromissus videamus. *Juravit Dominus David*, inquit Spiritus sanctus, *veritatem, et non frustrabitur eum* (*Psal.* CXXXI, 1). Quid ergo juravit ? Juravit illi : *De fructu ventris tui ponam super sedem meam*. Hinc namque beatus Paulus apostolus in Epistola ad Hebræos ait : *Omnis controversiæ finis juramentum est* (*Heb.* VI, 16). Et, quia homines per majores suos jurant, Deus autem cum non haberet majorem se, per quem juraret, per semetipsum juravit dicens, *per memetipsum juravi* (*Gen.* XXII, 16), ut supra ostendi. Et ad David rursus dictum probamus : *Juravit Dominus David veritatem*. Et ideo quisque juramentum Dei audis, etiamsi incredulus es, emolliri debes, ut fide Christum ex horum semine natum percipias. Hinc in alio quoque psalmo scriptum legimus : *Semel juravi in sancto meo* (*Psal.* LXXXVIII, 35). Et quid est *in sancto meo*, nisi in unico Filio sibi coæquali ac dilecto, qui solus Sanctus et Veritas appellatur ? Quid autem juraverit, illico subinfertur : *Si David mentiar*, pro eo quod est *non mentiar, semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo ; et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cælo fidelis*. Ergo qui volunt de Salomone hoc dictum accipere, cogitent quomodo thronus ejus sicut sol in conspectu Patris fuerit, cum Scriptura sancta dicat quod aversum sit cor ejus propter concupiscentias feminarum, et adoraverit Astaroth et Chamos Deum Sidoniorum, ac reliqua portenta gentium (*III Reg.* XI). Unde ad ultimum infert quod non erat Deus cum Salomone. Si ergo non erat Deus cum Salomone, quomodo thronus ejus sicut sol in conspectu Dei Patris fulgebat ? Præsertim cum et fœdatus dicatur omni immunditia libidinis, et propter idololatriam sit condemnatus. Aut quomodo sicut luna perfectus sit in æternum, cum subito velut flagitiosus corruerit in ruinam ? Quinimo, si perfectus esset, quod penitus non probatur, quomodo testis in cœlo fidelis foret, qui nunquam penetraverat cœlos ? Vel **23** unde in cœlo fidelis, qui super terram, idola venerando, falsus inventus est testis ? *Similes enim*, ait Scriptura, *illis fiunt qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 8). Sed quia de Salomone nequaquam istud potest intelligi, necesse est super Christum, velit nolit inimicus, interpretari ; ut sit idem David semen, cujus thronus in conspectu Dei Patris jugiter splendet. Unde et in monte, quando transfiguratus est coram discipulis suis, facies ejus refulsit velut sol cum lucet in virtute sua. Nam et propheta de eo : *Vobis*, inquit, *qui timetis Deum, orietur sol justitiæ* (*Malac.* IV, 2). Qui sit autem iste thronus, multis in locis Scriptura sancta

Introdusă în format electronic de Google

Ecclesiam esse declarat, in qua Deus velut rex in suo throno præsidet. Quæ nimirum, quia caput ejus Christus est, sicut sol in conspectu Patris fulgere dicitur, et sicut luna perfecta in æternum manere. Luna vero propter præsentis vitæ defectum dicitur : perfecta vero, quia jam inhæret capiti suo, ex quo immortalis atque æterna modis omnibus prædicatur. Et notandum quod hic thronus seminis repromissi unus cum suo capite constat, et totius sui corporis membris. Ut caput videlicet nostrum unitum corpori propter naturæ consortium intelligatur : præsidere vero, quia Deus est, recte in suo throno, id est in sua Ecclesia, divinitus intimetur. Ponamus adhuc et aliud testimonium, quod idem de semine David futurus annuntietur. *Et factum est*, inquit in libro Verba dierum, *verbum Domini ad Nathan prophetam dicens, Vade et dic servo meo David, Hæc dicit Dominus. Annuntio tibi quod ædificaturus sit domum tibi Dominus. Cumque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium; et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit, et stabiliam eum in domo mea et in regno meo usque in sempiternum, et thronus ejus erit firmissimus in perpetuum* (*I Par.* XVII). Hæc omnia quisquis in Salomone putat fuisse impleta, multum errare videtur. Nam qualiter intelligendum sit quod dictum est : Postquam dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum illius? Nunquid de illo Salomone credendum est prophetatum? Minime. Ille adhuc patre suo vivente cœpit regnare. Hic vero dicitur. Quia cum completi fuerint dies tui, et dormieris **24** cum patribus tuis, suscitabo semen tuum. Ex quo revera intelligitur alius repromissus qui non ante mortem David, sed post mortem suscitandus erat. De quo per Jeremiam : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnavit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam super terram. In diebus ejus salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter et hoc nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster* (*Jer.* XXIII, 5). Nunquid hic Jeremias, qui longe post Salomonem fuisse probatur, aliquid de eo rursus repromittit, dicens, suscitabo David germen justum? Manifestius de Christo datur intelligi; qui non solum Rex sapiens, sed etiam Sapientia Patris appellatur. Revera in cujus diebus salvatus est verus Juda, videlicet ille qui confitetur Jesum Christum in carne venisse. Reliqui vero omnes, ut Joannes fatetur, non Judæi, velut ipsi mentiuntur; sed synagogæ sunt Satanæ. Talibus ergo et hujusmodi Scripturarum indiciis, certum tenemus, Matthæum hos duos quorum sit filius tantum ideo posuisse; quatenus qui vellent templum, id est Ecclesiam, per ostium introire, has duas columnas, de quorum medio Christus exorsus est, hinc inde antepositas circumspicerent. Ipse enim de se loquitur : *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* X, 9). Sunt enim ante fores templi quasi columnæ antepositi, quia nimirum adhuc uterque eorum in lege, velut in vestibulo domus versabatur. *Et habebant*, inquit Scriptura, *columnæ altitudinem decem et octo cubitorum* (*III Reg.* VII, 15); videlicet Novi ac Veteris Testamenti fastigio præeminentes : quatenus juxta fortitudinem columnarum utrumque populum ad fidem corroborantes, non alium esse ostium ostenderent, quam hunc Jesum Christum, eorum semine propagatum; et eum fore ingressum templi, quasi qui inter medium eorum intimus versabatur. Hinc est quod in nomine Jesu secundum Græcos [ΙΗΣΟΥΣ], prima quæ conscribitur littera decem, secunda vero octo significat. Ut ex utroque semine secundum repromissiones Scripturarum unus erigatur in titulum; in cujus nomine unitus uterque populus, mensura plenitudinis Christi, juxta fidei firmitatem, ad superna enixius sublimetur. Hinc est enim quod utramque earum funiculus ambit duodecim cubitorum, id est, fides apostolorum hos tantum amplectitur in genealogia patres, de quorum medio prædicat ostium Jesum Christum credentibus quotidie aperiri, non credentibus **25** vero voluit introitum cœlestis patriæ penitus denegari. Sed quia quibusdam sanctarum Scripturarum testimoniis has interdum columnas volumus roborare, longe admodum progressi sumus, jam tandem ad expositionis ordinem redeamus. Ubi adhuc interdum non absurde a multis quæritur quid sit quod David prior ponitur, cum ætatis privilegio longe posterior invenitur? Ad quod dicendum, quod loquendi necessitas id exegit, et factus est ordo præposterus, decenter utique commutatus. Quia, si primum Abrahæ filium eum dixisset, et David postea copulasset, rursus Abraham repetendus erat, ut origo David ejus ex semine monstraretur, et fieret inhonesta constructio verborum, quantum ad eloquentiam attinet.

Abraham, inquit, *genuit Isaac*. Recte itaque ab initio fidei genealogia Christi supputatur : ut in quo primum de eo facta legitur repromissio, fieret et exordium successionis, donec ventum esset ad eum qui de cœlo tunc divinitus fuerat repromissus. Quis enim in genealogia Christi aptius in principio poni posset, quam is de cujus semine benedictio omnium gentium propagatur? Quod factum itaque credimus, ut ad eum currerent non tam Judæi, quam omnes gentes, cujus origo ex eo repromissa luce clarius divinarum Scripturarum oraculis declaratur. Quatenus primum in patre discerent, quid vel quales esse debeant, qui volunt in semine benedictionem hæreditatis percipere. Quia, sicut idem Dominus Judæis testatur, si filii essent Abrahæ, veraciter opera Abrahæ ipsi fecissent (*Joan.* VIII, 39), et tantum talemque patrem imitarentur ne degeneres essent. Nam Abraham primum credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Gen.* XV, 6). Dehinc vero ivit ultra proficiens atque crescens, sicut Scriptura refert, et pervenit usque Bethel, et progressus est

Introdusă în format electronic de Google

in meridiem (*Gen.* XII, 8, 9), *ubi sponsus*, in Canticis, *cubat* (*Cant.* I, 6), *et pascitur inter lilia* (*Cant.* VI, 2). Post quæ virtutum insignia tentatus, et inventus est fidelis ac justus. Qui contra spem, in spe credidit, et omni obedientia consummatus, pater omnium gentium futurus divina voce prædicatur. Hinc igitur ab eo restis genealogiæ recte nectitur, ut in summitate ejus hamus carne coopertus ad capiendum mundi maris cetum, id est diabolum, et ad perforandam ejus maxillam, obscurius religetur. **26** Unde sequitur :

Isaac autem genuit Jacob, Jacob genuit Judam et fratres ejus. Porro quod hic Matthæus dicit *genuit*, Lucas *qui fuit*, per omnem textum successionis posuit. Quia nimirum Matthæus tantum naturæ filios annumerat, Lucas vero secundum legem, vel per adoptionem, quibusdam in locis filios interponit. Et notandum quod Matthæus, *genuit*, et non *generavit*, *dixerit*. Fortassis ut eum recognosceres in finem ostensum, de quo Pater dixit : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Hoc itaque quasi proprium illi verbum et familiarissimum ubique super eum ponitur. Cur autem dixerit, *Jacob genuit Judam et fratres ejus*, non absurde quæritur. Verum cum Abraham plures genuerit filios, et Isaac fratrem Jacob habuerit, quid est ergo quod Evangelista hos omnes prætermittit, et fratres tantum Juda commemorat? Ad quod dicendum, quod illi quasi alieni a populo Dei, teste Scriptura, merito repelluntur; hi vero quasi hæredes, in libro vitæ collectim ascribuntur; et quasi patriarchæ duodecim tribuum, quia de populo Dei non sunt exclusi, etiam de generatione Christi non merentur excludi. Præsertim cum in eis apostolorum numerus et forma signatur, in quorum consortio per fidem coadunatæ omnes tribus terræ divinitus consecrantur. Sed ideo nominatim non exprimuntur, ne genealogia ultra præfinitum mystici sacramenti numerum multiplicetur. Nec hoc sane magno profunditatis vacat mysterio, quod, tribus prætermissis, Ruben scilicet, et primogenito Simeon, atque Levi, prioribus fratribus, Judam solum Spiritus sanctus elegerit, per quem seriem nativitatis usque ad Christum texeret. Quo profecto jam, quia quartus eligitur, quadratus Evangelii numerus consecratur. Deinde quod majus est, ideirco ex omnibus duodecim patriarchis hic solus cognominatim exprimitur, ut eum sine aliquo mentis scrupulo manifestius recognosceres, qui per Spiritum sanctum ex ejus stirpe olim fuerat repromissus. Dicit enim Jacob ita : *Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX, 10). Quem ut manifestius exprimeret quisnam futurus esset, signanter adjecit, dicens : *Et ipse*, inquit, *erit exspectatio gentium*. Quo facto videant falsi Judæi quem suscepturi sint, quod omnis exspectatio gentium **27** diu desideratum jam complectitur, adorat, veneratur et colit. Unde liquido constat quod omnis multitudo gentium, ab oriente usque in occidentem, jam eum qui mittendus erat, exspectando fide suscepit, suscipiendo confitetur et colit, colendo autem quotidie ad cœlestem patriam comitatur. Inde est igitur quod omnis Ecclesia adhuc in terris infatigabiliter pugnat, quia jam illi qui eum confessi sunt, hinc per mortem discedentes cum Christo regnant. Quorum doctrina pollet, miracula coruscant, virtutes ubique prædicantur. Sed quia hujus capituli de Juda fecimus mentionem, necessarium reor interim latius exsequi, propter quorumdam duritiam vel cæcitatem cordis, qui putant hoc totum ita super Judam interpretari, ut nihil ex his ad Christum debeat pertinere. Nos autem, recte intelligentes, dicimus quod quædam ex his, licet Judæ coaptentur, tamen secundum mysticos sensus et Christo convenire possint. Neque omnino negamus, nonnulla ex his ad solum Judam pertingere, sicut et aliqua quæ videmus illum excedere, ad solum Christum dicimus pertinere. Nam quod dicit : *Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus*, cogimur intelligere de Juda, seu de ipsa tribu quæ denique Juda est appellata. Cæterum quod sequitur : *Donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium*, ad solum Christum novimus pertinere. Non enim illum Judam intelligimus Christum, de cujus semine penitus dux non defecit, donec Christus in carne veniret ; sed eum qui fuerat repromissus, et, continuo ut advenit, a gentibus est susceptus. Princeps autem ac dux de femore hujus eo usque in Juda fuit ; exinde vero Herodes alienigena, sicut postea multis indiciis Scripturarum monstrabimus, regnum suscepit. Et hoc potissimum fuit indicium eum advenisse *cui repositum erat* (subintelligitur regnum), vel, sicut in nostra legimus translatione, donec veniret qui mittendus erat a Patre, quoniam ipsum gentes illico susceperunt. Interea illud quod dicitur Juda, *te laudabunt fratres tui*, quocunque modo secundum historiam ad eum Judam referri potest, ut sint manus ejus super cervices inimicorum pugnando. Sed melius in Christo intelligitur, quem omnes renati publice fratrem in Ecclesia laudant et confitentur. Cujus itaque manus super cervices inimicorum triumphant, **28** ut postea adorent eum filii Patris per adoptionem facti, qui dudum fuerant inimici. Sequitur : *Ad prædam, Fili mi, ascendisti*, vel sicut alia interpretatio habet, *de germine ascendisti, accubans dormisti, et sicut catulus leonis, quis suscitabit eum ?* In his itaque versibus Judæi non tam concluduntur, quam penitus excluduntur. Et ideo non est admittendum ut de Juda ullo modo possit intelligi, quod nos de Christo manifeste dictum probamus. Nam si ponamus catulum leonis Judam pro virtute bellandi, quomodo de germine filius dicitur ascendisse? Germen autem hic de Græco, magis virgultum vel ramus, sicut quidam asserunt interpretatur. Ex quo virgulto Judas ascendisse dicitur. Sed, quia hoc illi non congruit, multo convenientius huic loco mystica expositio coaptatur. Ascendit ergo Christus ex germine, quando ex Virgine natus est sine semine. Ex germine, inquit, quod est absque coitu viri et absque semine, veluti virgultum nascens. Aut s cut

Introdusă în format electronic de Google

flos de radice ejus, id est ex virgine Veritas carnis ascendisse probatur. Si autem ita legendum est: *Ad prædam, Fili mi, ascendisti*, et super Judam et super Christum utrumque referri potest. Quod autem accubans dormivit ut leo vel sicut catulus leonis, nulli alteri quam Christo congruit; ut sit illud in Christo mystice promulgatum, quod physici de catulo leonis narrant. Aiunt enim, cum natus fuerit, quod tribus diebus ac noctibus dormiat; tum deinde patris fremitu suscitatur: ita sane et Christus tribus diebus ac tribus noctibus in corde terræ sepultus somnum mortis implevit, et velut catulus die tertia suscitatus resurrexit. Unde Joannes in Apocalypsi sua: *Ecce vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v, 5). Tunc itaque vicit, cum accubuit, quia tunc mortem moriendo confregit. Omnem namque prædam quam leo ille contrarius invaserat homine prostrato ac devicto, hic leo noster restituit, et totum resurgendo in melius reformavit, dum captivitatem nostram sua duxit virtute captivam. Hoc quippe modo triumphans leo fuit, tertia vero die maturius suscitatus, catulum leonis se fuisse ostendit. Hinc est ergo quod sequitur: *Et quis suscitabit eum?* Quia revera propheta considerans Dei et hominis personam, Christum in morte accubuisse admirans, ait: *Et quis suscitabit eum?* Ac si diceret, Contueor Dei Patris Filium, dum Verbum caro fieri dignatus est, per mortem immortalem **29** quodammodo accubuisse; quis eum resuscitabit? Ipse se? An Deus Pater? Aut, quod verissimum est, simul ipse se, et Deus pater, eum resuscitavit. Unde Apostolus clamat et dicit, Quia Deus illum suscitavit a mortuis. *Et qui suscitavit Christum a mortuis, suscitabit*, inquit, *et mortalia vestra corpora propter inhabitantem spiritum ejus in nobis* (*Rom.* VIII, 11). Quod autem ipse suscitaverit, dicit in Joannis Evangelio: *Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Ad quod Evangelista, *Hoc autem dicebat*, inquit, *de templo corporis sui.* His ita a longe Propheta conspectis, recte stupore pro tanta Patris ac Filii unitate attonitus dicit, *Et quis suscitabit eum?* Sequitur quod jam ante paulo præmisimus, *Non deficiet princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est.* Ubi profecto declarat alium esse de quo duces futuri erant, et alium eum, qui quasi unicus ac specialis mittendus erat, quem gentes exspectasse denuntiat. Sed quomodo præmissæ benedictiones Christo congruant, cum usque ad hunc locum sermo Patris velut ad Judam solum intendit, ac per Judam omnem tribum benedicat, obscurum esse videtur. Dehinc autem nulli dubium quasi contemplando qualis futurus fuerit quod spiritu prophetiæ manifeste demonstret. Unde, quia adhuc Christus in lumbis erat Judæ, cui erant (ut multi codices habent) reposita, tantum ut subintelligamus regnum, et omnia quæ de eo promissa Judæis ac gentibus fuerant, dirigit quasi in radice, vel in grano seminis benedictionem, atque in eo superextollit illum, qui velut fructus de radice germinandus erat. Hinc est enim tanta benedictionis obscuritas, ut, nisi diligenter sit inspecta, vix discerni possit quid Judæ quidve Christo soli conveniat. In eo namque adhuc erat illud semen Abrahæ, retro jam repromissum, in quo benedictio omnium gentium pollicebatur: et ideo hic dicit quod ipse est exspectatio gentium. Exspectabatur autem ac si repromissus; suscipitur mox ut advenit, quasi redditus. Cujus oculi pulchriores fuere vino, scilicet apostoli et omnes sancti prædicatores; quia mentes credentium musto sancti Spiritus inebriarunt. Et dentes lacte candidiores, per quos sibi omnes gentes, velut animalium carnes in suum trajecit corpus; ut in eo uniti, id est, in Christi corpore transpositi, omnes gentes in uno semine benedicerentur. Unde alibi dictum legimus, *Vos estis semen cui benedixit* **30** *Dominus* (*Isa.* LXI, 9). *Semen* enim dicit, et non *semina*, quia omnes in Christo unum semen effecti sumus. Unum ergo granum frumenti in terram cadens solum mortuum fuit, sed multas segetes de se genuit. Et idcirco qui vult introire in horreum Domini, videat ipse si de hujus radice processit. Sequitur, *Alligans*, inquit, *ad vineam asinam suam, et ad vitem pullum suum.* Pullus hic gentilitas designatur, quem alligavit ad vitem, de qua dicit, *Ego sum vitis vera, et vos palmites* (*Joan.* XV, 5). Quod eum hic alligasse dicitur, alias inseruisse monstratur; ut, sicut palmes manet in vita, iste asellus corpori Christi coadunatus perfectam vineam, sanctam videlicet Dei Ecclesiam, sine macula et sine ruga ex omnibus membris suis se videntibus exhiberet. Nullum enim vinculum unitatis vinculo majus est, quod unitas divisionem non recipit, neque patitur sectionem; sed ex suis sæpe partibus unitas corporis sic confringitur, ut id quod est unum, efficiatur. Et ideo feritas gentilitatis Christi corpore inserta, quasi ad vitem religata dicitur, dum fidei vinculis illi per gratiam est unita. *Et ad vineam asinam suam.* Ad vineam quippe asinam alligasse dicitur, cum synagogam Ecclesiæ fidei vinculis copulavit. Quia nimirum synagogam Christus provexit in Ecclesiam, et non Ecclesiam rursus mutavit in synagogam. Sed quia benedictionem quantisper longe propagavimus, quippe ut eum non absre in hac genealogia ex nomine positum sciremus, imo per eum mox animus recurreret ad vaticinium tanti prophetæ, et crederet jam venisse, quem gentes exspectando percipiebant: et dux, quia defecerat ex Juda, et princeps de femoribus ejus nullus inveniebatur, his saltem conventis testimoniis duritia cordis mollesceret, et omnes pie gaudentes susciperent, quem diu noverant tunc temporis venturum utique prophetas prædixisse: restat nunc sensim ad aliud narrationis mysterium succedere, et quod ibi lateat fidei sacramentum paulo enucleatius aperire.

Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Ecce hic duo gemini fratres cognominatim in genealogia Christi advocantur, qui ex Thamar fuisse dicuntur. Nunquid vacat mysterio, Evangelistam Esau simili modo geminum prætermisisse, et Rebeccam

Introdusă în format electronic de Google

débitam uxorem, aliasque legitimas non nominasse? Nequaquam hoc dixerim, quod tantus Evangelista, imo per eum Spiritus sanctus, **31** absque magno et profundo mysterio quatuor in hac narrationis serie feminarum personas induxerit, quæ omnino non minus secundum Vetus Testamentum, quam secundum Novum, reprehensibiles judicantur. Quarum Thamar, quamvis justior appelletur Juda, non tamen excluditur a culpa (*Gen.* xxxviii). Etsi profecto ille per incontinentiam, teste Scriptura, criminosior invenitur, dum modis omnibus de illicito concubitu filii generantur. Ex quo facto quoddam parabolarum genus inducitur, per quod non solum in hoc loco, quin in quamplurimis Scripturarum locis mystica prophetiæ sacramenta texuntur. Cuncta namque illius temporis in eodem populo gesta, prophetiam futurorum esse docet Apostolus dicens : *Omnia enim hæc in figuram contingebant illis* (*I Cor.* x, 11). Et alibi : *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis* (*Heb.* i, 1). Quod autem dicit multifarie Deum in prophetis locutum, verbis eos ostendit prophetasse. Quod autem multis modis, rebus insinuat futura Dei mysteria præsignasse. Ex quibus itaque modis, per quem Deus nobis locutus est in patriarcha, unum in manibus nunc tenemus, quo, ut diximus, inspecto multæ divinarum litterarum obscuritates in eo revera panduntur. Fit enim hic modus aliquando in parabolis rerum; et de ipsis peccatis hominum, et transgressionibus adulterorum, prophetiam insinuat operum futurorum. Sicut est illud publicum David regis peccatum, de quo paulo post suo dicetur in loco; atque illud quod de Loth dicitur; et illud Osee factum, et alia quamplurima, multis in locis, divinis referta mysteriis. Quæ quamvis secundum rerum gestarum fidem nefandissima probentur, et velut criminosa divina auctoritate damnentur : quocunque tamen pacto divina virtus ex ipsis aut dispensationis incarnati Verbi præparabat effectum, aut aliud quid futurorum prævidebat agendum. Foris namque peccata parebant; intus quoque mysteria latebant. Sed quia de Thamar loqui cœpimus, libet breviter indagare cur Evangelista eam hic posuerit, vel quid recordandum per hanc illicitam commixtionem monuerit, vel quid ex hoc mysticum designaverit. Quia nimirum illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam; et non solum quorumdam illorum vitam, sed etiam totum illud regnum gentis **32** Hebræorum, non tantum prophetiam, ut dixi, sed etiam magnum quemdam fuisse prophetam, quia rebus et gestis multa ex se de Christo et Ecclesia explet vaticinia. Quod ut ex hoc loco evidentius quæ dicuntur appareant, jam tandem ad ipsam historiam veniamus, in qua Judas tres genuisse filios narratur, quorum primus Her, id est *pelliceus*, dicebatur; secundus vero Onan, quod interpretatur *mœror eorum*, est appellatus : porro tertius Selo, qui *dimissio* dicitur, est vocatus. Ex quo profecto in Thamar nurum Judæ, accipimus plebem regni Judæorum, cui de tribu Juda reges tanquam mariti adhibebantur. Unde et nomen ejus *amaritudo* interpretatur, eo quod Dominum poculo fellis potaverit. In quibus duobus Judæ filiis, quos maritos accepisse legitur, duo genera principum, qui non recte operabantur in plebe, accipiuntur. Unum eorum, qui multum oberant, alterum qui nihil proderant. Quorum unus malignus dicitur fuisse ante Dominum; alter in terram fundebat semen, ne daret fecunditatem. Ista sunt enim duo genera nimium inutilia; unum sane nocentium, alterum præstare nolentium. Quorum unus *pelliceus* appellatur, qualibus induti sunt tunicis primi homines, ob pœnam damnationis suæ dimissi ex paradiso. Alter vero, *mœror eorum;* quorum? nisi quibus nihil prodest, cum habeat unde prodesse possit, idque perdat in terram. Deus tamen ambos occidisse dicitur, ubi regnum talibus hominibus abstulisse significatur. Tertius vero filius Judæ, quod illi mulieri non conjungitur, tempus significatur, ex quo reges plebis Judæorum cœperunt de tribu Juda non esse. Et ideo erat quidem filius Judæ, sed maritum eum Thamar non accipiebat : quia erat eadem tribu Juda, sed jam inde populo nemo regnabat. Unde et *dimissio ejus* idem Selo interpretatur. Cujus dimissio? nisi Thamar, per quam, ut diximus, tribus Juda signatur, de qua tribu cœperant jam reges non esse tunc temporis, quando Christus advenit? Illo ergo tempore, quia de tribu Judæ regnum defecerat, venturus erat Christus, qui non obesset, multumque prodesset. Sic enim prædictum fuerat : *Non deficiet princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repromissum est.* Nam Herodes, qui tunc in Judæa regnare videbatur, tanquam maritus Thamar **33** visus exstitisse; sed erat alienigena, nec sacramento mysticæ unctionis tanquam conjugali fœdere cohærebat, sed tanquam extraneus dominabatur : quam potestatem idem a Romanis dudum acceperat. Unde, quia non erat de tribu Juda, neque de femoribus ejus exisse probatur, restat eum debere suscipere cui repositum erat; quia adeo iste illo in regno mystico non computabatur in regem, ut Judæi publice clamarent : *Nos non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* xix, 15), quanquam et hoc adulando dicerent, eo quod Cæsar non proprie rex Judæorum esset, sed ut Christum negarent. Cæterum Herodes, qui per ambitionem regni potestatem arripuerat, ad eos non pertinebat : quia dux et princeps de Judæ semine defecerat, eo quod advenisset ille qui mittendus erat, quem gentes ac populi exspectabant. Porro Judæi impudentissime dicunt, mentientes nondum esse hoc tempus completum, nescio quem regem quasi ex femoribus Judæ in extremis Orientis partibus adhuc regnum tenere. Nec enim attendunt infelicissimi, sua dissimulatione cæcati, quia jam, sicut eis nullum templum, nullum altare, nullumque sacrificium restat, ita nullus rex, nullusque sacerdos ultra jam eis remansit. Neque mentiri poterat Oseas propheta dicens : *Sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine*

Introdusă în format electronic de Google

altari et sine sacerdotio. Igitur sine ullis manifestationibus (*Osee.* III, 4). Quæ omnia, velint nolint Judæi, completa cum eis ipsi cernimus. Nullus igitur eis restat locus mentiendi, quod in quibusdam partibus terræ de tribu Juda nunc habeant regem, quia propheta, sicut pollicitus est, *Sedebunt filii Israel sine altari et sine sacrificio*, ita interminatus est, *sine rege ac sine principe*. Ostendant ergo nobis templum et sacrificium, aut altare : tunc eis quodammodo credere valebimus, quod fortassis habeant regem. Alioquin sibi obducunt pervicaci mentis ingenio caliginem cæcitatis. Cum præsertim si aliquis nunc, ut ipsi fingunt, de tribu Juda rex existeret, negare non possunt, quod tunc defecerit; cum Herodes alienigena, ac post eum filii ejus tetrarchæ super Judam regnassent. Quod non solum Evangelium, sed etiam omnes gentilium historiæ, nec non ipse Josephus ejusdem generis historicus, publice testantur, Herodem alienigenam in Judæa regnasse, neque tunc interim de his principem fuisse. **34** At vero Jacob, *non deficiet*, dixisse liquet, *quousque veniat ille cui repromissum est*. Et, ideo quia tunc probatum est defecisse, atque omnia, ut præmissum est, completa esse ; etiamsi nunc, ut aiunt, aliquis invenitur ex eis qui regnum teneat alicubi (quod penitus non probatur), manifeste constat tunc ducem ex Juda ideo defecisse, ut, sicut Daniel ait, oleo exsultationis Sanctus sanctorum præ participibus suis ungeretur (*Dan.* IX, 24). Ad quem demonstrandum Thamar induximus jam venisse. Non superfluum esse reor si prosequar factum Judæ, ut cur positus sit in hac genealogia Christi, evidentius hinc pandatur. Legimus itaque quod ierat ad tondendas oves suas in Themna (*Gen.* XXXVIII, 13), quod interpretatur *deficiens*. Jam enim tunc defecerat princeps ex Juda, et omnis unctio Judæorum cessarat; quod is qui repromissus fuerat, ad oves perditas domus Israel jam tandem venerat. Venit autem cum suo pastore Odollamite, quod interpretatur *testimonium habens in aqua*. Cum hoc plane testimonio Dominus venit, habens quidem testimonium majus Joanne, sed tamen propter oves infirmas, in aqua usus est hoc testimonio. Nam et ipsius pastoris nomen fuit Iras, quod sonat interpretatum, *fratris mei visio*. Vidit omnino fratrem suum Joannem, secundum quod semen est Abrahæ, vel secundum cognationem Mariæ matris ejus et Elizabeth. Hic quippe vidit eum, et ideo non surrexit major illo in natis mulierum. Venit autem Dominus ad oves tondendas, hoc est peccatorum sarcinis exonerandas. De quibus Ecclesiæ dicitur in Canticis canticorum : *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* IV, 2). Jam Thamar habitum mutet, quæ et *commutans* interpretatur : sed in ea prorsus nomen amaritudinis maneat, non illius de qua Dominum felle potavit, sed qua Petrus amare flevit. Judas quoque Latine *confessio* appellatur. Confessioni ergo amaritudo commisceatur, ut vere pœnitentia præsignetur. Hac igitur pœnitentia per omnes gentes Ecclesia fecundatur. Oportebat enim Christum pati ac resurgere, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam ac remissionem peccatorum per omnes gentes. Nam et ipse habitus meretricis confessio peccatorum est. Typum quippe Thamar Ecclesiæ gerit ex gentibus evocatæ, sedens in bivio civitatis. Illic enim a non agnoscente fetatur, **35** quod scriptum est : *Populus quem non cognovi servivit mihi* (*Psal.* XVII, 48). Accepit itaque primum annulum, qui fidei sacramentum vocatur: deinde armillam virtutis, per quam justificabitur; ac baculum, in quo sublimius glorificatur. Quia quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; et quos justificavit, illos et glorificavit. Mittitur autem promissus hædus tanquam meretrici, per eumdem Odollamitem, id est *increpatio peccati*, dicente Joanne, *Generatio viperarum* (*Matth.* III, 7). Sed non eam invenit peccati exprobratio, quam feliciter commutavit confessionis amaritudo. Jam vero proferentes annulum et armillam ac virgam in testimonium, et convincamus Judæos temere judicantes, qui dicunt nos Christum suscepisse; unde prolatis rerum Scripturarum indiciis, forsitan nos magis quam se justificatos esse arbitrabuntur. Hæc igitur si ad purum consideremus, aliud isti ut hoc facerent, intenderunt, aliud Deus, qui hoc sic fieri permittebat; ut etiam inde aliquid, agente providentia Dei, futurum signaret. Proinde illud factum, cum in sancta Scriptura narratur, prophetia est; cum vero in eorum actu consideratur, reprehensio est. Sed Deus, qui nostris malis semper bene utitur, de reatu contexuit sacramentum, et de ipsis progenitoribus magnum sibi exhibuit prophetiæ mysterium, et nobis indidit non solum loquendo, sed etiam de ipsis taliter nascendo, doctrinæ magisterium. Fideles enim ejus venturi ex omnibus gentibus, etiam exemplo carnis ipsius discere debuerunt, parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse. Proinde sponsus ipse suis congruens invitatis, qui vocaturus erat ad nuptias bonos et malos, idem nasci voluit non minus ex bonis etiam quam ex malis. Unde et agnus qui præceptus est in Pascha immolari, secundum quamdam interpretationem, ex ovibus et ex capris, tanquam ex justis et peccatoribus, ad se præfigurandum jussus est assumi. Scilicet ut parentes bonos ac malos propter convenientiam humanitatis non sperneret, verum etiam ut justis agnus, peccatoribus hædus fieret. Quatenus in suo corpore utrosque, ut unum fierent, per gratiam suam consociaret. Justum quippe fuit ut qui pro peccatoribus venerat, de peccatoribus etiam nasci dignaretur. Ex quo profecto nullam sanctarum feminarum evangelista Matthæus in hac genealogia Christi computavit; sed eas omnino quas Scripturarum auctoritas reprehendit. Volens **36** ex his quatuor apertissime demonstrare, Christi Ecclesiam a peccatoribus congregandam. Quarum similitudo eidem in omnibus comparatur. Unde, quia jam in Thamar magna ex parte attigimus mysteria veneranda, restat ut ad ea quæ supersunt, indaganda

Introdusă în format electronic de Google

succedat oratio : ut ex toto appareat profunditas sacramenti, si quo modo Christus ex ipsa prosapia longe dinque præsignatus fuisset, ejus Ecclesia in his præfigurata manifestetur. Quæ quia in corpore suo fuerat uniendа, recte factum est etiam ut ex ipsis nasceretur in quibus mysterium pietatis tegebatur : quatenus species per sacramentum transiret ad genus, et per speciem quod futurum erat jam claresceret in genere. Inerat enim jam tunc genus in specie. Et idcirco earum tantum historiæ recordatur, quarum et actio, genus et ordo, ac numerus omnem futuram Dei Ecclesiam mysticis commendat muneribus. Actio quidem, ut ex operis negotio recognosceres per speciem futurum Dei munus in genere. Genus vero et ordo, quia primam earum et ultimam fuisse constat ex stirpe Judæorum, et medias duas de gentibus advenisse. Scilicet quia futura Christi Ecclesia primum per apostolos de Judæis colligitur, exinde quasi ex duabus, videlicet ex præcedentibus et sequentibus, hactenus de gentibus adunatur. Porro ultima quæ restat, *puteus satietatis*, rursus de Judæis esse inscribitur. Quia, cum venerit plenitudo gentium, tunc omnis Israël salvus fiet. In quibus nimirum evangelistarum quadratus consignatur numerus; quorum primus et ultimus ex Judæis fuere, et duo velut de gentibus, qui Dominum in carne non viderunt, tanquam filii amplectendi medii circumponuntur. Quatuor autem ex omnibus eliguntur, ut in his quadrata Dei Ecclesia ad misericordiam solidius confirmetur. Denique ut ad Phares et Zaram tandem redeamus; cur præscripti simul in genealogia sint, videamus. Quorum Zara cum de utero præmisit manum, obstetrix coccino ligavit dicens : *Hic prior egredietur* (*Gen.* XXXVIII, 28). Sed in matris utero illo manum revocante, exivit alter, cui obstetrix dixit : *Quare divisa est propter te maceria?* Unde et vocavit nomen ejus Phares, id est *divisio*. Post quem exivit frater ejus, qui prior manum de utero præmiserat, quam et coccino obstetrix ligaverat. Vocavitque nomen ejus Zara, quod interpretatum *oriens* sonat. Quis hic non videat quanta ænigmata mysteriorum **37** prodantur? Quid itaque in his duobus geminis nisi gemina describitur populorum vita, una secundum fidem, altera secundum legem? Et quis alius in Zara, qui prior ex utero manum præmisit, sed post natus fuit, nisi populus fidei, populus gratiæ figurabatur? Manum igitur Zara ex utero præmisit, quia populus fidei, gratiæ videlicet, et in patriarchis justitias fidei ac gratiæ operari cœpit. In Abel scilicet et Seth, Enoch, Melchisedec, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, et Job, et aliis, qui eorum imitari potuerunt exempla. Hi etenim vitæ suæ actum, qui figuratur per manum, per gratiam in hoc sæculo primum libere præmiserunt. In quorum profecto manu, nostri quoque actus tanquam integri corporis, qui adhuc quodammodo gestantis utero tenebamur, figura præcessit. Unde et ipsa manus secum in utero coccum retraxit; indicia videlicet Christi passionis, cujus effusio sanguinis actum illustravit Christianum. Hinc etiam idem Zara nomen accepit. Zara quippe *oriens* dicitur, tanquam populum orientis Redemptoris videlicet ostendens, de quo Zacharias propheta : *Visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* I, 78). Qui populus, etsi post natus, mystica tamen obstetricis voce primatum accepit, dicentis : *Hic egredietur prior*. Sed non mirum, si post sequens primatum teneat, qui prior ad opus gratiæ manum misit. Utinam cum ad hoc opus manum prætendit, perfecte natus exisset, et non illo manum retrahente, alter maceriam incidisset! Et quid maceriam, nisi opus fidei, nisi ædificationem gratiæ, nisi Evangelii sacramentum, intelligimus figurari? Sed cum manum Zara in uterum retraxit, Phares exiens maceriam dividit; quia nimirum cum opus fidei et gratiæ in patriarchis cessavit, tum lex Moysi apparens quasi quidam paries, medium semet interserit, et quodammodo vitam patriarcharum et Christianorum divisit. Sed veniens Dominus parietem legis de medio tulit, et divisam maceriam conjunxit, et ex duabus quodammodo unam effecit, Paulo attestante, qui ait : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum in decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem* (*Ephes.* II, 14). Ubi notandum quod ipsum parietem, qui maceriam divideret, inimicitias Apostolus vocat. Observatio etenim legis quasi quoddam **38** divortium inter vitam simplicem patriarcharum, et vitam sequentem Christianorum erat, donec uno angulari lapidi Christo Jesu jungerentur. Et ideo in genealogia sua Christus jam tunc præmittebat mysterium, ex quo futurum præsagiendo signaret effectum. Præsertim cum in eo jam tunc Christus inerat semine, quamvis nondum propalatus, futurorum tamen ad se trahens in rerum figuris fidem; quatenus, cum adesset, melius eum fides credentium recognosceret, qui futura per successiones præcedentium patrum talia præmonstrabat. Unde et Matthæus volens eum manifestius designare, simul Phares et Zaram de Thamar supputavit, ut per eos linea generationis deducta exhiberet Christum sibi Ecclesiam in se mystice olim dedicasse, quam ex rerum prophetia adfuturam suo in tempore præsignabat.

Phares autem genuit Esrom. Esrom genuit Aram. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Naasson. Naasson genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Hic Phares, sicut ex lectione comperimus, simul cum Juda patre suo ingressus est in Ægyptum, ac deinceps horum interdum nulla narrantur mystica, donec [Naasson] Salmon, sicut in Numeris (I, 7; II, 3) legimus, quando Israel exiit de Ægypto, princeps fuisse tribus Judæ signetur, quorum in semine Christum velut repromissum, Ægyptum introiisse, nulli dubium est. Et ideo quasi ex præsagio jam tunc populus premebatur. Sentiebat forsitan inimicus ex eodem semine affuturum, qui ejus jura quassaret, et ideo non feminas, sed mares tantum interimere cupiebat, ut vel sic eum quem

Introdusă în format electronic de Google

moliebatur exstingueret. Egit quippe postea hac arte idem inimicus, etiam per Herodem multos interficiens, ut solum necaret Christum. De quo nimirum præsagio Josephus in libro secundo Antiquitatis historiæ commemorat dicens, quod quidam fuerit in Ægypto sacrorum scriba, cum sint, inquit, experti de futuris dicere veritatem, qui denuntiavit regi, illo in tempore, quemdam pariendum inter Israelitas, qui humiliaret quidem principatum Ægypti, augeret autem suo incremento Israelitarum genus, virtuteque transcenderet universos, et gloriam in perpetuum memorabilem possideret. Cujus rei consilio factum est ut omne masculinum, quod ex Israel nasceretur, Ægyptiorum fluctibus necaretur. Sed avertit **39** illud Deus, cui postea maria ac flumina mirabiliter imperanti paruerunt. Qui denique suo, ut fertur, auspicio longe post sacerdos videns Moysen infantulum de capite Pharaonis coronam evellere, suspicatus est eum esse per quem regnum Memphiticum deperiret. Nec immerito quidem, quia per hujus postea exsequium, tota Ægyptus subvertitur. Sed alius tamen jam major illo futurus monstrabatur, per quem omnis mundus, cujus figuram Ægyptus tenet, et verus Pharao Diabolus, abyssi fluctibus mergeretur. Porro Salmon, quem supra in hac versus texuimus, sicut diximus in exitu filiorum Israel de Ægypto, princeps ex tribu Juda fuisse probatur. Qui accipiens Rachab, quam alibi in Veteri Testamento Raab meretricem legimus : sed hic Rachab juxta Græcorum exemplaria, propter χ Græcam per CH inscribitur; illic vero secundum Hebraicum Raab sine aspiratione enuntiatur ; quod Hebræi χ Græcum non habent. Per quam nimirum Raab rursus Ecclesiæ sacramentum ad memoriam reducitur, ut idem semper figuris et ænigmatibus promissus insinuetur, qui jam per patriarchas, ex quorum carne futurus erat, sibi Ecclesiam non solum de Judæis, verum etiam ex gentibus clementissime copulabat. Ipse enim verus erat Patriarcha in patriarchis, qui et verus Propheta in prophetis. Ipse denique Judex in judicibus, sicut et sæpe in angelis Angelus est appellatus. Unde liquido constat in Salmon jam tunc ducem veræ confessionis fuisse, et illam tribum, de qua fuerat repromissus, ex Ægypto eduxisse, quia Christum non nisi veri confessores sequuntur. Qui denique Raab, id est Ecclesiam de gentibus, subversis muris Jericho, sibi in conjugio copulavit (*Jos.* VI, 25). Non enim ex omni illa civitate quidpiam salvatur, nisi tantum domus Raab, et omnia quæ in ea fuisse probantur. Quia nimirum extra sanctam Dei Ecclesiam quidquid est anathemate percutitur; et si exinde amore quidpiam Deo præfertur, tormento mortis acrius exquiritur. Quoniam quicunque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei profecto constituitur. Jericho quippe præsens designat sæculum, septem vitiorum muris circumvallatum, quod per septem dierum circulum tubis doctrinarum Dei clangentibus jugiter circumlustratur; donec in novissima tuba omnes vitiorum muri corruant, et novissima **40** mors destruatur, eo quod jam tunc absorpta sit in victoriam. Interdum autem sola salvatur Raab, videlicet Christi Ecclesia, ejusdem sanguine rubricata, quia nuntios veri Jesu sola suscepit. Et ideo non solum inter Israel Dei connumeratur; verum etiam principi ex Juda, Christo scilicet, velut matrona pulcherrima, quæ fuerat sordida flagitiis, copulatur. De cujus nimirum sanguine Christus nasci non erubuit, scilicet ut qui peccatores venerat quærere in terra, de peccatoribus carnem traheret : quatenus ejus uniti corpore per fidei sacramentum, jam ultra peccatores non essent. Quod sacramentum Matthæus bene intelligens, eo quod et ipse de publicano factus fuerat evangelista, omnes peccatrices commemorando facinorosos quoque ad pœnitentiam invitat.

Porro Booz genuit Obed ex Ruth. De qua siquidem Isaias exorando vaticinatur dicens : *Emitte*, inquit, *Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion* (*Isa.* XVI, 1). Quam dum evangelista in hanc prosapiam intromittit, profecto vaticinium tanti prophetæ impletum iri testatur, cum per eam origo seminis Abrahæ recto tramite usque ad Christum deducitur. Nec non et per eamdem Ecclesia de gentibus, id est de Moab, futura præfiguratur. Moab enim *de patre* interpretatur. Et quid est de patre, nisi quod Dominus ait, *Vos autem de patre diabolo estis?* (*Joan.* VIII, 44.) Nimirum quia omnem Ecclesiam, priusquam ad Booz, qui *fortis* interpretatur, id est ad Christum transisset, ex patre diabolo fuisse Scriptura testatur. Unde et Psalmista in Epithalamio sponsæ canit dicens : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). Ex quo ista nimirum oblita domum patris sui, videlicet diaboli, et transiens ad Israel, mulier virtutis insigniter appellatur. Ex quo Booz quippe affatur dicens : *Norunt omnes qui intra portas civitatis sunt mulierem fore virtutis* (*Ruth.* III, 11). Nec immerito : quia contemnens populum suum, dum ad Dei populum jure viduitatis intraret , socrui suæ fatetur, dicens : *Populus tuus, populus meus erit, et Deus tuus, Deus meus ; quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ* (*Ruth.* I, 16). Nonne manifestissime hæc verba sunt Christi Ecclesiæ, quæ de gentibus ad unius Dei cultum congregatur? nonne in hac figura unius Veteris ac Novi Testamenti Deus exprimitur? Dicit enim Ecclesia **41** Christi, etsi non voce, operis ac fidei effectu, his qui primum de Synagoga in Christum crediderunt, Deus tuus, Deus meus, et populus tuus, populus meus erit, quia pax nostra Christus est, qui fecit utraque unum. Nurus autem Synagogæ non immerito Ecclesia accipitur, quæ utique sponsa meruit appellari. Nam et ex ea patres fuerunt ex quibus Christus nasci dignatus est. Ideo ejusdem Synagogæ filius recte nuncupatur : Ergo Booz iste hoc in loco figuram Christi tenuit. Unde et fortis interpretatur; quia solus potens fuit suscitare semen fratris sui,

Introdusă în format electronic de Google

scilicet Moysi, qui velut sine liberis hinc discessit; eo quod neminem lex ad perfectum perduxit. Hinc est quod Joannes quoque non se dignum fatetur ut ejus corrigiam calceamenti solvat, quod ipse est cui jure sponsa debetur. Ex quo profecto velut amicus sponsi stans, propter vocem ejus gaudet, ut ad nuptias saltem sero veniat, quem diu omnis prophetarum ordo cum summo desiderio venturum exspectabat. Sed cum hic in Bethlehem natus venit, velut Moyse quodammodo discalceato, simul agrum cum eadem sponsa jure propinquitatis emit. In quo siquidem agro thesaurus absconditus est, qui venditis omnibus quotidie a credentibus comparatur. Hic est, inquam, ager quem benedixit Dominus, in quo omnis pulchritudo credentibus reservatur. Quem qui invenit homo, juste relinquit omnia, ut eum valeat possidere. Sed quia longum est omnia hujus mysterii sacramenta typice explicare, satis sit declarasse Evangelistam propter vaticinium Ruth ad medium deduxisse. Et non solum ob hoc tantum, verum etiam propter figuras mysticas, per quas tunc jam, ut diximus, Ecclesia in Christi corpore fundabatur. Ad hanc igitur genealogiam, prophetarum eloquia concinunt. Ad hanc ænigmata diversarum rerum hinc inde confluunt. Ad hanc figurarum obscuritates quamplurimæ referuntur. Et omnia recto tramite manifestant eum esse per quem salus gentibus repromittitur. Ipse est, inquam, Agnus diu de petra desideratus, qui, multotiens olim in lege immolatus, istius repromittebat adventum, per quem omnia peccata penitus solverentur. Ista est etenim petra deserti, secundum intelligentiam paulo superius promulgatam, de qua potens est Deus suscitare filios Abrahæ; ne sint jam ulterius petra deserti propter idololatriam, sed lapides pretiosi, **42** qui vivi siquidem volvuntur ac tenentur super terram. Vide, diligens lector, quam frequenter Spiritus sanctus super hanc Christi prosapiam, varias ac profundas revolvit promissionum figuras. Vide quam assidua depromit pietas oracula. Nescit enim silere, nescit occultare thesaurum, donec veniat is in quo cunctæ Patris promissiones impleantur, et obscura quæque luce clarius manifestentur. Unde et sequitur :

Obed genuit Jesse, et Jesse genuit David. Cur autem dixerit Jesse genuit David, cum idem filius sit Isai, non abs re factum dixerim. Præsertim cum in Regum volumine manifeste per omnem textum pater ejus Isai legatur, et Jesse tantum in paucioribus locis invenitur. Unde liquido constat biganorum [binomium] eum fuisse. Sed cur hic Jesse potius filius inscribatur, Spiritus sancti est præsagium, ut eum venisse jam susciperes, qui dudum, eodem Spiritu sancto testante, per Isaiam Prophetam futurus ex ejusdem semine nuntiabatur : *Egredietur* ergo, inquit, *virga de radice Jesse; et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 1). Unde et Joannes in aqua vidit super eum in specie columbæ Spiritum sanctum descendentem et manentem (*Joan.* I, 72). Quia, sicut Apostolus dicit, *in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis* (*Col.* II, 9). Ipse est enim qui non secundum visionem oculorum, neque secundum auditum aurium judicabit : quia homo tantum videt in facie, Deus autem omnia cordis arcana conspicit. Et ideo recte Deus intelligitur, qui ex Jesse radice futurus adscribitur. Porro radix Jesse virgo est Maria, de David stirpe generata, de cujus nimirum radice flos Christus ascendit. Flos utique ille, qui de se in Canticis sponsæ loquitur : *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II, 1). Quem florem Isaac in filio suo longe diu odorans, aiebat, dicens : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27). Agri, inquit, pleni ; quia Spiritus sanctus abundantissime eum repleverat, et plenitudo Divinitatis corporaliter in eo habitasse probatur. Rursus quod de Jesse semine sit futurus, idem Isaias repetit dicens : *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* XI, 10). Quem gentes, inquit, deprecabuntur; ac si diceret : quia ipsum est semen, in quo Abraham pater multarum **43** gentium futurus repromittitur; etiam qui per Jacob de Juda exspectatio gentium prædicatur. Idcirco, duricordes, cum videritis in eo omnia compleri, saltem sero suscipite quem gentes, sicut repromissum est, deprecabuntur, qui primi ad adorandum debuistis, etiam miraculis non invitati, venire. Patent enim legis et prophetarum ænigmata super eum, et omnia jam in illo sunt completa, quem gentes longe diu desideratum, ut prædictum fuerat, cum gaudio susceperunt, susceptum ubique venerantur et colunt. Vos autem indignos vos judicastis æternæ vitæ. Sequitur :

Jesse, inquit, *genuit David regem*. Regem autem dicit, non quod ipse solus rex in hac genealogia fuisse probetur, cum ab ipso usque ad transmigrationem Babylonis, omnes qui ibi ponuntur constet reges fuisse; sed quia David primus de tribu Juda rex fuit, per quam tribum ordo genealogiæ usque ad Christum manifeste decurrit. Et quidem non quasi hic solus rex fuerit, sed quasi primus et regum principium; ex quo, nec immerito, velut solus hic rex præ omnibus nuncupatur. Præsertim cum pene omnes propter istum, Scriptura teste, in solio regni positi reservantur ; et nemo inventus sit ex omnibus, etiam, ut ita dicam, nec ipse Osias rex justissimus, ad hujus meriti dignitatem potuerit pervenire. Porro alii dicunt, ad distinctionem alterius David hunc regem verius nominatum, quem non regem, sed militem fuisse existimant, qui in Regum volumine et Paralipomenon, inter tres fortes fortior de triginta dubie numeratur (*II Reg.* XXIII, 8). Sed utrum sit ita necne accipiendum, prudens lector intelligat. Nos tamen magis credimus quod ideo voluerit eum regem nominari, ut recoleres quid ei repromissum fuerat, et agnosceres hunc esse.

Introdusă în format electronic de Google

cujus prosapiam declarabat, qui in solio regni scilicet patris sui David rex collocandus erat. De quo idem David velut propheta futurum orat : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI, 1). Filio, inquit, regis, quia æterni Patris Filius factus est etiam filius David, ut possit illud impleri : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum* (*Isa.* IX, 7). Et quis est qui sedeat super thronum David rex in æternum, nisi Filius David, qui, secundum quod in principio erat Verbum, coæternus est Patri, cujus regni non erit finis, ut possit idem vere sedere Rex in æternum? Alioquin de Salomone minime constat **44** prædictum fuisse, cujus pene regnum simul cum ipso corruit : et omne genus Judæorum, quia hunc in dextera Patris magno videlicet in solio collocatum venisse non credidit, huc illucque propriis expulsum sedibus jam disperiit. Sequitur :

David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Quæritur ergo, nec immerito, cum tres reliquæ mulieres in hac serie lectionis retro propriis nominibus jam sint positæ, quid sit quod sola Bersabea suo hic nomine non exprimitur, sed quod uxor fuerit Uriæ hoc solum innuitur? Ad quod sane non incongrue fatendum creditur, quia tres præscriptæ feminæ, per quas Christi opera pietatis insignia typice præsignantur, non solum culpari, verum laudari recte meruerint. Unde et sine ullo nominis pudore quasi virtutis egregiæ in hac genealogia recensentur. Hæc quoque adulterio fuscata, simul et viri homicidio cruentata, merito videtur prætermissa : saltem ut silentio nominis, quia loquendo nequiverat, quod turpe videbatur omnino tacendo tegeret. Unde et nomen viri ejus, quod est Urias, velut justi hominis ponitur : ut ex hoc etiam sceleris immanitas verecundius memoretur, dum ipsius causa idem occisus ad medium revocatur. Non quod David pœnitenti hoc jam a Domino remissum imputeter peccatum ; sed, quamvis pudice quolibet affatu ut demonstraret, quia nostris malis Deus nonnunquam bene utendo, etiam per ea quæ nequiter gesta sunt, maxima indulgentiarum beneficia præfigurat. Et notandum quod non solum indulgentia criminis, sed et satisfactio in David legitur : Bersabea autem, sicut nec principaliter culpatur in scelere, ita nec pœnitentia, quod consenserit in adulterium regis, crimen suum diluisse scribitur. Et ideo propter mysticum potius Ecclesiæ sacramentum, quæ in conjugium veri regis, diabolo interempto, clementer adsciscitur, uxor Uriæ hic tantum commemoratur : propter suam vero adhuc indeletam culpam, ut conjicio, de nomine penitus reticetur. Nam si hoc publicum David regis peccatum inspicimus, de ipso quidem opere malo magnum aliquid bonum futurorum prophetatum agnoscimus. David namque interpretatur, *manu fortis* ; Urias autem, *lux mea Dei* ; Ethæus, *abscissus* ; Bersabee *puteus satietatis*, sive *puteus septimus*. Cujus itaque figuram illo in loco David manufortis gessisse creditur, nisi Domini Jesu Christi? de quo per Psalmistam dicitur : **45** *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Cujus autem Urias, qui interpretatus *lux mea* Dei sonat, nisi antiqui adversarii, qui superbiæ inflatus tumore dixit : *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 14)? Quia vero creatrici ac sempiternæ lux orta in tempore se similem fieri concupivit, hoc ipsum etiam quo a Conditore elucebat, amisit. Unde, quia et in veritate non stetit, etiam a luce sua, quam a Creatore præ omnibus creaturis clariorem acceperat, superbiæ merito, tanquam horrendæ tenebræ, exclusus est, recte ei convenit quod Ethæus, id est *abscissus* vocatur. Quique cadendo, vera fortitudine amissa, nunc etiam transfigurat se velut angelum lucis, audens adhuc dicere, lux Dei mea est. Et quid mirum, si lucem Dei dicat suam, cum de illo Apostolus clamet : *Adversatur et extollitur supra omne quod dicitur, aut quod colitur Deus* (*II Thess.* II, 4). Cujus vero Bersabeæ, quæ in Latinam linguam *puteus satietatis*, vel *puteus septimus* vertitur, nisi Ecclesiæ figuram expressit? recte enim sanctorum Ecclesia puteus satietatis, sive puteus septimus vocatur ; quia nimirum illa septiformis Spiritus doctrina in electis suis cernitur redundare, quæ sæpe in divinis voluminibus aquarum fluentis apertissime comparatur. Hinc Dominus in Evangelio ait : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Et qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 37). Quæ autem esset ipsa potatio subsecutus Evangelista exposuit dicens : *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Hinc mulieri Samaritanæ typum Ecclesiæ gerenti, ad puteum dicit : *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum ; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua quam ego dabo fiet ei fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 13). Super solarium itaque domus lavante Bersabea, David rex manu fortis petulanti oculo vidit, concupivit et abstulit. Quia videlicet redemptor noster Deus ac Dominus Jesus Christus Ecclesiam, quam ex gentibus acquisivit, lavacro aquæ in verbo mundatam, terrena calcantem, cœlestibus inhiantem, prædestinatam vidit providus, vocatam dilexit sponsus, ut justificatam sibi conjungeret legitimus spiritali conjugio maritus. Sed ut Bersabeæ David conjungatur, Urias vir ejus interficitur ; quia ut justorum Ecclesia cœlesti sponso adhæreat, antiqui hostis virtus confringitur, confracta pedibus electorum calcanda prosternitur. Unde et per Evangelium **46** illis a Domino dicitur : *Ecce dedi potestatem vobis calcandi super omnem virtutem inimici* (*Luc.* X, 19). Si autem hoc factum juxta litterarum attendimus, quid unquam potest inveniri scelestius? Si vero mysterium figurandæ rei in ipso facto consideramus, quid aliquando valet reperiri salubrius? Est autem in hoc facto aliud adhuc quod evidentius figuratur. David itaque in solario deambulans, typum exprimit Redemptoris. Bene autem in

Introdusă în format electronic de Google

solario, quia in sole posuit tabernaculum suum. Solarium quippe non ab eo tantum nomen accepit, quod ad similitudinem terræ solum habeat; sed etiam ab eo quod eminentius cæteris domibus in sole sit positum. Nam et Judaica plebs non sicut nos tectum super solaria habet, quod in Absalon facto Scriptura demonstrat dicens : Cum ingrederetur ad concubinas patris sui, quod ministri ejus super solarium illi tabernaculum tetendissent (*II Reg.* XVI, 22). Unde et videntibus cunctis, sicut Scriptura testatur, ad easdem concubinas ingredi potuit. Quid autem est David Bersabeæ ad se perducere, nisi datorem legis carnali populo legem conjunctam spiritali sibi intellectu sociare? Bersabea autem, ut præfati sumus, puteus septimus dicitur, quia nimirum per cognitionem legis infusio spiritalis gratiæ perfecta nobis sapientia monstratur. Quem vero Urias, nisi Judaicum populum signat, cujus nomen interpretatum diximus, *lux mea Dei?* Judaicus autem populus quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Uriæ David uxorem abstulit, sibique sociavit; quia Redemptor incarne apparens de se spiritaliter loqui legem innotuit; ac per hoc, hanc Judaico populo extraneam demonstravit, sibique conjunxit, quia se per illam prædicari declaravit. Et ideo carnalis populus, dum mandata legis retinens implere nititur, ipse nimirum defert indicium quasi per Epistolas, unde damnetur. Quod forsitan volens Evangelista credentibus ad confirmandam fidem ostendere, deduxit ad medium rem gestam, per quam carnalis Israel morti notaretur obnoxius, et spiritalis Christi in corpore sociatus, veram Regis conjugii in fide perciperet firmitatem. Quia nimirum in his quatuor mulieribus Ecclesia de gentibus congreganda manifestius approbatur, et per eas rectissima genealogiæ linea repromittendo quod futurum erat usque ad Christum tenditur. Unde et sequitur :

47 *Salomon autem genuit Roboam, et Roboam genuit Abiam. Abia vero Asa. Asa autem Josaphat, et Josaphat genuit Joram.* Quid sit autem quod in Regum volumine legimus? *Auferam*, inquit Dominus ad Jeroboam regem Samariæ, *regnum de manu Roboam filii David, et dabo tibi decem tribus, filio autem ejus*, id est, ipsi Roboam, *dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitatem, quam elegi ut esset nomen meum ibi* (*III Reg.* XI, 35). Sed et Abiæ (*III Reg.* XV, 4), propter David patrem suum, dedit Dominus Deus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus. Quæ quamvis sic secundum litteram videantur posse accipi, non dixerim simpliciter esse intelligendum, sed mysticis repromissionum sacramentis præsentem historiam involutam esse. Nam in eo quod dicit : *Ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem*, liquido constat secundum Judaicum sensum stare non posse; quia nec ipsa Jerusalem cunctis diebus stare meruit; eo quod non sit in ea lapis super lapidem derelictus. Neque de semine regis David in omni Judæa, post adventum Redemptoris, dux aliquis super solium ejus reperitur. Unde intelligant mendosi Judæi, qui sibi, ut jam supra dixi, applaudunt nescio in qua terrarum regione de David stirpe quempiam populo præesse : quia neque in Juda, ut Jacob promittit, neque in Jerusalem, ut hic sermo divinus sonat, aliquis, qui super solium regni lucerna sit in populo, potest reperiri. Et ideo necesse est, ut promissio divina non infirmetur, alium requirere intellectum, et altiora sacramentorum Dei in eo beneficia cogitare. Quæ sit autem lucerna cunctis diebus lucens coram Deo in Jerusalem, vel quæ sit Jerusalem ista, in qua cunctis diebus lucerna lucens de semine David propter eum futura repromittitur, Apocalypsis Joannis manifestat dicens : *Et eduxit me*, inquit, *in spiritu in montem excelsum et magnum, et vidi Jerusalem descendentem de cœlo*, ornatam monilibus suis, *et lumen ejus tanquam lapis de chrysolitho* (*Apoc.* XXI, 10). Et paulo postquam introducit in ea nomina duodecim tribuum filiorum Israel, ait dicens : *Et templum non vidi in ea. Dominus enim templum illius est et Agnus. Et civitas*, inquit, *non eget sole aut luna ut luceant in ea, quia claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus* (*Apoc.* XXI, 22, 23). Ex quo profecto liquet quia ista est Jerusalem illa quam elegit Dominus, ut sit **48** nomen ejus ibi, et sedeat in ea super thronum David de semine ejus Rex in æternum; et non istam quam videmus ad solum usque dirutam, et multis hactenus maledictionibus subjacere. Quæ si electa secundum electionem gratiæ esset, nunquam post tantas promissiones una cum populo tam subito corruisset. Ubi si mihi opponis callidus tergiversator, quia peccatis suis factum sit; verum omnino probamus quod dicis. Sed omnipotens Deus præscius futurorum, sicut propheta testatur, *qui est conspector omnium sæculorum* (*Eccli.* XXXVI, 19), nunquam se talibus obligaret promissis, si ista esset de qua typice prophetarum eloquia concrepabant, quam secundum electionem gratiæ antiquitus nulli dubium est elegisse. Istam vero terrenam Jerusalem, quam dicis, elegit quidem ad tempus, sed ut figuram cœlestis Hierusalem portaret, quousque venisset ille de semine David, qui in ea Rex in æternum sederet. Unde quia *juraverat illi Dominus veritatem : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Et alibi : *Stabiliam*, inquit, *regnum ejus; et thronus ejus in æternum erit firmissimus* (*I Par.* XVII, 11, 14), quanquam peccatores fuerint idem filii ejus, servatur tamen semper successio seminis, et Jerusalem penitus non deletur, donec veniret semen, cui repromissum est ut sedeat in æternum. Et hoc est quod hic dicitur : *Non faciam propter David servum meum, sed dabo filio ejus tribum unam, ut remaneat lucerna ei cunctis diebus coram me in Jerusalem* (*III Reg.* XI, 35). Quid igitur est dicere : non faciam propter David servum meum, nisi non faciam propter juramentum quod ei juravi, ut non auferrem semen ejus de conspectu meo, sed darem ei lucernam quæ luceret

Introdusă în format electronic de Google

coram me in Jerusalem cunctis diebus æternitatis? Quam lucernam quasi coram oculis idem David ponens, aiebat dicens : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Ps.* CXVIII, 104). De hac nimirum lucerna constat dictum : *Ut remaneat lucerna David servo meo coram me cunctis diebus in Jerusalem.* Qua, si abrumperetur de semine ejus successio filiorum usque ad Christum, forsitan poterat eventu aliquolibet advenire; sed, secundum quod Abraham primum et postea David juraverat, omnis repromissio velut in irritum duceretur. Quamvis nec sic completum, quod repromissum fuerat ullo modo dubitari deberet; quia Deus est qui futurum *hoc sine* commutatione repromiserat. Unde, quia **49** omnem genalogiam per successionem usque in Christum, sine ambiguo de David stirpe tenemus, et eum in æternum super solium et super regnum ejus sedere credimus, nullum alium jam venturum exspectemus; ne, quod absit, pro eo Antichristum, qui futurus est in mundo, recipiamus. Et si quempiam movet, quomodo hic sedere dicatur super solium et regnum David, cum ipse David non sederit rex super solium et regnum illius cœlestis Jerusalem, neque Christus super hanc terrenam Jerusalem rex sedisse legatur; præsertim cum ipse dicat Pilato : *Regnum meum non est de hoc mundo : quia si de hoc mundo esset, utique ministri mei decertarent ne traderer Judæis* (*Joan.* XVIII, 36). Dicimus ergo hanc civitatem Jerusalem, illius figuram cœlestis habuisse, et hoc regnum illius schema gessisse. Ac per hoc in eo regno illud jam inerat per figuram, sicut in isto terreno illud cœleste quodammodo fuisse videtur per umbram. Sed umbra jam exinanita cernitur, ut lux vera succederet; et figura tunc viguit, ut veritas interea celaretur, donec plenitudo temporis veniret. Et ideo sane recte dicimus Christum super solium David sedisse; quia in illo solio David jam regnum Christi inerat per figuram, super quod eumdem David tunc sedisse, nemo qui recte sapit ambigit. In quod profecto Christus regnum veniens carnem de semine ipsius suscepit, evacuavit futurorum umbras, et sedit super claritatem lucis quæ tunc intus in regno latebat; ac per hoc civitas illa non eget sole vel luna, quia lucerna quæ diu repromittebatur de semine David, jam in ea lucet; et lux illa ipse est Agnus, diu in figura pro populo immolatus. Idcirco etiam ad Joram et reliquos qui Deum maiis suis irritaverant, recte dicitur lucernam successionis propter David et propter Jerusalem cunctis diebus coram Domino reservasse. Quia non solum in eorum, sed etiam nec in omnium sceleribus, quæ sibi mundus per partes contraxerat, adeo potuit provocari, uti juramentum misericordiæ suæ irritum duceret. Unde etsi quidam ex ipsis in hac genealogia non meruerunt adscribi, nemo tamen inventus est usque ad Christum, cui per successionem filius negaretur. Quod continuo manifestius approbatur in sequentibus.

50 *Joram*, inquit, *genuit Oziam. Et Ozias genuit Joathan.* In quarto igitur Regum volumine legimus, quod Joram Ochoziam genuerit, et de Ochozia sit genitus Joas : ac deinde quia Joas genuerit Amasiam, cui successit in regnum hic Ozias, quia ab Evangelista hoc in loco filius Joram inscribitur (*IV Reg.* VIII, 24; XI, 2; XII, 21; XV, 1). Quod factum non abs re omnino creditur, si intentio Matthæi, imo per eum Spiritus sancti ad purum consideretur. Propositum enim erat ei tres tessarescædecadas in diversum statum ponere, et ita obtemperare ut mysticus sacramentorum numerus in quadraginta et duos surgeret. Ideoque tres istos de medio tulisse cernitur. Et non solum itaque ob hoc ut istud conficeret sacramentum, verum etiam ut nos legaliter institueret, et magnum nobis tribueret documentum. Joram quippe generi se miscuerat impiissimæ Jezabel : et ideo usque ad tertiam generationem ejus memoria de sanctæ nativitatis ordine recte tollitur. Quod etiam in lege prius per Moysen Deus dixerat : *Ego sum Dominus, Deus fortis, zelotes, visitans peccata patrum in filios in tertiam ac quartam generationem, eorum qui oderunt me; et faciens misericordiam in multa millia, his qui diligunt me, et custodiunt mandata mea* (*Exod.* XXX, 5). Ubi notandum quod de illa progenie dicitur, quæ in peccatis patrum et in odio pertinax fuerit virtutum : sicut et misericordia in illis fit, qui in dilectione Domini continui permanserint. Bonus namque homo, quamvis de malis parentibus sit natus, misericordia fit dignus : sicut e contrario, malus quilibet ex bono generatus, pœna plectitur, Dei judicio rectissime condemnatus. Joram itaque qualis fuerit divina prodit historia, quod Deus ei dixerit : *Quod non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa regis Juda, inceperisti autem per viam itineris regum Israel, et fornicari fecisti Judam et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab; insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti; ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, et filiis, et uxoribus tuis, et universam substantiam tuam, tu autem ægrotabis pessimo languore uteri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies* (*II Par.* XXI, 12). Et ita factum legimus, atque ita consumptus est tabe ut egereret etiam viscera sua; languore pariter et vita caruit. Mortuusque est infirmitate pessima, et non fecit **51** ei populus secundum morem combustionis exsequias, sicut fecerat majoribus ejus, neque sepelierunt eum in sepulcro regum. Quem secutus quoque Ochozias filius ejus, Scriptura teste : *Ingressus est per vias domus Achab. Ipsi enim fuerunt et consiliarii post mortem patris sui in interitum ejus* (*II Par.* XXII, 3). Sed hoc omnino nos movet, quia in libro Paralipomenon (*I*, XXII, 2) legimus quod quadraginta duorum annorum erat cum regnare cœpisset, quid sit quod pater ejus Joram triginta duorum annorum fuisse legitur cum regnare cœpisset, et octo annis regnaverit, qui simul fiunt anni quadraginta (*II Par.* XXI, 20). Quod verum esse omnino non constat. Quia si Ochozias quadra-

Introdusă în format electronic de Google

ginta annorum esset cum post patrem suum regnare cœpisset, erat profecto patri suo duobus annis ante natus, quod facere penitus ipsa natura prohibet. Unde constat illud verius fore, quod in Regum volumine legimus, quia viginti duo annorum fuerit cum regnare cœpisset (*IV Reg.* VIII, 26). Et est illud quod in multis Paralipomenon libris habetur, scriptorum vitio, sicut et aliis in locis quamplurimis, depravatum. Cæterum Joas filius Ochoziæ qualis fuerit, postquam obiit Joiada sacerdos, Scriptura testatur dicens : *Quia ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem, qui delinitus eorum obsequiis, acquievit eis; et dereliquerunt templum Domini Dei sui patrum suorum, et servierunt lucis et sculptilibus, et facta est ira Domini contra Judam et Jerusalem propter hoc peccatum* (*II Par.* XXIV, 17, 18). Occidit etiam Zachariam prophetam, filium, ut dicunt, Joiadæ sacerdotis, qui eum in templo Domini nutrierat et constituerat regem. Quem Zachariam, cum esset collactaneus ejus et consobrinus, et Spiritus Domini induisset eum ac fecit stare in conspectu populi, qui dixit ei : *Hæc dicit Dominus, quare transgredimini præceptum Domini quod vobis non proderit, et reliquistis Dominum ut relinqueret vos? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides super eum juxta regis imperium in atrium domus Domini, et non est recordatus Joas rex misericordiæ quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus. Qui cum moreretur ait, Videat Dominus et requirat* (*Ibid.*, 20, 21, 22). Quod profecto postea Dominus testatur dicens : *Et requiretur omnis sanguis qui effusus est a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, quem occidistis inter templum et altare* (*Matth.* XXIII, 35). Successit igitur mortuo Joas rege filius ejus Amasias **52** in regnum, qui post cædem Idumæorum, allatos deos filiorum Seir statuit sibi in deos et adoravit, illisque adolebat incensum. Quamobrem iratus Dominus misit ad illum prophetam, qui diceret ei : *Cur adorasti deos qui non liberaverunt populum?* Cui ille : *Num consiliarius regis es? Quiesce, ne interficiam te* (*II Par.* XXV, 15, 16). Hæc autem omnia ideo hic ad præsens posui, ut animadverteres, quia tres isti Joram patrem suum in omni impietate sequentes, ac continuum tenentes odium in Deum, merito præ omnibus de genealogia Christi excluduntur. Reliqui enim reges, quamvis mali fuerint et impii, ubicunque in genealogia ponuntur, aut a bonis omnino generantur, aut ipsi de se bonos generant : id est, aut boni patris est filius, aut certe pater est cujusdam boni filii. Joram ergo fuit filius Josaphat justi viri, qui reliquit sibi filium regni et impietatis suæ hæredem. Quem secuti omnes ingressi sunt per lineam eamdem pravitatis viam, donec perventum est ad Oziam. Qui Ozias pene in omnibus fecit rectum coram Domino nisi quod in templo super altare thymiamatis voluit adolere incensum. Tamen qui idololatra non fuit, impiis de medio prætermissis, in eumdem genealogiæ rectissimus ordo decurrit; ne aut a lege videretur excedere ultio divina, aut certe, qui patrum noluit imitari impietates, ipse eorum in peccatis videretur involvi. Quo loco probatur, sicut et in aliis quam plurimis, unumquemque in peccato suo mori debere : et, si secutus fuerit mores priorum patrum bonos malosve, pœnas sibi aut præmia benedictionis accumulari. Quo profecto et isti penitus hinc de medio sub silentio auferuntur, videlicet propter pœnam peccati; et tamen fructu benedictionis in semine, propter præcedentium patrum repromissa, minime privantur. Ideirco et de Joram recte dicitur, quod *noluerit Dominus disperdere domum David propter pactum quod inierat cum eo, quia promisit illi dare lucernam ac filiis ejus in omni tempore* (*II Par.* XXI, 7). Quam lucernam propter juramentum constat omnino quia nullus peccatorum scelera quiverint exstinguere, et adhuc miseri Judæi pro cæcitate sua suis quotidie peccatorum tenebris obscurantur.

Ozias autem, qui et Azarias, genuit Joathan. Joathan vero genuit Achaz. Achaz autem Ezechiam. Sub quibus ergo quatuor regibus Isaias propheta, non tam prophetiam de Christo, quod de domo **53** David futurus esset contexuit, quam Evangelium omnibus prædicavit. Unde cum ad Achaz, quia idola colebat, diceret : *Pete tibi signum a Deo de cœlo, sive de profundo inferni* (*Isai.* VII, 11). Et ille nolens diceret : *Non petam, et non tentabo Dominum* (*Ibid.*, 12), versus ad omnem domum David aiebat, dicens : *Audite utique domus David. Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propterea*, inquit, *ipse Dominus dabit vobis signum : Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel* (*Ibid.*, 13, 14). Atque ad extremum : *Nisi credideritis*, inquit, *non intelligetis.* Quod testimonium suo in loco Deo annuente tractabimus. Cæterum Ezechias cum adhuc esset sine liberis, quia audierat a Domino per Prophetam : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives* (*IV Reg.* XX, 1), conversus ad parietem illico dixisse fertur : *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.* Flevit autem non propter plurimos, inquam, vitæ annos, quia omnino noverat idcirco placuisse Deo Salomonem quod annos vitæ non petierit ampliores; sed hinc prorsus iturus flevit fletu magno, propter promissionem Domini ad David, quam videbat tunc in sua morte penitus perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Unde et amariter flebat, ne propter eum lucerna diu patribus repromissa exstingueretur, antequam plenitudo temporis adveniret. Pro certo namque sciebat se de David stirpe generatum, per quem nimirum venire oportebat juxta successionem carnis illum quem ipse et multi alii quamplurimi venturum desiderabant. Unde idem inter lamenta doloris sui aiebat, dicens : *Quæsivi residuum annorum meorum, dixi, non videbo Dominum Deum in*

Introdusă în format electronic de Google

terra viventium (*Isa.* XXXVIII, 10). Pro quo Septuaginta dixere : *Nequaquam ultra videbo salutare Dei in terra viventium*. De qua et alibi scriptum est : *Placebo Domino in regione viventium* (*Psal.* CXIV, 9). Hoc autem est omne quod hic metuit Ezechias, ne salutare Dei, id est Jesum, ductus ad inferos nequaquam mereatur aspicere. Hinc est quod sequitur, ita dicens : *Non aspiciam hominem ultra et habitatorem*. Timet ergo satis ne non videat Dominum in terra viventium, ne generatio illius subito instar tabernaculi dissolvatur, ne in telæ similitudinem in ipso lucis exordio præcidatur, et nequaquam de semine ejus Christus oriatur. Sed misericors Dominus cito flectitur **54** ad clementiam, provocatur ad misericordiam. Et immutat illico sententiam, quam secundum præscientiam promulgarat ad probationem fidei ejus, et dat spatium generandi etiam in quo mystica futurorum sacramenta monstrentur. Unde et post tertium annum concessæ vitæ Manasses nascitur, per quem origo Christi duceretur, quia post mortem patris duodennis legitur regnasse. Ex quo fit ut quidquid antea fuerat desperatum, hoc totum quamvis malus fuerit, per successionem patris, postea in eo sit reparatum. Ergo iste omnis erat fletus, quia desperabat Christum de suo semine nasciturum, quem multis Dei oraculis noverat repromissum, et coram positus plurimis Isaiæ verbis quotidie audierat prophetatum. Sed, ut verius loquar, credebat hic, et dubitabat, ideoque sic amarissime flebat. Flebat igitur, quia dictum ei fuerat, cum esset sine liberis, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives*; credebat autem, quia qui promiserat non mentitur, Deus. Sed vicit fides timorem. Idcirco sub spe vitæ, sicut sermo divinus narrat, tam subito consolatur. Unde et nos ergo credamus, quem post tantas Patrum promissiones læti suscepimus, atque, eo ducente, per ipsam successionis lineam, usque ad ipsum firmi perveniamus.

Manasses quippe genuit Amon. Amon autem Josiam. Josias vero genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Josias iste est rex justissimus, qui, antequam nasceretur, proprio ex nomine quia futurus erat per prophetiam Spiritus sancti est promissus. Sed tamen ejus justitia non invenitur in filiis quos in transmigratione Babylonis genuisse dicitur. Non quod Josias in transmigratione filios suos genuerit, qui nusquam legitur transmigratus; sed quia non sunt secuti eum filii ejus, dicuntur quasi ex prædestinatione Dei geniti ad transmigrandum. Non, inquam, in transmigratione, sed ad transmigrationem, id est, utique ad transmigrandum. Jechoniam autem et fratres ejus idcirco simul ponit, ut quorum erat communis impietas, et coæqualis infamia, fieret simul una supplicii sui et miseriarum memoria. Etenim, vulnerato Josia in bello contra Nechao regem Ægypti, atque defuncto, Joachaz filius, qui et Sellum, successit in regnum, et regnavit tribus mensibus in Hierusalem, deinde est translatus in Ægyptum. Et constituit pro eo rex Ægypti fratrem ejus Eliachim regem, qui altero **55** nomine Joachim vocatur. Quem post undecim annos Nabuchodonosor rex vinctum catenis perduxit in Babylonem : et regnavit Joachim filius ejus pro eo, qui et Jechonias est appellatus. Regnavit autem et ipse tribus mensibus : quem postea mittens Nabuchodonosor vinctum, abduxit in Babylonem, et constituit Sedechiam patruum ejus filium Josiæ, fratrem videlicet Joachim, pro eo. Quem et ipsum postea idem rex cæcavit, et in cavea veluti bestiam clausum, in Babylonem adduxit : ut quorum erat, ut dixi, par impietas, fieret simul par pœna, et ab evangelista communis infelicitatis eorum memoria. Illud sane recte quæritur, quare Jechoniam dixerit Matthæus, et fratres ejus a Josia genitos, cum Jechonias, qui et Joachim, non filius sed nepos Josiæ fuisse manifeste probetur, id est, filius Joachim, sicut in toto Veteris Testamenti textu declaratur. Ac deinde quod si in fine secundæ tessarescædecadis Jechoniam ponimus, in tertia non erunt quatuordecim, sed tredecim tantum inveniuntur. Restat ergo ut Jechoniam priorem, quem a Josia dicit genitum, sciamus ipsum esse Joachim patrem Jechoniæ, filium Josiæ, qui in Danielis principio scribitur : secundum vero Jechoniam, quem post transmigrationem Evangelista scribit genuisse Salathiel, intelligamus ipsum esse Joachim filium Joachim, hoc est prioris Jechoniæ, nepotem autem Josiæ, qui et ipse in Ezechielis commemoratur exordio. Quorum alter Joachim per κ et μ, alter vero per χ et ν scribitur. Apud Græcos autem et Latinos hoc confusum est nomen, ita ut ab aliquibus eorum unus idemque in duorum prophetarum principiis habeatur. Joachim autem patrem Jechoniæ, Jechoniam fuisse vocatum, nullo alio in loco præter istum Evangelii locum legimus. Cujus auctoritati, si tamen hoc ita voluit intelligi, nullus est sane fidei interventor qui contradicat : sive isto nomine olim vocatus sit ipse, et tamen modo in Scriptura divina taceatur : sive solus evangelista eumdem hoc ideo nuncupat nomine, quia Jechonias interpretatur *præparatio Domini*. Præparatio namque ideo recte dicitur, quia hunc sicut et filium ejus Jechoniam, Dominus olim præparaverat ad transmigrandum. Unde, sicut jam supra diximus, Josias non transmigratione, sed ad transmigrandum, eos dicitur generasse. Utique quasi ad hoc nati esse dicantur, qui eos Dominus pro suis ac populi peccatis captivandos **56** præscierat, ut in transmigrationem irent. Sciat namque prudens lector quia in his quæ modo de duorum virorum distinctione nominis diximus, veritatem historiæ secuti sumus; ut alterum in fine prioris tesserescædecadis, alterum in principio sequentis, quatenus utramque quaterdeno compleret numero, poneremus. Secundum mysticum autem sensum unus idemque Jechonias, bis quasi in angulo constitutus, annumeratur. Cum enim, inquam, quaterdenas generationes tribus distinxisset articulis, dicens ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, et a David usque ad transmigratio-

Introdusă în format electronic de Google

nem Babylonis, generationes quatuordecim, totidemque alias usque ad Christum, non eas tamen duxit in summam, ut diceret : fiunt omnia quadraginta duæ. Unus quippe in illis progenitoribus bis numératur Jechonias, videlicet a quo facta est in extraneas gentes quædam deflexio, quando in Babyloniam transmigravit. Ubi autem ordo a rectitudine flectitur, atque ut eat in diversum intendit, quasi angulum facit; et illud quod in angulo est in fine prioris ordinis, et in capite ipsius deflexionis, bis numeratur. Hoc autem ipsum jam præfigurabat Christum a circumcisione ad præputium, tanquam ab Hierusalem ad Babylonem quodammodo migraturum, atque utrisque in se credentibus hinc atque hinc, tanquam lapidem angularem, medium adfuturum. Hæc quidem tunc in figura præparabat Deus rebus in veritate venturis. Nam et ipse Jechonias, ubi angulus iste præfiguratus est, *præparatio Dei* interpretatur. Ac per hoc jam non quadraginta duæ, quod faciunt ter quatuordecim; sed propter unum bis numeratum quadraginta et una generationes fiunt. De quo postea, Domino juvante, plenius suo in loco dicemus. Porro Joachim pater Jechoniæ, secundum ejusdem doctoris intelligentiam, cur sit prætermissus non satis elucet : quod reticuit idem occultarum rerum quæstionum conspicuus perscrutator. Nisi forte accipere debeamus quod evangelista, ut typum Christi faceret, ideo Jechoniam bis voluerit numerari ; et Joachim, ne numerus augeretur, prætermitti decreverit.

Jechonias autem post transmigrationem Babylonis genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Quod autem Zorobabel sit filius Salathiel, multis Scripturarum sanctarum in locis sine ambiguo reperitur. Sed in Paralipomenon **57** longe aliter habetur.

Sic enim inibi legimus quod Jechoniæ filii fuerunt, Asir, Salathiel, Melchiam, et Phadaia. De Phadaia autem orti sunt Zorobabel et Semei. Nos autem quid de hoc medium dicamus non facile reperitur. Quod si dixerimus quod hi duo fratres unam diverso in tempore duxissent uxorem, ex qua alter genuerit filium, qui alteri ex lege sit adoptatus, refellunt hoc ipsa Scripturarum verba, dum Matthæus dicit quod Salathiel genuerit Zorobabel. Ac deinde Paralipomenon liber loquitur, quia de Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei. Nam neque *genuit* aliunde potest hic intelligi, quam quia illum de semine proprio generavit. Neque *orti sunt* aliunde, nisi de istius carne nati. Sed simul de amborum semine, ipsa prohibente natura, natos eos absurdum est intelligi. Unde, sicut tradunt Hebræi, verum est trinomium eum fuisse, scilicet Asir et Salathiel et Phadaia. Interpretatur autem Asir *cæcatus*, Salathiel *frutex Dei*, Phadaia *redemptus Domini*. Aut fortassis sic accipiendum est, quod Salathiel et Phadaia duo fratres, filios quos genuerint, simul uterque eorum proprium Zorobabel vocaverit, ita ut duo fuissent. Quod non approbo, maxime cum evangelista dicat de isto Zorobabel Abiu quoque genitum esse. Paralipomenon vero liber habet quod Zorobabel genuerit Mosollam, Ananiam, ac reliquos, inter quos Abiu nusquam annumeratur. Tali igitur vel alio quolibet exitu agendum est, ne divina dissentire videatur auctoritas. Alioquin evangelistam rectius protulisse credendum est; super quod divina consonat auctoritas, etiam aliis in quamplurimis locis : ita tamen si ulla de hoc quod dicimus dubitatio possit fieri. Præsertim cum in hoc libro propter vitia scriptorum, sicut et in Esdra, genealogiarum quamplures interminatæ veniunt quæstiones. Unde et Apostolus : *Inutiles autem et interminatas genealogiarum quæstiones devita (Tit.* III, 9). Ex hinc quoque eorum qui inscribantur usque ad Christum, in gestis sanctarum Scripturarum nullam reperimus mentionem. Sed fides apostolo et evangelistæ est accommodanda; cum et de vicino, quamvis in archivis Judæorum quiverint inveniri, poterat hoc cognoscere, et per diligentiam parentum litteris mandare, quod omnibus Judæis notum erat, quia de David carne Christus deberet venire. Unde et diligentius omnis illa prosapia memoriæ **58** tradebatur. Hinc est enim quod Africanus, de consonantia evangelistarum scribens, quærit quid sit quod Matthæus dicit Joseph filium fuisse Jacob, et Lucas eum commemorat filium fuisse Heli. Atque rursus Heli quod fuerit Mathat, et Jacob filium Mathan Matthæus evangelista probat. *Mathat*, inquit, *et Mathan diverso fuere tempore, qui de una eademque uxore Estha nomine singulos filios procrearunt. Quia Mathan, qui per Salomonem descendit, uxorem eam primus acceperat, et relicto uno filio Jacob nomine, defunctus est. Post cujus obitum, quoa lex viduam alio viro non vetat nubere, Mathat, qui per Nathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam Mathæ accepit uxorem, ex qua et ipse accepit filium nomine Heli, per quod ex diverso patrum genere efficiuntur Jacob et Heli uterini fratres. Quorum alter, id est, Jacob, fratris Heli sine liberis defuncti uxorem ex manaato legis accipiens genuit Joseph, natura quidem germinis suum filium, propter quod et scribitur : Jacob autem genuit Joseph. Secundum legis vero præceptum Heli efficitur filius : cujus Jacob, quia frater erat, uxorem ad suscitandum semen fratris acceperat. Ac per hoc rata invenitur et integra generatio. Hæc autem*, idem inquit, *non nobis ad subitum reperta, aut absque ullis auctoribus commentata sunt, sed ipsi hæc Salvatoris nostri secundum carnem propinqui seu studio tanti seminis demonstrandi, seu docendi quæ secundum veritatem gesta sunt, tradiderunt.* Si enim historiographus iste tantam curam habuit perquirendi rei veritatem, quanto magis evangelista, qui cum ipso Domino moratus in carne, etiam inter parentes ipsius quotidie versabatur? Verumtamen quod hic etiam et nostrum aliqui Joseph dicunt filium Heli fuisse, non quasi ex carne, sed quasi ex lege; quia Jacob susceperit defuncti fratris uxorem, ad suscitandum semen ejus, sicut constat ex lege, quia sine liberis obierat : videtur infirmari hæc solutio quæstionis, quod defuncti fra-

Introdusă în format electronic de Google

tris nomen habere debuerat, ut in eo nomen patris suscitaretur, sicut ex lege sonare videtur; nisi forte inveniatur de hoc alia quælibet rationabilis causa, per quam probetur sic præmissam stare posse sententiam. Præsertim cum et Juda in Thamar nuru sua, licet ignaro suscitante semen defuncti filii, non ideo eorum quisque, qui ex hoc uno concubitu generantur, Her vocatus fuisse legitur; sed profecto alter eorum Phares, alter vero Zara vocitatus est. **59** Unde non contra auctoritatem Veteris Testamenti venire probatur, quod hic Joseph, et non Eli, quamvis filius ejus sit per legem, alio vocatus nomine accipitur. Similiter et Booz cum accepisset Ruth ex lege, filium qui ex eo natus est, non Abimelech, in cujus nomine suscitatur, sed Obeth vocari placuit. Ergo si ex lege mandatum esset semen defuncti non alio posse vocari nomine quam ejus in cujus suscitabatur, nequaquam credimus viros et mulieres virtutum contra legem venire voluisse. Unde liquido constat hanc quæstionem sic solidam manere, sicut a majoribus explanata atque litteris commendata cernitur. Cæterum quod Matthæus, *genuit hic* aut *ille*, per omnia ponit, probat se filios tantum carnis de semine uniuscujusque posuisse. At vero Lucas, quia dixit *qui fuit Heli, qui fuit Mathat*, sic demum et in reliquis, ostendit se etiam in hac genealogia alios quam carnis filios posuisse. Unde et beatus Augustinus in libro concordiæ Evangelistarum: « Quos autem, inquit, movet, quod alios progenitores Matthæus enumerat, descendens a David usque ad Joseph; alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David : facile est ut advertant Joseph duos patres habere potuisse, unum a quo genitus, alterum a quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi, etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent quos utique non ipsi genuissent. Nam, excepto quod filia Pharaonis Moysen adoptaverat, illa quippe alienigena fuit, ipse Jacob nepotes suos, ex Joseph natos, verbis manifestissimis adoptavit, dicens: *Nunc itaque duo filii tui, qui facti sunt tibi priusquam ad te venirem, mei sunt, Effrem videlicet et Manasses, tanquam Ruben et Simeon, mei erunt; alios autem quos postea genueris, tibi erunt* (*Gen.* XLVIII, 5). Unde et factum est ut duodecim tribus essent. Israel absque tribu Levi, quæ templo serviebat. » Ex quo intelligitur Lucas patrem Joseph non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus in Evangelio suo suscepisse, cujus progenitores sursum versus commemoraret, donec ad David exiret. Quem igitur probabilius adoptantis tenuisse originem, quam eum qui noluit Joseph genitum dicere ab illo cujus eum esse filium narrabat? Commodius enim filius ejus dictus est, a quo fuerat adoptatus, quam si diceretur ab eo genitus, de cujus carne non erat natus. Nam Matthæus dicens: *Abraham genuit* **60** *Isaac*, atque ita in hoc verbo, quod est *genuit*, perdurans, donec in ultimo diceret, *Jacob autem genuit Joseph*, satis expressit ad eum patrem semper duxisse ordinem generantium, a quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. Quanquam etiamsi Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno eorum gignentem, ab altero vero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur, non carne, sed charitate genuisse filium quem sibi adoptaverat. Unde et Deus, quibus potestatem dedit filios Dei fieri, non natura eos atque substantia genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit, *ut*, Apostolus inquit, *adoptionem filiorum Dei reciperemus* (*Gal.* IV, 5). Et tamen dicimur accepta potestate nati ex Deo, ut filii ejus efficiamur, qui jam homines eramus. Efficimur ergo filii per gratiam, non per naturam. Nam si per naturam filii essemus, nunquam aliud fuissemus. Tamen quia per adoptionem ex Deo nati dicimur, nunquam alienum esset a veritate, si Lucas etiam ab illo esse Joseph genitum diceret, a quo fuerat adoptatus. Sic quippe eum genuit non ut homo esset, sed ut Filius esset, sicut nos genuit Deus, ut filii ejus essemus, quos dudum fecerat ut homines essemus. Unicum autem genuit, non solum ut Filius esset, quod pater non est, sed etiam ut Deus esset quod et Pater est. Sed si hoc verbo Lucas uteretur, ambiguum esset quis eorum adoptantem, quis ex propria carne gignentem patrem commemorasset. De cætero quid horum magis sequendum sit, utrum ex lege, an per quamlibet adoptionem filius fuerit Heli, frustra certatur, dum omnimodo utrosque Evangelistas verum dixisse probamus.

Quod autem sequitur, quia *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Christus*, non credentibus utique satis difficillimam generat quæstionem, quid pertineat ad Christum generatio ex David origine ad Joseph usque deducta, cum omnes, secundum Scripturam divinam, catholice confiteamur quia Christus de Joseph semine non sit natus, sed de Spiritu sancto ex Maria Virgine, sicut in Symbolo confitemur, procreatus. Quibus primum facile respondendum est, non esse consuetudinis sanctarum Scripturarum, ut mulierum in generationibus **61** ordo texatur, quod ex omnibus libris divinæ legis probare possumus. Et ideo non per Mariam generationis series inducitur, sed per Joseph, ut idioma Scripturarum in principio non violetur. Deinde ex una tribu Joseph et Mariam fuisse probamus, unde et præcepto legis eam quasi propinquam cogebatur accipere, ne se tribus in aliam commisceret tribum; sed unusquisque de sua tribu legitime sibi acciperet uxorem. Et ideo cum descriptio prima Romani imperii celebratur, ut singuli in suam profiterentur civitatem, Joseph et Maria, non solum quasi de una tribu, verum etiam velut de una stirpe generati, simul in Bethleem censentur nomine. Ubi, si non esset de una tribu ac de eadem civitate, non diceretur, *Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo ac familia David, ut*

Introdusă în format electronic de Google

profiteretur cum uxore sua desponsata (*Luc.* II, 4). Quia, sicut legimus, singuli ibant ut profiterentur in suam civitatem. Quod si singuli, et Maria tunc ad suam conscendit utique civitatem, ut Joseph, qui erat ejus sponsus, ibidem cum ipsa profiteretur. Nam et supra Prophetarum oraculis satis ostendimus Christum de semine David venturum. Ex quo probamus evidenter Mariam de ejus stirpe descendisse. Unde et specialius per prophetam domui David dicitur : *Audite itaque, domus David, quia molesti estis Deo, propterea ipse Dominus dabit vobis signum. Ecce virgo conciviet et pariet filium* (*Isa.* VII, 13). Ac si diceret : Vobis quidem dabitur omnino, quia de vobis, et in vobis, ac pro vobis erit. Ubi notandum, quod et Virginem profitetur, ne forte existimemus, sicut nonnulli hæreticorum, cum virum audimus, Christum de Joseph semine generatum. Virum autem eum Mariæ cur dixerit, paulo post apertius monstrabitur. Neque enim fas erat ut ob hoc eum a conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed Virgo Christum peperit. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere conjugiumque vocari, non permisto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat; quandoquidem recte pater esset etiam ejus, quem, non ex sua conjuge procreatum, sibi aliunde adoptasset. Nunc autem **62** quia ex sua sponsa nascitur, qui ab omnibus filius putabatur, recte vir uxoris et pater filii nuncupatur. Putabatur quidem Christus filius Joseph, tanquam ex ejus carne genitus, sed ab his quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph* (*Luc.* III, 23). Atque alibi, *Erant*, inquit, *pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo* (*Luc.* II, 33). Cum igitur recte putative pater appelletur, quid mirum si eum virum Mariæ recte appellatum dicimus sine commistione carnis? Multo itaque conjunctius pater Christi dicitur, quia ex ejus conjuge nascitur, quam si aliunde in filium adoptaretur. Et ideo quod dicit evangelista quia putabatur filius Joseph, propter illos utique constat dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur. Ac per hoc, inquam, si possit aliquis demonstrare, quod sane non potest, Mariam ex David nullam consanguinitatis originem ducere, satis erat, secundum istam rationem, Christum filium David accipere, cum Joseph virum Mariæ, et patrem Salvatoris, ut præmissum est, recte intelligamus. Quanto magis nunc, cum prophetarum eloquia et Evangelium, multis in locis de David cum stirpe asseverant generatum? Unde et Paulus apostolus : *Segregatum* se *dicit in Evangelium Dei, quod ante promiserat in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 4). Idcirco dubitare omnino non debemus Mariam de David stirpe consanguinitatis originem deduxisse, quod nec sacerdotale genus ejus, Luca insinuante, tacetur, quod cognata ejus esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron fuisse. Unde nos carnem Christi de utroque genere propagatam minime dubitamus ; regum scilicet et sacerdotum. In quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica Christi unctio figurabatur, quod futurus erat in quo simul regalis et sacerdotalis ordo per unum eumdemque mediatorem Dei et hominum melius impleretur, *Virum*, inquit, *Mariæ de qua natus est Christus*. Pulchre itaque, *de quo* natus est, et non, *de quibus* dixit, quia sine viri coitu ubique generatus de Maria prædicatur. Quibus ita decursis, rursus evangelista in fine concludendo mystice cunctam sub numero genealogiam recapitulat. *Abraham*, inquit, *usque ad David generationes* **63** *quatuordecim; et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim; et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim*. In qua nimirum distinctione, tria ad Christum declarantur tempora concurrisse ; scilicet ante legem, sub quo versatus est Abraham, naturale servans ex devotione mandatum : post legem, cum Judæi prævaricantes in captivitatem ducuntur : post gratiam, per quam omnes de eadem misera Babylonis captivitate solvuntur. Et in omnibus istis temporibus monstrantur bi qui ad Christum veniunt, manifestius designari : quod aliter per fidem tantum in primordio renati justificantur, aliter autem secundum electionis gratiam, qui a David in Babyloniam, videlicet in tentationem, mittuntur : ipsique rursus de ipsa tentatione probati ad coronandum post certamina, velut victores, usque ad Christum ascendunt. Quæ distinctio æquo partitur numero, ut per singulas partes bis septem inveniantur. Scilicet quia gratia sancti Spiritus in homine, propter utramque substantiam, tam intrinsecus quam extrinsecus, geminatur. Quippe qui, si non utrasque partes possidet, nequaquam recte dicimus cum propheta : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII, 2). Ille nimirum totus in Deum exsultat, quem gratia sancti Spiritus ad plenum implet. Ad plenum igitur interdum repletur quisque, si anima et carne pinguedine sacræ unctionis Christi pariter saginatur. Quod autem ter quaterdeni connumerantur, verum religionis cultum in eum qui ad Christum festinat dedicant. Quatuor enim et decem, quid aliud quam Vetus atque Novum legis Testamentum insinuant? Quia nimirum via quæ ad Christum credentes invitat, per decem verba legis, et quatuor regni cœlestis Evangelia prædicatur. Ita tamen, si quidquid in eisdem lineis conscribitur; quasi hoc in nobis triplicantes, Trinitati, quod Deus est, per omnia consecramus. Alioquin præceptorum perfectio minime adimpleretur, si hoc quilibet numero colendi Deum in aliquo vacuatur. Et ut hanc esse viam perveniendi ad patriam evidentius appareat, totus hic numerus in summa colligatur, et quadraginta duo generationes veniunt.

Introdusă în format electronic de Google

Quo numero mansionum verus Hebræus proficiscitur ex Ægypto; ut quandoque ad patriam post laborem itineris ingrediatur. Quam patriam Christum diu patribus repromissum omnino intelligimus : quia
64 ipse est terra illa viventium, in qua Propheta credit se bona Domini videre (*Psal.* XXVI, 19); eo quod sint in ipso omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei. Per has igitur mansiones generationes Christi, ut diximus, currit verus Hebræus, qui de terra transire festinat ad cœlum; et Ægypto sæculi derelicta, terram repromissionis ingreditur. Nec mirum, si in illo numeri sacramento perveniamus ad regna cœlorum, sub quo Dominus atque Salvator a primo patriarcha, cui fuerat repromissus, pervenit ad Virginem, quasi ad Jordanem, quæ pleno fluens gurgite, Spiritus sancti gratia redundabat. Nam Matthæus ab Abraham orsus est genealogiam, velut cœlestis patriæ mansiones texere, et numeravit, quibuslibet prætermissis, quadraginta duo generationes. Quæ ut totidem essent, Christum in fine supputavit : eo quod ipse sit consummatio totius itineris, et mansio perpetuæ vitæ, ante tempora sæcularia credentibus præparata. Abraham quippe, in quo gens Hebræorum a cæteris gentibus primum distingueretur, idcirco Deus de terra sua et de cognatione separavit, ut ex hoc distinctius ad prophetandum Christum ac prænuntiandum maxime pertineret, quod promittebatur ex qua gente esset venturus. In eo quippe primum fides ad justitiam reputatur; et ideo quasi initium viæ ad Paradisum ab ipso usque ad Christum per quadraginta duo generationes dirigitur. Si quidem præsens sanctæ Ecclesiæ tempus per hunc numerum designatur, quod Dominus nobiscum, si quid agimus quod rectum sit, intrinsecus cooperatur. Septies enim seni quadraginta duo faciunt. Et rarus est quidem, qui sane sex ad opera, septem vero ad requiem futuræ vitæ significandam pertinere dubitet. Unde bene populus ille de terra Ægypti salvatus, quia sub spe intrandi in requiem, virga disciplinæ Dei corrigitur, per septies senas, id est per quadraginta duo mansiones arctissimæ viæ ad patriam castrametatur. In quarum ultima, dum Jesum ducem suscepit, mox Jordane patefacto, et devictis hostibus, promissam olim intravit requiem, et propriam regni hæreditatem obtinuit. Sic itaque Dominus Jesus noster quadragesima secunda generatione, postquam mundus cæcitatis antiquæ tenebras, atque Abraham credente Chaldæorum incendia dereliquit, adveniens in carne, baptismi nobis lavacra, et cœli januas patefecit. Unde profecto virtutum cursu, sub ejusdem
65 numeri sacramento, ad id quod nondum videmus tendimus : sed sperantes per patientiam exspectamus donec veniat quod in Christo læti percepimus, et jam quotidie prælibando, gustu cœlestium sacramentorum fruimur. Quapropter ut hanc viam tam angusti itineris melius desuper, Spiritu sancto illustrante, pertransire possimus, libeat paululum articulum reflectere, quatenus per singulos Patres A virtutum tramite moraliter castra metentes, possimus vastam vitiorum solitudinem pertransire, et ad Christum ocius, divina juvante gratia, pervenire. Per hos igitur Patres ad nostram salutem Christus in mundum veniebat, et horum omnium in seipso gerebat officium, ut horum interpretatione nominum nostram designaret salutem. Quam recte salutem quærentes, primum cum Abraham de incendio vitiorum exire curemus, et ad patriam virtutum, quam Deus nobis per semetipsum monstravit, tendamus. Ubi primum fides, quæ per dilectionem operatur, necesse est interveniat; ut per eamdem fidem, quia per carnem nequimus, filii simus Abrahæ, quatenus cohæredes ejus esse postea valeamus. Scriptum namque legimus, *Credidit Abraham Deo, et reputatum* B *est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 6). Credamus ergo et nos quia pro nobis hæc scripta sunt, et exeamus de terra carnis nostræ, ultra proficiscentes ad meridiem, ubi Christus pascit atque cubat in omni plenitudine charitatis. Tunc igitur quisque recte pater excelsus nuncupatur, cum tanta fidei fortitudine sublimatur, ut magis Christum fide, quam ex se carne generet. Neque enim Abraham primum nisi per fidem justificatur, atque ideo obediens factus meruit audire quod in semine ejus omnes gentes benedicentur. Ideo et tu, si vis pater excelsus fieri, imitare tantum patriarcham; quia tunc veri sumus filii Abrahæ sicut Dominus dicit, si ejus facimus opera (*Joan.* VIII, 39). Abraham quippe pater multarum gentium postea commutatur, quia per gratiam quisque pater multarum C virtutum efficitur. Fides namque Christi gratiæ copulata, plurimarum virtutum copiam in nobis generat, et facit nos aliquando exire obedientes in locum per contemplationem, quem accepturi postea sumus in hæreditatem. Exiit ergo ille nesciens quo iret; et nos quidem per fidem ambulantes tenebrarum caligine involvimur, quia nondum per speciem ambulamus. *Hæc est*, inquam, sicut ait Apostolus,
66 *victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (*Joan.* V, 4). Et ideo si cohæredes tanti patris esse cupimus, fidem, quæ per dilectionem operatur, in omnibus teneamus, quia sine fide Deo nequaquam placere possumus. Hæc est namque prima mansio, in qua verus Hebræus Ægyptum fugiens supra petram, quæ Christus est, firmissime castrametatur. De qua fide, D quæ multarum virtutum initiatrix est, verus Isaac profecto nascitur. Isaac quippe *risus* vel *gaudium* interpretatur, siquidem quia tunc vere gaudemus, si per fidem Domino cohærentes virtutum opera adimplemus. Unde Apostolus clamat, dicens : *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete* (*Philip* IV, 4). Gaudium itaque verum nonnisi de fidei substantia et virtutum operibus generatur : substantiam autem sperandorum Apostolus eamdem fidem appellat (*Heb.* XI, 1). Unde non aliud per ipsam fidem de Deo sentire oportet, quam quod adhuc sperantes in futurum per Christum exspectant. Sperandorum autem substantia fides interdum ideo dicitur, quoniam quidquid illud est quod Deus est, habitare per

Introdusă în format electronic de Google

fidem in cordibus nostris, aut intelligendo, aut certe credendo debet, donec in via sumus. Unde quod cœlum et terra minime capiunt, sinu fidei oportet comprehendere ; et de Deo, ut est, sentire ; et in omnibus etiam quæ incomprehensibilia videntur, ut se rei veritas habet, per fidem omnia comprehendere. Alioquin error magis quam fides est appellanda, si aliud fide concipitur, quam quod Deus est, et ipse de se credentibus ut crederent Spiritus sanctus Deus revelavit. Nam fides omnem intelligentiam, dum sumus hic in via, antecellit. Quoniam quidquid est quod intelligere non valemus, quia Deus veritas non mentitur, fide credimus, et in fide per substantiam, quidquid est illud quod est, jam tenemus. Hanc igitur sperandorum substantiam ad liquidum non quomodo est scientes, sed quia est plenissime credentes ; etsi nondum adhuc in re tantum, quia in spe profecto gratulamur ; merito in Isaac, qui risus interpretatur, castrametamur. Isaac quippe totus in spe, quod repromissus concipitur per fidem, quod nascitur per gratiam, gaudium parentibus generavit. Ita sane et Apostolus ipse gaudentes nos esse voluit ; quia de spe bonæ conscientiæ, quam in Christo per fidem, quæ per dilectionem operatur, habemus, risus nobis ex gratia generatur. **67** Illinc quippe est quod virtute operam damus, ut in spe, veluti Isaac, serentes eodem anno, id est in præsenti vita, centuplum accipere, et in futuro vitam æternam possidere valeamus. Sed, quia in Isaac spes vitæ negotio figuratur, necesse est ut Rebeccam, quæ *patientia* interpretatur, in conjugium sumamus ; ne sine patientia spes cito frangatur. Sed, sicut ait Apostolus, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12). Unde et Rebecca in Mesopotamia nata dicitur : quippe quia Mesopotamia fluminibus circumdatur, ut inter tentationes ac tribulationum procellas, multis angustiarum injuriis erudita, sciat de conceptu spei Deo filios procreare, et meditanti Isaac in agro, virtutum pallio cooperta verenter occurrere. Si quidem Isaac, spes videlicet promissorum Dei, in eo meditatur agro, quo thesaurum novit reconditum, et occurrit ei patientia conjux, quæ suo complexu cuncta componat ; ut per labores et certamina thesaurum possit effodere, et ad promissam spem quandoque feliciter pervenire ; pro qua beatus Apostolus suos monebat auditores : *Juste et pie vivamus in hoc sæculo exspectantes beatam spem et adventum Domini* (*Tit.* II, 13). Ista est namque spes, quæ processit usque ad interiora velaminis Christi ; et velut aurora dum illiditur fluctibus, quia patientia sociata, tanta atque immobilis perseverat, et nullis periclitatur angustiis. Quam recte patientiam tunc in tabernaculum Saræ introducimus, cum quidquid laboribus fatigamur, patientissime totum gratiæ committimus Redemptoris. De quibus profecto parentibus, quid aliud quam charitas generatur ? Quia nimirum spes nobis talia repromittit, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aliquatenus ascenderunt, procul dubio non possumus non amare. Et inde est, quod charitas procreata jugiter inardescit, et contra omnia carnalia dimicans vitia supplantat. Sed cur per Jacob charitatem significari dixerim, si diligenter animadvertimus, facillime quibimus intueri ; præsertim si duas tantum uxores ejus, Liam videlicet atque Rachel, in medium deducamus. Quarum Lia *laborans* interpretatur, Rachel vero *visum principium* dicitur : quam sibi charitas dum primum recte appetit in conjugium, præsentis vitæ labores ardenter tolerat. Et quidquid eximium est periculi, sine cessatione usque ad mortem per patientiam concertendo superat. In tantum ut parum **68** ei videatur quod laborat, si forte possit pervenire ad eam quam amat. Unde scriptum est : *Concupisti sapientiam, serva mandata, et Dominus tibi illam præbebit* (*Eccli.* I, 33). Sed Lia, videlicet vita activa, prior nuptui noctu traditur, dum hic proximos interim per charitatem diligere jubemur. Quia si primum proximum, quem videmus, minime diligimus, Dominum, quem non videmus, diligere ut oportet non valemus. Nam et idem patriarcha primum Jacob, deinde Israel recte dicitur. Quia eadem charitas antea per labores vitia supplantans vitam practicam complexatur : postea namque per contemplationem Deum facie ad faciem, sicuti est, certissime perfruitur. Unde Apostolus, *Nunc autem*, inquit, *manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem charitas* (*I Cor.* XIII, 13). Et cur major ? nisi quia cum finitum fuerit quod ex parte est, sola charitate fruituri quod perfectum est contemplabimur, illam sapientiam quæ Deus est ; atque ita cum illa et per illam beate viventes, ipsi etiam beati erimus ? Propter quam nimirum servit omnis religiosus, et desudat fortiter in agonia, hujus desiderans nimiam pulchritudinem, si quandoque mereatur attingere illud visum principium, et in eo feliciter delectari. Neque enim se quisque convertit servire justitiæ per charitatem, nisi ut quiete vivat in verbo, per quod videtur principium quod est Deus, et requiescat protinus post laborem. Quis tandem amaverit in operibus justitiæ desudare, laborem passionum, non propter Rachel, imo propter Liam, subire ? Quis eam vitam propter seipsam unquam expetivit ? aut quis eam per mortem petiit, quam omnes moriendo deserunt ? Hinc namque est quod charitas Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, non ob aliud quam propter seipsum diligit ; proximum vero non propter seipsum, sed propter Deum amare disponit, et ei per charitatem servire contendit. Verumtamen quamvis propter eamdem Rachel, id est propter visum æternæ vitæ principium, cuncta devotione virtutum opera peragamus, Lia nobis primum nocte supponitur, quia per seipsam vita laboriosa diligi non poterat, ut per eam Deo virtutum filios generantes quandoque ad dulces cœlestis vitæ perveniamus amplexus. Toleratur ista, ut perfruatur illa. Sed dum quæritur illa, ista supponitur, ut post istam perveniatur ad illam. Servimus autem primum, cum a nobis **69** Lia diligitur, septem annis, id est septem legis præcepta servantes, quæ ad

Introdusă în format electronic de Google

proximi pertinent charitatem : deinde alios septem juxta perfectionem vitæ rursus reinsumimus annos, si quomodo ad illam, quam concupiscimus, ardenter ingrediamur. Hinc namque dicitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati quoque lugentes, quia consolabuntur.* Et, *Beati qui esuriunt ac sitiunt justitiam, quorum est æternæ vitæ saturitas.* Et, *Beati misericordes ac pacifici, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* v, 3, 4, 5, 6, 7). Felices sunt ergo monachi, quorum talia sunt incitamenta virtutum. Quia si vere sunt quod dicuntur, in eorum vita ista virtutum incrementa beatitudines parant regni. Etsi nondum in re, in spe tamen talibus quotidie coronantur. Vellent enim, si fieri posset, sine tolerantia laboris, quæ in agendo faciendoque amplectitur, statim ad pulchræ atque perfectæ sapientiæ delicias pervenire. Sed sane hoc non potest hic, dum vivitur in terra morientium. Et hoc forte videtur significare, quod dictum est ad Jacob, *Non est moris in loco nostro, ut minor prius quam major nubat* (*Gen.* xxix, 26). Quæ ideo recte major appellatur, quia tempore prior est, propter eruditionem divinæ voluntatis ; quamvis illa merito anteceliat, propter aspectum divinæ pulchritudinis. Ista est, inquam, charitas, per Jacob atque Israel duobus nominibus designata : quæ cum fuerit usque ad auroram matutinæ lucis certaminibus fatigata, Israel tantum vocabitur : quia deinceps, ut dixi, Deum facie ad faciem charitas contemplabitur, et in amplexibus perpetuæ lucis jocundabitur sine fine. Has namque tres virtutum mansiones, qui vult in Abrahæ semine benedici, et inter filios computari, primum necesse est ingrediatur, ac deinde ad reliquas quotidie proficiendo castrametetur. Quia sine istis nulla virtutum opera per viam, quæ Christus est, ad patriam nos deducunt. Unde conjicio recte, quod istorum Deus tantum ideo appelletur, ut per eos demonstraret illos, qui secundum interiorem hominem tribus istis virtutibus propagantur cultui divino mancipati, quorum non confunditur Deus vocari. Hos omnes secundum electionis gratiam sibi dedicavit in servos. Nam dicere, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6), **70** quid aliud est quam aperte ostendere, quod horum tantum Deus sit, qui tribus istis virtutibus istorum colliguntur ad meritum ? Et, ut aptius dicam, quid aliud in aliquo comprobatur, nisi hæc tria virtutum mystica dona ? Per quæ profecto divinus sermo a specie transit ad genus, et dicitur Deus Abraham, eorum scilicet, qui cum ipso per fidem justificantur et patres multarum fiunt virtutum ; ut in idipsum, secundum promissionem seminis unum omnes inveniantur. Deus autem Isaac eorum recte accipitur, qui, spe gaudentes tribulationes patiuntur ; quorum vox est cum Apostolo : *Quia confidere nos fecit in cælestibus* (*Ephes.* II, 6). Sane nondum in re, sed in spe plenissime gloriantes, et nullis æternæ vitæ promissionibus infirmantur. Unde et credentes Apostolus divinitus exhortatur : *Si consurrexistis igitur cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in cælis* (*Col.* III, 1). Tales namque spes facit gaudentes nos, et Isaac nomine dedicari : quia in præsenti vita juste pieque viventes, nihil aliud quam beatam desiderantes spem, adventum Domini exspectamus. Quorum quia Deus portio et hæreditas invenitur, Deus Isaac, id est spe gaudentium, merito nuncupatur. Porro quia Deus Jacob potius quam Israel interim ascribitur, designat charitatem illam quæ per dilectionem proximi hic cum fide hactenus operatur, et negotium activæ vitæ in spe peragit : quia dum cum istis vivitur, visione Dei sicuti est hic nullus fruitur. Et ideo interea potius Deus Jacob quam Israel recte appellatur ; ne quod nondum est illis qui adhuc sunt in certamine sine fruitionis gratia nominetenus condonetur. Nec mireris quia dixi tribus istis omnium universitatem electorum velut per speciem designari ; cum alibi Noe ac Job et Daniel, pro universis accipiantur, qui soli sua in extremis justitia liberabuntur. Sua, inquam, quia gratis per fidem justificati, eorum patrum operibus inhærendo, quorum præsignavit nomina, Dei justitiam conservantes, propriam sibi suis meritis acquisierunt. Similiter et in his, ut diximus, Deus eorum accipitur, qui per fidem ac spem et dilectionem, patribus copulantur, et cultui divino serviunt ; quia, sicut liquido constat, nullus sine istis tribus **71** virtutibus Deo appropinquat, neque Deus eorum vocatur ex merito, quorum non sunt istæ virtutum omnium virtutes vitæ operis in negotio. In his igitur jam mansionibus castrametati reliquas Christo duce facilius commeabimus, super istas cæterarum virtutum opera cumulando ; quia nimirum hæc non nisi omnium virtutum perficiuntur operibus ; ut verus Hebræus ad terram, quæ Christus est, quandoque perveniat diu patribus repromissam. Ubi mox ante alios significantius, post eos quos evangelista præmisit, primum occurrit Judas, qui recte *confessio* interpretatur : eo quod postquam tribus istis velut virtutum passibus Christianitatis iter fuerimus ingressi, necesse est ut ad confessionem fidei illico nos paremus : quatenus ante reges et præsides, vel certe cum relaxamur aliquantisper a tentatione, confessionem non minus corde quam ore teneamus ; ne, per infirmitatem carnis, virtutes quas percipimus, subito relinquamus. Quam si omnino Petrus in passione servasset, discrimen negationis non incurreret ; verum, quia Christum confiteri timuit, fidei ac charitatis ardorem in subito prætermisit, et laqueum negationis non evasit. Sed ne in desperationis barathro diutius remaneret, mox ad eum divina respexit clementia, et quod per inconstantiam fidei deliquit, per confessionem postea amarius purgavit. Siquidem confessio gemina esse dicitur, eo quod aliud est confiteri Deum per fidem, et hanc omnino confessionem charitatis ardore ad finem usque vitæ inter universa tormenta constanter retinere ; aliud sane postquam

Introdusă în format electronic de Google

prolabimur, conscientia nos accusante, peccati confessione purgari. Utraque tamen virtus prædicatur : sed illa mirabilis ex virtute martyrii, ista quodammodo laudabilis propter confessionem et remedium peccati. Illa siquidem martyrio coronatur, ista saltem veniam post reatum meretur. De illa quippe dicitur : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo, qui est in cælis* (*Matth.* x, 32). De hac vero, *Quia gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* xv, 7). Nec immerito quod Judas quarto loco ponitur : quia Deus Trinitas tribus præmissis virtutibus, cum sit ubique colendus, quarta videlicet sola confessione hominibus prædicatur. Unde scriptum legimus : *Corde creditur ad justitiam, aure autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10). Et ideo quisquis es, Christiane, si vis tibi tres istas virtutes **72** proficere ad salutem, confessione induere, quatenus contra omnia adversantia victor possis existere. Nam diabolus cunctos expetiit, ut cribraret velut triticum. Tu autem, aut per confessionem thesaurum fidei tibi forte commissum omnino servabis, ut contra vitia tentationis Christianum te proles ; aut certe, post reatum, pœnitendo, sola confessione mundaberis. Alioquin quisquis es, non evades, si harum unam non tenueris. Forsitan ergo Christus de Juda, qui est quartus ab Abraham, idcirco nasci voluit, et tribus prætermissis fratribus, de quo veniret per carnem, hunc elegit, ut mox percepta gratia fidei et spei, ac charitatis, ex nostra Christus confessione nasceretur, moribus eum ac voce veraciter profitendo, quatenus et ipsi in semine, quod est ipse, divinitus cuniti, benedictione fruamur, etiamsi post baptismum labimur. Ergo quia tres inesse motus animi sapientes sæculi dixerunt, necesse est per confessionem, quæ quarto succedit loco, continuo reparemur : ut Christus, qui in nobis concupiscentia, et ira, ac ratione humana perimitur, vera confessione peccati ad pristinum charitatis opus confestim resurgat et innovetur. Ruben quippe, qui effusus ut aqua dicitur, concupiscentia denotatur. Et Simeon iræ vitio ascribitur, quoniam furor ejus pertinax criminosius exprobatur. Porro Levi rationabilem tenet formam, cui etiam servare legem committitur. Sed quia humana ratio contra divinam non prævalet sententiam, necesse est confessione deleatur quidquid tribus istis motibus negligenter contrahitur. De qua igitur confessione per Prophetam pulchre dicitur : *Confessionem et decorem induisti* (*Psal.* cm, 2), videlicet fide ac moribus Christum in omnibus exornando, ne nudi inveniamur ; imo per hanc, quia pulchritudo virtutum et fidei confessio semper in conspectu ejus versantur, coram Domino nos ubique sistentes mundi et immaculati inveniamur. Quisquis igitur Christiano censetur nomine, non tantum glorietur dici quam esse, quia profecto hæc est quadratura virtutum quæ perfectum faciat Christianum, et omni soliditate undique versari firmissimum. Super quam reliquarum fabrica virtutum solidius confirmatur ; eo quod sine istis nulla possit virtus subsistere, neque Christianus aliquis esse. Sed quia in fundamento diu morati sumus, regiam carpentes viam, restat ut ad Phares et Zaram ocius **73** veniamus. Phares namque lingua nostra *divisus* interpretatur ; Zara vero *oriens* sonare videtur. Ille nimirum recte Phares dicitur, quem torrens tribulationis una cum populo peregrinantis de medio dividit Babylonis. Unde propheta clamat, dicens, imo per prophetam Dominus : *Exite, populo meus, de medio Babylonis, exite qui fertis vasa Domini, et pollutum nolite tangere* (*Isa.* LII, 11). Bene enim se diviserat a populo, videlicet a terrenis, qui dicebat : *Nostra autem conversatio in cælis est* (*Philip.* II, 20). Sed et David : *Judica me, Deus*, inquit, *et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Talibus et hujuscemodi incrementis sancti Dei proficientes, ad patriam Paradisi gaudentes ibant, et semper ad id quod in ante est se superextendebant. Unde in Zara matutinam Dei auroram conspicientes, splendebat ubique in eis sol justitiæ, et verus Lucifer in eorum cordibus oriebatur. Porro in Esrom velut in acie constituti, sagittas quibus militia Christiana armatur contra hostem dirigimus. De quibus sagittis profecto dicitur : *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent* (*Psal.* XLIV, 7). Quas denique sagittas filii excussorum, apostolorum scilicet, tenentes, ibant ubique fulgurantes, et omnem altitudinem redigentes in captivitatem. Futurum est ut fiat omnis mundus subditus Deo. Has igitur virtutum sagittas quisque sibi tunc ad cor apponit, cum compunctionem divini Spiritus percipit ; et carbones, qui forcipe tolluntur de altâre Dei, velut desolatorios contra omne frigus peccati devotus admovit. Ac per hoc fit ut ad Aram, qui *electus* vel *excelsus* interpretatur, tandem aliquando perveniamus : quia nimirum qui istis fuerint enutriti virtutibus, hi profecto genus electum, secundum gratiam qua quisque gratificatur, inveniuntur. Felix ergo ille est, quo secundum Dei electionem, meritis intervenientibus, excelsus fuerit appellatus, atque consummatione virtutum in ultima Dei examinatione electus meruerit approbari. Sane talis dum hic in via vivitur, *populus voluntarius*, quod est Aminadab, non inconvenienter vocatur. Quoniam voluntarie semetipsum Deo quotidie sacrificat, et in omnibus mandatis ac justificationibus Domini ultroneus, quæ sunt bonorum operum instrumenta offert, et ea jugiter meditatur. Alioquin Deo **74** acceptum non erit munus operis, si non fuerit sponte dedicatum ex abundantia bonæ voluntatis. Unde in lege donaria offerentes, prorsus ultronei requiruntur, ut ex eo quod quisque habet acceptum fiat, et non ex eo quod in voluntate aliquis non habet. Nihil igitur ditius est bona voluntate. Quæ tunc vere fit devota, si ad futuram semper inspiciat mansionem, et quæ sunt æterna bona indesinenter intendat. Naason autem *augurium forte* interpretatur. Et quid per forte augurium, nisi recta fides, per quam quæ sunt divina contemplantes,

Introdusă în format electronic de Google

promissas rerum humanarum divitias parvi pendimus ? Vilescunt namque omnia quæ sunt in terris, si bene velut augurando illa considerentur, quæ nobis promittuntur in cœlis. Fortassis ergo Joseph tali se gloriabatur augurio eruditum, et ideo fratribus dicebat : *An ignoratis quia non sit similis mei in augurando ?* (*Gen.* XLIV, 15.) Sanctorum quoque augurium, quod est percipiendi fiducia, valde firmius exhibet quod promittit, quam gentilium error, in quo quidquam aliud non est præter dæmonum falsitatis figmentum. Sed quia verus divinorum inspector, contemplando semper inhiat ad superna, quandoque necesse est sensibilem se reddat, et intelligat mandatorum Dei mysteria, quibus Propheta sacramentis imbutus aiebat, dicens : *A mandatis tuis intellexi, propterea audivi omnem viam iniquitatis* (*Psal.* CXVIII, 105). Et Apostolus : *Sentite de Domino in bonitate et in simplicitate cordis* (*Sap.* I, 1). Quid igitur est sentire de Domino in bonitate, nisi quodammodo suaviter percipere, et quodam palato cordis prægustare, quam suavis est Dominus? Talis itaque justus omnem carnis concupiscentiam, si est in nobis, abdicat, et in præsentiarum miserias reficiendo nos confortat ac consolidat. Interea qui sic sentit de Domino, præsentis vitæ angores et oblectamenta sentire non potest, eo quod in ipso sit maxima Domini fortitudo. Pastus enim tali dulcedinis sensu Booz illico, quod sonat, in ipso est *fortitudo Domini*, consolidatus gustu aptissime nuncupatur. Unde nimirum Elias cum percepisset cibum de manu angeli, gustu recreatus, ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Quem montem Christum significare non ambigimus : ad quem fidelis quisque per **75** hæc incrementa virtutum quotidie properat, quandoque perventurus. Sancta igitur viri anima, paululum cum prægustat quam suavis est Dominus, mox, mundi nescia, velut ignis amoribus inardescit, et fit fortis ; ita ut ei non videatur impossibile venire ad quod tendit. Magis autem in bello fortis facta, cuncta quæ occurrerint adversantia transilit ac contemnit. Quod si cœperit quid jam fatigari, continuo Deum ubique præsentem sentiens velut propugnatorem fortissimum, ejus consolidatus brachio non lacescit. Quapropter Domini solatio adjutus, verus Christi athleta, obedientiæ arma semper bajulans Obed efficitur. Siquidem Obed in lingua nostra *serviens* vocatur. Quæ servitus ut sit perpetua, recte non aliunde quam de fortitudine et velocitate timoris Dei generatur. Unde Ruth quoque, de qua hic nascitur, *festinans* est interpretata : ut sit sensus, quod cœlestis vitæ militia talibus enixa parentibus oriatur, et generet Jesse, quod profecto *incensum* dicitur. Incensum scilicet illud, quod infra Sancta sanctorum, ubi Jesus pontifex introivit, super aram in odorem suavissimum Domino mane ac vespere offertur. Quippe quia sic servire, velut incensum boni odoris fragrare est, et igne charitatis Deo in holocaustum feliciter concremari. De hoc quippe sacrificio virtutum in Pentateucho profecto dicitur : *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis* (*Gen.* VIII, 21). Alioquin sacrificiorum carnis adustio magis fetorem generat quam odorem suavitatis Domino. Aut nunquid Deus talibus recte delectari videtur, qualibus nec humanus sensus, etsi ex his interdum nutritus sit, honestius se agens, delectatur ? Non omnino talia sunt cœlestium odoramenta virtutum, quæ secundum Apocalypsis Joannis fidem orationes sunt sanctorum (*Apoc.* V, 8). Unde David aiebat dicens : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2). Quod incensum quia ex multis bonorum operum speciebus conficitur, ideo cum summa devotionis fiducia in conspectu Dei dirigitur : ut ex hac David, qui manu *fortis interpretatur*, quasi virtutum ex merito pronascatur. Verumtamen quia Booz, etsi in ipso est fortitudo accipitur, major hic duntaxat recte æstimatur, qui jam quod in ipso est manu propria agere pertentat, et viribus suis una cum **76** Dei gratia ursorum brachia, et leonum ora valet effringere ; quam ille qui hactenus fortitudinem quæ in ipso est operibus noluit aut non valuit adimplere. Qua igitur fortitudine quisque adversarias dejecerit potestates, satis est ut post victoriam Salomon, id est *pacificus*, habeatur. Quia nullus hic magis quam propter pacem bellare videtur. Et ideo dignum est ut, prostratis vitiis, deinceps et subjectis hostibus, quisque tranquillus ac quietus vivat : quatenus ex eo quod futurus creditur jam esse incipiat. *Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Quid igitur in hac vita felicius est, ubi non nisi jurgia et scandala vigent, quam inter eos qui oderunt pacem esse pacificum? Vel quid difficilius quam inter seditiones et molimina vitiorum, inter fraudes et laqueos inimici, quempiam immunem esse, et quæ pacis sunt jugiter operari ? Hæc siquidem inter octo beatitudines septima est, quæ in futuro plenius repromittitur, cum adoptio filiorum Dei fuerit exhibita, per quam summa sanctorum requies designatur. Nam in Genesi septima dies sanctificatur, in qua Deus requievisse legitur, per quam æterna illa pax, quæ exsuperat omnem sensum, velut ex præsagio futurorum, ab initio Spiritus sancti gratia consecratur. Quod si ab exordio fidei, scilicet ab Abraham, qui ex fide nempe justificatus promissionem primus accepit de Christo, usque ad Salomonem simul omnes connumeres, quindecim colliguntur, quibus ad templum gradibus olim ascendebatur, et sub ipso numero etiam quindecim psalmorum cantica titulis prænotantur. Qui profecto numerus ex septem et octo constat, quatenus eisdem virtutum gradibus nos propter adoptionem filiorum Dei satis pacificos exhibeat, atque operum incrementis ad culmen pacis usque perducat. Septem igitur referimus propter Sabbatum ad legalia vitæ instituta ; octo vero propter resurrectionis gloriam exsequimur, ut quantocius, quæ sit illa cœlestis patriæ pax, plenius degustantes percipere mereamur. Non minimum ergo ille in hac vita conscen-

Introdusă în format electronic de Google

dit, quisquis jam, Domini dispensante gratia, pacificus digne vocatur. Huic sane quid superest, nisi ut aliorum profectu in charitate dilatatus ac fundatus, ubique propagetur? Roboam quippe *latitudo populi* nuncupatur. **77** Quid sit autem latitudo populi, nihil aliud quam charitas invenitur, de qua profecto dicitur: *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII, 96). Et: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Ibid.*, 32). Ille nimirum jure latitudo populi fore creditur, qui dilatato corde viam mandatorum Dei operibus adimplere probatur; quia quod latet, quod patet, totum circumplecti videtur in intimis, dum devote charitatem gerit in moribus. Nullus enim suis excipitur amplexibus: quia omnes in Christo non minus manere quam pervenire desiderat; et castis visceribus Deum propter se, et proximum propter Deum diligere gaudet, et amare contendit. Sequitur autem Abia, qui *pater Dominus* interpretatur. Hic præterea longe jam castrametatur ab Ægypto, quandoquidem per latitudinem charitatis filius Dei jam effectus, fratres in Christo omnes veraciter sinu amoris fovet, veneratur, atque diligit. Hic quippe non ollas carnium jam suspirat, sed hæres Dei, cohæres autem Christi, tantum cœlestia sapit, meditatur, atque intendit. Porro Asa, filius ejus, *attollens* recte nuncupatur. Quia qui ad hoc culmen pervenerit sanctitatis, semper necesse est ad sublimia se attollat et elevet; quatenus per incrementa virtutum de hac valle lacrymarum festinus ascendat. Disposuit enim ascensiones in corde suo. Et ideo celerius adeptus est ut Josaphat dicatur. Josaphat ergo, *ipse judicans*, vel *judicium Dei* sonat. Si enim felix animus quotidie se attollit, ut spiritalis efficiatur, tum ipse judicans jure interpretatur. Quia, sicut ait Apostolus, *spiritalis omnia dijudicat* (*I Cor.* II, 15), et ipse a nemine judicatur. Agit autem secum quotidie Dei pertractans judicium, ne dum omnia examinat, ipse in aliquo reprobus inveniatur. Iste igitur habitans in excelsis, de supernis cuncta considerat, ad excelsa virtutum pervenisse jure lætatur. Et ideo Joram qui sequitur apte *excelsus*, secundum hanc quam gradimur viam, vocatur; ut discat viator hujus itineris, dicere cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Psal.* III, 20). Porro Amasias, *populus elevatus*, et Osias *robustus Domini* sonant; ut simul super eos cohæreat illud propheticum: *Elevare, elevare, Hierusalem, indue fortitudinem brachium Domini* (*Isa.* LI, 9, 17). Qui tum fidelis recte se elevat ad sublimia, cum se induit non sua fortitudine, sed **78** assumit sibi auxilium brachium Domini. Deinde Joathan *profectus* jure accipitur, quia sancti viri animus, dum in hac vita vivitur, indesinenter habet profectus suos, et vadit jugiter de virtute in virtutem, ut apprehendat Deum deorum in Sion. Unde Achaz, qui sequitur, apte *comprehendens* interpretatur. Perfecti viri namque animus meditatur cum Apostolo (*Philip.* III, 12) illud comprehendere in quo jam divina dispensante clementia comprehensus est. Idcirco post profectum operis, ordo succedit virtutum, ut idem apprehendens intelligatur. Sequitur autem Ezechias, *fortis Dominus*; quia hic talis jam non sibi vivit, vivit autem in eo altissima virtus Christi. Et ideo non ipse, sed fortis Dominus in illo felicius quam extollentius enuntiatur, ac per hoc, quia jam non ipse est per efficaciam mentis, qui per carnis substantiam adhuc inter infirma mundi versatur, recte obliviosus huic continuo subnectitur. Manasse ergo in lingua nostra *oblicio* vocatur. Unde et Paulus prædicator egregius, præteritorum obliviscens, ad ea quæ in futurum sunt quantocius se agebat (*Philip.* III, 13); ut in Ammon fidelis inveniretur, et per Josiam salus Domini sibi comes inventa, ipse post finem vitæ cum angelis gloriosus decantaret: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et agno* (*Apoc.* VII, 10). Istis igitur mansionum successibus verus Hebræus noster transactis, restat nunc ut secundum Jechoniam præparet se; non utique ad captivandum, sed hinc ad transmigrandum, quoniam beati qui parati sunt occurrere Christo. Unde alibi legitur: *Et quæ præparatæ erant intraverunt cum eo ad nuptias* (*Matth.* XXV, 10). Hinc quoque voce Redemptoris vigilantibus servis dicitur: *Et vos estote parati.* Per hunc itaque Jechoniam hi recte accipiuntur in quibus est sola Domini præparatio, et ejus interea præstolantur adventum, donec eorum petitio compleatur. Quia Jechonias *præparatus Domini* quolibet ex negotio demonstratur. Ex quo nimirum Salathiel genitus, *petitio mea Deus* interpretatur, eorum designat personam, qui nihil in terra requirunt, sed dicunt utique cum Propheta: *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI, IV). Quorum portio et hæreditas invenitur Deus: et eorum jugis oratio est, ut sit eis Deus omnia in omnibus, **79** ut cum eo quandoque et ipsi unum inveniantur. Cui Zorobabel quoque succedit, et vocatur iste *magister* in lingua nostra; quatenus eorum exhibeat magisterium veritatis, qui sciant refellere inter caligines obscuritatum eorum confusiones qui morantur in Babylone, et peccatorum suorum laqueis involuti adhuc tenentur captivi. Talium enim doctrinæ magisterium in Ecclesia ideo subrogatur, ut de captivitate una cum Jesu pontifice magno, recto itinere prædicent quibusque in Hierusalem, qui fuerant errorum laqueis implicati, et faciant eis intelligere illud quod Abiu sonare videtur. Abiu namque *pater meus iste* interpretatur. Quem tunc recte confiteri probantur, si peccatorum nexibus absoluti, non alium quam unum eumdem quoque Deum qui possedit ac fecit et creavit, adorant, venerantur et colunt. De qua tandem profecti regione tantisper veniamus in Eliachim, qui *Dei resurrectio* vocitatur. Ita sane surgentes, ut deinceps in novitate vitæ ambulemus, et Dei adjuti auxilio, inimicos salutis nostræ vincamus, si quomodo tandem aliquando in Sadoch justificari mereamur ab eo qui justificat impios, et de peccatoribus facit pios. Azur quippe *adjutus*, et Sadoch *justificatus* interpretantur. Quia nemo prius justificatur quam Dei adjutus misericordia, Dei justi-

Introdusă în format electronic de Google

tiæ sit subjectus, ut per eum ejus auxilium invocetur. Interea de Joachim, qui *frater meus* sonat, aliud quid possumus intelligere, quam quod ipse Dominus ait: *Si quis fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est?* (*Matth.* XII, 50.) Unde quotidie in oratione Dominica exoramus ut fiat ejus voluntas in nobis super terram, quemadmodum fit et in angelis super cœlos. Talis igitur voluntas unum nos cum Deo efficit, et supernis consociat atque consolidat veritati. Ubi prudens animus diligenter intendat, quod non qualitates aut actus eorum juxta mortalitatem expressimus, sed per interpretationes tantum eorumdem nomina, spiritalibus spiritalia comparantes, profectus virtutum et veri itineris incrementa monstravimus. Hærent enim sibi omnia bonorum operum instrumenta, et ita inter se connexa sunt universa, ut qui eorum aliquo caruerit omnibus careat. Et ne dicat fastidiosus auditor, quod noluerit evangelista in istis nominibus, ad **80** patriam ire desiderantibus ethicam præmonstrare doctrinam: intendat cur quorumdam in catalogo genealogiæ omissa sint nomina, quorumdam vero taliter annotata, ut et numero satisfacerent, et virtutum incrementis profecto congruerent. Si enim populus ille Hebræorum, per desertum ascendens, juxta mansionum interpretationes, iter conscendisse virtutum a catholicis dicitur doctoribus, quanto magis in his iter vitæ jure accipitur, per quos Christus, secundum promissiones Dei in formam servi ad nos venisse probatur? Et dignum itaque est ut nos per eamdem lineam sanctitatis ad eum fide nitamur, per quam ipse monstrare dignatus est ad nos descendisse. Nempe quia ideo venit Mediator Dei et hominum, ut fieret firmus unus idemque Dei pietatis ac clementiarum descensus, et nostrarum per ipsum quotidie virtutum census. Idcirco moneo lectorem meum, ne dedignetur secundum has interpretationes nominum, iter virtutum ascendere; per quos non dedignatus est auctor vitæ, juxta promissiones olim promissas, ad nos descendere. Cujus a longe descensum sponsa in Canticis prospiciens, aiebat, dicens: *Ecce hic venit saliens super montes, transiliens super colles* (*Cant.* II, 8). Et quid est dicere, *ecce hic venit saliens super montes? Ecce* enim demonstrantis est. Quomodo ergo velut in præsentiarum ostenditur, qui satis a longe venturus Scriptura teste monstratur? Nisi quia in his omnibus, ac si in semine juxta promissum coram positus, cernebatur. Cernebatur autem saliens super montes, aut transiliens colles. Non per campestria quidem, nec per cultivam terram, sed per solitudines, per cacumina montium, per deserta collium iter faciens. Unde nec immerito per hos viam moralem ostendimus illi, qui vult ad patriam diutius repromissam festinus conscendere: per quos et in quibus Christum ambulantem, velut capream hinnulumque cervorum ad nos descendisse gratulamur. Ille enim exsultans et ludens nullas timuit insidias venantium erga montes Bethel, in quibus istos habitasse legimus, nullas muscipulas, nullosque laqueos perhorruit. Ideo per hanc viam super montes Bethel nos ire docuit quodammodo, per quam ad nos illum descendisse Scriptura monstravit. **81** Inoffensum igitur iter est ire ad Deum, si de virtute in virtutem transimus, et aliud quam Deum coram oculis, neque ad dexteram, neque ad sinistram non respicimus. Unde Eliud sequens *Deus meus* interpretatur. Eleazar vero *Deus meus adjutor* sonare videtur. Quoniam eorum Deus tantum esse cognoscitur, et hi soli una cum Dei adjutorio per hanc gradiuntur viam, qui ad hoc proficiunt, ut nihil aliud in terra quam Deum possideant, quem summum et perpetuum donum in cœlestibus habere desiderant. Ex quo recte Matban illico, qui *donum* sonat, subjungitur; ut ad illud unum æternumque avidius tendentes donum, interea vitia supplantemus. Quod profecto sequens Jacob fieri debere insinuat, qui *supplantator* interpretatur. Nam et si supra per Jacob supplantatio vitiorum præmittitur, rursus per hoc unum idemque vocabulum in fine commemoratur; ut usque ad extremum vitæ contra vitia nos certamen habere necessarium existimemus: donec appositi ad Patres nostros virtutibus in Christo augeamur æternis. Quod bene Joseph demonstrat, qui *appositus* sive *auctus* in conclusione interpretari probatur. Quia tunc quisque virtutibus cumulatur, cum fuerit appositus sanctis Patribus et in civitate virtutum perenniter habitaturus introierit. Quod ut fiat, stella maris, sive illuminatrix Maria, inter fluctivagas undas pelagi, fide ac moribus sequenda est, ne mergamur undis diluvii; sed per eam illuminemur, ut Christum natum ex ea pro salute totius mundi credamus. Hæc igitur illa terra est, quæ Patribus in figura et ænigmate repromittitur. Hæc terra, inquam, est, de qua David suspirans canit: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXIX, 19). Hæc terra namque est, quam soli mites inhabitant, de quibus dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V, 4). Per hos sane patriarchas ad nostram salutem Christus veniebat in mundum. Et horum omnium in seipso gerebat officium, et ex horum interpretatione nominum, nostram designabat salutem. Unde prudens investigator diligenter examinet quid de ipsis Patribus, quidve ad ipsos passim Scriptura loquendo nobis insinuet. Et continuo inveniet quod ubique Christus, velut per fenestras aspiciens, prospiciens per cancellos, quantocius sponsæ, videlicet Ecclesiæ suæ, venturum se in carne pronuntiet. Cujus amore necesse **82** est unaquæque anima vitiis exuatur, et e regione ad se venientem respiciat, atque properantis contempletur adventum, ac non videntibus dicat: *Ecce hic venit saliens super montes* (*Cant.* II, 8). Super montes scilicet ut ipsi primum suscipiant pacem; deinde transiliens ad colles, ut etiam hi justitiam, quæ in Christo est, possint suscipere. Quod et tu, si mons fueris, si salit in te sermo Dei, si de virtute in virtutem transcendis, percipies pacem. Sin autem vel secundus a monte, quod est collis, fueris, transilit super te Christus. Ita tamen

Introdusă în format electronic de Google

si tantus es, ut possis justitiam excipere, et virtutum opera, quatenus ad Christum per fidem venias, consummare. Sed quia hucusque Christum post parietem nostrum, inter ænigmata et mysticas obscuritatum figuras Ecclesiæ suæ loquentem audivimus, oportuerat etiam thalamum nuptiarum, in quo Spiritus sanctus omnia charismatum dona paravit, ingredi. Sed quia Faustus velut scorpius in fine hujus genealogiæ sua diffundit venena, obsecramus lectorem ne obducta fronte fastidiat, quod nos rursus repetendo agimus, ne suis errorum laqueis simpliciores quosque involvat. Unde adhuc proponendum est ne quandoque in fine hujus genealogiæ velut serpens nostro insidietur calcaneo. Laborat enim, ne recto tramite fidei possimus ingredi ad Christum longe diu Patribus repromissum. Et cupit evacuare ne de David stirpe ortus credatur. Ait itaque sibimet callidus persuasor, ac si dialogum texens, qui possit simpliciores quosque laqueis irretire. « Quid, *inquit*, Matthæus scripsit? *Liber generationis*, ait, *Jesu Christi filii David, filii Abraham*. Putaveram, inquit, quia esset dicturus, Liber generationum Jesu Christi filii Dei. Nunc autem quia Matthæus hic Dei Filii generationem scribere non se fatetur, sed David, erit mihi interim de Maria natus; ut de Dei Filio tantum animadvertas, quod nulla in hoc textu generationis fit mentio, donec ventum sit ad baptisma. Vos autem, *inquit*, frustra ingeritis Scriptori hanc calumniam, tanquam Dei Filium ille in utero mulieris clauserit. Quod si præsertim consideres propositum hujus evangelistæ, potius vult nos accipere factum aliquando per baptismum apud fluenta Jordanis quam de Maria Virgine procreatum. Illic enim dicit baptizatum eum a Joanne, quem David filium ab exordio designavit, factum aliquando Filium Dei post annos duntaxat, secundum Lucæ fidem, ferme triginta. Ubi vox divina **83** tunc primum ad eum delapsa sonuit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Vides ergo, inquit, id quod natum est ante annos triginta (ut huic videtur) de Maria, non esse ipsum Filium Dei, sed id quod de baptismate postea factum, hominem videlicet novum, quem de gentilitatis errore conversi ad Deum videmur credere; quod nescio tamen utrum satis cum ea fide faciat, quam vos catholicam nominatis. Sic, inquit, Matthæo interim videtur, si sunt ipsius hæc. Quia nec in partu Mariæ dictum legitur illud a Deo, *Filius meus es tu*, et, *Hic est Filius meus dilectus*. » Ecce hic quam insanissime de Christo loquitur et sine sensu, ita ut nullis ad revincendum egeamus Scripturarum testimoniis; cum præsertim Dominum et Salvatorem, non unius auctoris sententia, aut unius libri assertio, sed omnis Novi Testamenti series, evangelistarum videlicet atque apostolorum doctrina, unum eumdemque Filium Dei secundum divinitatem, et filium David secundum carnem, ubique evidenter affirmat. Quod ita probamus ex Evangeliis et apostolicis litteris, ut nemo valeat contradicere, nisi qui ipsis contradicit litteris. Non sicut sibi Faustus proposuit, nescio quem pauca verba dixisse, et contra ejusdem versipellis astutias, nulla postea testimonia protulisse: quod quisque facere cum voluerit, nihil quod respondeat inimicus, ultra remanebit, præter illud quo vim manifestissimæ veritatis in divinis litteris conatur evidentius illudere atque evacuare, ut falsa in Scripturis sanctis immissa respondeat; et quidquid contra se sonuerit, furiosius injecta ubique velit asserere. Sed quia ubique jam, Domini dispensante gratia, veritas Evangelii præeminet, et in omni gente et in omni varietate linguarum, secundum catholicam atque apostolicam fidem, unum omnes libri consonant, considerandum est quam longe a professione beati Matthæi hic aberret, qui solum Christum ab initio Evangelii sui usque in finem eumdemque Dei et hominis commendat filium. Tanto igitur a catholica doctrina dissonat, quanto nobis tacentibus a vero, Scriptura divina monstrante, discrepare ubique probatur. Et ideo qui nosse voluerit quemadmodum Matthæus eum quem dicit filium David narrando usque ad passionem resurrectionemque perducat, ita ut ipsum unum eumdemque usque ad finem continuatim Dei et hominis filium designet, intentus legat, et inveniet hunc sane miserum delirasse, et **84** coram simplicibus vaniloquiorum suorum nebulas aspersisse. Quia beatus evangelista, etsi in principio non dixit: Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Filius Dei, sed simpliciter, sine additamento, de qua natus est Christus; satis tamen datur intelligi quia ipsum voluit declarare, quem Apostolus alibi ex semine David, a mortuis resurrexisse testatur, et ipse continuo de Spiritu sancto conceptum ac natum ex Maria Virgine luce clarius manifestat; cui rei adhibet illico testimonium de Propheta: *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus* (*Isa.* VII, 14). Sed hic beatus Matthæus, imo per eum Spiritus sanctus, non solum hic alio sine additamento, verum etiam sine nomine Jesu, quod ubique jungere consuevit, primum proposuisse cernitur. Quia mox per angelum hoc nomen illi inferendum erat, ut gloriosius paulo post sonaret, et divinitus nomen acciperet, quasi ex præsagio, qui solus substantialiter Salvator prophetatus fuerat a sæculo. Quid igitur majus est, ut hic asseruit, quod factus est Filius Dei per baptismum, quando dictum est: *Hic est Filius meus dilectus*; an quod idem Apostolus divinum adhibuit testimonium ex Propheta, ubi ipse partum Virginis per angelum appellatur *Nobiscum Deus?* Quippe quia etsi de cœlo in baptismo, aut certe in monte sonuit: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 17), non tamen antea Filius Dei non fuit, quandoquidem ex utero Virginis ille accepit formam servi, *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. De quo Paulus apostolus apertissime denique dicit: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Factum autem eum ex muliere, non ex baptismo, sicut hic mentitus est,

Introdusă în format electronic de Google

pene omnis Scriptura Novi Testamenti declarat. Et ideirco, qui beatum Matthæum, sicut hic conatur contraire, velut ipsum hujus Evangelii scriptorem non esse voluerit, restat ut adversus omnem auctoritatem ecclesiasticam contradicat, et contra omnia Scripturarum fluenta divinitus inspirata obluctetur. Quia omnis pagina litterarum hoc consona voce probatur asserere, et universorum fides, omniumque linguarum peritia, non aliud quam Christum Dei et hominis filium, natum de Maria ex semine David, credere et confiteri cognoscitur. Unde quia hic insanus **85** culmen tantæ auctoritatis mentiendo ausus est contraire, jure eliminatus est cum suis omnibus ab Ecclesia, et anathemate condemnatus; ita ut nulla eorum memoria super terram inveniatur, nisi tantum quod suas errorum nænias litteris mandaverunt. Unde ne simplicem quemque, ut dixi, moveat lectorem tenebrarum caligo alias quocunque diffusa, studuimus admodum, prout locus poscebat, versutias doli prudenter annotare : ne per imperitiam tardiores involvat ingenii, et mendaciis obnubilet veritatem. Ait itaque inter cætera adhuc veneni sui fallacia : « Quod nec ipse Christus quem Maria peperit (tamen si ullus fuit) recte David filius appelletur, nisi constet eum omnino ex Joseph semine esse natum. Quod quia, inquit, negatis, illud etiam fatendum est, nec quidem ipse esse David filium. Quia nimirum generatio, quæ ab Abraham usque ad David, et a David usque ad Joseph, deducitur, et per omnes Hebræorum Patres ad eum usque dirigitur, Christi fore continuo denegatur : ex quo quia Jesus conceptus non est, ut legitur, nec filius David utique ut astruitis invenitur. Nam nec Virginis ipsius origo ex hac tribu fuisse monstratur, unde David constat exstitisse : sed ex tribu Levi, de qua sacerdotes omnino fuere. Quod quidem palam est, eo quod eadem patrem habuerit sacerdotem quemdam nomine Joachim. Quomodo ergo ad hanc Davidicæ cognationis prosapiam Maria pertinere dicitur, in qua eam nec patrem habere videas nec maritum? » Jure itaque nescio ex quo apocrypho libro hic sibi falsitatis magister auctoritatem vindicat, qui veritatem Evangelii reluctando contradicit. Sed quia de hoc jam, ut diximus, quantum ad fidem possit sufficere, locuti sumus : strictius tamen modo agendum est, quatenus hinc magis pateat veritas, et ne lectori fastidium generemus. Præsertim cum hæc Manichæorum controversia ita omnium sanctorum Patrum sit æterno anathemate præfocata, et somno silentii consopita, ut in perpetuum nusquam credatur resurgere, neque deinceps in aliquo jam ulterius pullulare. Neque enim Joseph, quia concubitu non permistus, ideo fuit non maritus, cum ipse sanctus evangelista mox narret ab angelo Mariam conjugem ipsius appellatam; qui narrat etiam non de ipsius concubitu, sed de Spiritu sancto eam concepisse. Quod si non Matthæus ista vera, sed nescio quis alius, sub ejus nomine, sicut putatum est, falsa conscriberet, itane sibi etiam ipse in rebus apertissimis et de proximo contextis **86** contraria loqueretur, ut quem diceret David filium, de Maria Virgine sine cujusque viri concubitu generatum, ejusdem parentes gradatim numerans usque ad eum sine ratione perduceret, quem non commistum Mariæ ipse dixisset? Nunc autem nec adeo desipimus, ut talia de Matthæo penitus suspicemur, nec adeo ut hæc alterius quam Matthæi credamus. Unde Joseph maritus Mariæ recte dicitur, habens eam conjugem continenter, non concubitu, sed affectu; non commistione corporum, sed copulatione, quod est carius, animorum. Et ideo constanter destruimus, omnino non debuisse virum Virginis separari a serie parentum Christi, ut per eum, secundum quod supra diximus, origo Mariæ monstraretur. Ac per hoc, quia ex lege cogebatur eam accipere ut propinquam, constat magis eam de stirpe David venire, ex cujus origine Joseph descendisse nemo est qui ambigat. Talibus ergo, et aliis quamplurimis declaratur indiciis, Mariam aliquam ex David carnis propaginem sanguinis duxisse, ut caro Christi etiam ex Virgine procreata, sine dubio originem de semine David duxisse pariter probaretur. Quid igitur contrarium videtur fidei, cum unus idemque narrator utrumque dicat, utrumque commendet, et virum Mariæ Joseph, et Virginem Christi matrem, et Christum ex semine David, et Joseph in serie propagatorem Christi ex David origine? Nunquid non magis convenit credere Evangelio quam hæreticorum fabulis? Unde nos, quia Scripturis sanctis credimus quæ utrumque dicunt, et Christum ex semine David secundum carnem, et ejus matrem Mariam, non concumbendo, sed virginem, profecto etiam non minus colligimus exempla divinarum Scripturarum, quibus evidentius possit astrui quod ubique fides universalis Ecclesiæ confitetur et credit. Hoc enim prophetarum oracula concinunt, hoc Vetus Testamentum multis figurarum testatur ænigmatibus, hoc omnium apostolorum doctrina confirmat, hoc sane etiam angelorum voces enuntiant, hoc omnia elementa testantur, hoc quatuor isti evangelistæ ubique Spiritu sancto repleti prædicant. Inter quorum prædicamenta virtutum, etiam quamplurimi de plebe ita sensisse narrantur. Quia tunc temporis omnibus manifestum erat scire Mariam de David origine descendisse. Quod autem hic asseruit, eam patrem **87** habuisse ex tribu Levi sacerdotem quemdam nomine Joachim, nec nos recipimus, quia canonicum non est, nec nos potest movere, eo quod apud catholicam disciplinam illa scriptura nullum habeat pondus auctoritatis. Sed etiam si hoc crederemus, ipsum potius Joachim diceremus aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, et aliquo modo ex tribu Juda, in tribu Levi adoptatum vel ipsum, vel ejus aliquem progenitorem fuisse; vel certe in tribu Levi ita natum, ut de stirpe David aliquam consanguinitatem duceret, sic fieri potuisse, ut idem sycophanta fatetur, Mariam de tribu Levi fuisse, quam tamen constat viro traditam, qui fuerit

Introdusă în format electronic de Google

de stirpe David, id est, de tribu Juda, et dicimus vel ita potuisse accipi, Christum filium David fuisse. Nam etsi mater illius Joachim, quem patrem Mariæ commemorat de tribu Juda et genere David, nupsit in tribu Levi, non immerito Joachim et Maria et filius Mariæ etiam sic ex David semine veraciter perhibentur. Hoc ergo potius, vel tale aliquid credendum erat, si illius apocryphæ scripturæ auctoritate, ubi Joachim pater Mariæ legitur, coaretaremur, quam mentiri Evangelium, in quo scriptum est Jesum Christum Salvatorem nostrum secundum carnem ex semine David procreatum. Ex quo profecto liquet quia falsitas veritatem non quærit in testimonium. Imo dubia aut certe sibi mendosa ad muniendum errorem quærit; quia veritate præsente falsitas illico superatur. Alioquin, nisi veritatem subterfugiat, locum mentiendi habere non potest. Et ideo Faustus, cum esset deceptus ab eo qui in veritate non stat, lucem veritatis ferre non valens finxit sibi veritatis Evangelium, ac si falsum esset et apocryphum illud, velut verum, sibi ascivit in testimonium; ut ubique dubius ex dubio firmaretur in dubietatem, et ex mendacio mendosus velut de pœna peccati in mendacio gravius plecteretur. Nulla enim societas lucis ad tenebras, et ideo semper cæcitas dum magis suis in tenebris involvitur, lucem non valet conspicere veritatis. Nimirum, quia si eam conspiceret ut est, jam utique cæcitas non esset. Quia etsi pervicacia mentis quasi ignara conscientia sæpe contra veritatem obluctatur, est tamen testis sibi, quod ad lucem foras venire detrectat qui intus in se falsitatis tenebras portat. Nam ipsa sua luce magis cæcatur quisque, dum et **88** veritatem non ignorat, et tamen falsitatis umbra mentiendo fallere quempiam non formidat. Hinc igitur est, quod Faustus, et pene omnis hæreticorum schola, conati sunt, non solum evangelistas, verumetiam apostolos, et omnium catholicorum magistros violare ac corrumpere. Dissipaverunt itaque Evangelia, corruperunt apostolorum Epistolas, quas non Christi, sed suas proprias esse fecerunt. Quia quidquid contrarium in eis suo dogmati sonuerat, penitus erasерunt. Ac deinde fortius corrumpentes, ausi sunt dicere: Hæc pars Evangelii Matthæi, aut Lucæ est, aut alterius evangelistarum; hæc vero neque ipsius, neque catholica est. Et fecerunt sibi omnia dubia, ut ad scientiam veritatis nusquam attingerent. Unde patet quia non fuerunt illustrati sancto Spiritu, neque illuminati; idcirco extra remanserunt, infra suas tenebras oberrantes. At vero sancta Dei Ecclesia ab initio quia Spiritum Dei percepit, nullis unquam movetur erroribus, nullis decipitur fraudibus, nullis privatur promissis. Veritas quippe veritatem repromittendo credita est, et ideo nullis offuscatur erratibus. Ait enim: *Ego mittam Spiritum paracletum, Spiritum veritatis, et ipse docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Nihil igitur extra omnem veritatem est nisi sola falsitas; et ideo præter Spiritum sanctum, nullum recipimus jam ultra doctorem alium, nullum admittimus mendacium, nulla seducimur falsitate; sed credimus et confitemur hoc quod credit universalis Ecclesia, quæ se lætatur ubique in omnem veritatem venisse, et tramitem fidei puritatis indeflexe ad finem usque servare. Sufficiebat ergo nobis quod Scripturæ, quæ dicunt Christum ex semine David fuisse, et quibus credimus, nulla possunt unquam ab inimicis falsitate convinci, etsi minus potuissemus id quod dicimus expressius in eisdem litteris significatum ostendere. Nunc autem, quia ipsa Scriptura divina per se ubique Christum testatur ex David semine fore natum, et in eisdem litteris locutionum indiciis deprehendimus evidentius id expressum, teneamus clarissimo eumdem atque fortissimo documento designatum, quem legimus ubique in Veteri Testamento, sicut, venit ex Virgine, et quando venit ex tempore, et ubi venit in tempore, firmissime repromissum. Non quidem, ut iste calumniatur, utero mulieris inclusus, quasi extra non fuerit quem cœli ac terra **89** non capiunt, sed quod in se manens, et apud Patrem regnans, et universam creaturam regens, pertingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter. In cujus dispositione mirabile fuit, quod matrem sibi in terra creavit, per quam et de qua formam servi acciperet, ut servos per eam liberaret, atque devicta morte nos redimeret. Sed quia longius ab expositoris officio, flante Spiritus aura, prosiluimus in conclusione hujus libri, quasi in media domus janua, sequentem versum itatenus hinc inde respicientem vivimus.

Christi autem generatio sic erat. Ac si diceret, generatio per quam Christus venire dignatus est, sic erat ut per Joseph ex David stirpe carnem duxisse monstraretur, et ipsa non per eumdem Joseph, sed de Spiritu sancto Christum concepisse credatur. Quid igitur pertinet ad Christum generatio ex David deducta, si per Joseph origo Mariæ non creditur descendisse? Quod volens evangelista manifestius exprimere, *Christi*, ait, *generatio sic erat*. Sic erat, inquam, ut ex Joseph origo Mariæ claresceret, et Christus non ex ejus semine, sed ex virgine, sicut promissum fuerat, de Spiritu sancto conceptus utique nasceretur. Nascitur autem Deus et homo. Idcirco sermo generationis ad utramque refertur naturam, ut per eam partem qua generationis ordo in carne describitur, homo fuisse monstretur: per eam vero qua de Spiritu sancto ex virgine concipitur, Deus manifestissime declaretur. Et notandum quod non sicut Faustus astruit, per regenerationem Spiritus sancti in baptismo factus est Filius Dei: sed jam quando concipitur, totus idemque est qui de Spiritu sancto generatur. Et ideo non in baptismo fit, verum ex utero Virginis nascitur Verbum, caro factum. Et per hoc quod Verbum est, eum Dei Filium ante sæcula de Patre natum credimus: per hoc vero quia caro factum est, natum ex Virgine hodie in tempore plenissime confitemur. Christi enim nomen solum, sine additamento *Jesu*, ut diximus, hic posuisse creditur,

Introdusă în format electronic de Google

ut eum intelligeres, de quo Propheta dixerat, *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV, 9); et nomen Jesu, quod substantialiter illi inerat, angelo dicendum reservaret : ut qui de Spiritu sancto paulo post conceptum eum dicturus erat, ipse divinitus consubstantiale nomen ejus, velut proprium, et salvationis officio, sicut erat in **90** prophetis repromissum omnibus scire cupientibus sublimius declararet. Porro interdum evangelista, imo per eum Spiritus sanctus, qui eum conduxerat in omnem veritatem, velut hinc inde ad demonstrandum intus, *Christi*, ait, *generatio sic erat*. Sic erat, inquam, ut præscripta est; sic utique ut continuo litteris commendata, sicut postea signis et prodigiis manifestius ostensa. *Christi autem generatio sic erat*. Et ideo qui vult intelligere, si eam credat, ut præscribitur, ut signatur. Alioquin Isaias fatetur dicens : *Si non credideritis, non intelligetis*. Utique quod Virgo concipiet et pariet filium; hoc sane non intelligetis, neque in eo, hoc est in Christo, ut alii codices habent, permanebitis. Quia omnino eum Emmanuel, quod est *nobiscum Deus*, minime vocare valebitis. Unde quia primum credendum est, si volumus intelligere divina verba quæ dicuntur, modis omnibus non pensemus humana. Deponendus namque est sensus humanus, ubi totum quod dicitur est divinum. Quia quod nascitur Deus ex Virgine, non est consuetudo, sed mysterium; non est natura, sed virtus, sed dignatio; non est ordo, sed potestas. Nam mundana sapientia hic quid capiet, et intelligentia carnis quid requiret, ubi totum est divinum atque ineffabile quod narratur? *Christi*, inquit, *generatio sic erat*. Itaque ut altius dicamus, non dixit, sic facta est, sed sic erat, quia Christi generatio erat apud Patrem, quando per hanc præscriptam genealogiam generabatur ex matre. Quod autem erat, utique semper erat. Semper ergo erat, qui *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Ac per hoc nisi credideris primum quod Christi generatio sic erat, omnino nequibis intelligere quia divinum est, et ideo verbis non possumus explicare. Si ergo in terris erat, quia dignatus est, ut audivimus : sic et in cœlo, quod nusquam nisi per ipsum cognovimus. Unde quia de hac in terra multum scire Domini dispensante gratia, meruimus, si quid est quod lateat, toto mentis affectu credamus, quia Christi generatio sic erat ut evangelista testatur : ab Abraham quippe incipiens, et per David ad Christum usque descendens. Incipiens sane a fide, fidem quoque in fine commendans, ut per fidem suos quosque auditores ad contemplandam suam speciem claritatis ejus quandoque perducat. Unde et nos reparatis in Christo sensibus, **91** post hanc seriem lectionis prolixius enodatam, paululum quiescamus; quatenus rursus in principio alterius libri tantisper acutius ex luminis ejus visu reanimati, arcana generationis ejus jam in utero, angelo prædicante, sublimius atque intentius cernere contuendo valeamus.

PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

Quia rerum gestarum figuras et omnium prophetarum præsagia in manibus nunc habemus, quibus olim Christus in carne venturus figuratur, satis admodum devotione mentis invocandus est Spiritus sanctus, qui nobis Salvatorem per os omnium prophetarum quandoque promittebat venturum. Invocandus utique ut ipse aperiat oculos cordis nostri, ne præsentem eum, propter velamen carnis minus capaces, non satis intelligamus, quem a longe ipsi conspicuis cernebant oculis, et velut coram positi quasi digito designabant, quem futurum vere ac fideliter noverant. Hinc est sane quod ubique, Ecce advenit, dicunt. Quid enim est aliud tam frequenter ecce advenit dicere, velut coram exhibendo quod nondum erat, nisi visibilem omnibus repromittere, quem ipsi Deum præsentem ubique cernebant? Cernebant autem eum in Spiritu; et ideo quem sine tempore videbant, cui sunt præterita futurave præsentia, licet complendum esset, præsentem insinuabant. Ipse est enim, sicut Propheta ait, *conspector omnium sæculorum* (*Eccli.* XXXVI, 19). Unde et ipsi super se rapti in Spiritu præsentaliter intuebantur quidquid eis futurum Spiritus divinus insinuabat. Nam æternitas quia cunctam excedit tempus, simul profecto omnia quæ fiunt in tempore comprehendit. Unde nimirum sapientes sæculi æternitatem etiam nobis volentes ostendere, dixerunt : Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio; quod ex collatione temporalium clarius illucescit. Ad quam sane æternitatem prophetæ in Spiritu extra se, et extra omne quod corporeum infra tempus est, transvecti, cernebant præsens illud, quod ante tempus jam in illo erat. Illuc namque semper præsens simul interminabilis rerum possessio, ac negotiorum pariter plenitudo, seu causarum summa consistit. Quo quia omnis hæreticorum ignavia non valuit attingere **92** ut inspiceret, cæcitatis caligine circumfusi, neque præsentem eum in utero Virginis, ut decuit, neque ab exordio cuncta creantem de Patre genitum, ut oportuit cognoverunt. Unde summopere flagitandum est ut mens nostra Spiritus sancti gratia illustretur, quatenus divina ipsius inspiratione possimus interdum juxta quod rei veritas est intelligere : interdum autem ubi superexcellit nostram intelligentiam, sic nos divinis submittere, ut quandoque per humilitatis devotionem ad summæ intelligentiæ cacumen, Domini dispensante gratia, erigamur. Tunc quippe illic ratio videbit rectissime cœlitus illustrata quod ex se primum non poterat intueri. Quippe in rebus humani,

Introdusă în format electronic de Google

omne quod scitur, non ex sua, sed ex comprehendentium natura cognoscitur. Quod si minus humana ratio id de quo agitur fuerit ad dignoscendum idonea, erit tamen illud quodcunque ut est in subsistendo. Nos vero aut certe simplicitate purgabimur ignorantiæ, aut temeritate diludimur falsitatis. Propter quod divinam si cui placet majestatis intelligere veritatem, et humanitatis filii de matre sine patre cognoscere puritatem, non ex se tantum, sed divino irradiatus Spiritu, inde aliquid ut est, cognoscendo dicat; quia nisi illuminatus de Deo ut oportet quisque nihil omnino sapit. Hinc est namque quod pravi homines, necdum illustrati, dum ex se sibi Deum conantur fingere, non solum ignorantia obvolvuntur, verum etiam fidem simplicem quam habere poterant errando amittunt. Et ideo medullitus cordis, Trinitas Deus noster, tuam invoco enixius obsecrando majestatem, ut sancti Evangelii hujus mysteria, quibuslibet ad profectum, eodem Spiritu quo sunt divinitus irrorata sanctorum Patrum per omnia vestigia sequendo, valeam liquidius explanare. Imploro namque propitius sensus meos regas, ne oberrem a veritatis tramite de me quippiam præsumendo; sed tua suffultus gratia, quidquid in eo narrandum est, totum ex te sentiam : et quod minus est quia necdum capio, Spiritui sancto duntaxa alteri reserandum commodius derelinquam, dum modis omnibus ex pia devotione temeritatis audaciam ne incurram. Tribue, quæso, benignissime Rector, dispensante gratia, quod necdum intelligere queo, saltem fide integra capiam : et quidquid eisdem litteris enuntiatur, totum credendo teneam; neque vita aut moribus veritatis **93** intelligentiæ contradicam. Quia nimirum magnum est nobis præstitum divini suffragii sacramentum per fidem interea ambulantibus, si ab ea peccati caligine non depravamur. Scio igitur, sanctissime Creator, quod nemo te, qui recte sapit, totum intra intelligendi sententiam claudit, neque extra sentiendi intelligentiam manere definit. Et ideo interdum sola, quæ fidei sunt, ratione comprehendi posse omnia non præsumo. Imo veritatis viam instanter sequendo, deposco, ne contra fidem unquam de fide sine fide sentiam. Propter quod maximi viri quam sæpe corruisse probantur. Quippe quia quidquid ab intellectu Spiritus sancti discrepat, quod prolata sunt quæ in Scripturis sanctis leguntur, ignorantiæ, imo errori potius ascribitur quam virtuti. Unde quia pertinaces fuerunt suum sequentes arbitrium, contra divinum Spiritum oblatrantes, veram ejus intelligentiam percipere non potuerunt.

LIBER SECUNDUS.

Cum esset, inquit, *desponsata mater Jesu Maria Joseph.* Ubi primum recte quæritur quid sit quod Isaias simplicem tantum virginem repromittat dicens (*Isa.* VII, 14) : *Ecce virgo concipiet et pariet filium*, beatus vero evangelista desponsatam eam nominat, quam etiam pari assensu virginem confitetur. Nequaquam autem vacat ab officio divinæ dispensationis quod Sapientia, quæ a fine usque ad finem pertingit, et suaviter cuncta disponit, maluit de desponsata nasci quam de simplice virgine. Nisi forte fatendum quod Isaias hoc prædixerit nondum credentibus, ex vocabulo quod fieret omnibus in miraculum : evangelista vero, rei veritatem aperiens, insinuat quod est etiam et nobis in mysterium. Quia quamvis Evangelium non sit jam umbra, sed veritas, propter mystica tamen doctrinarum eloquia non apices, non litteræ, non syllabæ, non verbum, non nomina, non persona in eo divinis vacua sunt figuris. Hinc est nimirum rei negotium, quod hic sponsa quæritur, ut per eam omnino jam tunc futura Christi universalis Ecclesia signetur ad desponsandum, et colligatur genus in specie, juxta illud quod Osea **94** propheta fatetur dicens : *Sponsabo te mihi misericordia et miserationibus, et desponsabo te mihi in fide* (*Ose.* II, 19, 20). Quid enim aliud est dicere, *Desponsabo te mihi in fide*, nisi monstrare quod Maria per fidem de Spiritu sancto Christum conceperit? Ubi nimirum universalis Ecclesia præsignatur tandem de Spiritu sancto replenda, per quem in cordibus credentium et ipsa Christum quotidie non solum parit, quia mater et virgo est, etiam sponsa in omnibus appellatur. Hinc Joannes ait : *Qui habet sponsam sponsus est* (*Joan.* III, 29). Et beatus Paulus : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2). Vere sponsa, quæ virginali partu novam Christi gignit infantiam. Unde hic, ut diximus, præparatur jam in specie mater sponsa, ut postmodum per hanc carnis unitionem Ecclesia in genere congregetur. Quippe quia tota per hoc quod Verbum caro factum est, velut membra, colligitur in corpore, et unita Christo per gratiam jam tum sponsa Christo paratur in thalamum. Hanc igitur volens beatus evangelista electionis gratiam præsignari in Maria, primum commendat sponsam, quam virginem per omnia postea confitetur, et totum ut, dixi, simul præfigit in specie, quod faciendum adhuc erat in genere. Nam et ideo de sponsa jure, quam de simplici virgine nasci voluit, ne per feminam, contra Scripturarum consuetudinem, sed per virum, ut mos erat, Christi genealogia texeretur. Inducitur namque et alia probabilis causa, ne lapidaretur a Judæis ut adultera. Quis enim illo tempore virginem credidisset de Spiritu sancto concepisse, ac non magis velut adulteram condemnasset? Et ne forte dicat aliquis quod aliis ex causis divinitas Christi poterat subvenire, ne viro

Introdusă în format electronic de Google

esset indigna : sciat profecto quia consilium Dei, quod sæculis ac generationibus ignotum fuit, medendi officio, carne tegebatur. Et ideo interea necesse fuit ut ex infirmitate parentum cunabula tegerentur : ita duntaxat ut aliis virtutum indiciis paulatim Deus in homine latens credentibus panderetur. Alioquin novum non esset, nisi contra naturam, imo ultra naturam virgo Deum et hominem sine coitu genuisset. Assumitur namque Joseph sponsus adhuc alia ex causa velut testis idoneus; non solum ut eam servaret illæsam, virginitatis pudore servato a suspicionis infamia : verum etiam ne virginibus velamen excusationis fieret, quod mater Domini criminibus fuerit infamata. **95** Hinc est *quod* testis eligitur castitatis, et adhibetur velut maritus qui possit cuncta virginitatis refellere opprobria, et celando protegere puerperium, etiamsi non agnosceret sacramentum. Quia præmium conjugii partus est feminarum. Unde nulli datus est locus mentiendi ex eo, quia virginitas desponsata criminari non potuit se obumbrasse mendacio, dum testis assumitur castitatis, et super eum eloquia concinunt prophetarum, ubi angelorum discurrunt officia, et confirmant Deum natum in puero eorum præconia. Dum, stella duce, hoc ipsum testantur magorum munera, et pastorum, ut prædictum fuerat, confirmant præcordia. Talibus igitur et aliis hujuscemodi causis provisum est divino consilio, ut de desponsata patris sapientia nasceretur; in qua sibi, sicut per Salomonem testatur : *Domum ædificavit, et scidit columnas septem* (*Prov.* IX, 1). Quibus sane columnis omnis domus quam sibi ædificavit, videlicet sancta Dei Ecclesia, toto orbe terrarum sustentatur, fulcitur ac regitur. Et notandum quod idem qui de Spiritu sancto concipitur, ipse sibi domum primum ædificat, et scidit columnas septem, dona scilicet sancti Spiritus ex quo concipitur, per quem in se credentes confirmat ac roborat, et perpetuos facit. Quod nequaquam omnino faceret, nisi ejusdem esset potestatis cum Patre et cum Spiritu sancto, qui concipitur. Et ideo sibi ipse columnas scidisse recte dicitur, dum eadem potestate cum Patre manens æternus, dedicavit Mariam et per eam sibi univit Ecclesiam, cui septem principalia dona Spiritus sancti divisit. Alioquin eam non solum exemplo Suzannæ ad mortem velut adulteram condemnassent; verum etiam Christum quasi de stupro natum jure se occidisse mentirentur. Hinc namque est quod interim Joseph pene ab omnibus pater credebatur; in tantum ut evangelistæ opinionem vulgi sequentes, juxta legem historiæ eum patrem expresserint Salvatoris. Sed et in Ægyptum fugiens solatium præstitit ut nutritius, ne Virgo viribus destituta rerum molestiis frangeretur. Occultatur autem et per hoc diabolo, velut quidam aiunt, partus virginis, dum videt sponsum devotionis affectu sub castitate servire conjugio : quia fortassis nequivit satis dignoscere utrum sine semine, an simpliciter de Virgine sit natus. Unde sequens evangelista adjungit dicens :

Antequam convenirent inventa est **96** *in utero habens de Spiritu sancto.* Inde itaque est quod concipitur, quod generatur. Et non dicit, *antequam convenirent*, sic quasi post partum continuo eos convenisse velit intelligi, sicut quemdam desipuisse dolemus; sed simpliciter volens proximum tempus nuptiarum ostendere, designat priusquam convenirent, rem conveniendi effectum jam in utero sine coitu habuisse; ut quæ prius sponsa fuerat, sine viri opere uxor esse inciperet. Quasi dixerit : Antequam oscula amplexusque miscerent, antequam rem agerent nuptiarum, inventa est magis quam res naturæ in utero, quia de Spiritu sancto est quod nascitur, et Filius Altissimi juxta angeli testimonium vocatur. Non enim intellexit miser, de quo dixi, virorum insipientissimus, quod modus iste locutionis frequenter fiat, non solum in Scripturis sacris, verum et in sæcularibus. Velut dicamus : Matthæus antequam obisset nusquam aberravit a veritate : et alius nescio quilibet, antequam pœnitentiam egisset, morte præventus est. Nec ideo recte consequens videtur quod aut hic post mortem erraverit a veritate, qui tunc omnem veritatem est ingressus; aut ille postquam obiit pœnitentiam egerit, quam ante non gesserat. Unde plane non est consequens ut Maria post partum miscuerit se, quod ante conceptionem constat penitus non fecisse. Quod si hujusmodi locutio ita consequens esset, multa Scripturarum testimonia in contrarium venirent. Unde nos tali eloquio recte prænoniti, dicamus, quod ante fidelem quemque oporteat mori, quam credere post partum Mariæ quempiam miscuisse. Et si ingruerit hinc persecutio, ante mortem non est fatendum quod post mortem impossibile erit cuipiam confiteri. Non enim intellexerat hic pistillo retusior, callidus disputator, quod de hac specialiter dictum sit in Canticis, quamvis generaliter de Ecclesia significatum intelligamus. Nimirum quia, quidquid in ea speciali narratur affamine, totum expressius monstratum signatur in genere. Ait enim Sponsus ita : *Hortus conclusus, soror mea; hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* IV, 12). Itaque *hortus conclusus*, quia uterus Virginis modis omnibus integer atque incorruptus fuit. Hortus autem ideo est appellatus, quia universæ deliciæ paradisi in eo efloruerunt, et signatus est venter pudoris, ubi fons emicuit nostræ redemptionis. Signatus, inquam, quia incontaminatus atque incorruptus exstitit **97** sanguis, ex quo manavit unda liquoris. Ergo quia signatus fuit sigillo pudoris, inventa est a sponso habens in utero, non aliunde quam de Spiritu sancto, ut idem investigator mysterii, etiam testis fieret castitatis. Habens, inquit, in utero, non aliunde accipiens, si quomodo expleretur illud Jeremiæ vaticinium : *Ecce faciet Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI, 22). Circumdabit autem, non aliunde quam ex se gignen-

Introdusă în format electronic de Google

do : ut sit novum et sæculis inauditum, quod Virgo conceperit, et demum manserit incorrupta. Alioquin novum non esset nisi contra naturam, imo ultra naturam, Virgo Deum et hominem sine coitu genuisset. Et notandum, quam hic mulierem appellat Isaias, ut mirabilius illud enuntiaret, Virginem designavit. Ille siquidem *mulierem*, ut sexum monstraret : et ostendit et præmisit, *novum*, ut Virginem explanaret. Iste vero, ut incredulos mulceret ad fidem, manifestius parituram pro miraculo Virginem præsignavit. Interea, sicut diximus, a Joseph *inventa est habens de Spiritu sancto*. Non absurde quæritur cur postea velut dubius cogitando secum deliberet eam dimittere. Quo profecto patet quia inventa est ab eo habens in utero; sed utrum de Spiritu sancto, aut alio quolibet ex facto, penitus ignorabat. Sciebat namque se virginem accepisse, et servasse intactam, de qua tamen dubius elegit aliquod medium, per quod effugeret ne videretur celare quod ignorabat, et ne traderet velut ream ad pœnam, quam procul dubio inculpabilem noverat. Illud vero quod additum est : *Habens de Spiritu sancto*, Matthæus ardenti probatur amore, præveniendo addidisse, antequam angelus id exponeret, maxime ne lectoris animum mox subriperet suspicio, quæ postea dictis angelicis purganda esset. Joseph autem, quamvis nosset eam habere non de carnali concubitu, tamen ignorabat quod esset de Spiritu sancto : et ideo dubius inter utrumque, mediam, ut dixi, subterfugiendi elegit viam, ut occulto dimitteret eam; quia unde vel quid esset in ea, profecto hactenus nesciebat. Quod autem de Spiritu sancto, vel sicut in Græco est, ex Spiritu sancto, dicitur inventa, sciendum, quod quidquid ex altero est, aut ex substantia ejus est, aut ex potestate. Ex potestate quidem de Deo, ut est *ex quo omnia*; ex substantia vero, idem Spiritus ex Patre Filioque procedit. Et ideo hic potius ex potestate, quam ex substantia **98** accipiendum est; nec incarnatus intelligatur Spiritus, etsi unius substantiæ sint Filius et Spiritus sanctus.

Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere. Virum autem hic, sicut et in aliis quibuslibet locis, non aliud quam sponsum, secundum consuetudinem divinarum Scripturarum accipere debemus, sicut nec uxorem aliud quam sponsam intelligimus. Consuetudo namque est Scripturarum sanctarum sponsos viros dicere, et sponsas uxorum nomine nuncupari. Unde pauca de plurimis ex Deuteronomio sumenda sunt testimonia, ut pateat quod dicimus : *Si quis* inquit, *invenerit virginem desponsatam viro in campo, et vim faciens dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliavit uxorem proximi sui* (*Deut.* XXII, 23). Et in alio loco : *Quis est homo cui desponsata est uxor et nondum accepit eam? vadat et revertatur in domum suam ne forte moriatur in bello, et alius accipiat eam* (*Deut.* XX, 7). Nec non et alibi : *Si autem fuerit adolescentula sponsata viro, et invenerit eam homo, humiliaveritque eam, ambo moriantur. Adolescentula quidem, quia non clamavit, vir autem, quia humiliavit uxorem proximi sui* (*Deut.* XXII, 23). Ex his ergo et aliis Scripturarum locis, manifestum est sponsos viros appellari. Et ideo hic recte virum eum accipimus, maxime cum in eo affectus servator amoris, quod est verum conjugium, et in ea fructus sine coitu inventus est nuptiarum. Jam ultra in negotio quid obsistat ne vir Joseph, et Maria uxor recte dicatur, omnino non video; nisi quod sola libido intervenire non potuit, ubi ad informandam vitam perpetuam virginitas servabatur. Sed quid sit quod Joseph recte justus dicatur, qui non modo castitatis non accenditur zelo, verum nec causam exquirit, pudoris utique Mariæ est testimonium, quam innocentem noverat, ut eam servando justus valeat appellari. Verumtamen pio magis videtur congruere, quam justo, ne velit prægnantem tradere homicidio. Sed quamlibet tunc divino judicio vera est virtus, quando neque pietas sine justitia, neque sine pietate justitia invenitur. Quæ profecto si separatæ fuerint ab invicem, dilabuntur; ita ut justitia sine pietate crudelitas appelletur. Et ideo recte justus quisque quia pius. Sed sanctus evangelista justum eum magis commendat; ut ex hoc Mariæ castitatis testimonium esset. Cæterum pium eum demonstrat, dum dicit quod noluerit eam traducere. Quod verbum traducere videtur ad utramque partem posse referri, **99** videlicet quod distulerit quam sponsam acceperat ducere in conjugium : et quod eam traducere nollet ad pœnam, in qua noverat non esse traditionis infamiam. Sed hoc traditionis verbum ad reatum magis, quam ad aliam quamlibet significandam causam, sæpius in Scripturis positum invenitur. Unde, quia de radice peccati originalis non conceperat, justum fuit ne eam ipse traduceret, quia castitatis ejus conscius erat, propter cujus justitiam et ipse justus merito appellatur. Ex timore quidem inventus est pius; sed ex conscientia quam habebat castitatis, quia noluit eam traducere, justus utique approbatur. Quidam sane dicunt quod significantius hoc verbum in Græco dicatur παραδειγματίσαι, et *propalare* interpretetur. Ut sit sensus, quia noluerit conceptum ejus omnibus palam facere. Sed nos auctoritatem nostri interpretis sequentes, verius æstimamus, quod ex Hebraico fonte translatum bibimus. Quia in ea lingua hoc Evangelium scriptum primitus minime dubitamus. *Voluit*, inquit, *occulte dimittere eam*. Et quare occulte? Ne si palam esset, omnino velut adultera plecteretur ad pœnam : aut certe si apud se eam servaret nesciens rei eventum, velut peccati conscius, ipse se reum faceret coram Domino. Quod velim audiant temerarii, et discant inter causarum incerta, diu secum ex reverentia timoris Dei deliberare negotia; ne discrimine levitatis pressi in deterius cadant.

Hæc autem, inquit, *eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit ei in somnis.* Quid igitur est, *hæc eo cogitante?* nisi quæ per anticipationem Evange-

Introdusă în format electronic de Google

lista præmisit. Ubi profecto talis videtur sensus reddendus, ac si diceret : Hæc eo ante deliberationem inter angustias cogitante quid ageret, utrumne occulte dimitteret, an deberet traducere. Cumque itaque hæc jam secum deliberare cœpisset, quod vellet eam occulte dimittere, ecce angelus Domini apparuit ei in somnis dicens : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Cum igitur æstuaret sanctus animus negotii novitate perculsus, eumque pietatem inter caligines ignorantiæ potius elegisset, ne quasi ex justitia crudelitatem incurreret ; subito in somnis angelico consolatur affectu, et certus redditur de conceptu. Unde profecto liquet *quia inter* n.oras totum committebat Deo, nesciens quid ageret. Idcirco mox meruit consolari, ne culpam incurreret. Et **100** nos, fratres, quoties turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum species, facit superficies causarum interdum interiora veritatis nescire, declinemus ad præsens judicium, subtrahamus sententiam, fugiamus discrimen ; dicamus totum Deo, ne dum temere gestimus diffinire sententiam, nobis paremus ex discrimine alieno ruinam. Quod autem angelus Domini in somnis, et non in alia manifestius revelatione illi apparuit, dubietas animi designatur. Quia dum inter angustias anxietate dubius velut infidelitatis somno opprimitur, angelum conspicua visione videre non meruit. Sed tamen quia timore devotus circa pietatem justus apparuit ; saltem per somnium visionem videre potuit ; ne diutius premeret culpa dubietatis, quem æquitatis justitia commendabat. Et notandum quod non in somno, sed in somnis, illi angelus apparuisse dicitur. Quo forte plurimis visionibus usque ad sufficientiam fidei monstratur ostensus, quem somnus quantisper occultabat, eo quod esset caligine circumductus. Sed sane requirendum puto secundum proprietatem *verbi*, si forte sermo divinus certius aliquid in somnis velit significare, quam si dixisset in somniis. Quia somnus, ipsa quidem dormientium quies est ; somnium vero, nonnunquam delusio dormientis. Hinc est quod dicitur angelum apparuisse ; quia res insolita ultra somniorum phantasias præmonstratur. Non enim ejus natura fuit angelum videre cum vellet, sed in potestate ipsius apparentis, quomodo et quando se præbuisset. Nam hoc verbo divina Scriptura, frequenter tali utens eloquio, potestatem semper significat apparentis, ut nos altius erigat ad consideranda causarum negotia, quibus pene se semper conformat exhibitio demonstrantis. Hinc, quia Joseph angore dubius illo prægravatur somno, quo in passione apostolorum oculi premebantur ; quanquam non ex duritia cordis hæc dubietas eveniret, sed de admiratione rei magnitudinis ; saltem in somnis instruitur, ut ex eo patesceret interius quid corde gestaret. Signanter quoque additur, angelus Domini, ob distinctionem alterius angeli, ne fortuitu delusio putaretur. Unde quia in eo pietas ac justitia decertare videntur, mox pellitur dubietas, et revelatur arcanum. Panditur plane quod primum per angelum ostensum fuerat Mariæ, et fit continuo mysterium. Quod mirum satis admodum videtur, si quod olim **101** Mariæ narratum fuerat, Joseph per eam non potuit agnoscere. Sed quia perscrutari etiam quæ potiora sunt mysterii propter fastidiosos quosque brevitati studentes omisimus, ad reliqua quæ sequuntur commenta tendamus.

Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Hæc quidem vox blandientis affectu, familiarissimum eum sibi ac notum designat, cujus nomen ac genus signanter nuncupat. Sed ideo profecto fit ut hanc vocem, dudum ad David prolatam, recognoscat : *Juravit*, inquit, *Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum ; de fructu ventris tui ponam super sedem meam.* Noverat enim se de David stirpe descendisse, et ideo monendus erat ut recoleret ex Propheta, quod jam in se compleri cernebat et in Maria. Nimirum qui cum hic David filius dicitur, datur intelligi de Maria, dum eam ex eadem stirpe cognoverat descendisse, de qua ipse filius David ab angelo vocabatur. Quod volens idem ostendere, *Joseph*, inquit, *fili David*, ac si patenter dicat : Recognosce quid dictum sit domui David ; quia quod ibi promissum est ex prophetia, jam sane completum est per Mariam ; unde ne timeas accipere Mariam conjugem tuam : quia si non ex tuo coitu quod nascetur, tamen per eam, quia ex te propinquitatem carnis ducit, tibi filius generatur. Et ne suspiceris quod genitus sit ab alio ; noveris quia de Spiritu sancto est, ut totum percipias in mysterio quod olim habueras in promisso. Et quomodo me audis in persona genus vocare, et in te totam prosapiam reiterare, ita ut tricesima octava generatione natus filius David dicaris ; sic propinquius intellige Mariam ex reciproco de tua carne quodammodo derivari, moneo ut habeas filium sine coitu, et possideas eam uxorem plenissimo charitatis affectu. Propter quod ne timeas, inquit. Ac si diceret : Ne timeas de reatu, imo amplectere conjugem tuam charitatis officio : quia charitas foras mittit omnem timorem. Conjugem autem quare dixerit, jam supra exposuimus, etiam inter reliqua, quod nihil defuerit operis conjugii, nisi sola commistio libidinis : in tantum ut ad Joseph juxta carnem pertineat ortus Christi, si quomodo dici possit idem per hoc pater Salvatoris.

Quod enim in ea natum est, inquit, *de Spiritu sancto est.* Videtur quoque hic subtilis valde nasci intelligentia, ne forte quod natum est in ea filius ejusdem Spiritus **102** de quo conceptus est, juxta quod ipsi confitemur in Symbolo, absurde intelligatur. Dicimus enim quod conceptus sit de Spiritu sancto ex Maria virgine. Si enim sic accipimus, ut eum filium Spiritus sancti dicamus secundum humanitatem, profecto in sancta Trinitate duos patres intromittimus, videlicet unum divinitatis, et alterum humanitatis ejus propagatorem Spiritum sanctum. Sed quis hoc dicere audebit ? Unde aliter datur intelligi, et quærendum si non ideo dicatur de Spiritu sancto natus, quia fecit eum nasci de Virgine. Quippe quia

Introdusă în format electronic de Google

hoc opus mirabile, totum dono Dei factum est, et donum Dei proprie Spiritus sanctus dicitur. Sed et ipse Spiritus charitas Patris ac Filii ubique catholice prædicatur. Quæ charitas profecto sola eum ad incarnandum adduxit. Et ideo quod natus est de Maria virgine, utique de Spiritu sancto recte interpretatur; quia causa nascendi sola charitas fuit. Neque adeo, quia mundum istum fecit Deus, eum dici fas est Dei Filium, aut natum de Deo ullatenus prædicari. Sed factum, creatumve, aut institutum, aut conditum ab eo, vel certe si quid hujusmodi, recte dici potest. Quin neque concedendum ut, quidquid de aliqua renascitur, continuo ejusdem rei filius prædicetur. De quarum rerum exemplis pauca de pluribus pandam. Certe omnes qui Christiano censentur nomine, profecto nascuntur ex aqua et Spiritu sancto, quia omnino aliter Christiani esse non possunt. Sed nunquid eos recte quisquam filios aquæ, aut Spiritus sancti dixerit? imo Dei Patris et sanctæ matris Ecclesiæ filii nuncupantur. Sic itaque, quamvis longe differentius natus de Spiritu sancto Filius Dei Patris dicatur, tamen non est filius ejusdem Spiritus sancti ullo modo appellandus. Videtur autem adhuc quosdam monere, quia dictum est ab angelo, *Quod natum est in ea*; cum nostræ consuetudinis non sit natum dicere, priusquam in lucem hujus mundi quisque veniat, quod omnino nativitas illa nondum expleta sit. Sed forte dictum putamus, juxta sanctarum Scripturarum loquendi consuetudinem, ubi sæpe præteritum jam narratur quod novit esse futurum; vel certe secundum præscientiam ipsius angeli quam habebat ex Deo, cui futurum jam quasi præteritum erat, recte natus accipitur.

Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Alias autem idem juxta Lucam **103** idipsum Mariæ legitur dixisse: *Ne timeas, Maria*, inquit, *invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit*, inquit, *magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 30-33). Hoc ideo totum dixerim, ut saltem vox angelica credatur, Mariam de stirpe David venisse, quod supra Faustus contradixerat: et intelligat fidelis auditor quia omnes promissiones patriarcharum, et omnia prophetarum eloquia, super hanc promissionem concinant, ut is qui promittitur regnare debeat in æternum. Cæterum quia huic dicitur *vocabis*, quod olim jam Mariæ dixerat, debemus animadvertere, quod idem angelus in sua perdurat sententia, utrique præcipiendo, quatenus Scriptura divina quæ Jesum multis in locis, scilicet salvatorem, vel salutare repromittebat ex nomine, eumdem jam venisse, tam viris quam feminis, repræsentet ex voce.

Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Volens itaque angelus nomen ejus interpretari, addidit: *Salvum faciet populum suum.* Quia nostra vitiorum ægritudo aliter sanari nequiverat, si non salus credentium advenisset. Nam licet multi Jesus olim fuissent, hic tamen substantialiter *salus* est appellatus. Et notandum quia, non sicut Judæi falluntur, terrenam Hierusalem venturus est salvam facere; sed venit salvare populum suum a peccatis eorum. Populum, inquit, suum; quia, etsi venditi eramus sub peccato, tamen legibus naturæ ejus eramus. Unde Zacharias: *Et fecit*, inquit, *redemptionem plebis suæ in domo David pueri sui* (*Luc.* I, 68). Ergo quam suam præscivit, illam procul dubio venit salvare, reliquos omnes occulto suo judicio in massa damnationis reliquit. Sequitur:

Hoc totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Isaiam prophetam, dicentem. Quid igitur est hoc totum quod factum est, vel quis eorum hoc dixerit? Si enim dixerimus quod angeli hæc sint verba, restat tamen quærere quomodo dicatur hoc totum factum est, cum nondum natus, nondum vocatus adhuc juxta circumcisionis legem fuerat Jesus, nondum propter quos venerat redimere passione sua salvarat. Etsi videatur hinc solvi posse, quia omnia jam sunt in conspectu Dei quæ nondum sunt, tamen melius ab Evangelista credimus postea **104** superadditum, quando jam hæc omnia absque dubio factis completa erant. Ac si diceret, hoc totum, quod antequam convenirent inventa est Maria habens in utero de Spiritu sancto, quod peperit virgo filium, quod Jesus idem vocatus est, quod salvat populum suum a peccatis eorum; hoc totum ideo factum est ut adimpleretur quod dictum fuerat per prophetam; quia hæc unius adimpletio etiam multa complet mystica sacramenta.

Sed rursus hinc nobis alia objicitur quæstio, quomodo intelligendum quod dicitur, hoc totum factum est, quod dictum est per prophetam. Quippe quia, si hoc totum ideo factum est ut Christus de Virgine nasceretur, eo quod propheta præsciendo id futurum prædixit, videtur ex consequenti causa cur venerit Christus in carne fuisse sola prædictio prophetalis. Ubi rursus si dicimus, quia sermo prophetæ pendebat ex præscientia Dei, qui per os ipsius futura loquebatur; restat ut prophetarum eloquia, juxta quod prædicta sunt, necesse sit impleantur, et omnia futurorum necessitatibus astringantur. Quia verisimile videtur quod Deus cuncta prænoscit, neque falli ullomodo potest, ut necesse sit mox evenire quidquid præscientia futurum esse prævidit. Quare si, ut aiunt, non solum facta, verum etiam consilia singulorum voluntatesque prænoscit, nulla erit arbitrii libertas. Neque enim in facto aliud exsistere poterat, quam quod prædictum erat ex præscientia prophetarum. Unde quia secus nequiverat accidere, necessitate præscientiæ pressi videntur rei criminibus non teneri, quia illos prophetarum eloquia præscribebant, ut aliter evenire non posset, donec omnia complerentur, quæ de his fuerant promulgata ex divino eloquio antequam nascerentur. Quam nostri enodantes quæstionem dixerunt. Non ideo quidpiam provenire, quoniam id providentia divina futu-

Introdusă în format electronic de Google

rum esse prospexerat; sed e contrario potius quid futurum erat divinam providentiam latere non posse. Sed satis præposterum videtur, ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa esse dicatur. Quid est autem aliud arbitrari, ideo futura quæque quia sunt ventura ad liquidum providere; quam putare quæ olim acciderint, summæ illius causam fuisse divinæ providentiæ? Aut forte nunquid dicendum est, non **105** necesse esse contingere quæ providentur, imo necesse esse quæ futura sunt prævideri? Sed huic sensui contrarium satis sonat quod dicitur : Hoc totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino. Ubi fatendum quod hoc unum solum et singulare, quia præeminet ultra omne libertatis arbitrium, et transcendit omne fragilitatis meritum, ideo forte factum est, nec quasi nostro libertatis arbitrio quæsitum, sed ut impleretur quod jam erat non solum prædictum, verum etiam et præscitum apud Dominum. Nequaquam enim dicimus quidpiam adimpleri, nisi quod jam capax est plenitudinis. Unde, quia sicut jam erat in prædestinatione et præscientia Dei ut caperet, jam quodammodo quod necdum erat antequam fieret, profecto completur illud quod erat. Erat autem, inquam, in æternitate Dei, quod fiendum esset in tempore. Et per hoc non aliud factum est quam quod erat, ut nobis adimpleretur quod prædictum et prædestinatum fuerat; quia omnino jam capax erat ut sic quomodo factum est tunc fieret. Unde et Apostolus : *Cum autem*, inquit, *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal.* IV, 4). Ergo cum venit plenitudo temporis, quando prædestinatum in æternitate Dei erat ante tempora sæcularia, ut veniret, misit Deus Filium suum in carne factum ex muliere. Et ideo non nova voluntas in Deo, non aliqua necessitas veniendi, quasi ex eloquio prophetali, sed sola exhibitio veritatis. Quod Propheta, futurum aspiciens, aiebat : *Veritas de terra orta est, et Justitia de cælo prospexit* (*Psal.* LXXXIV, 12). Quid igitur est dicere, Veritas de terra orta est, nisi aperte Christum de Maria, velut virgultum ortum de terra ostendere? quippe quia rectum erat ut ex plenitudine præscientiæ Dei plenitudo promissorum in plenitudine temporis impleretur. Alioquin omnium prophetarum eloquia vacua remanerent. Sed quia in veritate vaticinia prophetarum de fonte veritatis fuerant perhausta, aliud devenire non poterat, nisi exhibitum esset quod promiserant.

Cæterum, quia supra diximus juxta quosdam, quod libertatis arbitrium videantur auferre ne justa quidem vindicta sequatur, ut aiunt, prophetia peccantes præscripsit ad culpam. Scire convenit quia non imponunt necessitatem **106** peccandi, neque præscribunt aliquem, quia præscita sunt, ut cogant homines labi in ruinam; sed ideo prædicta sunt ut sint signa præsentiæ Dei, credentibus ad medelam. Omne enim signum non efficit quod designat; sed tantum signum est illius rei quam ostendit. Hinc prophetia non necessitatem facit eorum quæ prædicit; sed signum est præscientiæ Dei, et curatio nostræ infirmitatis : ut qui Deum cuncta scire non ambigit, colligat ex prophetia quia qui futura antequam fiant prædicit, præsentia omnino ignorare non possit. Prædicantur autem quæ præscita sunt, ut dura mens et incredula contraire non possit, cum venerit, ne credat quod olim prænuntiatum atque præscitum erat, antequam fieret; magis autem sit Deo subdita, et divinæ obediat voluntati, ne per insolentiam reluctetur, aut cogitet Deum certe mortalia non curare. Quod si dixerit quispiam, quia præscita sunt, aliter evenire non posse, cum præsciri nequeant nisi certa, et, quod solidius est, præscire Dei solum sit velle : ac per hoc quidquid præscierit non potest non evenire. Fatebor hoc futurum omnino, cum ad divinam refertur scientiam, necessarium esse : cum vero in sua natura perpenditur, vel ex voluntate agentis, prorsus quædam libero arbitrio evenire. Duæ siquidem necessitates in hoc argumento videntur incurrere. Una videlicet, qua necesse est omnes homines esse mortales : altera conditionis, ut si quempiam videam ambulare, necesse est ut ambulet. Sed una earum libertatis esse videtur arbitrii; altera vero peccati fore supplicium. Hunc sua voluntas seu cupiditas quodammodo facit incedere : illum vero jam pœna peccati in terram facit etiam nolendo redire. Sic itaque cuncta quæ providentia Dei speculando conspicit ad divinum relata intuitum, necessarie fiunt; per se vero considerata aut propria libertate, quamvis de pœna peccati feruntur in vitium; aut certe libertate recepta propriam voluntatem gratiæ Dei resignant ad meritum. Inde namque est quod, quamvis eveniant exsistendo per donum, munus tamen mercedis habeant ex labore; aut certe propriam peccati vindictam non effugiant, ex delicto; quia priusquam fierent, ante reatum quodammodo etiam non evenire possent. Unde, si diligenter animadvertas, multas ex prophetia prædictiones reperies, quæ non fuerint quidem ut prædictæ **107** sunt, operibus adimpletæ, eo quod sint aut peccatis prævenientibus munere vacuatæ, aut certe libertatis arbitrio una cum gratia Dei pœnitentibus ad veniam indultæ. Hinc nimirum possumus approbare, quod alia fit prophetia ex prædestinatione Dei, quam necesse est modis omnibus evenire : ut veritas, quæ jam est in æterna Dei voluntate, sine nostro nonnunquam libertatis arbitrio, rerum in negotio temporaliter impleatur, quale est istud quod nunc in manibus habemus; alia vero ex præscientia Dei, quo nostrum admiscetur libertatis arbitrium, et, cooperante gratia Dei, aut consequimur præmium, aut justo judicio, nos illo relinquente, trahimur ad supplicium. Quorum unum ex prædestinatione fit, alterum tantum in præscientia manet. Est et aliud genus prophetiæ, quod comminatio recte vocatur. Fit namque potius ob signum divinæ animadversionis quam ex præscientiæ terror; quoniam longe alite, præscitur illud quam commineţur venturum. Si-

Introdusă în format electronic de Google

gnum autem idcirco fit, ut fugiant intuentes a facie arcus, et liberentur electi, contradicentes vero videantur in supplicio juste puniri. Quarum rerum exempla superfluum est aggregare, quia patent etiam non quærentibus.

Sed quia ob quorumdam objectiones longius excessimus, cum propter vitandum lectoris fastidium nec satis dixerim, rursus figamus mentis oculum, ubi æterna, non quidem præscientia, ut nos sentimus, sed vera Dei scientia, omnem temporis supergreditur motionem, et videamus quantum possumus, quomodo propheta ad divinam raptus veritatis ac prædestinationis scientiam, dicebat, quasi digito demonstrando : *Ecce virgo concipiet* (*Isa.* VII, 14). Nam in eo quod dicebat, *ecce*, præsentiarum est ostensio; quod vero, *concipiet*, futurorum erat præcognitio. At vero quod idem rursus evangelista resumit in testimonium et dicit : ***Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino***, haud dubium quin præscientiæ Dei ac prædestinationis est in tempore exhibitio, et juxta quod loquens cernebat, promissorum in præsenti ostensione veritatis adimpletio. Unde, si præscientiam recte pensare velimus, qua cuncta dignoscit Deus, non præscientiam quidem, sed vere nunquam deficientis instantiæ scientiam **108** rectius appellabimus. Nobis quidem videtur prævidentia jure dici, sed quantum ex Deo rectius providentia nuncupatur. Vocatur autem providentia, quod, procul ab rebus constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Unde nobis, si dissimulare nolumus, magna necessitas probitatis incumbit, ut solliciti simus semper, quia et nos indesinenter ante oculos cernentis judicis sumus, et omnis intentio nostra jugiter coram eo versatur.

Ecce, inquit, *virgo in utero habebit, et pariet filium.* Ad quod Judæi, semper calumniari parati, dicunt quod in Hebraica veritate non habeatur, *ecce virgo concipiet*, sed puella ; volentes sane hoc nomine ætatis et non integritatis significari naturam, quatenus per hoc mysterium fidei nostræ facilius vacuetur. Sed primum interrogemus eos, quomodo signum possit appellari, quod puella tantum, et non virgo pepererit. Quippe cum propheta dicat, quia *Ipse Dominus dabit vobis signum.* Si ergo signum fuit, nec dubium quod extra humanam consuetudinem evenit. Unde et Jeremias : *Ecce faciet Dominus novum super terram, quia mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI, 22). Non enim est signum, neque novum aliquid poterat æstimari, si non virgo sine coitu potuit concipere, ac filium generare. Nec nos itaque fallimur, quasi in Hebræo secundum Isaiam *Betula*, quod *virgo* interpretatur, habeatur : sed pro hoc verbo positum est *Alma*, quod præter Septuaginta, omnes *adolescentulam* transtulerunt. Porro *Alma* apud eos verbum ambiguum est. Significat enim et adolescentulam et absconditam. Sed Septuaginta pene in omnibus locis ubi *a. Alma* legitur, *absconditum* transtulerunt. Quos secutus Aquila etiam et ipse hoc verbum frequenter ita interpretatus est; per quod intelligitur non solum *puella* vel *virgo*, sed etiam, velut ex epitheto (quia fixi nominis quidni apud nos quam sæpe fungitur officio?) virgo multum recondita demonstratur, et secretissima, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, verum magna parentum diligentia custodita sit. Nam et lingua punica, quæ de fontibus Hebræorum ducitur, proprie vero *a. Alma* appellatur. Unde, quia Hebræi pene omnium linguarum verbis utuntur, forsitan propheta hoc sibi ascivit in eloquium, ut per hoc figuraretur qualis erat futura, quia *Alma* in **109** lingua nostra *sancta* intelligitur. Quod autem ipsi cæterarum linguarum utantur verbis, ostendit illud de Græco in Canticis canticorum φορεῖον, ubi scribimus, *Ferculum fecit rex Salomon* (*Cant.* III, 9), quod et ita in Hebræo legitur. Sunt et alia quamplurima verba cæterarum linguarum, quæ sibi in suo sumpserunt eloquio; et quantum peritia sanctorum Patrum docet, qui ex eadem lingua probatissimi exstiterunt interpretes, nunquam se *Alma* in muliere nupta legisse, sed semper super eam quæ virgo fuerit, modis omnibus protestantur. Hinc quoque datur intelligi quia non solum virgo fuit Maria, sed et junioris ætatis puella. Imo majoris esse laudis quam puella aut virgo quæ forte nubiles annos adolescentiæ vix attigerat, et adhuc necdum virum nosse posset. Unde et in Deuteronomio, sub puellæ vel adolescentulæ nomine virgo intelligitur designata. *Si invenerit*, inquit, *homo puellam in campo desponsatam, et vi opprimens dormierit cum ea, interficietis virum qui concubuit cum ea, et puellæ nihil facietis*, ac reliqua (*Deut.* XXII, 25). Ubi recte, puella non aliud quam virgo monstratur. Sicut et illud, quod in volumine Regum legitur, quia quæsierunt puellam virginem, et introduxerunt ad regem. *Et erat*, inquit Scriptura, *puella pulchra nimis, et ministrabat ei, et rex non cognovit eam* (*III Reg.* I, 4). Quod si causantur Judæi, in Hebræo hoc in loco, secundum Isaiam, virginem non haberi : intelligant idioma divinarum Scripturarum, et patebit puellas quam sæpe virgines appellari : et sicut quidam enucleatius tradunt, virgo apud Hebræos tria nomina habet, *Alma*, *Betula*, *Nara*. Sed hoc loco *Alma* solum debuit poni, quod totum simul significaret, scilicet puellam, adolescentulam, absconsam, et merito virginitatis almam; siquidem absconsam diligentia parentum, et adolescentulam juventutis ætate. Nam *Nara*, ut aiunt, infantulam designat, quæ quia necdum adulta, quid sit pudor femineus, nondum capit. Interea quod sequitur :

Et vocabunt nomen ejus Emmanuel. In Hebræo juxta Isaiam prophetam, non, *vocabunt*, sed *vocabis* habet. Quia is proprie ac speciatim ibidem domui David loquebatur; hic generaliter de universo genere humano, *vocabunt*, dicitur; quanquam et in Isaia verbum *Karathim*, quod omnes interpretati sunt, tam: *vocabis*, quam et *vocabit*, utrumque potest interpretari, ut **110** sit sensus, quod et ipsa virgo Maria Emmanuel debeat eum vocare. Ex quo notandum,

Introdusă în format electronic de Google

quod Evangelista non verborum ordinem secutus est, sed sensum, quando pro *concipiet*, *in utero habebit* dixit, et pro *vocabis*, *vocabunt* enuntiavit. Nam aliud est, quasi ex alio quolibet modo concipere, aliud vero non aliunde, sed ex sese quidpiam habere : qui enim habet nequaquam accipiet. Quibus profecto verbis, manifesta ejus de Spiritu sancto ex substantia carnis designatur nativitas. Nam in eo quod dixit *concipiet*, voluit subintelligi, quod ex se non habebat ut virgo pareret, de Spiritu sancto provenire : quod vero hic *habebit* dictum est, manifestat ex substantia carnis suæ in se habere quod non aliunde per coitum conceperit. Ut appareat illud Jeremiæ propheticum, quod Dominus faciens novum fecerit clauso utero mulierum circumdare virum : *Et vocabunt*, inquit, *nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus*. Recte igitur quæritur quis hoc dixerit quod interpretatur nobiscum Deus, propheta videlicet, an Matthæus? Sed quia in libro ejusdem prophetæ non invenitur, arbitramur potius Evangelistam quam angelum aut Hieronymum hujus verbi esse interpretem. Quippe quia nec eumdem interpretem de suo quidpiam addidisse credimus; quem certe verbum ex verbo, vel sensum ex sensu omnia transtulisse, minime dubitamus. Sed rursus hinc nihilominus alia quæstio revirescit, quod Matthæus in Hebræa lingua Evangelium suum scribens, Hebræo utens verbo, eum interpretari in una eademque lingua videtur minus indiguisse. Ad quod fatendum quia, quamvis Emmanuel Hebræum verbum sit, tamen apud eos obscurissimum esse, sicut et apud nos multa obscuriora sunt verba; et ideo necessarium fuisse interpretari apertius, ut talis et tanta prolocutio nullis esset obscura verbis, verum omnibus ex hoc manifestius reassumpto patesceret. Porro enim Emmanuel proprium nomen est, sicut et Jesus, quod vocatus est ex præceptione Evangelica. Igitur duobus istis nominibus, non modo Creatorem eum atque restitutorem, verum etiam gubernatorem atque rerum provisorem fore, qui nostra in carne Deus et homo apparuit, prædicatur. Nam in eo quod angelus Jesum eum nominat, Salvatorem eorum qui perierant aptius reconsignat. **111** Quod vero propheta Emmanuel eum appellat, insinuat, quia ipse, quemadmodum est pollicitus, cum his quos semel servaverit, quotidie sanando ac juvando perseverat. Quid autem sit dicere *nobiscum Deus*, Joannes Evangelista declarat, quia *Verbum*, inquit, *caro factum, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Inde profecto illud Baruch expletur vaticinium, quod in terra visus sit, et cum hominibus conversatus (*Bar.* III, 38). Quia idem Emmanuel Deus et homo simul in una eademque persona intelligendus commendatur. Hinc est plane quod modo non genitricem hominis Mariam, verum et θεοτόκον, id est Dei genitricem, cum catholicis orthodoxis plenissime confitemur. Hunc igitur Deum nobiscum dignanter credimus adfuturum, sicut est in prophetia signatum, et per Evangelistam eisdem testimoniis reseratum. Quem ideo nobiscum habitare fatemur, quia præter peccatum, quidquid est quod nos sumus, totum dignatus est fieri, cum nostra carne venit indutus. Unde, quia ex nobis et pro nobis fuit, nobiscum Deus Emmanuel recte vocatur, ut per hoc et ipsi in eo unum esse possimus. Pro tribus namque rerum efficientium causis videtur evangelista, de Veteri Testamento astruere illa in evangelio quæ proponit; pro testificatione scilicet mysterii Novi Testamenti, ut habeat, secundum Paulum apostolum (*Rom.* III, 21), testimonium a lege et prophetis; pro confirmatione fidei nostræ, ut profecto facilius credantur, cum viderimus impleri quæ divinitus fuerant non solum præscita et prædestinata, verum etiam a mortalibus antequam fierent prædicata. Præsertim cum et devotio credentium ex hoc magis firmatur, quia, nisi essent divinitus adimplenda, nunquam fuissent per Deum humanis vocibus prædicata. Necnon et pro conjunctione Veteris ac Novi Testamenti, ut monstraretur illud Ezechielis (*Ezech.* I, 16), quod esset rota in rota, videlicet Novum in Veteri præsignatum, et animarentur homines ad spiritalem eorum intelligentiam, cum viderent quod spiritus vitæ esset introitus.

Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini. Nimirum hic justi viri perfecta describitur obedientia, dum dicitur : *Fecit sicut præcepit ei angelus Domini.* Quia, nisi fiat sicut præcipitur, et non aliud quam quod præcipitur, et tum fiat quando vel ubi præcipitur **112**, obedientia vera esse non potest. Ubi animadvertere debemus, ne, quod dicitur : *Fecit sicut præcepit ei angelus Domini*, quia dictum est ab eo : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, male intelligentes, naufragemur in fide, quasi quia præcepit velut conjugem eam accipere, obediendo dicamus opera nuptiarum exercuisse; quod Helvidius volens asserere, sua quidem mentis ignavia victus, et mole divinarum Scripturarum oppressus, didicit se nescisse saltem sero, qui dudum penitus ignorabat vel quod nesciret. Unde, sicut paulo ante diximus, idipsum recolentes, fatemur eam, cum esset desponsata Joseph, jure transisse ad conjugis nomen; quia in ipsis, præter seminis coitum, non solum affectus, verum, salva virginitate, fructus invenitur nuptiarum : et dum totum exhibet servitutis atque amoris affectum, obediendo sequendo, recte dicitur fecisse juxta omnia quæ sibi ab angelo fuerant imperata. Ubi notandum quod hic angelus Domini ideo cum additamento ponitur, ne quilibet malignus angelus fuisse putetur : et nullus appareat locus mentiendi, quo divina peraguntur mysteria, et angelorum celebrantur summæ devotionis obsequia.

Et accepit, inquit, *conjugem suam, et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ecce præfatus Christi adversarius superfluo labore desudat, cognoscendi verbum prætendens magis ad coitum quam ad scientiam referendum. Quasi hoc quisquam nostrum velit negare, ut ex hoc possit conficere, quod donec certum tempus significet. Quo

Introdusă în format electronic de Google

completo, quia non cognoscebat eam, donec peperit filium suum, conficiat eam continuo cognitam, cujus cognitionem cum ea, ne coiret antea, filii tantum nativitas differebat. Ad quod breviter respondentes, *cognoscebat* verbum, dupliciter in Scripturis sanctis nos intelligere profitemur. Refertur enim sæpe ad scientiam, ut est quod puer Jesus remansit in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Refertur et ad coitum, velut ipse nullo dubitante hoc in loco conatur adstruere. Verumtamen quorumdam traditio habet, quod Joseph non potuerit in faciem ejus prospicere, quam Spiritus sanctus ut conciperet, penitus adimpleverat; et virtus Altissimi, ne pateretur libidinis æstum, divinitus obumbrabat. **113** Et ideo, ut volunt, non cognoscebat eam facie quam virginem desponsaverat, donec vacuaretur uterus; quia nimiam ob reverentiam claro aspectu nequiverat intueri. Religiosa quidem et plena pietate traditionis assertio. Sed hoc de concubitu dictum, quod non coierit cum ea, donec peperit primogenitum suum, intelligere minime formidamus: quia *donec* aut *usque*, nonnunquam in Scripturis sanctis, sæpe certum tempus, sæpe infinitum significant. Hinc quippe est quod Deus quibusque loquitur per prophetam: *Ego sum, ego sum, et donec senescatis ego sum.* Quid est quod dicit, donec senescatis ego sum? Nunquid posiquam senuerint illi, Deus qui æternus est esse desinet? Et Salvator in Evangelio: *Ecce*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Ergo post consummationem sæculi, non erit Deus cum suis apostolis, aut cum sanctis suis, quando erit Deus omnia in omnibus? Et illud Apostoli ex persona filii: *Quod oporteat eum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis* (*I Cor.* XV, 25). Nunquid tandiu regnaturus est, donec inimici subjiciantur ei? aut postquam illi subjecti fuerint, desistet regnare? Tali igitur locutionis genere utens Evangelista, profecto voluit intimare Mariam non esse cognitam a viro suo usque ad partum. Quia sub hoc tempore magis scandalum poterat etiam credentibus suboriri, quippe quia de sponsa coram oculis fructus cognitionis ejus cernebatur in prolem. Sed quoniam tunc vere se abstinuit, cum de jussione adhuc poterat dubitari, multo magis intelligendum est, quod post partum eam non cognoverit; quando jam, multis divinarum rerum indiciis Deus idem qui nascitur, atque homo Dei Filius declaratur. Quod si quærimus cur Joseph usque ad partus diem se abstinuerit a concubitu, haud dubium quin angelum dicentem audierat, illud in ea natum, quod de Spiritu sancto esset. Sed simul cum hoc verbo perceperat: *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam.* Ergo ubi prohibitum est ne derelinquat, ne adulteram æstimet, putasne a congressu conjugis fuerit separatus, quo ne separetur magis est admonitus? Ergo qui tantam eam crediderat ut uxorem non auderet attingere, cum esset vir justus, et audiret Dei Filium in utero, hic de coitu Virginis potuit cogitare? Audierat namque pastores, et angelum Dei eis evangelizasse gaudium magnum, quod erit omni populo, **114** *quia*, inquit, *natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David* (*Luc.* II, 11); necnon et cum eo laudes exercitus cœli concinuisse: *Gloria in excelsis Deo*, ac reliqua quæ sequuntur. Audierat et Simeonem, inter amplexus parvuli prædicantem: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum, secundum verbum tuum, in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Ibid.*, 29). Audierat et Annam prophetissam, magos atque stellam viderat; aut nunquid per eosdem Herodem turbatum non audierat? Nonne Bethlehem ex vaticinio ubi Christus nasceretur, a principibus sacerdotum designatam cognoverat? Quod si hæc omnia impudenter ignorasse asseritur, quid est quod Lucas refert, quia *Pater ejus et mater mirantes erant super his quæ dicebantur de eo* (*Ibid.*, 33). Unde ergo mirabantur, si non cognoverant? cognoverant autem utique; et ideo quod Dei templum et sedem sancti Spiritus, ac matrem Domini ausus sit violare, nefas est credere. Præsertim cum Lucas (II, 19) dicat quod Maria conservaverit omnia verba hæc conferens in corde suo, ut videret quomodo cuncta divinæ legis mysteria huic sacramento congruerent. Quippe satis impium est cogitare de ea quod unquam coitus colluvione potuerit maculari. Nam etsi, *donec*, semper ubique finiti esset temporis, nullo modo hic eum sinebat ratio, prohibente lege divina, finitum intelligi. Alioquin, si mox post partum eam cogitet aliquis cognovisse, nullo interveniente purgationis suæ tempore, ubi erit quod septem diebus, juxta legem separationis menstruæ, debuit immunda sedere, et trigiuta tribus diebus in sanguine puro permanens, omne sanctum interim non tangere? Vel nunquid eam statim Joseph invasit inter præconia angelorum, ubi nullus erat locus in diversorio? Constat ergo modis omnibus, quod nullus fuerit nuptiarum locus inter angusta præsepia jumentorum. Neque justus scriberetur in Evangelio, si tanto insaniret voluptatis amore, ut eam saltem appeteret violare, quam multis Scripturarum figuris præsignatam legerat in perpetuum virginem permanere.

Et peperit, inquit, *filium suum primogenitum.* Primogenitum autem, non eum quem fratres sequantur dicit, sed eum quem nullus antecedat. Unde videtur potius unigenitum dici debuisse, quam primogenitum, juxta quod sæculares litteræ de eo dici debere quem fratres sequantur **115** insinuant: nisi, quod idioma est sanctarum Scripturarum, sanctificatos Domino, vel omne quod aperit vulvam, primogenitos appellari. Idcirco illum conservans textum Evangelii, maluit primogenitum quam unigenitum dicere. Nam et alibi (*Rom.* VIII, 29) ipse primogenitus in resurrectione ex multis fratribus, appellatur; propter quod, quia genus colligitur in specie, quamvis unigenitus per naturam, ideo primogenitus et hic debuit dici, ut esset indicium, quod jam in eo et alii quam multi fratres colligebantur per gratiam

Introdusă în format electronic de Google

In Veteri quoque Testamento, illis primogenita condonantur, qui Dei gratia præleguntur quorum non ex natura dignitas, sed ex gratia meritum antefertur. Idcirco et nos dicimus, quod primogenitus hic significantius scribitur, ut per eum omnes qui ex gratia colliguntur illico adunati primogenita in cœlestibus habeant. Hanc quippe figuram gerebant omnia illa primogenita, sub lege Domino consecrata. Unde et de his Dominus ad Aaron talem legitur definisse sententiam : *Omne*, inquit, *quod aperit vulvam ab omni carne quæ offertur Domino, ab homine usque ad pecus, mea erunt tantummodo ; primogenita pecudum immundorum pretio rediment* (*Exod.* XXXIV, 19). Ecce *quid* sint primogenita divinus sermo definivit : *Omne*, inquit, *quod aperit vulvam*. Alioquin in sacerdotibus primogenita non debentur, quandiu et alia in omni genere nasci posse creduntur, ne forte non primogenita, sed unigenita Domino consecrentur. Quia nimirum si sic accipiendum esset ut solum primogenitus diceretur is quem fratres sequerentur, poterat excusationes obtendere sacerdotibus, ita dicens : Quid me in unius mensis juxta debitum stringis articulo, ut offerrem ex lege primogenitum cui fratres non sequuntur? Exspecta paulisper donec secundus nascatur, quia interim nihil debeo sacerdoti, nisi fuerit procreatus per quem is qui natus est incipiat esse primogenitus. Nam de Maria scriptum est quod : *Cum expleti essent dies purgationis ejus secundum legem Moysi, duxerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege, quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur ; et ut darent hostias, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum* (*Luc.* II, 22). Ergo si primogenitum sequentes faciunt, et hæc lex tantum ad primogenitos pertinere videtur, non debuit lege primogeniti censeri, cui nondum fratres successerant. Sed ideo **116** hic recte tenetur primogenitus, quia omnes unigeniti primogeniti esse possunt, non autem omnes primogeniti jure queunt unigeniti vocari. Ex quo colligitur in summa, primogenitum eum vocari debere qui vulvam aperit et ante quem nullus, non eum tantum quem fratres sequuntur. Jure igitur Christus primogenitus appellatur ex virgine, quia ab initio primogenitus est totius creaturæ ; nec non et in baptismo primogenitius fidelium recte vocatur, qui et in resurrectione primogenitus ex mortuis resurrexisse dicitur. Unigenitus autem nonnunquam ideo vocatur, quia solus singularis ac proprius est Filius Dei, unde et unigenitus apte idem ex Maria probatur, quamvis primogenitus appelletur. Si quidem unigenitus quia solus de substantia Patris natus est Filius, sicut de Maria singularis ac proprius idem est hominis filius. Sed quia per hoc mediator Dei et hominum est factus, jure primogenitus ex multis appellatus, quatenus ob hoc per gratiam habeat multos fratres, quorum ubique primatum teneat. Quia secundum proprietatem naturæ in utraque substantia significantius Unigenitus prædicatur.

(CAP. II.) *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem in diebus Herodis regis*. Quatuor hic sane fundamenta jaciuntur, prophetarum præsagiis roborata, ut nullis vacillet ingeniis domus quæ super petram fundatur. Describitur namque nativitas, de qua dictum fuerat : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX, 6). Et declaratur persona ex nomine, jamdudum multis in locis præsignata. Monstratur quoque et locus ex prophetia ostensus : nec non et tempus per Herodem signatur nascentis astipulatione circiter evolutum. Sed, quamobrem per Herodem ejus nativitas lege chronographorum metiatur, quæ toto fuerat orbe prædicanda, non absurde quæritur. Præsertim cum nec annus regni ejus, ut mos est historiographis, quando Christus natus sit, certo ex numero præfigitur. Præterea fortassis videretur evangelista rectius fecisse, si ad tempus designandum nativitatis Christi Octavianum Augustum ad medium evocasset; cujus potestas evecta usque ad fines orbis terrarum, etiam Herodem hunc et omnem Palæstinam provinciam inter reliqua terrarum regna suo claudebat imperio, quadragesimo si quidem regni Augusti, quando Jesus natus est, anno, divina ordinante potentia, firmissima primum pax in omni terrarum **117** parte, mortalibus famulatur. Tunc igitur nempe hoc factum legitur, quando angeli cecinerunt audientibus hominibus : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* I, 14). Unde liquido constat quia pax ista non virtute Cæsaris, sed Christi gratia, componitur. Adeo ut idem Augustus, ad quem rerum summa concurrerat, in consistorio se dominum appellari non sit passus. Imo quia non ausus est divino succensu, eo quod verus Dominus totius humani generis inter homines nascebatur. Eodem quoque anno singularum provinciarum ubique homines censentur ex nomine, et singuli suis profitentur in locis ; ita ut servus qui proprium non redisset ad dominum, jure plectere tur in mortem. Describitur autem universus orbis, quod Lucas meminit, eumdemque Cæsarem clarissima illa professio cunctorum hominum principem designavit. Inter quos nimirum Christus, qui universum genus condidit, inveniri atque conscribi homo inter homines humanis legibus voluit; quatenus per hoc suos conscriberet in æternitate cœlestis patriæ cives, per quod idem humano dignatus est subjacere imperio. Quod nusquam penitus ab exordio cujusquam in regno fuit, ut aliquis totius mundi potiretur imperio. Unde fidei nostræ inspectioni manifestissime patet, quia Dominus noster Jesus Christus, cum venit, potissimum pacem ideo mundo reddidit, ut sui prædicatores per orbem liberam introrandi viam haberent, et pace recepta mundus tranquillus verbum prædicationis intenderet. Hinc igitur est, quod in omnem terram sonus apostolorum exisse legitur (*Rom.* X, 18), et in fines orbis terræ verbum prædicationis cucurrisse monstratur. Deinde

Introdusă în format electronic de Google

super omnia idcirco factum ostenditur, ut ille advenisse solidius firmaretur, qui, sicut quidam maximus poeta (*Virg.*) cecinerat :

Pacatum regit patriis virtutibus orbem.
Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit
Permistos heroas et ipse videbitur illis ;

et :

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Tum igitur vere terra soluta est ab omni bellorum formidine, velut idem testatur, quando

Jam nova progenies cœlo demittitur alto;

et :

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo;

et :

.....Toto surgit gens aurea mundo.

Hæc nimirum poeta summus Octaviano principi scribens, quia levis eum spiritus **118** flaverat auræ, et Sibyllino carmine divinum aliquid interius, etsi nescius, suo præmonstrabat eloquio. Unde inquit :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,

scilicet quidquid olim prædixerant Sibyllæ, quod jam totum illo in tempore compleretur. Quia sicut suo in loco monstrabitur, mirabiliter velut organis, his usus est Spiritus divinus, ut pene omnia quæ de Christo sunt adimpleta, suo carmine longe antea prænotarent. Provecto igitur apice Romani imperii, ut diximus, evangelista rectius agere videretur, si per eum Salvatoris nativitatem ascriberet, ubique prædicandam in orbe terrarum, qui notissimus sub quatuor plagis cœli omnibus habebatur. Sed si consideranter advertimus, continuo patebit quod non Herodem tantum ideo posuerit, ut per eum tempus nativitatis humano more describeret, sed potius ut prophetia Jacob patriarchæ tandem completa significantius monstraretur. Legamus itaque Josephi Africani, cæterorumque historias, et inveniemus profecto hunc Herodem, qui tunc in Judæa regnasse scribitur, non esse ex Judæorum gente, neque ab eis ullam duxisse carnis originem, pro quo in eis recte dominari debuisset : sed ex alienigenis natus, auctoritate Augusti Cæsaris, justo Dei judicio, regno Judæorum injuste potiebatur. Dictum quippe fuerat : *Non deficiet princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est* (*Gen.* XLIX, 10). Unde jam eum profecto venisse volens evangelista insinuare, maluit Herodem ob temporis seriem, quam Augustum subtexere, ut per hoc plenitudinem adventus Christi ex prophetia firmius explanaret. Quia nisi hic esset cui fuerat repositum, omnino princeps de Juda, et dux de femoribus ejus nullatenus defecisset. Nimirum quia usque ad hunc locum, Christi videlicet et templi, sacerdotes ex utraque tribu commisti Judæorum regebant populum. Quorum extremi Hyrcanus et Aristobulus, filii Alexandri sacerdotis, pontifices exstiterunt; qui facibus succensi cupiditatis, regiam affectantes dignitatem, contra se invicem dimicarunt. Hinc utique occasionem præbentes Romanis, ut itidem Judæam invadant hostes. Quorum primus Pompeius, capta urbe, atque templo reserato, usque ad sancta sanctorum velut tyrannus accessit. Aristobulum quoque vinctum secum abduxit, et pontificatum Hyrcano tradidit. Deinde vero Antipatrum, cujusdam **119** Ascalonitæ filium, qui fuerat olim ut aiunt, ædituus templi Ascalonis, procuratorem Palæstinæ provinciæ fecit. Unde Herodes hic, sub quo Christus nascitur, cujus Antipatri filius ab Hyrcano Romam directus in notitiam Octaviani Augusti ac senatus venit. Sed postea Hyrcano mortuo, destructoque pontificatu, nihil ad eum pertinens utpote Antipatri Ascalonitæ, et matris Cypridis Arabicæ filius, a Romanis contraditum undecimo regni Augusti anno principatum Judæorum alienigena susçepit. Cujus sane progenies per successiones, ut Scripturæ ferunt, tantisper idem regnum tenuit; et sacerdotio in templo nullus secundum legem successit, donec civitas ac templum usque ad solum diruta una cum populo deleretur. In hoc quippe tempore cœpit hostias et sacrificium, juxta Danielem, deficere, et in templo abominatio desolationis esse (*Dan.* IX, 27). Ac deinceps usque ad consummationem et usque ad finem, juxta eumdem prophetam, desolatio perseverat ; in tantum ut, in loco quo prius templum et religio fuit, Sarraceni fanum culturæ suæ habeant, in modum sancti templi, ad profanationem sanctuarii, quod sua lingua, ut aiunt, Mischidam vocant. Unde contra Judæos hinc inde contuendum venire sententias. Qui quamvis lapideum gerant animum, tamen sanctarum Scripturarum auctoritas, et sæcularium litterarum paginæ, non minus contra eos clamant, et revincunt, quod obstinato cæcitatis animo contradicant. Oratorum quippe argumenta rerum, quæ non minus in Evangelio quam in prophetis interposita inveniuntur, plura sunt. Ex quibus septem sensim hinc inde Christi ad fidem inserui, quæ simul omnes artium scriptores tractaverunt, et in præceptis suis supposita reliquerunt, per quæ rerum apud eos omnis assertio firmatur atque conficitur. Quæritur enim in omni causarum statu, *quis* et *quid*, *cur*, *ubi*, et *quando*, *quemadmodum*, *quibusve adminiculis* res fulciatur. Quæ simul Scriptura quamvis distincte singula, et quod majus est, prophetarum eloquiis roborata, et angelorum vocibus declarata nobis in Christo reddidit; quatenus nec Judæis ad fidem miracula deessent, nec Græcis sapientibus ad persuadendum de hac sacra nativitate, credendi negotia minus adessent. Quis autem sit qui natus est, primum requiratur Isaias propheta, et dicat quod qui natus est, sit magni consilii angelus, **120** appelleturque Fortis et Dominator, Pater futuri sæculi, et Princeps pacis (*Isa.* IX, 6) : hic Jesus, quem angelus signanter annuntiat Filium Altissimi, et prophetarum eloquia futurum nominant Salvatorem. Quid autem sit, idem etiam et Joannes evangelista patenter insinuat, quod *In principio Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Ac deinde quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14). Ubi profecto quidem et evidenter

Introdusă în format electronic de Google

est ostensum. Cur autem venerit, angelus insinuat populum scilicet suum a peccatis eorum salvum facere, et, ut alibi dictum est, *clausis apertionem* ostendere (*Isa.* LXI, 1). Porro idem : *Ubi* venerit, Joannes dicat quod *in sua venit*, et propheta describit dicens : *Tu Bethlehem, terra Juda, non es minima in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel* (*Mich.* V, 2). Dux, inquam, cui repositum erat, quem Daniel utique futurum prævideral. Quando vero venit, tunc utique quando cœpit dux de Juda deficere, ac princeps de femoribus ejus, quando venit plenitudo temporum : in diebus scilicet Herodis regis, qui jam alienigena contra legem in Judæa regnabat. Quemadmodum igitur sit natus, manifestum quod ineffabiliter de Virgine : quia revera iste modus nascendi non est naturæ humanæ fragilitatis, sed divinæ majestatis fuit dignatio. Interea, quibus adminiculis sit factum, declarat angelus ad Mariam cum dicit : Quod *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Atque illud : *Quod natum est in ea de Spiritu sancto fuit.* Et quia præcepta hæc philosophorum ad persuadendum incredulis videntur ipsis esse congrua, idcirco apposuimus ut hinc inde pateseat divinus sermo quantis redoleat sacramentis, quantisve præemineat indiciis, et præcellat sæcularium litterarum eloquiis. Est enim constantior in dicendo, copiosior in eloquio, profundior in sensu, in intellectu sublimior, luminosior in prospectu, suavior in gustu, certior in provisso, fructuosior in proventu. Quam qui altius effoderit, majores sibi thesauros acquirit, et quæ sunt indicibilia mortalibus, subito per gratiam Spiritus ibidem adinvenit. Bethlehem autem Judæ, ob distinctionem alterius Bethlehem dicitur, quæ est in Galilæa, in tribu Zabulon, etsi in antiquioribus exemplaribus Judææ inveniatur : quia nimirum Judæa tota *illa* regio decem tribuum intelligitur; Juda vero, sola illa tribus David per hoc apertius designatur. **121** Est autem earum utraque in Judæa, et *ideo* hic legendum est Judæ, ut significantius illa exprimatur civitas David in tribu Juda, de qua Christus diu prophetice repromissus exspectabatur. Hæc, inquam, est civitas David in sorte tribus Judæ in sexto quidem milliario ab Ælia sita, contra meridianam plagam, juxta viam quæ ducit Hebron. In qua nimirum adhuc hodie sepulcrum Jesse ac David ostenditur : quanquam et alibi idem in Hierusalem sepultus legatur. Bethlehem quippe *domus panis* interpretatur, ex quo nimirum præsagium inducitur futurorum, quod ibidem panis vivus, qui de cœlo descendit ad refectionem eorum qui crediturl erant, quandoque nasceretur. Nam antea Ephrata vocabatur, sed postea commutato vocabulo Bethlehem significantius nominatur. Gerit enim figuram totius Ecclesiæ, quæ domus panis non inconvenienter dicitur; in qua quotidie credentes cœlesti dulcedine jam illo aluntur cibo angelico, et saginantur, dum prægustant carnem ac sanguinem Redemptoris. *Caro*, inquit, *mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus* (*Joan.* VI, 55). In Bethlehem ergo nascitur, quia vera domus panis sola Ecclesia Christianorum ostenditur, extra quam panis ille cœlestis non invenitur. Hinc igitur in præsepio ponitur, velut piorum uberrimus jumentorum cibus, si quos forte ratione carentes invenerat, refectos alimento spirituali ad angelicam sublimius referret dignitatem. De quo nimirum nativitatis loco, latius post paululum explicabitur.

Ecce, inquit, *magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum?* In magis ergo istis jam fides gentium, velut primitiæ, Domino consecrantur; qui per fidem in Oriente sibus cernentes, matutinam stellam, quæ Christus est, feliciter sunt secuti. Nisi enim lucifer matutinus primum eorum cordibus oriretur, nequaquam, stella prævia, regem Judæorum tam constanter inquirerent. Fuerunt autem, ut aiunt, de genere Balaam, successoresque doctrinarum ejus, et ideo ex prophetia illius evidentius cognoverunt, quod etiam in doctrina studiose recolentes, experiri secundum disciplinam ipsius artis meditabantur. Nam magi idem sunt qui postea mathematici sunt vocati, quorum est in stellis nascentium **122** ortus inspicere, et ex mathesi rerum probare eventus. Sed de istis magis fatendum potius quod ex prophetia, vel certe Spiritu sancto eos excitante, crediderint, quam aliqua inimici fraude substitutos ad fidem esse, præsertim cum præceptoris eorum vaticinium cunctis in signum esset futuræ promissionis. *Orietur*, inquit, *stella ex Jacob, et consurget homo vel virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, eritque Idumæa possessio ejus* (*Num.* XXIV, 17, 18). Et post paululum : *De Juda*, inquit, *erit, qui dominetur et perdat reliquias civitatis* (*Ibid.*, 19). Quæ nimirum singula nemo qui de Christo dubitet intelligi. Unde et isti, tali edocti præconio, divina inspirante gratia, nativitatem summi ducis prædicant, qui nondum locum in quo nasceretur agnovissent. Noverant igitur quod ex vaticinio magistri quem sectabantur perceperant, et ignorabant penitus locum quem alibi per prophetam Spiritus sanctus declarabat. Hinc sane fit inter Judæos et gentes mira doctrinarum vicissim commutatio. Illi locum insinuant, qui tempus adventus Domini non recognoscunt. Quippe quia scriptum est quod *Milvus, et hirundo, ac ciconia, custodierunt tempus suum : populus autem Domini non custodierit judicium Dei sui, neque tempus visitationis cognoverit* (*Jer.* VIII, 7). Isti vero e contra tempus prædicant, qui nascendi locum ex disciplina artis suæ nequeunt comprehendere. Ab Oriente quoque veniunt Hierosolymam, quia civitas altissimi Dei illa in toto fulgebat orbe terrarum, ut ex ipsa, quod minus erant edocti, divinis legibus erudirentur.

Sed quomodo venerint ex Oriente, terrarum spatia longissima in tam subito peragrantes, non satis apparet, nisi forte post annum, ut quidam volunt, venisse credantur, quod penitus stare nequit. Quia

Introdusă în format electronic de Google

si post annum eo usque venissent, nequaquam in præsepio, ut Evangelium narrat, sed jam eum in Ægyptum delatum prorsus invenissent. Quo profecto patet quod ad duodecimum venerint diem, et eo sit Kalendarum articulo a magis in præsepio adoratus, quo postea in Jordane specie columbæ a Spiritu sancto perunctus, et voce paterna, *Hic est Filius meus dilectus*, de cœlo testificatus. Duodecimo autem die idcirco eos possibile apte creditur adventasse, quoniam omnis illa pars anterior regionis ab Hierusalem jure Oriens appellatur, sicut etiam ipsa consuetudo loquendi docet, et auctoritas divinarum Scripturarum multis **123** in locis ita debere intelligi probat. Unde Habacuc de hac ipsa nativitate gratulabundus canit, dicens : *Deus ab Austro venit.* Itaque quia Bethlehem, ubi Christus natus est, ad meridianam plagam ab Hierusalem sexto ferme milliario sita est, idcirco ab eadem parte regionis recte venisse dicitur. Fuerunt namque isti, ut ferunt, de terra Persarum, velut Juvencus noster canit :

Tumque jubet Persas extendere gressus,

specialiter tamen Evilat, ubi abundat aurum optimum, habitasse creduntur. De quibus Isaias : *In tempore illo*, inquit, *defertur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato, a populo terribili, post quem non fuit alius* (*Isa.* XVIII, 7). Hoc autem hyperbolice, propter Persarum robustissimam gentem, dicit ; ad cujus tunc potentiam nullus his in locis populus comparatur. De quibus magi venientes, Dei agente nutu, Christo munera detulerunt. Hinc iterum ipse fatetur loquens : *Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes* (*Isa.* LX, 6). Quia nimirum Saba illis in partibus Persidis regionis fluvius decurrit, ex quo tota illa regio, proprio ejusdem nuncupatur vocabulo, juxta quam Arabia jacet, et confinis est regionis illius. Unde et David : *Vivet*, inquit, *et dabitur ei de auro Arabiæ.* Ac post pauca : *Reges Tharsis et insulæ, munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent* (*Psal.* LXXI, 10, 15). Nam et in his regionibus, ad orientalem plagam Hierosolymorum, magos reges exstitisse, nemo qui historias legit gentilium, ignorat; quo profecto reges eos fuisse opinamur. Quia, etsi tria rerum munera detulisse leguntur, non ideo mox, ex Evangelio non amplius quam tres fuisse probatur. Sed ex traditione majorum, ut per eos gentium multitudo, quæ de tribus Noe filiis enascitur, ad fidem Christi ventura præsignaretur. Quorum quia nomina etiam a quamplurimis viritim exprimuntur, potest fieri tot principes religionis ac potentiæ tanti itineris exstitisse, et alios quamplurimos in suo comitatu, sicut mos est magnorum, socios habuisse. Alioquin videtur difficile ut soli tres homines per alienas provincias tantum subirent negotium, et omnem Hierosolymam suo nuntio commoverent.

Sed utrum stella quam viderant in Oriente sit orta, an etiam eo positi ad Occidentem eam natam conspexerint, videtur ambiguum : præsertim cum dicat evangelista, illis ab Hierusalem exeuntibus, **124** quod *Ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Nec utique demonstrans utrum ipsa perduxerit eos Hierosolymam, et civitatem regiam intrantes deseruerit, an tantum, postquam exierint ab Hierusalem, eadem ipsa stella, quam viderant in Oriente positi, dux ac comes itineris esse cœperit. Potest quippe congruere, sicut multi doctorum tradunt, quod ex Oriente eos Hierosolymam perduxerit. Et dum requirunt humanum quasi ex lege auxilium, mox divino destituuntur. Sed si diligentius inspiciatur, nequaquam Evangelii veritas probare videtur quod ad Judæam eos illa perduxerit. Imo in Oriente tantum eos stellam vidisse fatetur, ex qua nimirum intellexere natum in Judæa, de quo Balaam prædixerat. Propter quod illi statim ut conspiciunt, Judæam petunt, et civitatem regiam, ubi ejus nativitatem ex propheticis oraculis crediderant, agnoscere deveniunt. Ubi cum Bethlehem eum natum ex prophetarum testimoniis comperissent, mox illuc iter agressi, ecce stellam quam viderant in Oriente prævium cernentes recognoscunt. Sic namque habes in Evangelio dicentibus magis : *Vidimus*, inquiunt, *stellam ejus in Oriente.* Neque enim fatentur quod eos ab Oriente illuc perduxerit, sed tantum : *Vidimus stellam ejus in Oriente.* Qui cum profecto *audissent regem*, sequitur, *abierunt, et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos.* Et neque scribitur quod alibi eam vidissent, neque quod comes itineris esset. Verumtamen etsi ita possit, ac si enucleatius explanari, non mox prior plurimorum sententia videtur refellenda. Quia, etsi cursu itineris sui visibilis non præcessit, tamen illustratione fidei intus in animo comes fuit. Quod autem sidereas vias non tenuerit, ostenditur ex hoc quod stetisse supra ubi erat puer narratur. Quia si in summa cœli arce inter cæteras sita esset, unicuique domui in omni illa civitate supra verticem stare videretur. Unde patenter insinuat multum eam domui vicinam in qua puer erat, stetisse. Cæterum, si in cœli centro locata radiasset, ut ipsi de reliquis probare possumus signis, neque viantibus illis iter monstraret, neque domum in qua puer erat signanter exprimeret. In quo nimirum operis negotio, quatuor simul videntur congruere, signum videlicet, ac prophetia, et demonstratio, atque typica Hierusalem **125** novæ fide prævia cœlestis adingressio. Signum si quidem hujus mysterii fuit columna illa ignea quæ antecedebat populum Dei Hierosolymam petentem, per quam Spiritus sanctus ductor eorum designatur, qui ad Christum veniunt. Unde quidam Spiritum sanctum per stellam velut in columba visum fuisse astruunt, quod omnino Evangelium non loquitur, neque probabile aut verisimile videtur; quanquam et ipsa figuram gesserit Spiritus sancti, per quem fides in corde credentium radiat. Prophetiæ quidem fuit, ut prætulimus, adimpletio, quia dictum erat : *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo in Israel.* Nam etsi de Christo simpliciter, *Orietur stella ex Jacob*, possit intelligi, quia illa velut

Introdusă în format electronic de Google

de cœlo innuitur exstitisse, fatemur tamen quod ad utrumque referri quæat : quia et Christus, juxta quod Joannes in Apocalypsi (XXII, 16) sua loquitur, stella fuit ; et in ea, quæ apparuit, Christum esse monstratum manifestissime approbatur. Nullum igitur signum congruentius poterat apparere ad invitandum, quam per quod fides credentium radiaret in miraculo ; et vera quæ Christus est, stella ex Jacob præsignaretur ex oraculo. Cui profecto vera fide Christo obsequentes configurati, per hoc jam jamque velut stellæ cœlorum, æterna perpetuitate collucentes, virtute spei in cœlestibus præsiderent. Quid enim aptius, quam per stellam fides, qua itur ad stellam, *ostenditur* ; ut per eam, quia lumen proprium non habemus, illustrati perpetua æternitate lucere possimus ? Demonstratio quippe Christi profecto in stella fuit. Alioquin non dicerent : *Ubi est qui natus est rex Judæorum ? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Ad quem qui pervenerit, et ingressus fuerit Hierusalem illam cœlestem, monstrabitur ei continuo Christus stella matutina juxta promissum Joannis, et ideo supra puerum recte stetisse dicitur, quia idem sanctorum claritas approbatur : quam qui conspexerit, gaudebit utique gaudio magno valde, et adorare ante conspectum Dei non desistet. Quia domum semel ingressus, æterna satietate Christi lætus fruitur.

Sed Hierusalem cur iidem magi intraverint tanto præviante lumine, non abs re factum crediderim. Primo ut Judæi **126** Christum non credentes progenitum, a magis longe venientibus discerent ; et si credere noluissent, inexcusabiles omni ex parte prophetarum eloquiis convicti remanerent. Deinde ut sacerdotes, Scribæ, ac Pharisæi, qui locum nativitatis ex prophetia designabant, velut lapides milliarii immobiles permanentes, non ex ignorantia, sed ob cordis duritiam, quod credere noluerint, debite damnarentur. Tertio namque, ut Christus, qui pax nostra dicitur, de Hierusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, manifestius Isaia dicente nuntiaretur : *Quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Hierusalem* (*Isa.* II, 3), ac si diceret prædicabitur. Unde nimirum Judæis pastoribus, tanquam ex lege rationali affatu promptioribus, angelus Christum annuntiat. Istis vero magis, tanquam infidelibus, Deus signis loquitur ; quia *signa*, sicut ait Apostolus, *non fidelibus, sed infidelibus sunt data* (*I Cor.* XIV, 22). Utrisque tamen de cœlo reseratur, ut ad cœlestem cœlestia jam cœlestes credendo rerum præsagia firmius invitarent. Fertur autem, ut dixi, hæc stella sidereas vias non tenuisse, quia quantisper inferius ibat, etsi superior volatu avium paulisper parebat ; quia illum præmonstrabat ex itinere, qui paulo minus ab angelis in carne minoratus, excelsior tamen sanctis omnibus natura et gratia præeminebat. Itaque stella illa, ut aiunt mathematici, vel Priscillianistæ, quam magi viderant, non ad decretum ex mathesi Christo secundum carnem dominabatur, sed ad testimonium ei ut sua creatura famulabatur. Nec enim eum suo subjiciebat imperio, sed pio indicabat obsequio. Proinde constat eam non ex illis fuisse stellis, quæ ab initio itineris ordinem servaverunt : sed novo Virginis partu novum sidus apparuit. Quod ministerium officii sui etiam ipsis magis Christum quærentibus, cum ante faciem præiret, exhibuit ; donec eos usque ad ipsum locum ubi Dei Verbum infans erat, præeundo perduceret. Qui tandem astrologi quia constituerunt hominum nascentium fatum sub stellis, præbeant aliquam stellarum homine aliquo nato cursus sui ordinem reliquisse, et ad eum qui natus fuerit perrexisse. Quia sortem quippe nascentis astrorum ordine ligari æstimant, non astrorum ordinem ab hominis nati die posse mutari. **127** Quapropter si stella illa de his erat quæ in cœlo peragunt ordinem suum, quomodo poterat decernere quid natus Christus acturus erat, quæ nato Christo divino jussu passa est relinquere quod agebat ? Si autem, ut probabilius creditur, ad demonstrandum Christum quæ non erat exorta est, non ideo Christus natus est quia illa exstitit, sed ideo illa exstitit quia Christus natus est. Ipse quippe illi, et non illa Christo nascendi causam attulit. Neque quia cessavit in primordio novam deinceps condere creaturam, ideo per hoc novum est aliquod appellandum. Quia, etsi nondum erat quæ facta est in subito, erant tamen reliqua astra singulatim composita, inter quæ ista novo exortu manifestationis officio deputatur. Nam pastoribus angeli, magis vero stella Christum demonstrat ; utrisque tamen loquitur lingua cœlorum, qui cessaverat jam jamque lingua prophetarum. Atque per hoc, utrisque cœli enarrant gloriam Dei ; ut hi qui prope ac qui longe erant, simul cœli cives fierent. Quid ergo est quod tot reges antea in Judæa nati, nemo tamen ab alienigenis adorandus requiritur, præsertim cum Herodem, quem adierant, nec adorent ? quia etsi regnantem inveniunt, alium Judæorum regem, duce de ipsis deficiente, jam natum intelligunt.

Et venimus, inquiunt, *adorare eum.* Adorare, quem Deum stella famulante intelligunt. Alioquin Herodem, quem regio cultu renitentem cernebant, primum debuerant adorare. Sed quia divinitus agebantur, ut latentem Deum in cunis, vel inter præsepia vagientem, ad adorandum requirerent, hunc nec regem intendunt, nec eum venerantur, nec aliquid eum esse computant. Quo sane inspirationis affectu et illud gestum dixerim, quod Octavianus Augustus, eo tempore quo totum sibi subditum atque subjectum persenserat orbem, atque populus universus in concione, quod supra memini, dominum eum totius terræ voluerit acclamare, nequaquam passus est ; sed legibus hoc prohibuit, quod nullus unquam regum ante fecisse legitur. Hinc profecto patet quia vis divina, quæ istos devotionis intus agebat affectu, ipsa hunc cohibuit principem, ne sibi applauderet indebite, quod potentatu alterius totus terrarum **128** orbis sub monarchia Romani imperii subdebatur. Sed corybanta Herodes, au-

Introdusă în format electronic de Google

diens alium quam se Judæorum regem requirere, A turbatus dicitur, et omnis Hierosolyma cum illo. Moliebatur enim, cum esset alienigena ignobilis genere, legitimus Judæorum rex videri. Unde et omnes codices, teste Josepho, quibus Judæorum genealogia texebatur, igne cremaverat, ne notarent eum, reticendo, ignobilem, et prosapiæ ordinem tribus Judæ clarissimum commendarent. Æstimans se itaque nobilem videri posse, si nullis sacræ Scripturæ fascibus premeretur.

Unde verum profecto constat, quod Africanus innuit, quia fuerunt viri studiosi ex Judæis, qui dicebantur Heriles propter propinquitatem scilicet generis Christi, erantque Nazaræi, qui per omnem regionem circumeuntes, ordinem supradictæ genealogiæ Christi, partim memoriter, partim ex Dierum libris quos domi, cum incenderentur, ex archivis templi habuerant, partim vero ab avis et proavis narrantibus retinentes, litteris secundum ordinem mandaverunt. Quibus omnibus perscrutatis, ea maxime quæ in eisdem archivis, aut aliubi infra impenetrabilia locorum abdita sunt servata, ex quibus nostra divinorum auctoritas librorum derivatur hinc inde ut veritas Evangeliorum evidentius declaretur.

Regem autem Herodem ideo nominat, quamvis nequeat jure rex vocari, qui proprios nescit motus mentis regere, ut ex collatione regis Judæorum, quem magi quærentes cupiunt adorare, iste intelligatur extraneus, quia proprius jam defecerat. Et notandum quod omnis qui sibi ob insolentiam vindicat indebitum principatum, et multis movetur suspicionibus, ita ut per nefas pravis argumentorum fraudibus velit cunctis obviare negotiis, ne digniori se locum tribuat regendi, quod idem indigne tenere probatur; similis est hnic scelesto Herodi, qui, suis cupiditatum dolis, per multa parvulorum homicidia divino peccando contraire tentavit decreto. Unde mox turbatus plures suorum habuisse complices scribitur, in tantum ut more vulgi, Dei quondam populus ob favoris gratiam turbatus dicatur, doleus repromissum jam cœlitus advenisse. O misera fragilitatis humanæ conditio! quæ sæpe plurimum eis favet injuste, **129** quos Dei justo judicio crudeles sustinet oppressores; nec iis metuit adulari, quos Dei in semet quotidie voluntati conspicit reluctari. Inde nimirum illud Salomonis verum probatur, *Quod rex injustus omnes ministros habebit im ios* (*Prov.* XXIX, 12). Turbatus autem hic forte duabus ex causis dicitur, vel quia exitium regni sui pertimescebat; et ideo cœli Rege nato rex terræ turbatur : vel quia tam Cæsar Augustus quam senatus decreverant ne quis rex aut deus sine ipsorum consilio diceretur. Idcirco forsitan audito regis nomine, furore movetur, ne in se, si vulgatum esset senatus decreta violasse, discriminis sententia verteretur.

Congregans autem omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. Diligentiam inquirentis ostendit, ut si inveniret, faceret quod postea se velle insinuat; sin autem ut si ad notitiam Augusti Cæsaris, vel senatus quandoque relatum esset, sua excusaretur diligentia, cuncta quæ potuerat zelo Romani imperii peregisse. Alias autem ob legis peritiam, ut cautius eos exploraret, si rex eorum ex lege repromissus tristes gaudentesve faceret. Christum autem ideo nominat, quia didicerat ex more patriæ Judæorum reges omnes ab unctione christos vocari.

At illi dixerunt : In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per prophetam : Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux qui reget populum meum Israel. Quod testimonium duntaxat nec Hebraico, nec Septuaginta interpretibus convenire, nobis quoque tacentibus B comprobatur. Unde quidam calumniantes dicunt in omnibus pene testimoniis, quæ sumuntur ex Veteri Testamento, hujusmodi resonare errorem, ut aut ordo verborum mutetur, aut sensuum, adeo usque ut intellectus interdum diversus videatur. Apostoli, inquiunt, vel evangelistæ non ex libris testimonia decerpserunt, sed memoriæ credentes, quæ nonnunquam fallitur, contraria interdum protulerunt. Quasi ex ingenio tantum artis sint locuti, et non magis divina inspirante gratia, per Spiritum, per quem olim Scripturæ sunt editæ, non contrariæ quidem, sed juxta quod opportunum fuerat, mysteria inserendo eloquiorum Dei testimonia reseraverint. Hic tamen arbitramur beatum evangelistam Scribarum et Pharisæorum arguere ignaviam, atque circa divinarum Scripturarum eorum negligentiam C **130** notare, et ideo sic posuisse, ut ab eis dictum est. Qui tamen etsi arguuntur socordia, sensus quodammodo restituunt veritatem. Nam in Hebræo sic habet : *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel; et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis* (*Mich.* v, 2). Et est sensus : nequaquam tu Bethlehem, id est Ephrata, quantitate seu numero minima es inter omnes civitates Judæ, quæ tantis civitatum millibus comparata, vix parvus es viculus. Ac si diceret : Nequaquam minima es, quia ex te magnus egredietur Christus, qui erit utique dominator in Israel. Neque putes eum de genere tantum esse David, cui promisi dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem meam*; quippe quia carnis assumptio non impedit divinitatem. Nam egressus ejus ex mea constat substantia, natus a diebus æternitatis, juxta quod in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Neque enim conditor temporum tenetur sub tempore, quamvis Deus homo factus nascatur ex tempore. Ecce quam evidens testimonium non solum contra Judæos, verum etiam et contra eos qui dicunt Christum in carne purum hominem fuisse. Cæterum quod in Hebræo, *et tu Bethlehem Ephrata* scribitur, et non *Juda*, malitia Judæorum postea creditur commutatum, ne Christus de tribu Juda ortus videatur. Sed illi quando necdum de Christo livore movebantur, simplicite,

Introdusă în format electronic de Google

et tu Bethlehem Juda efferunt, quamvis in reliquis negligentiæ arguantur, quod postea in eorum codicibus minime reperitur. Ephrata quippe a Septuaginta liquido constat additum aliam ob significationem, quod multis in locis eos fecisse legimus. Nos tamen recte interea possumus probare ex divina auctoritate, Bethlehem in tribu Juda omnino esse. Legitur enim in libro Judicum (XVII, 7) quod fuerit vir Levites habitans in lateribus domus Ephraim, et accepit sibi mulierem concubinam de Bethlehem Juda, atque toties de reliquo eodem replicatur nomine. Nam et juxta Septuaginta, quamvis hic dixerint, *et tu, Bethlehem, domus Ephrata*, in Jesu Nave tamen, ubi tribus Judæ, urbes atque oppida describuntur, etiam hanc inscriptam legimus : *Theto*, inquit, *et Ephrata, hæc est, Bethlehem, Fagor* (*Jos.* XV), ac reliquæ quæ sequuntur civitates undecim. Quod penitus nec in Hebræo nec apud alium quemlibet interpretem invenitur. Sed et omnem familiam domus **131** David hanc sorte hæreditatis tenuisse, nemo qui ambigat. Quam profecto domum de tribu Juda, et in eadem funiculum possessionis percepisse omnes paginæ divinæ distributionis loquuntur. Cæterum quod Septuaginta, *et tu Bethlehem, domus Ephrata*, dicunt juxta librum Geneseos ob veritatem rei, quia ipsa est Bethlehem, ubi mortua perhibetur Rachel et sepulta in via Ephrata, qui est, inquit, Bethlehem. Sed Ephrata antiquitus vocabatur, et postea propter mysticum intelligentiæ sacramentum significantius immutatur. Nam Ephrata, *furorem vidit*, interpretatur. Quod patenter Herodis præmonstrat insaniam; quia dum Christum quæsivit perimere, delusus est a magis : unde iratus valde, mittens occidit omnes pueros in Bethlehem. Qua de causa recte *furorem videns*, antiquitus est appellata. Sed jam nemo timeat, nemo dubitet, nemo desperet, quia requies illa quam quærebat David, audita est in Ephrata, inventa est in campis silvæ, et domus *furorem videns* facta est *domus panis*. Unde et Rachel, figuram gerens Ecclesiæ, ibidem sepulta legitur, ut in eodem loco plena requies ejus signetur, ubi Christus panis vivus, qui de cœlo descendit, quotidie ex ortu novo sine defecto versatur. Comprehenderunt eum itaque dolores parturientis antequam nasceretur Christus, et ideo *furorem videns* ante merito nuncupatur. Videbat igitur furorem, eo quod pareret iniquitatem, et jugiter dolores conciperet, et injustitias affluentius pariuriret. Nullus enim magis dolor quam peccati vulnus, ubi in conscientia nihil est validum, nihil sanum, sed omnia mœroribus abundant, et diseruciant infelicem animam pondere peccatorum. Hinc sane David miseriarum suarum perhorrens vulnera : *Turbatus est*, inquit, *a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos* (*Psal.* VI, 8). Cui nimirum cæcitatis furori omnis subjacebat natio gentium, imo omne humanum genus, quia omnes eramus filii iræ. Sed gratias agamus largitori nostro, quia, ut dixi, ecce ubi domus furorem videntis erat, facta est domus panis; ubi crudelitas, ibi pietas; A ubi ira, ibi misericordia; ubi grave jugum super filios Adam a die nativitatis eorum, ibi Christi onus leve et suave jugum; et quæ erat Ephrata, ipsa est Bethlehem. In domo igitur furoris natus est Christus : et ideo jam non domus furoris, sed domus panis, quia panem de cœlo venientem suscepit, felicius **132** vocatur. Quanquam et Ephrata eumdem videatur sensum significare, Ephrata namque *frugifera* dicitur : quia in præsenti vita profecto excolens agrum ubi Christus efloruit, vitæ fruges ad horreum indesinenter ferre satagit. Siquidem hic frugifera, ut ibi, cum manifestata fuerit gloria Christi, satietur ex adipe frumenti, et repleatur omni felicitate perpetua. Et notandum forte quod satis illi congruant intellectui duæ istæ unius nominis interpretationes, B ex quo bene Propheta canens, ait : *Qui seminant*, inquit, *in lacrymis, in gaudio metent; euntes ibant et flebant portantes semina sua* (*Psal.* CXXV, 6). Flere igitur non cessat Dei Ecclesia dum est in via, etsi sepulta dicatur a mundi illecebris, quia furorem videt venturi judicis; unde exclamans dicit : *Domine, ne in furore tuo arguas me* (*Psal.* VI, 1). Cum autem dicit : *Qui seminant in lacrymis*, edocet quod ex proprio labore frugifera jure vocetur. Quippe quia quotidie intra aream, quam Christus ventilabro suo permundabit, universa virtutum opera congregat et recondit. Eo itaque decebat ut Christus nasceretur in loco qui totius Ecclesiæ figuram gestaret, atque ex nomine Christum inibi cunctis pabulum credentibus adfuturum innueret; quando quidem extra Dei C Ecclesiam, non nisi mortis inedia crudeliter fame impietatis filios regni hujus vastat.

Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit. Diligentia doli est ac fraudis, cupiens explorare, quia locum ex prophetia didicerat, quando nasceretur. Et ideo pollicitus est adorare, ne quisquam adverteret, quod ex conjectura postea colligitur, quid animo celabatur. Qui nimirum clam vocatis magis contulit cum eis, ne forte Scribæ ac Pharisæi, quasi ex Dei oraculo repromissum occulerent, si aliquo significationis nutu deprehenderent eum se velle perimere. Neque enim æstimare poterat, quod contra Dei promissa tanto insanirent odio, ut non vellent suscipere eum qui vocibus prophetarum proprio ex genere fuerat repro- D missus. Unde clam vocatis magis, didicit ab eis diligenter tempus stellæ. Sed revera quid de ipsa didicerit, quando, et ubi, vel quomodo apparuerit, non satis claret responsis. Et ideo alii alia fingentes, velint, nolint, totum Deo possibile reliquerunt, quidquid difficillimum hominibus videtur. Interea mittens eos Bethleem dixit : *Ite et inquirite diligenter de puero, ac renuntiate mihi, ut et ego* **133** *veniens adorem eum*. Simulat se ergo adorare quem necare disponit, ut persuadeat eis, sine ulla fraudis suspicione, ob favoris gratiam sibi renuntiare.

Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos donec veniret supra ubi erat puer. Deseruntur autem Judæam ingressi stellæ indicio, ut compelle-

Introdusă în format electronic de Google

rentur ex lege propter fidei sacramenta diligentius requirere tanti regis nativitatem; quatenus et ipsi sacerdotes a magis interrogati ubi Christus nasceretur, de adventu ejus inexcusabiles essent. Ut quia socordia premebantur, ne prophetarum vaticinia intenderent, a gentibus prænoniti, saltem debitum exemplis invitati venerationis obsequium credendo impenderent, qui primi ex vaticinio ad adorandum velocius venire debuerant. Provocantur enim ad fidem, sicut scriptum est, in eis qui non erant ex populo Dei, et irritantur stulta in gente ad æmulationem ut ex utroque convicti inexcusabiles essent. Sed ipsi, tanquam Jacob filios benedicens, obfusis cæcitate oculis caligabant, quia præsentem lucem non intuebantur, cujus etiam locum nativitatis ex prophetia veluti digito longe positi demonstrabant. Aliter autem, deseruntur magi divino viantes auxilio dum requirunt humanum : ut ex hoc pateat nos non debere, quos fides et Christi gratia illustrat, humanum docendi, dubietatis animo, requirere suffragium. Neque enim debuerat signum miraculi magis tanquam infidelibus ostensum, eisdem apparere legis doctoribus, quos prophetarum eloquia, et patriarcharum præsagia, atque figurarum ænigmata, velut domesticos, non modo ad fidem, verum etiam ad scientiam promissorum plurimum præstruebant. Unde timendum est de his quæ in divinis litteris habentur, si mens male devota exstiterit, infidelitatis nodo incredula, aut subterfugiendi examine subdola, ne unquam ullis signorum prodigiis valeat invitari. Quia si Moysen et prophetas non audierint, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Magi autem tandem comitante stella pervenientes ad locum, atque famulante desuper, ubi erat puer, sidere, ad quem eos ex Oriente perduxerat.

Gavisi sunt gaudio magno valde. Usus itaque Scripturarum puerum cum ideo frequenter nominare videtur, ut eum recognoscas de quo propheta canit : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX, 6). Sed si in litteris divinis nihil superfluum **134** esse creditur, neque unus apex vel iota vacat a mysterio, textus hic Scripturarum quæstionem videtur afferre : cum nemo nisi gaudio possit gaudere, sicut nec nisi vita vivere, et morte mori; præsertim cum non, *gaudio gavisi sunt*, simpliciter annotatur, sed etiam magno valde superadditum cumulatur. Nam legimus in Genesi ad Adam dixisse Dominum : *In quacunque die comederis de ligno dignoscentiæ boni ac mali, morte morieris* (*Gen.* II, 17). Et per Ezechielem : *Impius*, inquit, *si egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur* (*Ezech.* XVIII, 28). Nunquam itaque dixerim hujusmodi locutiones Scripturarum sanctarum supervacuas esse. Quia, sicut morti quam sæpe vivitur, et vitæ, ut usus Scripturarum approbat, frequenter moritur; sic et gaudio profecto gaudet aliquis, quando propter Deum quod est verum gaudium, gaudet. Nam vita vivere quid est aliud quam in virtutibus vivere, et beatæ vitæ actus habere adhuc in istius corporis vita? Sicut e contrario, morte mori, quid est aliud, quam pro vitiis et peccatis morte puniri? Ut ille qui posse habebat, si vellet, non solum non mori, verum etiam obediendo quandoque per Deum immortalis haberi; fieret in peccatis moriendo mortalis, et, si non redimeretur, deinceps, post mortem carnis, ob mortem animæ æterna morte victurus. Hinc igitur profecto patet, in divinis litteris nihil supervacuum, sed, mira distinctione verborum, sunt omnia mysteriis referta, et mirabili decore sensibus variata. Unde beatus evangelista volens illud unicum et admirabile gaudium credentibus innuere, præmisit eorum gaudendi magisterium, lætandique munus, fide cum gratia desiderantes quærentibus in corde cœlitus diffusum. Et non solum gaudio gavisos, sed magno utique gaudio, quo nullum est majus; atque in ipso magno gaudio eos valde gavisos. Quia potest in uno eodemque magno gaudio, alius plus, alius minus gaudere. Porro isti quorum specie genus præsagiebatur credentium, gavisi sunt ex illo magno gaudio valde, quia certi facti sunt de obtentu, fideles de proventu, devoti ex affectu, ardentes interius de inspiratu. Sed et magnum gaudium dici potest, ob distinctionem alterius gaudii; quia est et infimum gaudium, quo proprie magis gestire dicimur, etsi eo abusive, recte gaudere dicatur. Unde per Salomonem, secundum Septuaginta : *Lætantur* **135** *cum male fecerint, et gaudent in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14). Est itaque et medium vitæ, quoties de bonis Domini temporalibus gaudere populus perhibetur : quoniam, si ad eadem bona refertur, infimum esse convincitur; sin autem ad Deum qui dedit illa, saltem aliquid esse cognoscitur, quando per ea gaudendo, animus ad illud summum et incommutabile bonum, si non per se colendum, sursum erigitur. Magnum vero gaudium recte non aliubi quam in Deum propter seipsum accipitur. De quo quia primitiæ gentium erant hi magi, perfusi visione humilitatis, suscepta fide devoti Deum adoraverunt, et religiosi pro voto fideliter Domino munera obtulerunt. Hoc igitur gaudio beatus Joannes, amicus sponsi, gaudere se perhibet. *Stat*, inquit, *amicus, et gaudio gaudet propter vocem sponsi, quia amicus ejus est* (*Joan.* III, 29). Ita siquidem et isti fide justificati gaudio gaudent magno, propter charitatis ardorem læti gaudentes, quia de inimicis se profecto amicos per reconciliationem factos intelligunt. Unde nimirum suis apertis thesauris ei munera obtulisse, et procidentes devotos adoravisse Scriptura testatur. Quo facto, magnum religionis nostræ sacramentum aperitur, ut fide prævia thesauros nostros in via minime pandamus, donec transpositi inimicorum insidias, gratia illustrante, soli Domino devoti, ex reconditis secretorum cordium thesauris munera offeramus. De quo nimirum alibi thesauro recte dicitur : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.* Unde quia Ezechias incaute thesauros suos alienigenis universos prodidit, divina percelli-

Introdusă în format electronic de Google

tur sententia, et justo Dei judicio in posteris condemnatur. Veterum enim traditio est quod Parthorum ac Persarum reges nullus sine muneribus vacuus adorabat. Idcirco istos aiunt vicinitate concivium assuetos munera obtulisse. Sed nos divina ex inspiratione magis factum astruimus, ut in specie totius generis cœleste refulgeat magisterium, pro quo signanter tria obtulisse dona narratum credimus.

Aurum videlicet, thus et myrrham. Per aurum quippe, quod maxime regum est ornamentum, regis insignia declarantes: per thus vero, quia in sacrificiis antiquitus ponebatur, eum venerantes, Deum intelligere fatebantur: per myrrham, qua mortuorum corpora passim condiebantur, eum testati sunt, velut ex præsagio, humanitus moriturum. Ex **136** quo, quod si jam tunc voce edita loqueretur, poterat, ut alibi ipse fatetur, dicere, quod ad sepeliendum eum fecissent. Jure igitur quæritur utrum singuli singula, an simul omnes tria hæc: vel certe, quod magis fatendum est, utrum eorum unusquisque forte hæc tria pariter obtulisset. Hoc enim potius congruit in mysterio. Quia nemo Christianus recte dicitur, nisi qui eum ubique Deum regnare fatetur, et pro salute humani generis Deum hominem factum, sine ambiguo mortuum confitetur. Nam isti constanter regem Judæorum inter eosdem Judæos, et apud ipsum Herodem regem requirunt; et ideo ei fideliter, ut prædictum fuerat, in spiritu aurum deferunt. Noverant eum Deum ubique omnibus sine metu humani timoris veraciter prædicandum. Et ideo venerantes dicunt quod *venimus adorare eum*. Atque thuris incensum ferunt, quod solum quotidie infra sancta sanctorum mane ac vesperi eidem ex præcepto funditus cremabatur. Hominem quoque factum cœlitus inspirati Deum intelligunt, eumdemque sane moriturum. Et ideo ardenter requirunt: *Ubi est qui natus est?* Atque in sepulturam ei ex fide munus mortificationis myrrham videlicet devoti offerunt. Quia unusquisque tunc Christum recte condit, cum eum in carne passum quandoquidem in seipso mortificatus veraciter profitetur. Unde Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Deo in cœlis* (*Col.* III, 3). Quippe quia offerenda sunt munera nostra Salvatori jugiter. In auro scilicet purissima divinarum rerum scientia, in thure oratio jugis, vel compunctio recta: porro in myrrha ut prætulimus, tam voluntatum quam vitiorum abdicatio, atque vera mortificatio carnis prælibanda Deo signatur. Quæ munera ex thesauris animi jure recondita proferuntur, cum corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Responso, inquit, accepto, cum eos nequicquam interrogasse legimus. Sed claret veritatis indicium, quod illis cogitantibus, utrum redire ad Herodem necne deberent; quod ad eorum cogitata, antequam deliberarent, responsum est eis. Ubi eorum sobria signatur sollicitudinis cura, et nobis evidenter innuitur quod Deus semper ubique præsens adest cordi nostro. Verumtamen, **137** quia sicut Moyses nihil dicens ad Deum mente clamabat: sic et isti tacentes pio devotionis affectu, solliciti interrogabant quid divina juberet voluntas, ne suæ temeritatis ignavia quidpiam a Dei omnipotentis libramine deviarent. Forma igitur in specie cunctis imprimitur credentibus, quam devote ad Deum veniant, et, postquam venerint, ut intendant quid Deus jubeat. Scilicet ne redeant ad eum cui abrenuntiaverunt, neque vitiorum repetant calles, sed per aliam viam, id est, virtutum semitas sectando ad patriam paradisi cursim redeant: ut qui contemnendo cecidimus, obediendo et abstinendo vias vitæ apprehendamus. Et notandum quod non per angelum, uti ad Joseph, hæc reponsio facta dicitur: sed sanctorum Patrum traditio est ab ipso Domino divinitus imbutos fuisse; quia neminem alium constat viam regressionis ad patriam usquam instituisse, præter eum qui se viam præbuit imitabilem, ut per ipsum ad ipsum tendentes quandoque patriam repetamus. Hinc quippe ait ipse de se, dicens: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Per quam viam quisque gradiendo sine errore incedit, ut ad vitam festinus veritatem sequendo ingrediatur. Non enim alloquitur eos puer in præsepio positus voce humana, nondum adultus, ne contra naturam nostræ humanitatis agendo, se passim detegeret. Sed omnia sic temperat, ut latens divinitas per fidem in homine illo deprehendatur; ne cuipiam antequam oporteret inconsulte revelaretur. Quia nimirum et fides nutrienda erat ad præmium, et via doctrinarum ejus ubique sequentibus prosternenda ad gradiendum. Alioquin non vere suscepisset infirmitatem nostram, si non per omnem ætatem temporis humana crevisset provectione, et efficientias in se qualitatis nostræ, præter quæ divina virtute mirabilius operabatur, minime prætulisset. Unde recte Lucas evangelista testatur, quod *Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia coram Deo et hominibus* (*Luc.* II, 52); ut omnem provectum tam corporis quam animæ designaret, et omnem plenitudinem humanitatis in eo esse ostenderet. Unde per omnia pueritiæ suæ tempus debuit observare, quo maxime assumpta fragilitas carnis explicatur, et humilitas longanimitatis suæ indiciis commendatur. Fuit igitur in eo plena humanitas, sicut et plena gratia, atque plena veritas. Ex quo Joannes evangelista: *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti* **138** *a Patre plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Quod autem Verbum caro factum est, plenum veritatis fuit. Veritas quippe ipse unigenitus est Dei Filius, non gratia, sed natura. Quæ gratia suscepit hominem quando conceptus est de Spiritu sancto. Tanta siquidem unitate personæ, ut idem ipse sit hominis filius, qui Dei Filius unicus atque unigenitus prædicatur. In quo nimirum ipso uno Deo et homine plena gratia humanitatis, plena-

Introdusă în format electronic de Google

que divinitatis Veritas catholice prædicatur et colitur. Hæc igitur plenitudo divinitatis in seipsa plenitudinem habet gratiæ, quæ est tota humanitas in divinitate sua : et plenitudo gratiæ in se habet omnem plenitudinem veritatis, quæ est tota divinitas in humanitate sua. Ita ut plenitudo veritatis in se habeat perfecte plenitudinem gratiæ, atque plenitudo gratiæ in se habeat plenitudinem veritatis. Sic est igitur a divinitate plenitudo humanitatis suscepta, ita ut in humanitate ejus omnis plenitudo divinitatis, sicut ait Apostolus (*Col.* II, 9), corporaliter habitasse recte credatur. Ac per hoc omnia incrementa humanitatis, tam corporis quam animæ fuerant credentibus exhibenda. Sicut et plena divinitas in eo, atque gratia ex initio conceptionis corporalier habitasse paulatim omnibus fuerat signis atque virtutibus declaranda : ut fides per gratiam libertatis arbitrio sublimius ad præmia capessenda nutriretur. Hinc sane illis remeantibus,

Ecce Angelus Domini in somnis Joseph rursus apparuit dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi dum dicam tibi. O quam inauditum nuntium, et profundum humilitatis negotium! Ut de quo dudum Propheta fidelis cecinerat : *Domine, refugium tu factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1), et, *Deus noster refugium et virtus* (*Psal.* XLV, 1), Ægyptum ipse per fugam asportatus intraret. Nequaquam igitur vacat a mysterio, quod refugium fugiendo petit Ægyptum; quod virtus, quasi timore perculsa, videtur infirmari; quod cunctorum præsidium migrat ad extraneos per fugam elapsus. Forte, sicut natus est ut corruptam redintegraret naturam, sic quoque, ut fugaces suis revocaret exemplis, aufugit. Præcepturus namque erat : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23). Unde, si fortitudo se differendo reservat ad potiores virtutum agones, et universorum defensio subterfugiendo declinat ad extraneos, non debet humana fragilitas temeraria procaciter de virtute sua **139** præsumere, sed semper in omnibus, quod fructuosius sit, diligentissime pertractare. Nam Deus quod fugit hominem, sacramenti fuit, non timoris. Quia nemo occultum patitur inire conflictum, qui suum sæculis vult mandare triumphum, atque exemplum pugnandi posteris derelinquere. Neque enim mortem fugit, qui mori venerat. Neque humanas insidias expavit, qui totas diaboli versutias et fraudes venerat aperire, et superando potentius revincere. Scriptum quippe erat : *Non occides agnum in lacte matris suæ* (*Exod.* XXIII, 19). Et ideo provisum ne fieret in experto, quod diu, licet occulte, perhibitum fuerat in mysterio. Moliebatur enim callidus persuasor, ut Christi susceptam præveniret infantiam, et virtutis ejus anticiparet insignia. Jam forsitan senserat quædam prophetarum vaticinia in eo adimpleri. Haud dubium quin intellexerat juxta illud prophetæ : *Priusquam puer sciret vocare patrem aut matrem*, secundum humanitatis infantiam, *virtutem accepisse Damasci, et spolia Samariæ* (*Isa.* VIII, 4). Et hac quippe fuga Isaias prædixerat dicens : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem*, carne videlicet absque peccato circumtectus, *et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus* (*Isa.* XIX, 1), quod multorum traditionibus approbatur : ita ut in quadam civitate Frondosii ducis omnia idola penitus corruerint in terram. Et de quinque civitatibus loquentibus lingua Chanaan earum una tunc vocata est civitas solis, in qua diutius dicitur habitasse. Nam, ut quidam supputant, ab ingressu Ægypti usque ad principium regni Archelai, septem fuere anni, quibus in Ægypto Christus delituisse creditur. Felix, inquam, regio, quam tanto tempori spatio sol justitiæ sua illustravit præsentia; ut quæ tantis erat idolorum sordibus polluta, fieret demum tanquam hortus irriguus doctrina Christi, et tanquam paradisus Domini, cœlesti disciplina clementius adimbuta. Unde nimirum constat, quod deinceps pene tota illa regio facta sit monachorum, non minus cœnobialis quam anachoretica, in modum paradisi quodammodo cœlestis habitatio. Quæ qui nosse voluerit, legat Vitas Patrum, et collationes eorum; satis abundeque clarebit Christum non, abs re descendisse in Ægyptum, imo genitum eorum audisse qui vexabantur terrenis operibus, et descendisse liberare eos; ut essent, Pharaone submerso, liberati jugo servitutis, qui tantis tribulationibus et angustiis premebantur.

140 *Futurum est enim*, inquit evangelista, *ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Angelus enim Domini, quod Herodes dolose insidiando se promiserat eum adoraturum, aperit, et prænonet ex consilio transportandum, quem ille fraudulenter tractabat ad perimendum. Ex quo profecto liquet, quod fraudes et simultates, atque omnes doli nunquam lateant oculos divinæ majestatis. Idcirco virum sanguinum et dolosum passim Dominus abominatur, et in fasciculo divinæ ultionis involvit : *Accipe*, inquit, *puerum et matrem ejus.* Hinc Joseph non quasi maritus, sed velut nutritius ac custos infantiæ Salvatoris in comitatu adsciscitur, et commendatur ei servanda virginitas. Nocte autem ideo tollitur, ut per hoc commendet qualis vel quanta caligo infidelitatis terram Judæam obtenebrasset. Quia nimirum corda Judæorum non aliud quam cæcitatis nox premebat. Hinc igitur nocte exiit, quia occulte per fugam ad illustrandam Ægyptum descendit. Cum vero hinc reascendit, neque nox, neque dies describitur.

Ut adimpleretur, inquit, *quod dictum est a Domino : Ex Ægypto vocavi filium meum.* De adimpletione quidem prophetarum jam supra tractavimus. Sed et nunc ideo fugisse dicimus, ut legis veritas constaret, prophetiæ fides daretur, Psalterii testimonium, quando David verus fugit a facie Saul regis, firmaretur. Unde et Dominus : *Necesse erat impleri quæ scripta erant in lege et prophetis et psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44). Ubi autem hoc scriptum sit, fre-

Introdusă în format electronic de Google

quenter omnium interpretum clarissimus atque eruditissimus interpres noster testatur, juxta Hebraicam veritatem quod in Osee scriptum legatur. Nonnulli tamen, sicut nec ipse denegat, ex libro Numerorum, dicente Balaam, hoc sumptum asseverant. Nam et in aliquibus codicibus prophetarum, *Ex Ægypto vocavi filios meos*, sæpe invenitur, quod magis omnino filiis Israel de captivitate venientibus convenit. Sed nos beatum evangelistam et Hebraicam sequimur veritatem, amplissime confitentes quod de Christo, etsi aliud significet, ex præsagio prophetarum recte credatur. Verumtamen ex Numeris hoc sumptum esse videtur, et astruere quod legitur, *sicut* dictum est a Domino. Quia si ab ali*quo* sanctorum prophetarum, ut aiunt, rolatum esset in ore Matthæi, sicut dictum est per Prophetam rectius diceretur. Nunc autem quia forte ex Balaam **141** harioli videtur dictis hic insertum, jure Deus auctor hujus prophetiæ, qui per eum locutus est, astipulatur. Sed quid horum verius sit, nullam objectionis controversiam quærimus. Quia etsi in utrisque locis de Christo dictum accipitur, evidentius inde duntaxat hæc firmatur assertio. Duobus namque vel tribus testibus stabit omne verbum. Et notandum quod dicitur, *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Meum, inquit, quia Verbum caro factum est, et secundum unitatem personæ, unus idemque hominis filius, et Dei utique proprius appellatur.

Tunc Herodes videns quod illusus esset a Magis, iratus est valde. Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Hæret hæc sententia, quod illusus est a Magis, ubi ait, quia per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Et ideo valde iratus dicitur, quia cum esset primum de nativitate Christi furore turbatus, postea *delusus*, valde flammis succensus ira accumulatur. Occidisse autem eos dicitur, quia præcepit verbo : lingua enim usus est pro gladio. Unde scriptum est : *Et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 6). Omnes pueros qui erant in Bethlehem ideo occidit, ut is, qui in ea dudum natus dicebatur, non effugeret. Et non solum eos tantum, qui in eadem reperti sunt civitate; verum etiam et in omnibus finibus ejus circumquaque tenera matronarum pignora jugulavit a bimatu, et infra secundum tempus quod exquisierat a Magis. Secundum tempus igitur quod exquisierat a stellæ nascentis ortu, ubi non verisimile videtur eum sustinuisse, ut e vicino duobus annis expletis ad se redirent. Quia bimatus Græce duos significat annos. Unde quidam suspicantur, quod integro nativitatis Christi expleto anno, venerint : deinde alio anno transacto, videns se Herodes delusum, furoris stimulo pueros jugularit. Ac per hoc a bimatu et infra duorum annorum tempus, exquisitum ab eis jure narratur. Sed tamen magis reor fatendum, quod idem quibuslibet ex reibus fraudis suæ venena tanti temporis silentio presserit, ut eum quandoque sollicitius deprehenderet, ne laberetur e manibus. Et ideo fortassis duobus eum constat sustinuisse annis, ne forte quibusque delitesceret argumentis. Aut certe qui missi fuerant, tandem morarum causis explicitis interdum renuntiassent. Sed dum pro certo se comperit delusum, **142** occidit omnes, pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra. A bimatu scilicet, ex quo constat stellam apparuisse, usque ad puerum unius noctis. Quoscunque igitur hujus temporis puerorum lactans concluserat ætas, idcirco jugulari præcepit, ut in nullo se dissimularet si esset cujusque gratiæ filius, nisi modis omnibus infra hoc spatium comprehensus, saltem inter plurimos necaretur. Omnes igitur occidit, ut unus non effugeret. Sed quanti eorum essent, non facile reperitur, etsi quorumdam traditio habeat juxta Apocalypsin Joannis centum quadraginta quatuor millia fuisse (*Apoc.* VII, 5). Nam ibidem ex omni tribu duodecim millia leguntur ascripti; hic vero tantum ex Bethlehem atque ejus finibus omnes perhibentur occisi. Rursus alii asseverant per viginti locorum spatia duo millia infantum occisos fuisse, ita ut in singulis locis centum perempti essent. Quod nos non astruimus. Quia quod in Scripturis sanctis non legimus, melius ignorare quam temere definire credimus. Hoc tantum ad præsens fatemur, quod Deum non lateant, cui omnia vivunt, qui pro Domino mortis dispendium subierunt. Præoccupavit autem crudelis jussio regis omnes fines ejusdem civitatis, sicut et omne tempus quod dudum exquisierat a Magis, ut neque loco neque tempore celaretur, qui sine loco ac tempore cum patre manens infra tempus ac locum nascebatur localis. Unde nonnulli anno expleto nativitatis, verius opinantur pueros occidisse; sed ideo a bimatu, ut sicut præoccupaverat circumquaque fines civitatis; ita præoccupaverat ultra integrum annum tantumdem temporis spatium, atque infra præteritum totius ætatis usque ad puerum unius noctis terminum. Noverat igitur callidissimus hostis, divinitatis puerum subito coram oculis velut duorum annorum vel unius noctis apparere potuisse, ut ætatem sui temporis celaret, et ideo sub hac conditione, hinc inde temporis ac locorum partes omnes præoccupavit, ut absque ullo ambiguo in mortem eum quem quærebat concluderet.

Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus. Rachel plorans filios suos. Veteris quidem fortasse recordatur historiæ (*Jud.* XIX, XX), ubi propter uxorem Levitæ fornicatione peremptam secundum numerum duodecim tribuum in duodecim partes divisam, omnis Israel **143** tribum Benjamin, præter trecentos viros, omnem usque ad internecionem delevit. Quorum qui superfuerant ploratus et ululatus vox tanta usque Rama duodecimo milliario ab Bethlehem audita exaggeratur, ut hyperbolice Rachel jam mortua dolentis affectu filios flere dicatur. Unde nimirum per hoc de Chal-

Introdusă în format electronic de Google

dæis texitur historia, quod similis esset ab eis priori cladi populo Judæorum futura vastatio. Sed verius revelante Spiritu sancto, per beatum evangelistam prophetia de nece puerorum accipitur, qui cæsi sunt pro Christo, quamvis ad utrumque more prophetiæ referri posse non incongrue videatur. Hinc ergo recte dicitur, quod tunc impletum sit, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: *Vox in Rama audita est.* Quia nimirum etsi ad imminentem captivitatem Judæorum sermo prophetiæ respicit, tamen in eo velut ex umbra, corporis veritas, futura scilicet cædes infantium pronuntiatur. Et ideo adimpletum esse dicitur, quod interea usque dum fieret, legentibus velut semiplenum jacebat; quia quod tunc in littera rei gestæ sonare videbatur, aliud longe futurum occultius promittebat. Nam Rama, quo dicitur vox ploratus et ululatus resonuisse, non nomen loci putare debemus, qui est juxta Gaba, duodecimo, ut dixi, ferme milliario a Bethlehem; sed Rama *excelsum* interpretari doctorum dictis quam sæpe probamus. Vox igitur in Rama audita est, videlicet in excelso. Quia planctus lugentium longe lateque resonans per exaggerationem ad Deum usque in cœlum pervenerit. Diverse namque in Scripturis sanctis, vox clamoris in excelso ad aures scilicet Dei altissimi dicitur pervenire, sicut clamor peccati quod jugiter ante Deum contra delinquentes clamat. De quo Dominus: *Clamor Sodomorum venit ad me* (*Gen.* XVIII, 20). Et alibi propheta, cum peccata populi commemorasset: *Nonne*, inquit, *in auribus Domini sabaoth sunt hæc omnia?* (*Isa.* V, 9.) Fit itaque et eorum clamor, qui paupertate vexati, ab exactoribus crudeliter affliguntur; vel certe viduarum et pupillorum, quoties injuste opprimuntur. Unde Dominus: *Vociferabuntur*, inquit, *ad me in tempore, et ego exaudiam clamorem eorum* (*Exod.* XXII, 23). Fit et sub ara Dei clamor sanctorum interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habent, quorum sanguis effusus est super terram. De quibus beatus Joannes in Apocalypsi sua (VI, 10): *Et clamabant voce magna* **144** *dicens: Usquequo sanctus et verus, non judicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Nam et vox sanguinis Abel contra Cain de terra clamare dicitur. Atque ideo Dominus: *Ut veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare* (*Luc.* VI, 51). De quorum medio vox eorum in Rama, videlicet in excelso, tanto clarius audita prædicitur, quanto crudelius vita totius turbæ innocens pro uno omnium Redemptore jugulatur. Quæ si tunc ac si ex præscientia vox ista infantium clare sonuit ab excelso, cum propheta hæc cernebat in spiritu, longe validius infremuit, cum jam multorum millia et inanes passim suis implebant auras gemitibus; quando gloriosa infantium ac simplex puritatis vitæ turba pro Christo in morte succubuit; quando eorum omnium genitrices vultibus suffusis lacerantes vertice crines trahebantur, et nuda rumpebant pectora: quando lacrymosis genas rigabant imbribus, et totum infeliciter corpus suis sauciabant unguibus: quando non minus patres ac matres, quam et omnis cognatio eorum suas tendebant palmas, et dabant lamenti voces in cœlum. Nunquid non tantus clamor omnium et crudelis Christi persecutio ab omnibus poterat non venire in cœlum? Num et vox sanguinis tantorum poterat silere super terram, cum vox sanguinis Abel ad Deum clamet de terra in cœlum? Vox igitur in Rama digne audita est; quia in eorum specie genus omnium, qui pro Christo passuri erant, figurabantur. Unde nec immerito, dum sub ara Dei cum cæteris initiantur mansuri, etiam in eorum vocibus, dicimus omnium sanctorum Martyrum voces in Rama, scilicet in cœlestibus jam audiri. Et ideo non modicum fuit prophetæ, tanti mysterii sacramenta, licet obscure, diligentius præsignare: ut sicut in illis jam genus omnium pro Christo martyrum signabatur: ita sane in Rachel figura totius Ecclesiæ plorantis in hac valle lacrymarum expressius pro suis monstraretur occisis. Mox igitur Virginis partu editus mundo Christus apparuit, a passionibus cœpit: quia dum ipse persecutionem patitur, sanctorum omnium persecutio in eo nimirum velut ex præsagio figuratur. Super quem isti proprio primum cruore dedicantur ad victimam, ut tenera adhuc et lactans infantia totius corporis, donec omnia viri perfecti membra in unum **145** colligantur, initium significantius exhiberet. Igitur occiduntur infantes dum Christus infans quæritur. Et in eisdem infantibus nascitur forma martyrii, ubi totius Ecclesiæ infantia mirabilius dedicatur. Ex quo sensim membra corporis parantur Christo conformia, donec omnes in mensuram plenitudinis ejus in virum perfectum ad æternitatem regenerati, celerius occurramus. Et ideo Rachel, quæ *ovis Dei* dicitur, videlicet Christi Ecclesia, jure teneros suos morte peremptos deplorat agnos. Neque consolari vult in præsentiarum, *quia non sunt*; sed omnem suam spem, et consolationis gaudium ad æternam transmittit vitam, ut ubi eos recipiat beata immortalitate vestitos, quos hic amisit quambrevi vita exspoliatos. Nam de Rachel docet lectio Genesis (XLVIII, 7), ubi ait, quod mortua est et sepulta verno tempore in via Ephrata, quæ est Bethlehem. In via namque sepulta est, quia typus erat Ecclesiæ, quæ nondum est in patria, sed in via quæ Christus est, per quam transeuntes eunt, et flent portantes semina sua. Quorum itaque vocem in excelso ascendere, et eorum ploratu quotidie aures Dei pulsari, nemo qui sane sapi potest ambigere. Verno quoque tempore sepelitur in via, quia dum hic in Christo sumus, pariendo illum jugiter mortificamur, et absconditur vita nostra, quousque frigus infidelitatis pertranseat, ut cum Christus apparuerit, qui est via, et veritas, et vita nostra, tum simul cum eo et ipsi appareamus in gloria. Interea autem vox clamoris quotidie inaltatur et ploratus ac luctus augetur;

Introdusă în format electronic de Google

nimirum quia de hoc mundo non sumus : si enim de mundo essemus, mundus quod suum esset diligeret. Nunc autem Rachel nostra, dum parit in via, tristitiam gerit, quippe quia dictum est ei : *Vos plorabitis et flebitis, mundus vero gaudebit.* Sed mox additur consolatio, quod *tristitia vestra vertetur in gaudium.* Unde nimirum nequaquam hic vult consolari, quia filii ejus non sunt de hoc mundo, sed totam cum suis eo se transponit, ubi Christum suæ satietatis cibum ante se in domo panis natum et passum atque resuscitatum transmisit. Interea quia de hoc ad materiam suæ quantitatis pauca libavimus, restat quærere **146** juxta historiam, quomodo Rachel filios Judæ, id est Bethlehem, quasi suos ploret ; profecto cum ex ea natus est Benjamin, in cujus tribu nullo modo Bethlehem civitas invenitur. Quod forte brevius referatur, dum sepulta inibi juxta Bethlehem in via legitur, ut ex æterno corpusculi sui hospitio nomen matris acceperit. Sin alias idcirco flere innuitur, quia Juda et Benjamin duæ tribus junctæ erant : Herodes autem præceperat non solum in Bethlehem pueros interimere, verum et in omnibus circumcirca finibus ejus, qua cædis occasione jussu regis accepta, intelligimus etiam multos de Benjamin morte fuisse peremptos. Plorat autem Rachel eos filios suos, et non recipit consolationem, secundum duplicem quorumdam intelligentiam. Sive quod eos in æternum mortuos æstimaret. Sive quod hic consolari se nollet de his, quos sciret in æternum esse victuros. Verius tamen in Rachel, ut diximus, figura totius Ecclesiæ exprimitur. Et ideo ex utraque parte illi duo isti sensus conveniunt : seu quod non tantum peremptos doleat. Sed eos etiam lugere probatur, quos primum genitos retinere, vel certe nondum genitos generare voluit. Ex quibus nullam recipit consolationem, eo quod æterna morte sint perempti, quia non sunt in æterna soliditate mansuri. Seu noluit consolari, quia non supererant quos dolebat amissos : eo quod hi qui mortui videbantur, in æternitatis perfectum martyrio erant translati. Consolatio namque de re amissa jure quæritur præstanda, et non habita vel possessa. Quia ex aucta felicitate profecto gaudium æternæ vitæ copiosius in posterum generatur. Verumtamen quamcunque horum quisque sensuum receperit intelligentiam, tropicam locutionem intercurrere necesse est non refugiat. Ac per hoc etsi ad Rama usque vox ploratus ex sepulcro Rachelis pervenisse juxta litteram prædicatur, non abhorret a vero, sicut et mortuam non fabulose, sed transformatæ locutionis modo, apte filios deflevisse comprobatur. Melius tamen per Rachel, quam si Bethlehem civitas plorasse diceretur, mystici figura sacramenti introducitur ; quia per eam in omnibus schema Ecclesiæ Christi legentibus apertius **147** commendatur. Commendatur autem per Rachel Christi Ecclesia cum suo capite hinc inde tam translatos morte quam peremptos supplicio deflevisse ; sicut et per Herodem diabolus cum suis membris penitus

A

B

C

D

designatur. Itaque didicit Herodes, Christus ubi et quando venisset, nec tamen eum veneratur ut Christum, neque unde sit intelligit, aut ad quid venerit qualiterve, penitus non requirit. Sic et omnes iniqui, membra videlicet inimici, quamvis Christum false nominent, nec intelligunt, nec venerantur digne, nec requirunt, sed persequuntur eum in membris suis, et prave vivendo, recedunt procul, et avertuntur.

Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini in somnis apparuit Joseph in Ægypto dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel. Herodem autem hic non eum debemus accipere, quem postea Joannem leginus decollasse : sed eum de quo jam supra disseruimus, cujus fuisse filius idem ac successor non ambigitur. *Tolle*, inquit, *puerum et matrem ejus ;* puerum sane et non filium, matrem pueri et non uxorem suam. Porro in somnis jubetur redire, sicut et antea prænonitus erat in somnis, ut in Ægyptum descenderet ; quia nec dum publice revelabatur, cui Angelus devote servitutis officium deferebat.

Defuncti sunt enim, inquit, *qui quærebant animam pueri.* Ubi recte innuitur, quod rege crudeli exstincto, complices ejus illico periere, qui pariter in necem Christi, invidiæ aut timoris, adulationisve gratia tractaverunt. Mirum igitur, quomodo dictum sic, qui quærebant animam pueri, cum Dominus dicat : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28). Si enim anima invisibilis et impalpabilis non potest occidi armis istis corporeis, quomodo recte quæritur ad perdendum, præsertim cum sit post exitum carnis etiam immortalis ? Sed animam hic simpliciter aut pro sola carne posuit, aut certe, quod magis reor, pro vita præsenti ; quia nonnunquam anima in Scripturis pro vita hac temporali accipitur. Unde recte quæsisse animam pueri censetur, qui præsentem **148** ejus vitam exstinguere moliebantur. Sed et notandum, Christum animam habuisse, quod Apollinaristæ contradicere conantur. Pluraliter autem forsitan ideo dicuntur, etiam ut per hoc sævitia Herodis atrocior pertractaretur. Ferunt enim, quod idem priusquam moreretur, jussit super funus suum omnes Judæorum occidere nobiliores, saltem ut per hoc cogerentur Judæi flere ac si mortem ipsius. Quod forte volens Angelus innuere : *Defuncti sunt*, inquit, *qui quærebant animam pueri.* Possunt et pro uno per synecdochen, quamplurimi significantius mortui appellari, ut per hoc omnis ordo persecutorum cessasse persequi clarius designaretur. Quo defuncto, sancta Dei Ecclesia in Christo vivens, per amplius et perfectius ad cœlestem Jerusalem quotidie invitatur. Hinc sane typum Ecclesiæ jure præmisimus, dum non modo illius vox ploratus quoque auditur, quæ nullum habuit de amissis filiis dolorem jam defuncta, sed etiam per eam hujus Ecclesiæ vox quæ diu sterilis jam nunc fecunda sublimius audita significatur. Non quod non sint qui per Martyrium

Introdusă în format electronic de Google

mortui putabantur, præsertim cum æternitatis augmento transvecti credantur identidem ad gloriam. Sed quia eos retinere non valuit omnes, quos parturivit, vel eis persuadere ad fidem de tyrannide quos ad præmia melioris vitæ jugiter invitabat. Consolatione enim eget, ut diximus, res amissa, et non aucta ; quia felicius transformata in melius potius gaudium affert, quam mœrorem, et lætitiam fruentibus illa coacervat. Unde beatus evangelista hujusmodi volens confirmare figuram, subtexendo quæ sequuntur, addidit dicens :

Surgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth. Servari itaque typicam narrationis figuram recte diximus; quia Joseph apostolorum gerit speciem, quorum officio Christus circumferendus erat passim per universam hanc mœroris ac tribulationis Ægyptum. Hi vero tanquam defuncto **149** Herode, videlicet, populo Judæorum, sub ejus regimine in passione Domini infidelitatis vitio perempto, Judæis prædicare sunt missi, ad quos Dominus velut ad oves perditas fuerat directus. Sed manente hæreditario infidelitatis dominatu, metuunt et recedunt, admoniti per visum sancti Spiritus ; donum gratiæ in gentibus contemplantes, ad eas transferunt Christum olim Judæis missum. Alioquin quomodo Joseph audiens quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illuc ire, si per angelum ascendere monebatur? Nunquid vir justus timere debuit, quod per angelum imperatur? Aut si infirmitas ejus fuit, ut pro infidelitate timeret, quomodo rursus ut in Galilæam transeat sine ulla reprehensione monetur per angelum? Reverti ergo ad Judæam jubetur et timet, in Galilæam vero regionem gentium admonitus transire penitus non recusat. Aut enim eum timere ita tenus, si forte jussum est, non oportuit, aut certe per angelum præceptio mox mutanda inferri non debuit. Unde liquido constat, typicam in hoc rationem servatam fuisse. Aut forte hoc ita intelligendum putamus, quod Joseph audiens, *Vade in terram Israel*, intellexerit se primo jussum esse ire in Judæam, haud dubium quin ipsam putabat terram Israel. Sed postquam comperit illic regnare Archelaum, noluit se periculo subjicere ; præsertim quod æstimasset Christum et partes ejus, de quo responsa angelica talia monuerant, alibi non esse habitandum quam in Jerusalem, ubi templum Dei erat et prophetarum omnium celebratio. Quo profecto iturus esset, si non Archelaus ibidem vice patris regni jam sceptra moveret. Verumtamen angelus cum dixisset, *Vade in terram Israel*, non Judæam, sed Galilæam voluit intelligi, quam etiam Judæorum populus incolebat, in qua nimirum Nazareth constat fuisse. Galilæa namque metropolis erat civitas, ad quam, velut pars in toto Nazareth pertinuisse probatur. Porro videns angelus errorem de pietate descendere, et timorem ac si de providentia, monuit eum ire in Galilæam civitatem Nazareth, non mutans visionis præceptum, sed manifestius corrigens pietatis errorem. Unde continuo evangelista, ut apertius commendaret sic fuisse prædestinatum, **150** adjecit dicens :

Ut adimpleretur quod scriptum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. Ex quo colligitur aliud prius angelum nequaquam præcepisse, quam quod hinc inde prædestinatum erat. Non enim rerum eventum secutus est ipse processus, sed processum ejus passim consecutus est rerum eventus. Non simpliciter quidem, ut reor, processus qualibet causarum specie in aliquo transformatur; sed in omnibus prædestinationis veritas ita tenus adimpletur, ut typice gestarum ordo doctrinarum pene in omnibus figuratarum rerum sacramenta afferret. Unde nimirum parvuli primum ideo trucidantur, quorum nulla nisi innocentia exstitit causa ; ut omnes intelligant martyrium, neque ex reatu culpæ constare, neque ex merito, aut ulla electione, nisi ex Dei gratia cuipiam provenire. Et revera hic omnia sic contexuntur, ut et veritas pateat, et sacramentorum typica suffragentur eloquia. Hinc sane adhuc movet aliquos, quod Lucas refert, monarchiam regni Herodis divisam in quatuor partes ; quomodo verum constet, quod Joseph audiens Archelaum regnasse in Judæa, timuerit illo ire, et non magis in Galilæam, ubi Herodes alius, Evangelio teste, regnasse perhibetur. Sed hanc quæstionem Josephus, et alii quamplurimi solvunt, dicentes primum Archelaum, totius regni post patrem monarchiam suscepisse, atque illo insolescente dejectum fuisse a Tiberio ex patris solio, divisumque regnum in quatuor tetrarchas. Quarum unam, Galilæam videlicet, fratri ejus Herodi contradidit, quam necdum perceperat, quando Archelaus adhuc omnem regni monarchiam suo crudeli vexabat imperio ; sed postea justo Dei judicio Lugdunum exsilio deportatus est, quæ Galliarum est civitas. Et hinc est, quod Joseph antea eum velut hæredem crudelitatis providus metuebat : *Ut impleretur*, inquit, *quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* Si enim cujuslibet prophetarum satis præfixum in Scripturis testimonium habuisset, nequaquam sicut dictum est, per prophetas differenter dixisset. Verumtamen magis sensum, ut reor, de ipsis sumens Scripturarum locis, suæ expleverit assertionis fidem, quoniam hic velut sanctus sanctorum Nazaræus jure vocatur. Nam secundum **151** Hebraicam veritatem scriptum in Isaia legimus: *Exiet virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice conscendet* (*Isa.* XI, 1). Ergo Nazareth non minus germen novellum, quam flos campi interpretatur ; de cujus radice germinis, ut reor, sanctus sanctorum, scilicet Nazaræus nuncupative, ad significandam æternitatis suæ substantiam, legitur ascendisse. Quo enim rectius nutriretur, quam in Nazareth, ex qua nomen daretur, quo esset indicium, quia essentialiter

Introdusă în format electronic de Google

ipse sanctitas in sanctitate nutritus, Sanctus sanctorum recte sit appellandus? Hinc profecto liquet, quia sicut elegit tempus quando nasceretur, et locum in quo nasceretur: ita et civitatem recte dicitur elegisse, in qua etiam ad explananda suæ incarnationis mysteria significantius coalesceret. Est itaque usque hodie in Galilæa viculus contra regionem in quinto decimo ejus milliario ad orientalem plagam, juxta montem Thabor, nomine Nazara, quem multi putant eamdem Nazareth dudum fuisse; sed paulatim deficiendo civitatem in viculum commutatam. Dominus autem in ea ideo enutritur, ut per eam quis scit, qui nuncupandus est, ex ea plenius dignoscatur. Nam Nazaræus varie in Scripturis sacris accipitur. Siquidem in lege Nazaræi erant, quorum votum ad tempus erat, aut certe a primordio usque ad finem Nazaræi sanctificationis suæ fiebant gratia. At vero de hac civitate qui forte essent lege patriæ, similiter et ipsi, Nazaræi aut certe Nazareni quamlibet ob distinctionem sunt vocati. Inter quos nimirum Salvator Nazaræus voluit appellari, quatenus idem agnosceretur, qui per Danielem futurus prædicatus est Sanctus sanctorum. Nam et discipuli primum sunt Nazaræi dicti, postea vero Christianitatis vocabulum sortiuntur a Christo, et generaliter omnes Christiani hactenus nuncupantur, de quibus recte canitur: *Quod candidi facti sint Nazaræi ejus* (*Thren.* IV, 7), splendorem Deo dederunt, quia nuptiali veste sunt induti. Cæterum quidam hæretici Nazareni sunt vocati, eo quod in Christum crediderint, ita tamen, ut omnia Veteris Testamenti instituta servare contendant. Sic enim Christum prædicant suscipi debere, ne legalis umbram videantur omittere. Quorum quia schisma specialem elegit vitam, speciale sibi, **152** nescio quo auctore, Evangelium invenerunt, quod Nazarenorum proprie nominatur. Qui quasi de religione gloriantes nomen sibi sanctitatis dederunt, et rei facti sunt, non credentes omnibus Christum ad justitiam posse sufficere. Unde superstitiosi conantes nova veteribus assuere, pejorem operati sunt scissuram, et facti sunt sine Deo, qui sine fide inveniuntur. Porro Evangelium cum dixisset, quod veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum erat per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur, illico adjunxit, dicens:

(CAP. III.) *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ex quo non modica quæstio videtur inter utrosque evangelistas generari. Nam Matthæus continuo ut infantem vel puerum ex Ægypto revocatum commemorat, statim quasi in diebus illis Joannem Baptistam venisse confirmat; cum Lucas anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum fuisse verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto manifestius declaret; atque insinuet jam tunc Jesum ferme annorum fuisse triginta, quando mox baptizatus ab eo monstratur. Unde nimirum constat intelligere nos debere alios hos dies temporum, quando, Scriptura teste, Archelaus adhuc Judæam regebat; alios, quando Lucas per terrenas potestates, more historiographorum, expressius præconem Christi ad prædicandum venisse declarat. Nam tunc Christus, ut conjicitur, ferme infra octo annorum erat, nunc vero jam circa triginta annorum spatia versabatur. In tantum siquidem ipsa tunc commutata sunt tempora, ut et Judææ Pilatus præsideret, et regnum per tetrarchias divisum sub principibus sacerdotum Anna et Caipha commemoretur. Quo profecto patet, Matthæum per hoc quod ait, *In diebus illis*, non tantum pueritiæ tempus insinuasse, sed omnes **153** dies quo cœperat habitare Nazareth, usquedum ascenderet et ipse de Galilæa, ut baptizaretur a Joanne, contiguos voluit demonstrare. In quibus diebus cum adhuc Nazareth parentibus subditus habitaret, venit Joannes prædicans baptismum pœnitentiæ in deserto. Nam et Lucas hoc insinuat dicens: *Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia, et gratia Dei erat cum illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ* (*Luc.* II, 40). Ac deinceps: *Cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi; consummatisque diebus, cum redirent remansit puer Jesus in Jerusalem. Et cum requisissent eum, invenerunt eum in medio doctorum* (*Ibid.* 42). Ac deinde scriptum est, quod *descendit cum eis et venit Nazareth, et erat subditus illis* (*Ibid.* 51). Ex quo nimirum datur intelligi, quod in eisdem diebus, quibus a principio cœpit habitare Nazareth, adhuc eo ibidem commorante, venit Joannes in desertum parare viam adventus ejus, et prædicabat pœnitentiam, et quod appropinquasset regnum cœlorum. Atque eadem primum veritatis præco annuntiat, quæ demum per se ipsa Veritas auctoritate sua prædicat ob salutem hominis, ac commendat. Quippe quia vox præibat verbum, rectum erat ut primum annuntiaret, quod postea ex eodem verbo consonum sonuisset; prædicans in deserto Judææ, ac dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Porro, dicens, retulit ad hoc quod ait, *pœnitentiam agite;* prædicans vero, ad illud quod dixerat: *Quia appropinquavit regnum cœlorum.* Neque enim duo pariter verba geminari poterant absque intelligentia, ubi nec apex vel iota vacat a mysterio. Pœnitentiam igitur agere, est prioris vitæ errores in se punire, deinde promissionibus regni cœlestis spe animos ad superna erigere, atque ad melioris vitæ actus studia provocare. Nihil enim ad persuadendum animos auditorum magis valere poterit, quam spes æternæ promissionis, et metus tormentorum, atque comminatio divinæ majestatis. Quæ nimirum satis ad persuadendum apta conspiciens divina pro-

Introdusă în format electronic de Google

videntia, voluit dicendo *pœnitentiam agite*, monstrare, quod prima sit miserorum virtus, ut per pœnitentiam discant in se perimere veterem hominem. et odisse vitia ; quod nisi quisque fecerit, non modo virtutes apprehendere, verum nec suppliciorum poterit exitio liberari. Pœnitentiæ quoque virtus timore concipitur, **154** sed ipse timor, divina inspirante gratia, tantisper de sapientia generatur. Hinc namque scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* 1, 16). Siquidem pœnitentia a puniend orecte vocari creditur, qua quisque punit quæ novit se illicite commisisse, quod nemo digne valet agere, nisi per sapientiam illustratus cœperit inter bonum malumve discernere. Sed timore commotus dum mala fortiter in se puniendo reluctatur, necesse est spe gratiæ subrigatur, quatenus per hanc ad ea quæ digna sunt inhiare consuescat. Nemo igitur consuescere recte potest quæ sectanda sunt, si non prius dissuescat quæ contraria probantur, et perimunt virtutum conamina. Idcirco sub hac deliberatione, quicunque salubriter vult agere pœnitentiam, semper timorem divini examinis, et metum pœnarum ante oculos ponat. Deinde pudore velatus jugiter ante Deum, atque verecundia coopertus, dolorem cordis fletibus attemperet ; quia sine dolore nulla queunt esse vulnera, si vitalia membrorum non fuerint circummortua. Quod si itaque vulnus cordis non doluerit, emortuum est illud, et eo magis est incurabile quod nec se sentit, neque supervenientem medicinam sentiendo valet suscipere. Quod si sentire cœperit, erit divinæ gratiæ, quod sentiendi reddidit primum libertatem. Deinde libertas simul cum gratia infatigabiliter debet insistere, ut medicinam quotidie exercendo, pristinam animus æger a medico recipiat sanitatem. Hinc namque est quod veritatis præco tale salutis antidotum languentibus proponit : *Pœnitentiam*, inquit, *agite*, *appropinquavit enim regnum cœlorum*. Ac si patenter diceret, puniat unusquisque mala prioris vitæ opera, et cauterio pœnitentiæ putrida viscerum secet vulnera, quoniam appropinquavit sanitas quam perdidimus, et facultas spei, ut redire valeamus unde cecidimus. Appropinquavit enim regnum cœlorum. Quod nisi appropinquasset, nemo nostrum ad eum redire quivisset, quoniam privati pedibus et cæcati lumine, etiam viam quæ Christus est male sani perdideramus. Quam viam veniens parare Joannes, primum pœnitentiæ gressus ut pervenias ad viam proponit. Quam qui spreverit, non solum perdit quod promittit verum etiam propter contemptum magis ruit. Hinc quoque Paulus ait : *An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum duritiam tuam*, inquit, *thesaurizas tibi iram*, **155** *in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 4). Quapropter nemo spernat primam præconis in prædicatione vocem, nemo initium salutis negligat, nemo prima Salvatoris documenta contemnat ; neque parvipendat pœnitentiæ fructum, post cujus præconium cœlorum regnum prope fore annuntiatur. Nusquam enim prius hæc vox fuit audita, et ideo debet non modicum venerari. Prius sane ante alios Joannes regnum cœlorum prope esse prædicat : nec debet contemni pœnitentia per quam gratis ad eum venire nos invitat. Regnum itaque cœlorum, aut præsentem Christum, per quem regnant sancti in cœlestibus, jam propinquasse nascendo annuntiat ; aut certe Evangelium regni, per quod omnes invitantur ad superos, venisse demonstrat. Cujus nimirum vox prima est, pœnitentiam agite, et ideo jure appropinquasse continuo subinfertur.

Hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, *rectas facite semitas ejus*. Quod testimonium ambigue positum videtur. Neque satis apertum, utrum evangelista hoc affirmans de Joanne prosequatur, an ipse Joannes de se quasi de alio, sicut Scripturarum mos est, tropice loquatur. Si enim hoc Joannem de se dixisse intelligamus : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum :* et *Hic est qui dictus est per Isaiam prophetam*, et cætera quæ sequuntur, tale est, ac si diceret, ego sum ille qui dictus sum per Isaiam prophetam. Solet enim hujusmodi locutio in Scripturis frequentissime fieri. Unde hic Matthæus : *Invenit*, inquit, *Jesus hominem sedentem in telonio* (*Matth.* IX, 9), et non dixit, invenit me sedentem, ne quasi de se jactanter loqueretur. Itaque et Moyses per omnem textum divinæ legis sic de se, seu de alio loquitur : *Locutus est Dominus ad Moysen dicens*. Neque enim ad exprimendum se, locutus est Dominus ad me, ponere judicavit. Quippe nec mirum, cum et Dominus sæpissime dicit de se, Filius hominis, aut, Filius Dei, et non dicit, ego ; præsertim cum nec minus Patrem per se, quam seipsum Deum prædicare velit. Hinc profecto ait : *Oportebat Christum pati*, *et resurgere a mortuis tertio die*. Et nequaquam ait, oportebat me pati. Sic quippe et Joannes, cum dixisset : Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum maluit occultius de seipso subtexere quæ sequuntur, hic est enim qui dictus **156** est per Isaiam prophetam, quod continuo videtur vangelista monstrare, narrationem suam ita connectens.

Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Neque contrarium omnino debet videri, quod idem Joannes alibi, de se interrogatus rursus ait : *Ego vox clamantis in deserto*, quod jam idem præmiserat, ut protulimus, quando dixit : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. Qui vocem ideo se nominavit, eo quod propheta, Spiritu sancto revelante, prius eum ita vocarat, non sua quidem assumptione, sed assertione veritatis. Nullum igitur verbum sine voce auditur, neque vox quidpiam sine verbi intelligentia valet. Formatur itaque in voce velut quoddam præconium verbi, ut deinceps voce dilapsa, verbum interius vigens percipiatur. Mittitur et Joannes divinitus ante Verbum, ut per ejus præconium verbum, quod in principio erat apud Deum, plenius intelligatur. Joannes quippe

Introdusă în format electronic de Google

jure vox est appellatus, quia verbi præconium fuit: et ideo de se confessus est quod olim se appellatum noverat, et implevit vocis officium, ut Verbum quod in principio erat digne intelligeretur. *Parate*, inquit, *viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Ac si patenter dicat, quia Verbum, quod in principio erat, corda credentium illustrare venit, mundate mentem, corrigite mores, ut eum credendo digne in vobis suscipere valeatis. Nostis igitur quod via verbi ad cor dirigitur, et ideo parate fidem, ut per eam in cor vestrum Christus ingrediatur. Dirigite mores in æquitate, ut per eos in vobis, velut per semitas justitiæ, gressus salutis ponat. *Habitabo*, inquit, *per fidem corda eorum.* Et Apostolus: *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* v, 7). Unde cum fides in nobis habetur recta, via Domini ad cor dirigitur: et dum mores mutantur in melius, rectas Dei in nobis semitas præparamus.

Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos ejus. Ex quo nimirum ita debemus advertere habitum, et conversationem ac victum, ut meminerimus gestorum veritatem prædicatoris pœnitentiæ personam simul et pœnitentum operibus exhibere formam. Nam locus conversationis ejus non frequentia hominum, sed desertum scribitur. Vestitus quoque non mollis et delicatus, ut fluxum libidinis enutriret, sed rigidus atque asper, ex pilis **157** camelorum insinuatur. Deinde victus quam tenuis atque inusitatus fuerit, nobis tacentibus Scriptura prodit. Quandoquidem non nisi per gratiam eo servari posse vitam, natura confiteri suadet, quod imitari non audet. Decebat itaque eum, cui primum prædicandi privilegia regni cœlorum committuntur, quantum mortalibus fas est, imitari angelicam vitam, et rebus mundi exspoliari; quatenus per eum discerent auditores quod idem verbis monebat operibus adimplere. Primum igitur pœnitentiam suis proponit auditoribus, per quam est reditus ab errore, recursus a crimine, abolitio vero peccati et progressus ad paradisum. Deinde exhibet vivendo quod docet, ut omnes instruat doctores, in se prius damnare a quibus et alios cohibent, atque operibus expedire, quæcunque monuerint ut agantur. Infelix nimium nostri sæculi ætas, quando rarissime invenitur aliquis vivendo evangelicam habens formam, sed omnes præsentium rerum sectantur honores, ut per fas et nefas magis præesse valeant, quam prodesse. Verumtamen omnes ea prædicant, quæ vix pauci tenere moribus ac vita, velint: quia dum paupertatem persuadent, cuncti regnare cupiunt: ejus nimirum fautores facti, cujus beatitudinem operis etiamsi possint, præsertim cum debeant implere, digito movere nolint. At vero Joannes quia formam contemptoris præsentis vitæ in se transformat, non solum appetit mala mundi perpeti, sed etiam habitum atque victum talem insumit, velut beatus Hilarius tradit, qui omnium eorum figuram gerat; quos exemplo doctrinæ suæ velut intra corpus mandendo trajicit. Ut per hoc quod foris exhibetur, intus quid agat plenius ostendatur. Per desertum namque, quo primum exclamat, agite pœnitentiam, designat eos, quos Spiritus sancti gratia deseruerat, ut per hoc non minus aptus pœnitentiæ locus doceatur, quam quales sunt ipsi inter quos, velut inter surdos auditores, regnum cœlorum advenisse clamat, si se vitiis vacuassent. Nam cilicium de camelorum pilis contextum, austeræ satis vitæ indicium est, per quam concupiscentiarum incentiva frenantur, et figuram gerit eorum, qui terrenarum rerum pressi honoribus, ad fidem veniunt, maxime de Gentibus aggregati. Ex quo propheta ad cœlestem Jerusalem, videlicet Ecclesiæ loquens, repromittit: *Inundatio*, inquit, *camelorum operiet te* (*Isa.* LX, 6). Quos cum ad fidem Christi **158** hic pœnitentiam persuadens, Joannes invitat, quid aliud quam vestem ex camelis confectam ad Christum mittendo indutus portatur? Ac per hoc hinc inde divina doctrinarum redolent sacramenta; quatenus per hoc demonstretur, quod illi ad decorem indumenti Christi pertineant qui per pœnitentiam, asperam agunt vitam, et suam super Christum peccati deponunt sarcinam. Zona quoque pellicea circa lumbos ejus, per quam mortificatio carnis exprimitur, eos insinuat, qui fidem recipientes Christi lumbis ejus adhæserunt, per quod propagati ex semine hæredes Dei et cohæredes Christi inveniuntur. Porro per locustas Judæi veritate fugaces non immerito designantur, qui per legem virtutum alas videbantur afferre; unde quasi quibusdam corporum saltibus sublimius a terra efferebantur. Sed quia litteram sine spiritu sunt secuti, messem legis suis male interpretando corrodebant dentibus. Erant enim aura cupiditatis flante vagi, operibus infructuosi, verbis queruli, circumferentes se omni vento doctrinæ. Sed postmodum multi eorum fiunt sanctorum alimonia una cum melle silvestri, et satietas prophetarum. Mel autem in cibum non ex alveariis legis, sed ex truncis silvestrium arborum prælibatur: ut per hoc gentilitas vocata ad gratiam, quam dulcis sit Christi corpori sociata, expressius declaretur. Hinc nimirum David canens aiebat: *Invenimus eam in campis silvæ* (*Psal.* CXXXI, 6), inter quas Joannes ejus dulcore pastus, jucundus saginatur. Forsitan et Jonathan filius Saul in hunc saltum devenerat, ubi ad superficiem terræ mel istud manabat (*I Reg.* XIV, 27). Quo gustato paululum illuminatus legitur, ut per hoc apertius designaretur gratia Redemptoris in Ecclesiam de gentibus confluxisse; quam quisque attigerit, non solum illuminatur, verum etiam interius refectus corroboratur.

Tunc exibat ad eum Hierosolyma et omnis Judæa et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur confitentes peccata sua. Ubi notandum quod ideo confitentur peccata sua, ut digni efficiantur baptismi gratia, secundum quod audierant, *pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Unde apparet, nullum recte pœnitere posse, nisi primum confiteatur peccata sua, et prioris vitæ errores damnaverit,

Introdusă în format electronic de Google

ut efficiatur idoneus percipiendæ gratiæ, et tum demum divinis mysteriorum sacramentis in Christi corpore consecretur. **159** Præterea ex eo quod Apostolus ait : *Quia sine pœnitentia sunt dona et vocatio* (*Rom.* XI, 29), non incongrue legentibus quæstio generatur. Quia nimirum si sine pœnitentia sunt dona mysterii, et nobis in baptismo condonatur remissio peccatorum, videtur non recte ad eum currentibus pœnitentia velut indigna prædicari. Sed pœnitentiæ modus triplex accipitur, dum aliud sit errores vitiorum, et universa diaboli opera per pœnitentiam abrenuntiando ante ablutionem fontis penitus condemnari, aliud post fontem remissionis labi in peccatum, et per pœnitentiam iterum renovari. Nec non et illud quod quotidie sancti a talibus purgantur delictis, sine quibus nostra humana mortalitas, aut vix, aut certe minime potest vivere. Quorum prior pœnitentiæ modus ideo prædicatur, ut homo qui Deum auctorem suum, declinando post ea quæ vana sunt, contempserat, et per reatum iræ filius factus erat, tandem in semetipsum rediens, pristinos vitæ errores rudimento fidei funditus condemnaret. Non enim erat fas duobus dominis servire, imo proprio veniente rectum erat, ut quod infauste tenuerat primum, relinqueret, et puniret in se quidquid in eo male vivebat, quatenus per hoc divinæ gratiæ capax esset. Verumtamen hæc ut ageret non sua libertas, eo quod esset servituti addictus, sed vocantis gratia fuit ; quæ gratia non solum reis peccata gratis indulsit, sed etiam facultatem agendi quæ monebat, dedit; ac deinde meritum, quo perciperet quisque quæ promissa sunt, plenius condonavit. Et ideo jure clamat Apostolus : *Quod sine pœnitentia sint dona et vocatio*, præsertim quod cuncta gratis donantur, in tantum ut etiam ipsa pœnitentia Dei donum recte dicatur. Nunquid igitur ulla religionis pœnitentia sine Dei gratia videri potest, præsertim cum propheta postulet : *Converte me, Domine, et convertar ad te* (*Jer.* XXXI, 18). Quomodo, inquit, tu, Domine, convertisti me, et egi pœnitentiam, ostendisti mihi et percussi femur meum. Ac si patenter diceret, quia nisi me convertisses, utique ex me pœnitentiam non egissem. Unde liquido constat, quod pœnitentia Dei sit donum, sed tamen Apostolus baptismi gratiam et remissionem peccatorum sine illa pœnitentia, quæ publice peccantibus datur in Ecclesia, dari omnino perhibet, et nequaquam de hac, per quam quisque abrenuntiat diabolo, et omnibus operibus ejus Christus aut Joannes **160** tacet. In hac quippe non multa corporis quæritur satisfactio: in illa vero prolixius, juxta æstimationem delicti, et fructum pœnitentiæ ejus qui sua deflet errata, tempus insumitur. Non quidem ut de venia in uno eodemque momento diffidamus conversi, sed ut ex hoc satisfaciens reus ad meritum, potum lacrymarum percipiat in mensuram. Porro de his qui ante donum vana sectati sunt instituta, dicit Apostolus : *Quem ergo fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis ?* (*Rom.* IX, 21.) De istis vero alibi divina vox per Joannem : *Memento*, inquit, *unde cecideris, et age pœnitentiam, et priora opera tua fac* (*Apoc.* II, 5). Ea videlicet quæ primum per charitatem debueras operari. Cæterum Paulus apostolus ad Hebræos loquens, non solum hanc quam diximus, ante baptismum negat pœnitentiam agendam ; verum ipsum baptismatis nomen pœnitentiam appellat. *Impossibile est*, inquit, *eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimet Filium Dei, et ostentui habentes* (*Heb.* VI, 4). Quid enim est quod dicit, impossibile illuminatos rursus renovari ad pœnitentiam ? Nunquid hanc alteram, quam diximus post gratiam, denegat pœnitentiam? Absit. Non enim illam denegare poterit, quam idem multoties prædicare probatur. Sed quod dicit rursus renovari ad pœnitentiam, tale est ac si diceret, impossibile est eos rursus reiterare baptismum. Baptismum igitur hoc loco pœnitentiam appellat, et ideo recte negat renovari posse rursus ad pœnitentiam. Quia sicut Christus semel mortuus est pro peccatis nostris : ita et nos cum illo per baptismum semel oportet mori. In quo nimirum baptismo, dona et remissio sine pœnitentia condonantur. Quia profecto illud, quod renascimur ut filii Dei simus, per baptismum gratis omnibus prælargitur. Cæterum qui post hoc deliquerit ad mortem, quamvis in quacunque die conversus fuerit, omnia ejus peccata oblivioni tradantur, non tamen sine aliqua condigna satisfactione delicti immunis a pœnitentia poterit expiari. Unde fortassis hoc Paulus volens annuere, sine pœnitentia dixit dona remissionis, et vocationem, quam in hac iterum si lapsus fuerit quispiam credimus necessarium adimplere. At vero de his qui non adeo peccant, et tamen seipsos quotidie per lamenta districtionis purgando **161** puniunt, dictum accipimus, quod *Septies in die cadat justus, et resurgit*. Cadit quidem per varios delictorum excessus, sine quibus nostra mortalitas non subsistit, sed resurgit illico per humilem confessionem, firmus in proposito, etsi fragilis inveniatur in excessu. Alioquin non justus interea censeretur dum incideret in reatum, si non justificatus continuo veniam resumeret ex indultu. Quapropter nemo ex omnibus invenitur qui confessione, veritate prodente, non egeat. Idcirco nullus se excuset, quatenus dum vacat misericordiam non requirat. Non enim erubescat confiteri medico jam pro omnibus immolato, quod isti dudum non erubescebant publicare Joanni, nondum salutis antidoto eisdem quantulum propalato. Quod si igitur circumquaque ad eum exeuntes, confitebantur peccata sua, necdum veritate percepta, quid putas faciendum est his qui post veniam hactenus peccatorum tenebris involvuntur? Qui profecto nisi ad lucem confessionis venerint, tenebrarum caligine circumfusi manent in morte. Quia omnis qui manet in morte adhuc in te-

Introdusă în format electronic de Google

nebris est, et nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. In morte igitur manere est hactenus infra januas peccati circumcludi. De quibus januis nemo est qui evadat, nisi agente illo ad quem David dicebat : *Qui exaltas me de portis mortis* (*Psal.* IX, 14). Quod hic nempe Joannes intelligens :

Videns multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dicebat : Progenies viperarum, quis vobis demonstravit fugere a futura ira? Ac si patenter diceret, nemo nisi unicus Dei Filius, quem vobis futurum annuntio, et per modicum ostensionis digito luce clarius præmonstrabo. Progeniem autem viperarum eos appellat, quia de venenatis parentibus nati, sua primum oportebat confitendo venena fraudis antiquæ deponere, et tum demum fide Christi indutos fontem suæ purgationis intrare. Quam permistionem naturæ secundum physiologos, in eorum comparationem decenter adinvenit. Ferunt namque viperarum esse naturam, quod femina dum concipit caput maris ore permulgens, nimio fervore libidinis virus ejus exhauriat; quo consumpto extemplo idem masculus morte depereat. At vero illa dum tempus pariendi advenerit, fetibus prægravata perimitur : discerpunt enim ungulis matris uterum, et pariter cum vita effusis visceribus egeruntur. **162** Sic itaque et Judæi caput viri, quod Christus est, ore livido perimentes, matrem suam, videlicet synagogam, prophetarum vel eorum, de qua nasci debuerant cruentis manibus occiderunt. Quos forte videns adhuc Spiritus sancti indagine suæ fraudis venena intrinsecus occultare, jure censura severitatis increpat eos, quare prius callidas doli astutias non evomuerint, et sic demum intrarent ad fontem, ubi columba sine felle amaritudinis deargentata, in pallore auri quotidie gratia Spiritus sancti dealbatur, et deinceps sine ruga et sine macula cum Christo in terra gradiens, omnia serpentum genera suis conculcat pedibus, et repellit incredulos.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, inquit, ac si aperte diceret, nolite insultare quod facio, imo quæ dico piis adimplete operibus, et facite fructus dignos pœnitentiæ quam prædico : quia nullus vestrum suis vel patrum justificatur operibus, qui omnes iræ filii per reatum facti estis. Magister itaque perfectæ pœnitentiæ Joannes factus, non solum exhibuit in se personam pœnitentis, verum etiam qualis debeat esse modus patenter insinuat, dum subjungit : *Facite dignos pœnitentiæ fructus*. Alioquin baptismi ablutio, non abolitio peccati, sed delusio judicatur. Fructus igitur pœnitentiæ dignus, mortificatio carnis, omniumque vitiorum est, quatenus per fidem sata virtutum semina, messem boni operis copiosius accumulent. Quibus ditati, damnum quod sibi intulerant, suffragrante gratia, meritis recompensent. Sed cum talibus eos præco veritatis percelleret increpationibus, videns fastu elationis eorum ob prærogativam Patrum intrinsecus animum tumere, occurrit cogitationibus eorum, quasi dicerent : Nos non genus sumus viperarum, sed filii Abrahæ sanctissimi patriarchæ censemur. Quibus itaque talia sibi plaudentibus :

Ne velitis, inquit, *dicere intra vos, patrem habemus Abraham*. Quia non carnis filii, sed gratiæ, connumerantur in semine. Non enim quod ex carne suscepit Abraham hæredem habuit, sed quod ex fide. Ideirco si vultis esse in semine, fidem imitamini ejus : quoniam non ex operibus legis justificatus est, sed quia credidit Deo, reputatum est ei ad justitiam. Siquidem et vos fidei opera probate, per quam filii secundum interiorem hominem sitis. Alioquin ne velitis vos dicere filios, quod **163** tantum ex carne estis, dum Ismael nequaquam computatur in semine. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, videlicet fructus baptismi, si placet per regenerationem fidei regni hæredes fieri. Alias autem ex patre diabolo estis, quia si filii essetis Abrahæ, opera patris utique fecissetis. Qua de causa ne gloriemini, vos tantummodo ex carne filios esse præsertim cum sitis alterius ex imitatione. Et ideo hi magis probantur filii, qui per fidem propagantur in semine. Unde :

Potens est Deus, inquit, *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Ubi nimirum potentia Dei, cui est possibile omne quod velit, non ideo prædicatur eximia, ut tantum suspiciatur laudabilis, verum etiam, ut ex hoc eorum refrangatur temeritas, et incipiant prædestinationis Dei opera cogitare. Quia sicut nihil ab eo prædestinatur quod non possit : ita quidquid prædestinatum fuerit, non nisi justitia dictante, aut certe misericordia suffragante, consummabitur. Prima igitur rudimenta fidei sunt pro certo credere Deum quidquid voluerit posse. Deinde subnixius intelligere, quod cuncta juste providus dispensator atque clementer disponat. Hinc est autem quod profecto simplicem lectorem satis juvare opinor, si pro certo crediderit, quod Deus qui cuncta creavit ex nihilo, potens sit ex lapidibus filios Abrahæ formare, et velut ex propagine illi repromissos hæredes etiam ex quolibet pulvere suscitare. Alioquin fidei rudimenta nondum percepit. Si enim Græcia portentosis male suis erudita fallaciis Deucalionem conata est asserere mundo, quibus creati sint homines lapides aspersisse, quid putas, quod magis fatendum est, Deum verum ac vivum ex lapidibus filios Abrahæ simpliciter non posse creare? Unde Virgilius Maro :

> Continuo has leges, æternaque fœdera certis
> Imposuit natura locis; quo tempore primum
> Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.
> Unde homines nati durum genus.

Volens annum octingentesimum decimum ante Romam conditam significare : quando, ut aiunt, Amphion tertius a Cecrope Athenis regnavit. Cujus nempe temporibus aquarum inundatio majorem Thessaliæ populi partem absumpsit, paucis per refugia montium liberatis. Unde et fabulam introduxit. Tunc itaque in monte Parnasso quam multi

Introdusă în format electronic de Google

transpositi, circa quem Deucalion mortalis regno potiebatur, quos tunc ratibus ad se fugientes **164** suscipiens per gemina ejusdem montis juga interea fovit, aluit, atque servavit. Quos demum remittens sæculo, dicitur genus hominum reparasse, ac si de lapidibus, quos unda nudarat, tunc nati essent. At vero si sapientes sæculi de his talia finxerunt, ut quamplurimos suis cæcarent tenebris; quanto nunc religiosius est credere, quod omnibus verum luce clarius prædicatur? Tamen quod signanter Joannes de lapidibus istis dixit, ac si aliquos subterpositos digito demonstraret, nequaquam vacat mysterio. Sed profecto unam harum aut certe utramque rerum vult promulgare figuram. Quia mystice, ut aiunt, hoc illo agebantur in loco, ubi Jesus filius Nun duodecim lapides de medio Jordanis in terram transportari jusserat, atque alios ex terra in eodem alveo restituerat (*Jos.* IV, 8). Ad quos tunc fortassis lapides digitum extendens, aiebat: Potens est Deus ex lapidibus istis, per quos Judæorum necatio et gentium ad lucis speciem transformatio præfigitur, filios Abrahæ, sicut promissum est, suscitare. Prorsus quia in illis lapidibus etsi non natura, tamen figura gentium erat, non immerito scribitur ex iisdem eos silicibus suscitandos, in quibus jam olim gratia salutis eorum prætendebatur. Ac si patenter diceret: Nolite dicere, patrem habemus Abraham; potens est enim Deus ex lapidibus istis, scilicet per eam gratiam quæ in ipsis præfigurata ostenditur, filios Abrahæ suscitare de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de non gente in gentem, ut et ipsi per fidem renati tanti patris quandoque hæredes inveniantur. Alias autem lapides Gentiles vocat, ob cordis duritiam, vel certe quod idololatræ lapides adorabant. Hinc quoque juxta Psalmistam: *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 16). Atque alibi, eo quod ipsi lapidei essent Dominus per prophetam: *Auferam*, inquit, *a vobis lapideum et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XI, 19). Secundum efficientiam igitur operis, et non secundum substantiam, Gentiles lapides appellantur: quia juxta naturam boni et incontaminati sunt creati; at vero seipsos corrumpendo per varias rerum efficientias, facti sunt ut non essent, et ideo non incongrue lapides vocantur. De quibus nimirum lapidibus potens est Deus, non dico resuscitare filios Abrahæ quasi ex aliquo, sed omnino suscitare velut ex nihilo. Quia prius cum essent per Deum, seipsos corrumpendo fecerunt ac si non essent: Scriptura teste, quoniam **165** omnes gentes sic sunt ante Deum quasi non sint, et in nihilo reputantur. Ergo qui erant lapides propter duritiam et asperitatem peccati nullo usui apti, virtute Dei facti sunt lapides vivi, qui super terram volvuntur, et in sanctuarium Dei tandem pretiosissimi computantur; quibus cœlestis illa Jerusalem construitur, et omnes muri ejus per gyrum in Christo ex ipsis coædificantur. Ex quo aptius fortassis videretur evangelista significasse si diceret: Potens est Deus de lapidibus istis parare quadratos lapides, quibus cœlestis illa civitas Jerusalem ædificetur, præsertim quod tum de una eademque substantia facta esset verbi translatio. Sed quia longe altius idem docente Spiritu sancto ac perfectius eruditur, non verborum secutus est sonoritatem; sed sensuum profunditatem plenius scrutatur, et congruenter satis eloquitur. Præmiserat enim superius, *Generatio viperarum*, non quod earumdem essent naturæ existentia, sed quia fuerant veneno doctrinæ suæ, et infidelitatis vitio transpositi ad propaginem. Et ideo ne glorientur ex semine carnis, facit anastrophen ad gentes, «quod hi tantum habeantur filii, qui fuerint secundum interiorem hominem per gratiam suscitati. Suscitati, inquam, quia veniens Christus accepit uxorem fratris defuncti, scilicet patriarchæ Abrahæ; quippe quia per Saram, mater omnium nostrum Ecclesia significatur; et suscitavit ex ea filios per gratiam, per quam idem olim ob præsagium genuerat filium. Unde secundum legem omnes qui ex fide sunt, patris jure hæredes defuncti non minus quam filii supputantur. Hinc quoque signanter verbum, quod potens sit Deus suscitare, inseruit, ut recognoceres in Christo quem prædicat compleri quod dudum Moyses ex lege mandaverat (*Deut.* XXV, 5). Præcepit ergo, si frater defunctus esset sine liberis, ut is qui superstes fuerit frater ejus, accipiat uxorem defuncti, et suscitet ex ea semen fratris sui, cui cum natus fuerit filius, profecto hæres defuncti erit, et in sorte suæ successionis annumeratur. Ob cujus mysterii sacramentum Christus veniens, quia Abraham defunctus sine liberis approbatur fidei, eo quod omnes ex carne ejus degeneres essent, potens astruitur suscitare filios ipsius, juxta quod promissum fuerat ei; ne tantus patriarcha divinis privaretur promissis. Interea ne et ipsi viderentur immunes, si se a talibus donorum sacramentis penitus abdicassent, comminatur **166** illico, exempla sumens de agricultura.

Jam enim, inquit, *securis ad radices arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.* Porro per arbores animorum statum significari, nemo qui ambigit, si Scripturas sanctas legerit, quia frequentatissimum est per eas, bonorum malorumve hominum qualitates exprimere. Habet igitur suam agriculturam genus humanum, quod Christus veniens excolere nimium infecundum per infidelitatis intemperantiam invenit; sed omnibus libertatis arbitrio per gratiam restituto deinceps licentiam fructificandi dedit. Unde justo Dei judicio jam securim ad radices arborum positam comminatur, quatenus si per fidem fructum pietatis non protulerint excidantur a præsenti vita, vel certe a terra viventium qua sancti cum Domino sunt regnaturi. Arborum itaque a nonnullis pro qualitate quatuor connumerantur genera; quia sunt aut bonæ viriditatis, et fructum suis temporibus bonum ferunt; aut sunt male virides, et fructum malum ferunt: aut certe sunt solummodo virides per vigorem, et manent in-

Introdusă în format electronic de Google

fructuosæ, neque fructum, eo quod sunt steriles, asquam ferunt, quædam vero jam exhaustæ omni viriditate sua, quamvis adhuc radicibus sursum a terra erigantur; quia nondum præcisæ, vel impulsione aliqua, destiterunt, nec ad aliud quam ad usus ignium hactenus reservantur. Quarum omnium exempla si quis diligentius velit animadvertere, poterit in hac agricultura totius Ecclesiæ considerare, quia sunt hæretici viriditate fidei jam intrinsecus arefacti, atque viroris gratia, etsi adhuc in carne sint, denudati. Sunt et quidam sub hypocrisi delitescentes in Ecclesia, quorum fructus omni felle amaritudinis peccati contagione amarior invenitur: qui autem comederit ex fructibus eorum veneno *iniquitatis* illico peremptus, salute propria, quæ a Christo est, privabitur. Sunt igitur et bonæ operationis arbores, quæ fidei fervore calentes, plurimum fructum, et omni bonitate conduleoratum ferunt. De quibus Dominus: *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere: a fructibus eorum*, inquit, *cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 18). Sunt autem et nonnulli, qui fidei viriditatem tantum habent; sed quia fidei fructum non habent, steriles terram occupant; et ideo securis ad radices arborum recte commemoratur, ut qui meliorem **167** vitæ fructum ferre noluerint, excidantur, et æternis ignibus præparati atrocius concrementur. Quod paulo superius volens insinuare qualiter fugiamus: *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ*. In quibus nimirum verbis valde notandum est, quod non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ fructus faciendos præcipiendo persuadet. Aliud itaque est fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum operibus adimplere. Neque enim par fructus esse debet boni operis ejus qui minus, et ejus qui amplius deliquit: aut ejus qui in nullis, et ejus qui forte in quibusdam facinoribus ceciderit. Per hoc ergo quod dicitur: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, uniuscujusque conscientia convenitur, ut tantum bonorum operum quærat lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi damna intulit per culpam; alioquin jam securis posita est ad radices arborum, quatenus quisque infructuosus cominus succidatur, si post stercora pœnitentiæ fructus dignos non tulerit. Quæ securis namque Christus est incarnatus, duabus unitus substantiis; ut qui per humanitatem quasi manu tenetur comprehensionis nostræ, per divinitatem interius ad radices conscientiæ nostræ positus, inibi si qui sunt infructuosi vivacius abscindantur. Quia etsi interdum per patientiam nos exspectat, per Divinitatem examinat et disponit, quando, vel quantum, pro qualitate delicti unumquemque feriat. Efficax est enim Dei sermo, et penetrabilior non modo securi, verum omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animarum et spiritus, compagum quoque et medullarum ac discretor cogitationum est. Quæ cogitationes non incongrue radices arborum nuncupantur, quia sicut per radices arbores fructificantes figuntur in terra: ita et nos quoque per easdem in cœlum sustollimur, fructificantes Deo; aut certe complantati in terra, carnales ad ima radicantes, jam apud inferos destinati. Et notandum, quod securis non juxta radicem, sed expressius ad radicem ponitur; ut omnis qui sentit intelligat examen judicii, et præsentiam majestatis usque ad divisionem animæ contingere. Unde se debet fidelis animus omni hora omnique momento circumspicere, ne feriatur, et sic vivere quasi semper illo tremendo examini debeat præsentari. Quis enim securus esse poterit, dum dicitur, ecce jam securis ad radices arborum posita est? Quod si non videt, **168** saltem sentiet, eam. Itaque si nec sentire interdum nec videre potest aliquis, valde timendum est, ne forte jam arefactus, dum soporatur in mortem, nescius ad tartara deducatur. Propter quod, satis invigilandum est, ne dum vivitur, sine fructu pœnitentiæ condigno aliquis nostrum inveniatur; eo quod nullus excipitur, sed omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Omnis, inquit. Ergo ubi nullus excipitur, satis horrendum est ab opere ne quilibet vacuus æstimetur. Præsertim quia non dicit, si fecerit fructum malum, sed omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum, inquit, excidetur, et in ignem mittetur. Sed ne videatur sua tantum auctoritate contemnentes minari, deinceps incipit aperire quantæ auctoritatis sit, cujus eis præsentia comminatur, vel cujus beneficiis ad fidem debeant jure persuaderi.

Ego quidem vos baptizo aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. De quo loco satis Lucas dissentire videtur verbis, quamvis ab eadem sententia non recedat. Nam cum dixisset velut ad eorum cogitata: *Ego vos baptizo in aqua*, nequaquam addidit *in pœnitentiam*. Deinde: *Venit*, inquit, *fortior me, cujus non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere*. Sed nullo modo hinc laborandum, quisquis prudenter intelligit ipsas sententias cognoscendæ veritati, necessarias esse, quibuslibet verbis explicentur. Quod enim alius aliam verborum tenet seriem, non est utique contrarium: neque illud contrarium est, si alius dicat, quod alius prætermittit, cum fas non sit evangelistarum aliquem mentitum credere. Et si non modo verbis aut verborum ordine, aut alio quolibet locutionis genere, verum etiam reipsa videtur aliud esse, *Calceamenta portare*, aliud, *corrigiam calceamenti solvere*: non tamen continuo putare debemus eos contraria sibi velut ex ignorantia conscripsisse. Unde recte quæritur, quid horum Joannes dixerit, non se dignum esse, utrumne calceamenta portare, an corrigiam calceamentorum solvere? Quandoquidem ille videtur solus verum narrasse, qui hoc protulit quod primum Joannem suis auditoribus certum est nuntiasse. Sed si ad rem pertinet aliud aliquid ex eo intelligere quod eos diverse certum est edidisse, quid aliud æsti-

Introdusă în format electronic de Google

mare recte possumus, quam Joannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive contextim ? Ac si diceret : Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, neque calceamenta portare. Ex quo unus eorum hinc aliud, alius vero, sicut et reliqui duo, aliud ; omnes tamen quod verum narraverint, possimus luce clarius approbare. Unde, sicut jam diximus, quocunque in loco sic tractandi sunt, quatenus in nullo a vero deviasse credantur ; neque sibi contraria protulisse. Sed interea redeamus ad ordinem expositionis, et videamus cur Joannes baptizet aqua in pœnitentiam cum peccata non relaxet. Neque enim fas erat servulo peccata relaxare alterius, etsi major eo nullus, juxta Domini vocem, jure dicatur. Quia nescio, quamvis in utero matris sanctificatus, si potuit usque in finem omnis peccati contagium evitare. Qui licet potuerit, si fas est dicere, non sua vi, sed gratia, qua legitur præconis officio dedicatus, omnino credimus evitasse. Baptizabat autem ut præcederet suo præconatus officio Christum, ne Christus novi quidquam contra legis mandata faceret. Atque invitabat omnes ad pœnitentiam, quatenus cum veniret pontifex pro nobis factus, ipse jam quærentibus veniam peccata ut Dominus relaxaret. Facit autem Joannes catechumenos, et hortatur omnes ad nuptias, ut, cum Christus processerit Pontifex pontificum ad fontes, illico jam instructi filii renascantur, et thalamum cum sponso ingressi, de ipsis in mysterio nuptiæ celebrentur. Alias autem, cur ipse venerit, in Evangelio secundum Joannem, cum de Christo idem loqueretur, insinuat dicens : *Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur*, inquit, *in Israel, ideo veni in aqua baptizans* (*Joan.* I, 31). Præterea jam cur venerit baptizans, nulla major causa esse poterit. Alioquin deinceps idem baptismus maneret. Nunc vero quia ad aliud non profuit, veniente Christo, velut expleto ministerio, cessavit. Quod autem ait, *Venit fortior me*, non quasi comparare se velit creatura cum Creatore; sed eum fortem insinuat, sine quo nulla est fortitudo; de quo Isaias propheta : *Deus fortis, pater futuri sæculi* (*Isa.* IX, 6). Verumtamen Joannes non ideo fortiorem eum dixit quod ipse in comparatione ejus esset fortis, sed quia æstimabatur aliquid esse, ita ut Christus credi potuisset, temperavit sermonem, ut paulatim suis virtutibus Christus quantus esset copiosius **170** commendaret. Venturus autem post eum, non ex eo quod æternus a Patre est, sed carnis nativitate, apparitione ostensionis suæ ad plebem, passione et descensione ad inferos. *Cujus*, inquit, *ego non sum dignus calceamenta portare*. Ex quo nimirum juxta simplicem intelligentiam condigne se humiliat, ne se illi comparasse videatur, qui se calceamenta ejus portare non dignum judicat. Cæterum si altiora paulisper contueamur, in calceamentis mysterii supereminet magnitudo. Per calceamenta quippe se non minus Verbi incarnatio, quam universa Evangelii sacramenta designantur, quæ beatus Joannes nequaquam **169** A dignus fuit portare. Quoniam singulis de Christo sua meritorum officia suis exstitere temporibus. Quibus nimirum calceamentis pedes apostolorum vestiti, quam speciosi ad evangelizandum dicuntur; et per eos deinceps Christi Ecclesia confitetur : *In Idumæam extendam calceamentum meum* (*Psal.* CVII, 10), eo quod usque ad eos qui terrenam vitam degunt Evangelii prædicamenta cucurrerunt. Quæ videns beatus Joannes ad prædicandum apostolorum officiis deputata, illis circumferendæ gloriam prædicationis derelinquit, quibus erat debitum speciosis pedibus pacem gentibus annuntiare. Quorum nimirum pedes calceati ad præparationem Evangelii pacis recte dicuntur, eo quod idonei per eum facti sunt, quo erant induti, et calceati calceamento salutis. Quibus profecto calceamentis Moyses, dum ad contemplandam visionem Dei omnipotentis magnam vellet B accedere, quia nondum fuerat calceatus, dictum est ei : *Solve calceamentum pedum tuorum, locus enim in quo stas terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Nequaquam igitur sancta erant illa pedum calceamenta; idcirco illis adhuc vestitus non merebatur terram sanctam contingere, neque ad visionem Dei omnipotentis calceatus accedere. Nam neque Josue postmodum angelus eadem remandaret (*Jos.* V, 15), si ei fas esset adhuc talibus indutum terram sanctam calcare. Quæ nimirum vetustas quia necdum erat remota, quamvis idem præco veritatis sanctificatus esset, idcirco fortassis non se dignum ad perferenda calceamenta veraciter clamat. Alioquin, neque iidem C apostoli ea ferre digni essent, nisi exspoliati a vetustate per mortem Christi essent (*Deut.* XXV, 9). Cæterum apud veteres mos erat ut si quis eam, quæ sibi competeret uxorem **171** nollet accipere, calceamentum ei ille solveret qui ad hanc sponsus jure propinquitatis veniret. Quid igitur Christus inter homines nisi sponsus sanctæ suæ Ecclesiæ carne vestitus apparuit? De quo recte idem Joannes dicit : *Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joan.* III, 29). Sed quia homines eum Christum esse putabant, quod ipse de se constanter veritatem confitendo negat, recte non solum, ut significantius Lucas narrat, ad solvendam corrigiam calceamentorum ejus, verum etiam ad perferenda eadem sponsalitatis mysteria, pressus humilitate, indignum se fore clamat. Hinc D est igitur quod Moyses aut Josue sponsi non erant, verum nec ipse Joannes, et ideo jure discalceari jubentur. Sed et iste ad perferenda vel dissolvenda eadem sponsalitatis jura indignum se veraciter asseverat, quæ per spiritum prophetiæ in Christo futura cognoverat. *Ipse vos baptizabit*, inquit, *Spiritu sancto et igne*, hoc est purgatione sanctificationis ; et deinceps ad charitatem nutriendam, probatione tribulationis. Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Unde, si primum per eum sanctificamur, quid aliud quam in eo abluimur? Et deinceps si per charitatem ad Christum pertingimus, quid aliud, quam per eam in Christo regeneramur? De hac quippe

Introdusă în format electronic de Google

Spiritus sancti ablutione in spem vitæ renascimur. De charitate vero id regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ perfectius renascendo immortalitate vestimur. Sed cur eadem charitas ignis dicatur, non incongruum potest videri, dum mentes hominum ardere facit. Nam et apostoli primum cum Spiritu sancto percipiendo sanctificati essent, non tamen adeo ardentes erant, sed cum in die Pentecostes per eumdem Spiritum in eis plenius charitatem refudit, eos quam maxime ardere fecit. Quia nimirum, charitate renati, ab ea separari non poterant ullis tormentorum generibus. Hinc quoque est quod Paulus constanter aiebat dicens : *Certus sum ego quod neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque creatura ulla poterit nos separare a charitate Christi* (*Rom.* VIII, 38). Totus enim charitatis erat effectus per gratiam ; idcirco aliud esse non poterat quam quod factus erat. Quam itaque charitatem quia in præsenti vita vix pauci tam plenam habent, in futuro vero ita tenus ut semper in ipsa maneant, ad plenam immortalitatem omnes per eam renati erunt. Unde profecto credimus dictum : *Ipse vos baptizabit* **172** *Spiritu sancto*, in præsenti vita ad æternam sanctificationem, et postmodum igne charitatis post multas tribulationes, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, ad innovationem beatæ immortalitatis. Quia nimirum, sicut hic omnia peccata donantur, ita et illic, ea sine quibus nostra mortalitas non potest subsistere, si congrua præcesserit conversio, plenius ad integrum relaxantur. In Actibus quoque apostolorum Spiritus sanctus ideo in igne apparuisse legitur, ut esset indicium quod eos quos repleverat ardentes fecerat. Et unde ergo ardentes, nisi de igne quem infuderat, ac per hoc ipsa charitas ignis erat? Et ideo recte dictum videtur : *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto* Primum ex sua significatione, ac deinde igne consummatæ charitatis, quando nemo vos separare poterit a Christi charitate, quando non aliud in vobis quam ignis divini amoris ardebit. Nisi forte ita accipiendum sit : *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, et igne*, ut quidam volunt, quasi idem Spiritus sanctus ignis sit, quod omnino confitemur, quia Deus ignis consumens est. Sed quia copulativa conjunctio interponitur, videtur non de una eademque re conjunctionem subtexere. Unde quidam refugientes, ignem purgatorii volunt significari; quasi nos in præsenti Spiritu sancto abluat, et deinceps si qua peccati macula subrepserit, per ignem conflagrationis ad purum exurat. Sed si ita est, de levioribus quoque atque minimis peccatis credendum est; quia nequaquam abhorret a vero quod pene ab omnibus opinabile pertractatur. Unde et Apostolus : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* (*I Cor.* III, 13). Nam et in Levitico super altare semper ignis ille de cœlo missus ardebat, qui holocausta cuncta consumeret, et cremaret omnium sacrificiorum adipes; significans eos qui super Christum, in odorem suavitatis, in sacrificium vel in holocaustum Domino, igne divini amoris, veluti victimæ quotidie concremantur. Quo profecto igne credentes quid aliud quam rebaptizantur? Hunc igitur ignem venit Jesus mittere in terram, et quid vult, nisi ut ardeat, et concremet universa carnis vitia ; quatenus in eo electi ad novam vitam quotidie renascantur? Hinc quippe ignis perpetuus esse jubetur, qui nunquam deficiet ab altari ; ut ex eo omnes qui in Christo, id est super altare offeruntur, purificati gloriosius innoventur, quatenus per hoc in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede **173** majestatis suæ, adoptionem filiorum Dei plenius percipientes, immortalitati æternæ vitæ donentur.

Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili. Per ventilabrum quippe examen divini judicii designatur. Quia, sicut per ventilabrum in area trituræ paleæ secernuntur a tritico, ita per divinum examen leves et vacui a fructu boni operis et a consortio sanctorum segregantur. Quod triticum ex eo frumenti grano crevisse cernitur, quod cadens in terram per crucis passionem alibi mortuum perhibetur. Unde nimirum per fidem exorti unum in Christo efficiuntur. Et inde hæredes Dei facti, Christi vero cohæredes, non natura quidem, sed gratia, ad horreum paradisi, paleis rejectis in ignem uno ex grano viritim quotidie colliguntur. Paleæ quidem traduntur ignibus, quanquam ex radice processerint seminis, non quia non sunt ex eo, sed quia degeneraverunt a pinguedine fructus : ita et peccatores, quamvis renascantur ex fide Christi, si non habuerint fructum fidei, conflagraturi suppliciis deputantur. Non quia non sunt in fide, sed quia vacui et degeneres a fructu fidei in divino examine decernuntur. Nam cæteri qui non credunt, nequaquam isto removentur ventilabro a tritico; sed quia jam judicati sunt, destinato itinere ducuntur ad tartara. Quod autem in manu ejus ventilabrum situm minatur, potestas judiciaria exprimitur ; quia Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Dedit autem ei propter humanitatis formam, quod ipse prius semper in manu habuit cum Patre, propter æqualem suæ divinitatis majestatem. *Et permundabit*, inquit, *aream suam;* utique a paleis, dum boni segregantur a malis. Per aream quippe, in qua frumentum ad liquidum triturator, præsens Dei Ecclesia exprimitur, in qua sancti diversis pressurarum angustiis propulsantur. Et qui grana fuerint in Christo per patientiam solidati, efferri huc illucque nequibunt. Nam seminato Christo in cordibus credentium per fidem, quasi in terra bona plurimum ferunt fructum per patientiam, sine qua Deo nemo fructificat. In cujus nimirum soliditate counita seminis grana, quia ex ipso sunt, a Christo nequeunt separari. Neque enim aliud per aream signatur, et aliud per triticum, quod in ea coarcervari noscitur. Sed **174** unum utrumque exprimens, ab agricultura decentissimam allegoriarum fecit figuram. Nam in eo

Introdusă în format electronic de Google

quod dicit : *Permundabit aream suam*, tale est ac si patenter diceret quod quotidie, variis tentamentorum generibus propulsando, purgabit triticum suum, et, per patientiam approbato, congregabit in horreum suum ; paleas autem leves, atque ab omni vento tentationis fugaces, missurus est in ignem inexstinguibilem. Inexstinguibilem quippe dicit, non, ut quidam delirant, quod demum, judicio peracto, revocandi sint ad veniam illo qui cremandi sunt incendio, sed ideo inexstinguibilis, quia fenum et paleæ, ac stipula perdurabiles ad ignem erunt. Alioquin inexstinguibilis forsitan jure sentiretur, si non eorum pabulo quorum est incendium ad sempiterna tormenta jugiter pasceretur. Nam ejusdem, ut semper sit inexstinguibilis, materiei facti sunt hi quorum portio cum diabolo delegatur, ut cujus membra, sectando illum, sunt facti, etiam ignis æterni concremationc consortes fiant. Neque enim sine alimento, quamvis perpetuus recte credatur, jure inexstinguibilis commemoraretur, si non hi ad supplicia tormentorum semper durabiles essent.

Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordane ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Tunc autem quod dicit, ad eum respicit locum, quando baptizabantur in Jordane a Joanne, et reliqui confitentes peccata sua. Porro a Galilæa ideo venisse perhibetur, quia Nazareth, ubi hactenus conversatus est, ut jam diximus, in ea erat metropolis ; ex qua tunc ut manifestus fieret hominibus, recte advenisse dicitur, qui prius qualis et quantus esset latebat. Siquidem ætate qua venerit, ipso Luca teste, didicimus quod quasi annorum triginta fuerit. Interea factum ut forma daretur quibus evangelizandi esset futura successio ; qua et ipsi ætate pietatis opus deberent suscipere, et perfectionem vitæ in omnibus de se locupletius exhibere. Hac igitur ætate perfectæ vitæ integritas jam adulta rectissime designatur. Unde et universalis Christi Ecclesia, quos ad presbyteratus officium provehit, usque ad hanc ætatem diligentiori examinatione, nutriendi gratia, sub Christi disciplina instituere consuevit, et postea sollicitius in sacerdotium promovere. Rectum quippe erat ut Christus, qui se viam credentibus voluit exhibere, etiam doctoribus ostenderet, **175** quando et ipsi prædicandi ac consecrandi officium deberent suscipere. Hinc quoque quorumdam probabilis opinio est, quod quasi in hac ætate omnes in virum perfectum ad immortalitatem perducti debeant resurgere. Quod satis pium credere censeo, et ex divina potentia confidentius sperare. Venit autem Jesus creator aquarum baptizari a Joanne Jordanis in aqua, ut primum in se monstraret mysterium secundæ nativitatis per aquam et Spiritum credentibus appetendum, et insinuaret quod nisi ex hac renati, filii Dei et fratres ejus per adoptionem minime queunt censeri. Non quidem necesse habens ablui baptismate Joannis, qui mundus erat ab universis sordibus ; sed ut viam se nobis præberet, qui nati eramus in peccatis, ad diluenda nostrorum scelerum facinora ; quatenus cum eo renati fratres jure nominaremur, et ei cohæredes essemus. In eo quippe non solum ei fratres existimus, verum etiam ex ipsa peccatorum purgatione, generaliter omnis renatorum Ecclesia sponsa consecratur. Et ideo dignum fuit, ut prior ipse non sibi, sed nobis in fontem descenderet ; quatenus per hoc nos sibi germanius uno in corpore coaptaret, et mysterium baptismatis ad appetendum ex suo descensu gloriosius commendaret. Namque per hoc non ipse, sed omnia aquarum fluenta in ministerium ablutionis nostræ purgantur, atque magisterium humilitatis plenius demonstratur. Ut nemo quasi vita excelsior, etiam ad infimum cujus est baptizandi officium, venire dedignetur. Venit itaque ad baptismum, præcipue, ut Joannes insinuat, manifestare quod hic est qui baptizat in Spiritu. Dictum quippe a Deo acceperat : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat* (*Joan.* 1, 33). In quo siquidem visu, magnum nobis fidei exhaustum est sacramentum, per quod satis admodum intelligimus qualiscunque sit officii hujus minister, quod hic est solummodo qui baptizat. Hanc igitur potestatem nulli servorum largitus est, sed eam in se retinens, securiores nos reddidit, ne aliquis de aliquo ministrorum diffidat, neque de se, quisque quod dat, quasi ex se sit, baptizando præsumat. Sed qui gloriatur uterque eorum, tam qui accipit quam qui dederit, in Domino glorietur, quia omnino hic est qui baptizat, et non ille per cujus ministerium exterius, **176** quod cernimus adimpletur. Hac igitur de causa inter reliqua ut ostenderet credimus advenisse : quia in ipso Spiritus sanctus, specie corporali manens, dispertitur per singulos, et fit inde totius Ecclesiæ mira unitate concorporatio. Et, sicut omnia corporis membra uno eodemque animantur spiritu : ita omnium in Christo renascentium summa uno vivificatur Spiritu sancto, et ab omni labe vitiorum sanctificatur. Unde et Apostolus : *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14). Verumtamen cur in Jordane, et non in alio quolibet fluvio hoc mysterium celebratur, non abs re factum putamus, præsertim cum populus Judæorum secundo ab Jesu Nave in mysterio circumcisus, per hunc fortassis locum terram repromissionis introierit ; de quo David ob mysterium magnitudinis : *Et tu Jordanis*, inquit, *quare conversus es retrorsum?* (*Psal.* CXIII, 5.) Rectum quippe fuerat ut eo baptizaretur fluvio in quo jam figura baptismi præcesserat, et ex nomine quid in eo gestum sit apertius designaret. Jordanis namque *descensus eorum* dicitur. Quorum? nisi eorum qui de supercilio superbiæ ad Christi humilitatem descendunt, et suis inibi abluuntur criminibus. Satis itaque provide per Jordanis nomen totius baptismi operatio prædicatur : et ideo decenter in eo Christus baptizatus est, ut hinc inde omne negotium sacramentis responderet divinis. Jordanis quippe, ut aiunt, duobus constat fluminibus, ex Jor videlicet atque Dan, quibus ita junctis Jordanem faciunt. In quo Christus inter reliqua ideo mystice baptizatur,

Introdusă în format electronic de Google

bere. Sed sibimet Deus homo, quia dignatus est ut duas sibi leges simul junctas doceret. Interea quod per aquam visibilem celebratur, ut non solum gentiles ad fidem, verum etiam et Judæos duceret, si forte credidissent remissionem peccatorum, per rem visibilem fieri, ut ante per sacrificia consueverant: quia omnino si non vidissent lavare corpora, minus forsitan animas mundari credidissent. Porro:

Joannes prohibebat eum dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Expaverat autem eum ad se venisse cui nulla inerat baptizandi necessitas, eo quod ipse tolleret peccata mundi, sicut jam idem testatus fuerat; ignorans profecto, quod nisi medicus primum venisset ad ægrotum languentem, languens medicum non requireret. Cui Dominus:

177 *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Ac si patenter diceret: Sine modo impleri ad quod veni. Quia quidam suam volentes statuere justitiam, facti rei, fines justitiæ minime contigerunt. Nos autem, quia omnes dilapsi sunt per superbiam, sic decet per humilitatis exemplum reducere ad vitam, et insinuare quod nemo absque unda baptismatis possit perfecte justus existere. Ac si aperte diceret: Si ego Dominus opere Spiritus sancti de Virgine natus et conceptus sine contagione peccati, secundæ nativitatis lavacrum non dedignor subire, quanto magis necessarium est omnibus, quamvis innocenter justeque viventibus, ut nullus eorum contemnat meo exemplo etiam velut ab infimis humilioribusque baptizari? Hinc quoque decet nos implere primum omnem justitiam, videlicet per quam omnis justitiarum summa ab omnibus deinceps impleatur, ut omnes non ex operibus neque ex libertatis arbitrio glorientur, sed agnoscentes se reos, justitiæ Dei sint subjecti, et justificentur ex gratia, sine qua nusquam est aliquis operibus consummatus. Et ideo recte quisque cum renascitur ex aqua et Spiritu sancto, per fidem justus non incongrue appellatur, quia hoc implevit credendo, per quod omnis Dei justitia ex gratia adimpleretur. Quam profecto satis primum decuit Christum implere, non quasi ex indigentia, sed velut ex magisterio; quatenus per hoc idem renatus Filius Dei proprius omnes renascentes in se fratres colligeret, et per adoptionis gratiam sibi conjunctos Dei filios faceret. Quod cum cognovisset Joannes ea quæ hactenus nesciebat, *tunc admisit eum.* Quia profecto quamvis sciret, quantus et qualis esset, multa duntaxat in momento didicit quæ primitus nesciebat. Docuit eum itaque Spiritus sanctus qui in specie columbæ mansit super eum, et deduxit in omnem veritatem. Ideirco quod prius humiliter formidabat, postea devotus implere permisit. Ac per hoc, qualiter excelsiora virtutum opera debeant appeti, Joannis humilitas insinuat, dum et refugit ex sua infirmitate pavidus, et obedit ex divina institutione securus. Nihil enim potest mortalitas formidari ex merito, ubi Deus totum cooperatur ex dono.

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. Ecce aperti sunt cœli. Non quod oporteat credere, tunc primum ei cœlestia patuisse secreta: cum recta fides **178** habeat, semper eum æqualem, ubique totum cum Patre mansisse. Sed evidens sacramenti est indicium quod per mysterium sacri baptismatis, introitus patriæ cœlestis cunctis in Christo renascentibus illico aperitur. Neque itaque trigesimo ætatis suæ anno, quando baptizatus est, Spiritus sancti dona primum percepisse credendum, qui ex eodem Spiritu sancto conceptus ipso siquidem semper plenus extitit. Unde liquido demonstratur quod nobis quidem baptizatus est; nobis idem Spiritus sanctus visibili specie desuper apparuit. Nobis etiam Pater de cœlis clamavit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5). Hæc omnia nobis sane celebrata sunt salutis mysteria, per quod aditus cœli reseratur, et gratia Spiritus sancti plenius passim omnibus infunditur. Quod autem dicit: *Tunc ascendit de aqua*, liquido censetur, quod omnes qui descenderint ex supercilio vanitatis se ad abluendum in baptismo, debeant quotidie crescendo reascendere ad virtutum culmina, atque ad patriam unde ceciderant festini remeare. Quæritur autem non immerito, cur in aqua et in Spiritu sancto baptisma sit constitutum, visibili invisibilique substantia dedicatum. Ubi continuo cogitanti occurrit quod, sicut homo duabus consistit naturis, corpore videlicet et anima, ita duabus substantiis renascitur in salutem. Siquidem aqua consepelitur Christo, Spiritu vero sancto totus itidem sanctificatur Deo. Nullum igitur elementum aptius invenitur ad consepeliendum nos quam aqua, quæ terræ nomine etiam mixtim in Genesi prænotatur: *Terra*, inquit, *erat inanis et vacua* (*Gen.* I, 2), ibi namque et aquarum omnia tacito nomine concluduntur. Per aquam quippe sordes purgantur corporum. Cujus rei officio præsignatur in aperto quid intrinsecus geratur divinitus in occulto. His itaque duobus elementis, videlicet aqua et igne, omnia quæ mundari egent usibus humanis mundantur. Molliora siquidem aqua, duriora vero rerum metalla igne ad liquidum expurgantur; sic et in nobis divina dispensatio adimplevit ut per aquam et ignem sancti Spiritus omnia in nobis peccati crimina decoquantur. Ita ut per aquam mundo morientes consepeliamur Christo, et per ignem Spiritus sancti de fonte ascendentes in melius conflagrantes ad cœlum mente rapiamur. Ad hoc quippe cœli aperiuntur, non elementorum reseratione, **179** sed spiritali apertione, ut, spiritales jam facti, spiritaliter ad spiritalia illico invitemur. De qua quidam reseratione: *Scinditur*, inquit, *auricula septemplicis æthera cœli.* Quam nimirum bene Ezechiel, ex principio visionis suæ, per hoc quod præsentialiter cernit, futuram enuntiat reserationem, ita dicens: *In anno trigesimo, in quarta mense, in quinta dei mensis, cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visionem Dei* (*Ezech.* I, 1); in Ezechiel namque Christum fuisse, nemo qui dubitet. Quia sicut scriptum est: *Assimilatus est in manibus prophetarum* (*Ose.* XII, 10). Trigesimo quo-

Introdusă în format electronic de Google

que ætatis suæ anno Ezechiel juxta fluvium Chobar venit, qua hic Christus ætate ad Jordanem venisse manifestatur. Chobar quippe *gravitudo* vel *gravitas* interpretatur. Quid igitur per Chobar fluvium, nisi humanum genus congrue designatur? quod nimirum ab ortu defluit in mortem, et gravis sibi est ex peccatis quæ perpetrat indesinenter ac portat. Quia, sicut scriptum est: *Super talentum plumbi sedet* (*Zach.* v, 7). Omne enim peccatum grave est, quia non permittit animam ad sublimia levari. Unde et per Psalmistam dicitur: *Filii hominum usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV, 3.) Scriptum ergo est de Domino, quod ipse sit *Dei virtus et Dei sapientia* (*I Cor.* I, 24). Venit igitur Ezechiel juxta fluvium Chobar, quia fortitudo Dei per incarnationis suæ mysterium propinquare dignata est peccatorum suorum pondera portanti generi humano. Quæ pondera per hoc descenderunt in profundum, quasi lapis; et ideo Jordanis recte *descensus eorum* interpretatur. Flavit enim Spiritus Dei desuper, et submersa sunt universa peccatorum vitia, cum suo principe, quasi plumbum in aquis vehementibus. Tunc quippe aperti sunt cœli, ut dixi, non elementorum reseratione, sed quia nobis iter reseratum est, et spes redeundi ad sublimia restituta. Non enim illi reseratur, sed nobis, sicut nec idem sibi baptizatus est; neque sibi passus, sed pro nobis utique omnia factus, si, quos fecerat, recrearet et eveheret ad sublimia. Alioquin ipse nunquam cœlos deseruit, sed huc veniens semper cum Patre fuit. Restincta est itaque tunc aquis baptismi rhomphæa illa flammatilis, quæ versabatur ante januas paradisi. Et ideo non inconvenienter cœli aperti super eum commemorantur; super eum quippe, quia propter eum et per eum patefiunt, qui a primordio per primum Adam omnibus clausi erant.

180 *Et vidit Spiritum descendentem sicut columbam, et venientem super se.* Haud dubium ipse Jesus vidit super se venientem Spiritum sanctum. Cæterum, juxta Joannem Evangelistam scriptum est, quod etiam Joannes testimonium perhibuit dicens: *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum* (*Joan.* I, 32). Ex quo liquido constat quod utrique eum descendentem, Christus videlicet et Joannes, non tamen super utrosque, sed solum super Christum, corporali specie venientem viderunt. Hinc profecto non absurde quæritur an verum columbæ corpus, in cujus specie Spiritus apparuit, an forte phantasma fuit: quod satis frivolum est cogitare inibi ut aliud quam Veritas apparuerit. Ergo quia Christus, super quem venerat, non phantasma, sed verus homo et verus Deus erat, aptum satis nobis videtur ut verum corpus, formatum ad horam in specie columbæ, ob mysterium docendi assumpserit, quod super veram Christi carnem adveniens, intus quid gestum sit exterius declararet. Alioquin idem Spiritus sanctus mortalibus oculis, nisi corporali specie apparere nequivisset. Quod quidem corpus probabilius ex aere, vel ex aqua formatum putamus, quam ex alio quolibet corpore generatum. Tantisper ergo dicimus eum apparuisse in mysterium, et postea, ut ipse voluit, suspicari licet desisse quod vere formatum fuerat. Ut quid autem corporali specie descenderit, nisi, ut prædiximus, tu eum ut videres, tu quoque ut agnosceres. Columbam ergo illam, quam Noe emisit ex arca, istius columbæ speciem fuisse, nemo qui dubitet: et ideo per eam typum agnoscimus sacramenti. Unde fortasse dicturus, cum illa vera columba fuerit, quæ fuit emissa, hic sicut columba descendisse dicatur, quomodo rursus illic figuram fuisse dicimus, hic veritatem; nisi quod illa vetus fuit, et negotium, quod per eam gestum est, hujus sacramenti prophetia fuit. Deinde quod hic positum est adverbium similitudinis (*sicut*) sciendum quia secundum Græcos *in specie columbæ*, in quamplurimis exemplaribus, sicut et in Luca scriptum fertur. Alioquin quid tam verum quam divinitas quæ manet semper, creatura autem non potest veritas esse, quanquam et speciem pro veritate accipiendam recte nemo ambigat. Igitur liquet eam veram columbam fuisse; sed vox similitudinis, *sicut* ideo **181** apponitur, ut idem Spiritus sanctus corporali specie in columba, non tamen ipse corpus apparuisse intelligatur. Apparuit autem in columba, ut per eam exponeret quales futuri erant qui ad gratiam ejusdem Spiritus pervenirent. Ex quo, quia columba fel non habet, patenter insinuat quod in felle amaritudinis esse non debet quisquis ad hanc gratiam venire devotus exoptat; sed simplicitatem atque innocentiam, quam de se videntibus exhibet, animo retinere atque moribus, conspicientibus se in faciem, simplicitatem vitæ repræsentare. Columbarum quippe privilegia quamplurima enarrantur, quod hæc avis præter fluenta residens aquarum, insidiantium sibi umbras provida consideratione intendat, et laqueos exinde nimia suspectionis diligentia celer evadat. Siquidem et tantæ benignitatis a natura fertur, ut omnium avium pullos quasi proprios dicatur suscipere atque suis laboribus enutrire. Est itaque mitissima in tantum, ut nec rostro neque unguibus cupiat aliquem lacerare; ne minimos quidem musculos vel vermiculos, quibus minores pene omnium aviculæ se suosque nutriunt, edere dicuntur. Gemitum quoque pro cantu habere noscuntur. Unde quidam devotionis obtentu: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*, inquit, *die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* (*Psal.* XLI, 4.) Tali siquidem meditationis affectu, totius Ecclesiæ habitum lugentis exprimit, et quid in nobis Spiritus sanctus gerat, per hoc patenter insinuat; postulat enim pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hinc inde quia gemere nos docet. Unde et in columba merito apparuit ut per eam nos doceret quid ipse in nobis gerat, vel ipsi in eo quales esse debeamus. Solet itaque nidificare in foraminibus petræ, seu in caverna maceriæ, ubi Moyses positus, posteriora Dei vidisse legitur; petra autem est Christus, in cujus lateris foramine omnis Ecclesia nidificat, dum ejus sanguinis pretio conse-

Introdusă în format electronic de Google

cratur. Unde et in Canticis : *Surge*, inquit, *amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ ; ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis* (*Cant.* II, 13). Ex quo liquido constat, quod ex efficientia, et non ea natura ita vocatur. Idcirco justum erat ut efficiens ea specie appareret ad quam per gratiam interius nos vellet transducere ; necnon, ut paulo superius jam præmisimus, juxta proprietatem figuræ, nihil aptius quam ut per **182** columbam secundum veritatem redderetur exhibitus, qui per eam in diluvio juxta mysterium sacramenti fuerat figuratus. Et ideo dignissime simul et universalis Christi Ecclesia dicitur : *Una est columba mea* (*Cant.* VI, 8) ; *quia* per hanc gratiam Spiritus sancti, quæ in eadem monstrabatur specie dedicata et coadunata tota conspicitur. Hinc et officiosissimum fuit, Spiritum sanctum apparere per eam, ex cujus jam olim specie illa cognominabatur. Quatenus per ipsum donum transferentius ad ea quæ mente intelliguntur, transcensis sacramentorum gradibus, quandoque feliciter perveniretur.

Quod si quæratur cur Filius apparuerit in homine, et Spiritus sanctus in columba, non inconvenienter dicimus, quia ille venit ut exemplum vivendi Deus homo homini exhiberet, et counitus ei per carnem, cum morte redimeret ; illa vero, ut donum ipsum, quo ex gratia bene vivendo pervenitur, expressius significaret : utrumque tamen factum est visibile propter carnales quosque ; si quomodo per ea quæ oculis corporeis conspiciunt, ad ea quæ mente intelliguntur, sacramentorum, ut dixi, gradibus transcensis, quantocius transferantur. Quæ nimirum columba, nequaquam creditur passa, vel Spiritus sanctus per eam, quo modo Deus homo in carne passus dicitur. Quia omnino non columbas venit redimere, sicut Christum Jesum Dominum nostrum nos homines constat redemisse, neque in Deum ut Christus Jesus creditur assumpta, neque quolibet pacto in sede majestatis recepta, sed sicut omnia illa schemata, in quibus olim Patribus Deus Spiritus sanctus, aut certe Filius visibilis apparebat expleto apparitionis officio resolvebantur : ita fatendum hanc ad proprium, ut præmisimus, elementum rediisse, divina operante potentia. Homines quippe venit instituere, propter quos non solum Christus, verum etiam illa visibilis apparuit, ut veram innocentiam doceret. Hoc sane explicito, velut verbum dum sonat et transit, quamvis ea quæ verbo significantur, cum aliquid divinum atque æternum loquendo exponitur, non simul transeant : ita et illa quæ visa est ad horam, illico cum voluit, ubi et quando voluit, Spiritu sancto incommutabiliter permanente, ad nutum ejus disparuit. Ubi, si bene sapimus, illo quidem docente percepimus ; sin alias, quod ex sacrificio necdum capimus, igne Spiritus sancti concremandum **183** remittimus. Verumtamen signanter credimus ; quidquid columba veritatis de veritate columbam docuit ; etiam gratias lar-

A gitori agimus, qui sanctificatam sibi columbam ex corvis paulatim instituendo aptavit. Verum igitur typum columba illa Noe more tulit, per quem tale mysterium præsignetur. Tulit itaque ramum olivæ ad arcam, hanc futuram præsignans quæ mundo pacis gaudium detulit, et oleo suæ pinguedinis perunxit. De quo nimirum oleo, Christo dicitur : *Unxit te Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Cujus profecto unctionis oleo peruncta omnis Christianorum Ecclesia ; etsi a Christo derivetur hoc vocabulum, per hoc tamen, quia et ipsi ex quibus constat peruncti sunt, Christiani hactenus nuncupantur. Hinc quoque beatus Petrus Apostolus, renatis in Christo scribens, genus eos regale, seu sacerdotium sanctum vocat (*I Petr.* IV, 9).
B Videlicet eo quod omnes qui in Christo renascimur, non minus oleo Spiritus sancti intrinsecus, quam isto materiali extrinsecus in mysterio perungimur. Per hoc quippe visibile exterius signatur, quid per eumdem Spiritum interius geratur. Sicut et per hanc qua abluimur aqua, illam nos ad emundationem percepisse docemur. De qua Jesus ultimo festivitatis die clamabat, dicens : *Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem*, inquit Evangelista, *dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII, 38). Nam et in quamplurimis Scripturarum locis, per aquam idem Spiritus sanctus significatur. Unde haud dubium quin super aquas apparuisse creditur, super quas olim et in
C principio superferebatur, ut edoceret se advenisse in aquis, ad confovendam rationabilem creaturam suam, per quas se præsignabat operaturum quandoque pietatis mysteria. Nam et hoc verbum Hebraicum, ita esse, expressius illo in loco positum, denuntiat. Quia ubi noster interpres *ferebatur* posuit, ibidem apud Hebræos *merefeth*, ut idem testatus est, legitur : *Quod nos*, inquit, *incubabat, sive confovebat possumus appellare, in similitudinem volucris ova sua calore animantis*. Quod certe non nisi de Spiritu sancto recte accipitur, qui ideo super Christum in columbæ specie apparuit, ut ostenderet nos in eum per semetipsum foveri, et suo calore animari ad vitam. Alioquin unde tantus calor existeret, qui tam frigidus de morte evigilaret ? Ex quo liquido
D patet quod sancta Dei Ecclesia recte **184** columba vocatur, cujus fotu et calore animata vivificatur, ut cujus gerit Spiritum, ejus et apparitionis vocabulo nuncupetur. Hinc quoque Isaias sanctorum volatum admirans aiebat : *Qui sunt hi, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* (*Isa.* LX, 8.) Columbæ autem singuli quam recte appellati sunt sancti ; quia de hac una eademque columba, quæ in Christo apparuit, omnes sunt generati. Unde et David : *Emittis*, inquit, *Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII, 30). Nimirum igitur provida Dei dispensatio hinc inde latissime patet, quæ tam concinna sacramentorum mysteria olim Patribus signanter aperuit, quatenus cum impleri cœpissent corda credentium, potius mirarentur

Introdusă în format electronic de Google

quam in aliquo dubitarent. Et ideo qui vult inter medios cleros columbæ, cujus pennæ deargentatæ leguntur (*Psal.* LXVII, 14), felicius eo uniri, exhibeat de se moribus quod columba docuit, et teneat calorem Spiritus, donec totus in holocaustum Domino concremetur. De quo nimirum igne Paulus suis dicebat auditoribus, *Spiritum nolite exstinguere* (*I Thess.* v, 19). Quia profecto in quo idem Spiritus fuerit, ardentem facit, et ad omnia virtutum incitamenta, quem illustraverit, provehit, et corroborat. Verumtamen si capiti nostro Christo Jesu conniti velut membra cohæreamus, et ex ejusdem Spiritu in ipsius corpore secundum interiorem hominem intus vivificamur, recte columba propter simplicitatem vitæ nominamur et sumus. Alioquin supervacua spe gloriamur de nobis, si non curamus conformes fieri cujus membra dicimur. Quatenus per ipsum et in ipsum Spiritu sancto recreati in beatæ immortalitatis formam feliciter configurati transferamur. Sed ut ei firmius inhæreamus, Patris desuper intonantis vocem diligentius oportet audire.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quod et alii duo, Marcus videlicet (I, 11) atque Lucas (III, 22), similiter ediderunt, nisi quod de verborum consonantia variant, salva tamen pari rerum in utrisque intelligentia. Nam quia Matthæus dicit, *Hic est Filius meus*, et reliqui duo, *Tu es Filius meus dilectus*, ad eamdem sententiam explicandam utrumque valet, sicut jam supra et in aliis locis quæ dissentire videntur, concordi intelligentia unum eos sentire docuimus. Vox enim Dei Patris de cœlo unum horum dixit, sed Evangelista voluit ostendere ad id quod dictum est valere *Hic est Filius meus*, ut illis potius qui **185** audiebant, utique quod ipse esset Dei Filius aperte indicaretur. Et ideo ita dictum referre voluit, quod sonuerat : *Tu es Filius meus dilectus*, ac si illis diceretur qui aderant, demonstrantis obtentu : *Hic est Filius meus dilectus*. Quia nequaquam Christo indicabatur quod ipse de se sciebat, sed eisdem propter quos ad quos ipsa vox divinitus de cœlo facta est. Jam vero quod alius dicit, *In quo mihi complacui*, alius *In te complacuit*, atque alius *In te complacuit mihi* : si quæris quid horum in illa voce sonuerit, quodlibet accipe devotus, dummodo intelligas illos, licet diversis verbis, unam eamdem intellectus retulisse sententiam. Quia, etsi unus eorum propria vocis verba tenuit quæ sonuerant, alius tamen ad eamdem sententiam familiarius explicandam verba variasse non absurde intelligitur. Ita duntaxat ut ab omnibus sic dictum intelligatur, tanquam diceretur : in te placitum meum constitui. Hoc est, in te volui agere, quia in primo Adam mihi displicuit, et per eum omnes quasi in massa facti sunt iræ filii, ut per te omnes, quos prædestinavi ad vitam, placeant mihi. Itaque sicut in principio, *Pœnitet me fecisse hominem* (*Gen.* VI, 7), ita et, *in te complacui*, quatenus et per te ipsi qui præsciti sunt, placeant mihi. Omnis siquidem qui pœnitendo corrigit aliqua quæ fecit, eo ipse quo pœnitere probatur, indicat sibi displicuisse, dum revocat ad emendationem quod fecit. Unde omnipotens Deus Pater quomodo intelligi possit ab hominibus juxta humanum modum olim locutus in Genesi pœnitet me hominem fecisse super terram, ubi quod sibimet displicuisset in peccatoribus quos creaverat patenter insinuat. At vero in solo sibi Unigenito Domino Jesu Christo complacuisse, quem inter homines propter eosdem hominem creaverat, aperta voce de cœlo, ut ipsi cognoscerent inter quos et propter quos venerat, manifestat. In illo quippe nullum peccatum fuit, et ideo super eum non solum non pœnituit, sed in illo placitum suum constituit. De quo Psalmista canit : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 5). In quo jure sibi complacuisse testatur, quem de sua substantia unicum atque coæternum sibi consubstantialemque genuerat Filium. Qui utique missus pro nobis ad incarnandum, Verbum caro factum est et habitavit in nobis ; et ideo vere sibi in illo complacuit, qui ex suo ei consubstantialis exstitit, et ex nostro unus **186** idemque filius, non suam, sed ejus a quo missus est in omnibus voluntatem fecit. Quapropter qui cupit Deo Patri placere, non in se, aut quasi ex suis actibus sibi complaceat, imo displiceat sibi in se, ut totus in illo per fidem et charitatem transpositus, in quo Pater sibi complacuit, placeat, et per eum reconciliatus iræ filius, filius per adoptionem Dei fiat. Alioquin qui de se sibi applaudit, quasi ex se in quantum non illius connitur voluntati, reus adhuc, nondum ut oportet patri placens esse convincitur. Idcirco et in oratione dicimus : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra* (*Luc.* II, 2), quatenus terrenum nostrum omne illi cohærendo cœleste fiat, et sit illud quod idem de nobis ad Patrem ait : *Volo, Pater, ut sicut ego et tu unum sumus, ita et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 21). Quolibet pacto, nisi ut, sicut Pater et Filius unum sunt per substantiam, ita et nos in ipsis unum simus per gratiam? et hoc totum ideo futurum, quia in illo placitum suum constituit, quatenus per eum illi in ipso placere possimus. Et notandum quod mysterium Trinitatis in hoc baptismate apertissime prædicatur. Ita ut non solum Trinitas totius majestatis evidentissime intelligibilis declaretur, verum etiam sensibilis quodammodo, cum sit incomprehensibilis, ac si corporeis sensibus distincta, ad intelligendum luce clarius pertractetur. Pater scilicet ad Filium clamans in voce, idemque Filius veraciter humana natus in carne ab ipso Patre diligentius prædicatur ; Spiritus vero sanctus super eum in columba demonstratur. Sed et per ipsam plurima, quæ Joannes adhuc de Christo ignorabat, divinitus edocetur, impleturque inibi tum illud propheticum : *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas* (*Psal.* XXVIII, 3). Prædicatur ergo a Patre Filius, prædicatur a Spiritu sancto, prædicatur etiam a seipso dum de se Patrem

Introdusă în format electronic de Google

insinuat, et unum se esse cum Patre testatur : *Ego et Pater,* inquit, *unum sumus* (*Joan.* x, 30). Quid igitur ultra mens tali renata sacramento dubitationis poterit habere in fide, cum uno eodemque momento Patris vox ad nos delapsa Filium in aquis visibiliter apparentem prædicat, et Spiritus sanctus desuper in columba quæ sentienda sint de eo evidentius edocet? Quod si sane in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, multo firmius recte accipitur de se Patris, et Filii, ac Spiritus sancti testimonium. In hac quippe fide renati sumus, quid opus est nobis amplius de fide quasi dubios retractare? Præceptum **187** est itaque apostolis : *Ite; docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). In nomine ergo cum dixit, unum eos ostendit, quod tribus nominibus satis ad intelligendum Trinitatem egregie distinxit. Unde quicunque recte secundum catholicam fidem baptizati sunt, sane sunt renati, et per hanc fidem mater Ecclesia eos in se suscepit. Hinc sine secundum Danielis prophetiam Sanctus sanctorum ungitur (*Dan.* IX, 24), et abhinc quoque juge sacrificium Judæorum, omnisque unctio legalis cessavit; in tantum ut quadragesimo post ascensionem Christi in cœlis anno Hierusalem destructa sit, et templum eversum, atque omnis populus incredibili cæde vastatus, omnisque religio eorum et sacerdotium simul interierit. Unde aut ostendant nobis duricordes Judæi juge legis sacrificium, et unctiones, ac templum : aut certe, secundum prophetiam Danielis, quia illa omnia longe diu cessarunt, licet inviti, audiant et intelligant Christum Dei Filium, qui est vere Sanctus sanctorum, unctum jam oleo Spiritus sancti præ participibus suis, et incipiant non blasphemare. Porro præ participibus ideo unctus dicitur, quia in illo Spiritus sanctus totus mansit. Nam, sicut ait Apostolus : *In illo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit* (*Colos.* II, 9). Cæterum sanctos et omnes Christianos, qui ejus recte participes intelliguntur, secundum mensuram fidei, per gratiam donationis Christi eumdem Spiritum percepisse, nemo qui recte sapit ambigit. Ergo qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus; de quo Apostolus : *Nos enim,* inquit, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est* (*I Cor.* II, 12). *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* (*Rom.* VIII, 16). Quia ipsum accepimus pignus promissæ hæreditatis nostræ, et quasi quoddam chirographum æternæ salutis. Hic itaque Spiritus facit nos Dei templum, et interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, suæ advocationis implens officium. Assuefacit nos cœlesti virtute quotidie spiritalibus admisceri, et æternæ vitæ consociari. Erudiuntur itaque in illo et per ipsum corpora nostra, si ejus sumus, ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se moderate in quibuslibet temperare. Hic est qui inexplebiles cupiditates nostras coercet in nobis, libidines frangit immoderatas, illicitos exstinguit ardores, flammantes impetus vincit, ebrietates reprimit, repellit vero avaritiam, **188** et omnia mundi oblectamenta fugat, charitatem inter quosque nectit, morum affectiones componit, regulam veritatis ubique expedit, hæreticos revincit, improbos vero foras mittit. De hoc quippe Apostolus manifeste dicit : *Quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoriis et doctrinis dæmoniorum; in hypocrisi loquentes, cauterizatam habentes conscientiam suam* (*I Tim.* IV, 1). Qui certe si Spiritum Dei haberent, nequaquam deinceps spiritui seductorio credidissent, quia nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. Sed quia omnes signati sunt a principio signo fidei in Christo, mirum cur quamplurimi postea, aliud eligentes, hæretici facti sunt. Et quid ob aliud, nisi quia primam fidem irritam fecerunt, et, quasi novam quærentes fidem, a fide facti sunt extorres? Erraverunt autem a vulva matris, videlicet recedentes a fide Ecclesiarum Dei, ab utero locuti sunt falsa; non enim erant ex nobis, et ideo recesserunt a nobis. Quia utique si essent ex nobis, unctionem nobiscum haberent a sancto Spiritu, et permansissent nobiscum. Erunt autem adhuc et plures naufragantes circa fidem, antequam finis veniat. Non ideo tamen illi aliam pertractabunt fidem qui electi erunt, sed illam in qua renati sunt, plenissime in omnibus sine aliqua mentis infidelitate servabunt. Satis itaque absurdum est idcirco deviare a fide quia plures periclitantur, præsertim cum potior inde esse debet fides credentium ac robustior, eo quod, sicut prædictum ex præscientia Dei fuit, ita completur in illis. Nos enim qui nunc sumus, futurum credimus quod nondum satis videmus; nisi quod jam in quamplurimis dudum iniquitatis ministerium excrevit, ut signatum de ipsis erat, quanquam et in subito contriti sint, et ad inferos deputati. Quanto magis illos firmiores esse oportebit in fide, super quos hæc omnia, quamvis pauca quæ restant, adhuc plenius complebuntur? Nam præteritarum promissionum tum præsens exhibitio certitudo erit, si quæ supersint futurorum, quæ cum venerint, confirmatio fidei magis esse debent, quod Deus quæ prædixerat ea quæ nondum erant suis assignavit temporibus. Cæterum quibus est fides illa in qua renati sunt, per quam et in membris Ecclesiæ sunt aggregati, sperandorum substantia, non aliam requirunt, etsi dictum sit : *Quærerit Dominum et confortamini, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CII, 3); atque illud :

189 *Quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* Quia, etsi quærere oportet, non alium tamen quam unum Deum in tribus personis, quo Trinitatis nomine signati sumus. Sub qua omnino fide rebus exspoliati mundi, nudi fontem introivimus. In quo nimirum fonte quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte; et ideo jam ultra de fide nihil retractare debemus, sed custodire modis omnibus quod credidimus, et credendo gratis a Deo accepimus. Credere omnino de-

Introdusă în format electronic de Google

lemus aliud non esse credendum, ideirco nec requirendum, eo quod jam inventum credidimus. Ergo aliud non requirimus, quia nec ipse nobis mandat, eo quod unus est, aliud requirendum; et scimus quod nisi hoc unum, aliud quidpiam nihil est necessarium. Amplectimur autem eum quia unus est. Et certe devotionis affectu, in una eademque fide proficiendo, sperando atque amando, quia infinitus est, ipsum semper requirimus, adhuc in ænigmate et nondum in specie, quem tenendo quærimus ardentissimo amore quotidie perscrutamur. Sed et cum ænigmata rerum præsentium fuerint evacuata, etiam certi sumus quod non alius quam unus idemque Deus Trinitas sibi credentibus, ut jam per fidem percepimus, apparebit. Per hanc itaque fidem signatum est lumen vultus Dei super nos; et ideo ad infidelitates quorumdam hominum, et ad tenebras errorum respicere non debemus. Ex fiducia igitur probationis, quia tempora periculosa pronuntiantur futura, præveniendo monere desideramus quosdam nihil ultra, nisi quod in baptismate credendo perceperunt, idque esse et non aliud, quod quærere interim debebunt. Nam ratio quærendi non nisi in tribus rerum articulis consistere videtur, in re videlicet, et in tempore, atque in modo. In re, ut quid sit quærendum consideremus; in tempore, ut quando, ne forte quando quærendum non est, aut aliud, aut illud quod quærimus non satis inveniamus; porro in modo, quousque quærendum sit adspiratur. Ideireo nobis scrutandum est quod Christus instituit, et tenendus est ipse, quem invenisse gaudemus. Quia omnino neque nisi invenisses primum, credere potuisses. Ad hoc ergo quæsisti ut invenires, invenisti autem ut crederes. In qua nimirum fide omnem probationem quærendi et inveniendi **190** credendo fixisti, dum te cum Christo in mortem per sepulcrum fontis exspoliatus mundo sepelisti. Quod si vere mortuus es, et vita tua abscondita est cum Deo in cœlis, quid adhuc cum sibi viventibus et non Deo de fide quasi dubius disputas? Vel quid, sæviente persecutore, de morte formidas, qui jam mortuus in sepulcro fontis cum Christo teneris, et vitam tuam in cœlis repositam perfecte credis? Nec dubium quin quod, si priorem vitam tuam in terris receperis, novam, quam in cœlo cum Christo absconderas, perdidisti. Sub tali siquidem te ille determinavit sepulcro, qui te non vult jam deinceps aliud credere quam quod instituit. Ideirco neque tu aliud debes quærere profecto, neque, tormentis addictus, ac si invitus quidquam aliud confiteri. Novissime melius censeo ignorare monendo infra baptismi sacramentum, neque quod non debeas ediscas, quam aliqua fraudis curiositate captus ducaris extra captivus. Totum igitur novit, qui Christum novit. *Fides*, inquit, *tua te salvam fecit* (*Matth.* IX, 22). Et ideo maneat Christianus intra fontem fidei, ex qua renatus est in salutem. Et si quidpiam hæsitaverit ad horam, tangat manu fidei adhuc Christum in fonte, quo Verbum caro descendens nobis est baptizatus. Deinde Patris vocem desuper ut nos erudiat per aurem exteriorem, auditu auris interioris audiat intonantem : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quæ nimirum vox quasi aliquod ad eum insinuandum, imo quia, auribus sensibilis, verum corpus fuit, ideirco qui per eam non voce inclusus Pater sonuit, jure auribus quodammodo, etsi est incomprehensibilis, dicitur sensibilis exstitisse. Sicut et Spiritus sanctus per subjectam speciem visibilis apparuisse manifestatur. Verumtamen nos secundum proprietatem naturæ, quia Deus Trinitas, cum ubique totus recte creditur, non in loco cernitur, quia incorporeus et illocalis esse atque invisibilis probatur, neque circumscribitur visu nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Hinc quoque dicitur : *Deum nemo vidit unquam, sed unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse narravit nobis* (*Joan.* I, 18). Non tamen ita intelligendum quod sono debeat perstrepere in auribus nostris, sed quia Verbum et imago est Patris, dum se mentibus nostris innotescit, ineffabili luce Patrem declarat, atque insinuat manifeste, juxta quod idem testatus est dicens : *Qui videt* **191** *me, videt et Patrem meum* (*Joan.* XIV, 9). Quæ nimirum visio non corporeis sensibus deprehenditur, sed, sicut scriptum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Prædicat ergo Filium Pater sensibili vocis sono, et Filius, dum se exhibet visibilem, quia verbum Patris est, non alium quam cujus est Filius in se declarat. Porro Spiritus sanctus, quia ex Patre Filioque proceedit, etiam et ipse non divisus in natura substantiæ majestatis, sed distinctus in personis, ut Deus Trinitas hominibus panderetur, medius in columbæ specie apparuit. Nec ideo tamen idem circumscribitur visu, velut nec Pater hic aut alibi auditur affatu. Sicut nec dum deambularet in paradiso, potuit incessu sentiri. Alioquin quoties, per subjectam se Patribus ostendit formam, sensibilis fuisse videri potest, quod absurdum est credere. Sed quia invisibilis est, visus est ut voluit, non quidem ut est, sed quali specie illi placuit apparere. Siquidem et hic aliter auditus est non modo a Joanne, verum alibi et ab aliis interius, aliter a turba hic aut alibi, quæ quodam loco tonitruum factum esse dicebant. Unde nec mirum si voci prædicatoris quamplures non obediunt, cum et hanc vocem multi audierint, et nihil eis profuisse probatur. Deus est enim, qui incrementum sine voce dat intus. De quo beatus Ambrosius : *Cum absens*, inquit, *putatur, videtur; et cum præsens est, non videtur.* Non enim dixit cum absens est, sed cum absens putatur. Nusquam enim est absens, qui cœlum et terram atque omnia complet, nec spatiis includitur parvis, magnisve diffunditur; sed ubique totus et nullo continetur in loco. Hoc itaque qui excedente mente intelligit, hic videt Deum, et cum absens putatur. Ille sane intelligit, etsi distinctus in baptismo apparuit Deus, Trinitas in personis, quod inseparabilis sit ubique totus, propter unitatis sub-

Introdusă în format electronic de Google

stentiam. Non quidem in loco, sed totus ubique Pater in Filio, et Filius in Patre totus, atque Spiritus sanctus in Patre et Filio simul totus, et cœternus manet Deus. Quia nimirum quodcunque Pater est, hoc et Filius atque Spiritus sanctus est; et quodcunque Filius, hoc et Pater atque Spiritus sanctus; necnon et quod Spiritus sanctus, hoc totum Pater atque Filius. Sed tamen alius Pater, alius est Filius, alius Spiritus sanctus. Alius, inquam, et non aliud. Quia qui Pater est non est Filius, neque Spiritus sanctus. Sic et qui Filius nequaquam Pater aut Spiritus **192** sanctus. Sed neque idem Spiritus est Pater aut Filius. Quod volens Deus Trinitas adhuc rudibus in fide luce clarius aperire, qui necdum aliud sensu quam corporea sciunt cogitare, trino distincte ad cognoscendum unus refulsit specialitatis numero. Quatenus visu, auditu et tactu adhuc lactantes in fide tribus istis sensibus intus in se trajicerent prima fidei rudimenta cooperante ipso qui exterius sentiebatur, fides perfecta deinceps uberibus Scripturarum plenius nutriretur. Non enim prius adhuc animales spiritalia potuissent ad plenum capere. Et ideo necesse fuit ut per sensum exterius tenera credentium infantia fidem perciperet, et de sensu carnis introrsus rediens, totus homo conversus ad Deum, invisibilia videndo per fidem fieret spiritalis, et tenderet sublimius per fidem, doctrinarum lacte nutritus ad spiritalia. Unde et quamplurimi sanctorum in tantum spiritaliter profecerunt, ut spiritalia spiritalibus comparantes, viderent melius ea videri mente, quam sensu corporeo persentiri. Qui etsi visus a plurimis aut auditus, sicut hoc loco ex quo agitur in divina auctoritate legitur, sine ulla sui commutatione aut per corpus visus est, aut certe per corporales quasdam imagines, quas Dei quidem voluntas elegit, non quas natura formavit. Fecit enim ista Deus quibus voluit, quando voluit, et uti voluit, sua tamen in se latente incommutabiliterque manente substantia, et sine ullis locorum aut temporum intervallis omnia implente : ita ut nec minor sit in parte quam in toto, neque major in toto quam est in parte. Verumtamen quomodo voluit, quam sæpe apparens in locis et in tempore, ut eos qui locales et temporales erant, ad invisibilia protraheret credenda, et illa postponerent quibus tenebantur devincti, et cernebant suis defectibus quotidie labefactari. Hinc quoque certum est, ut præmisimus, in fonte baptismatis ideo totam simul divinitatem majestatis in Trinitate sensibus corporeis se quodammodo sensibilem infudisse, ne quando ex fide renascentes ad vitam alteram deinceps susciperent, nisi per quam quisque junctus est Deo, et carnali sensu male deceptus periret. Signatus quippe est fons iste annulo fidei, et ideo nullam debet quandoque fœtu admittere. Ex cujus nimirum irriguo, deliciarum hortus, videlicet Dei generalis Ecclesia, undique satis munitus atque conclusus florens viret, quia in **193** se Christum non solum sepultum, verum resurrexisse gaudet. In istis sane fidei rudimentis fidelis cujusque anima requiescit secura. In hac quotidie virtutum operibus floret, et contra omnes pressurarum impulsus, velut clypeum protectionis opponit. Ex quo denique nimia securitatis fortitudine circumvallata, fidenter canit illud in Canticis : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). Dormit enim spei suæ certitudine soporata; vigilat vero pervigilii diligentia, ne quod signatum est annulo fidei, fraudulentius corrumpatur. Nescit autem ulterius de fide dubitare : quia etsi in terris adhuc degat, in cœlo tamen collocatus per fidem, si nondum re, spe quoque regnat cum Christo. Est itaque quorumdam modica fides, et est magna. Unde et uni, *Modicæ fidei*, dicitur, *quare dubitasti?* (*Matth.* XIV, 31.) Alteri vero : magna est fides tua, idcirco fiat tibi sicut petiisti. Quippe quia virtutum dona, secundum mensuram fidei a Spiritu sancto unicuique largiuntur. Præterea per hanc sancti vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones. Per hanc sane unam eamdemque fidem, etiam et nos vincimus, quia hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Sed et Apostolus eam non modicum gloriatur se servasse ita dicens : *Fidem servavi, cursum consummavi, de reliquo*, inquit, *reposita est corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illum diem justus judex* (*II Tim.* IV, 8). Unde et nos hanc unam eamdemque catholicam integram servantes fidem, quam ex symbolo adhuc in Lacte suscepimus, bonis operibus jugiter inhærendo, ad finem usque tendamus, quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Ad quem finem et ipsi currentes, hic finem libri sub hac fide, quasi in tutissimo pacis portu paululum quiescendo, constituamus. Quatenus per hoc itatenus, et ipsi ea fide subnixi spe certa subvecti, consummati in charitate perfecta, finem vitæ in Christo feliciter habeamus.

PRÆFATIO LIBRI TERTII.

Solent sæcularium litterarum amatores, nimium sine pudore suorum se præceptorum jactitare doctrinis, et eloquentiam eorum sine sapientia docendo rum protulerint ostentare. In quorum sane doctrinis quidam nostrorum, quia non queunt satis intelligere, **194** varios et diversos requirunt expositores, ut ad eorum luculenta nefandarum rerum mendacia intelligendo valeant pervenire. Etsi eorum polita sit vanitatis eloquentia, quorum se cupiunt inservire doctrinis; tamen frequenter illorum expositorum satis incultus est sermo, et rusticitati vicinus. Qui quamvis pleni sint sordibus vitiorum, propter necessita-

Introdusă în format electronic de Google

tem quoque intelligendi, non dico paginam, sed neque syllabam prætermittunt, quam non enucleatius discutiant summa cum vigilantia ac labore. Unde miror satis quid divina eloquia quorumdam mores offenderunt, quod non velint mystica Dei sacramenta ea diligentia perscrutari, qua tragœdiarum nænias et poetarum figmenta sudantes cupiunt investigare labore, et si per theatralia mimorum plausus hominum excitare. Quorum inefficax laboris studium, nemo qui ambigat, ubi de re agitur quæ profecto caret fructu, et sine præmio invenitur. Qui licet Academicum rhetorem per hanc inanem vanitatis eloquentiam usque ad vitalis gramma circuli extulerint, et dormientem Scipionem cœli civem effecerint, tamen omnia hæc anilibus ordiuntur fabulis quam aliqua veritate fulciantur. Quapropter moneo lectorem, divinarum Scripturarum eloquiis magis operam dare, quod jam supra satis persuasum exegi, et non ob exiguitatem personæ veritatem legendo fastidiat, sed personam propter veritatem sibi commendatam accipiat, eamdemque veritatem intelligentiæ non propter aliud quam propter seipsam devotus legat. Nos enim non *Arma virumque* Maronis, Græca saporante fabularum salsura tractamus; sed de fonte Spiritus sancti catholicorum Patrum sensus rimantes, Christo cooperante, quod in divinis litteris intelligimus, nostrorum auribus explanare cupimus. Siquidem neque tragica pietate permulcemus lectorem, aut comicorum sagmate onerare cupimus; sed quod in eisdem divinitus redolet, simplici eloquio juxta capacitatem ingenii reseramus. Unde quibusdam nostrorum, etsi libeant illa Maronis, quod per *arma* virtutem velit significare, et per *virum* sapientiam, sicque cætera quæ sequuntur; magis tamen placere debent ista quæ nunc tractare disponimus; ubi virtus inexsuperabilis, et sapientia Dei Patris, ut militiam Christianorum contra aereas potestates instauraret, primum illico de fonte baptismi ad eremum, **195** quasi dux exercitus prælaturus advenit.

LIBER TERTIUS.

(Cap. IV.) *Ductus est*, inquit, *Jesus a spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo.* Nihil igitur aliud quidpiam Dei Sapientia faciendum primum post baptisma providentius poterat eligere, quam illud quo instrueret universos regni sui milites quid et ipsis agendum esset contra dæmonas, mox ut renati essent per fontem. Mos itaque antiquissimus non dico Romanorum, verum etiam cæterarum gentium fuit, ut si quis ad militiam, post longa tirocinii sui exercitia, idoneus jam transiret, nomen suum ad transcribendum in bibliothecis publicis, proprio ex voto donaret; ac deinceps in exercitu regis proprio recitatus nomine, connumerabatur. Quod singuli Christianorum faciunt, antequam fontem baptismi ingrediantur, et interrogati per singula, hosti cum suis omnibus renuntiant armis, et induunt se Christi armatura, fortes fide, qualiter possint adversus insidias diaboli stare, et contra legiones dæmonum quotidie dimicare. Quorum utique nomina non chartis, sed cœlo tenentur ascripta, ut si quidpiam in prælio digne gesserint, coronentur; si autem succubuerint, mortis signo notati tanquam qui cœlo digni non fuerint, de libro vitæ penitus delebuntur. Quod ne fieret, mox prævius Christus Deus homo factus ut processit a fonte, ostendit exercitui suo qualiter quibusve armis, contra quem hostem debeat pugnare. Unde beatus evangelista volens nullum intercipiendi temporis spatium medium intervenire, *Tunc ductus est Jesus*, inquit, *in desertum*. Nullum igitur spatium recte interfuisse creditur, quia post baptismi gratiam, nulla credentibus, a tentatione ut securi sint, mora relinquitur. Hinc quoque scriptum legimus: *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Sed et in Job: *Militia est vita hominis super terram* (*Job* VII, 1). Unde nunquam Christianus debet arma virtutum deponere. Quod bene Paulus apostolus intelligens ita esse monebat dicens: *Induite vos armatura Dei; quoniam*, inquit **196** alibi, *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et adversus mundi rectores* (*Ephes.* VI, 11, 12). In magno igitur Christiani spectaculo positi sunt in mundo; contra quos non solum omnis mundus et principes tenebrarum, omnisque nequitia spiritualis pugnat, verum etiam idem in seipso divisus homo contra se dimicat ac certat. Idcirco Apostolus suos ad cautelam redigens, ait: *Spectaculum facti sumus mundo et angelis ejus* (*I Cor.* IV, 9). Quod nequaquam tam crebro suis monendo inculcaret auditoribus, si non sciret nos hinc inde fraudulentis hostibus obsideri, et nostrum iter ad cœlum quotidianis machinamentorum oblectamentis præpediri. Unde Dominus ducitur ad desertum, contra diabolum monomachiam expleturus, quatenus eum omnis Christianorum inspectet exercitus. Et discant vincere visibilia contemnendo, atque gulam simulque vanam gloriam calcando reprimere.

Sed cur idem tentandus ad desertum ducatur non abs re quæritur, præsertim cum omnis mundus laqueorum tentamentis sit ubique plenus, nisi forte, quod ubi serviendi Deo major est quietudo, ibi major exhibeatur necesse est virium colluctatio, quia et ibi nusquam deerit fraudulenta oblectamentorum persuasio. Per desertum quippe a mundi pressuris et tumultibus remotior vita significatur; ut omnes discant quietem appetere, et soli Deo vacare, etiamsi inter homines videantur versari. Alioquin in Canticis non quæreret de Ecclesia: *Quæ est ista quæ*

Introdusă în format electronic de Google

ascendit per desertum, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, et electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? (*Cant.* III, 6.) Quæ nimirum ideirco ut castrorum acies contra hostes ordinata narratur ascendere, quia illi viam ad cœlum eundi obsident, ut in nullo frangatur conamine. Porro per desertum hujus mundi ideo sustollitur, quia etsi inter tumultus hominum versatur, ipsa mundi fragoribus segregata, secum ubique solitudinem cum Deo habet. In cujus nimirum figura, exercitus ille Dei ex Ægypto per desertum ascendisse creditur, ut solius ducatu cum Deo gradiens ad patriam remearet. Et notandum quod pulchra ut luna, electa ut sol eminus prædicatur, eo quod corpus simul et caput passim graditur, scilicet Ecclesia quæ per lunam exprimitur, et Christus caput, qui per solem cum sponsa ascendere designatur. Unde et Christus pugnaturus **197** ad desertum ducitur, si quomodo eum suus recognoscendo sequatur exercitus, et quod illum viderit agere, illius adjutus suffragiis, prosequatur. Nam et Propheta cum se vidisset mundanarum rerum pressuris augeri, contristatus in sua exercitatione, et conturbatus a voce inimici, quod declinaverant in eum iniquitates, ac cætera quæ sequuntur, mox exclamat dicens : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? volabo et requiescam. Ecce*, inquit, *elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Itaque exspectans eum qui salvum me faceret, et a pusillanimitate spiritus et tempestate* (*Psal.* LIV, 6-8). Ex quo liquido monstratur quod ideo solitudinem petiit ne mundi premeretur angustiis; sed tamen necdum in solitudine liberum se intelligit a periculo, dum adhuc se flagitat liberandum. Quippe quia non ante se hostis erexit ad pugnam, quam ille vellet exire de sæculo. Ergo si adhuc quisque versatur in mundo, contra eum se potest princeps mundi erigere, quia suis eum legibus infra sui regni fines tenet captivum. Unde Jesus suum volens exercitum ad certamina provocare, prior exiit ad desertum, et instituit prælium, quatenus sui eum digne valeant imitari. Alioquin quodammodo, nisi extra se quisque et extra mundum in mundo fiat, legitime certare nequibit, quia ejus legibus subjacet, cujus in regno tenetur vita ac moribus complantatus. Quod volens Joannes præcursionis suæ officio demonstrare, ab initio nativitatis suæ eremum incoluit, ut ibi jam Christi inveniretur miles, ubi reliquus exercitus pugnaturus erat in capite. Sed et omnium monachorum agmina, ideo nudi corporaliter festinant exire de medio vulgi, ita tenus ut pene nullum desertum jam vacuum invenire liceat, quatenus nudi cum nudo firmius ac constantius possint luctari, et luctando vincere. Ex quibus recte dictum creditur : *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos* (*Cant.* III, 8). Alioquin vacuum est venisse ad eremum, si non omni armatura virtutum vigilanti animo fuerit indutus. Ad hoc quippe quisque de turba sæculi exivit cum Christo in solitudinem, non ut torperet otio, sed ut tentaretur cum eo, tentatus vero vinceret, victor coronaretur. Majorem enim quisque adversarii furorem contra se commovet, ejus cum legibus acrius repugnare cœpit. Quod satis in Apocalypsi sua (XII, 13) Joannes insinuat, cum de muliere loquitur, quæ pepererat filium, sanctam Dei scilicet Ecclesiam **198** volens ostendere, quæ quotidie credendo Christum concipit, et peperit bonis operibus inhærendo; cui cum datæ essent duæ alæ, amor videlicet Dei et proximi, ut volaret in desertum, ubi aleretur per tempus, et tempora, et dimidium temporis, a facie serpentis, quia cupiebat devorare filium ejus, id est Christum in nobis perimere. Mox misisse legitur ex ore suo post mulierem serpens aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine; ac post pauca, *Iratus est*, inquit, *draco in mulierem, et abiit facere prælium, cum reliquis de semine ejus qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu* (*Ibid.*, 17). Quæ etsi ad futurum videantur respicere, in præsentiarum tamen nemo est qui dubitet hæc omnia, ita tenus contra eos qui reluctantur grassari. Unde cavendum est qui Christiano censentur nomine, ne forte aut antea se cogitent Christi participes esse quam exeant de sæculo, aut certe postquam exierint, aliquid professe, nisi milites Christi suam militiam ad finem usque perduxerint. Alias autem quod Christus in eremum ducitur, ipsius militiæ est documentum. Ut quia Adam in paradiso deliciis affluens, victus est per serpentem oblectamento concupiscentiæ, Christi milites asperitate eremi correpti, discerent cum suo capite, omnes concupiscentias carnis continentia refrænare. Quia, sicut deliciæ invitant ad gulam, ita sterilitas et squalor eremi permulcent animum ad continentiam. Ferunt itaque nonnulli juxta litteram (quamvis quibusdam aliter videatur) hoc de illo deserto dictum, quod de Hierusalem in Hiericho descendentibus occurrit in via, propter parabolam quam Dominus alibi proposuit, ubi ait : *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, et incidit in latrones* (*Matth.* X, 30). Porro latrones eum antiquitus obsedisse probat locus inibi, qui *Domim* adhuc hodie vocatur; *Domim* quippe *sanguis* interpretatur, siquidem propter effusionem sanguinis, quæ ibi olim fiebat. Unde et Dominus secundum consuetudinem latrocinantium ibi videtur illam contexuisse parabolam. Ex quo non debet incredibile videri, Dominum jejunando ibidem ad tentationem diabolum excitasse; ut ibi vinceretur in veritate secundum historiam, ubi figurabatur primum vicisse Adam juxta allegoriam. Quia eamdem viam Samaritanus noster Christus, etsi non peccando descendit, in qua ille vulneratus ceciderat, tamen, carne indutus, usque ad easdem tentationes quibus ille succubuit dignatus est descendere, **199** ut, hoste dejecto, vincendi præberet suis exemplum, cum ipse prius victor existeret.

Verumtamen a quo spiritu ductus sit in desertum, non abs re quæritur; præsertim cum sine additа-

Introdusă în format electronic de Google

mento Spiritus sanctus in Scripturis sanctis rarissime inveniatur. Unde nec abhorret a vero, is qui a membris diaboli crucifigi sustinuit, si etiam ab ipso diabolo tentandi gratia duci se permiserit. Sed magis ad sensum congruit, quod Spiritus sanctus, qui in baptismo super eum mansit, ipse continuo hominem, quem de Virgine creaverat ex fonte renatum, ubi nobis adoptio condonatur, ad tentandum obtulerit, quatenus per eum discerent omnes qui ex Baptismo renascuntur, illico per continentiam pugnare debere, quod ex adverso mox calidus persuasor stat, suis fraudibus congressurus. Et ideo satis dignum fuit ut Spiritus sanctus Jesum, super quem pleniter mansit, velut regem ad militiam contra hostem, exercitus sui prævium excitaret. Et per quod primum Adam in paradiso deliciarum devicerat, per hoc a secundo Adam in deserto vastitatis dejectus, omnis deinceps exercitus, ipso Dei agente Spiritu, securius, dum in hoc deserto vivitur, atque sollicitius dimicaret. Nescit enim Spiritus sanctus, quoscunque possederit, ineffícaces atque inexpeditos relinquere; sed provehit ad certamen, ut post victoriam, quicunque ab illo aguntur, per eum, Christo configurati, felicius requiescant. Hinc quoque Apostolus ait : *Quod qui spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14). Unde, cum in primordio super apostolos, et qui cum ipsis erant clausi propter metum Judæorum, cœlitus advenisset, mox expulit eos inter medias persecutorum acies, et fecit intrepidos decertare, qui antea velut timidi obserati tenebantur. Sed et universi martyres eo inflammati Spiritu tanquam scintillæ in arundineto cucurrerunt per orbem, et omnia sibi adversantia pugnando fortiter pedibus subjecerunt. Neminem enim, ut prædixi, hic Spiritus relinquit inertem; et ideo magis putandum est quod ipse eum duxerit in desertum, quatenus doceret in capite, quid fiendum erat in membris, si quo modo caput, omnia membra per ipsum infatigabiliter sequerentur. Alioquin sine Spiritu Dei quisquis ad militiam Christianitatis accesserit, eo tempestatis impetu prosternitur subito quo pulsatur. Unde et Apostolus : *Probate spiritus si ex Deo* **200** *sunt*. Quia, nisi fuerit homo illo interius animatus, facile vento tentationis dispergitur, et a quo visus est refugiens, velut palea huc illucque vacuus effertur. Propter quod Apostolus monet dicens : *State, dilectissimi, succinti lumbos mentis vestræ in veritate, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis : in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela maligni ignea exstinguere, et galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 14). Istis igitur tanquam inseparabilibus armis, suos volebat invictissime armari. Quia noverat omnes ad militiam esse vocatos, idcirco præstruebat eos, ut fortissimos Christi milites, manere invictos; et demonstrabat quibus armorum telis accincti, fortius dimicarent. Lumbos videlicet succincti balteo castatis, et pedes calceati munimine pacis. Quia et discinctus miles ab impudicitiæ incentore cito vincitur, et non calceatus facile a serpente mordetur. Qua de causa, nullus incaute vivat valde curandum est, quia nullus nisi inter hostes ambulat. Quem itaque tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino Jesu Christo conatus suæ fraudis abstinuit? Quod volens ad cautelam suis militibus declarare, illico post fontem baptismi primus processit ad pugnam, et per quod primus homo victus est in paradiso videlicet gulam jejunando cœpit devincere, per quam concupiscentiarum fomes nutritur, et incentiva libidinum in nobis acrius inflammantur. Nam carnis concupiscentia, quam in se unusquisque repugnantem legi mentis suæ, ac captivantem sine consensu invitus sentit, pœna peccati est : et ideo non aliunde magis nutritur, quam ex gula, pro cujus vindicta carni est infesta. Unde et ab eis qui de vitiis specialius conscripserunt, prima ex omnibus gastrimargia, id est ventris ingluvies ponitur, ut ex hoc apertius declaretur, quod in vacuum quisque laborat, si quod fomentum est reliquorum, non hoste quidem, sed sola adhuc carne devictus, sobrie non refrænat. Unde sequitur :

Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. Qui utique sacræ abstinentiæ numerus si diligenter tractetur, evidens præsentium est sacramentum. Quia ut paucis jam supra ostendimus, per eum omnis præsens vita, in qua Christus tam contra carnis vitia, quam et contra æreas potestates in suis membris victor ipse dimicat. Propter quod et provide satis in exemplo, hunc **201** dierum noctiumque jejunando per se sacravit numerum, quatenus doceret quod usque ad consummationem sæculi eatenus in suis militibus, per hanc abstinentiæ militiam tentandus et victor futurus esset. Quadragenarius quippe numerus, quod præsens sæculum significet, frequentius declaratur. Sed et illud tempus quo Jesus post resurrectionem cum suis conversatus est discipulis, hoc enuntiat. Unde et alicubi : *Ego vobiscum sum*, inquit, *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Siquidem omne præsens sæculum ex quatuor elementis sex quippe diebus perfectum esse legitur. Ex quo utique numero denarii summa conficitur; quatuor quippe et sex decem fiunt. In cujus nimirum perfectionis calculo decem præcepta homini, pro quo mundus factus esse dignoscitur, a Deo conservanda traduntur. Tria siquidem quæ ad Deum pertinent charitatem illam, per quam Deus colitur, ex toto corde, ex tota anima, et ex tota virtute commendant. Reliqua vero septem charitatem proximi, quæ per gratiam Spiritus sancti operatur, explicant. In quibus decem præceptis, legis et prophetarum, ut Evangelium compleatur, pendent eloquia. Est autem Creator Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Et ideo Deus Trinitas Pater et Filius atque Spiritus sanctus, recte juxta interiorem atque invisibilem hominem, invisibili ternario numero

Introdusă în format electronic de Google

præceptorum, ex toto corde, ex tota anima, et ex tota virtute diligi a creatura pro qua facta sunt invisibilia, jubetur. Siquidem invisibili ternarius tribuitur, ut quaternarius, ex quo constat homo noster exterior, corpori tribuatur, calido scilicet et frigido, humido atque sicco. Ex quo revera totus homo noster interior atque exterior isto septenario numero præceptorum consecratur. Et quia Deus Trinitas est a creatura Creator jure colendus denarii summa totus homo ad Deum relatus conficitur. Quapropter omnis disciplina noscens et discernens Creatorem et creaturam, hoc recte denario numero insinuatur. Quæ disciplina præceptorum Dei quandiu devotionis obtentu temporaliter adimplenda mandatur, fide constat et rerum gestarum opere dilectionis per fidem, donec fiant idonei divinæ contemplationi, quos interdum parvulos lacte nutrit. Sed, quia hæc disciplina decem mandatorum pro nostra torporis ignavia, quam sæpe ut oportet non impletur, denarius, qui totam **202** hujus religionis disciplinæ exprimit perfectionem, quadrato qui corpori tribuitur, multiplicatus numero, eo quod motu carnis Dei charitas in nobis et proximi violatur, ad diluendas peccatorum maculas in quadragenarium tempus pœnitentiæ surgit. Ac per hoc, quam diu sumus in hac vita, semper necesse est immunditias delictorum acriter vitiis resistendo uberius defleamus, quia recte per hunc numerum præsens vitæ tempus designatur. Unde et in Levitico mulier, per quam, ut volunt, præsens Ecclesia indicatur, quæ masculum peperit, Christum videlicet fide concipiens : *Sedebit*, inquit, Scriptura, *septem diebus immunda et triginta tribus diebus in sanguine puro, donec ad templum veniat* (*Levit.* XII, 2), quo Christus pontifex introivit, qui simul quadraginta fiunt, per quod præsens sæculum et futura purificatio parientis forsitan non incongrue figuratur. Quandoquidem omnes justitiæ nostræ illius vitæ munditiis comparatæ, sicut Propheta testatur, nihil aliud quam velut pannus menstruatæ videntur (*Isa.* LXIV, 6). Hinc quoque factum est, quod universalis sancta Dei Ecclesia ex doctrina Spiritus sancti, sub hoc quadragenario numero annuis temporibus pœnitentiæ sibi tempus generaliter indidit : quatenus per hoc maculas quas jugiter variis contrahit excessibus, sub hoc sacrato numero copiosius exemplo Christi jejunando dilueret, et aciem pugnandi, quæ per partes defluxerat, strictius repararet.

Sed quæri potest, cum Dominus Epiphaniorum die transacto, quando juxta traditiones catholicorum Patrum creditur baptizatus, mox desertum petens cœperit jejunare, quid sit quod Ecclesia universalis hoc jejunium ad usque passionis tempus voluerit differendo ejus temporibus protelare. Ubi quid aliud rectius poterit occurrere, quam ut ad paschalia sacramenta, quo victor Christus ab inferis resurrexit, velut ad diem immortalitatis suæ in fine Spiritum sanctum per eos docuisse sollicitius decertandum, ut per hoc victrix Dei Ecclesia, purificatis mentibus, A felicius sanctificata cœlum valeat introire ? Unde si Moyses et Elias typice sub hoc numero jejunarunt, et Christus, cui nulla inerat causa peccati, nobis instituit jejunandum, multo magis debemus omnes qui tantis astringimur vitiorum funibus, etsi, non ut illi, saltem quotidianis ad vesperum parcimoniis sustentati, continuis jejunare diebus, et inde magis magisque secundum interiorem hominem **203** divinis dapibus copiosius satiari. Nam et Moyses atque Elias, non, ut Christus, ex virtute jejunaverunt, præsertim cum Moyses sustentatus Dei fruitionis alloquio dicatur, et Eliam in fortitudine cibi, quem de allatu angeli perceperat, quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunum ambulasse Scriptura testatur (*III Reg.* XIX, 8). Christus vero neque alicujus majoris alloquio, neque ullius cibi fortitudine sustentatus, continuis quadraginta diebus ac noctibus jejunasse creditur. Sed diebus noctes superadduntur, ne cuipiam daretur copia mentiendi, eum saltem noctibus manducasse, ne quod ex nobis non possumus, de Deo uspiam dubitaretur. Quia quod ita tenus jejunavit, deitatis suæ fuit potentia ; quod esuriit, veræ humanitatis naturæ exhibitio declaratur. In quo quippe dierum numero, duas in uno novo homine Christo Jesu complendas per abstinentiam monstravit leges, scilicet quia in quadraginta nihil aliud quam Decalogi mandatorum et quatuor Evangeliorum summa resonat ; ita ut nec quatuor sine decem, nec decem sine quatuor recitentur. Porro et in decem rursus alia perfectionis norma colligitur, si omnis retro numerus usque ad primum quadratum quaternarium in unum copuletur. Nam unus et duo, in quibus unitas Deitatis, Creator et creatura pariter prædicantur, necnon et tres atque quatuor rursus in quibus Deus Trinitas ostenditur, et creatura quæ quatuor subsistere elementorum generibus nuntiatur, si sensim simul jungantur, decem fiunt, et ipsi per eosdem quatuor geminati in quadragenarium surgunt. Unde ut dixi, divinitus institutum est, isto præfigurationis numero nos acrius dimicare ; quatenus per quem in diluvio aquis necata est omnis caro, præter quos arca continuit, per ipsius figuræ numerum nostra necentur carnis delicta, ut nullus nostrum pereat, quos Christi probatur Ecclesia circumcludere. Verumtamen Christus toto cum jejunasset tempore, naturæ suæ hominem esurire permisit, quia nisi esurisset, nequaquam tentandi ausu accederet, ubi nullum infirmitatis vestigium reperisset. Propter quod, cum recepisset infirmitatis nostræ esuriem, gavisus est diabolus, signum se in eo passibilis atque mortalis naturæ invenisse. Unde, illico aggressus, conatus est superare. Alioquin nullum tentandi locum in illo habuisset ; quia nulla lex peccati in eo inerat ad quam adversarius, ut in nobis, ad incitandas carnis concupiscentias sic **204** quasi ad suam legem accederet. Manet enim in nobis, id est in carne nostra, causa peccati, quæ nimirum causa pro pœna peccati exstitit, et ideo diabolus nobis, per legis suæ jura, tentandi accessum habet. Sed, quia

Introdusă în format electronic de Google

in Christo nihil tale reperit, tota illa tentatio, non intus, uti in nobis assolet, sed extra fuit. Accessit itaque, non ad concupiscentiam quam nullam habuit, sed ad infirmitatem carnis, quam ut auderet in se recepit. Et jure, ut per infirmitatem vinceretur carnis, qui nostræ humanitatis massam exspoliatam viribus, in infirmitatem mortis projecerat.

Si Filius Dei es, inquit, *dic ut lapides isti panes fiant.* Contendum itaque quod tandem prius interrogatione usus sit inimicus, si possit explorare quod formidabat valde suspectans. Cogitabat enim eum esse Filium Dei, sicut et alibi dæmones confitentur, quod tamen impii Judæi negaverunt. Propterea valde tremendum est quid de nobis fiet miseris, quorum vita nihil aliud quam tentatio est, si ab eo non se continent, quem utique Dei Filium verebatur. Non igitur scire poterat, quod magis esuriebat Christus in figura totius vitæ salutem animarum, propter quas totum agebat, quam rerum carnalium escas. Sed tamen omnia sic temperat, ut, eo ordine quo primum dejecerat Adam, ab eo in Spiritu per carnem e contrario vinceretur. A gula quippe cœpit, per quam prius homo se et omnes prostravit in mortem; per quam Esau primogenita nativitatis suæ perdidit; per quam transmissis mare Judæis fraudulentus vitiorum suasor occurrit, et per concupiscentiam sitis tenera virtutum eorum incrementa fregit. *Dic*, inquit, *ut lapides isti panes fiant.* Noverat igitur cæcus Scripturarum inspector, Deum in principio dixisse *fiat*, et sic omnia ex nihilo fecisse. Nec tamen intellexerat, quod hic esset illud Verbum per quod Pater cuncta crearat. Quippe quia illud *fiat*, quod Moyses carnalibus ad audiendum intulit, non sono vocis a Deo Patre prolatum fuit, sed per illud temporalitatis verbum voluit legentibus innuere, quod per verbum sibi coæternum simul Deus cuncta creasset. Quod tamen volens formidolosius explorare, persuasit eo tenore dicendum ut lapides panes fierent, quo didicerat Moysen litteris mandasse Deum universa creasse. Nec enim fallitur in hoc quod, si juberet, omnino fieret, eo quod omnis **205** creatura sentiat, et obediat Creatori, sed quia fraude calliditatis agitur, ad veritatis scientiam pervenire nec debuit nec meretur. Nec enim majus est transmutare et efficere aliud ex alio, quam cuncta creare ex nihilo. Sed refrenatur jussio jubentis Scripturarum auctoritate, ut discerent membra corporis ejus, magis doctrina utriusque Testamenti quam miraculis deitatis ejus pugnare. Quem si novisset primus homo divino præceptionis oraculo ita retundere, nequaquam impegisset in mortem, sed beatus post triumphum obeditionis suæ, in melius translatus existeret. Ad lapides autem fraudis suæ experientiam convertit, ut probaret si is esset cujus imperio Moyses populo aquas de petra produxerat. Suadet igitur conditionis suæ esuriem pane ex lapidibus effecto relevaret, non quod curæ sit ei salutis, sed ut ex mutatione lapidum in panes, potestatem virtutis agnosceret, et si esset purus homo, panis oblectamento patientiæ esuritionis ejus illuderet; quem non de humo, non ex aliquo seminis germine, ac si non esset mirabile, cum quotidie de terra panes creat. Imo ex lapidibus apte elegit panes exposcere, ut quam durus sit qui loquitur, tali signaretur exemplo. Verum, quia durius est eum mollescere ad pietatem, quam lapides si juberentur, quod satis possibile erat, in panes converti: sed pro diaboli arbitrio docet nihil faciendum. Nam aliud horum explorantis fuit, aliud tentantis, dum Deum cæca confessione profiteri videtur, et homini conatur illudere. Sic enim tentat ut exploret quod veretur, et sic explorat ut tentando decipiat, et expleat quod molitur. At contra Dominus sic eum fallit ut ambignum victor relinquat, sicque vincit ut adhuc ejus fraudes tentatus fallat.

Scriptum est enim, inquit, *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Ubi non quasi Deus sua utitur potestate, sed quasi homo, ut homo disceret admodum pugnare Scripturarum potitur auctoritate. Et docet quod altera pars cœli sit, atque altera terræ. Idcirco non in solo pane, per quem non nisi exterior homo in commune cum pecoribus vivit, sed in omni verbo per quod interius angelis coæquaretur. Omne quippe verbum Deus charitas jure accipitur, in qua legis et prophetarum omnia pendent verba, sine qua nemo in Deo unquam vel cum Deo vivit (*Rom.* III, 9). Quod bene Paulus insinuat: *Et si quod est aliud mandatum*, **206** inquiens, *in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Ac si diceret, etsi est cibus alius quo pascatur interior homo, habeat aliquis charitatem, et omnibus abundabit bonis, quia fruitur illo verbo ad quod concurrunt universa. Nam in Christo Jesu Deus et homo erat; quisquis illo utitur verbo, charitate pascitur Dei et hominis, quia omnes in Christo diligit et veneratur ut membra Christi; et qui necdum sunt in Christo, curat ut ad eum perveniant, et compleantur omnia Christi membra. Alioquin si habeat omnia rerum verba, et compleat etiam reliqua quasi virtutum opera, factus est omnium reus, si non vixerit hoc omni verbo. Est autem hoc verbum generale omnium verborum, in quo pendent omnia verba, non qualiacunque, sed quæ procedunt de ore Dei. Cæterum verba hæreticorum et poetarum ac philosophorum, extra hoc verbum sunt, quia non sunt in charitate, neque Christo fruuntur, Patris videlicet Verbo, et ideo quæ in Christo sunt omnino diligere nequeunt. Huic sane verbo Moyses intentus panem desiderare non potuit, illoque pastus Elias famem prolixioris inediæ, omnino non sensit. Non enim qui hoc verbo vescitur panem terrenum, deliciis angelorum satiatus, inquirit. Sed et omnia Scripturarum sanctarum verba, cujuscunque enuntientur officio, sic quasi ex ore Dei sumantur, quia non ejus sunt a quo ex ministerio debite narrantur, sed Dei ex cujus ore procedunt. Quod si quidpiam doctor aliud voluerit interserere,

Introdusă în format electronic de Google

quam quod in hoc omni verbo invenitur, quia non ex ore Dei profertur, neque ex charitate subsistit, tanquam venenum, tanquam virus lethiferum respuatur. Quandoquidem non humanis divina ministrantur officiis, sed inimica, sed fraudulenta diabolicis suggerentur officiis. Et notandum quod ait : *Non in solo pane vivit homo.* Ex quo datur indicium quia non deitas, sed homo tentatur, ita ut quomodo præmisi, tota hæc tentatio exterius facta credatur. Unde, quia inibi verba ad invicem deprompta leguntur, in effigie hominis inimicum apparuisse, quamvis idem ubique secundum deitatem visibilis Christo existeret, magis opinabile probatur. Tribus itaque modis tentatur quisque, per quæ abstractus et illectus nonnunquam vincitur, suggestione, delectatione, consensu. Sed Christus horum in nullo cessit; quia nec ex suggestione concupiscentiam **207** quam non habebat, admisit, neque consensum præbuit, in quo nulla concupiscentia fuit. In nobis quippe fomes delectorum concupiscentia ex lege peccati adversus legem mentis repugnat. Porro in illo diabolus nihil habuit legis peccati ad quam accederet, unde saltem in eo concupiscentias excitaret. At vero in nobis quia lex peccati inest, sic quasi ad suam accedit legem, et concupiscentias movet ut ad delectationem nos pertrahat. Unde, etsi non aliud saltem concupiscentiarum virus, quod in nobis est, amplius suggerendo, Dei tamen modificante clementia, inflammat, ut et nos exerceat, et exercitatos victores reddat. Deus est enim, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus sustinere. Alioquin nulla virtus sufficeret ad reluctandum, si non Christi gratia nos juvaret, ne captivaremur, mole carnis oppressi in legem peccati. Tentatur autem unusquisque a concupiscentia sua; sed tunc gravius exagitatur, cum callidus propugnator eamdem in nobis concupiscentiam movet, et fraudes adjicit ut alliciat. Quas utique fraudes ordine quo primum prostraverat hominem volens contra Dominum elimare.

Rursus assumpsit eum in sanctam civitatem, et statuit eum supra pinnaculum templi. Quam sane civitatem non aliam intelligimus quam Hierusalem, quæ tunc temporis sola in toto terrarum orbe propter cultum divinum et religionem veri Dei recte sancta vocabatur. Unde et in passione, multa corpora sanctorum quæ dormierant surgentia dicuntur venisse in sanctam civitatem, et multis apparuisse. Sancta quippe vocabatur, quandiu in ea justitia et judicium requievit; sed demum, iniquitate repleta, scelestior quam Sodoma prædicatur, etsi hactenus ab Evangelista sancta ex antiquæ pacis vocabulo nuncupetur. Interea quærendum est quomodo in deserto jejunasse ut tentaretur dicatur, cum hic in civitate sancta assumptus tentandi causa congrediatur, præsertim cum et Marcus manifestius dicat, *Quod quadraginta diebus et quadraginta noctibus fuerit in deserto ut tentaretur a diabolo* (*Mar.* I, 13); utrumne in deserto tentabatur, an, post expletum jejunium, Hierusalem repetens, ibi sit peractum quod de congressu pugnæ legitur? Ex quo quidam conantur asserere, ut hanc quæstionem effugiant, quod et Hierusalem et omnis illa regio, quia Dei notitiam perdiderant, desertum jure appellabatur. Sed nonnulli **208** rectius arbitrantur, ut æstimo, primam et ultimam in deserto tentationem fuisse peractam, mediam vero quæ juxta historiam extrema creditur, postquam regressus est a deserto, in Hierusalem fuisse completam. Quia Matthæus, non secundum historiæ consequentiam, sed juxta tentationis Adæ ordinem narrationem rei gestæ persequitur. Unde liquido patet alterum eorum ita ut res gesta est explicuisse; alterum vero ut tropica texeretur doctrina, commutato tentationis ordine, docuisse. Porro quorumdam opinio est quod, in uno eodemque loco posito corpore, hæc variis in locis animo sint ostensa. Quod non satis approbari potest, ubi quæ gesta sunt omnia corporeis explicita sensibus contexuntur. Et nec mirum, si se permisit huc illucque corpore circumferri, si forte ita intelligendum est verbum assumptionis, qui se permisit a membris ejusdem diaboli crucifigi. Sed ex hoc magis tremendum, quod neque virtus impleta, neque sanctitas approbata, neque locus Domino dedicatus cohibuit impudentissimum hostem a congressu. Imo formidolosius suis rearmatur viribus, dum crebris virtutum vincitur insigniis. Hinc quoque ducit eum ad altiora et usque super fastigium templi, ut ex hoc daretur indicium ad quid elevet unumquemque, quem deorsum præcipitare desiderat. Jactantia quippe super omnem altitudinem mentem elevat, per quam dum se putant quicunque ad altiora sublimium factorum usurpatione sua conscendere, ad inferiora jam lapsi truduntur. Quis igitur in genere humano, non magis præesse et altior videri, quam subesse et humiliari cupit? Quippe, quia pene omnes abducit elatio, et universi ad altiora diaboli fastu tolluntur, volens magister virtutum apertius exhibere, permittit se assumi super pinnaculum templi, quæ sedes erat doctorum; ubi nimirum quisque positus vana gloria tentatur, et Scripturarum errore plerumque illicitur. Porro in Palæstina consuetudo est architecturæ, quod et in templo Salomonis fuisse probatur, ut desuper per totum plana habeatur atque in gyro, juxta quod lex præcipit cancelli deambulatorii, ne forte aliquis inde labatur incautus. Inter quos nimirum sedes doctorum super pinnam templi erigebatur, ut exinde quasi in eminentiori positus loco doctor ad populum loqueretur. Sed quod provisum est ad utilitatem totius officii, hoc quam sæpe **209** callidus persuasor utitur ad ruinam eorum qui aliis præferuntur. Nonnullos quidem in sua inflationis aura etiam ad honores erigit indebitos. Nonnullos vero recte prælatos, ut corruant, et se vitiis immittant, indefessus hortatur. Qui tamen quamvis persuadere possit, omnino præcipitare non potest. Nullo igitur vitio eos magis devastat, quos honor

Introdusă în format electronic de Google

magisterii sublimius ad docendum elevat, quam vanæ gloriæ, per quam etiam de bono virtutum opere inflatos reddit, dum non Dei, sed suam quærentes gloriam, inanes fiunt. Unde magister egregius super pinnam templi ad tentandum provida dispensatione assumitur : ut ex hoc doceret, eos qui in sublimitate sunt constituti, quid magis cavere oporteat; ita ut nihil per inanem gloriam faciant, ne vitium incurrant, quo etiam et ipsi quam sæpe qui sani videntur pessime laborant. Quod bene, præcavens Propheta : *Non nobis, Domine, non nobis*, inquit, *sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 9). Cæterum qui sibi applaudunt, et favores vulgi excitari in se cupiunt, non lucra cogitant animarum, sed omnia gerunt laudis suæ gratia, et appetunt etiam nonnunquam quæ supra se sunt, et circumferuntur omni vento jactantiæ. Neque videri erubescunt quod ipsi non sunt, neque de se prædicari quæ minime illis competunt. Ideoque de sublimium usurpatione factorum ad inferiora labuntur.

Si Filius Dei es, inquit, *mitte te deorsum*, hoc sane per omnia volens experiri si Filius Dei sit. Neque attendit cur idem se deorsum debeat mittere, nisi ut eum jactantiæ vinculis irretiret, et ipse quod veretur, si Filius Dei esset, ex hoc saltem per conjecturam cognosceret. Quæ nimirum vox bene sibi congruit, qui omnes deorsum ex altiori gradu meritorum præcipitare satagit. Quid enim tam proprium illi, quam ut omnes persuadendo de sublimi mentis statu deorsum mittat? In quo satis admodum infirmitatem suam nobis demonstrat, malitiamque designat, quod nemini possit nocere, nisi se homo infelix prius deorsum miserit.

Scriptum est enim, inquit, *quod angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, et cætera quæ sequuntur, donec ad eum locum ubi conculcandus ipse ostenditur, et omnia veneficia ejus figurate virtute sanctorum calcanda penitus prædicantur. De sua quidem fraude et conculcatione narrare refugit, quasi callidus tergiversator, sed de auxilio **210** angelorum ac si ad infirmum loquens, instantius repromittit, non ut confirmet in melius, sed ut prosternat in pejus; ad hoc quippe utitur Scripturis, non ut virtutes instituat, sed ut errores ingerat. Quem denique imitantur omnes quicunque testimonia Scripturarum quam sæpe adulterando ad suos inflectunt sensus, non sane ut veritati faveant, sed ut temerarios voluntatis suæ ausus impudenter astruant. Hic quoque in Novo Testamento primus hæresim, talia ex Veteri permutando, fraudulentus condidit, atque idololatriam ingessit, dum se adorare persuadet, quem et in simulacris falsi deorum cultores male decepti colunt, qui et in Veteri Testamento loquens, priorem Adam, Dei subvertendo sententiam, prius deceperat. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno paradisi?* (*Gen.* III, 1.) Quod omnino constat Deum non dixisse, sed, ut mentem subruat, mentiendo præcepti pondus exaggerat. Ac deinde post dubia infidelitatis responsa, permutat severitatis sententiam Dei : *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini. Scit enim Deus, in quacunque die comederitis ex eo, quia aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Sic itaque diabolus semper Scripturarum utitur exemplis, non ut corrigat, sed ut decipiat, etiam grandia false repromittendo. Hinc quippe est : *Hæc omnia tibi dabo*; atque illud : *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Unde liquido constat, ut dixi, quod omnes quicunque sensus Scripturarum ad suos persuadendum fraude conatus dolose infligunt, et severa Dei præcepta male blandiendo extenuant, atque peccantibus ut permulceant in malum grandia repromittunt, illo aguntur spiritu qui, male interpretando, Dei sententiam extenuando, primum Adam morti addixit, et novissimum eadem calliditatis arte, quasi ex auctoritate divina, male tractando Scripturas, prosternere concupivit.

Cui Jesus : Rursus scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. Quod sane præceptum quamplures duplici corde sæpe transgrediuntur incauti, et unde Deum conantur probare, offendunt. Et notandum quod tentare dicitur, dum de Scripturis persuadere aliud quam expediat, conatur. Quia profecto, sicut Spiritus vita est in Scripturis divinis, dum recte intelliguntur, ita in eis qui eas callide suis applicant favoribus, laqueus erroris, et tentatio ac subversio simplicium protinus invenitur. **211** *Quorum sermo*, ut Apostolus ait, *velut cancer serpit.* Digna deinde contra laqueatorum sensus et diaboli petulantiam Domini responsio satis infligitur : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ex quo declarat quod nec secundum humanitatem Dominum, neque secundum divinitatem Deum aliquis debeat tentare, sed agere in tentationibus quidquid humanæ mentis industria secundum eum valet agere. De cætero soli Deo omnipotenti, cui omnia possibilia sunt, si quid superimminet, non tentando, sed devote ac confidenter debet committere. At vero quod Dominum Deum suum se testatur, non sicut Manichæi delirant, alius est Deus tenebrarum et alius lucis, sed unus idemque Deus tenebrarum et lucis convincitur; qui etiam et super eum qui est abyssus omnium tenebrarum dominari testimonio ipsius confirmatur.

Sed cur tentatur, si ab eo tentari non debuit? Profecto quia tentatoris præsumptio fuit. Et postquam primum hominem sua tentatione dejecit, justum omnino fuit ut non solum tentaretur Christus, verum et in illis eisdemque passionibus tentaretur, incorruptam Dei imaginem ac similitudinem possidens, in quibus et Adam primus tentatus est, cum adhuc in illa inviolata Dei imagine perduraret, quæ sunt gastrimargia, cenodoxia, superbia. Unde nec in quibus post prævarications mandati Adam damnatur, et deinceps suo in vitio devolvitur, Christus tentatus est, sed in quibus antea tentatus et superatus legitur. Tentatus est autem gastrimargiæ vitio, quando ligni interdicti præsumpsit edulium. Cenodoxia vero, quando dictum est ei : *Aperientur oculi*

Introdusă în format electronic de Google

vestri. Porro superbia dejectus tunc exstitit, quando dictum est ei : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum*. In his ergo tribus vitiis etiam Dominum Salvatorem legimus tentatum fuisse. Gastrimargia quidem, cum persuasum est ei a diabolo, *Dic ut lapides isti panes fiant* ; cenodoxia, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* ; superbia, cum ostendens illi omnia regna mundi et gloriam eorum repromittit : *Hæc tibi omnia dabo, si cadens adoraveris me* : ut eisdem quibus nimirum ille tentationum lineis appetitus est, tentaretur; et nos quoque quemadmodum tentatorem vincere deberemus suo perdoceret exemplo. Ideoque et ille Adam, et iste Adam dicitur : ille quidem primus ad ruinam in mortem, hic vero primus ad resurrectionem et vitam. Et si velis omnia **212** diligenter perspicere, invenies, sicut dicit Apostolus, in primo formam futuri esse, præter quod ille ad ruinam dilapsus, hic vero in similitudinem carnis peccati veniens omnia in melius per easdem lineas reparavit. Unde et in eisdem cum vitiis diabolus tantum tentat, in quibus et illum primum deceperat ; conjiciens hunc quoque simpliciter velut hominem, in cæteris illudendum, si eum in illis quibus priorem dejecerat elisum sensisset. Nam quod Lucas hunc ordinem transcribit, non ex imperitia, sed pro mysterio transmutavit. Siquidem in utrisque factum est ut et veritas rei gestæ appareat, atque ordo tentationis Adæ ; deinde ut moraliter ad præsentis temporis reliqua conformentur. Hinc est nimirum quod Lucas mediam ponit avaritiam, ultimam vero superbiam ; quia etiam usque in finem vitæ post omnes virtutum triumphos sævire non cessat. Nam in eo quod ait, quia in momento ostenderit ei omnia regna mundi, passio philargyriæ convenienter accipitur. Et in eo quod dixit, Si Filius Dei es, mitte te deorsum, superbiæ persuasio juxta hunc locum recte intelligitur. Ergo, quia dum gastrimargia eum superare nequivit, omisit libidinem, et quæ de gula nascuntur, et transcurrit ad philargyriam, quam pro certo radicem omnium malorum noverat. Quo utique illico superatus, nullum ei vitium ex his quæ sequebantur illam, ausus est ingerere; sed ad extremam superbiæ pas-
A
B
C
D
sionem transiliit, qua noverat perfectos quosque posse pulsari. In quibus tribus omnia vitia sibimet fœderata perempta jacent. Unde et diabolus, videns per singulos tentationis suæ gradus se superari, auget fraudes, acuit ingenia. Et primo apponit esuriei lapides, ut potentiam exploret, et continentiam frangat ; secundo etiam ex divinis litteris, quasi ex auctoritate divina persuadens, ut demulceat laqueos parat. Tertio vero, ac si in se victus, universa vitiorum molimina, et arma potentiæ suæ artis coram oculis ponit ; quatenus in eo, si quid deesse possit mali, mens blandimentorum laqueis irretita male suasa rerum deliciarum cupidine capiatur. Ubi cogitandum quid nos miseri facturi sumus, in quibus inest virus concupiscentiæ, et peccati lex membris omnibus dominatur : ita ut unusquisque tentetur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Aut quid agemus, cum ipse per se diabolus concupiscentias carni insitas, acrius **213** inflammare, et quod gravius est, quasi ex auctoritate divinarum Scripturarum, mentem ut seducat atrocius delinire ac seducere cœperit ? Et quod adhuc infelicius est, jam hinc colligitur universis quæ in mundo sunt contra nos, ut suis, utitur armis. Quid ergo anima inter hujuscemodi casus factura est ? Nam nihil in mundo est nisi concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, atque superbia vitæ. In quibus nimirum tribus sententiis Apostolus (*I Joan.* II, 16) universa tentationum genera comprehendit. Et ideo Dominus hæc omnia in se sine contagione peccati vincenda suscepit, ut miles disceret, quid una cum gratia Dei jugiter ageret, quæ vitiorum recidiva in se profligare debuisset.

In montem autem eum assumpsisse ideo dicitur, ut ex eo loco mons Tyri vulneratus a monte Dei, super quem omnis avarus erigitur, evidentius signaretur. Non quod Jesus spiritu superbiæ inflatus eo quo ipse corruit, sit elatus, sed super quemlibet terrarum montem assumitur, ut monstraretur apertius, quo ipse transvehitur qui avaritiæ æstibus inflatur. Alioquin omnia regna mundi et gloriam eorum minime locupletius possidebit, nisi fuerit supra fundamentum superbiæ transplantatus. Nam vere humiles non nisi in Domino gloriantur. Omnia autem regna mundi ei dicitur ostendisse, videlicet omnia quæ in mundo possunt esse concupiscibilia, in quibus mundi amatores regnant. Vel certe simpliciter accipiendum, ut quidam volunt, quod illo suggerente totus mundus in momento visus ab eo dicatur. Et nec mirum, cum et eximio viro Benedicto, quam subito in sphæra, antequam exiret e corpore, dicitur ostensus ; quanto magis ab ipso Domino Christo simul potuit in momento videri, qui simul semper conspicit universa ? Et bene in momento, juxta quod alius evangelista narrat, quia omne quidquid in mundo est, breve ac momentaneum esse convincitur. Sed gloriam horum quo visionis oculo Salvator inspexerit, non absurde quæritur, ne forte, quod absit ! illam concupiscentiæ oculo intuitus intelligatur, quo nos, depravato mentis aspectu, quælibet concupiscibilia circumplectimur. Sed si in mente fuit ista rerum ostensio, eo nimirum aspectu juxta humanitatem fuit, quo medici solent conspicere omnia morborum genera sine ullo læsionis vulnere, ut et per hoc ab his suos mederi possint ægrotos, **214** et saluti eorum qui nondum corrupti sunt, consulendo diligentius providere. Quod autem ait : *Hæc omnia tibi dabo*, ex arrogantia descendit. Non quod in totum mundum habeat potestatem, ut possit omnia regna mundi dare, sed ut male persuadeat se prius adorare, et per hoc ante corruat, qui ad avaritiam divitiarum venire festinat. Nam et Apostolus avaritiam servitutem idolorum nuncupat (*Col.* III, 5), quia quilibet avarus infra pedes diaboli male persuasus curvus jacet.

Respondit autem ei dicens : Vade retro, Satanas.

Introdusă în format electronic de Google

Congruum ergo temeritatis suæ exitum sententia responsionis Christi accepit, cum et fraudis suæ, qua contra moliebatur, in Satana illico repercussus nomine audivit, atque retrorsum abire jure victus promeruit. Retrorsum autem ire, non sicut Petro dictum est : *Vade post me* (*Matth.* XVI, 23), qui adhuc contrarius es voluntati meæ, ut mea sequaris exempla : sed, vade retro, cæcitatis tuæ pravitate in abyssum demersus, qua nunquam te valeas explicare, et in antea quæ lucis sunt appetere, qui lucem obfuscare tuis fraudibus conaris modis omnibus.

Scriptum est enim, inquit, *Dominum Deum tuum adorabis*. Ubi evidenter ostendit quod homo Christus ut Deus ac Dominus sit adorandus, quatenus postposita omni humanæ potestatis gloria, et sæculi ambitione calcata solum Deum ac Dominum Christum instantius adorare debeamus. Quia omnis sæculi honor non ad Deum relatus, negotium diaboli esse convincitur. Sed ubi hoc scriptum sit quod ait, *Dominum Deum tuum adorabis*, cunctis legentibus liquet, quod in Pentateucho. Ex quo bene Deus ille manu fortis contra immanem hostem pugnaturus signatur, qui quinque lapides videlicet et quinque libros legis divinæ in pera pastorali reponens, uno eorum, ex Deuteronomio scilicet per quem nova lex figuratur adversarium repercussit, nobisque omnibus illo peremplo victoriam reportavit : *Dominum Deum tuum*, inquit, *adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Ac si dicatur : Non tu igitur adorandus es, ut jam multos falso erroris laqueo decepisti; sed Dominum scilicet Filium, et Deum Patrem, ac solum Spiritum sanctum, qui est Deus unus, jure potius adorabis, et ipsi soli quolibet pacto deceptus servies. Ex quo liquido colligitur quod, velit nolit, idem ejus obtemperat jussis, et servit licet invitus imperatus. Cujus nimirum **215** coacto malignitatis suæ servitio Deus justo utitur moderamine, ut omnia serviant unius Dei scriptis, et nihil effugiat, etiam quod sibimet male deperit dominantis imperio. Namque, in eo quod ait, *illi soli servies*, recte illa solius Dei servitus exprimitur, quæ nulli alteri quam Deo soli debetur, quam Græci λατρείαν vocant; unde et idololatria nuncupatur, dum solius Dei cultus diabolo per simulacra offertur. Porro illa servitus quæ communem significat servitutem, δουλεία in eadem lingua significantius appellatur. Ex quo recto intelligitur quod similiter et de illa adoratione dixerit, *Dominum Deum adorabis* ; quæ soli Domino debetur. Quia profecto etsi legimus homines et angelos a sanctis Patribus adoratos, non tamen illa adoratione putare debemus, qua unicum et singularem Deum jure competit adorare. Unde summopere cavendum est, ne aut ista in corde minuatur, aut certe per illam circa Deum immutetur servientis et adorantis devotio; ita tenus ut illa communis angelorum hominumque servitutis veneratio plusquam expediat transcendatur. Sed orare Deum propter seipsum ut Deum satis decet, et serviri illi a creatura ut Creatori : angelum vero aut hominem venerari, juxta quod expedit, non propter seipsum, sed propter Deum, ut Deus in eis veneretur, a quo venerabiles et ipsi facti creduntur. Alioquin non sunt adorandi prorsus, in quantum non sunt veri dii. Adhibendi quidem sunt in precibus; verumtamen non sunt colendi, ut et ipsi quasi Deus adorentur. Facti enim sunt venerabiles propter Deum. Simpliciter in eis Dominus diligatur, propter quem et ipsi dilecti a nobis devotissime venerantur. Cæterum si quis ab hac regula catholicæ fidei qualibet parte succubuerit, scilicet aut spernendo sanctos, ne debitam eis venerationem impendat; aut certe, cum non sint quod Deus est, sibi eos in Deum præferendo constituat, omnino a religione veræ fidei nimium extraneus aberrabit. Nam et Apostolus monet nos per charitatem invicem servire, secundum illam communem servitutem dilectionis Christi (*Gal.* V, 13). Sed et ipse alibi, ut servi dominis suis non ad oculum placentes sint monet, sed velut Domino servientes (*Ephes.* VI, 6). Et ut beatus Petrus apostolus ait, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis omni timore Domini servire convenit (*I Petr.* II, 18), ut per omnia Deo devota in omnibus **216** Christiana religio, atque irrecomprehensibilis comprobetur. Infelix quoque nimium humana mortalitas, quæ tantis obfuscatur vitiorum tenebris, et a tam æquissima piæ religionis regula devio gradieus itinere, hinc inde peccatis intercipitur. Ita ut et hi qui præsunt, tyrannica non metuant vi exagitare subjectos; neque hi qui subesse coguntur conditione sua, sine timore pœnali parere possint prælatis. Quorum utrique dum Deum medium non attendunt, sua morum improbitate a vera fidei justitia deviant. Vera namque justitia est, sua cuique jure ut decet honestatis officio, sive molestia et morum improbitate deferre. Unde, si ad diabolum dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis*, non ex superfluo est quod imperatur. Bene igitur Christus noverat illum hoc suo devotionis officio non impleturum; sed ex debita reciprocationis sententia loquitur, ut ex contrario quam ille moliebatur ostenderet scriptum quid ipse magis jure debeat, qui ab omni pietatis negotio suo pravitatis vitio est effectus. Non enim injustum est cuique imperare quod illi justum est exhibere. Et ideo licet proprio superbiæ vitio sit ille deceptus, tamen per hoc quod dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis*, patet illum creantis dominio subjacere. Sed quærendum utrum ex auctoritate Scripturarum, quæ hominibus per Moysen solummodo datæ sunt in eruditionem et doctrinam recte vivendi, debuerint contra hunc, ac si essent tam illi quam reliquis spiritibus præcepta, talia proferri. Nunquid ad eum erudiendum scriptum erat : *Non tentabis Dominum Deum tuum*, et, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies?* præsertim cum per Moysem, non illi, sed populo institutionis doctrina tribuatur. Et ideo probabilius videtur, non ut suspicatur, diabolo ex auctoritate divina ostensum esse Dominum adorare de-

Introdusă în format electronic de Google

humilitatis formam assumere, ut se viam redeuntibus ad patriam præstrueret, contra sagittas adversarii clypeum præceptorum opponit : quatenus discant sequaces, quid et ipsi in suis tentationibus prudenter agant. Nam si præceptum Domini lucidum contra tentamentorum nebulas adhibeatur, restat continuo ut omnis tenebrarum caligo, ut fumus, dispergatur. Unde sicut dictum sibi Salvator recolit, *Non in solo pane vivit homo*, ut illustretur præceptis divinis secundum humanitatem, ex quo suos instituat bellatores. Ita et : *Non tentabis Dominum Deum tuum*, **217** atque *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, non diabolo, sed sibi præceptum insinuat, quatenus his fascibus mandatorum, laqueorum tenebras repellat, et repulsis eminus eisdem ad nihilum evanescat.

Tunc reliquit eum diabolus. Et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. Reliquit eum consummata tentatione. Non quasi rursus eum non aggressurus, sed ut beatus Evangelista Marcus ait, ad tempus, postmodum contra eum, per mortem, Judæorum odiis apertissime impugnaturus. Expleta autem tentatione diximus, non quasi expleverit quod conatus est, ut dejiceret; sed, expleta contra eum omni arte tentandi, jam ulterius quid ageret non inveniens, dereliquit. Nam cujusque artis officium tunc expletur, cum quidquid ars ipsa juxta facultatem negotii dictaverit, ad peragendum fuerit expletum, etiamsi non obtineat opifex artis quod intendit. Ut puta orator, aut aliquis medicorum, non solum quoties persuadet hic, aut ille curat, finis completur officii; sed tunc recte prædicatur expletus, etsi conditio rerum ac personarum non admittat explere, cum quidquid ars ipsa valuerit diligenter negotiis et personis fuerit attributum. Quod tandem diabolus in se cernens artis suæ peritiam consummatam, continuo eum dicitur reliquisse, quia ultra quid ageret penitus non habebat. Nam tentaverat eum primum per gulæ concupiscentiam, quæ radix omnium malorum est; deinde per vanam gloriam, quæ habitus est superborum. Teste igitur Apostolo, initium omnis peccati superbia probatur, cujus nimirum illa species fore non indubitanter manifeste cognoscitur. Unde, si radix omnium malorum concupiscentia, et initium omnis peccati superbia, recte ergo tentatio expleta dicitur, cui omnium malorum origo et peccati initium penitus superatur ac conteritur. Nam nec mundus, qui in maligno positus a Domino condemnatur, alia tentamentorum habet quam quæ illi opposuit, carnis videlicet concupiscentiam, quæ est in membris nostris, et concupiscentiam oculorum, quæ semper exterius generatur, nec non et superbiam vitæ, quæ tam interius quam exterius suis fastibus coalescit. Jure igitur expleta dicitur tentatio, dum universis tentamentorum generibus Scripturarum auctoritate repulsis, victus tandem hostis succubuit. Et : *Ecce*, inquit, *Angeli* **218** *accesserunt, et ministrabant ei.* Accesserunt utique, non quasi tunc primum illud adeuntes, sed veluti agonem sui Creatoris per assumptam formam hominis contra hostem humani generis diu procul aspicientes. Si enim nos, ut ait Apostolus (*I Cor.* IV, 9), spectaculum facti sumus mundo et angelis ejus, multo magis eum venerabiliter intuebantur agonem, in quo Deus homo virtute sua pro omnibus dimicabat. In illo quippe et nos vicimus, quia in illo eramus et nos pro quibus ipse factus est homo. Stabant autem angeli a longe inter ea, ne forte quasi præsidio eorum vicisse videretur, aut certe auxilio indiguisse. At vero ut ex virtute monomachiæ Christi hostis ille victus abscessit, exercitus angelorum quasi paratus ad obsequium regis, qui procul triumphum illius longe diu contemplabatur, devotus accessit, et ministrans famulabatur. Porro, quod pugnat, nostræ humanitatis susceptio erat; quod vero isti ministrant, divinitatis in eo privilegia prædicantur. In utroque tamen unus Christus et doctrinarum exempla in eo plenius commendantur. Quia sicut in hoc agone militia totius religionis nostræ præstruitur, ita et in obsequio angelorum remuneratio servitutis nostræ futura gloriosior edocetur. Quia post triumphos, per hoc æternæ vitæ, beatorum vera designatur refectio, ubi non modo angeli, quorum charitas ardet indefessa, sed etiam ipse Dominus per se transiens ministraturus sanctis luce clarius prædicatur. Et ideo qui vult cum eo tanti honoris obsequio postmodum refoveri, necesse est prius, in militia positus, discat, ejus adjutorio fultus, agonem suum ad finem usque perducere; quia non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, recessit in Galilæam, et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritimam, in finibus Zabulon et Nepthalim. Terra Zabulon, et terra Nepthalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium, et reliqua. Nam et Joannes refert quod Jesus, cum discipulis suis invitatus ad nuptias in Cana Galilææ, signum fecerit Deitatis, aquas convertens in vinum : *Hoc fecit*, inquit, *principium signorum Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus* (*Joan.* II, 11). Sed cur, cum audisset Joannem traditum in carcerem, secesserit in Galilæam, perfacile cognoscitur, **219** si rei veritas intente perpenditur. Joannes enim non nisi propter Evangelium regni, et justitiam quæ est ex Evangelio, quam prædicabat, discrimen mortis incurrit. Christus vero, qui amplius et perfectius erat veritatis justitiam prædicaturus, necesse habuit ad tempus ut secederet in Galilæam : ne, antequam veniret tempus passionis, Judæi semper infidelitatis amici, homicidio jungerent homicidium, et martyribus fugiendi ad horam in tempore passionis suffugium per hoc signanter denegaret. Secessit autem ad tempus, ut suis daretur sequacibus in persecutione locus fugiendi, juxta illud : *Si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam* (*Matth.* X, 23). Non quidem causa timoris, sed ut exemplum fieret et doctrina credentibus. Porro an-

Introdusă în format electronic de Google

tequam iret in Galilæam, nonnulla ab Joanne facta interponuntur, quæ isti alii prætermisere, unde intelligitur aliquos fuisse dies interpositos quibus illa gesta sint quæ ab eo interseruntur. Nam traditio ecclesiastica tenet (quanquam nonnulli Dominum baptizatum VIII Kalend. Januarias dixerint, ut eo die crederetur renatus quo natus; et, ut alii asseverant, ac si ipsa die circumcisio spiritalis sit celebrata, quo fuerat carnalis adimpleta), quod VIII Idus, quando nunc celebratur, baptismo perfunctus sit; et inde, quod idem Joannes præmisit, ductus est in desertum. Post cujus expletionem temporis, aliquantis interpositis diebus, jam Joanne in carcere retruso, secessit in Galilæam, et deinde veniens habitavit in Capharnaum maritimam. Ubi cum cœpisset miraculis coruscantibus Evangelium prædicare, adhuc Joannes in carcere audiens opera Christi, misit duos de discipulis suis, quibus responsum est, quod jam virtutes operarentur, et Evangelium pauperibus prædicaretur. Quæ nimirum prædicatio a catholicis Christi doctoribus Kalendis Maiis traditur inchoata. Ex quo liquido constat, non, ut quidam volunt, post annum, sed in uno eodemque, et baptizatum et jejunasse, ac deinde spatio interposito prædicare cœpisse. Cœpit autem Jesus exinde postquam venit Capharnaum, prædicare quod appropinquaverit Evangelium regni, ut adimpleretur quod dictum erat per Isaiam prophetam dicentem : *Terra Zabulon, et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus* **220** *qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis* (*Isa.* IX, 1, 2). Unde et Septuaginta hoc loco dixere : *Hoc primum bibe, velociter fac.* Quia terra Zabulon et terra Nephtalim prima Christi videre miracula, ut primæ biberent fidei potionem, quæ primæ viderant miracula Dominum facientem. Unde, juxta Hebraicum, Matthæus ponens hoc testimonium, primo tempore, inquit, alleviata est terra Zabulon et terra Nepthalim onere peccatorum, quia in regionibus harum duarum tribuum primum Salvator Evangelium prædicavit. Unde et in Psalmo : *Benedicite Deo Domino, de fontibus Israel* (*Psal.* LXVII, 28). Ibi Benjamin, adolescentulus videlicet, et Paulus apostolus in mentis excessu. Ex quo alibi ait : *Sine mente excedimus Deo* (*II Cor.* V, 13). Principes Zabulon et principes Nephtalim, quia in his tribubus fuere viculi, ex quibus sancti duces Apostoli exstitere. Et in novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Galilæa namque gentium ideo dicitur, quia duæ fuisse probantur. Quarum una confinis ac vicina est Tyriis, quæ nunc hic gentium vocatur, ubi et Salomon viginti civitates donavit Hyram regi Tyri in sorte tribus Nephtalim. Altera dicitur circa Tiberiadem et stagnum Genassar, in tribu Zabulon. Sed in utrisque Dominum commoratum esse, vicinitas earumdem civitatum probat. Hic tamen, propter figuram eorum qui vocandi erant ex gentibus, recte illa quæ gentium est memoratur. Nam et Evangelista ea quæ in primordio prophetiæ versus sunt, prætermisit; sicut et in medio, quod via maris in novissimo aggravata sit, dereliquit. Quia nimirum illuc pertinuit ex prophetia etiam juxtim historiæ fundamenta jacere; hic vero tantum insinuare, quod ex ipsa historia adventus Domini et initium prædicationis ejus luce clarius reseretur. Populus, inquit, qui ambulabat in tenebris videlicet et caligine erroris, et cæcitate ignorantiæ, vidit lucem prædicantis Christi. Et non quamcunque lucem, sed magnam illam scilicet, quæ ait in Evangelio : *Ego sum lux mundi.* Et quam discreta Dei prædicatur clementia, ut hi primum relevarentur a jugo servitutis peccati, qui primum, sicut Hebræi tradunt, captivati ab Assyriis ducti sunt in terram hostilem ex omni populo Judæorum. Postea vero non **221** solum duæ tribus, sed et reliquæ quæ habitabant trans Jordanem atque in Samaria, ductæ sunt in captivitatem. Et hoc est quod Scriptura nunc dicit, ut populus qui prior ductus est in captivitatem, et in tenebris vitiorum versabatur, ipse, miserante Deo, prior lucem prædicantis viderit Salvatoris; ac deinde disseminatum sit Evangelium salutis in universas gentes. Unde et sequitur :

Habitantibus, inquit, *in tenebris et umbra mortis lux orta est eis.* Inter mortem autem et umbram mortis hoc esse putaverunt, quod mors eorum est qui cum operibus mortis in inferno morte sepeliuntur devicti. Umbra vero mortis eorum, qui cum peccant, necdum tamen de vita ista penitus expelluntur; sed divino exspectantur judicio, ut in melius convertantur. Unde, si voluerint, possunt agere pœnitentiam, et ad veram lucem, ut deinceps non sint in tenebris, Domini suffragante gratia, quantocius pervenire. Ad hoc enim relaxantur, ut non perveniant ad veras tenebras, quæ alibi exteriores vocantur, sed de interioribus peccati tenebris egressi, sint lux in Domino; quippe quia tenebræ peccatorum non aliud corpus quam mortem perpetuam habere probantur. Et ideo interdum umbræ vocantur mortis; quia sicut umbræ nunquam fiunt sine corpore, ita nec peccata sine morte. Unde scriptum est : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Quapropter qui vult effugere mortem, necesse est nullam in se habeat, in quantum fas est, umbram mortis. Qua ex causa desinat peccare, et totus adhæreat Deo, ut sit lux in Deo. Quia profecto si luci inhæserit, nullis obvolvitur tenebris peccatorum; sicut nec ubi lux ista visibilis est, locus quilibet offuscatur caligine, sed omnia in melius collustrata clarescunt in lucem, et pulchritudini decoris omnia reformantur.

Exinde autem cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentia magite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Eadem igitur Judex, quam bene confestim, quæ et præco veritatis prædicat, ut ostendatur non alius quam qui in voce ipsius Joannis dudum sonuerat. Unde idem et Joannes inquit : *Ego vox clamantis in deserto* (*Joan.* I, 23). Et quid est dicere *ego vox clamantis*, nisi : Ego sum vox illius qui in me clamat Christus? Quia, etsi ipse exterius per vocem

Introdusă în format electronic de Google

sonuit, intus tamen verbum Christus clamans fuit. Cujus nimirum clamantis **222** vox Joannes jure accipitur : quandoquidem organum Spiritus sancti fore monstratur, per cujus inspirationem Verbum, quod in principio erat apud Deum, voce ipsius fidelibus reseratur. Non enim à se quidquam Joannes, sed omnia intus ille loquebatur qui eum ad loquendum movebat. Idcirco non inconvenienter vocem se ipsius protestatur; clamantis autem se vocem potius quam loquentis fatetur, ut in eo sapientia illa clamare intelligatur, de qua in Salomone dicitur : *Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam* (*Prov.* I, 20). In summis excelsisque verticibus super vias, in mediis semitis stans juxta portas civitatis, ut ubique audiatur, et nullus insipientium de ignorantia excusetur. In ipsis quidem foribus loquitur dicens : O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum. Quæ nimirum vox Joannes erat, in quo Sapientia Dei Patris clamitans, dicebat : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Et, ut apertius claresceret quod ipse esset qui dudum per eum clamabat, debuit eadem et ipse in primordio prædicationis suæ retexere, quæ ipse præconatus officio nuntiarat; quatenus ipse voce clarius per se nitesceret ex opere, qui prius per Joannem clamabat in voce. Et, si diligenter attendimus, non solum in eo Christus, verum etiam in omnibus qui aliquid ab initio divinitus inspirati dixere, ipsa Dei Sapientia clamor fuit. Sed tamen Joannes, quanquam et in aliis Christus clamaverit, ex privilegio meritorum, proprietatem vocis solus obtinuit; quatenus per eum præsens verbum agnosceretur, quod longe diu alii nuntiarunt. Inter vocem quippe et verbum nihil medium esse potest, sed continuo ut vox sonuerit, verbum præsens percipitur. Sic quoque inter Joannem et Christum nullus alius medius recipitur; sed mox ut Joannes carcere retruditur, Christus in mundo virtutibus prædicatur. Vox ergo, ut cœpit desistere, Verbum quod erat substantiale omnibus ad intelligentiam sine strepitu vocis intus in animo manens, cœpit claresceere, et semetipsum per se plenius explanare. Joannes quidem expleto vocis officio desiit in mundo ulterius audiri : Christus vero Verbum, singulorum in corde perceptus, tenacius permanere. Et ideo primum non aliud debuit audiri ex Verbo, quam quod officio vocis prius enuntiaverat præco; ut totum nimirum refragraret in **223** verbo, quidquid formatum auditus experientia fides conceperat ex voce. Nam et Joannes figuram legis et prophetarum tenuit, quibus cessantibus, consequenter Christi Evangelium annuntiatur. Et, si diligentius inspexeris, percipies quod omnis Scriptura Veteris Testamenti non aliud quam vox clamantis fuit. Undidem quicunque Scripturas sanctas, aut certe doctores earum obtemperanter non intendit, omnino non eos, sed clamantem in eis, insolescens moribus contemnit. Quorum figuram se gestare Joannes sciens : *Ego vox clamantis*, inquit, quia quodammodo legis et prophetarum adimpletio fuit. Lex ergo et prophetæ usque ad Joannem; in Joanne vero voces omnium consummantur, atque deinceps voce evacuata solum Verbum quod sonuerat intus ab exordio legis et prophetarum, per se sine dubietate recte percipitur. Si autem eadem Salvator prædicat quæ et Joannes in spiritu prophetiæ ante prædixerat, ostendit seipsum esse, cujus ille se vocem fatebatur, et quem omnis ordo legis ac prophetarum currens usque ad Joannem, olim a sæculo venturum nuntiabat. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Regnum quippe cœlorum hoc loco Evangelium recte accipitur, aut certe ipse salus mundi Christus, qui pridem longe a peccatoribus minabatur, nunc vero per reconciliationem eorum qui crediturі erant appropinquasse dicitur. Quo enim fieri propinquius generi humano posset, quam quod hoc esse dignatus est absque peccato, quod nos ipsi eramus? *Verbum*, inquit Evangelista, *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Hoc est, quod nos ipsi eramus factus est, et habitavit nobiscum. Regnum autem cœlorum jure ideo appellatur, quia ipse est illud regnum per quod et in quo sancti omnes in cœlestibus perenniter regnaturi, jam hic per fidem quotidie ejus corpore colliguntur.

Ambulans autem Jesus secus mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mari. Erant autem piscatores. Et ait illis : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Hoc quippe valde contrarium inter evangelistas sonare videtur. Quia quod Matthæus narrat quod venerit et habitaverit in Capharnaum maritima; et postea discipulis piscantibus eos de navi vocasse ut sequerentur eum; longe aliter Joannes edisserit, quod post **224** illud miraculum de aqua in vinum conversa, descenderit Jesus in Capharnaum, ac mater ejus et fratres atque discipuli; *ibique*, inquit, *manserunt non multis diebus* (*Joan.* II, 2). Sed incertum sane videtur, utrumne illi jam adhæserant Petrus et Andreas, atque filii Zebedæi duo; ut per capitulationem hic loquatur Evangelista, quasi hoc, priusquam ad Capharnaum descenderet ad habitandum, quolibet pacto factum fuerit. An sic descendisse cum eo discipuli ejus Capharnaum dicantur, quomodo et in Cana Galilææ jam discipuli vocari ad nuptias cum eo leguntur. Non quod tunc jam discipuli fuerint, quando propter illud miraculum in eum credidisse dicuntur, quod factum est; sed discipuli secundum id vocantur quod futuri erant. Nam et antequam in Cana Galilææ Christus deveniret, dicitur Andreas Petrum ad eum fratrem suum, Joanne teste, adduxisse; et cum eo siquidem uno die mansisse. Non quidem ut jam ei per discipulatum hærerent, sed ut per experientiam tantæ dulcedinis vitæ pabulum a primordio avidius degustarent. Undidem reor Matthæum hoc per recapitulationem dixisse, præsertim cum non interposuerit more solito, *tunc*, aut *deinde*, vel certe *post*, seu aliquid hujusmodi continuationis gratia, sed simpliciter, *Ambulans*

Introdusă în format electronic de Google

autem juxta mare Galilææ. Verumtamen quid horum potissimum credatur, nihil fidei est discriminis, dum modis omnibus ita res gesta credatur, sicut Evangelium narrat. Mare autem Galilææ propter vicinitatem ejusdem civitatis expressius appellatur, sicut hoc idemque mare alibi propter circumstantias terrárum, multis vocatur nominibus; videlicet lacus Genesareth, aut stagnum, seu Tiberiadis, vel lacus Salinarum. *Vidit*, inquit, *duos fratres*, quod satis dispensative, sicut in Veteri Testamento Moysen et Aaron vocavit ad liberandum per signa fidei populum ex Ægypto : ita Petrum et Andream conduxit per gratiam, ut transponerent piscando animas e mundo ad Jerusalem cœlestem. Quorum fraternitas carnis debet nobis insinuare quod omnes qui sunt in Christo, secundum regenerationem vitæ, germani debeant esse per fidem, et fratres nomine appellari. Ex quo patenter : *Vidit duos fratres*, inquit, *Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream.* Non quod hic primum vocatus sit Petrus, sed postea, quando confessus est **225** Christum Filium Dei vivi; tum, inquam, dictum est ei : *Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* xvi, 18). Porro hic per anticipationem ab Evangelista est utique appellatus, præsertim cum eo tempore, quando hoc scriptum est Evangelium, jam ei a petra hoc inditum erat nomen. Quanquam et alii, pridem quando Andreas illum adduxit ad Jesum, hoc nomine nuncupatum eum asseverent antequam iret Jesus in Galilæam, dum dicitur ei : *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*Joan.* i, 42). Sed videtur hic per aliud obscuritatis vocabulum quasi ex repromissione significari quod futurum erat ; nondum tamen eum adhuc aperte, sicut postea per fidem meruit hoc nomine nuncupari. Aliud est enim promittere ex præscientia quod futurum est, aliud vero implere per gratiam quod præscitum est. Et bene primum Christus ex omnibus Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream, ad discipulatus sui gratiam vocasse dicitur. Simon quippe *obediens* interpretatur, Andreas vero *fortis* vel *virilis* dicitur. Ex quo liquet, quod quisquis ad Christi disciplinam velit transire, necesse est ut primum virtutem obedientiæ excolat, ac deinde idem viriliter ad finem usque fortis viribus perduret. Quia nimirum sine obedientia nullus digne ad hanc Christi militiam valet accedere; ubi, si desit virilis animus et fortitudinis virtus, nemo usque ad mortem crucis agonem potest ferre. Et ideo bene divina providentia duos istos germanos prius vocavit ad fidem. Quia germanæ sibi sunt vicissim duæ istæ virtutes, per quas quisque Christi agonem videtur excolere et adimplere. Nam quia primus homo inobediens fuit in paradiso, consequens erat ut prius Simon, quod est *obediens*, rursus iter sumeret in regressum. Quod satis continuo sermo divinus, quam obediens quis esse debeat, per hoc exemplum latenter insinuat, dicens : *Vidit duos fratres retia mittentes in mare.* Ergo in hoc quod ait, *retia mittentes*, designat eos intentos fuisse ad præsentis vitæ negotia ; sed mox dum infert, quod illi continuo relictis retibus secuti sunt eum, perfectam eorum insinuat obedientiam. Quatenus per hoc discant veri Christi imitatores, sua quælibet imperfecta relinquere, et vicino obedientiæ pede vocem jubentis sequi, atque sectari eum qui ait : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* vi, 8). Et vocavit eos, inquit. Vocare autem Dei non semper in Scripturis **226** divinis secundum electionem gratiæ est. Neque una vocatio omnium. Sed tamen quacunque vocatione quisque vocatus a Deo, necesse est in eadem permaneat. Alioquin magis obesse creditur, eo quod se indignum sua vocatione fecerit, dum cœperit, velut Judas, apostatare. Nam et Judas vocatus est apostolus, non secundum prædestinationem vitæ, sed secundum illud quod *multi vocati* dicuntur, *pauci vero electi.* Plures etenim vocantur, sed pauci eliguntur. Quia nonnunquam etiam hi ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt; et, licet hic per confessionem fidelibus sint admisti, propter vitam reprobam in sorte fidelium numerari non merentur. Quos vero præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, hos et vocavit. Et quoscunque igitur juxta vocationem hanc vocavit, hos et justificavit. Præscivit autem eos primum, deinde prædestinavit. Et quos prædestinavit, hos et vocavit juxta electionem gratiæ. Unde et justificati postea magnificantur, ut præsciti erant, dono perseverantiæ, et deinde ob hoc in perpetuum coronantur. Nemo igitur a vocatione sua retro respiciens, aptus est regno Dei : nemo in ea segniter vivens, potest cum fructu remunerationis perseverare, nisi rursus bonis reinsumatur operibus. Alioquin non de hac qua vocantur electi, sed de illa omnino vocatione qua vocatus est Judas, et multi quotidie veniunt, ex quibus quamplurimi non permanent; sed pauci utique eliguntur. Pauci quidem dinumerantur et eliguntur, multiplicantur vero plurimi super arenam, et foras mittuntur, quia ex maledicto sunt, et reprobi decernuntur. *Multiplicabo*, inquit Deus ad mulierem, *conceptus tuos et ærumnas* (*Gen.* iii, 16); multiplicatio autem hæc ex maledicto est. Alioquin si non esset ex maledicto, non super arenam multiplicati essent qui vocantur, sed sicut stellæ cœli dinumerarentur, et singuli vocatione qua vocati essent Dominum vita ac moribus collaudarent. Qua nimirum vocatione duo isti pro certo afficiuntur. Et ideo ex dono perseverantiæ postea coronantur. Hoc ergo propterea dixerim, ut unusquisque consuescat juxta vocationem proprietatis suæ, et opera prosequi meritorum. Quia et hi qui vocantur secundum electionem gratiæ, non absque fervore fidei, quæ per dilectionem operatur, digni inveniuntur, neque hi qui non satis eliguntur, nisi pro torporis ignavia et vitiorum meritis, repelluntur. **227** Ex quo instat ut apostolus opera veri apostoli habeat, et martyr charitate martyris fulciatur; episcopus vero aut presbyter, et deinde cæteri Christi

Introdusă în format electronic de Google

ministri, singuli per singulos gradus operibus fidei vocationem suam expleant. Neque metiatur se aliquis eorum ad eum qui infra est, sed vocationem suam devotus intendat, ne aut indignus ex ea corruat, aut certe torpens vitiis morbo ignavius in mortem lethargico sopiatur. Cæterum virgo quælibet, nisi opera virginitatis habuerit, et vidua, seu quælibet conjugio sociata, si non se ornaverint operibus vocationis suæ, profecto ad ima dilapsæ inter fatuas repelluntur. Ni forte quantocius evigilaverint, et juxta illud Apocalypsis (II, 5) videant unde ceciderint, prioraque opera, videlicet ea quæ prius debuerant agere, cum additamento pœnitentiæ divinitus reparatæ suppleverint. Unde nemo sibi applaudat, non clericus, non monachus, non quilibet vocatus sanctus; quia, nisi opera vocationis suæ habuerint, omnes aut inter apostatas aut certe inter hypocritas sortiuntur. In istis quippe duobus, quos primum Christus ad fidem vocat, figura omnium eorum est qui, de profunditate rerum carnalium retia mittentes, quotidie revocantur. Retia igitur sua mittentes in mare, simul omnes suis occupantur negotiis, dum unusquisque sagenam concupiscentiarum, post vana sæculi lucra, velut avidus piscator laxant. Nemo jam absque sæculi quæstu immunis et concupiscentiarum retibus alienus vivit. Undidem simul duo forsitan adsciscuntur, quod omne genus humanum anima et carne subsistat; ita ut anima, virilis portio, prior agnoscens Deum, carnem sibi obedientem perducat ad Christum, et simul sequantur quousque unusquisque sua vocatione dignus inveniatur.

Venite, inquit, *post me, faciam vos piscatores hominum.* Porro vocatio hæc quodammodo generalis videtur, dum qualibet quisque vocatione vocatus adhuc provehitur, ut venire per eum qui est via post eum festinet. Quia qualibet vocatus occasione instat ad Christum veniat, sine quo nemo pervenit ad patriam. Quibus tamen dum generale datur præceptum, speciale promittitur donum : *Faciam vos*, inquit, *piscatores hominum*. Immutatur enim intentionis negotium, non piscationis officium. Mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum. **228** Fit mare sæculum, navis Ecclesia, pisces, boni malique homines qui in sæculo fluctibus quatiuntur. De quo nimirum mari David canens dicit : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia, quorum non est numerus* (*Psal.* CIII, 26). Quæ profecto reptilia in linteo coram beato Petro, quatuor initiis submissa offeruntur (*Act.* X, 11). Offeruntur autem, ut Petrus indifferenter discat omnes extrahere quatuor Evangeliorum initiis, a fluctibus hujus sæculi et in corpus suum mundo mortuos trajicere. Et nimirum de cœlo ideo submittitur, ut intelligat ex gratia Dei cœlitus sibi concessum, quod erit operis ex officio. Unde et signanter dicitur : *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Alioquin in vacuum laborat aliquis doctorum, si non factus a Deo fuerit ut proficiat; quia neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus.

A *At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Secuti sunt autem eum non solum morum affectione, et imitatione doctrinæ, verum etiam pedum incessu et obedientia charitatis. Datur quippe in eis forma cunctorum credentium, ut, si quis velit esse Christi discipulus, renuntiet omnibus quæ possidet, adhuc et relinquat semetipsum, deinde tollat crucem suam, et sequatur eum. Quia profecto qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare. Sed quomodo Petrus reliquerit navem, quæ postea ipsius Simonis appellatur, atque in piscatione rursus ab eo resumitur, recte quæritur : nisi perfacilis esset sensus, quod jam non ex concupiscentia proprietatis ejus hactenus dicebatur, ut suis eam usibus resumeret, sed magis obedientiæ
B officio, et societatis jure; quatenus per hoc sacramentum divini operis mysticum texeretur. Nihil enim possidetur, quod cum concupiscentia et amore carnis non servatur. Unde idem relinquens extra Christum quidpiam amare, aut deinceps aliquid concupiscere intra mundum, gloriebatur dicens : *Nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX, 27.) Ille quippe recte relinquit omnia qui nec se sibi reservat, sed et seipsum pro Christi amore superimpendit. Sequitur autem quod, inde procedens :

Vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua. Etiam ex horum electione futurum eorum officii opus proditur, et tota integritas quadra-
C turæ **229** sanctorum prædicatorum quatuor istis piscatoribus plenissime designatur. Et præter rerum fidem, quia et de istis ita gestum est, futurorum per eosdem Evangelistarum numerus præsignatur. Quorum artificio doctrinæ ad lumen cœlestis vitæ, per quatuor Evangeliorum rudimenta, renatorum animæ a mundi fluctibus extrahuntur. Provida quoque Dei dispensatio hunc ita prævidit sanctæ vocationis ordinem, quatenus per eos præfiguraret in specie, quod futurum erat in genere. Quatuor igitur piscatores in primordio idcirco jure dicuntur electi, quia quatuor de cœlo initiis linteum, in quo erant universa reptilia et quadrupedia, submissum, rete quatuor Evangeliorum præsignabat, coram prædicatoribus sanctis de cœlo signanter inferendum. Et ideo
D quatuor colliguntur viri, in quorum numero reliquus ordo doctorum figuraretur, quatenus quatuor initia unius retis sancti Evangelii ad depiscandas gentes, per universa quadrati mundi maria, quatuor ipsorum manibus ad littus usque paradisi salubriter traheretur. Multiplex ergo et subtilis Dei dispensatio, quæ sapienter cuncta ita disponit ut et veritas rerum demonstretur ex relatu, et mystica doctrinarum sacramenta passim opere compleantur. Quod conspicue sancti doctores in Spiritu sancto considerantes, sic, mirabiliter dicendo, singula subministrant, ut et rei veritas in sermone patescat, et profundiora quæque intus latenter in negotio resplendeant. Unde bini ac bini quatuor isti eliguntur, in

Introdusă în format electronic de Google

quorum numero cunctorum ordo prædicatorum alluditur. Sane quia charitas, sine qua nec martyrium aliquid computatur, cum sit gemina, non minus quam inter duos uspiam a quoquam haberi conceditur. Qua de causa, non solum duodecim, verum et septuaginta postea transmissi, bini et bini pariter prædicatu consociantur; quatenus Dei et proximi charitatem ex veteri et novo Scripturarum fonte, tam in eorum cordibus qui de gentibus crediderunt, quam et in eorum qui de Judæis in Christo sunt renati, uberius diffunderent, et terrenos quosque cœlestibus per gratiam sociarent. Quadrantur enim hi tantum ex mysterio; conjunguntur vero et alii cum istis ex officio; quatenus in Dei agricultura singuli geminæ charitatis jugo consociati semen dilectionis Dei et proximi ubique per populos aratro verbi ubertim sererent, et quadratam præceptorum Dei sagenam præsignati **230** omnes una in istis ad littus trahant. Quatuor itaque isti tantum piscatores leguntur, ut a quatuor mundi partibus trahentes rete mandatorum ex tenebrarum fluctibus ad lucem, quæ Christus est, universos in unum transponerent. Hinc sane miræ dispensationis mutantur rerum commercia : ut qui pisces ante de vita claudebant in mortem, nunc de morte, mortificatos tamen carne, per aquas rursus reducant ad vitam. Quia nimirum et ipsi, nisi prius mortui forent mundo, non poterant relinquere quæ sectabantur, et Zebedæum patrem descrere. Zebedæus quippe *fugitivus* interpretari dicitur. Per quem sane is recte accipitur, qui, suis tenebris a luce veritatis effugatus, jam deinceps lucem illam conspicuam majestatis, ut resipiscat tandem a malis, adire non poterit. A quo Spiritus divinus volens animæ cujusque male genitæ ut refugiat suadere, canit in Psalmo : *Audi, filia, et vide; inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). Quem nimirum patrem Jacobus et Joannes, simulque retia concupiscentiarum, quæ male quotidie variis reficiebant desideriis, relinquentes, facti sunt filii tonitrui, qui erant hactenus una cum patre servi fugacissimi. Unde unus eorum Jacobus jure *supplantator* interpretatur, quia virtutum pedibus vitiorum laqueos attriverat, et supplantaverat contra quem luctantur omnes qui volunt mortis tormenta evadere, et vitam fidei operibus apprehendere. Quæ ut possint, prius Dei gratia veluti fraterno solantur auxilio. Unde idem et Joannes satis apte *Dei gratia* in Latina de Græco sonat. Quia nimirum quilibet supplantator vitiorum positus in agone, non nisi per gratiam valet quasi fraterna ex acie hostem subvertere. Et ideo actibus nostris illa necesse est irremota ubique comes germanitatis obsequio comitetur. Hinc quoque Paulus : *Non ego*, inquit, *operor illud, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV, 10). Quia, sicut profecto virtus obedientiæ, quæ per Petrum exprimitur, sine fortitudine aut mentis virilitate, quæ per Andream signatur, consummari nequit; ita sane et vitia cum pestis auctore nequeunt certatim absque Dei gratia superari.

Qua de causa quadratus virorum iste numerus, tetragonum sancti Evangelii bene consolidat fundamentum, ut si qui velint per orbem trahere retia præceptorum, quatuor istis polleant virtutibus sine quibus nemo manum mittens in aratrum ad coronam **231** victoriæ unquam poterit pervenire. Et, ut ostendat quam frequentes sint in doctrina, mox beatus Evangelista subjungit dicens :

Circuibat autem Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni. Ex quo liquido perdocet quam sedulum oporteat doctorem esse in docendo; quia omnino pigritia prædicatoribus non expedit : sed ut circumeant non partem, sed totam, cui præesse cernuntur, plebem Neque præoccupentur negotiis sæculi, sed doceant præsentium mandatorum doctrinam vitæ activæ subjectos, et prædicent de futuris vitæ contemplativæ perfectis ; quatenus impræsentiarum hi erudiantur moribus, hi vero spe confirmentur futurorum majoribus documentis. Quia neque contemplatio sine operibus activæ vitæ a puero conscenditur, neque activa sine spe promissorum Dei perfectius consummatur. Et ideo fortassis circumisse Jesus dicitur docens ac prædicans, quia utrasque vitas appetere, non minus exemplo quam voce credentibus reserabat; ne siquidem paucis proficeret, verum ut sine acceptione personarum affluentem vocationis suæ gratiam omnibus abundanter infunderet. Docebat autem non qualiacunque fabularum portenta, sed summa ac divina, ne suis falsa antiquorum videretur introducere figmenta. Unde et signanter, quod Evangelium regni doceret illico subinfertur. Regni quippe dicitur Evangelium, quia suos quos modo spe jam regnare concedit, in futuro simul reges et regnum Deo rebus adeptis facit; dum quidquid spe veniæ nunc credentibus repromittit, muneribus gratiæ adimplebit.

Et sanans, inquit, *omnem languorem et infirmitatem in populo*. In quibus nimirum duobus nominibus, generaliter omnium morborum genera comprehendit. Quia quod hic omnem languorem et infirmitatem dixit, plane postea per partes specierum sigillatim divisit. Siquidem non solum plurima suis locis restituens, verum etiam hic, si qua non sunt de miraculis Salvatoris litteris commendata, intelligere dedit, et fide permisit credere. Inter languorem autem et infirmitatem, hoc in loco quidam ita distinguunt, dicentes languorem pertinere ad animam, infirmitatem vero corporibus deputari debere. Seu languorem ad ea quæ diabolus, potestate accepta, ingesserat; infirmitatem **232** duntaxat ad hæc quæ natura rerum, per intemperantiam male sauciata, sibimet contraxerat.

Et abiit opinio ejus in totam Syriam. Fama scilicet, quam Judæi cæcitatis suæ obfuscabant invidia, gentes sensim illustrabat, et omnem Syriæ provinciam, quæ a Galilæa non multum longe abest, virtutum odoribus respargebat. Et ideo hinc inde offerebant ei omnes male habentes. Talem quippe decebat esse magistrum pontificum, ut et testimonium

Introdusă în format electronic de Google

laudis egregiæ etiam ab his qui foris sunt haberet. Quia tunc ante quempiam sacerdotum infirmitates morum liberius deferuntur, et panduntur vulnera, cum fama vitæ, et curatio salubris in populo prædicatur. Syria namque *sublimitas* interpretatur. Tunc recte virtutum fama Syriam usque pertenditur, cum vita meritorum quotidie per incrementa boni operis sublimius ad fastigium veræ laudis attollitur. Formam igitur medicus noster doctorum in carne gessit, et ideo interius omnes languores et tormentis comprehensos sanat; necnon dæmonia ejicit, et lunaticos ac paralyticos curat. Ex quibus gestorum beneficiis, opinio ejus usque ad eos qui foris sunt respargitur. Quia profecto nec fama sine veræ laudis opera proficit, neque opera salutis absque fama boni odoris satis auditoribus relucet. Quod bene Paulus hortatur dicens : *De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque sancta, quæcunque justa, quæcunque pudica, quæcunque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus; hæc cogitate*, inquit, *quæ didicistis et audistis, et vidistis in me* (*Philip.* IV, 8). Duobus, inquam, verbis cuncta conclusit dicens, si qua virtus, si qua laus ; ad virtutes namque pertinet bona conscientia, ad laudem vero fama vitæ proficit, sine quibus sane forma veri sacerdotis non commendatur. Curat autem Dominus, non solum animas interius, propter quas venerat, sed et prius corpora exterius beneficio visibili, uti invisibilia salutis per fidem paratius adeant. Alioquin corporibus continuo morituris parum erat salutem impendere, nisi ut fidei virtus per ea quæ fiebant exterius firmaretur. Ad hoc quippe fiebat, ut oculis cordis interius operantem recogitarent, et quem hominem exterius cernebant, interius Deum per fidem intelligendo requirerent. Quandoquidem prædicatio Salvatoris beneficiis commendatur plurimis, et fides virtutibus, ut idem homo Deus credatur, solidatur maximis. Et mira hæreticorum **233** deliramenta, qui aut hominem verum eum fuisse negant, aut Deum rursus unum eumdemque ex duabus unitum substantiis contradicunt. Cum et caro semper non minus visibilis quam passibilis monstratur, et Deus in eo signis et virtutibus passim declaratur. Quapropter et visibiliter curabat exterius, et invisibiliter fovebat intus : Deum ostendens se miraculis, et mores erudiens disciplinis. Curabat igitur omnes vitiorum languores, dum et sapientiæ doctrina respergebat ægrotos, et tormentis comprehensos medicamento fidei relaxabat sanos. Porro lunatici et paralytici hi recte accipiuntur, quos menstruis temporibus idololatria cruentabat, et discordiæ morbus ab omni compage charitatis dissolvebat. Paralysis quippe Græce dissolutio dicitur. Ex quo signantur illi vitio laborare, qui nulla membrorum societate in Christi corpore uniuntur, et sunt dissoluti corporis vitio ab omni soliditate amoris. Qui etsi vivere videantur, pene nihil sentiunt, cum fuerint manu linguæ salubriter fomentati. At vero lunatici, secundum opinionem vulgi dicuntur : non quod vere lunatici forent; sed quia, dum callidus hostis illa vel illa lunæ accensione illos exagitat, putabantur lunatici, quasi ab ipsis lunæ impulsu cruciarentur. Egerat enim hoc fallacia sua ut, creatura Dei atrocius infamata, super Creatorem blasphemiæ redundarent.

Curavit autem, inquit, *omnes*. Scilicet quoscunque ei hinc inde obtulerant. Ex quo notandum plurimas miraculorum virtutes, quas reliqui Evangelistæ aliis in locis retulere plenius narrando, non hic eas penitus prætermisisse, dum hoc in loco brevitatis compendio generaliter omnes curatos legimus. Inter quos nimirum fuerunt et illorum quidam, quos Marcus vel Lucas, ordine interposito, ubi ubi alia ex causa plenius texuerunt. Circumibat itaque Jesus omnem Galilæam, omnem videlicet volubilitatem sæculi. Quia profecto Galilæa *rota* interpretatur. Unde et pervenit ejus opinio usque ad Syriam, quod est ad sublimitatem fidei credentium pervenisse, et ideo sequebantur a Galilæa ; scilicet qui de vitiis jure fidei ad virtutum initia transmigrarunt. Nec non et de Decapoli, revera qui decalogum mandatorum implere cœperant per fidem. Unde et decem istæ civitates simul ubique ponuntur, quia nemo ex una earum tantum ad Christum **234** venit, nisi simul decem legis præcepta servaverit. Quod si quis in uno eorum offenderit, factus est omnium reus. Sequebantur quoque et de Hierosolymis ac Judæa, necnon et de trans Jordanem, hi profecto quos visio pacis illustraverat, et confiteri jam confessione fidei Deum didicerant. Et recte de trans Jordanem dicuntur commeasse, quod baptismo transposito, quasi ab aliæ regionis parte, terram veræ repromissionis intrantes, Christum fidei gressibus jam jamque sequebantur. Unde et :

(Cap. V.) *Jesus videns turbas ascendit in montem.* Ascendit autem supra montem excelsus Dei Patris Filius, ut eos doceret altiora virtutum culmina petere, et ex loco signaret, non tantum altiora moralis vitæ sacramenta, sed etiam sanctam Dei Ecclesiam sublimius erigendam, supra quam ipse rex et sacerdos præsidens, non modo decernit, verum doctrina sua instituit universos. Hinc quippe scriptum legimus : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus* (*Psal.* II, 6). Audis itaque, quisquis ades, prædicantem supra montem Sion summum pontificem Christum : recogita etiam et regem ; quia ex una eademque cathedra docet ac decernit, juxta doctrinæ suæ instituta, quid unusquisque lucri afferat de talento, et quantum proficiat ex negotio, ut obedientibus præmia, negligentibus autem supplicia in examine rependat. Etenim, quia docere salutaria vitæ præcepta credentibus venerat, dignum erat ut supra montem ascenderet, quatenus monstraret quod ex ipsa eademque scientia, hanc cui præsidebat, Ecclesiam, quæ mons dicitur, usque in finem sæculi plenius erudiret. Figurarum ordo poscebat ut rebus ac temporibus mystice doctrinalis virtus commendaretur, quæ, typicis fulcita sacramentis, copiosius patesceret,

Introdusă în format electronic de Google

et ad theoriam quos jam subvexerat hinc inde figuris generaliter docentibus sublimius invitaret. Nam et justitia, quam secundum dispositionem temporum tradebat perfectioribus, major erat utique quam pharisæorum; quia profecto legem suis partibus adimplebat. Non hominis quidem erat, sed Dei, de qua sane editum legimus : *Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Et ideo non alibi quam supra montem hanc dare decuerat, ut celsitudo Ecclesiarum, supra quam Christus veritatis magister sedebat docens, ad sublimia **235** se attolleret, et fluenta quæ de vertice manabant uberius totum corpus rigarent. Christus itaque mons verus est, qui super omnes colles elevatur, ut confluant ad eum omnes gentes. Et ideo discipulos secum præeminentius abducit, ut montes ipsi prius ab eo qui celsior erat pacem suscipiant; deinde colles ex quibus totus mundus colligitur, justitiam exciperent. Quæ nimirum justitia, sicut montes Dei. Et notandum quam mystica doctrinarum ubique scateant sacramenta. Nam turba quæ sequebatur eum prius non ad excelsa pervenit, idcirco bene, juxta Lucam, Dominus cum eis alium in campestribus habuisse sermonem putatur (*Luc.* VI, 17), de quo forte Matthæus siluerat. Quanquam ita possit accipi ut cum discipulis prius, quasi orationis gratia, in montem præeminentius ascenderit : deinde descendisse, et tunc in aliqua montis ac si campestri celsitudine, quo turbæ adesse possent, unum eumdemque sermonem, quem Matthæus Lucasque narrarunt pariter, habuisse. Sed verius reor, ut protulimus, quod et Evangelium magis sonare videtur. Unde magis mysticum prætenditur. Nam qui corda inspicit singulorum, nulli dubium quod noverit quibus sublimiora sublimius, et quibus mediocria debeat locis ac temporibus docere inferius. Non enim omnes omnia possunt. Et ideo præceptorum non æqualia sunt omnibus instituta, licet una sit æternitas vitæ. Quia nec singulorum unum est votum, sicut nec unicuique meritorum æquale est præmium.

Et cum sedisset, inquit, *accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum docebat eos, dicens.* Accedunt autem discipuli ad eum, qui jam animo ei inhærentes, fide interius propinquabant; et ipse aperiens os suum docebat eos. Apertio namque oris profunditatem significat sacramenti. Aperit itaque oris januam, ut fluenta eructaret abyssi. Aperit ostium thesaurorum, ut dona divideret universis. Siquidem ora prophetarum prius aperiens ipse impleverat. Aperuit autem et ipse os suum; quia ex ipso erat gratia, quæ illos olim perfuderat. Alioquin hic si non aperuisset oris ostium, eorum eloquia mendacio notarentur; quia quidquid a sæculis promissum fuerat, in eo quasi sigillo claudebantur. Unde cum reseravit mystica sapientiæ documenta, recte os aperuisse dicitur, quo flueret quasi ex uno paradiso fluvius, ex quo non solum Apostoli, verum omnis **236** Ecclesia sæculorum rigata vireret.

Beati pauperes spiritu. Nova igitur res et præconium ineffabile. Nihil enim magis contrarium quam paupertas et cœlestis beatitudo; paupertas namque magis miseriarum est, et pressura calamitatis. Sed et luctus et persecutio quid aliud sunt quam quoddam pœnale præsentis vitæ exitium? Idcirco sciendum quibus beatitudo condonatur, quod jam non hic vivant; quia secundum sæculum viventibus hæc nihil aliud sunt quam miseriarum ærumna. Unde patet quod juxta illam, in qua fide ac spe et charitate jam vivitur, vitam beati vivere dicuntur; etsi non adhuc in re, spe tamen perveniendi jure beati accipiuntur. Potest enim esse non beatus spe, cui præmia cœlestia promittuntur? Causa igitur hujus beatitudinis possessio regni cœlorum. Ad hoc quippe Dominus montem ascendit, ut discipulis terrena jam relinquentibus et superna petentibus, velut in alto positis, præcepta traderet cœlestium mandatorum, et munera sacræ benedictionis divinitus largiretur, secundum quod David canit (*Psal.* LXXXIII, 7) : *Etenim benedictiones dabit legislator.* Atque ut apertius gratiam apostolorum designaret, addit dicens : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Patet plane quod idem in hoc monte benedictiones apostolis dedit, eisque gradus quosdam firmissimos ex lapidibus pretiosissimis stravit, qui dudum in monte Sina Moysi legem dedit. Sed ibi in tabulis lapideis eam descripsit; hic vero Testamentum Novum, secundum Jeremiam, de quo inquit : *Scribam leges meas in cordibus eorum, et in sensu eorum scribam eas* (*Jer.* XXXI, 33). Ibidemque quasi servos, hic autem quasi filios affatur. Unde miro principio usus, illic a terrore incipit, hic vero a beatitudine. Illic namque pœnas irrogat, hic autem desiderium accendit, proponit munera, præmia repromittit.

Beati, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et notandum quod non sine additamento ait, *beati pauperes.* Plures ergo scimus rebus egere, sed non quia pauperes sunt, illico beati esse possunt. Profecto, quia non necessitas paupertatis facit esse aliquem beatum, sed fides sancta devotio paupertatis. Hos utique pauperes jure significat esse beatos, qui contemptis rebus mundi huic sæculo moriuntur ut Deo vivant, et coram eo divites ac locupletes habentur. De qua nimirum paupertate in Apocalypsi **237** angelo Ecclesiæ Smyrnæ dicitur : *Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit : scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es* (*Apoc.*, II, 8). Omnifariam igitur paupertatem intelligere debemus, cum, unus Evangelistarum, *beati pauperes* tantum dicat. Quæ nimirum paupertas duabus constat evidenter partibus : in terrenarum scilicet rerum abdicatione, atque in spiritus contritione. Et quidem harum unam paupertatem, quæ in abdicatione terrenarum consistit, pauci habere probantur. Alteram vero, quæ contritione spiritus est, omnes electi habere possunt; qua et illi facultates terrenas abdicasse creduntur, qui eis non ad illecebras carnis, sed ad opus pietatis usus necessarios uti

Introdusă în format electronic de Google

videntur. Quanquam enim nonnulli electorum multas pecunias possideant, tamen quia, ut diximus, non ex desiderio carnis, sed ex voto pietatis atque instinctu necessitatis ab eis possidentur, pauperes procul dubio esse probantur. An pauperes non sunt qui cuncta terrena, non tanquam propria, sed tanquam aliena dispensant? Sed unde pauperes, inde divites fiunt. Quia nimirum, unde in terris temporales pecunias indigentibus erogant, inde sibi æternas in cœlis divitias congregant. Utrisque autem illis Pauli sententia potest aptari, qua dicitur: *Tanquam nihil habentes et omnia possidentes* (*II Cor.* VI, 10); quasi enim nihil habentes omnia possident qui, terrenas divitias penitus abjicientes, cœlestes per fidem jam tenent; quasi nihil habentes omnia possident, qui etiam istis in usum vel opus misericordiæ retentis, illas in delectationem quandoque se habituros sperant. Vel certe ut de horum persona loquamur, in eo, tanquam nihil habentes, omnia possident, quo res perituras, et ad illicita desideria sua non recognoscunt, et tamen ad cuncta quæ sunt utilia, suas omnino esse perpendunt. Hæc de una electorum paupertate breviter dicta sint, nunc de altera divitiis utique plena. Ait namque: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Pauperes videlicet non amictu, sed spiritu. Ille autem spiritu pauper est qui, etiam cum bona agit, semper se inutilem attendit. Ille spiritu pauper est qui cum plures virtute et sanctitate superet, cunctis seipsum inferiorem meritis perpendit; cujus nimirum vox in Psalmis resonat dicens: *Ego egenus et pauper sum* (*Psal.* LXIX, 6). Et rursum: *Egenus sum ego, et in laboribus a juventute mea* (*Ps.* LXXXVII, 16). Sed talis profecto paupertas valde locuples **238** jam regni præmio datur, cujus portio et hæreditas Deus esse creditur. *Beatus*, inquit Propheta, *populus cujus Dominus Deus est* (*Psal.* CXLIII, 18). Et ideo, quanquam beatos dicant eos quibus hæc quæ mundi sunt affluunt, Dei tamen judicio beati pauperes spiritu prædicantur. Pauperes autem spiritu, humiles et timentes Deum intelliguntur. Quod, sicut initium sapientiæ est timor Domini, ita spiritus paupertatis prima beatitudo ponitur. Nam spiritum contritum et humiliatum Deus non spernit. Cæterum quos præsumptio spiritus inflat, et tanquam vento distendit superbia, jam jure timoris supplicium hac in vita pœnaliter vastat. Sed et rebus pauperes, ipsi quoque jure beati accipiuntur, quia nec habere indebite cupiunt, et habita possidere contemnunt, aut certe semetipsos afficientes, possessa, quasi nihil haberent, aliis largiuntur. Quamlibet harum acceperis paupertatem, recte exordium beatitudinis sentientibus humilia Dominus promisit: qui nihil nisi quod communis natura docet appetunt, et ad nullam altitudinum insolentiam erigere se cupiunt. Imo sola quæ timoris sunt et veræ humilitatis, semper excolunt. De talibus enim Propheta ex persona Salvatoris ait: *Dominus unxit me, propter quod evangelizare pauperibus misit me* (*Luc.* IV, 18; *Isa.* LXI, 1). Et bene quasi ex officio primum eisdem præmium beatitudinis repromittit; quoniam nihil magis congruebat ad meritum, quam præsentis vitæ pauperibus cœlorum regnum promittere: ut qui Christum paupertate sequi, et servitutis jugum subire decreverint, divites futurorum regna felicesque possideant. Sequitur:

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Inter mitem autem et mansuetum, atque modestum, nihil nisi verba solummodo distare videntur. Quia, licet singulatim quibusque in locis quasi propria ponuntur, tamen non una earum sine altera perficitur, quanquam ea quidam velint distinguere; quod mansuetus sit, qui nullum læserit, modestus qui nec læsus alteri vicem rependit, mitis vero qui humiliter hæc cuncta æquanimiter tulit. Sed verius una eademque virtus, non modo tribus istis prædicatur vocabulis, verum lenitas ac suavitas, aliæque hujusmodi virtutes, hanc unam ædificant, ut possit quisque legibus mitis vocari. Mitem itaque, non ira, non rixæ, non contentio, non rancor, aut asperitas mentis, vel fellis amaritudo, seu concupiscentiarum **239** livor, afficit aut fatigat; sed simplicitas fidei ad omnem injuriam sustinendam patienter præceptis evangelicis informat. Consummata enim virtus est, et perfecta morum possessio, de qua Salvator: *Discite*, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Quæ profecto si summæ non esset perfectionis via, nequaquam hanc a se specialiter magister veritatis disci juberet. Unde et Propheta ex ea præsumens, fidenter ait: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Ps.* CXXXI, 1). Denique et Moyses idcirco maximam gratiam jamdudum apud Deum habuit, quia mitis fuit. Unde ad perfectionis laudem: *Erat*, inquit, *Moyses mitissimus super omnes qui morabantur in terra* (*Num.* XII, 3). Felix revera virtus, pro qua credentibus, non terra quæ maledictionibus subjacet, quam nemo hominum per mansuetudinem possidet, sed terra utique viventium in possessionem largitur. Nam primo homini pœnaliter dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); mansuetis vero, quod *Ipsi hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis* (*Psal.* XXXVI, 11). Igitur non inconvenienter hanc plurimis dixi constare partibus; quandoquidem inter mansuetos et mites, humiles atque benignos, magna morum affinitas regnat, quorum vita bonorum hominum apta probatur consortio. Idcirco hæc non modica æstimanda est, ad cujus magisterii formam prælectus, virtute Christus egregia doctorem se obtulit, et vitæ præconiis præcipuam declaravit. Huic sane bene pietatis spiritus coaptatur, quia pietas sanctarum Scripturarum cuncta credit eloquia. Nam mitis non resistit, neque audet contradicere, quidquid in eis annuntiatur. Imo cedit improbitatibus, et constanter vincit in bono malum. Felix nimium hujusmodi ascensio, et ordinata virtutum dispensatio. Ut prima beatitudo sit contemptus sæculi, cui jure dantur sempiterna, si quis primum bene contempserit sæcularia. Neque enim potest quispiam

Introdusă în format electronic de Google

præmium regni cœlestis assequi, si, cupiditate mundi pressus, respirandi ad sublimia non habuerit facultatem. Rectus itaque ordo meritorum, ut primum beata paupertas suos intus exspoliet sectatores ab omni labe peccati et superbiæ fastu. Deinde eos exterius solvat ab omni concupiscentia mundi, ut deponant hinc inde tunicam primi parentis; mores quoque temperet mansuetudo, et mitescat animus. Alioquin, *Super quem*, Christus inquit, *requiescam, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 2.) Sed **240** venire ad virtutum culmina minime potest, qui necdum primis vestigiis sequi jussus Christum valet. Impossibile namque est extra ordinem secundum gradum ascendere, nisi primum apprehenderis : et nequaquam mitis esse poteris, nisi prius pauper spiritu fueris factus. Quomodo inter divitias positus, inter curas et sollicitudines, inter lites et contentiones (ex quibus iræ, rixæ, et odia sine intermissione nascuntur), animus poterit esse mitis et lenis, nisi prius omnes discordiarum occasiones præcideris? Sed hujus incendii materia vix ad purum detrahitur, ideoque in nobis quam sæpe ista mansuetudo corrumpitur. Unde quam bene:

Beati qui lugent, tertio sacratur loco. Quoniam etsi, quæ mundi sunt, moresque improbos abjecimus, et præclara jam Christi vestigia sectantes, honestate morum vestimur, restat rimarum alluvionem quotidianis fletibus purgemus. Luctus sane beatus non uno eodemque modo semper accipitur; et ideo non pro omni luctu futura consolatio, imo magis offensio generatur. Solus igitur ille luctus beatitudine fulcitur, quo partibus suis hinc inde perfecte cœlestia meditamur. Cujus extrema pars est præteritorum maculas deflere; media autem præsentiarum lapsus, et miserias inter quas versamur, aliorumque casus et calamitates, charitatis affectu acriter condolere, quosque mortuos interdum mortuos plangere. Quia profecto rarus invenitur qui non habeat quos deploret mortuos, peccata scilicet sua vel aliorum. Nam quomodo nostra delictorum facinora flere nos oporteat, David ex se ostendit, dicens : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7). Cæterum aliorum delicta Jeremias in Lamentationibus ut sua luget. Unde ait: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* (*Jer.* IX, 1.) Ex quo patet quod, si membra sumus corporis, aliorum vulnera quasi nostra curare debemus. Porro Samuel lugebat Saul, et Paulus multos ex his qui ante peccaverunt et non egerunt pœnitentiam. Sed et Daniel nimio luctu pro peccatis afficitur aliorum. Unde et in hac lacrymarum valle, inter laqueos et ruinarum hostes, quia nemo extraneus a miseria, nemo alienus debet esse a fletu et ploratu cordis, si non vult in posterum esse absque ullo consolationis effectu. Verumtamen iste adhuc duarum partium luctus de irriguo inferius generatur; licet nemo qui recte sapit, **241** hunc quodammodo ad beatitudinem pertinere dubitet. Dei itaque munere præstatur pietatis gratia, qua possimus peccata deflere, et ærumnas præsentium inhianter lugere, aliorumque miserias dilectionis amore nostras facere. Cæterum illa lacrymarum inundatio quæ ab irriguo superius nascitur, magis ex desiderio patriæ cœlestis fit, dum recordamur illius felicitatis, et dulcedo suavitatis ejus quodammodo intelligendo sentitur. Inter quæ lamenta hic mundus non nisi carcer æstimatur, et ea quæ in eo nitore pulchritudinis flagrant, non aliud quam carnis laquei deputantur; unde renuit consolari viri sancti anima, factaque est jucunditatis delectatio, solius recordatio Dei. At vero talis interim lacrymis refectus, super Christum spe sola innititur, donec visione quandoque in patria fruatur. Unde suis hæc beatitudo confecta partibus, aut præsentes lavat sordes vitiorum, aut futuræ vitæ succendit acrius amatores. Quæ nimirum virtus, quia Trinitas Deus peccata condonat, bene tertio consecratur loco, ut ex affectu amoris ejus vitia relaxentur, et futura contemplatio pulsantibus post lacrymas concedatur. Beati quoque non ob hoc dicuntur, quia plorant et flent inter miserias, sed quia, exuti malis, æternis consolabuntur gaudiis, satiati jam felicitate perpetua. Causa itaque harum beatitudinum, non præsentium est fructus, ut secundum ea beati dicamur, sed futurorum repromissio, qua singuli a Christo beatificantur. Enimvero causa tantæ beatitudinis sola Christi gratia est, et laborum sollicita concertatio.

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Hoc igitur loco jure succedit justitiæ esuritio; quia qui peccata deposuit causa timoris Dei, et mores correxit mansuetudinis affectu, delicta quoque flere studuit, et luget per desiderium, succensus cœlestis patriæ amore; non potest jam non esurire justitiam et sitire. Sed prius, dum adhuc æger gravi premeretur morbo, esurire nequiverat, quia bonæ vitæ fastidium, justitiæ sitim esuriemque pellebat. Justitia namque multarum partium virtutibus integratur. Est enim quasi genus cæterarum virtutum, quibus constare videtur. Justitia ergo est sua unicuique tribuere. Hinc patet quod non pro se tantum agit, verum et aliis subvenire gaudet, se quoque Deo reformari parat, et communi cum proximis officio se vivere. Quæ nimirum **242** virtus nunquam sine spiritu fortitudinis adimpletur. Unde, prudens lector, diligenter inspice, quia singulæ istæ beatitudines, ut impleri possint, suffragium totidem donorum postulant. Et, ut hæc dona percipiantur, docente veritatis magistro ea in oratione Dominica septem precibus orare monemur. Nam in eo quod oramus, *Libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13), nihil aliud dicimus nisi ut spiritu timoris Dei, intus omnis tumor elationis, et inflatio superbiæ, nec non et omnia noxia rerum exterius depellantur, quatenus sub spiritu paupertatis beate vivere possimus. Sic quippe sapientia Dei Patris hæc cuncta providit, ut et virtus beatitudinis percipiatur ex dono, et donum sancti Spiritus prece orationis, quam ipse composuit, impetretur. Nemo igitur mitis, nisi quem spiritus pie-

Introdusă în format electronic de Google

tatis irroraverit : et ut hæc virtus continua servetur, A petimus apud eum : *Et ne nos inducas in tentationem.* Deinde lugentes scientiæ spiritu illustramur, ut scire possimus quibus malis involvimur, et ad quam patriam suspirantes lugendo quantocius festinare debeamus. Sed ut lacrymæ proficiant lugentibus, rogamus dimitti debita nostra, quibus retinemur, [ut] libertate recepta, ad Patrem securi quantocius repedemus. At vero esuries et justitiæ sitis quandoque ut ad satietatem pertingat, fulciatur spiritu fortitudinis, ne lassescat in via jugiter rogandum, fulcita vero ut inter defectus alatur varios, et in patria satietur, orandum : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* XI, 3). Tali igitur pane refecti, non *noxiam sitimus* crapulam, sed ea quibus tantis perpotamur Scripturarum uberibus, et quo reficimur B corporis ac sanguinis sacramento divinitus aspirati. Sed hæc quoque non sine Spiritus sancti gratia degustantur. Quia profecto, sicut non sine ejus gratia intelliguntur, ita nec sine illo digne accipiuntur. Unde implorandus est spiritus fortitudinis, quatenus per eum esuriendo, ad satietatem quandoque veniamus. Alioquin cum in nobis, aut quasi ex nobis, apud nosmet intus in animo exteriusve in rebus sufficimur, cavendum est ne dimittamur : quia Christus *esurientes replevit bonis, divites autem dimisit inanes* (*Luc.* I, 53). Esurientes, inquam, et non torpentes, neque in se aut in suis quibusque rebus affluentes. Verum justitia non minus quam tribus in partibus adimpletur, cum aut naturæ nostræ sua jura lege divina servamus, aut cum fratribus **243** certatim ea quæ nobis fieri nolumus opponentes, nos etiam impendimus, ne in quibus possumus negotiis, patiantur in malis. Porro in Deo justitiam tenemus, cum quæ Dei sunt ardenti animo exsolvimus. Unde idem : *Reddite,* inquit, *Cæsari quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII, 22). Quod sane justitiarum culmen nequaquam prius complebitur in nobis, quam sit Deus omnia in omnibus, et nos ei ex toto subjecti simus. Propterea hic esurire possumus, satiari tamen nequimus ; quia necdum nos Deo, reluctantes sæculo, ut dignum est restituere valemus. Sed quia satiari hic non possumus, valde necessarium est, ne fastidio torpentes fame perpetua moriamur.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Misericordia autem non nisi de præcedentibus nascitur gradibus. Nam plena et vera compassio miserorum non est, nisi præcesserit vera humilitas et naturæ communio, deinde mansuescat animus divinis semper legibus subjacere, et incipiat suos cæterorumque casus et miserias compatiendo deflere, ac postea, purgatus, quantisper justitiam esurire. Quarum de perceptu vera misericordia generatur, quas qui habuerit, miserias hominum curabit suas efficere, viribus quoque quibus poterit omnibus subvenire. Cui si facultas desit subveniendi, non ergo compassio miseriarum deerit. Ab hoc quippe misericordia dicta est, ut in corde miserias aliorum nostras faciamus. Deus vero, etsi misericors dicatur, D nulla in eum passio cadit, sed clementer nostris subvenit miseriis. De qua recte misericordia Dominus aliubi dicit : *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (*Luc.* VI, 36). Ac si diceret : ad hoc miseremini proximis, ad quod et in quibus miseretur Pater, scilicet ut bonitas redundet in cunctis, qui malis ideo miseretur et præstat beneficia ut tandem bonitate vincantur convertanturque ad eum, quo possit eis largiri quæ servat bonis. Et notandum quod in hujus virtutis negotio prius justitia præcedit, deinde misericordia terminatur, et recte, quia nemo justus sine misericordia, sicut e contrario nemo misericors sine justitia. Igitur justitiæ lumen misericordia : sicut misericordiarum virtus justitia æstimatur. Verumtamen in quibus nobis judicium non est, debet etiam nostra misericordia dilatari, et mentis affectus crescere, ut justitiæ veritas apertius commendetur. At vero quorum causas **244** jure discutimus, non in judicio misereamur, sed post sententiam in quantum nostri est misereri, discrete misereamur. Profecto virtus misericordiæ multas efficientiarum habet materias. Sed nulla earum major ab imminente mortis periculo, qua liberantur animæ, et futura venia fratribus providetur. Quæ ut possit hinc inde bonis quotidianis accrescere, spiritu eget consilii, sine quo alteri nemo ad veniam juris consultu circumspecte miseretur. Et ideo indefessis precibus orandum nobis est, ut fiat in terra sicuti et in cœlis, Dei voluntas, quoniam non est scientia, non est consilium contra Dominum. Quapropter voluntatem Domini consulentes, agendum est in alterutro C miserendo, quatenus a malis omnibus liberemur. Ordo tamen misericordiarum, ut a se unusquisque incipiat, sicut scriptum est : *Miserere animæ tuæ, placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Finem vero Christus ipse insinuat, huc qui tanta misericordia motus venit, etiam ut pro peccatoribus vellet mori. Nam et eos quos vulneratos invenit, livore suo sanavit, propriisque humeris, sanguinis sui medicina sartos ad patriam revexit. Unde, quia suo exemplo tantam præstitit misericordiam, jure beati qui eum imitantur. At vero econtra illis judicium sine misericordia, qui noluerint in hoc sæculo egentibus misereri.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quam pulchre sexto loco cordis munditia ponitur, ut homo sensim, qui sexto die conditus est, per hanc redeat ad imaginem Creatoris. Quam profecto non nisi caligo vitiorum oblitteravit. Sed his depulsis præcepta salutis recte exsequimur, ut rursus illuminati Deum videre possimus. *Præceptum*, inquit Propheta, *Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9). Lux denique præceptorum non potest lucere in domo tenebrarum. Idcirco pellantur vitia nostris cordibus, ut illustremur luce mandatorum Dei. Sed forte vult aliquis sic operari plurima virtutum opera, ut habeat adhuc in pectore alicujus vitiorum caliginem, quam necdum velit luce fugari veritatis. Huic profecto lex illa congruit de conjuge carmine redempta, cujus nimirum viro lex datur ne, dum

Introdusă în format electronic de Google

tartara liquerit, fas sit in eam lumina flectere. Unde quidam: *Quicunque ad superum diem mentem ducere quærit, et tartareum in specus victus lumina flectit, quidquid præcipuum trahit lucis, perdit dum videt inferos.* Quapropter quinque præmissis gradibus, purgandus est **245** mentis oculus, ne forte in uno mandatorum animus offensus, fiat omnium reus. Idcirco veræ beatitudinis amator ab omni labentium rerum jucunditate sese extrahat, et avertens se convertatur ad dilectionem æternorum. Contempletur ex desiderio incommutabilem et immensam unitatem Dei, eamdemque Trinitatem Deitatis incapabilem fidei intellectu comprehendat. Ob cujus amorem, expletis gradibus ab omni strepitu rerum, et appetitu concupiscentiarum alienum se faciat, quoad possit videre Deum, quantum potest ab his qui huic sæculo moriuntur. Hunc itaque tantum quisque videt inquantum sæculo moritur. Videt, inquam, per speculum et ænigmate quodammodo certior, quia jucundior ei species lucis incipit apparere. In futuro autem, qui usque ad hunc attigerint gradum, jam mundicordes Deum, sicuti est, mentis oculo videbunt. Et ideo spiritus intelligentiæ huic gradui jure aptatur, quoniam intellectus oculus mentis est; itaque expletio mandatorum Dei intellectum aperit, sicut Propheta canit: *A mandatis tuis intellexi.* Unde constat cor mundari debere, et vitam virtutibus illustrari, ut simus lux in Domino. Quibus respersi votis, in lucem nobis clarescant omnia, et affectibus prosequantur; tale quippe cor regnum jure dicitur Dei, et ideo ut fiat in nobis oramus: *Adveniat regnum tuum.* Regnum itaque Dei munda possessio est, et tanto integrior, quanto plenior virtutibus et purgatior vitiis. Quia ut dixi, quandiu mentem vitiorum caligo torporque ignaviæ cæcat, non dico lucem esse, sed nec nos lucem videre posse dubito. Verum nec aliis oculis videbitur Deus Trinitas quam oculo mentis. Nec dubium quod beati mundicordes dicuntur, quorum mentes præmissa beatitudinum exercitia illustrant, et earum munditia directionem cordis ad Christum gubernat. Nimium quoque miseri et infelices, quos adhuc intentio vitiorum cæcat. Quia, sicut fastidientes esuriem justitiæ vitaliter non recipiunt, ita cæcati peccati caligine, lucem licet fulgentem videre nequeunt.

Beati, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacificorum igitur beatitudo adoptionis est merces, qua exspectatur ut simus filii, quod spe jam dicimur. Nihil ergo nobis amplius aut perfectius repromittitur. Et ideo summus est iste **246** gradus, ad quem purgatus quisque semper intendit, et illustratus dirigitur. Qui veritati nec seipsum quidem confert, nec eum quem sicut seipsum diligit. Ita ut neque placendi studio, neque ullius commoditatis voluptatisque lucro, aut certe adversitatis periculo frangatur vel deterreatur a vero. Talis nempe ad hanc, et ad spiritus sapientiam, quæ maxima donorum est, ordinate pervenit, qua pacatus Deo tranquillus adoptione beata fruatur. Sed hæc primum a nobis recte incipitur, quia, donec lex carnis repugnat legi mentis, pacati non modo alteri, verum nec nobis esse possumus. Interdum autem inoffense medicinam aliis ferre nequimus, qui divisi in nobis intus civili bello vastamur. Idcirco prius sedandi sunt omnes animi motus carnisque frenandi, deinde componamus subjicientes eos spiritui, mentique ac rationi, calcantes domando omnes concupiscentiarum rimas, ita ut imperet in nobis quidquid excellentius est, et totus homo noster Spiritus sancti pareat disciplinis. Tunc recte fons pacis ad alios derivatur, cum in nobis manaverit, et omnes partes animæ ac corporis occupatas tenuerit. Oportet ergo, quantum ex nobis est, et cum omnibus hominibus pacem habere. Deinde inter se et in se, dissidentes justitiæ affectu, singulos in se et cum omnibus pacatos exhortando, movendo, agendo, restituere. Vera quidem pax est, ubi nihil repugnat. Quapropter, etsi nobis pacati sumus, sollicite consideremus ne a sanctificatione nominis Dei in aliquo discrepemus. Sed patris nomen in filiis dedicatum, vita et moribus ostendatur. Unde oramus: *Sanctificetur nomen tuum*, revera ut et nos sancti simus. Igitur pax ista non nisi voluntate bona nutritur, quod bene in ortu Salvatoris angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Hanc quippe mundus dare non potest pacem. Hanc Jesus quasi hæreditatem et Testamentum adoptionis suis reliquit hæredibus: *Pacem*, inquit, *do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Et vere magnum hæreditatis commercium, quo filii Patris efficimur et regnum sortimur æternum. Sed quærendum pax quam suis distribuit discipulis, utrumne illa sit de qua dicit Apostolus: *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip.* IV, 2). Quod si omnem superat sensum, saltem quomodo apostolorum? vel quomodo secundum eam pacifici esse possumus, quam nec capimus? Omne enim quod exsuperatur, nec **247** attingit ad eum quod præeminet, quia longe inferius pressum sua infirmitate jacet. Idcirco si pax Dei omnem sensum superat, sensus humanus eminus in se victus jacet. Unde fortassis eam quæ superexcellit, non dico capere, saltem quantum ex se est, nec attingere valet. Ex quo constat, si sensus eam præeminentem minime capit, nec recipitur; et, si non recipitur, forte nec datur. At vero, quia datur, summopere cogitandum est quomodo capi queat. Quia quod Veritas promisit nec mutatur. Relicta est autem pax apostolis, in tantum non modo ut ipsi pacifici essent, verum ut omnis mundus pene per eos, pace Dei pacatus, restituatur. Idcirco aut sic accipiendum quod sensus eam non capiat, sed ipsi clementer ut adoptentur, capiantur ab ea, aut certe magnitudine sua superat ne capiatur ut est, quanquam pro capacitate sensuum rationabilium utique capi queat. Non quanta est, inquam, sed quantum ad reconciliationem adoptionis sufficiat. Igitur nulli dubium quod infinitas æternæ pacis excedat sensum nostræ capacitatis. Hac de causa pax

Introdusă în format electronic de Google

Dei istus intelligentiarum modis nostros exsuperat sensus, dum iræ filiis pax de cœlis gratis mittitur, et, pace Christi reconciliati, non illi eam prius, sed ipsi comprehenduntur ab ea. Quæ nimirum pax recte superat omnem sensum. Quid igitur scis quomodo filiis iræ pax conveniat ? aut scis quomodo tranquillus in pace Deus habitans, ac si severus, judicat universa ? Et quod mirabilius est, pax totius Trinitatis, quanta et qualis, quis agnovit ? Ubi potestas una et Deitas prædicatur. Una quippe virtus, una operatio, et indivisa voluntas. Puto tanta et talis pax, nisi quodammodo sensu fidei et intellectu capiatur, mens eadem pace non illustratur. Illustrata autem, si se hanc altitudinis infinitatem comprehendisse præsumit, eo sensu evacuatur, quo privatur luce veritatis, et præsumptionis errore premitur. Inde fortassis est, quod tantæ pacis altitudo sensum intelligentiarum omnem effugiat et excedat ; substantiam tamen fidei, et illustrationem intelligentiæ, quod sit, et tanta ac talis sit quanta in sacris litteris prædicatur, sensus omnino intelligentiæ non relinquat ; imo gaudet sentire et illustrari, nec non et semper per gratiam eidem paci reconciliari. Idcirco se abducit ab omni quod ab ea dissentit, ut **248** possideat donum de cœlis sibi allatum. De cætero cum fuerit ipse in se hinc inde pace Christi possessus, tunc utique beatitudo adoptionis præstabitur, quia in nullo sanctificationi quæ filiis debetur, contraitur. In nullo igitur totius Trinitatis regno rebellatur, in nullo voluntati Dei contradicitur. Sed donec carne gravamur, talis et tanta pax ad liquidum vix aut nunquam servatur. Quia quam sæpe in nobis etiam ipsis reluctamur. Verumtamen pacatus homo, interius pacis fœdera custodiens, ea quæ repugnant exterius domat, reprimit et componit, in nullo tamen (quia fidem servat quam promisit, licet bellum gerat cum vitiis) illam abrumpit pacem quam Deus indulsit. Hinc scriptum est : *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII, 165). Alioquin quandiu ab hac dividimur, timendum est ne potius iræ filii quam adoptionis connumeremur. Sed tamen Deus, qui nostram fragilitatem inspicit, docuit plura reconciliationis medicamina ; ut, quia quotidie offendimus, quotidie pacem quærentes vitæ documentis obtemperemus. Hactenus igitur incrementa virtutum inspexi, restat quanta per incrementa præmiorum consideremus. Quia profecto, licet minus intelligam, sicut augmenta virtutum, ita sunt repromissa et incrementa meritorum. Nec enim jure uniformis meritorum repromittitur ratio, ubi non omnium una eademque virtus antecesserit. Sed diversis laboribus diversas retributionum mensuras divinus sermo instituit. Unde, licet beati dicantur quorum sunt regna cœlorum, et beati qui possidebunt terram, ac cætera quæ sequuntur, multum interesse tamen credimus inter perceptionem consolationis et plenitudinem saturitatis justitiæ ; multumque distare inter illos qui misericordiam consequentur, et illos qui gloriosissima Dei visione frui meruerint. Alia ergo est claritas solis, alia claritas lunæ, alia vero claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum. Nam regnum cœlorum in commune est in omnibus reconciliatis Deo passim, infra quod nimirum varia præmiorum merita sunt discreta. Sed tamen aliquid majus est, intra ipsum quidpiam dignitatis jure specialiter possidere. Ergo inibi multiplices sunt mansiones, et ideo fit de tantæ felicitatis **249** possessione consolatio. Jam saturari justitia majus aliquid est quam consolari a luctu, et ad ultimum Dei filium esse quam a reatibus misericordiæ veniam promereri. Verumtamen infra palatium summi Regis quia plurimi sunt gradus, jam ille perspicuus est in numero, cui claritatem et vultum æterni Regis indesinenter amplius videre licuerit : sed ille excelsior, qui ultimam, quam prætuli, adoptionem gloriosus perceperit. Et notandum quod generaliter omnium unum dicitur regnum cœlorum, etsi specialitas connumeretur meritorum. Quia licet illius jure queat dici qui saltem in eo novissimus esse poterit, tamen universorum dignitas in commune erit, dum in omnibus singula per charitatem etiam ultimus possidebit. Ideoque ibidem quanquam differant in claritate distincti, tamen per dilectionem omnia possidentes cuncti in eo satis abundeque beati erunt. Beatus sane sicut dictum est jure ille accipitur, qui nihil mali vult, et omnia habuerit quæcunque vult. Propterea, licet extremus in eo regno recte beatus dicitur, qui nihil extra gratiæ meritum appetit, nec vult amplius, quia nihil injuste vult. Sed beatitudinis gratia ditatus etiam claritatem et gloriam aliis attributam, per charitatem velut sibi concessam, possidet. Unde beati omnes fide creduntur, etsi infra cum meritorum claritas differat. Sed cur eas octo dixerim, cum non nisi septem donorum præmia laborantibus promittantur ? Nam octava earum repromissio non alia quam prima verbis reiteratur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et :

Beati, inquit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hinc liquido patet quod mysticum est in numero, quidquid iteratum est in promisso. Infra septem quidem, prius idem sonat, sed connumeratur extra septem, ut gloria sacræ resurrectionis in Christo his octo præmiorum gradibus consecretur. Octava namque resurrectionis dies, ipsa est quæ et prima ; in qua prius ab exordio lux creata legitur ; in eadem quippe die creata, in qua demum amplioris vitæ gloria illustratur. Interea, etsi eadem videatur præmii pollicitatio, tamen potioris præeminet dignitate; quia nunquam æquale dixerim incipientes et perfectos præmium percepturos. Ubi docemur fortassis mystice quod primum sit regnum **250** cœlorum, dissolvi et esse cum Christo, quando sancti rapiuntur in nubibus in aera, obviam Christo. Tunc quidem multi dormientium surgent, isti in vitam æternam, illi in opprobrium. Primum scilicet regnum

Introdusă în format electronic de Google

propositum in absolutione corporis, imo prius, ut absolvatur ab omni mundi concupiscentia et carnis illecebris, ac demum spiritu paupertatis possessus jam in cœlestibus spe subvectus, mente incipiat conversari. Quod alioquin satis signanter evangelista innuit, dum non de futuro, sed ex præsenti repromittit, dicens : *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Ad hoc quippe jam de præsenti illinc eos regnare astruit; quatenus interea spes omnia inter pressuras et varios rerum eventus corroboret. Quia facultas regnandi propter ditissima donorum munera jam suppeditat, ut ad futura firmius inhæreant, et regnum quod perceperunt instantius appetant et custodiant. Vera quippe paupertas Christi non immerito jam regnare promittitur; quia interius mente quam exterius carne, ab omni voluptate mundi et desideriorum illecebris aliena, tota, favente Spiritus sancti gratia, supra gaudia futuræ vitæ innititur, et sola quæ Dei sunt delectatur. Hæc namque virtus de timore Dei nascitur, sicut et reliquæ sex beatitudines, singulæ de singulis Spiritus sancti donis generantur. Unde propheta : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis* (*Isa.* XI, 2). Novissime autem velut quiddam specialius, ac si municipium secretionis ab omni labe peccati, intulit, dicens : *Et replevit eum spiritus timoris Domini* (*Ibid.*, 3). Non enim quoscunque repleverit, capaces alterius rei esse plenitudo timoris sinit. Et ideo, quanquam imitatrix sapientiæ hæc virtus sit, sicut et paupertas beatitudinum, non modica tamen æstimanda est; quoniam, etsi divitiæ salutis sapientia et scientia, tamen a propheta timor Domini ipse thesaurus ejus recte probatur. Plurimas enim profectiones hæc mansio paupertatis habet, sicut et reliquæ mansiones, ideirco non perfunctorie cogitanda est; præsertim cum ipsa jam non de futuro, sed de præsenti spei allatu, dives in cœlestibus regnat. Cæterum post carnis resurrectionem quasi secundum regnum perfectorum, non inconvenienter accipitur; in quo processus mansionum, et diversa meritorum præmia numerantur. **251** Sed martyribus, qui propter justitiam patiuntur jure illud integre mox conceditur; quoniam, dum ad altiora per gradus virtutum se tulerint, ea quæ sunt sublimiora percipientes, illico etiam illis inferior dignitas non negatur. Non enim evacuatur prioris vitæ præmium, dum amplior meritorum gloria virtutibus cumulatur. Et ideo, ut dixi, ultima beatitudinis repromissio sic mystice temperatur, ut et una sit de septem, et tamen eisdem verbis repetita præemineat extra septem. Ex quo liquido patet quod omne illud regnum beatitudine incipitur, et interius meritorum claritas iisdem gradibus illustratur. Finis quoque et principium, non aliud quam unum regnum cœlorum recte concluditur : quod licet septem Spiritus sancti donis credentibus reseratum sit, et præmissis septem charismatum precibus longe diu expetitum, totidemque virtutibus harum beatitudinum inhianter quæsitum : tamen non absque octava Christi resurrectione illius præmia consequetur. Ad quod velim, lector, [ut] animum parumper altius attollas, et vide quam consona et mystica Dei hinc inde pateant sacramenta. Haud dubium quin, sicut septem Spiritus sancti donis omnia virtutum munera largiuntur, ita eisdem septem precibus, auctore Deo, quotidie cuncta præsentis et æternæ vitæ salutaria postulantur. Et cum præstitum fuerit quod oramus, totidem harum beatitudinum virtutibus cœlorum munera, per octavam Christi resurrectionem ad vitam prædestinatis juxta opera singulorum connumerantur. Quia profecto juxta fidem Apocalypsis (*cap.* I), septemplices spiritus in orbe terrarum missi, septiformem Christi Ecclesiam perlustrantes, suæ potestatis ditione operantes, quasi septem candelabra coram Dominatore lucentia, virtutum scilicet opera quotidie perornant, et in pinguedine charitatis ut magis magisque luceant, accendunt.

Obsecro, Domine Jesu, habeam et ego inter has beatitudinum lampadas lucens recti operis candelabrum, et ne mihi moveatur donec tuo firmetur acceptu, ut coram te luceat in æternum. Veni ergo, quæso, et doce me harum doctrinarum tuarum disciplinam. Non igitur quod sub istius calculi sacramento omnium prædestinatorum merita ut luceant colliguntur, neque absque magno, ut jam dictum est, profunditatis mysterio, tuus sanctus evangelista præmiserit, quod residens aperueris **252** os tuum; scilicet quia reserasti thesauros sapientiæ et scientiæ, eructasti autem profunda gratia tuæ arcana, sæculis et generationibus abscondita. Tali nimirum tuus prædoctus Apostolus (*Ephes.* VI, 19) magisterio postulat orare, ut detur ei sermo in apertione oris. Unde imploro et ego, reseretur mihi os scientiarum clave, quia verbum tuum ex te clavis est oris. Qua peto, quoties loquendum est, potius laxatis silentii catenis, tuarum mihi eloquia intelligentiarum pateant. Intelligam enim quod septem sint dona, sed unus Spiritus; septem orationes, sed una petitio; unde Propheta : *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI, 4); septem virtutum beatitudines, una nimirum charitas, quibus et ipsa in præsentiarum quasi suis ex membris nititur ac firmatur; septem incrementa meritorum, sed una ex resurrectione Christi virtus, quæ est octava, ex qua regnum cœlorum patientibus pro justitia repromittitur. Profecto hanc ideo beatus evangelista sub mystico reservavit numero, quia et pro octava plurimi inscribuntur psalmi. Quia, sicut octava Christi immortalitas virtutum summe nituit : sic beatitudinis hujus octavæ prædestinatorum remuneratio erit. Sed et in Salomone : *Da partem*, inquit, *septem, nec non et octo* (*Eccle.* XI, 2). Fortassis quia prælatarum virtutum numero facti opera jubemur impendere, et tamen octavæ spei nostræ, quæ Christus est, processus meritorum, et largitoris beneficia ex integro totum tribuere. Alioquin per se ad hæc quis idoneus? Imo, ut idonei essemus, missi sunt in orbem

Introdusă în format electronic de Google

terrarum septem spiritus Dei, unde universa virtutum dona profluant. Sub quorum sane obtentu, in oratione Christus votorum preces edocuit. In quibus pendent omnia vitæ odoramenta : quanquam necdum sciamus, teste Apostolo (*Rom.* VIII, 26), quomodo interdum orare oporteat. Unctio enim spiritus docet nos de his omnibus. Aliter autem, nec secundum dona ipsius vivere, nec ea salubriter precibus implorare, nec beatitudinum promissa feliciter valemus adipisci. Et ideo prius dona gratis largiuntur negotiorum, deinde virtutum exercitia, secundum donorum talenta, exiguuntur cum lucro, etiam et post certamina vitæ præmia sub militiæ penso recompensantur. Ad quod Salvator noster preces totidem docuit, ut et dona copiosius petantur, et percepta virtutibus officiosissime locupletentur. Quorum profecto remuneratio felicius augmentata in cœlestibus, **253** nobis sudantibus præoeatur. Sed nihil acrius in vita credentibus quam pau pro justitia mandatur. Quia vera esuries justitiæ tunc probatur, si ante quisque pro ea velit mori quam fidem ex qua justificatus est sinat falsitatis mendacio violari. Verumtamen hæc ultima et præcipua vitæ beatitudo, septem præcedentibus suppleta donis, recte ut teneat quod accepit ultima martyrii passione, felicius decoratur. Alioquin sine his ad passionem ire imbecillis est conatus, quod mortalis infirmitas acerbitate pœnarum cito vincitur. Propterea Christi miles pacis tempore virtutum muniendus est armis, sine quibus nemo gloriosa gerit certamina. Possunt enim istæ, si persecutio desit, dono Christi militiæ palmam absque sanguinis effusione expeditius promereri; illa vero, si tempus adsit passionis, nunquam sola mortis audacia sine istis salubriter coronari. Nemo igitur sine pace Christi, nemo sine mundo corde, vel sine misericordia pro justitia patitur. Sane quis unquam dixerit aliquem sine amore justitiæ tormenta recte sustinere? Nemo, inquam, absque compunctione cordis, et futuræ patriæ desiderio, libenter pro eo morti subjicitur; nemo absque Christi mansuetudine, nemo absque paupertatis affectu, præsertim cum verus athleta Dei nec se velit sibi servare; sed cum vitæ dispendio magis Creatori lucrifieri, seu pro justitia eligat citius immolari. Aliter autem quisquis non pro justitia devote, sed culpis exigentibus alia qualibet ex causa digne patitur, non beatitudo, sed ultio peccati æquitatis Dei judicio cumulatur. Hæc de his dicta sufficiant. Cæterum species harum virtutum lectoris efficacia solertius discernat; quod et legislator Moyses decem præcepta in monte generalia prius proponens, deinde eadem suis explanat partibus, et præceptorum summam pluribus ex causis replicando, rursus dividit per species : ita et Christus volens ostendere se per Spiritum sanctum illa docuisse, simili modo nunc, ac si virtutum genera, octo beatitudinum proposuit verba, ex quibus, ni fallor, quæcunque docuit in eodem monte, pendent omnia. Sed qui obscurius paucis verbis plura concluserat, rursus personis ac negotiis congruentia latius exponit, ut singulis singulas sententiarum partes edisserat et coaptet. Proponit enim prius in utriusque legis oraculo sententiarum genera verbis paucis conclusa. Nimirum **254** quia species rerum quam sæpe vim minuit generis. Deinde illa sapienter dividit in partes, quod divisio in causis difficillimis, ad capescendum plurimum valet. Unde prudens auditor devotus perpendat quod, simul in paucis collectum, fortius ac mirabilius viget. Deinde sparsim numerosiora singulis rebus specialius attributa intelligat; et quod suo proposito congruere viderit in parte, fidelis accipiat in toto, velut sibi clarius reseratum. Ne aut specierum varietas vim summamque beatitudinum extenuet, aut simul compositam moralium intelligentiam sentiendi obscuritas confundat. Igitur hac de causa has octo videtur gradatim prius enumerasse, postea vero figuratarum species significanter reassumpsisse. Unde, secundum antiquam translationem :

Beati estis, inquit, *cum vos oderint omnes homines, et dixerint adversum vos omnia mala, et expulerint vos.* Quibus profecto verbis patet quod dico, quod nihil aliud in his, quam virtus octavæ beatitudinis latius recapitulatur, et persecutionum partes pro justitia plenius exponuntur. Nam supra generaliter absolute omnibus illa dicuntur, hic vero specialiter apostolos eorum sequaces pro justitia passuros, expressius pronuntiatur. Sed tamen et illa apostolis, et hæc universis pro Christo conveniunt patientibus. In qua nimirum sententia, ex quibus una Ecclesiarum pressura continuatur, tria persecutionum genera designantur; quia aut cordis odio persequuntur bonos iniqui, aut maledicis dilaniant verbis, aut quod scelestius est, factis polluntur malignis. In his quippe sceleratorum gradibus tota adversantium hominum crudelitas designatur. Sed habent istæ partes singulæ quibus conficiantur rursus suæ fraudis membra. Unde expulsio recte duobus modis accipitur; scilicet dum aut a consortio civium interdum aliquis cum injuria segregatur, aut dum vita præsens suis sedibus pulsa, caro morte perimitur. Quo tamen facto, nulli dubium pro justitia, quod melius mortua vivat. Econtra illi calumniantes jure mentiri dicuntur, si nos justitiam sectantes pro Christo devote patimur. Alioquin reatus sui pœnam luit quisquis culpis exigentibus damnatur. Hinc est quod gaudere patientibus, et exsultare pro justitia monet; quia conscientia testis et fida devotio nihil aliud requirit quam justitiæ culmen. Unde profecto, quod supra regnum cœlorum, hic **255** copiosa in cœlestibus merces futura signatur. Sed ne forte quod dicit durius audiatur, temperat exemplo prius passionis rigorem : ut tanto facilius tolerent quod minatur, quanto felicius cognoverint, per hæc se ad æterna perventuros gaudia quæ promittit.

Sic enim, inquit, *persecuti sunt et prophetas qui erant ante vos.* Ac si patenter dicat, eorum exempla vos invitant; quia, sicut veritas est, meum illi pro-

Introdusă în format electronic de Google

nuntiantes adventum pro justitia sunt perempti. Idcirco vos minime dubitare potestis me sequi per labores ad gloriam, dum eos quorum prophetias probatis in me impletas, cernitis ante triumphum passionis devotos ac fideles sine exemplo succubuisse in mortem. Hæc juxta exemplaria priorum dicta sint; cæterum nostra interpretatio.

Beati estis, inquit, *cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me.* In quibus nimirum verbis, eadem videntur significari; præsertim cum maledicta ex cordis odio fiant, et persecutio una cum variis suppliciis vitam a corpore expellat. Quibus tamen tunc recte gaudere et exsultare jubet, si exterius hæc omnia propter Christum, qui vera justitia commendatur, patienter ferunt; interius vero spei beatitudo veritatis conscia uberius pollet. De quibus Propheta: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (*Psal.* XLIV, 14). Unde licet extrinsecus persecutiones et alia quæque sæviant, nobis tamen gaudere convenit, quibus merces in cœlestibus copiosa servatur. Et non solum gaudere, verum et exsultare præcipimur, quod tanto uberior merces erit, quanto gaudio et exsultatione pro Christo in tribulationibus devotior fides fuerit. In cœlestibus autem, non superiores mundi partes dici arbitror, neque in rebus volubilibus, sed in spiritalibus firmamentis quoque ubi nulla corruptio dominatur. De quibus profecto cœlis Paulus aiebat, dicens: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). De spiritalibus itaque bonis gaudere, et ea semper lucra sectari, non solum in eisdem thesaurizare, verum etiam jam conversari est; quia ubi thesaurus, ibi et cor vestrum erit.

Vos estis sal terræ. Sal utique pro sapientia figurate accipitur. De qua Paulus: *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II, 6). Sapientiam autem, non hujus mundi, neque principium mundi hujus qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit **256** ante sæcula ad gloriam nostram. Nec itaque mirum, si eos sapientiam voluit appellari, qui et dii et lux sunt vocati: equidem non substantialiter, sed per gratiam, multis hujusmodi nominibus sublimati. Sal terræ, id est, sapientiam eos dicit, propter donum Spiritus sancti, ex quo sunt veræ sapientiæ participes facti. Et si quærenda est proprietas dictorum, aquæ et ignis, quibus duobus sal conficitur, cogitanda sunt elementa. Unde in psalmo (LXV, 12): *Transivimus*, inquit, *per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium.* Ac si patenter dicat: vos estis sal terræ, quia ex aqua Spiritus sancti, quam ego dedi vobis, et igne tribulationis, in unum sapientiæ saporem concreti. Vel certe per aquam baptismi et ignem charitatis renati ad condimentum terrenarum mentium dati estis. Terrenarum enim mentium insipientia, quia terram sectantur, cruentat animas. Idcirco salis officio ad saliendas eas data est doctrina apostolorum. Quidquid enim sale conditur conficiendo caret sanguine et putredinem purgat. Ubi autem peccati corruptio sale desiccatur sapientiæ, vermes non demoliuntur, nec sapor infatuatur. Ut igitur cibus non est aptus ad comedendum, nisi sale condiatur: ita sermo utilis non erit ad disciplinam, si apostolicæ sapientiæ non habuerit documentum. Hinc quippe dictum est in Levitico: *Ne auferas sal fœderis Dei tui de omni sacrificio tuo, nec non et in omni sacrificio sal offeres* (*Levit.* II, 13). Videlicet in omni munere, ut quodcunque docueris aut correxeris, in quocunque proposito versatus fueris, apostolicam sapientiam et imitationem semper habeas. Igitur quantum ad eloquentiam spectat Latinitatis, istæ sententiarum clausulæ videntur ad eum pendere locum ubi dicit, ut sit plena oratio: *Docebat eos dicens.* Docebat autem, inquam, eos dicens: *Beati pauperes spiritu*, et cætera quæ sequuntur. Necnon et: *Vos estis sal terræ et lux mundi*; seu ad informationem eorum qui crediturі erant: *Beati eritis cum vos persecuti fuerint, et dixerint omne malum.* Omne itaque malum cum dicit, simul universa malignantium comprehendit genera verborum.

Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ac si aperte dicatur, si doctor erraverit, a quo doctore emendabitur? *Vos estis*, inquit, *sal terræ.* Quod si vos metu temporalium rerum aut concupiscentiarum affectu, omiseritis saporem sapientiæ, qui erunt per quos vestræ fatuitatis insipientia **257** et vitiorum error auferatur? Et notandum quod hujus sententiæ propositio quasi solis apostolis dirigitur; sequens autem assumptio de cunctis qui magisterii censentur nomine, pronuntiatur, et in fine de universis concluditur. Nec dubium quin sal terræ vocentur per doctrinæ virtutem, qui saliendi officium susceperunt ad condiendas fidelium mentes, et corpora æternæ vitæ verbo eruditionis servanda. Unde necesse est ut audiant temerarii, absque ullo falsitatis emolumento, hoc in loco quam terribilis evanescentibus in doctrina sacri officii sententia concluditur.

Ad nihilum, inquit, *valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Foras autem extra Ecclesiam, vel forte extra officium docendi, quia saporem non retinuit gratiæ, mittendum significat. Quia, si vera comparatio salis secundum generis sui naturam pensatur, rigorem emolliendi, nulla manet argumentatio, eo quod, si evanuerit a sapore, nullis usibus ulterius aptus esse convincitur. Sed utrum de vita doctoris, an solum de doctrina, vel simul de utroque dicatur, non temere judicandum puto. Præsertim, cum alibi dictum sit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia*, inquit, *quæcunque dixerint vobis servate et facite, secundum opera vero illorum nolite facere* (*Matth.* XXIII, 2). Ecce hoc loco sanam eorum doctrinam commendat; agentibus ergo quis negat illa proficere, dum veritatis magister operibus quæ præcipiuntur jubet servari? Verumtamen opera mandat non imitari, doctrinam vero eorum exsequi. Haud dubium quin deterrentis exemplo veritatis magistris Novi Testa-

Introdusă în format electronic de Google

menti, sicut et de justitia sensim Pharisæorum ista conclusit : ne moribus impugnent quæ verbis docuerint. Alioquin, licet habeat condimentum sanæ doctrinæ, et saporem veræ sapientiæ, tamen periculose ad docendum præsumit qui, sibi factus insulsus, alios vitiorum suorum fetore corrumpit; qui, etsi non ejiciatur foras, jam utique conculcatur ab omnibus, dum ejus vita contemnitur. Contemnitur autem recte, si talis est ut ad nihilum ultra valeat. Imo amisso saliendi sapore ne possit condire corrupta, proteritur pedibus subditorum. Cæterum sanctus et verus minister Christi, quamvis in terris multa sustineat et derideant eum mali, tamen conculcari non potest, quod mente fixus in cœlo manet. Unde signanter apostolos Veritas præstruit, ne perceptam **258** exinaniant in se sapientiam, ullius rei gratia aut timore aut concupiscentia aut torpore, sed maneant in soliditate salis semper reminiscentes hujus naturæ sint, et quid ab opifice receperunt.

Vos estis lux mundi. Lux utique ideo sunt vocati, quia, veritatis lucem percipientes, in Christi corpore per gratiam sunt assumpti. Ex quo et Apostolus : *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Luminis enim natura est, quocunque inferatur, ut tenebras foras mittat : ita et apostoli, lux in Domino effecti, quia mundus extra cognitionem Dei positus tenebris ignorantiæ cæcabatur, positi sunt ut per eos omnes illuminentur. Hinc quoque propheta de Christo vel ex persona quorumlibet signanter ait : *Posui te in lucem gentium, ut sit salus mea usque ad extremum terræ* (*Isa.* XLIX, 6). In lucem itaque sunt cum ad illuminationem fidei diriguntur, salus vero cum ad sanitatem. Et ideo sal eos esse supra commemorat, ut eorum sapientia corrupta sanentur. Siquidem per illuminationem gratiæ lux dicuntur, ut illorum illustratione ab humanis cordibus tenebræ pellantur. Quod et Propheta de Domino : *Dominus illuminatio mea et salus mea* (*Psal.* XXVI, 1). Quibus duabus sententiis integritas nostræ salutis exoratur. Propterea et apostoli quatenus dii secundum gratiam intelligantur, non solum sapientia in salutem, verum etiam et lux ad illuminationem hujus mundi sunt vocati. Unde et in quibusdam codicibus, ad distinctionem alterius sæculi, additur *hujus*, demonstrativum. Ac si patenter dicat, vos estis lux hujus mundi ex officio, et sal terræ pro ministerio. Ego autem, quia Lux vera sum, ero universis in lucem sempiternam. Porro mundi nomine, aut universalitas humani generis designatur, aut hi tantum qui de hoc mundo in maligno posito electi per Christum accipiuntur. Quod si universaliter lux mundi intelligantur, fortassis, quia cunctis ad perceptionem fidei sunt directi. Sin autem secundum prædestinationem eorum, lux jure dicuntur, qui per eos ad vitam illuminantur. Quod etsi lux in tenebris lucet, tenebræ tamen eos, imo Christum per eos, non comprehenderunt; si enim apprehenderent, utique nequaquam tenebræ remansissent. Præterea et apostoli, cum essent filii tenebrarum, facti sunt, per gratiam Spiritus sancti, lux in Domino. Non a natura quidem, sed per efficientiam doni, juxta quod scriptum est : *Qui adhæret* **259** *Domino unus Spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Et notandum quod eadem sit hæc gratia in apostolis, per quam supra beati mundicordes efficiuntur; quorum corda mundantur fide et intellectu. Hoc sane lumine recte Deus videri creditur, quo profecto divinitus illustrati apostoli cohærentes luci, a parte majoris gratiæ jure lux mundi sunt nuncupati. Nam et supra quod sal vocantur pacificis congruit; quia sine sapientia condimentum pacis non tenetur. Hinc quoque Marcus ait : *Habet in vobis salem, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 50). Nimirum quia sal discretionis et sapientiæ absque pace Christi minime valet : et e contrario nec pax sine sapientia Deo cohæret. Quibus profecto donis, perfectio designatur apostolorum. Et ideo eis tria hæc summa et præcipua ex his octo specialiter deputantur; quatenus et cætera eos assecutos plenius cognosceres. Unde sequitur :

Non potest civitas abscondi supra montem posita. In quibus civitas illa Hierusalem cœlestis, ac si duodecim splendore gemmarum, supra Christum, qui verus mons appellatus est, dedicatur. Quod bene locus in quo eos docebat, demonstrat, ac si aperte dicat : Aspicite quo positi estis, quia locus montem insinuat, super quem vos, in quibus cœlestis civitas fundatur, constructi estis. Vos enim estis fundamenta ipsius civitatis quæ fundatur in montibus sanctis, et ideo jam a fundamento quasi aperte civitas appellamini. Non potest civitas supra montem præeminentem posita se abscondere, ne, bene aut male cum fecerit, innotescat; neque se timore occulere, ne ab hostibus inveniatur. Quapropter dedicate in fundamento quod maneat in culmine. Præparate armaturam civitatis, quia supra montem statutis, nulla vobis facultas erit subterfugiendi, neque clanculo quidpiam gerendi. Excelsus est enim mons justitiæ quo propalamini, etsi vos abscondere velitis. Idcirco, munite vos potius virtutum armis; quo ad debellanda mundi adversantia in lumine præstructi estis. Oculosa quidem in omnibus Providentia. Nam tria superius specialiter apostolis deputavit, sed civitatem supra montem positam, quod non possit abscondi, absolute omnibus indicavit. Quippe quia Hierusalem cœlestis, quæ in terris a primordio usque in finem sæculi de lapidibus vivis adhuc politur, prædestinatorum ordo monstratur. Et ideo jam colligitur in genere, quod sparsim futurum erat per species. Dictum **260** est in Canticis : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (*Cant.* IV, 4). Præterea hæc civitas aut turris, quia in sublimibus prælata, immensas possidet et ineffabiles thesaurorum divitias; idcirco sæviant contra eam adversariæ potestates. Unde nimirum lectulum Salomonis Christi videlicet passionem, et resurrectionis gloriam sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios ad bella doctis-

Introdusă în format electronic de Google

simi : *Uniuscujusque ensis*, inquit, *super femur suum, propter timores nocturnos.* Quos sane timores magister veritatis præcavens, monet in quibus hæc civitas a primordio dedicatur, et per eos universa corporis sui membra, ut virtutum se induant armis ; quia cunctis hostibus in propatulo positi, nullum delitescendi locum habebunt, nisi cœlestibus se defendant propugnaculis. Et mira Dei prædestinatio. Necdum enim constructa etiam suis in fundamentis, quasi perfecta dedicatur. Proponitur jus et prædicuntur futura, cujus rex et artifex civitatis longe ad alia iturus interdicit absondendi fiduciam civibus, ut fortioribus virtutum se circummuniant armis. Ubi si respicias ordinem donorum, cernuntur hæc pertinere ad spiritum consilii et fortitudinis : quatenus habitatores suos interius misericorditer consilio regant, et adversarios exterius spiritus valetudine, cum universo fidei apparatu pro justitia decertantes vincant.

Neque accenaunt lucernam, et ponunt eam sub modio. Quod si de seipso insinuat, non esse sub obscuro legis, ut quidam volunt, vel sub modio carnis ponendum ; tum recte per candelabrum crux passionis, super quam levandus erat, et per lucernam introrsus lucentem divinitas in carne reserata monstratur. Sed tamen circumstantius apostolos et apostolicos viros lucernas esse putamus, quanquam superius gloriosius lux sint vocati. Nimirum quia etsi luci adhærentes lux esse meruerant, tamen alterius lumine succensi, sicut lucerna alienis pascitur donis, non oportuit sub modio timoris delitescere illos, vel certe sub commoditate præsentis vitæ abscondere. Sed accensi lumine veritatis, ponendi erant in candelabro, super quod septem lampades mystice in templo positæ, oleo, videlicet Spiritus sancti gratia, jugiter nutriebantur. Cur autem præeminentius lampas fidei et bonorum operum lucere debeat, patenter insinuat, **261** cum subjungit, *ut luceat*, inquit, *omnibus qui in domo sunt.* Videlicet in Ecclesia, quæ una et perfecta domus prædicatur. Vel forte luceat omnibus in domo hujus mundi, quæ sub uno cœlo quasi camera concluditur. Præsertim cum et supra lux totius generaliter sint vocati.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Ac si patenter dicat : sic luceat ut præscribo, sic utique ut doceo. Doceo autem non sub modio eam ponere, sed super candelabrum : et causam expono, ut qui in domo sunt omnibus luceat lux vestra, et videntes vestra bona opera, glorificent non vos, sed Patrem vestrum, qui est in cœlis : opera enim requiro ut videantur, et ut confirmetur vestra doctrina. Neque tamen aliubi finis ponendus est operis, nisi ut per ea glorificetur Deus Pater, qui vobis lumen verum infudit, et per Spiritus sancti gratiam operandi virtutem dedit. Alioquin cassus labor et vana præsumptio, si non vita doctoris et linguæ officium, ad gloriam et laudem Dei devotissime referatur. Et ut omnia colligantur, hactenus eos specialiter quam supra generaliter de omnibus ad plenum instituens, docuit summa et sublimia quippe, ut condiant salis officio ad incorruptionem animas, ut illuminent eas ad intelligentiam veritatis, ut defendant quas acquisierint ab impulsu hostili, defensos vero ut accendant ad amorem divinitatis. Nunc autem, velut cœlestis orator, forte quia poterant æstimare quod jura præceptorum veterum vellet infringere, et penitus abolere, occurrit præscius ante interrogata eorum.

Nolite, inquit, *cogitare quod veni solvere legem aut prophetas.* Solveret sane legem, si mentes credentium ad eam intendere, et quæ dicta erant spiritaliter perficere vetuisset. *Non veni*, ait, *solvere, sed adimplere.* Implevit enim legis et prophetarum omnia quæ præmissa sunt ad inchoationem agendæ vel significandæ vitæ, dum et plura superaddidit ad perfectionem moralium præceptorum, et omnia quæ de illo vel Ecclesia erant ab eo completa declarantur, quæ olim in his signata tegebantur. Virtus enim legis et prophetarum Christus ; quia quæ de ipso prædicta et præfigurata fuerant, si ea ipse non implevisset, omnia verborum ænigmata imperfecta et vacua remansissent. Implevit autem ea operando, implevit et perfectioribus, **262** quæ deerant in parte agendæ vitæ, superaddendo. Implevit etiam et significatarum rerum arcana, seu prophetarum mystica sacramenta, dum quælibet quæ prædicta erant ad liquidum exhibuit, ut vera et fidelia manerent universa. Nam de his omnibus præteritorum exhibitio quæ in lege aguntur, aut de lege credita suscipiuntur, futurorum perfecta est veritatis adimpletio. Idcirco non percunctari debetis de veteribus mandatis, nec mirari de novis promissionibus, neque terreri de variis pressurarum angoribus, quia ad hoc hæc omnia superaccumulantur, ut ea quæ jam dictis aut gestis præfixa sunt compleantur.

Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Quippe, hoc loco pro affirmatione ponitur, quæ nusquam alias in Matthæo geminatur. Cœlum autem et terram transire fortassis dicit in meliorem formam, quia promittuntur nobis cœli novi et terra nova. Unde idem aliubi : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transient* (*Matth.* XXIV, 35). Illinc quippe videntur verba eadem significare, quod et iota ; ut sit sensus, quia sicut nec verba transient nisi compleantur, ita nec iota unum, aut, quod minimum est, unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant etiam quæ in lege minima putantur. Non dico autem transibunt ne sint, sed donec melius sint ; iota unum non præteribit nisi operibus compleatur. Nam diximus Christum præcipuis legem duabus implevisse in causis, scilicet in præceptis agendæ vitæ, quod per iota unum figurate satis monstratur ; et significandæ vitæ, quod per apicem expressius declaratur. Iota enim apud Græcos sicut decima est in ordine alphabeti, sic decem significat in eorum numero. Unde

Introdusă în format electronic de Google

liquido decem mandatorum agendæ vitæ summa colligitur. Ostendens quod nullum eorum Christus venerit solvere, sed omnia ut perfectius fiant, perfectioribus potiora præcipiendo plenius adimplere. Deinde unum apicem litterarum, minima quæque scilicet præceptorum significandæ vitæ præterire noveris; sed apicem rerum et omnium mandatorum, seipsum scilicet ex lege et prophetis, ut veritate complerentur, singula perfectius et integrius restituere. Alioquin non video quomodo evangelista Hebræo sermone hæc scribens non magis Ioth, juxta proprietatem linguæ adhibere debuisset in figuram **263** quam iota linguæ alterius, ex quo passim decem monstrantur semper in numero. Ioth quippe *confusio* vel *desolatio* interpretatur, et ideo hanc adhibere pro eo non decuit, sed illam per quam mysticus gestorum signatur numerus. Quod autem dicit: *Donec cœlum et terra transibunt, iota unum aut unus apex non præteribit a lege*, tale est ac si diceret, non præteribit eorum quidpiam ex utrisque partibus, nisi et illa semper perfectius agantur ex opere, et hæc de me significantia fiant in veritate luce clarius consummata. Sed tamen interea, donec cœlum et terra transeant, si qua restant vel modica quæ necdum figuram ænigmatibus sint monstrata, non præteribit eorum quidpiam ante in corruptionis formam, sensim universa donec completa fiant. His itaque dictis, non præscribo simpliciorem quorumque explanationem; sed lectori etiam, si aptius aliquid inveniri poterit quod veritati congruat, illud aperire et ista decernere committo. Duntaxat modis omnibus ex lege hoc intelligat, quæ minima putantur in ea, quod sacramentis plena sint omnia. In Evangelio quoque cuncta recapitulata etiam quousque elementa mundi transeant, operibus et figuris ea quæ necdum redhibita sunt, explenda.

Qui ergo solverit unum de mandatis istis, minimus vocabitur in regno cœlorum. Significantius satis dixit de mandatis istis, quæ per iota et apicem expressius ad perfectionem supra præfiguravit; quæ licet minima videantur, si quis ea solverit, illa scilicet non agendo, ista vero non credendo, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, profecto non quia docuit, sed quia solvit et sic docuit. Non, inquam, secundum quod invenit et legit, sed secundum quod non operatus est, vel non recte credidit. Solvere autem unum eorum, est aut non agere quod recte intelligit, aut non recte intelligere quod ex sua traditione depravavit; aut forte imminuere, si quid ad integritatem perfectionis ex Evangelio manavit. Quolibet igitur modo iota unum aut apicem ex mandatis istis minimis solverit, et docuerit sic homines, minimus vocabitur, non quia sane docuit, sed quia male solvit, et sic docuit. Hinc velim prudens lector attendat quam periculosum sit magistris Ecclesiarum vel minimis peccatis obnoxios esse. Quid enim prodest docere justitiam quem minima destruit culpa, et a gradu maximo dejicit levis **264** præsumptio? Sugillat ergo hoc loco Scribas et Pharisæos, qui, contemptis Dei mandatis, proprias sibi statuebant traditiones, quod et Christianis etiam est cavendum. Porro in regno cœlorum minimus vocari dicitur, quia indignus illo erit. In eo regno quippe nullus minimus, sed omnes magni erunt; quia etsi pusilli prius benedicuntur, ea prorsus benedictione digni erunt, quia inter summa deliciarum paradisi gaudia tunc magni erunt. Quod bene captura illa piscium designat, ubi plenum rete magnis piscibus, centum videlicet quinquaginta tribus, ad littus trahitur. Potest et aliter interpretari: quod minimus vocabitur in regno cœlorum, id est, in præsenti Christi Ecclesia, quæ jam multis in locis regnum cœlorum dicitur. Profecto talis quilibet cum claruerit quod est, minimus in Ecclesia vocabitur, quia despectus erit. Idcirco in eo regno, ubi solummodo magni erunt, non erit utique; quia prælationis gradu, in isto dum esset, indignus fuit. Hinc sequitur: *Qui autem fecerit et docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Fortassis ergo quia in Ecclesia humilis et perfectus, licet abjectus fuerit, idcirco jure in illo magnus erit. At vero econtra ille, quia indigne prælatus contemptor fuit, non dico in illo magnus, verum etiam in præsenti regno Ecclesiarum Dei et hominum judicio, minimus jam vocatus, contemptibilis erit.

Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Sane quod ait: *Dico vobis*, magnam in animo lectoris vim et profundam cogitandi intelligentiam incussit. Quia non quicunque, sed divina majestas, et immensus Omnipotens per se ait: *Dico vobis.* Ille, inquam, est, qui et ea imperfectioribus per ministros legis et prophetarum suo tempore mandavit; et nunc nobis per semetipsum jam doctioribus abundantiora salutis superaddidit. Superaddidit namque, et non quæ prius mandaverat absolvit. Idcirco inquit: *Nisi abundaverit justitia vestra*, et justitiam eorum dicit omnia illa ad divinum cultum actualiter præcepta, seu figurarum mystica, tamen ad litteram instituta, quibus omnibus simul expletis justitia Scribarum applaudebatur. Sed quia Christus quæ deerant agendæ vitæ superaddidit, et quæ fuerant significandæ vitæ promissionibus adumbrata, veritate sui ac perfectione replevit **265** jure perfectioribus jam discipulis, vel omnibus Christianis dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Pharisæorum*, etc. Plus enim abundat, cum illi oderint inimicos, et nos eos diligimus; cum illi tantam non adulterant et nos mulierem ad concupiscendum non aspicimus; cum illi non occiderent, et nos nec irascamur. Talia siquidem et hujusmodi, quæ a Christo apposita sunt, potiorem nostram justitiam Deo commendant, qua justificatur omnis qui ex fide vivit. Non enim alia est Christianorum justitia, quam vera fides ex lege in Evangelio perfectis operibus consummata. Sed quia Scribæ et Pharisæi eum ex lege venisse nullatenus crediderunt, idcirco ea

Introdusă în format electronic de Google

quæ ad completionem præceptorum sunt, suscipere respuerunt. Ex quibus omnibus, nisi Christianorum justitia plus abundaverit quam illorum, non poterint, Veritate teste, regnum cœlorum intrare. Sed quæritur ab aliquibus, cum supra dixerit : *Si quis solverit unum de mandatis istis minimis*, deinde, *Qui autem et docuerit sic*, de quibus accipiendum sit mandatis. Si enim de legalibus, quomodo nunc dicit : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum*, cum qui ea fecerit et docuerit sic, magnus sit in regno cœlorum ? Vel quid eisdem minimis superaddi fuerat opus, cum ex his quisque implendo et docendo magnus futurus esset? Unde, sicut dixi, de utrisque partibus dictum liquido constat, quia qui unum iota vel unum apicem, scilicet minima præceptorum legi adhibita, non solverit, omnia legis et evangeliorum mandata consummabit. Quoniam dum fiunt illa quæ adduntur ad perfectionem, etiam et illa longe plenius aguntur, quæ præmissa sunt ad inchoationem. Quia qui mulierem non viderit ad concupiscendum, nec fornicatur. Et, si non irascitur, multo remotior ab homicidio erit. Notandum vero, quod jam supra memini, justitiam fidei virtutum partibus subsistere. Et pulcherrimus ordo perfectionis, ut per eam opus legis verus incipiat Christianus excedere, qua abundantiori profectu justitiam Pharisæorum præcellere. Unde sequitur :

Audistis quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Hic Magister egregius perfectionem quam venit implere manifestius incipit explanare, ut vera discipulorum justitia **266** dignior declaretur. Sed quærendum arbitror cur dixerit, reus erit judicio? Nisi quia scriptum erat in lege : Si quis occiderit hominem, fellis ira permotus, ut ipse rursus legis judicio reus morte plecteretur (*Exod.* xxi, 12).

Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, etc. quæ sequuntur. Ergo, *sine causa* de medio radendum puto, quia in quibusdam Hebræorum codicibus constat non inveniri, etsi Græcorum pene omnes habeant, seu Latini antiquiores. Sed tamen consideranda est ratio cur apostolus Paulus ad Galatas scribens, stultos et insensatos eos vocat (*Gal.* iii, 1), quos corrigendo monens, non minus fratres appellat, maxime cum et multis laudibus eos commendet. Unde pro tali et aliis quibusque causis, fortassis hanc particulam nonnulli sanxerunt, non solum semel inscribi debere, verum etiam et in aliis duabus clausulis subaudiri; ut sit cum ea parte prior integra verborum sententia : sequens vero, *qui dixerit fratri suo raca*, ut subintelligatur sine causa : deinde tertio, qui dixerit *fatue*, ut sit integrior sensus fratri suo, sine causa, quasi præcisa sententia subaudiatur. Siquidem hæc illi ac si provide considerantes, cesserunt infirmitati humanæ, quibus irasci aiunt, natura est ita tamen ne sine causa fiat. Sane huic sensui forte videtur illud propheticum jure aptari : *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* iv, 5), nisi quod omnis occasio iræ tollitur, dum inimicos diligere, et verberanti maxillam præbere alteram jubemur. Verumtamen prius quærendum quid sit inter eum qui fratri suo irascitur, et eum qui dixerit *raca*, et qui *fatue* fratri conviciatur. Quomodo et pro his gradus pœnarum a levioribus ad graviora, donec ad gehennam ignis usque intentantur. Non enim ultio delictorum varios haberet damnationis terminos, si non etiam commissa in divino judicio essent disparia. Ira namque discordiarum fomes et homicidiorum arma, dum adhuc necdum incitata acrius animo tegitur, levior esse convincitur, quam si in voce irascentis affectu exterius prorumpat. Nam ira nihil aliud est quam motus animi felle amaritudinis contra quemlibet incitatus. Raca vero ira est, cum voce irascentis, sed raca Hebræum esse probatur, significans indignantis animi motum, quas grammatici partes interjectiones vocant, velut cum in Latino dicitur a dolente, *heu !* **267** ab irascente, *hem !* Quæ nimirum voces in nullam facile aliam transferri queunt linguam, unde nec transferri hæc potuit, sed saporem sensus etiam in Latino cum voce servavit. Cæterum qui dixerit *fatue* maledictionis animo, plus utique fit reus criminis, quo certa vituperatio contra quem profertur exaggeratur. Neque enim modicus furor est, virtutis gravitatem, et patientiarum violari, et quem Deus sale sapientiæ suæ condivit, contumelia infatuati sensus lacessere operantem quoque ac salientem Deum interius fatuitatis verbo impie derogare. Quapropter magister veritatis integritatem doctrinæ perfectioribus volens ostendere, iota vel apicem superaddidit, non modo ut homicidia de medio removeret, verum etiam maledicta et verba iracundiæ, necnon et fomitem irascendi penitus de corde tolleret. Unde quam terribile sit irasci, etsi humanum sit, pius animus intelligat. Quia quod dictum est antiquis, *Si quis occiderit, reus erit judicio*, hoc et irascentibus dicitur, ut appareat quid sit inter justitiam Pharisæorum et Christianorum, quæ vera et perfecta esse justitia prædicatur. Sed quibus modis divina discretio hæc decernat, quis poterit explicare? Nam quod de homicidio in lege, hoc de ira ex Evangelio taxatur. Unde qui vere pertimescit judicio reus fieri, erit sollicitus pro ira, nec unquam atrociora contumeliarum crimina fratribus irrogabit. Verumtamen intelligendum quia, etsi pro ira velut pro homicidio reus Dei judicio judicatur, gehennarum in igne variis pro causis differenter utique puniuntur. Sed inter reum judicio, et reum concilio, atque reum gehennæ ignis, hoc distare videtur, quod in judicio adhuc defensioni datur locus. Quæritur enim recte prius in causæ negotio, utrumne reus sit qui accusatur, quia in eo statu juris quo sæpe deliberatur apud judices, plurimæ frequenter subveniunt qualitatum defensiones, quibus aut purgatur reus a crimine, aut certe convictus deprecatur pro eo, accusans se peccasse zeli commotione, aut erroris subreptione, impulsione quoque casus, necessitatis

Introdusă în format electronic de Google

constrictu, reatu oblivionis. Talibus et hujusmodi quamplurimis ratiociniis, antequam in concilio de reatu judicetur, quam sæpe rei, ut dixi, aut purgantur crimine, aut supplicatione eis venia impetratur criminis. Cæterum in concilio, quamvis sæpe indifferenter **268** judicium et concilium ponantur in Scripturis, non cum eodem reo jam agitur utrum damnandus sit pro crimine, sed apud judices decernitur, et conferunt in invicem, quo supplicio damnari debeat reus, quem constat omnino esse damnandum. In quo nimirum concilio, nusquam aut nulla interdum subvenit ratio, quousque excipiat reatus sui sententiam. Unde prius oportet nos deliberare in animo, dum adhuc in cogitatione res affectu persuasionis suggeritur, utrumne voce proferendum sit quod impellitur. Quia, sicut gravior culpa de prolatu, ita in concilio periculosior sententia de reatu. Porro ad ultimum de perpetratu operis, vel quod minus esse sentitur, de fratris contumelia, quam terribilis sequatur conclusio, nullis opus est verbis edicere, quomodo reos quos gehenna ignis exurit, culpam sui reatus damnati luunt. Quos sane delictorum gradus quisquis apud se sollicitus non præcavet, experietur judicium damnationis de admissis, gehennam vero ignis ex impœnitudine cordis et reatu. Certum quippe est quod, sicut in hac vita nihil felicius bono Christiano, ita nihil illo damnabilius, qui, etiam lapsus, dum vacat, pœnitendo non vult cogitare de venia, neque vitiosus, bonis operibus inhærendo, cessare a culpa. Sed dum hæc quasi minima contemnimus, causa peccati jam damnati, sicut Apostolus docet, ad nefandiora scelerum crimina pœnaliter peragenda rei relaxamur.

Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, et reliqua. Explanat ergo, quam cœperat, ampliorem justitiam Christianorum, et fratri de quo dixerat cui non est fas irasci, aut *raca* vel *fatue* dicere, multo minus fas in animo quidpiam retinere *quod in* odium converti queat. Imo recordari convenit Cain et munerum ejus, ad quem, cum offerret *non* respexit Dominus, neque ad munera ejus; profecto quia livorem atque indignationem in animo contra fratrem gerebat. Unde dicitur : *Si recte offers, et non recte dividis, peccasti; quiesce.* Quid enim est dicere *peccasti; quiesce*, nisi peccasti irascendo vel invidendo, aut quolibet pacto quidpiam contra proximum moliendo; quiesce ab hac stultitia; cessa irasci vel invidere, alioquin non suscipiam munus de manu tua? Ecce præceptum **269** et exemplum recolimus. Nullus sibi faveat, nullus se decipiat. Quia si contra proximum quidpiam mali in animo gerimus, munus Deo quod placeat offerre non possumus. Si vero proximus e contrario adversum nos quidpiam habuerit, non dico iram, sed quamcunque læsionem in qua nos eum læsimus et recordamur, etiam in momento sacræ oblationis nequimus quod acceptum sit offerre, donec reconciliemur cum eo quem offendimus. Quid si absens aut quam longe fuerit ultra mare seu extra regionem procul, et tunc quidpiam horum in mente veniat, nunquid relinquendum est quod offerimus, et debemus pedibus perquirere, quem forte invenire nequimus? Patet omnino sensus, si præsens fuerit is de quo agitur, quod ei supplicando lenire ac satisfacere debemus; quod si prorsus eum attingere nequimus, potius ad eum motibus animi et humili affectu, charæque mentis devotione ire convenit, et prostratis ante conspectum ejus cujus munus offerimus, fratri benignitate cordis devincti veniam implorare. Nulli dubium, quantum ex nobis est, quod cum omnibus pacem habere oporteat, quia ea sola Deo reconciliamur. Ecce magister veritatis de recordatione præceptum dedit ante altaris faciem. Quid si alibi munus laudis, aut vitæ religionis, vel eleemosynarum, seu quodlibet boni operis sacrificium offerimus; nunquid, si recordamur aliquid hujusmodi, putandum est placere posse illud, quia coram altare non sumus? Aut quo relinquetur munus, si non sumus cum quo relinquere jubemur? Vel si est tale aliquid, quod absque nobis localiter dimittere nequimus, quid ergo agendum est? Unde constat quod hæc omnia non secundum litteram religioni sacræ conveniunt : sed potius spiritaliter accipiendum; quanquam et secundum historiam impleta de cultu religionis non abhorreant, ut fides templum intelligatur, et altare Christus, ante quem nostræ fidei donaria devoti offerimus. Ille quippe est illa sublimis cœlorum ara coram Patris vultu, sub qua sanctorum animæ requiescunt. In quo nimirum altari fidelium vota et munera holocaustorum offeruntur Domino. Nemo igitur virtutum vota satis defert in holocaustum, qui usque ad eum fidei gressibus non pertingit. Ubi si recordamur, inter sanctorum frequentiam, quod aliquis habeat aliquid adversum nos, oportet coram eo **270** munus nostræ devotionis relinquere, et morum affectione infra conscientiam redire; ibique, si abest quem læsimus satisfacere donec reconciliatis, quantum ex nobis est, pura conscientia munus offerre liceat. Non enim sine causa coram altare munus relinquere præcipimur; quia quidquid coram Deo recte offertur immutari non vacat. Imo vitium pravæ mentis corrigatur, et dilectionem quam debet prius fratri restituat. Tuncque ad eum quantocius coram quo munus statuit, festinus redeat. Chirographum quoque interea illud esse voluit. Ideo non refer munus tuum, dixit, sed relinque, donec idoneus ex conscientia placabilius offeras quæ vovisti. Nequaquam enim munus repulit, sed charitatem proximi quæsivit, sine qua nemo ad charitatem Dei pervenit. Unde fenus charitatis debitor coactus prius exsolvat, si placere Deo munus legitimæ servitutis optat; qui profecto si non fuerit spiritu humilitatis in animo fundatus, minime poterit explere quod jubetur. Quia superbia inflati, non solum offensis satisfacere contemnunt, verum et magis lædere fratres non pertimescunt. Hactenus quidem de fenore proximi reddendo, nunc

Introdusă în format electronic de Google

etiam et cum adversario benevolentiam pacis habere jubet.

Esto, inquit, *consentiens adversario tuo, dum es in via cum eo*. Ubi quærendum quis sit adversarius noster, cui in via consentire jubemur. Si enim de diabolo, ut quidam putant, dictum accipimus (eo quod adversarius noster diabolus tanquam leo contra nos sæviat), convellitur omnis circumstantia lectionis, et perfectio legalium mandatorum mox ex Evangelio non continuatur. Videtur enim violenta interpretatio, benevolos nos illi fore debere, cum ejus non obedimus fraudibus, ne ille propter nos amplius æternis crucietur pœnis. Quænam perfectio est, non propter amorem Dei, sed propter eum quem odisse in baptismo statuimus, vitia deserere, cuique bellum indiximus? Vel quomodo cum eo in via sumus, qui nunquam in via stetit, neque cum eo mente, si recte sapimus, aut voluntate unquam fuimus? Quapropter melius de fratre quolibet adversante, aut certe ex Evangelio præceptorum dictum accipimus, quatenus et textum lectionis continuum servemus, et sensus Scripturarum concordes ubique restituamus. Jubemur ergo **271** adversantem nobiscum in via consentire, benignitatem ei præstantes; quod magis de Græco εὐνοῶν, id est *benévolus* sonare videtur. Et est sensus : jam quia fratri, si læsus fuerit supra te reconciliari docui; nunc quod magis est exsequor : etiamsi adversarius exstiterit, esto ei benevolus dum es cum eo in via, affectu placabili, et consenti ut æmuleris meliora salutis, verbo Evangelii, quod et tibi adversatur, dum es in via cum ipso. Jubet enim Evangelium inimicos diligere, patrem quoque et matrem, fratres vel sorores; adhuc et animam, quod satis carni contrarium, mandat odisse. Ex quibus duobus forte adversariis, unus efficitur, dum aliquando adversatur frater injuste, contra quem concitatur carnis prudentia et fellis amaritudo; et e contrario sermo divinus jubet ne resistas malo, sed vincas in bono malum. Unde, quia ut dictum est, Græcus habet benevolus, et nostra interpretatio consentiens, ac si ex uno verbo simus benevoli fratribus quanquam debite adversantibus, et consentientes Evangelio in quo dictum est : *Nolite resistere malo*. Nullus igitur adversarius major quam qui multis impugnat partibus, et resistendi sine graviori jactura nullam tribuit facultatem. Et ideo cogimur hunc sensum tenere, quia magis congruit ex circumstantia doctrinarum, et eos tamen non refellere qui affluunt hinc inde pro veritate catholicæ interpretationis. Nam istum quem cudimus quasi ex duobus metallis sequens sermo explicat, dum et percutienti maxillam alteram præbere jubet, et tollenti tunicam pallium dimittere, et angarianti cedere, et cum eo alios mille passus ire. Hæc omnia nihil aliud sunt quam adversario in præsentia favere. Sed tamen ea sic tolerare oportet ex subjectu, ut benevolentia in omnibus comitetur, quantum ex te est, cum eo qui adversantur, ex affectu; et divino oraculo semper obediatur sine reatu. Nemo enim utrisque adversantibus melius consentit, quam hic qui diligit, et sine peccato propter eum patitur quem diligit. Cum ea ergo sumus in via, quia ipse sermo divinus nihil nobis aliud est quam via. Hinc quoque David ait : *Viam mandatorum tuorum cucurri, dum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII, 32). Via quippe Christus est, per quem et in quo recte cum adversario vitiorum nostrorum gradimur, scilicet verbo Evangelii; ut dum ejus jussis obsecundamus, ad vitam quandoque sine offensa judicis **272** venire valeamus. Quasi itinerarius nobiscum temporaliter sermo Evangelii ac si comes in via graditur, ad perfectionem vero vitæ identidem sermo jam deinceps æternus erit. Unde Joannes in Apocalypsi sua dicit quod viderit in persona Christi angelum, Evangelium habentem æternum. Æternum autem fortassis erit, quia ultra vita actualis non erit, quæ multis divinorum duntaxat evangelizatur eloquiis. Cæterum adversarius noster nobiscum quomodo gradiatur in via non absurde quæritur; quia, si nobiscum in via quæ Christus est, iret, utique adversarius non esset. Unde liquido patet quod potius de via præsentis sæculi dicatur, in qua simul omnes nascendo, vivendo, vel moriendo transimus : ubi nobiscum, tempore quo vivimus adhuc, adversario iter agente, consentire illi patienter pro dilectione oportet, et omni benevolentia fovere; non ut adversarius permaneat, verum ut in via Dei amicus fiat. Sed forte quæret aliquis : adversarius si permanserit, cum et ipse coram judice criminibus saltem inimicitiarum reus adjudicatur, quomodo poterit reatu vinctus judici reum tradere? Tradet ergo, licet reus sit, nos judici, quia manens in eo simultatis nostræ ira, quem placando delinire nolumus, ob impœnitudinem coram judice arguit. Ac si apertius loquar, is qui me vulneravit mortis vulnere, tradidit in manibus medicorum : sic, quia me adversitas superavit ne illum benevolentia foverem et consentirem verbo Evangelii, cruenti livore vulneris, tradidit me judici reatu vinctum, quo nulla, quia adversanti consentire noluit [*f.* nolui], ulterius proficit excusatio. Patet igitur sensus, quod sermo divinus nostris adversatur desideriorum illecebris, cui nisi consentiat animus, traditur ab eo, quem violavit, judici morte perpetua puniendus. Sed quæritur, ex homine qui adversatur, si subito, ut assolet, occisus fuerit, quomodo accipiendum sit? Nunquid pœnitentiæ locus tollitur, quia in præsenti via jam consensio et benevolentia reconciliationis negatur? Quod si ad pœnitentiam, ut fatendum est, reis venia relaxatur, nihilominus quærendum quomodo ab eo quem peremit tradatur judici, nisi quia sic Salvator temperavit sententiam, absque dubio pro impunitate peccati reus tradendus monstretur, et tamen pœnitentibus venia non negatur. Unde indefinite :

273 *Ne forte tradat te*, inquit, *judici*. Sic quippe temperavit verbum dubietatis, ut pœnitentiæ locum non adimeret. Haud dubium quin Salvator, judex vivorum et mortuorum ipse constitutus est;

Introdusă în format electronic de Google

quia Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Porro minister, cui a judice is traditur, angeli sunt, de quibus dictum est : *Quod angeli accesserunt et ministrabant ei;* namque et cum angelis ad judicium venturus legitur, qui separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus et stridor dentium. Sed quod ibi caminum ignis dicit, hic carcerem figurate, quæ reorum est custodia, appellavit. Sed terribilis valde incutitur sententia.

Amen dico tibi, inquit, *non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Hinc cogitet unusquisque apud semetipsum, et hoc quasi specialiter sibi prædictum advertat; veritas enim est qui loquitur, et non mentitur. Singulis enim dictum est, singuli audiant, et nullus de audacia præsumat; quia non exiet inde donec minima quæque peccata persolvat. Hoc nempe per quadrantem videtur significasse. Nec æstimandum, sicuti quidam dixerunt, quod *donec* finiti sit temporis, et aliquando, ac si, post expletionem pœnarum, liceat exire de carcere; jungentes illud Isaiæ : *Claudentur impii in carcere, et post mille annos visitabuntur* (*Isa.* XXIV, 22). Præsertim cum et illud absolute dicatur, *visitabuntur*, quod et ad ultionem potest intelligi, et a plerisque de die futuri sæculi manifeste interpretatur, quando corpora recepturi graviorem suscepturi sunt damnationis sententiam. Unde hoc loco *donec* pro infinito ponitur. Quod pravi homines nolentes considerare, voluerunt non suos sensus Scripturis divinis, sed eas pravis sensibus applicare. Nulla locutionum genera, neque Spiritum sanctum sua potestate loquentem attendere volentes, finxerunt sibi ex eloquentia, falsam sapientiam. Cæterum hi qui sane sapiunt, intellexerunt quod semper rerum verba et eloquentia, velut ancilla servit sapientiæ divinæ, prout placuit utentibus ea loqui. Nam hæc pars, de qua sibi astruunt falsa, quia velut limes temporis est, videtur quasi per abnegationem unius rei, alterius interdum concessionem determinare. Et fit tribus vicissim modis. Cum **274** aut utrique termini simul uno complentur tempore, et finita utrarum partium sententia terminator; aut ex contrario cum in usu loquendi ad modum simul pro infinito tempus et negotium sociantur : aut cum altera eorum portio finita est, altera vero, quamvis ei collata, pro infinito tamen accipitur. Exempli causa, veluti in psalmo : *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant* (*Psal.* XVII, 38). Ac si dicat, illis deficientibus, mox convertar et quiescam. Necnon et illud : *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49), qua nimirum virtute percepta, illico exierunt de civitate ad prædicandum. Secundum hunc modum volentes hæretici quocunque *donec* inscribitur, utrasque consequentias simul finiri, erraverunt multis in locis. Verumtamen pro infinito quam sæpe una earum regio accipitur, altera vero satis finita patenter monstratur, ut est in hoc eodem opere de quo dixi. Quod non cognovit eam Joseph : *Donec peperit filium primogenitum*. Finita est enim sententia ex ea parte de qua dicitur : *donec peperit filium* suum *primogenitum*; infinita vero secundum catholicam fidem, ex ea quod modo non cognovit eam cum peperit, sed constat nunquam cognovisse. Quia virginitas ejus incontaminata permansit, de qua satis jam dixisse sufficiat. Cæterum tertium loquendi genus est, cum ambæ ipsius partes pro infinito accipiuntur, ut præsens locus manifestat : *Et non exies inde*, inquit, *donec novissimum quadrantem reddas*. Igitur infinitus erit uterque eorum terminus, quod nec fenoris nomen illinc a debito unquam evacuabitur, nec a carcere illo quisque reatu vinctus, post peractum judicium, solutus egredietur. Erit autem istius utrique sententiæ finis sine fine tenendus, ita ut nec a debito se valeat illuc damnatus explicare, nec carcere clausus quandoque reatus sui catenis abducere. Hujusmodi ergo loquendi genere dictum est : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis* (*Psal.* CIX, 2); necnon et illud : *Oportet eum regnare donec ponat inimicos sub pedibus suis* (*I Cor.* XV, 25), id est, donec sibi subjiciat omnes contradicentes sibi. Sed nunquid postea non regnabit, cum ei fuerint inimici subjecti, et ipsius potestati subjugati? Regnaturus utique est sine fine, cui et ipsi erunt sine fine subjecti. Neque **275** enim consequens est, cum ei fuerint subjecti inimici, ut tunc ille regnare desistat : aut quia, identidem semper regnaturus, illi quos sibi subjugavit deinceps non subjecti maneant. Nam et nos tali loquendi genere frequenter utimur, ac si dicam : veritas istius sensus sententiam tenet, qui profecto sensus nunquam infirmabitur, donec veritas mentiatur; hinc quoque ex infinito patet, quia, sicut veritas nunquam mentitur, ita sensus iste sine fine illa manente nunquam evacuatur. Sed quæritur quia homo cum fine peccavit, charitatis debitum proximo non reddendo; quomodo justum sit quod a justo judice sine fine damnatur. Qui profecto sensus ex sententia Pauli (*Rom.* II, 5) perfacile patet, quia secundum impœnitentiam sui cordis, thesaurizans sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, jure sine fine exsolvit thesauros iræ qui sine fine, propter duritiam et impœnitudinem cordis, peccare disposuit. Noluit igitur fratri reddere charitatis debitum; velit, nolit, reddituras est iræ, quam sibi thesaurizavit, pœnarum supplicium. Servat namque a principio metaphoram, quasi ab exactione publica et judiciaria sæculi potestate. Ubi adversarius, cui jure debetur charitas, inducitur, et Judex, cui ab illo, quia fenus non reddidit dilectionis, reus ad decernendum traditur; minister quoque qui omnem exactionem pretii officiose exigat; deinde carcer quo reus claudatur; ac sententia usque ad nummi quadrantem novissimum proponitur, quod non prius possit exire a pœna carceris, donec minima quæque persolvat. Quadrans igitur exigitur, sed pœna peccati solvitur. Unde nonnulli, quia omnis mundus quatuor subsistit elementis, quadrantem mystice vo-

Introdusă în format electronic de Google

luerunt interpretari; quorum novissima portio terra esse probatur, et ideo per terram, omnis terrenæ actionis delicta, et carnis meditatio, quasi novissimus quadrans, ignis supplicio pœnaliter exiguntur. Nam juxta hunc sensum, primus quadrans ignis, quia de cœlestibus est quo charitas signatur, jure dicitur; secundus aer, quem semper spiramus, per quem vita nostra signatur; tertius vero aqua, qua renascimur in Spiritu sancto; deinde novissimus quadrans terra connumeratur, per quam carnalis vita, et peccata terrenæ contagionis designantur. Hinc quoque primo homini dictum legimus: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), ac si dicat, exsolves quod esse voluisti usque ad novissimum quadrantem, **276** quia nihil peccatorum tuorum impunitum erit. Recolat igitur prudens animus, etiamsi ubi vel ubi quod supra proposui commemorare prætermitto, quod hæc omnia ex illis octo beatitudinibus quasi a genere spectantur. Hinc est quod hic oratio fidei implorat, liberari nos a malo, id est ab adversario, per spiritum pietatis, ut mitescat animus et possit omnia tolerare. Alioquin, nisi mitis fuerit, quomodo in via cum adversario consentire valet? Verumtamen etsi ad Evangelium referendum est, qualiter ejus aliquis consentiet jussis, nisi pietatis spiritu repletus fuerit? Ille enim consentit, qui eum pie audit et intelligit. Deinde quidquid intellexerit, etiamsi contra voluntatem suam sonat, non adversatur, sed magis diligit obediendo, et gaudet adimplere, licet contra mores suos veniat. Siquidem non eum ad voluntatem propriam detorquendo, sed mores et omnem intentionem cordis ad ea quæ dicuntur humiliter referendo.

Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo. Pendet igitur hæc sententia ex eo ubi ait: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Implet autem eam eo quod dicit: *Qui viderit mulierem.* Nec tamen solvit legem, cum de corde mœchiam tollit, et castitatem in carne servare jubet. Non enim absolvit illa, sed implet in Evangelio quod deerat in lege, ut major sit justitia Christianorum, quam Scribarum et Pharisæorum. Ubi considerandum quod non dixit: omnis qui concupiscit mulierem, sed qui viderit eam ad concupiscendum, scilicet eo fine et animo ut eam concupiscat consentiendo libidini, si facultas fuerit explendi. Quem sane locum Græci duobus verbis significantius explanant, πάθος et προπάθειαν, id est, *passionem* et *propassionem* dicentes. Quandoquidem passionem dicunt ad vitium animi reputari, propassionem vero, licet habeat initium culpæ, non tamen teneri in crimine. Est namque προπάθεια, temporalis, vel subitaneus animi affectus, ut iratus sit aliquis, aut amans aliquid, πάθος vero, aut ἦθος, ut quidam aiunt, quædam animi forma vel deliberatio ex consensu pene quasi naturalis habitus mentis; ut est dum dicimus iracundum, aut cujusque amatorem. Quippe quia πάθος non solum de quolibet irato vel amante dicitur, verum quod et iram super alterum, seu misericordiam **277** vel concupiscentiam aut amorem habeat. Unde jam supra cum dixisset: *Audistis quia dictum est, non occides*, adimplevit quæ deerant, et addidit quod *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Itaque non simpliciter *omnis qui irascitur*, sed cum additamento addit, *fratri suo.* Quem sensum bene David duobus explanat verbis, *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). Ac si dicat quod, si irascamini, cum sitis irascibiles, nolite peccare irascendo fratribus. Haud dubium quin sicut προπάθεια accidens est, sine deliberatione boni aut mali operis: ita πάθος affectio deliberati animi, si locus adsit perficiendi. Unde fortassis non dubitandum quod, sicut in perfectionibus, ira fratris, veluti homicidium, reos facit judicio: ita concupiscentia mulieris, aut illiciti cujuslibet concubitus nefanda deliberatio mentis, mœchos et morte dignos ex lege facit. Mœchia namque generaliter illinc pro omni concubitu illicito accipitur; quia in eo quod dixit *non mœchaberis*, omne libidinis crimen interdixit, quod postea Moyses variis criminum speciebus dispertiens singula proprio judicio damnavit. Alioquin in illis decem verbis legis, nec fornicatio, nec concubitus masculorum, nec alia portenta libidinis prohibita cernuntur. Unde patet quod mœchia, quamvis proprie de uxore alterius dicatur, generaliter tamen ut fassus sum, pro omni libidinis incestu interdicitur. Simili quoque modo et hic cum mulieris concupiscentia, quæ, veluti naturalis, de corde tollitur, ne mœchus sit Christianus, ut Evangelii justitia plenior commendetur; protinus liquet concupiscentiam masculorum, vel alicujus libidinis flammam, quæ potius monstra flagitiorum sunt quam vitia nuncupanda, funditus a cordibus tollenda mandasse. Quia profecto, sicut major ex Evangelio castitatis justitia exigitur: sic e contrario acrior pœna reis ex eo incutitur. Unde summopere curandum, si propassione aliqua titillamur, tollamus oculos mentis ab intuitu operis, ne forte levis suggestio transeat in delectationem et affectum cordis; ne rei ex passione deliberati animi pro facto damnemur. Quid putas, absentes quando simus, si feminam aut (quod scelestius est) aliud aliquid ita corde aspicimus, ut, si facultas adesset, definitum habeamus intus, et personam quamlibet ad hoc meditatione revolvimus in conscientia: nunquid non adulteratur corde, ubi talis versatur deliberatio, etiamsi desit **278** species coram istis exterioribus oculis, quæ visu concupiscatur? Imo tum adulteramus corde, cum illi aperiuntur oculi, quos propter pœnam peccati primis parentibus male apertos in paradiso legimus, et carnis incentiva eos afficiunt. Tunc sane in affectum libidinis laxantur frena concupiscentiarum; versatur species ante mentis oculos, ubi non voluntas, sed sola deest occasio peccandi. Quæ nimirum intentio, non propassio, sed πάθος vocatur, quia mens male illecta transivit ad passionem consensus. Jure igitur ex Evangelio

Introdusă în format electronic de Google

talis deliberatio in omni molimine vitiorum, pro opere reputatur ante oculos interim judicis; quod ex hoc quisque censetur quod est vel quod corde gerit. Nam sola bona voluntas et prompta devotio mentis, cum deest agendi copia, quod pro charitatis affectu apud pium remuneratorem acceptabilis sit, nemo sane qui ambigat, nemo qui dubitet. Placet igitur quod *in terris pax hominibus bonæ voluntatis*, ab angelis, sicut et *Deo gloria in excelsis* prædicatur. Sic, sic plane e contrario, quorum voluntas depravatur, et illicitur fratris ira vel odio, seu concupiscentia incesti vel flagitii, luxu aut quibuslibet malitiæ affectionibus, et deliberatione vitiorum pascitur, jure reatus supplicium illis denuntiatur; quia non secundum quod quis non potuit, aut non licuit, sed secundum quod fuit et proposuit ex conscientia, aut accusatur aut defenditur in die cum judicaverit Deus occulta hominum. Sequitur :

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Hæret hæc sententia superioribus, ubi ait : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum.* Ex quo liquet, *oculum dextrum*, quidquid mentis delectatione interius concupiscitur, intelligi debere ; quia profecto, cum ille interior ad concupiscendum aperitur, mox turbati motu libidinis acrius scandalizamur. Dexter vero ex meliori parte mentis non inconvenienter dicitur. Quia sicut præstantior pars corporis dextra vocata est : ita visus ille ab intus, quia præstantius videt, recte dexter est nuncupatus. Scandalizat autem, cum ad concupiscendum aperitur, et mens per varias et illicitas cogitationum formas a statu puritatis et justitiæ captiva ducitur. Qui nimirum oculus dexter dum ad concupiscentia illectus trahitur, et eruendus et projiciendus est a nobis, ne per eum noxia carpamus. Eruendus sane antequam **279** labatur in vitium, ne quod in nobis optimum est cito flectatur ad culpam. Quid igitur magis scandalizare potest quam quod nos revocat a proposito et removet de via justitiæ? Ergo, nisi primum parentem hic oculus scandalizasset, nequaquam timore ac pudore pressus a facie Dei, locatus in paradiso, se abscondisset. Quem si, priusquam petulantia eum fœdaret, ab intuitu vetiti revocasset, nequaquam scandalum pateretur erroris. Et ideo projiciendus est illico talis aspectus, antequam mens labatur in vitium, non quia dexter est, sed quia scandalizat nos male concupiscendo, in lege mandatorum Dei quam bene positos. Alioquin quandiu in charitate defigitur, continuandus et servandus est in aspectu, quia pax multa diligentibus legem Dei adesse creditur, et nullum illis scandalum devenire poterit. Quod si nos scandalizare cœperit ab illecebra delectationis, mox eruendus est visus cogitationum, ne forte videat mulierem ad concupiscendum. Abjiciendus est ergo, ne ad ea quæ carnis sunt exterius se diffundat, sed purgatus disciplinis cœlestibus, semper veluti cherubim circa aram in propitiatorium se referendo custodiat. De quo nimirum visionis oculo in Canticis Ecclesiæ a sponso canitur : *Vulnerasti cor meum, soror mea, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui* (*Cant.* IV, 9). Vulneravit enim cor sponsi in uno oculorum, charitatis gladio, quia nulla carnis petulantia maculata aliubi quam in idem propitiatorium respicere consueverat, cujus amore nimio perfusa etiam de se dicebat : Vulnerata charitas ego sum. Talis quippe oculus columbarum dicitur, quæ resident ad fenestras suas. Idcirco non scandalum, sed pacem ferens, nihil ad concupiscendum exterius attrahit, sed quæ salutis sunt munda omnia interius servantur. Igitur propter circumstantiam lectionis, quia hinc inde de muliere dicitur, medium duarum partium, ut sermo divinus continuaretur, melius ad hunc sensum retulimus. Nam supra, qui viderit mulierem ad concupiscendum, mœchum esse eum in corde denuntiat. Nunc iterum, priusquam deveniat, eumdem cordis oculum jubet erui et projicere, ne aspiciat quo male deceptus homo pereat. Et notandum : si ea quæ in nobis dextra sunt, scilicet oculus aut manus, nos interdum scandalizant, quanto magis ea quæ sinistra sunt? Quia si anima introrsus labitur, multo magis corpus, quod ad peccandum proclivius est. Et **280** ideo præstantior ille purgandus est oculus, et eruendus illicitus aspectus. Quoniam dum is sine scandalo pravæ visionis in propitiatorium assiduus refertur, iste sinister et exterior, lege illius frenatus, ab omni labe vitiorum immunis quotidie custoditur. Verumtamen, et si ita dixerim, non præscribimus numerosiorem sensuum explanationem. Potest enim in dextro oculo, vel in dextra manu, fratrum et uxoris, ac liberorum seu carorum amicorum affinitas, vel quorumlibet propinquorum monstrari affectus ; quia nihil minus eos quam oculos nostros diligimus. Solet enim ab his qui se vehementer diligere quemlibet volunt ostendere, ita dici : Diligo eum ut oculos meos. Et ideo fortassis ad augmentum dilectionis exaggerandum positum est, si oculus tuus dexter aut manus dextra scandalizet te, quatenus ad contemplandam veram lucem impedimentum fiat, debeas illud abscindere, et quidquid præcipui amoris esse potest, ne tibi obsistat, penitus detruncare. Cavendum igitur ne, dum volumus alios lucrifieri, ipsi in æternum pereamus. Hinc sane et in Levitico de sacerdote magno dicitur, cujus anima Dei cultui mancipata est, ne supra patrem aut matrem vel filios polluatur, id est ut nullius affectum sciat præter ejus cujus cultui dedicatur (*Lev.* XXI, 11). Verumtamen manus et oculus, quamvis unius corporis præcipuæ partes sint, quia non eumdem actum habent, nunquam dixerim quod unum velint significare. Et ideo per oculum, manente illo quem supra prætuli sensum, poterit intelligi quilibet magistrorum, quorum officium est prævidere mores ac vitam subditorum, aut forte amicorum aliquis, cujus concilio utaris ad considerandos actus tuos et cœlestia meditanda. Qui si profecto scandalizaverit te projiciendus est, ne malo illius exemplo pellectus pereas, vel errore depravatus in mortem ruas. Porro per manum,

Introdusă în format electronic de Google

aliqua locuples vitæ actualis vel prospera operatio juxta superiorem sensum : secundum hunc autem, quem subdidimus, forte quilibet strenuus adjutor inter vitæ negotia designatur, cujus juvamine prosperis successibus etiam vita nostra in sæculo queat pollere. Qui profecto dum cœperit nobis obsistere, et scandalum esse in lege mandatorum Dei, melius est, illo præciso, absque illius adjutorio salvari, quam ut cum eo totum corpus nostrum pereat in gehenna. Potest autem per dextram manum, etiam et ipsa practica vita significari, **281** sub qua Martha satagens variis officiorum negotiis occupatur. Simili quoque modo et per oculum vita theorica exprimitur, quam sæpe imbecilles non valentes ad purum contemplari, scandalizantur. Ili pro nimia vitæ desidia et torporis otio, illi vero, pro multiplici sæculi frequentia, et plurimæ occupationis tædio. Quorumlibet igitur quisque oculo vel manu patiatur scandalum, melius est, si unam earum interdum non potest sectari vitam, alteram solummodo retinere, quam pro enormitate duarum infirmitatis scandalo deperire. Hinc summopere curandum ne aut ille qui non potest contemplativa frui, torpeat otio, actuali neglecta ; aut forte aliquis, dum occupatur practicis negotiorum studiis, arescat ab interna dulcedine, cum melius in contemplativa posset proficere. Jam quia dextrum jubemur oculum vel manum, si forte scandalizaverint nos, abscindere seu a nobis projicere, nihil dubitandum de sinistris, ubi quidquid præstantius est in corpore, detruncatur. Quod si ad litteram quisque velit accipere, licet de pietate descendat ejus affectus, non est audiendus ut membrorum abscissio prædicetur, sed ut improbitas morum, et pravitas actionum resecetur. Unde quidquid in oculo mentis interius de via injustitiæ et probitate morum nos subvertere voluerit, illico eruatur a nobis, et quidquid contra operationem virtutum exterius propulsaverit, etsi dextra manus vel oculus videatur, quasi scandalum nostræ salutis, a corpore societatis procul pellatur ; ne forte, quod absit ! morbo illius corruptis totum corpus pereat in gehenna.

Dictum est autem : Quicunque dimiserit uxorem suam det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis : Quicunque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchatur. Hunc locum Dominus et Salvator noster paulo post plenius explanat, quod hoc Moyses propter duritiam cordis eorum jusserit, non discidium volens, sed auferens homicidii discrimen. Quoniam multo lenius erat quamvis lugubrem evenire discordiam, quam per odium et infestationem uxoris fundi sanguinem. Hoc quippe non Dominus amator pacis præceperat, sed Moyses ex suo, propter pejus, ne fieret, concessit. Idcirco auctor dilectionis, et magister veritatis, restituit perfectioribus quod deerat, et abnegavit discidium insectationis, quod duricordibus, et non piis **282** ac mitibus datum fuerat. Nihil igitur hoc loco Christus, vel alibi dempsit legi, plura vero addidit. Unde lex cum auctoritate libelli repudii libertatem dari jussisset, dum deliberatur ex ea ob recogitandam gratiam, et vitandi pejoris criminis culpam, indixit non dico voluntatem pacis ; verum exosæ uxoris adulterium, dum dimissa mœchatur, ad virum contorsit. *Qui dimiserit*, inquit, *uxorem suam, excepta causa fornicationis*, ac si dicat : Quicunque fœdus nuptiarum pro alicujus rei negotio, vel pro fœditate morum aut corporum spreverit, et quod Deus conjunxit victus injuriis separaverit, is cogit infirmiorem se cum alio fornicari, et causa reatus ejus ipse efficitur, qui eam sua depulsione facit mœchari. Præsertim quia olim plures erant causæ omittendi uxores ; scilicet si leprosa, si sterilis, si odiosa, si fornicaria, etc. At vero Christus solummodo causa fornicationis deserendi licentiam dedit. Jure igitur, quia illo tantum vitio fides castitatis, et connubium nuptiarum prius rumpitur, idcirco non eam ille facit mœchari, sed ipsa reatus sui causa est, et dissolutio fœderis. Alias autem diligenda est et tenenda, ut justitia Christianorum potior commendetur, et charitas conjugii firmior usque ad mortem servetur. In quo nimirum castitatis præcepto propter brevitatis compendium plurimæ hinc inde quæstiones emergunt : sed solum eas tangere decrevi, quas necessitas exposcit. Et quia si uxor fornicata sit, quid liceat viro satis expressum est, quærendum ergo fuit e contrario, si vir fornicatus fuerit, quid agendum sit uxori. Unde Paulus dicit quod nullus eorum proprii corporis potestatem habeat (*I Cor.* VII, 4), et Dominus solum fornicationis causam excipiens, non dixit cujus eorum, viri scilicet an feminæ. Propter quod duo termini lege una simul videntur adnecti, ne alter eorum faciat quod alteri non licet, etsi vir potestatem habeat super mulierem. Potestas autem ei ex eo datur, quia præstantior est in natura, et mulier de viro facta legitur, et non ex eo quod servus uxoris est, et ne quærat solutionem, ei mandatur. Alioquin occurrit illud de Apostolo, *In quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas, eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II, 1). Qua de causa quisquis fornicationis elogio vult deserere uxorem, debet et ipse a fornicatione immunis esse, quia nihil iniquius quam fornicationis causa uxorem abjicere, et seipsum ab eodem **283** vitio non custodire. Sequitur :

Et qui solutam a viro duxerit, mœchatur. Mœchatur autem, quia secundum Apostolum, debet permanere innupta, aut forte viro suo reconciliari (*I Cor.* VII, 11). Ubi apparet quod nec vir qui eam dimiserit, dum illa advenit, potest alteram suscipere in conjugium, sicut Apostolus manifestat. Sed quæritur ab aliquibus, utrum et illa mœchatur, quæ facit eum cum quo coierit, mœchari, quod satis hinc inde, aut ex Evangelio aut ex Apostolo, patet, licet illa a viro discesserit causa fornicationis, quod non liceat ei alio sociari viro, quanto magis si dimittatur a viro? Potest enim fieri ut aut illa discedat, aut vir eam nolente illa dimittat. Sed quid horum contigerit, non licet aliquem eorum, dum quilibet advixerit,

Introdusă în format electronic de Google

cuipiam alteri copulari. Quia discidium quamvis causa fornicationis qualibet ex parte fiat non tamen ex imperio, sed ex indulgentia juste conceditur. Unde, quia voluntas unius usum sibi interdixit, et reatus alterius id coegit, haud dubium utrosque manere debere sine copula, nisi forte in invicem reconcilientur, quibus prius, si vellent, licuit non discedere. Et hoc sane quia non ex voto fuit, sed ex discidio. Idcirco aut simul redeant, aut simul se contineant; quatenus fornicatio ne plus valeat in causa, quam fœdus nuptiarum. Cæterum, ubi utrorumque vota conveniunt, quia Deus est in negotio, nec licet revocare connubium carnis, eo quod non homo, sed Deus conjunxerit eos. Scriptum quippe est, *Quod Deus conjunxit, homo ne separet* (*Matth.* XIX, 6). Homo igitur eos non separat, sed Deus melius sibi sociat, quos Christi charitas ad libertatem vitæ ex voto felicius invitat. Sed qu a circumcirca quamplurimæ, ut dixi, quæstiones ebulliunt, hæc de his simpliciter dicta sufficiant, licet brevitas ea non sit passa præstruere, et Scripturarum testimoniis omnia confirmari.

Iterum, inquit, *audistis quia dictum est antiquis: Non pejerabis, reddes autem Domino Deo tuo juramentum tuum.* Ecce hoc loco, sicut et ubique in istis cumulus justitiæ redintegratur. Nam per quod quisque jurat, aut veneratur, aut diligit, aut timet; idcirco carnali populo jurare per Deum ex lege licitum erat. Et hoc quasi parvulis concessum erat, ut quomodo victimas immolabant Deo, ne idolis eas offerent, sic et jurare illis in Deum permissum erat; non quod recte hoc facerent sed quia melius erat Deo id exhibere quam **284** dæmonibus. At vero illi per elementa jurandi semper pessimam consuetudinem tenuere, sicut a prophetis quam sæpe arguuntur. Jurabant namque per angelos, jurabant et per urbem Hierusalem ac per templum; creaturas quoque resque carnales obsequio et honore Dei venerabantur. Idcirco superstitionem contumaciæ veteris condemnat, et religionem jurandi per cœlum, vel terram, aut caput, aufert, quia in contumeliam Dei sacramenti venerationem referebant. Porro Judæi alia ex lege agebant, alia ex traditione et superstitione Pharisæorum, alia falsitatis errore decepti. Quæ omnia Magister veritatis removens, ea quæ legi deerant adimplebat. Hinc quoque ait: *Ego autem dico vobis non jurare omnino per cœlum*, et addidit, *quia thronus Dei est.* Thronus utique Dei, et non Deus, quia creatura esse probatur. Porro in lege, *Reddas*, inquit, *juramentum tuum Domino Deo tuo.* Illi vero e contrario, aut cœlum plus aliquid suspicantes, aut forte si per eum jurarent, persuasum habebant non se juramento teneri. Propterea providus arbiter sic sententiam temperat, ut et cœlum Dei creatura credatur, et tamen quia secundum spiritalem intelligentiam thronus Dei est, se teneri juramento, quisque per eum juraverit, asseverat. Ita quoque et de terra sentiendum, per quam omnino jurare vetat, *quia scabellum pedum ejus est.* Non quod enormitate membrorum cœlum præsideat, et hunc vasti aeris spatium cruribus interclaudat, veluti Anthropomorphitæ suspicantur, quatenus scabellum terræ pedibus attingat: sed quia per terram sancta Dei Ecclesia figuratur, quæ nimirum scabellum pedum: ejus jure dicitur, quia subdita Creatori, gressibus ejus prostrata, fidei devotione substernitur. Hinc quoque in psalmo: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 2). Scabellum quippe inimici ponuntur dum reconciliati Deo ditioni ejus devoti inclinantur. Ipsa est enim terra viventium soliditate Christi super aquas fundata, quæ longe alio visionis sacramento, a Moyse et Aaron, Nadab quoque et Abiu, una cum septuaginta senioribus, sub pedibus Dei Israel, quasi opus saphirinum cernitur, et quasi cœlum cum serenum est. Nec mireris interea, si nunc terra, nunc scabellum pedum ejus, sancta Dei Ecclesia nominatur, interdum vero quasi cœlum, cum serenum est, sub pedibus ejus cernitur; quia una eademque res variis figurarum ænigmatibus, **285** ob meritorum efficientiam et significationem causarum luce clarius reseratur. Qua de causa jurare per terram aliquem vetuit, qui scabellum pedum ejus, ac si cœlum cum serenum est, firmitate perpetua, sancta Dei scilicet Ecclesia solidatur. Unde, si quis terram aut cœlum vel Hierusalem illam magis aliquid existimat quam creaturam, errat. Si quis vero non se teneri juramento, quia creatura esse cernitur, cogitet quod in his omnibus præstantiora clauduntur et adumbrantur arcana. Quis enim ignorat quod Hierusalem illa terrena illius cœlestis imaginem gerat? Et ideo quisquis per eam jurat, jusjurandum ei debet cujus est civitas, nec alteri quam illi reddendum recte putatur. Sed ut simplicius loquar argumentati suat se non teneri juramento, si per ea tantum ad litteram jurassent, quia dictum fuerat: *Reddes autem Domino Deo juramentum tuum.* Idcirco docet nihil tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisque perjurare debeat, quando, a summis usque ad infima quæque divina Providentia cuncta creata reguntur. Hinc quoque incipit a throno Dei, quod sublimius est, et pervenit usque ad capillum album vel nigrum, quod vilius est. Et insinuat nec per caput debere nos jurare, quamvis nihil magis ad nos pertinere videatur. Sed quomodo nostrum est, ubi potestatem faciendi vel commutandi colorem nigri aut albi non habeamus? Propterea ineffabiliter tenent omnia, et ubique præsenti juramentum debetur veritatis. Unde quisque per caput jurat, illi utique debet jusjurandum, qui potestatem capitis habet, et cujus figuram caput tenet. Nam caput nostrum Christus, caput vero Christi Deus: et ideo quisque per caput jurat, illi utique debet juramentum suum, cujus figura et potestas in eo manet. Verumtamen quia ista de superstitione vel errore Judæorum venerant, resecat noxia et superflua, complet autem ad perfectionem, dum tollit jurandi occasionem, quæ defuerant. Sed tamen quia videtur Apostolus quam sæpe jurasse, et

Introdusă în format electronic de Google

veritatis sacramenta inter Christianos pro satisfactione alterius, licet a malo sint, frequentius conceduntur, liquet quod Christus penitus jurare non prohibuit; sed propter occasionem perjurii, docuit quod perfectius est; et ostendit quidquid ulterius fit, esto liceat veritatis obtentu, quod a malo est, **286** dum quisque, pro dubietate alterius, ut fidem faciat [a] qui non credit, jurare cogitur. Hinc est quod Apostolus sæpe jurat, ut infirmis ad fidem persuadeat. Hinc est quod Ecclesia suos pro pacis fœdere fideique assensu frequenter jurare concedit. Sed Dominus docuit quod perfectius est, indulsit quod infirmitatis, resecavit quod superstitiosum erat et noxium. Quia profecto, sicut mentiri non potest qui non loquitur : sic perjurare omnino non valet, qui nunquam jurat. Idcirco nemo sicut bonum appetat jusjurandum, sed pro infirmitate alterius quæ a malo est, quia infirmitas mala est, utatur juramento veritatis subsidio fretus, ut ei persuadeat quem jure necessaria fide viderit infirmari. Aliter autem.

Sermo vester, inquit, *sit : Est, est; Non, non.* Quia omnino evangelica veritas non recipit juramentum, sed alterius infirmitas id cogit, dum quilibet simplicem non potest recipere veritatem. Verum quod omnis sermo fidelis recte pro jurejurando accipitur, et ideo in illo semper esse debet in affirmando, *est, est*, in negando, *non, non*; sufficit enim dicere ore, est illud, quod in corde est; non est autem, in ore, illud, quod in corde non est. Quidquid vero extra hanc regulam secus est, certe aut ex mendacio est, aut ex infirmitate alterius, licet verum sit quod juratur. Et ideo non dicit, quidquid amplius est, malum est, sed temperat sententiam, et ait, a malo est. Quia si quidpiam plus minusve subterfuerit, a malo esse convincitur. Quapropter quod est in corde, sit et in ore; quod vero non est in corde, nequaquam sit, quia non debet esse in ore. Unde, si quis verum loqui curat, calamum linguæ prius necesse est intus in veritate tingat, deindidem ex eadem veritate foras in ore verum proferat. Omne quippe verum a veritate verum est, et omne quod est eo habet esse, quia est ab eo quod est. Sic itaque omnis veritas a vero habet ut omnino veritas sit, et ideo non simpliciter, sed geminate dictum est, *Sit omnis sermo vester : Est, est; Non, non.* Neque enim vicissim ea confundere licet, ut sit in eo *est*, et *non*, quod Apostolus denegat, sed in ea quam corde gerimus essentia veritatis, est illud quod ore proferimus; veritas autem Deus est, et quisquis verum loquitur utique ex illo loquitur. Quia, sicut quidquid est, ab eo habet esse quod essentialiter est : ita ex illo, qui in nobis et in fide nostra Deus veritas est, debet ore proferri quod verum **287** est. Alioquin, etiamsi verum videatur, nisi ex illo habeat esse, utique non est. Esse quippe Deo substantialiter est : nobis quidem et rebus, ac negotiis universis accidentaliter. Idcirco, quodcunque nos sumus, quod in nobis vel ex nobis est, seu quodcunque circa nos est, ab eo constat esse, quod est. Sin autem ex eo non habuerit esse, utique non est. Propter quod mira dispositio rerum, omne quod non est, quia non habet esse ab eo quod est, non minus verum est, quia non est, quam quod est, et partitur esse ex eo quod est. Hinc igitur constat, quod in ore Christiani, non minus in negando, quam in asserendo semper veritas esse debet. Sed tamen talia quæ tam ardua sunt et difficilia, quia peccandi via satis lubrica est, nemo sine spiritu fortitudinis custodit; nemo nisi esuriat et sitiat justitiam, partes vitæ perfectiores, et consummatam regni cœlestis justitiam adimplebit.

Audistis, quia scriptum : Oculum pro oculo, dentem pro dente. Subaudiendum est reddet, ut ætas rudis vitæ, quasi justitiæ initium præstruatur. Cæterum Christus justitiam perfectæ vitæ insinuans, addidit quod deerat. Unde patet sicut et in cæteris locis, quod ea quæ de lege sunt, inter prudentiam carnis, et consummatum Evangelii justitiam media sunt. Manent igitur hinc inde quasi duo termini, unus qui detrahit ad culpam, alter vero qui regni justitiam perfectius implet. Medietas porro horum legalem adhuc rudibus pandit disciplinam. Non modicus quidem justitiæ gradus est, plus lædenti, quam intulit, non rependere. Nam prudentia carnis quæ ab Apostolo mors dicitur (*Rom.* VIII, 6), est ulcisci, insidiari, concupisci, quæ carnis sunt callide sectari, et cætera hujusmodi. Justitia vero legis segregat nos ab his, et initium perfectæ vitæ suos adhuc terrenos incipit erudire. Deinde Christi justitia, per quam regnum cœlorum digne quæritur, docet omnino non resistere malo. Esset quippe justitia Evangelii major, si lædenti minus injuriarum quam perceperat quisque juberet reddique nunc multum superexcellit cum jubet nec resistere malo. Unde justitia Pharisæorum plus aliquid habet a prudentia carnis; longe tamen inferius sita est a justitia regni; et ideo Christianis jure dicitur : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Sed hanc nemo digne, sine spiritu consilii, et gratia misericordiæ, consummabit. Sic enim **288** tolerandi sunt in spiritu mansuetudinis, quasi phrenetici et sine mente homines, ut quandoque resipiscant, et sint amici tolerantes qui erant prius persequentes. Parum itaque est Christi discipulo in hac parte ad perfectionem justitiæ, non solum ex lege lædendi, non amplius quam acceperat reinfligere; verum etiam si minus aut nihil reddiderit, quod integritas hujus perfectionis est, juxta præceptum Domini, non resistere malo. Qua de causa statuamus duos justitiæ terminos, ut medietates eorum secundum proportionem diligentius contemplemur. Nam initium justitiæ est, non amplius, sed æquo judicio, lædenti ex lege

[a] Hic interserendum *illi*, aut saltem subaudiendum; quam vocem et huic similes, solita ellipsi, illius ætatis auctores in hujusmodi phrasium structura omittunt.

Introdusă în format electronic de Google

pendere; perfectio vero, malo non resistere, sed paratum esse ad omnia patientissime toleranda. De cætero medietates horum multo minus quam passus sis, aut nihil reddere. Sed prior terminus, dentem pro dente, oculum pro oculo, aut certe damnum æquo pondere pro damno exigere, quamvis infra fines justitiæ claudatur, prudentia tamen carnis pascitur, et ex vicinitate illius, licet gradum justitiæ teneat, offuscatur. Paratum vero esse ad omnia toleranda pro Christo, nec resistere malo, integritas vitæ, et consummata virtus justitiæ prædicatur. Cæterum, medietas horum, quantum, *multo minus exigere*, hæret adhuc initio, et aliqua carnis prudentia frequenter exagitatur; tantum *nihil mali reddere*, hæret jam perfectioni, et *si* ex amore Christi est, spiritu mansuetudinis subsistit. Cum si adfuerit spiritus fortitudinis ad toleranda omnia, ut etiam cum adpossit, malo non resistat, plena justitia in Christi patientia possidetur.

Verumtamen considerandum est quod dicit: *Non resistere malo*. Nunquid vitia et peccata mala non sunt, contra quæ omni conatu mentis reluctamur pugnantes? Aut nunquid adversarius noster diabolus malus non est, cui, Apostolus ait, *resistite fortes in fide?* (*II Petr.* v. 9.) Hæc utique mala sunt, sed non de his malis dicit sermo divinus. Nempe alia sunt mala, quæ vulnerant animam, et quibus morte punimur æterna; alia sunt mala temporalia, quibus inpræsentiarum affligimur, ut probemur; probati vero non confundimur, sed coronam exspectamus certaminis. His quippe temporalibus malis jubet non resisti, quoniam nobiscum per patientiam cooperantur in bonum. Peccati vero malum restat præcavere ac repelli, ne integritatem corrumpat animæ, quia faventibus sibi cooperatur in mortem. **289** Unde si talia interius exteriusve nobis suggeruntur mala, resistenda sunt utique et vitanda: si vero hæc temporalia, licet a diabolo vel a quolibet inferantur homine, non resistenda sunt, sed patientissime toleranda. Quod satis Job verus athleta prænoscens confirmat exemplo; *qui* multis appulsus malis nec reluctatur, tentatus vero interius peccatum perperam non admittit. Quod ideo dixerim, ut diligens lector libertatem Scripturarum in loquendo advertat; quia non semper calumnias hæreticorum pertimescit, sed regulas catholicæ veritatis efficaciæ nostræ intelligendas derelinquit. Idcirco, non cui malo, sed absolute, nolite resistere malo, dixit. Verumtamen de quo diceret malo, continuo latius per partes explanat. Unde sequitur:

Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi et alteram. Per dextram quippe maxillam, non abs re conscientia nostra, quam secundum Deum habemus, significatur; in qua si quis nos percusserit culpando quod in nobis notissimum ac præcipuum est, offeramus ultronei totum corpus ad affligendum, priusquam, quod potissimum est, opprobria non ferentes, amittamus. His quippe tribus generibus injuriarum omne malum præsentis vitæ distinguitur. Quia omne quod patimur, aut in corpore nostro cruciatibus afficimur, aut exterius damnis rerum affligimur, aut certe variis negotiorum operibus angariamur. Sed in his omnibus parati ad perferenda, patientesque esse debemus. Unde Propheta: *Paratum cor meum, Domine, paratum cor meum. Cantabo et psallam in gloria mea* (*Psal.* cvii, 1). Paratus namque corde est ille qui et interius promptus est pati pro Christo, et exterius licet in angaria devotus est, si qua inferantur, patientissime tolerare. Idcirco propter has duas maxillas, sermo propheticus geminatur. Ac si dicat: Paratum est cor meum, Deus, omnia malignantium interius opprobria sustinere; paratum est etiam exterius, pro te, quæ me excruciare possunt, libenter sustinere. Qua de causa lætus cantabo ac psallam in gloria mea. In gloria, inquam, mea, quia de conscientia bona securus, confundor in nullo quo patior. *Gloria nostra*, inquit, Apostolus, *hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i, 12), quibus profecto verbis **290** liquet quod quoties in una earum Christianus flagellatur maxilla, semper paratus esse debet ut alteram devotus ad feriendum offerat. Unde signanter dictum est: *Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi et alteram.* Alteram ergo dixit, et non sinistram: quasi dicat, præbe illi et alteram dextram. Quia juxta hunc sensum justus totus est dexter, et sicut Aod ille in libro Judicum, utraque manu pro dextra utitur (*Jud.* iii, 15), dum exterior et interior virtus hominis in holocaustum Domino mactatur. Sic quippe rectius intelligitur quam ut, ad litteram, sinistra facies, dum dextra percutitur, porrigatur. Alioquin Christus in passione, quod suos docuit discipulos, non implevit, qui percutienti se in maxillam, licet pati paratus esset, alteram non præbuit. Verum simili quoque modo nec Paulus, cum in facie cæderetur, adimplevit. Ait itaque principi sacerdotum: *Percutiet te Deus, paries dealbate* (*Act.* xxiii, 3). *Si male locutus sum, perhibe testimonium; si autem bene, cur me cædis?* (*Joan.* xviii, 23.) Quid putas, nunquid Christus contrarius est præceptis suis? Aut Paulus discipulus veritatis oblitus est quod ei jussum erat ex Evangelio? Non utique quia et Christus non solum alteram maxillam, verum omne corpus pro nobis clementer simul et animam in cruce obtulit. Et Paulus quod mori paratus esset pro Christo, postea passio probavit. Qua de causa Christus hoc docuit, quod ex operibus exhibuit, et non quod quisque delirus ex verbo Evangelii frivolum sibi finxit. Nihil enim prodest percutienti alteram maxillam præberi carnis, si non cum ea offeratur etiam devota maxilla mentis. Hoc quippe Christus docuit, cum ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* ii, 29). Quod autem ex se docuit qualis esse debeat humilitas, hic descripsit; descripsit enim virum evangelicum; et ideo quisquis in Evangelio militat, debet paratus esse pati, si necessitas incubuerit, pro Evangelio. Hinc quoque Jeremias ait: *Bonum est homini, cum portaverit jugum adolescentiæ suæ, dabit percutienti se maxillam, saturabitur oppro-*

Introdusă în format electronic de Google

briis (*Thren.* III, 27, 30). Quod autem saturatur opprobriis, in dexteram interius percutitur; quod vero exterius maxillam præbere jubetur alteram, dexteram scilicet, **291** totum corpus offerri pro Evangelio ad percutiendum mandatur. Itaque tandiu verberanti adversario succedentes sibimet dexteras præbere debemus, quousque aut inimici ira convertitur in pacis et veræ dilectionis concordiam; aut totus homo dexter flagellis ac passionibus affectus holocaustum fiat. Ecce liquido patet perfectionis apex quantum distet ab angustia legis; profecto quia lex carnalem populum non minus metu vindictæ coercebat, quam furiosas eorum mentes talione sævæ ultionis temperans mitigabat. Dominus vero in Evangelio fidem nostram, quæ per dilectionem operatur, rebus ipsis volens probare, non solum ut quisque sibi injuriæ illatæ vindex fiat prohibet, verum etiam, dissimulatione contumeliæ quam perpessus est, prætensa, præbere jubet, et quod residuum est, ut ingenuus homo noster libere quod est pro Domino patiatur.

Et ei, inquit, *qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte ei et pallium.* Qua nimirum sententia, non modo humani judicii sustinere jubet in rebus caducis violenta decreta diripientium nostra, verum cum voluntate libertatis, si quis voluerit violenti judicio tunicam auferre, remittamus ei et pallium, et nolimus resistere malo. Sane, per tunicam, quidquid nobis ex substantia magis necessarium est, recte accipimus; per pallium vero, si quid ex superfluo exterius dilatatur, non inconvenienter dicimus. Quibus duobus omnia illa intelliguntur de quibus judicio nobiscum contendi potest; ita ut a nostro jure in jus illius, sponte, sine ullius litis contentione, diripere [*F.*, diripi] gaudeamus. Unde Paulus suos collaudans auditores : *Et rapinam*, inquit, *bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* x, 34). Quod si de necessariis vitæ indumentis accipitur, quanto magis superflua contemnere debemus? Nam istis duabus speciebus, generaliter omnis pecuniæ habitus contemnendus esse monstratur. Unde quidam interpretum pro pallio vestimentum interpretati sunt. Et Lucas versa vice, prius *vestimentum* dixit, deinde *tunicam ne prohibeas* (*Luc.* VI, 29). Ex quo patet per tunicam necessaria quæque intelligi debere; per vestimentum vero omnia quæ supersunt : tanquam si diceret, qui vult ea **292** quæ tibi ad præsens copiosa affluunt tollere, remitte ei et si quid vitæ necessarium habes. Indumentum namque habitus est hominis; habitus vero etiam apud philosophos, universam supellectilem designat possessionis. Omnis itaque tunica vestimentum est, sed non omne vestimentum tunica vocatur. Ideo vocatur quod minus est necessarium per vestimentum : aut quidquid amplius et magnarum rerum facultas est, non abs re contemnenda monstratur. Contemnenda igitur est sæcularis facultas Christiano, ut inanem stultorum cupiditatem, et vanitatem insatiabilis avaritiæ liberaliter arguat; se quoque spe bonorum futurorum jam locupletem in Christo esse ostendat. Sed infidelitas multorum mentes inpræsentiarum atrociter vastat. Ideo nonnunquam et inter ecclesiasticos viros pro rebus pecuniariis lites ac jurgia grassantur. Frater cum fratre judicio pugnat, et rarus jam qui ad hæc agendo vel docendo manum mittat. Manet tamen sententia qua dictum est : *Qui solverit unum de mandatis istis, et docuerit sic, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Atque illud : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regno cœlorum.* Unde cogitet apud se fidelis quisque auditor, et non sequatur plurimam vulgi multitudinem. Imo præceptorum, ac paucorum utique perfectorum teneat exempla : quod etsi ardua sunt quæ jubentur, merces eorum copiosa in cœlis repromittitur. Tradunt autem in hoc eodem altiorem intelligentiæ sensum, ut per tunicam intelligatur anima, per pallium vero corpus exterius; quatenus si quis animam tuam perdere voluerit, dimittas ei et corpus in martyrio. Simili modo et de maxilla alium ferunt sensum : ut si quis hæreticorum te percusserit in uno Scripturarum testimonio, præbe illi et alterum, quousque is veritate victus, tandem resipiscat.

Et qui te, inquit, *angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Non solum igitur vestimenta sine judicio altercationis, sed et teipsum concede ei. Nempe secundum antiquorum consuetudinem est locutus. Unde non modo Jesus, sed et Simon Cyrenæus angariatus est crucem post eum portare. Crucem in angariam portat, quisquis necessitate sibi imposita, **293** non dico evangelizandi, verum juxta Evangelium, mundo crucifixus, quæ ponderis sunt et æstus hujus sæculi, devotus sustinet. Cui recte dicitur : *Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Ac si dicat, vade cum illo alia duo, ut sis non tam pedibus quam ex animo paratus. Sed cur mille passus dixerit et non plus aut minus; omnino non sine mysterio factum reor; præsertim tum et alia duo cum eo ire, nec tamen a mensura mille passuum recedere nos jubet. Quippe si ad mille alia duo passuum millia addideris, tria millia fiunt. Ut sicut perfectio passionum tribus istis prædicatur exemplis : sic ultimum verbi finem trino conclusit numero, et perfectionem in eo millenarii consecravit. Millenarius namque in lege sabbati est iter, quia plus quam mille passus ire in sabbato non licebat. Hoc igitur sabbati itinere spiritalis perfectio designantur. Non licet enim in sabbato servilia opera exercere, sed semper quæ perfectionis sunt, ingenue ac liberaliter sectari. Ea scilicet agere debemus, quæ ad futurum pertineant sabbatum, de quo Isaias : *Erit*, inquit, *sabbatum ex sabbato* (*Isa.* LXVI, 23). Quia qui hic in præsentiarum a perverso sabbatizaverit opere, illinc ex isto quiescet in cœlesti retributione. Siquidem recte vadit cum eo alia duo, qui corpore tantum in servitute redigitur, si integer spiritus et anima cum eo devota in servitio illo angariante, conservantur. His quippe parti-

Introdusă în format electronic de Google

bus secundum Apostolum, totus homo perfectus connumeratur; et ideo non absurde millenarius numerus triplicatus est. Ita tamen ut extra perfectionem et libertatis sabbatum consensio servitutis non excedat; sed ingenue in quo angariamur, absque peccato, quod est servile, corpore, anima, et spiritu perferamus. Nam per hanc itineris angariam servitus operis designatur, ut non solum privati rebus patienter feramus, verum, et si redigimur in servitium, æquanimiter ultronei peragamus. Quod bene Paulus, harum trium passionum summam enumerans, ait : *Sustinetis, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur*, si *quis in faciem vos cædit* (*II Cor.* II, 20). Ecce de reciproco servitutem insinuat pertinere ad angariam; devorare vero et accipere, ad eorum rapinam qui diripiunt quæ nostra sunt violenter et devorant. Cæterum **294** *si quis extollitur*, ad hæc tria refertur, qui nemo aliena diripit, nemo alteri angariam imponit, nemo nisi de extollentia persequendo alium in faciem cædit. Sed hæc omnia Christiano patienter ferenda sunt, et libertatis animo peragenda. Quia in his omnibus injuriarum generibus, docet magister veritatis misericordissimum religiosi viri animum exercendum, et propter cumulum justitiæ paratissimam ejus mentem esse debere ad quamplura sustinenda. Sed quia parum est hæc omnia tolerare, nisi præstiteris aliquod beneficium quod potueris, consequenter adjungit dicens.

Omni petenti te da; et qui voluerit mutuari a te, non aversatus fueris. Constat igitur quod omnia hæc quæ adduntur, partes justitiæ sint, ut integra justitia ex his omnibus prædicetur. Hinc quoque liquet quod de his rebus dicit : *Omni petenti te da*, quæ honeste ac juste dari possunt. Alioquin si contra justitiam inhoneste aliquid poscatur, quomodo illud dando complebitur? Præsertim cum innumerabilia sint, quibus si petita tribuantur, justitia penitus perimitur. Idcirco restat sic intelligendum, ut omni petenti te juste et honeste, si id possis, libenter impertiaris; sin autem facultas defuerit, saltem ipsa justitia affectu, verbo, vel obsequio porrigatur; hinc quoque fiet ut omni petenti te interdum et melius aliquid tribuas. Cæterum quod dicit, *qui voluerit mutuari a te, ne avertaris*. Quærendum est utrum de illo dicat tantum qui accipit redditurus, an de omni etiam etsi non velit accipere redditurus. Omnes enim qui recte aliis miserentur, plura cum fenore percepturi a Deo exspectant. Idcirco omnis qui accipit, mutuatur, dum patronum se ingerit feneratis, et ille qui tribuit, hæc eadem, quæ seminat in eo, feneratur. Sed tamen Dominus his verbis duo præstandi genera est complexus. Unum quod gratis pro amore Christi et justitiæ integritate nunquam inpræsentiarum recepturi damus; aliud quod mutuo postulatur et præstamus. Hoc igitur jubet, ne pigri simus. Recte itaque ad hoc nos divina hortatur Providentia, quia talibus indigentes multo relevantur quam sæpe juvamine, propterea quæstus **295** lucri et usura passim condemnantur. Fenus vero ex præcepto quasi justitiæ membrum collaudatur. Neque enim putandum est quod Domino non placeat etsi homo reddiderit, profecto cum id ex præcepto facias, tantum ne avertaris, et nullum secteris lucrum terrenorum, quia apud eum qui jubet infructuosum non erit. Nam, supra, quid contra persecutionem et rerum violentiam agere debeamus, nunc quid beneficii voluntarie sine ullius vi quærentibus impendere. Sed quidam refugiunt hæc de pecunario usu posse intelligi. Quia, si eleemosynam cunctis qui petunt tribuamus, ad modicum non erit, etiamsi dives sit aliquis, quid sibimet largiatur : neque si semper tribuitur, erit quid jugiter donare possimus. Nisi forte hæc sententia illo defendatur sensu, ut omni petenti et volenti mutuari juste quod honestum est tribuatur, ita ut æquo pondere nobis et officio nostro, seu qui ad nos domestici fidei pertinere noscuntur, deinde omnibus æquanimiter dividamus, ut in nullo injusti aut inhonesti, quod omnino nec decet, inveniamur. Quod si de sapientia aut spiritalibus donis quis velit accipere, satis patet quod, cum divisa fuerint, augeantur quæ cum dederis non amittis. Idcirco talis pecunia semper inexhausta erit. Qui profecto sensus, etsi pro Apostolorum officio locupletior videatur, tamen si accipiendus est ut quæ humanitatis sunt a nullo prætermittantur, quia pro nobis hæc omnia, tum melius profutura sunt, cum sine habendi damno apud Deum in futuro centuplicantur.

Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum, et cætera. Igitur, quia legem implere venerat, a principio cogitandus est textus, et considerandum quo fine cuncta conclusit. Profecto bonitas Dei eam complendo usque ad charitatem plenam provexit. Lex quippe, *Diliges proximum tuum*, inquit, et *odies inimicum tuum*, dixit non voce jubentis, sed permittentis; relaxat enim pronum eorum animum ad vindictam, et tamen aliquem æquitatis gradum commendat, dum *diliges proximum tuum* jubet. In quo nimirum gradu constringuntur hi quos, propter vitia dilectionis, affectu frequenter coercemus. Sicut sunt luxuriosi filii, vel proximi nostri aliis quibuslibet vitiis devincti, **296** quos etiam ex lege potest diligere in sævitia persequentes, eo quod non de odio, sed ex amore fiat. Exigitur ergo amor proximi, datur licentia odire inimicum, ut ex utroque rudis populi infantia temperetur; at vero in Evangelio, ut perfectioribus cumulus justitiæ augeatur.

Ego autem, inquit, *dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus ac calumniantibus vos.* Hæc est latitudo charitatis et consummata armatura justitiæ, quæ usque ad dilectionem inimicorum extenditur. Nam persecutorum rabies contra Christi Ecclesiam tribus dimicat modis; mentis scilicet odio, et verborum maledictis, atque injuriarum et tormentorum cruciatibus : contra quæ Christus docuit, pro inimicitiis dilectionem impendere, pro odio vero

Introdusă în format electronic de Google

odiorumque injuriis beneficia retribuere, necnon et pro persecutione ac calumniis eorum, orationes fundere. His quippe partibus charitas dimicat, ut omnia mala in bono vincat. Singulis enim singula opponuntur, ut omnes malitiæ partes bonitate vincantur. Unde, si juxta est inimicus, dilectio emolliat cor ejus; si vero longe, beneficia nostra eum visitando perquirant; et si quo sit loco ignoratur, penitus oratio profusa apud Deum etiam latentem inveniat. Verumtamen in omnibus discretio virtutum satis moderanda est, et sollicite perscrutandum, quid sit quod Joannes pro peccantibus ad mortem fratribus prohibeat orare, Dominus vero etiam pro inimicis id fieri jubeat (*I Joan.* v, 16). Ubi nihil aliud occurrit, quam quia sunt aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorum persecutionibus graviora videntur, pro quibus nec rogare liceat. Sunt autem et tales, juxta Apostolum, cum quibus nec cibum sumere permittitur (*I Cor.* v, 11) : ita tamen ut vitia sint in odio, natura vero a nobis, quia homines sunt, diligatur. Cæterum ea quæ a sanctis Patribus sunt prolata, et in Scripturis divinis quasi maledicta sonare videntur, potius prophetiæ sunt de futuro quam livoris vel odiorum inflammationes.

Neque æstimandum, juxta quosdam, quod ista præceptorum decreta impossibilia sint, eo quod dicunt : Satis erat inimicum non odisse; nec attendentes, quod etiam in Veteri Testamento hoc multi implevere, quanto magis illis poterit esse **297** possibile quibus Christi gratia suffragatur, et oporteat filios adoptionis illum imitari, qui huc veniens omnes inimicos invenit, et de ipsis fecit sibi amicos. Sed quæritur quomodo non solverit legem, quia dixit : *Diligite inimicos vestros*, præsertim cum lex dicat : *Odies inimicum tuum*. Hæc siquidem quæstio solvitur illo verbo quod supra præmisimus, quia non est imperantis, sed permittentis, propter duritiam et imperfectionem eorum. At vero cum advenit gratia, qua nostra infirmitas relevatur, restitutum est legi ad perfectionem justitiæ, quod detruncatum erat propter imbecillitatem carnalis populi et segnitiem eorum. Hinc est quod et aliubi de dilectione loquens dicit : *Mandatum novum do vobis*, licet antea fuerit præmissum, *Diliges proximum tuum* (*Joan.* XIII, 34). Novum autem ideo vocat, quia in illo carnali populo inveteratum erat et semidictum, eo quod vix eorum aliquis quempiam diligeret, nisi carne proximus fuisset. At vero Christus, novus homo noster, renovatis in se dilectionem præcipiens, omnes aut in Deo aut propter Deum diligere jubet. Idcirco novum mandatum proposuit; quia illud innovatum omnia innovat, et de filiis iræ filios adoptionis facit. Unde sequitur

Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. Ecce filiorum adoptio sola charitate acquiritur, charitas vero præmissis justitiæ partibus expletur, et dilectione inimicorum firmatur. Hæc est, inquam, illa potestas de qua dictum est per Joannem : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Hoc quippe testatur Spiritus sanctus in nobis, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, quia sumus filii Dei. Alioquin nisi per fidem renascamur charitate, quomodo ex Deo nati dicimur? Charitas quippe Deus est, et ideo quisquis ex ea renascitur, ex Deo natus est. Hinc notandum quod non ait : Facite ista quia estis filii, sed ait : Facite quæ moneo, ut sitis filii Patris vestri. Ex quo mira locutio generatur. Quid enim filius Patri potest esse nisi Filius? Et tamen Pater jam dicitur, licet adhuc facultas fiendi credentibus offeratur. *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri*, ac si dicat : Facite opera, ne degeneres sitis, quia necdum estis re, quod jam spe divinitus facti estis. Nam et vulgo sic sæpe loquimur : Fias sic filius patris tui, non utique natura, quod jam est, sed imitatione, quod necdum est. Quanto magis de nobis hæc locutio et Deo Patre dicenda est, **298** ubi non una natura Dei et nostra prædicatur, sed hortamur permaneamus in gratia adoptionis, per quam jam filii nominamur, et nobis idem Pater dicitur. Præterea quærendum æstimo, utrum hæc sententia pendeat ex eo tantum, ubi dictum est, *Diligite inimicos vestros*, an ad omnia quæ supra præmissa sunt? Liquet igitur satis quia illa hac sola dilectione, per quam et inimicos diligere jubemur, complentur et in ea cuncta recapitulantur. Quamobrem non solum ad hanc, verum et ad illa omnia, ex quibus conficitur charitas, referendum est : *Ut sitis filii patris vestri.* Ac si patenter dicat : Diligite inimicos vestros misericorditer, et hac sola dilectione supplete omnia quæ mandavi, ut sitis filii Patris vestri. Accepta igitur potestate, agite operibus, ut sitis filii, quia ille jam Pater est. Non enim potest non esse quod est. Idcirco vos estote renascendo per charitatem, quod vocati estis. Alioquin licet ille sit Pater, vos filii non eritis, nisi ex Deo nati sitis; Deus quippe charitas est. Hoc quippe insinuat filius ille prodigus, qui, quamvis non audeat, nec dignum fateatur se filium vocari, tamen nihilominus patrem eum appellat, quem scierat non posse mutari; ac si patenter clamet : Si ego peccavi in cœlum, et non sum dignus vocari filius, tu nunquam pater fore desistis, neque viscera paterni affectus unquam prætermittis, fac me sicut unum de mercenariis; quod et Dominus Novi Testamenti volens præcavere ne itatenus degenerarent adoptionis filii, implet justitiam legis, removet simultates carnalium, extendit præceptorum summam usque ad inimicorum dilectionem, proponit exempla paterna, quæ debeant boni filii sollicitius imitari, et reddit causam mandatorum omnium, *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri qui in cœlis est.* In cœlis autem, licet ubique sit Deus Pater, ideo monstratur, ut dignitatem suam hæredes ejus, et cohæredes Christi, illic evindicent, ne forte peccasse in eo, ubi prodigus ille peccavit, demum gemendo doleant.

Qui solem suum, inquit, *oriri facit super bonos ac malos, et pluit super justos et injustos.* Hoc quippe pietatis exemplum, quamvis spiritaliter possit accipi de Christo qui est sol justitiæ, quod ortus sit ad re-

Introdusă în format electronic de Google

demptionem in carne super bonos et malos, et pluat imbrem evangelicæ prædicationis super justos et injustos; melius tamen de sole isto et pluvia ista **299** quotidianis usibus necessaria dictum accipimus. Quia Christus, etsi omnibus venit, siquidem non omnibus ortus reluxit. Unde in eo libro qui inscribitur Salomonis : *Et sol justitiæ*, inquiunt, *non luxit nobis*. Alioquin si omnibus luceret, et plueret imbrem prædicationis suæ super universos, nequaquam injusti sine fructu pœnitentiæ aridi remanerent; neque propheta ex eo diceret : *Pluit super unam civitatem, et super aliam non pluit* (*Amos.* IV, 7). Idcirco patet sensus, quod de hoc sole et hac pluvia dicatur. In quibus non modica benignitas Patris prædicatur, dum hæc bona temporalia æqualiter cunctis tribuit, æterna vero solis reservat justis. Quod evidenter eis in exemplum qui adoptantur congruit, ut imitari debeant paterna pietatis opera, et bonos ac malos, justos et injustos, omnes suis beneficiis, absque ulla exceptione, circumfoveant et illuminent; irrigent vero charitatis imbre et inebrient, si forte qui steriles videntur, quandoque ad melius conversi fructum ferant.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Ubi ostendit, quamvis nostris temporibus vix aliquis perfecte diligentes se diligat, quod non multa justitia sit, si eos, juxta legis decreta, tantum diligimus qui nos diligunt. Ideo dicit : *Quam mercedem habebitis?* Ac si respondeat, nullam. Non quod aliquam exinde non habeant mercedem, profecto quia dilectio qua diligitur ab alio quem diligit, jam merces dilectionis est. Sed quia pro talibus merces illa quæ in cœlis copiosa promittitur, non datur, idcirco quasi nulla dicitur. Quia, etsi merces esse potest, apud Deum tamen nulla est, propterea recte nec merces vocatur; merces autem filiorum, sola adoptio creditur. Unde, si quis eam desiderat adipisci, exempla adoptionis teneat. Alioquin quid plus publicanis affert vestra dilectio? Nonne et ipsi diligentes se diligunt? Publicani autem erant exactores Romanorum, quos Judæi sic appellabant, quia de republica curam gerebant. Sectabantur autem lucra, exigebant vectigalia; negotiationes quoque, fraudes ac furta, et scelerata perjuria exercebant; quorum dilectioni ad invicem legalis dilectio comparata, nihil videtur habere meriti, quod non ex officio debitæ charitatis venit, sed ex recompensatione lucri.

Et *si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?* Dicuntur autem ista, non quod aut diligentes **300** diligere, aut salutare fratres humiliter et officiosissime non oporteat : sed quia hæc, vel hujuscemodi perfectione prætermissa, parva esse videantur. Et, quod pejus est, jam nec hoc interdum sinit quorumdam nostrorum inflata superbia, ut salutatione se præveniant, quod a paganis honestatis gratia agi probatur. Hæc ideo dixerim, ut simpliciores sciant doctrinam priorum in nullo prætermitti debere, quod tam sollicite etiam de mutua benedictionis salutatione inter cætera sanxerunt : quia si nec hoc, propter insolentiam, dignamur alternatim impendere, minorem paganis sectamur honestatem.

Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est. Ecce ad quod culmen Christus suos provehit, et quam perfectos eos esse debere in charitate denuntiat. Unde, si volumus esse filii, perfectionem sectemur charitatis, quia præcepta custodiendo erimus filii, non natura quidem, sed gratia, per quam in nostro positum videtur arbitrio ut filii maneamus. Ad quod fortassis dicat aliquis : Quomodo mortalis nostrum quispiam tam perfectus poterit esse, sicuti Deus Pater perfectus est, præsertim cum nunquam in eodem statu subsistat? Interea, quisquis hoc requirit, sciat quod non aliud est similem Deo Patri fieri, quam per charitatem, quæ diffusa est in cordibus nostris, eamdem similitudinem, in qua creatus est primus homo, ad melius reparari. Quod nemo fidelium negat; nam ad imaginem et similitudinem totius Trinitatis factus est. Idcirco quid mirum si renovatur admodum, ut sit perfectus, sicut Deus perfectus esse dicitur, cui et olim perfectio imaginis ac similitudinis attributa fuit? Sed quia subtilius hanc similitudinem perfectionis quidam requirentes, nescio quam caliginem impegerunt, saltem ne ad quod facti sunt remearent, libeat paulo latius intimare etiam quid philosophi de hoc loquendi genere senserunt. Nam omne quod simile est, per quod quisque alteri similis efficitur, duobus modis consideratur; aut quadam habitudine formarum, aut natura rerum. His quidem duabus partibus omnis similitudo contemplatur. Age nunc quam harum elegeris partem, in qua per similitudinem Dei Patris perfectionem habere queas. Si autem secundum habitudinem formarum perfectus esse elegeris, scias quod in eo nulla habitudo est, nisi quod ipse est; ipse enim illa forma est ex qua omnia formantur. Si **301** vero juxta naturam te similitudinem perfectionis habere dixeris, occurrit illico, quod non alia natura ejus, si prædicanda in eo natura est, et alia formarum habitudo; quia ipse idem forma et natura est. Ac per hoc erigendus est interior homo noster, ut quod ille habet per essentiam, nos incipiamus habere per adoptionis gratiam. Ut, sicut relative ad nos ille per adoptionem, qua nos adoptavit sibi filios, Pater noster dicitur, ita et nos per eamdem similitudinem qua sumus filii adoptionis, relative in illa perfecti maneamus. Alioquin quomodo is perfectus dicitur, qui nunquam factus, nunquam initium aut consummationem habere creditur? Perfectus autem Deus, non proprio verbo, sed sicut multis in locis pro nostra infirmitate dicitur, ut per hoc integre Deus bonus et summus prædicetur. Homo vero non esse realiter, sed per gratiam perfectus invenitur; qui si Deo comparatur, quid in eo perfectum erit? Nemo bonus, nisi solus Deus. Quod si nemo bonus, quis nostrum in bonitate perfectus erit? Unde

Introdusă în format electronic de Google

constat quod hæc similitudo, non pro toto, sed pro parte accipitur. Si autem homo in toto par Deo, vel similis foret, utique Deus esset. Nunc autem quia juxta quantitatem vel qualitatem deitatis, nihil ei par aut simile esse potest, restat ut pro parte capacitatis suæ homo aut angelus perfectus esse dicatur. Non tamen aliunde quam ex ipsa imagine vel similitudine Dei, ad quam factus legitur. Tanto enim perfectior quisque, quanto similior erit. Similis autem vel perfectus, non ex proprietate sui, sed ex gratia divinæ largitatis, et virtutum integritate. Ut, quod Deus habet per naturam, homo incipiat habere per adoptionem, ex participatione bonitatis Dei. Ac per hoc recte quisque perfectus, sicut Deus Pater dicitur, dum integritatem virtutum, et adoptionis donum, quantum per gratiam assequi potest, participat. Ut, sicut ille ex sese perfectus dicitur in natura deitatis, ita nos ex eo perfecti dicamur pro parte, in gratia sanctæ adoptionis. Sed quia ab initio, quo Dominus Deus Sabaoth exercitum ad militiam contra aereas potestates prior pro eis pugnaturus conduxit, immensos doctrinarum pelagus decucurrimus, poscit jam oratio finem libri, ne lectoris animus longo sudoris tractu fatigatus torpeat. Perfecto tamen fine militiæ tirocinia claudentes, ut ubi finem libri facimus, ibi virtus consummata in nobis perfectionem obtineat triumphantis. Sed utrum satis **302** abyssus scientiarum, ac recte decursa sit, quorum præsidiis innixus hæc agere tentavi, Patrum tuta probetur auctoritas. Ubi, si fructus arriserit laboris, opitulante gratia divina, ibi perfecti operis gloria deputabitur, ex quo venit effectus, et facultas piæ capacitatis. Ubicunque aut minus aut secus quam debui intellexi, non eorum quos secutus sum, sed mea ignavia fuit. Ac per hoc illorum fluenta supplebunt, quidquid imbecillitas perfectionis substraxit. Lectori tamen non ingratum erit, si quid de fonte veritatis fidelibus hausi votis, et meis quod potui ad legendum pro dono servitutis expensis obtuli.

PROLOGUS LIBRI QUARTI

Quoties navis a portu solvitur, expansis alarum velis, jam non in potestate consistit remigantis inter immensos aquarum fluctus, quas viarum partes legat, sed quocunque vis et aurarum flatus eum appulerit, una cum spiritu, ventorum gnarus gubernator etiam invitus vadit : sic itaque lingua doctoris, postquam a portu silentii se dirempserit, non in sua satis obtinet potestate quas doctrinarum vias in oratione promotus teneat, neque quibus verbis sententias quas intelligit, stylo opportunius committat. Unde constat si eum Spiritus sancti aura intus afflaverit, quod rectas intelligentiarum semitas irreflexo itinere devotus carpat; sin autem destituatur, periculosum est ulterius progredi, ne forte ad devios calles et aspera loca quibus se nequeat explicare, incautus ruat. Qua de causa semper orandus est Spiritus divinus, ut vitam bonam huic negotio appulsis, et sanam doctrinam tribuat ; quatenus bona vita docentem sapienter reprehensoribus commendet; doctrina vero sana proterat resistentes, et suis auditoribus prudenter ostendat quod Scripturarum veritas, a quovis sit prolata doctore, nunquam repudiari debeat; sicut e contra, si eam falsam esse contigerit, licet eximius sit in vita per quem docetur, quod nunquam suscipi, nunquam utique liceat venerari. Sed quia de vita idonea me non jacto, subdite tamen seniorum nobilium disciplinis nutriendus, et ad meliora vitæ studia provehendus in militia monasticæ religionis persisto. Porro juxta **303** exiguitatem ingenii, non solum sanam me apprehendisse doctrinam gaudeo, verum meorum adhuc præsidio eruditionis juvari morum gravitate jucundor; id mihi negotii exoptans dari, ut eis saltem proficiam quibus desudo; eos vero quibus nostra non placuerint, ut quiescant derogare priusquam pernoscant quæso, ne (quod absit!) aliorum profectibus aspernati non ferentes placere, sibi obsit plurimum quod fortassis prodesse poterat. Hac quippe spei gratia subvectus ad ea quæ de cordis munditia mandantur a Domino, retractanda tandem veniam. Quia profecto, sicut ab adulatoribus, et vanam gloriam captantibus, quæ jubentur non recte aguntur animo : sic, nisi in semetipsum redeat is qui festinat enodare aut docere alios, ut semper perpurgato mentis oculo se suosque sermones ad laudem Creatoris sui referat, nunquam sine periculo perfunctoriæ laudis, ad calcem usque pervenit. Idcirco me totum Deo committo, cujus spiramine ad portum salutis, et ad finem operis quandoque advectus, obsecro inter varios Scyllarum laqueos sine offensa veniam. Et imploro, quia hic liber permaxime de munditia cordis tractat, ut ille qui jubet servari, faciat et emundato cordis oculo ad eamdem contemplationis inspectionem pertingere, de qua dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Mat.* v, 8).

Introdusă în format electronic de Google

LIBER QUARTUS.

(Cap. VI.) Hactenus justitia Evangelii suis partibus usque ad plenam omnium et dilectionem inimicorum redintegrata, utplus esset quam justitia Pharisæorum ac Scribarum; nunc vero qua inspectione et cordis munditia ipsa eademque justitia credentium operibus debeat adimpleri, diligenter Veritas insinuat.

Cavete, inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Justitia autem nostra quid velit significare, non abs re quæritur. Nunquid, velut Judæi Dei justitiam ignorantes, nostram quærimus statuere? Sic itaque de his scriptum in Paulo legimus: *Ignorantes Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei* **304** *non sunt subjecti* (*Rom.* x, 3). Simili modo cum dicit, *Cavete ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, quærendum utrumne dicat: Cavete ne justitiam, quæ Dei est, vestram faciatis ob vanam gloriam coram hominibus ostentando, ut videamini ab eis. Quam justitiam studentes, Dei justitiæ non potestis esse subjecti. Patet enim quod variis modis, secundum Scripturas sacras, justitia vocatur. Dicitur enim justitia Dei, et justitia fidei atque Evangelii, quæ simul Dei et una est. Dicitur autem et justitia legis et Judæorum atque carnis. Sed et nunc justitia Dei nostra appellatur; ex quo liquet, quia sub Christo in fide vivimus Evangelii, recte nostra justitia vocatur: Dei autem ex eo, quia finis legis Christus ad justitiam omni credenti; nostra vero, quod per gratiam piis operibus adimpletur. Ac per hoc de illa dicit justitia, quæ major, sicut supra monstratum est in Evangelio, suis impleta partibus, prædicatur quam Scribarum et Pharisæorum, quæ non Dei, sed eorum esse pronuntiatur. Porro nostra justitia est, de qua dicitur: *Justus ex fide vivit* (*Rom.* i, 17); fides vero Dei est, quæ per dilectionem Dei ac proximi consummatur. Patet igitur sensus, quod ipsa est quæ præceptis operationum, et præceptis signorum superius adimpleta gloriosior præfertur. Unde aperiat oculos mentis suæ prudens exsecutor, et circumspiciat se in omni negotio, in omni officio laudis aut operationis, in omni beneficio charitatis, vel in omni re ex qua hæc justitia Christianorum commendatur, et amoveat se a favoribus sæculi, atque ab omni præsentis laudis intuitu. Tantum, quæcunque agit per spem fixam transponat ad Deum, nec sectetur ostentationem vulgi; non jactantiam religionis, non superstitionem verborum, aut vanam eloquentiæ pompam, ne forte, dum suæ quærit cum Pharisæis justitiam statuere laudis, justitiæ Dei non sit subjectus. Justitia quippe Dei est, omnia quæ ab eo jussa sunt impleri, et impleta simul universa ad laudem Creatoris referri. Alioquin, nisi eo intuitu fiant, dilabuntur, et sine fructu etiam pauca quæ gerimus in ventum dispereunt. Sed quærendum quomodo paulo superius dixerit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, et glorificens Patrem vestrum, qui in cœlis est;* nunc autem, e contrario: *Cavete ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Quarum terminos sententiarum quisquis diligenter inspicit, sine nostro laboris officio intelliget **305** quid cavere prohibeat, quidve coram fieri. Illic enim: *Sic luceat lux vera*, inquit, *coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum;* istinc vero, *Cavete ne faciatis opera vestra ut videamini ab eis*: ac si dicat: Facite ut qui viderint, glorificent Patrem vestrum, et ne faciatis coram hominibus, tantum ut videamini ab eis. Nihil enim stultius quam majora justitiæ opera vel minora tantum ideo fieri ut videantur. Si autem, quod majus est, martyr vis fieri, vel quod minus, calicem aquæ frigidæ tribuere ut videaris et lauderis, tu qui agis, te finem tui operis statuisti, et forte quod quæsisti habes. Qua de causa, nihil videri profuit; quin exinde vanam gloriam incurristi: et si rursus ideo coram facias ut luceant opera tua eis qui viderint ad laudem et Patris gloriam, licet non fiat quod quæsisti, tu tamen in conscientia finem justitiæ tenuisti. Unde non dicitur: Luceat lux vestra, et si viderint eam, ac glorificaverint Deum; sed tantum, ut videant et glorificent. Ac si dicat: Ad hoc agite ut glorificent Patrem vestrum, erit in divina respectione quid ei placeat. Quippe quia prædicatoris officium est verbis et operibus persuadere ad laudem fidei; Dei tamen est, si obtineant apud eos muneris firmitatem. Notanda igitur in omnibus verborum proprietas; nam illinc dictum est: *Sic luceat*, istinc autem *Cavete ne faciatis opera vestra coram hominibus* tantum. Itaque nec prohibet ne luceant, sed tantum, ne fiant ab eis ut videantur. Quia profecto, si virtutis essent, lucerent; nunc, quia vitiorum sunt et tenebrarum opera, videant tenebrosi tenebras suas; Deus quia lux est, ea respicere, nisi ut puniat, nec approbare potest. Diversa igitur voluntas et mentis intentio, diversos fines meritorum obtinet. Alius enim finis, ut videantur tantum opera tua ab hominibus; alius vero, per ea ut laudetur Deus. Dic, quæso: quis unquam agricola, quamvis rusticus, ideo colit agrum et seminavit, tantum ut videatur ab his qui transeunt? Vel quis unquam, nisi stultus sit, finem laboris sui collocat in aspectu hominum, ut nihil ex eo aliud requirat? Qua de causa semper sollicitus sit animus quid agat, vel quantum agat; cur autem, et ubi, vel quando, aut qualiter agat. Quia nisi agatur, ut scriptum est, quod præcipitur, et si non ad modum, quantum sufficiat ad justitiam, si non ideo pro quo, et ubi, id est, pro Christi amore, in Ecclesia, quod debetur, aut si non tempore **306** opportuno, dum seritur, vel si non ea festinatione timoris aut amoris Dei, qua deceat et jubetur; alioquin, ut Veritas fatetur, merces nulla est apud Patrem qui in cœlis est.

Introdusă în format electronic de Google

Oportet enim filios Patris gloriam sectari; quia natorum gloria patrum dignitas. Unde rectum est, ut a quo sumus, ei omnia boni operis, vel si quid est in nobis quod jure placeat, referamus. Alias adhuc si hominibus placemus, Christi non sumus, licet quibusque placeamus. Unde et Apostolus non se placere hominibus aiebat (*Gal.* I, 10), quamvis alibi nos, ut ipse, omnibus placere jubeat (*I Cor.* X, 33); quia in eo ipso quo se Deo servire probat, recte aliis placere propter virtutum formam non dubitat, inde et ad placendum hominibus alios invitat. Sequitur :

Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Quod est dicere : Nolo præconium laudis ante te attollas, ut videaris ab hominibus, neque prædicare te libeat factis tuis, sed Deum. Ante se quippe tuba canit, qui laudem suam quærendo, semper de se ante alios potiora, ut major appareat, innotescit. Sed si ad litteram Pharisæorum hypocritæ, quoties ad erogatam irent, tuba ante se cecinerint, ac si convocandi gratia, ut pompatice propter favorem vulgi, veluti ad spectaculum procederent, non satis liquet. Tamen nec dubitandum, cum multa superstitiosa egerint, quod et istam habuerint consuetudinem; de qua Dominus, loquendi accepta occasione, monet suos ne jactantiarum appetant præconia, sicuti hypocritæ faciunt, sed omnia ad laudem Dei, humiliter ac religiose in conscientia gerant. Ergo hypocritarum nomen ex antiquis theatralibus assumptum est disciplinis, quia erant simulatores (simulator quippe Græce hypocrita sonare probatur) qui tanquam oratores in concione, fabulose agebant partes personarum in theatris, et omnia negotia eorum tragica vel comica, ac si essent ipsi quorum personas gerebant, monstrabantur. Narrabant enim, non suas, sed eorum historias, et continentiam, motus quoque et voces eorum ac vultus, videntibus ob favorem vulgi vicissim repræsentabant : ita sane et illi qui bona opera ficto laudis officio, non ad Dei, sed ad suam gloriam, ostentant. Agunt enim partes justorum, et personam eorum, cum sint simulatores, ob favorem hominum assumunt; non quod habeant justitiæ opera, sed quia simulant se habere. Alias autem si justa essent, non ad se, imo ad **307** Deum, cuncta quæ faciunt boni referrent. Nunc autem quia, ut mimi, secundum tragicam pietatem in theatricis ludorum, coram hominibus, diabolo adstipulante, permulcent se, et cupiunt justi videri, ubi cum rex militum venerit, invenient non se fuisse quorum partes agebant in superficie, sed scenicorum imitatores quorum speciem tenebant in corde. Quapropter quisquis appetit videri exterius quod non est intus, utique hypocrita est et ludificator hominum; quos cum decepit simulatione sua, non eos sed seipsum perdit. De quibus sequitur :

Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Hoc de his dicit, quos jam in synagogis et vicis laudes humanæ paverant; cum quibus etiam hi colliguntur qui eorum imitatores fuerint, *Amen quippe dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Suam scilicet, et non Dei. Suam scilicet, quia quam quæsierunt laudem, ferentes pensum erroris et pœnam quam meruerant, culpis exigentibus recepere. Nota quam provide magister veritatis omnes justitiæ partes tangat. Prius igitur quid agas; deinde ne, tua laude deceptus ex eadem justitia, cum hypocritis damneris; postremum insinuat illud quod potueris, quomodo agas, ut in futuro exinde postea coroneris. Hinc quoque est quod sequitur :

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Non quod natura corporis istud secundum litteram intelligere permittat; sed ut ex tam evidenti corporis secreto, aliud cogitare compellat. Quis unquam dixerit quod anima, quæ tota ubique in omni loco corporis est, possit non sentire sinistra manu quod agatur in dextera? Nam sicut compatiuntur omnia membra si patitur unum membrum, ita sentiunt omnia, per vivificantem animam, quidquid sentitur in uno. Anima enim, quæ est in omnibus membris, non minus scit in sinistra quid agatur in dextera, quam quid in toto : quia ubique adest tota, et ideo scit ac sentit omnia. Quapropter cogimur alium requirere sensum, et docemur, ubicunque sic de membris loquitur, sicut jam supra fecisse cernimus de manu vel oculo, vel sicut de his qui se castraverunt propter regna cœlorum; non debere secundum litteram accipere, sed per hoc mysticas doctrinarum efficientias cogitare. Nisi forte hoc loco hyperbolice dicatur : nesciat sinistra tua quid dextera tua **308** faciat, videlicet ut tam occulto fiat, saltim ut nec sinistræ id scire liceat. Quid igitur si per sinistram eleemosyna porrigatur, aut si dextera præcisa fuerit, nunquid ea manu quidpiam dari non licet? Constat igitur utrasque fecisse Deum, et ideo non quod per eam fit bonum, Deus odire recte creditur, sed quod per eam significatur, malum. Habet enim interior homo noster suam dexteram, habet et sinistram : sed utinam totus homo noster dexter esset! Per dexteram quippe virtutum opera designantur, per sinistram vero vitia. Ideo dicitur, nesciat sinistra tua, nulla videlicet vitiorum operatio, quid agat dextera tua. Quod est aperte dicere, nesciat vitium elationis, aut superbiæ, vel vanæ gloriæ, seu quodcunque ex illa parte est, quid agat virtutum dextera. Quia, sicut tenebræ lucem nesciunt, sic oportet vitia virtutes nesciant. Imo sicut lux eas fugat, ita fugentur vitia luce recte operationis. Hæc ideo me dixisse sufficiat, ne aliquis superstitiose velit asserere, tam occulte quod mandatur nos facere debere, ut nulli alteri vel nobis scire liceat; præsertim cum dictum sit : *Sic luceat lux vestra coram Hominibus, ut glorificent Patrem vestrum.* Præterea sunt plurimi qui, quamvis secrete videantur bona agere, tamen scit sinistra illorum quid dextra geratur, quoniam permiscent lucem tenebris, et ita confundunt bona quæ agunt, ut omnia obscurentur tenebris, et priventur luce. Neque putandum quod solum de gloria dicatur : *Nesciat sinistra tua :* omnia enim vitiorum membra

Introdusă în format electronic de Google

sinistra virtutibus sunt contraria. Idcirco quidquid nobis vitii est pro lege peccati insitum, prorsus nescire debet actus boni operis, id est, in nullo admitti, ut quæ lucis sunt offuscentur; sed cuncta circumspecte convenit in lucem clarescere.

Ut sit, inquit, *eleemosyna tua in absconso*. Absconsa autem eleemosyna tunc recte fit, si nullis tenebris misceatur, quia tenebræ semper exteriores sunt a luce, lux vero semper interior. Et ideo quidquid interius fit, id est, in luce, semper in absconso est; quod vero in tenebris, id est vitiis admiscetur, semper exterius, et veritatis luce privatur. In qua nimirum luce, id est, in abscondito, quodcunque fit, quia Deus lux est, approbatur luce; videre enim Dei, approbare est. Et quidquid in luce est, non rejicitur; quidquid vero exterius, id est in tenebris, reprobatur. Multi quidem multa super hoc capitulo fingentes, **309** opiniones varias ediderunt. Nam quidam eorum per sinistram paganos, quidam vero inimicos, et quamplurimi uxorem debere intelligi sanxerunt; sed repugnantia sensuum cogunt ea respuere, et hanc quam sequimur intelligentiam tenere: licet superius per dexteram uxorem vel amicum scandalizantes nos posse accipi, et abscindi a nobis debere, dixerimus. Servatur autem idioma loquendi, ut quidquid in hoc sermone generaliter proposuerit, specialiter exsequatur. Hinc est quod supra Christianorum justitiam cœpit implere, et eam a Pharisæorum distinguere, quam profecto vetuit ut videamur coram hominibus exhibere. Nunc autem eamdem justitiam sicut per partes impleta est: ita per partes quomodo fieri debeat, explanat. Nam eleemosyna pars justitiæ est, sicut plurima quæ sequuntur. Et ideo dicit: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua*. Ergo Pharisæi faciunt eleemosynam, ita ut ei lem sinistra commisceantur vanæ laudis opera. Idcirco docet in specie, quod paulo superius docuerat in genere. Illinc quippe pluraliter dictum est omnibus: *Cavete ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. Istinc vero singulariter: *Te autem*, inquid, *faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua*. Unde datur intelligi quod et ibi unus in omnes, et hic omnes simul in uno accipiuntur. Omnibus tamen cavendum, ut in secreto conscientiæ, coram Deo, cuncta fideliter agant; non modo ut temporalia caveantur, et omnis commoditas laudis, vel retributio exteriorum rerum, verum omnis vitiorum fucus auferatur. Quia, si nescire jubet quid agat dextera, multo minus sinistra operari potest quod placeat, vel quod reputetur in dextera. Hæc igitur disciplina filiorum est. Idcirco coram paternis vultibus semper in absconso conscientiæ virtus justitiæ exhibenda est. Non quod non videant alteri quæ gerimus, sed ut nihil sanctis admisceatur operibus, imo ad laudem et gloriam Patris proficiant universa; nihilque ex ea quæratur aliud commoditatis, sed abscondantur omnia, ubi et vita nostra absconsa est cum Christo, et magna multitudo dulcedinis sibi timentibus reservatur. Ibi quippe recte absconditur nostra conscientia, ut ibi sit cor nostrum, ubi et thesaurus noster. Ibi enim Deus Pater conspicit, ibi videt et approbat, ibi sibi placent omnia. Extra quod secretum nihil videt et approbat, nihil est quod **310** placeat, nihil quod maneat. Idcirco necesse est ut pro Christo et in Christo fiant omnia; quia nihil est Patri quod extra Christum, ubi sibi bene complacuit, placeat aliquid, vel videndo comprobet. Hinc est quod sequitur:

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, ac reliqua. Quæ nimirum sententia conjungitur ad priorem; ex ipsa conjunctione similis ordo loquendi reiteratur. Prius dixerat: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, ac subditur: *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ*. Qua, sicut Pharisæi simulatores, id est, hypocritæ fiebant, ita et ir, oratione glorjabantur, ac superstitiose tantum. Ut viderentur ab hominibus, in synagogis, et in angulis platearum orabant. In angulis autem, quasi abscon- sores precum suarum, et tamen in plateis ut vide- rentur; ac per hoc ex utroque amplius gloriabantur. Quos sæpe infirmiores quique adspicientes putabant eos esse aliquid quod non erant. In angulo enim orat quisquis, a recta conscientia deflectens, tenebris se obducit, et abscondi se simulat. Sed tamen, quamvis in absconso orare se fingat, in platea tamen orat, quia publicam et latam hominum famam elatus captat, nec dubium superstitiose ad litteram istas eos observasse. Nam et nos frequenter non solum in publico vel in quolibet angulo, sed ubique oramus; profecto quia semper et ubique non minus orare quam et gratias agere jubemur. Quod simili modo accipiendum, sicut jam supra de justitia exposuimus. Non enim prohibet orare ubique, sed signanter ait:

Cum autem oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant stantes orare, ut videantur ab hominibus, etc. Nequaquam igitur nefas est quocunque loco Deum orare ac videri ab hominibus; sed ideo orare ut videaris, et ibi constituere finem orationis ut lauderis. Quod bene sequentia demonstrant: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Eam videlicet mercedem, qua visi et laudati sunt orantes, quasi religiosi. Non quod vera laus noceat, sed ideo orare ut videaris et lauderis ab eis, quod hypocritarum est, non modo nulla merces est (quia fructus prava intentione intus evacuatur), verum etiam vitium simulationis, et irrisionis contra Deum augetur. Deus enim non irridetur; scit utique quia latior est corde nostro, quid sibi, quid vanæ gloriæ in conscientia appendatur.

Tu autem, inquit, *cum orabis, intra in* **311** *cubiculum tuum*. Singulariter nempe edocetur quod supra, sicut et de justitia, pluraliter effertur. Unde datur intelligi quod hic unitas pro universali Ecclesia colligitur; neque ratione caret quod sæpe universalia præcepta quasi ad unum diriguntur, dum pluralitas in eo teneatur. Unde est istud in Deuteronomio quam sæpe, et in aliis quibuslibet locis: *Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia quæ ego doceo*

Introdusă în format electronic de Google

te, ut faciens ea vivas, et ingrediaris, et possideas terram (*Deut.* IV, 1). Nam sic per omnem textum ipsius libri quasi singulari personæ loquitur, ut unitas totius populi commendetur. Quid denique magis unum esse potest, quam corpus Ecclesiæ, quæ multis ex partibus counitur? Significantius enim quia una charitate Christi fulcitur, et fide generatur, atque uno Spiritu sancto regitur et vivificatur, per unum universalitas exprimitur, et sic omnibus veluti sofi sermo divinus intimatur. Ut per hoc unus in cunctis, et cuncti in uno simul animentur, ex quo maxima communio Ecclesiæ monstratur. *Tu autem*, inquit, *cum orabis*. Ac si dicat, quia omnium Ecclesiarum unum est corpus, idcirco tu, amica mea et sponsa, quæ mihi corpus es, quoties oras, intra in cubiculum tuum. Cubiculum autem dicit secretius mentis arcanum, ubi nemo videre potest quid sit in illo, nisi spiritus hominis qui est in eo. De hoc quippe cubili David monendo canit : *Quæ dicitis*, inquit, *in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV, 5); videtur enim aliquid secretius per ea velle significari, dum quæ corde promimus, quasi introrsus prius compungi jubemur. Ad hujus ergo cubilis ostium pulsat sapientia Patris ita dicens : *Ecce sto ad ostium et pulso* (*Apoc.* III, 20). Quod sane ostium ei per fidem aperitur, de quo in Canticis sponsa loquitur : *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo* (*Cant.* V, 6). Pulsat itaque Christus ad ostium, quoties per aspirationem boni operis mentem afficit, cujus profecto vox, quam sæpe blandientis affectu ingeminat, ita dicens : *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea* (*Cant.* V, 2), quæ nisi pulsanti aperuerit, vacua introrsus in se redit. Quid enim prodest orare in eo cubiculo mentis, ubi nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus venientes adhuc recepti sunt, neque mansionem apud eum fecere? Quapropter quisquis infra cubiculum cordis Deum, ut jussum est, vult orare, prius per fidem ostium pulsanti aperiat, et deosculetur eum per charitatem, atque intra cubiculum genitricis suæ, ubi doceatur ab eo, **312** devotus indicat. Alioquin quid prodest orare ubi non esse velis quem oras? Quod si fide jam tenes quem diligis ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totà virtute tua, recte intras cubiculum mentis, ubi Deus Trinitas per fidem colitur, per charitatem amplectitur, per spem quoque profundius solidatur. Tale quippe templum jam sacrum est, sicut ait Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Quid igitur prodest introire, orandi gratia, quo nullus est religionis locus? Idcirco, quia gratis venit Christus pulsans ad ostium, suscipiatur, et per charitatem interius tacita conscientia amplectatur Deus Trinitas : tum utique, sicut præcipitur, claudatur ostium, et oretur Deus Pater. Oretur autem non strepitu verborum tantum, sed fide ac spe et charitate intus quod quærimus impetretur. Hæc est, inquam, vera religio Christianitatis, non ut ultra cœlos aut infra abyssum, vel circa fines terrarum quærendo Deum animus se diffundat, sed intus quem diligit fide teneat, et eisdem virtutibus quibus eum colit attentius exoret. Sic itaque decet adorare eum, qui nec loco clauditur, nec fine terminatur. Hinc quoque mulieri Samaritanæ : *Veniet*, inquit, *tempus quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 23). Ac si dicat, adorabunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum; quia Deus Trinitas non alibi quam in seipso adoratur et colitur. Felix plane cubile, quod tanta capacitate fidei dilatatur, ut immensum et incomprehensibilem apprehendat : ubi quicunque ingressus orat, nihil hæsitans exposcat, quoniam in se habet per fidem quem orat, a quo perfacile devotus obtinebit fideliter quod orat. Unde Psalmista inquit: *Apud me oratio mea Deo vitæ meæ* (*Psal.* XLI, 9). Atque paulo superius : *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam* (*Ibid.*, 4). In me, inquit, effudi animam meam, quia intra me est quem fide tenet, charitate diligit, super quem spe certa innitor, et cultu religionis suppliciter imploro. Sic itaque de Anna legitur, cum multiplicaret preces coram Domino, et Heli observaret os ejus, quod *illa loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur* (*I Reg.* I, 13). Quid putas, nunquid ut videretur orabat? Non utique, sed clauso ostio, scilicet tacita conscientia, ut exaudiretur in cubiculo, Deum, cui præsto sunt omnia, rogabat. Et ideo exaudita est, quia cum eo qui ubique præsens est, largiter flens, in sese interius versabatur. Clauso **313** itaque ostio Deum orat quisquis ea quæ a foris improbe se immergunt, vi spiritus et obserationis custodia, funditus ne surrepant, repellit. Appetunt enim nostra interiora, et obstrepunt ad cordis ostium visibilia, et omnia quæ hujus vitæ sunt temporalia. Propterea obserandum est, et totus interior homo intrinsecus colligendus, quatenus cubiculum ingrediatur. De quo sponsa lætatur in Canticis, quod introduxerit eam rex in cubiculum suum (*Cant.* I, 4). Ex hoc quippe cubiculo ad illum pervenitur. Et ideo fidelis anima prius sese ingrediatur, Deumque mansione cordis suscipiat, ut deinde per ipsum ad ipsum subvecta quandoque pertingat : et quod nunc spe, tunc reipsa jam in patria beate fruatur. Quia, licet pro gratia æterna nobis concedatur gloria, in conscientia tamen sibi unusquisque gerit quid velit adipisci de suo labore in prece. Hinc quoque scriptum est : *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* (*Psal.* CXLVII). Exsultabunt ergo de gloria pro gratia gratis percepta, lætabuntur in cubilibus suis, scilicet in conscientiis, quia in eis, dum essent in agone positi, Christi gratia gaudium est operata. Qua de causa monet magister veritatis ut ingrediatur unusquisque cubile cordis, et ibi incipiat orare vel operari quo possit postea lætari. Unusquisque enim in se tantum gloriam habebit, et non in altero. Hæc autem omnia magister vitæ sic instituit, ut filium erudiat, et ideo ait : *Clauso ostio ora Patrem tuum*. Ac si dicat : Sic ora ut filius, et secundum quod re-

Introdusă în format electronic de Google

natus es ora. Paternitas ejus te doceat qua fiducia vel quo affectu orare debeas : Patrem enim oras ; ingredere ad eum in conscientia, et ora illum ut filius.

Et Pater, qui videt in absconso, reddet tibi. Noli orare ut videaris ab hominibus, sed ora intus clauso ostio, ut Pater tuus videat, et Pater, qui viderit in absconso, reddet tibi. Reddet autem non verba pro verbis, neque pro precibus precem, sed fructum orationis, et mercedem fidei.

Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici. Plane ethnicos gentiles vocat, vel philosophos, qui duabus de causis prolixius orabant. Putabant enim apposite, sicut in rerum negotiis et causarum statu soliti erant, **314** ad persuadendum loqui, ita in oratione debere, arbitrantes Deum verbis persuaderi posse. Et, sicut conciliabant verborum facundia sibi judices ad favendum, reddebantque intentos atque benevolos, sic utique moliebantur permulcere Deum, quia singulis in causis opinabantur eum flecti posse persuasibilibus verbis. Vel forte ideo plurimum loquebantur, quia nihil de conscientia, sed omnia verborum superficie agebant, nescientes ubique Deum adesse. Quorum infida supplicatio poscebat ut, si abesset quem rogabant, more dæmonum tandem adveniret ; veniens autem, quod prius nescierat, ambagibus verborum addisceret. Nec mirum itaque, cum idolis famularentur, si multa coram surdis profunderent verba nugatoria. Præsertim cum nec ipsi dæmones scire possent, antequam ignari eorum instruerentur eloquio, quid obsecrantes vellent. Sed fidelis Dei orator non multorum eget verborum, neque illi narrare plurima opus est, cui omnia patent, et ubique scrutatur secretorum arcana, et intensor est cordium, discretor quoque cogitationum ac medullarum. Sed nec sane multas lacrymas, vel multas obsecrationes in puritate cordis damnat, damnat autem multiloquium, quod de infidelitate et impuritate mentis generatur. Alioquin et Annam legimus preces multiplicasse coram Domino, et sanctorum plurimos biduo triduoque, sine ulla intermissione orationes suas protelasse ; sed et Dominum pernoctasse in oratione, atque in agonia prolixius orasse, ita ut sudor ejus quasi gutta sanguinis in terram distillaret. Ex quo datur intelligi quod non multiplicatio precum et profusio jugis, ex affectu divini amoris, vel intercessio veniæ damnatur, sed quod tantum verbotenus vacuas replere auras sine affectione infideliter contendunt. Nimirum quia sicut damnabile est cum hypocritis orare, ut ab hominibus videamur : ita infidelitatis est, cum gentilibus in multiloquio nos exaudiri putare, nec intelligere, saltem credendo, Deum, cui præsto sunt ea quæ sunt, quæve fuerunt, vel quæ futura sunt, ipsum prius scire, quam petamus, quidquid opus est nobis. De quo recte quæritur : si Deus **315** antea novit quam petamus, quid opus est apud scientiam petere, vel cur, licet paucis verbis orare jubeat? Nam et quidam philosophorum superfluum dixerunt cum precibus fatigari, qui novit singula etiam priusquam petantur. Sed hæc quæstio perfacile solvitur, si ordo debitus et justitia pensatur. Siquidem aliud est ignoranti quod nesciebat narrare, aliud vero cultu religionis orare illum cui subjectus esse debes, et apud scientem petere ut accipias gratis quod ex te antea non habueris. Quippe longe aliud est devote implorare apud potiorem te suffragium, et aliud infirmo narrari quæ nescit. Sane in uno eorum indicium est ignorantiæ, in altero vero obsequium justitiæ. Ibi fideliter referimus nescienti, hic suppliciter obsecramus et petimus a largitore. Vult enim Deus interrogari se, ut bonitas ejus deriveturad plurimos, et tamen devotio et status justitiæ servetur apud subjectos. Non quasi nesciens doceatur, sed velut bonus Dominus suppliciter veneratus clementer præstare dignetur. Unde et composuit brevissimam precem, si quomodo salutem celerem misericors tribueret, et nulla præpediret verborum prolixitas, imo fiducia esset ex brevitate dictorum, quod pius judex, qui brevi se voluit rogari oraculo, citius annuat poscenti ex voto. Verumtamen, quamvis pauca composuerit verba quibus nos doceat orare, quærendum tamen arbitror cur vel hisdem paucis verbis opus sit ad eum qui scit omnia, et novit, ut dictum est, quid nobis necesse sit, antequam petamus. Ad quod illico fatendum, potius rebus quas animo gerimus, et intentione cordis, cum dilectione pura et simplicitate affectus, nos agere debere apud Deum, quam verbis, ut impetremus. Idcirco sciendum verba nos docuisse, ut eisdem doceret verbis quid orare oporteat, quatenus ex his animus conciperet et memoriæ mandaret regulam orandi : non verba quæ diceret, sed res et sententiarum intelligentiam ex affectu quid exposceret. Alioquin nunquam aliis verbis orandum esset, quam eisdem in quibus hæc docuit. Nunc autem longe aliter sentitur. Idcirco non verbis apud eum agimus, sed affectu mentis, quem ex eisdem verbis percepimus, cum fide ac spe et charitatis obsequio devote implorantes eum, quatenus **316** ex verbis accendatur cor nostrum, et serenetur in precibus : deinde, ab ipsa intentione cordis illustrati, quod ipse docuit fiducialius impetremus. Ac per hoc, ex ipsius doctrina, cor nostrum quid orare debeat, paucis illustratur verbis ; illustratum vero, non indicando cui omnia patent, sed supplicando qui omnia potest, affectuosius diffunditur, et exposcit cum charitate, quod jam spe fidei percepisse præsumitur. Spes vero non confunditur, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. In quo nimirum Spiritu jamque clamamus : Abba, Pater. Hinc liquido patet, non aliud nos orare debere, quam quod docuit magister veritatis ; et, licet aliis verbis frequenter oremus, tamen quod aliud non licet orare minime dubitamus. Unde perpendat in Christo renatus, quia, ex quo justitia Christianorum cœpit egregie adimpleri, ab inde filiorum adoptio cœpit reformari. Et, si viderit se eisdem justitiæ partibus favere, noverit se jure adoptionis filium vocari, et ex

Introdusă în format electronic de Google

eadem adoptione paterna viscera ad misericordiam promereri. Sin autem minus attenderit quod præmittitur, timendum ne oratio fiat exsecrabilis. Aliter ergo vivere quam ut docuit, degenerare est a gratia, per quam sibi nos Deus Pater adoptavit in filios; aliter vero orare, non solum ignorantia, verum erroris culpa prægravari. Ex quo idem ait : Rejecistis mandata Dei ut traditiones vestras statuatis (*Matth.* xv, 3). Unde oremus sicut docuit unicus Filius Patris, qui Patrem suum, scilicet a natura, nostrum præstitit esse per gratiam. Et honorem proprium largitus est hominibus ut, quod solus habebat consubstantialitatis optimum ; cunctis sua bonitate per gratiam donaret indultum. Quapropter docuit prius nos conformes esse debere, deinde concessit, quod ipse habebat ex natura deitatis, nobis per adoptionis gratiam possidere. Quid igitur ordinabilius dici potest, quidve potentius ? quid benignius, vel quid largius, quam quod præstitit nobis, et docuit nos compartipes esse nominis ejus, et dignitatis fecit esse consortes ? Hinc est ergo quod inter cætera salutaria sua monita et præcepta divina, quibus credentibus consuluit ad salutem, proposuit etiam orandi formam, instituit qualitatem, tradidit disciplinam, monuit quid petendum, dedit ausum adoptionis, ut, **317** dum interius in nobis apud Patrem petimus, facilius audiamur. Implevit denique quod promiserat, quia veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Veri itaque, quia, juxta sanctificationem spiritus et traditionem veritatis, Patrem adoramus sine ullo erroris obstaculo. Nos enim nescimus quomodo oporteat orare, sed Spiritus sanctus est qui docet nos de omnibus, et postulat pro nobis, atque transponit in omnem veritatem. Idcirco nulla magis spiritalis oratio neque profusior, quanquam a Filio, qui est Veritas, ex ejus ore percepimus. Amica enim et familiaris oratio est, Deum de suo, ipso præcipiente, rogare, et ad aures paternas Christi ascendere mandata. Quid igitur putas, agnoscetne Pater Filii sui verba ? Ergo cum precem facimus, ideo intra cubiculum intrare jubemur, ut qui habitat Christus intus in pectore, ipse sit et in voce. Alioquin sine Deo apud Deum preces fundere, ac rem verbis implere possumus profecto ; effectum operis nequaquam obtinebimus.

Sic ergo, inquit, *vos orabitis* : Et quid est dicere *Sic ergo vos orabitis ?* nisi, non *ut hypocritæ*, ut videamini, non *ut ethnici*, in multiloquio, sed ut doceo, et quod docco, et quomodo doceo, vos qui mei estis, orabitis. Ergo ubi non solum pensandus est effectus orationis, verum etiam cogitandus habitus corporis, et modus vocis, quietudo quoque disciplinæ Christi, et pudor humilitatis. Propter quod infert : *Sic ergo vos orabitis* ; ac si diceret, ut trado, ut instruo, ut præcipio, ut præscribo. Deus enim non vocis, sed cordis auditor est, de quo Propheta ; *Præparationem*, inquit, *cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* IX, 20). Idcirco quisquis orat, illum quem orat, jam per fidem in corde teneat, per charitatem A diligat. Nam si hoc solum quod jubetur orat, rebus se accepturum quod spe præsumit in eo qui nulli negat quod requiritur, confidenter gaudeat. Publica est enim omnibus in Christo renatis, et communis hæc oratio, quando non pro uno, sed pro omnibus effunditur, quia omnes in Christo unum sumus. Deus igitur pacis et concordiæ, magister veritatis, unitatem renatorum instituit. Ideo sic unum pro omnibus orare voluit, quomodo ipse in uno simul omnes portavit. Nam majus est unum in omnibus orare, quam in seipso aliquem, propter quod non modica virtus orationis **318** existimanda est, in eo ubi omnes pro uno simul orant, quia unus in omnibus dedicatur. Et cum dicitur ab omnibus :

Pater noster, qui es in cœlis. Si profecto unitus es B in Christi corpore, omnes pariter secum te in precibus assumunt, atque ut fiat voluntas in te, simul implorant. Idcirco non modica cogitanda est hæc unitas, non parvipendenda tam firma in Christo societas, ubi omnium vox est una, et simul omnes una fide Deum in mente portant, una charitate diligunt, una jam spe fruuntur ; simul quoque omnes unum petunt, unum quærunt, unam pulsant ad januam pietatis. Nihil igitur validius, nihil locupletius, nihil melius, quam ut omnes unum sint, et omnes pro uno invigilent, sicuti unus pro omnibus inter omnes, ut universi simul in Christo unum inveniantur. Qua revera fide, qua spe, qua denique charitate docuit ut nemo fidelium ab hac unitate se dividat. Ideo nemo apud Patrem impetrare quod Filius docuit unicus se C diffidat ; nemo, quæ docuit, opera filiorum ignaviter præternittat. Hæc est, inquam, illa potestas, quam dedit hominibus filios Dei fieri. Idcirco et præmisit opera potestatis, ut ex ipsius maneat adoptio libertatis nostræ. Propter quod dat ausum orandi quam dedit et docuit, si quod minus est in nobis ut per gratiam impleatur. Hinc quoties nostrum aliquis, quamvis semotus a cæteris, et secretioribus habitans latenter locis, Deum Patrem nuncupaverit, animadvertat, non separatim singulis, sed communiter universis donum tanti muneris attributum. Et ideo nemo sibi applaudat dicere, Pater meus qui es D in cœlis, sed *Pater noster*, quoniam soli Christo competit, cujus proprie pater est Deus. Unde alibi signanter ait, *Vado ad Patrem meum*, deinde intulit, *et Patrem vestrum* (*Joan.* xx, 17). Quo dicto, satis discrete insinuat, sibi specialem gloriam quod Filius est congruere per naturam, generalem quoque gratiam adoptionis cunctis communiter concessam esse per gratiam. Ac si aliquis paterfamilias quempiam habeat a natura filium, et tamen plures possideat famulos, nunquid ob hoc quia paterfamilias dicitur, servi ab eo æqua conditione habentur ut filius, præsertim cum idem Filius Dominus probetur esse cunctorum ? Patet igitur in altero consubstantialitas naturæ, in altero vero bonitas dominantis, et in utroque commune paternitatis **319** nomen sortitur. Unde docemur, omnes quos unda lavat baptismi, nos in ipso fratres esse debere, et in invicem

Introdusă în format electronic de Google

fraternitatis vinculo sociari. Ac per hoc in utroque simul monemur Patri rependere affectum adoptionis, et fratribus non odium, sed germanitatis obsequio deservire. Si enim carnalis nativitas ex uno mortalium nos tanti amoris ligat vinculo, multiplicius cogitanda est fraternitas ex Deo Patre veneranda, quam nemo nisi spiritalis potest dignoscere. Alioquin, si non spiritaliter renascatur, quomodo valet apprehendere aut sentire affectum secundum interiorem hominem hujus amoris? Namque si vera fide et spe certissima hæc paternitas veneraretur et amaretur, per Spiritum sanctum charitate diffusa, nunquam fraternitas carnis amplius valeret apud aliquos, sed præferrent nobilitatem ex Deo, et gratiam adoptionis corruptioni; darentque operam ne degeneres existerent, et tanto parente indigni, propter vetustatem carnis. Ecce quam fidelis et beata debet æstimari oratio, quam nobis doctor vitæ et magister cœlestis docuit; ecce quam beati nos esse possumus, si hæc non tantum officio oris, sed fideli conversationis servamus actu; ecce quam certa spes salutis data est credentibus, quantaque circa nos dilectio Creatoris diffunditur, quanta misericordia et pietas prærogatur, quantaque gratia et fiduciæ munus indulgetur, ut, qui servi digni non fuimus, Deum patrem dicere audeamus. Unde necesse est quasi filii Dei vivamus et conversemur, ut id esse quod dicimur, spiritaliter actu et moribus probemus, secundum quod Joannes ait: *Qui natus est ex Deo, non peccat* (*I Joan.* v, 18), quia nativitas Dei custodit illum, et diabolus non tangit eum. Qui autem peccatum facit, non est ex Deo, sed ex diabolo, quia diabolus ab initio peccat. Idcirco, servantes sacramentum nativitatis nostræ, ab omni labe peccati nos immunes custodiamus, ut vere filii Dei simus. Quod longe Isaias voce nostra vaticinatur, dicens: *Tu es enim Pater noster, quia Abraham nescivit nos, et Israel non cognovit, sed tu, Domine, Pater noster, ab initio nomen tuum super nos* (*Isa.* LXIII, 16). De quo nimirum nomine satis edocti rogamus.

Sanctificetur nomen tuum. Sed prius quæritur: Deus pater quia ubique esse creditur, cum ei tantum, *qui es* **320** *in cœlis*, dicatur? Necnon illud, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII, 1) seu et in quamplurimis locis, ubi Deus Pater in cœlestibus esse asseritur. Ad quod fatendum hos cœlos, in quibus Deus inhabitat, non corporales, sed spiritales intelligendos; quia Deus non spatiis locorum distenditur, neque loco clausus tenetur. Monemur autem nihil terrenarum nos ambire debere, sed ad illam potius regionem, in qua Patrem nostrum commemorari fatemur, quantocius summo cum desiderio festinare: ut ibi jam mente versemur, quo Pater et Creator noster esse probatur. Unde Paulus: *Nostra*, inquit, *conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Et alibi: *Qui consedere nos facit in cœlestibus* (*Ephes.* II, 6). Nec non et illud: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Deo in cœlis* (*Col.* III, 1). Age jam, quæso, cœlestium scrutator, et perquire quinam cœli sunt in quibus et Deum Patrem et vitam tuam absconditam recognoscis. Numquid altissima mundi corpora, quæ non possunt esse nisi in loco? Quod si ita est, aves cœli majoris meriti erunt, quarum conversatio Deo vicinior est; quod omnino stare non potest. Et ideo fatendum Deum nusquam in loco corporalium rerum quærendum aut cogitandum; neque aliquem esse locum quo non sit, quia omnis locus præsto est ei. Nam quod ubique est, ita dici videtur non quod localiter in omni sit loco (omnino enim in loco esse non potest), sed quod ei omnis locus adsit, eique ad capiendum pateat, cum ipse non suscipiatur in loco, atque ideo recte nusquam in loco esse dicatur. Quoniam Spiritus Deus ubique est, licet non in loco, sed in spiritalibus et in Sanctis. Hinc quoque David ait: *Deus, qui in sanctis habitas* (*Psal.* XXI, 3), nimirum hoc est dicere in cœlis. Quapropter quisquis cum Deo in cœlis versari desideras, in sanctis et spiritalibus atque intellectualibus a terrenis te transpone; quia qui terrena sapiunt, cum Deo nequeunt sortem hæreditatis participari. Hinc quoque est quod spiritus sapientiæ in bonis filiis meditatur, non pro utilitatibus terrenarum rerum interveniens, sed pro nostri Patris gloria totum pietatis impendit affectum, ita dicens: *Sanctificetur nomen tuum.* Nomen itaque Patris filiorum est, quoniam Pater non nisi ex filio appellatur, sicut nec filius nisi de Patre dicitur. Relatio **321** quidem ad Filium refertur, quoniam nemo eorum secundum se, sed secundum alterum appellatur. Unde Filius ad Patrem ut sit Filius, et Pater ut sit Pater ad Filium refertur. Hæc enim invicem relata consistunt, quia alter ex altero nuncupatur. Hinc liquido patet, quia Patris nomen in Filio est, sicut e contrario in Patre Filii esse monstratur. Alioquin si non alter in altero esset, nec iste Pater, nec ille Filius diceretur. Idcirco quia nomen Dei Patris in nobis est, quatenus per adoptionem jure vocemur filii precamur: *Sanctificetur nomen tuum.* Non quod ille sanctior esse possit, qui omnes ex seipso sanctificat. Unde ait: *Sancti estote, sicut et ego sanctus sum;* sed idcirco sanctificari nomen ipsius in nobis postulamus, ut sanctificationis suæ operetur augmentum, videlicet Spiritum sanctum suum nobis præstando, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, et clamamus Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Qua de causa tunc sanctificatur Patris nomen in nobis, cum nos ab eo sanctificamur a quo præstatur omnis sanctificatio. Nam, sicut dignitas patris ad filios refertur, ita sanctificatio filiorum ejus nomini tribuitur. Quid enim aliud est sanctificatio nominis, quam infusio sancti Spiritus, per quem cor pium, mite, placidum et castum, omnique virtute præditum ad ejus præparamus ingressum, quo sanctificetur adoptio libertatis? Sic itaque nomen Dei Patris sanctificatur in nobis, quemadmodum ipse Filius clarificatum se in suis discipulis alibi testatur; qui

Introdusă în format electronic de Google

clara semper, sine ullo additamento detrimentove, divinitatis luce fulgebat. Nam inter cætera sic inquit: *Sanctificatus sum in eis* (*Ezech.* XXXIX). Et alibi: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis* (*Joan.* V, 18). Ubi ergo sanctificationis suæ locum invenit, ibidem se sanctificari dicit. Pietas enim Patris præstantissima sibi conferri pronuntiat, quidquid suis famulis clementer ipsa largitur. Sic itaque sanctificatur in nobis, sicuti et magnificatur a nobis. Hinc quoque virgo Maria gratanti animo canit: *Magnificat anima mea Dominum* (*Luc.* I, 46), non quod magnus et excelsus Dominus, nullam habens consummationem, major minorve esse possit; sed quia, dum nos in eo crescimus, ille in nobis quasi magnificatur. Ac si dicamus: Pater, sanctificetur nomen tuum, ut tales simus qui sanctificationem **322** tuam non modo intelligere, verum capere valeamus; quatenus tu ex nostra conversatione spirituali sanctus appareas. Quod tunc recte sit, si, videntes bona opera nostra, glorificent Patrem qui est in cœlis. Sed quam infelices hi, quorum operibus malis nomen Dei Patris blasphematur! Unde ne fiat, quia quotidie delinquimus, quotidie oramus, ut vivificatio et sanctificatio, quæ a Dei gratia sumitur, ipsius in nobis protectione servetur. Ac per hoc, nomen Dei Patris, quod in nobis est, per ablutionem sancti Spiritus, ne deterius quidpiam contingat, indesinenter sanctificatur. Quæritur ergo non abs re ab aliquibus, de quo nomine dicatur: *Sanctificetur nomen tuum?* Utrum quia a Christo Christiani vocati sumus, an quia a Deo Patre per gratiam adoptionis filii nominamur? Quod ex circumstantia lectionis illico designatur, cum præmittimus: *Pater noster, qui es in cœlis.* Nullum enim nomen in nobis ampliori honore sublimatur, quam ut filii Dei per Spiritus sancti infusionem nominemur et simus. Quod videlicet nomen duobus crescendo sanctificatur modis; cum aut numero credentium latius propagatur, aut cum quantitate meritorum in credentibus amplius diffunditur. In utroque tamen quotidie sanctificatur, dum renati suo munere augentur. Verumtamen non ideo loquor, ut nomen Christianitatis in nobis sanctificari non debeat, sed quia adoptio in renascendo gradus excelsior meritorum consecratur. Alioquin neque Christianitas sine adoptione, neque adoptio sine Christianitate præstatur. Hinc quoque in Apocalypsi Joannis vincenti dicitur: *Dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen novum, quod nemo novit, nisi qui accipit* (*Apoc.* II, 17). Per calculum quippe, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus designatur. In quo nimirum calculo, unusquisque renatus in Christo, dum per adoptionis gratiam unum corpus in eo efficitur, nomen novum accipit, ut Patris filius dicatur, et cohæres Christi in regno Patris efficiatur. Ac si patenter dicat: Qui vicerit mundum et auctorem mortis, dabo ei cohæredem Christum et consortem, per quem hostis devincitur, et in eo nomen novum, de quo Isaias ante prædixit: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Dominavit* (*Isa.* LXI, 2). Quod sane nomen nemo novit nisi qui accipit; tanquam si dicatur, **323** nullus dignitatem adoptionis moribus et vita defendit, nisi qui ipsum nomen divina prædestinatione ad æternam vitam nosse promeruerit; nam accipere ad prædestinationis gratiam refertur. Unde Baptista Joannes, cum de eodem Mediatore nostro loqueretur, inter cætera: *Testimonium ejus*, inquit, *nemo accipit* (*Joan.* II, 32); qui autem accipit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est, et ideo datur vincentibus calculus candidus, atque in eodem calculo, id est in eodem corpore Christi, nomen novum, scilicet sancta adoptio per quam filii nominamur. In qua nimirum adoptione prædestinatorum nomen, ut Deum diligant et proximum, consecratur. Hinc quippe scriptum est: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII, 34). Nulla igitur dilectio major esse potest, quam inter patrem et filios, inter filios vero et fratres a Domino commendatur; et hoc est in calculo nomen novum discipulis collatum, quod nemo novit nisi qui accipit. Tanquam si dicatur: hujus virtutem nominis per omnia ignorat quisquis in mandato dilectionem fratris paterno amore non conservat. Profecto de quo nomine in eadem Apocalypsi repromittitur: *Scribam*, inquit, *super illum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Hierusalem, quæ descendit de cælo a Deo meo, et nomen meum novum* (*Apoc.* III, 12). Igitur hæc inscriptio nihil aliud est quam sanctificatio nominis. Unde oramus: *Sanctificetur nomen tuum.* Quo utique stylo vel quo calamo super victores nomen Dei Patris inscribatur, audiamus. *Lingua*, inquit, *mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2); hic est, inquam, Filii Patrisque spiritus, cujus gratia nomen adoptionis, vel Christianitatis, inscribitur et sanctificatur. Quoniam, sicut Paulus ait: *Quia sumus filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corde nostro, clamantem: Abba, Pater.* Hinc certe dignitas nominis, hinc celsitudo meritorum: hinc reges sumus, hinc sacerdotes, hinc triumphatores, hinc nova creatura, hinc Christiani vocamur, hinc filii Dei sumus. Idcirco, ubi totius summa salutis, intimo sensu cordis oremus: *Sanctificetur nomen tuum.* Deinde sequitur:

Adveniat regnum tuum. In qua supplicatione quid petimus? Nunquid eum regnare sine initio et fine indesinenter dubitamus? Nequaquam, quia rex est omnium sæculorum, cujus profecto imperium nec fine clauditur, nec initio terminatur; sed hoc petimus ut veniat illud regnum adoptionis, in quo hæredes Dei, **324** cohæredes autem Christi futuri sumus. Congruus quippe satis ordo petitionis, ut quia in priori supplicatione filiorum adoptio consecratur, in secunda, ut regnum quod filiis debetur, obsecremus; non enim oramus quod ei prosit, sed quod nobis. Quia, sicut, dum ejus nomen sanctificatur in nobis, nos utique sanctificamur; ita, dum ejus regnum poscimus adfuturum, nostrum quoque Christi sanguine vel passione quæsitum, oramus

Introdusă în format electronic de Google

promissionis advenire regnum. Quando cum evacuaverit Christus omne principatum et potestatem, omnemque virtutem, traditurus est nos regnum Deo Patri, triumpho virtutis suæ, ut sit Deus omnia in omnibus, contemplantibus nobis illud quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod Deus præparavit his qui diligunt eum. De quo nimirum regno dicturus est electis suis in fine : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Sed ne dilatione animus torpescat, noverit pius exactor, quod, sicut quotidie in nobis nomen Patris sanctificatur, ut nos ad meliora virtutum opera valeamus; ita et regnum quod optamus quotidie advenire sentitur, dum evacuantur a nobis principatus et potestates, virtutesque aereæ potestatis, cum evacuantur vitia, et mundi concupiscentia exstinguitur. Tum utique, cum his propulsis virtutum bona in nobis fragraverint, et odoramenta meritorum cubile mentis asperserint; tum profecto Patris regnum jam jamque advenire in nobis minime dubitamus. Cujus nimirum gustu inter pressuras sæculi validius solidamur, et ut integrius adveniat ad quod ingredimur, instantissime oramus. Age ergo, quisquis te adoptatum in regnum gaudes, dilata sinum fidei, extende longanimitatem spei tuæ, amplifica magnitudine amoris, et ora omni virtute mentis, omnique instantia cordis, ut hoc regnum quotidie non solum credentium numero augeatur, verum etiam in te, vel in cunctis qui jam Christiano censentur nomine, quantitate meritorum dilatetur, et, evacuatis malis, clarificetur virtutibus. Insuper extende oculum mentis ad illud ultimum repromissionis diem, quando si permanseris in adoptione auditurus es : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*. Extende igitur oculum fidei et charitatis, apprehende precibus simul omnia quæ magister veritatis paucis conclusit verbis. Ora Dei Patris in **325** cunctis adveniat regnum; ora, ut in credentibus, evacuatis malis, virtutibus amplietur, et resplendeat congruo deitatis honore; quatenus et tempore finiatur, atque æternitatis principio gloriosius beatitudine concludatur. Hæc enim dicere vel optare criminosorum nemo audet, quia nec videre tribunal judicis optat; eo quod in adventu ejus, non præmii palmam se percepturum sperat, sed teste conscientia protinus pro suis reatibus excipere magis pœnam timet. Age ergo, quisquis es, saltem opta nunc in tempore, ut exuaris vitiorum malis, et veniat in te virtutis regnum; quia Deus virtutum est et non vitiorum. Opta igitur in membris Christi ut numero colligaris, et quidquid orat universum corpus in toto, ad membrum usque perveniat, si forte spe ac fide vel charitate fueris recreatus : ut simul capiti ac membris orando, agendo, vita et moribus deinceps fideliter collabores. Alioquin licet venire illum non velis, hoc judicium non effugies, et pœnam quam formidas male victus excipies. Disce, velim, longanimitatem, et consuesce infatigabiliter laborare. Ecce quandiu est quod sancta Dei Ecclesia illud orare cœpit : *Adveniat regnum tuum?* tamen licet quotidie augeatur, adhuc differtur. Quod nempe, idcireo dixerim, si petieris, ac forte illico non obtineas, ne fatigeris instantius in agonia desudare : quia regnum Dei dilatione quæritur, spe jam certa tenetur, a l quod per fidem gradimur, et nimio charitatis ardore quidquid obstiterit revincimus, et per eamdem ad illud donec perveniatur, infatigabiliter desudamus.

Fiat voluntas tua. Par quoque et huic intelligentiæ sensus est. Non enim quisquam est qui Deo, ne fiat ejus voluntas, obsistere vel contradicere possit. Præsertim cum scriptum sit : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra* (*Psal.* CXXXIV, 6). Sed hoc oramus ut libertatem arbitrii nostri ejus per gratiam sociemus ipsius voluntati, ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed voluntas Dei libera in omnibus impleatur. De qua nimirum voluntate sanctus Apostolus testatur dicens : *Voluntas Dei est sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a carnalibus desideriis* (*I Thess.* IV, 3). Et alibi Dominus : *Hæc est*, inquit, *voluntas Patris qui me misit, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam* (*Joan.* VI. 40). Quapropter et hic non quod illi, sed quod nobis prosit, devote oramus. Cum ergo dicimus, *Fiat voluntas tua*, cogitandum est qua fide dicamus, quave **326** charitate; quia nemo hæsitans de Patris voluntate unquam recte orat. Idcirco magna fides, magna devotio, magna securitas, de incommutabili Domini bonitate scire quod nihil mali velit, imo, secundum Apostolum : *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II, 4). Nullus igitur ista ex affectu potest dicere, nisi qui pro certo credidit, omnia quæ videntur, vel quæ non videntur, prospera vel adversa, Deum pro nostris utilitatibus dispensare. Oportet enim fide devota credere, magis eum pro nostra salute sine ulla intermissione esse providum ac dispensative sollicitum, quam nos ipsos pro nobis. Unde, si quis ista deliberato vel fixo tenet animo, semper ad ejus pendet voluntatem, nihil de se præsumens, diebus ac noctibus jugiter implorat illius in nobis fiat voluntas, quæ nunquam falli potest, nunquam immutari, nunquam ullis affectibus depravari. Nam ejus voluntas salus est omnium. Hoc quippe noverat idem unicus Filius magister veritatis, cum dicebat : *Pater, transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (*Matth.* XXVI, 39). Et alio in loco : *Non veni ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* VI, 38). Plus enim de Patre quam de se humanitas assumpti hominis præsumebat, ut omnibus ostenderet quanta et qualis fiducia in ejus debeat consistere voluntate. Nulli dubium, secundum quod Joannes ait : *Qui fecerit voluntatem Dei, maneat in æternum* (*I Joan.* II, 17). Idcirco dilatentur animi, crescat affectus, concipiamus mente quod oramus; quia quidquid magister cœlestis docuit verbis vel exemplis, hæc est voluntas Patris ut omnia compleantur. Ad hoc quippe scripta vel gesta

Introdusă în format electronic de Google

sunt, ut fideliter pro salute nostra operibus peragamus. Unde provideat unusquisque in se quid velit, quid in corde gerat. Quod si viderit voluntatem suam in aliquo a Dei voluntate discrepare, corrigat pravitatem suam, ne quod verbis orat, moribus contradicat. Hinc quippe scriptum est : *Et a voluntatibus tuis averte* (*Eccli.* XVIII, 30). Sed quia de cœlo anima, pars cœli sumus; de terra vero corpus, pars terræ esse convincimur; ideo adhuc, sicut ait Apostolus : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* V, 17). Unde duntaxat velle quantisper adjacet, perficere autem bonum non invenimus. Ideo oramus : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo*, videlicet in spiritu, *sic et in terra*, quatenus caro et anima ille spiritalis sit homo, de quo canit David : *Cor meum, et caro mea* **327** *exsultaverant in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII, 3) ; et idem : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* LXII, 2). Quis enim ignorat in angelis aut in spiritalibus, quia Deus spiritus est, esse voluntatem Dei? Nam qui adhæret Deo unus spiritus est. Ubi ergo unitas regnat, nulla dissensio esse potest. Cæterum, si quis terra est, et in terram ibit. Nam et hoc loco per terram carnalitas designatur, per quam malignis spiritibus in nobis datur accessus. De quo David : *Dum appropiant*, inquit, *super me nocentes, ut edant carnes meas* (*Psal.* XXVI, 2). Et serpenti in paradiso : *Terram*, inquit, *comedes cunctis diebus vitæ tuæ* (*Gen.* III, 14). In qua nimirum terra, quia contra voluntatem Dei agitur, et adversatur contra Deum carnalis homo noster, rogamus.

Fiat voluntas tua in terra sicut in cœlo. Non ut terra permaneat, quatenus illa manente in ea tua fiat voluntas, sed ut transeat quidquid in nobis terrenum est aut carnale, et fiat spiritale atque incorruptibile. Alioquin in terra, quæ quarta elementorum species est, quid minus quam in cœlo Dei voluntas unquam agitur? Omnia quidem rerum elementa, et quidquid in eis aut ex eis est, ejus subjacent potestati. Omnisque natura illius imperiis famulatur, etiam et in adversas transit jussa dominante species vel figuras, nec est aliquid quod reluctetur ejus dictis. Sed quia solis hominibus in terris libertas arbitrii concessa fuit, sicut angelis in cœlestibus, docemur denique precari ut, sicut illi jam per gratiam voluntati ejus inhærent, ut ultra nec peccare, nec quidpiam contra ejus voluntatem velint aut possint agere; ita nos illi coniamur, qui adhuc in terra sumus, quatenus cum eo per ejus voluntatem unum simus. Quid enim felicius possidemus quam si Dei voluntatem perpetuam nobis conservemus? Cujus velle summum bonum est et virtutum omnium dedicatio, vitiorum quoque peremptio, et perpetuitas æternæ beatitudinis. Hac quippe voluntate terrena cœlestibus sociantur. Unde perpendat fidelis animus quantum sibi et sæculo mortuus esse debeat, si veraciter vult orare quod magister veritatis docet; alioquin, quisquis suum velle suumque nolle, adhuc in corde abstractus, fovet, Patris velle in se impleri fideliter minime rogat. Pro quo, admonitus, caveat ne quando dicatur ei : Hic labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me; longe utique a salute, quia voluntas Dei salus nostra creditur. Idcirco, etsi aliter velimus, semper orandum est **328** non nostra sed illius voluntas fiat. Quod si eadem quæ Deus vult, ipso aspirante jam volumus, non nostrum sed Dei munus est. Ideo, magis de illo quam de nobis præsumentes, submissi ejus præstantissimæ voluntati, recte oramus : *Fiat voluntas tua in terra*, id est in nobis, ex ea parte in qua terreni sumus, sicut in cœlis est, in quibus ipse habitas. *In cœlis* utique, ut diximus, non in istis materialibus, sed in sanctis angelis in quibus perfecte Deus Trinitas operatur; vel etiam in sanctis, quos de terrenis elevans ad sublimia per gratiam jam cœlos fecit. In quibus profecto cœlis, Dei plena voluntas et perfecta adimpletur, cum in nullo ab ea eorum aliquis discrepare potest ulterius aut deflectere. De qua nimirum voluntate David canit : *Ut videam voluntatem Domini, et visitem templum sanctum ejus* (*Psal.* VI, 24). Hinc quoque et Isaias propheta in persona Patris ait : *Et in omnibus mea voluntas* (*Isa.* XLVI, 10). Unde oramus ut, sicuti est jam in cœlis, id est in angelis et sanctis ejus, etiam et in nobis, quia adhuc ex parte terra sumus, voluntas Patris, de qua recte nemo qui fidelis est dubitat, penitus impleatur; quatenus spiritalia et divina in omnibus et in singulis agantur, et terrena deficiant. Sed scrutandus est animus, et nutrienda fides, atque intelligentia uberius dilatanda, Patris voluntas quam locuples sit, quam sancta, quam justa et rectissima, quam pia, quamque omnibus proficua. Nam omnium creaturarum existentia, sola voluntas Dei fuit, quia ejus voluisse, fecisse est. Et ideo rectum est ut illa voluntas, qua creati sumus et per quam existimus, in nobis fiat et permaneat, ne, ab ea destituti, mox veluti rei condemnemur. Nihil ergo justius quam ut voluntas Dei, qua subsistimus, agatur in nobis, quatenus ab ipsa, per ipsam, ad ipsam, felicius quandoque perveniamus. Nam sicut nulla alia causa est cur existimus, nisi sola voluntas Patris, ita nulla alia causa esse debet cur vivamus, nisi ut voluntas ejus in nobis omnibus compleatur, et ad quod voluit nos esse, satis devoti perveniamus. Cæterum quod terra sumus, de maledicto est; quia *terra es*, inquit, *et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Et ideo petimus ut voluntas Dei, quæ de terra cœlos fecit, fiat in nobis, quatenus et ipsi cœli simus. Et notandum quod non ait : Fiat voluntas nostra sicut tua, aut Fiat voluntas quæ in terris est, sicuti illorum qui sunt in cœlis; sed ait : Fiat voluntas tua sicut in cœlis, et in terra. Ut sicuti illi jam non sibi vivunt, **329** sed voluntas ejus in eis vivit, et per eos quæ vult operatur; ita et in nobis et in omnibus qui adhuc terreni sunt, voluntas Dei fiat, et quæ salutis sunt operetur. Non enim oramus tantum ut velimus quæ bona sunt, quia velle et non perficere infirmitas est, sed libere petimus ut ejus voluntas, quæ valde dives est, nihilque infirmitatis habens, nihilque mali admittens, fiat in nobis, quatenus omnia ipse operetur

Introdusă în format electronic de Google

in nobis. Quia quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Cæterum, qui post suas voluntates adhuc ire sinuntur, veluti iræ filii, sua infelicitate pascuntur, nisi quandoque ad voluntatem Dei bonitate ipsius vincantur, et ditissima virtus Christi eis subvenire dignetur. Porro hi qui jam quæ Deus vult, divinitus inspirati, ardenter volunt, nec talem voluntatem operibus consequuntur, quasi perfectionis gradum tenent, nec adeo beati existimantur. Unde doctor egregius, ut præmisi : *Velle*, inquit, *adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18). Et ideo instanter quod perfectius est obsecramus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra.* Quia, licet in terra fiat voluntas tua per potestatem, tamen longe aliter jam fit in cœlis per gratiam. Unde oramus non *qualitercunque*, sed *fiat voluntas tua, sicut in cœlis et in terra*. Ut sicut in cœlis non nisi tua voluntas regnat et operatur in cunctis : ita et in terris operetur in omnibus, et gratia tua voluntate divinissima obtineat universos. Ex quo perpendat devotus animus, quam latissimo sinu charitatis orandum est, quave fide corroboranda est supplicatio, vel quanta spe pascenda sit devotio. Nam voluntas Patris eadem est quæ et Filii atque Spiritus sancti. Quia non aliud vult Pater quam Filius, neque Filius aliud quam Pater et Spiritus sanctus. Sed Patris et Filii et Spiritus sancti sicut una deitas, una virtus, una potestas, ita una et incommutabilis voluntas. Propterea cum ad Patrem oramus, ut illius in nobis fiat voluntas, sic accipiendum est, ut Filii ac Spiritus sancti in nobis voluntas impleatur. Idcirco quæcunque Filius docuit, aut Spiritus sanctus divinitus inspiravit, obsecrandum est, ut in nobis operibus peragantur; quia hæc est voluntas Patris ut secundum Deum vivamus, et præcepta ejus in omnibus observemus. Sed quia ad hæc minus idonei sumus, nostris prætermissis voluntatibus, instanter oramus ut illius in nobis fiat voluntas, et nos ei subditi simus, quatenus adoptio quandoque nobis **330** jam indulta præstantius concedatur. Et notandum quod, sicut in Decalogo tria præceptorum ad Deum pertinere probantur mandata, ita et in hac formula orationis, secundum interiorem hominem, Deus Trinitas in nobis consecratur; imo nos illum in nobis advocantes, ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, per hæc tria plenius consecramur. Quatuor siquidem sequentium preces, ad præsentis vitæ præsidia pertinent, tria autem hæc ad futuræ adoptionis gratiam diriguntur. Nam terrenus homo noster quatuor elementis subsistit, et ideo bene quaternario precum numero quotidie relevamur. Cæterum futura illa adoptio voluntate Dei circumfusa, regnum Deo Patri, ut sit Deus omnia in omnibus, solidissimum, ac deinceps sabbati requies, et plenissima beatitudinis sanctificatio in omnibus erit. Tunc sane integer homo noster illud charitatis præceptum implebit, ut diligat Deum ex toto corde, et ex tota anima, atque ex tota virtute. Interim tamen oramus, fiat in nobis quod futurum est, ut simus filii et imitatores Christi, qui ait : *Si quis fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est* (*Matth.* XII, 12); atque idem de se : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* VI, 38). Sed ut fiat voluntas ejus in nobis, prius inspirante gratia divina, maneat prompta voluntas, secundum Deum, et sic oremus, *Fiat voluntas tua*, ut quod ex nobis est minus possibile, ejus dono compleatur, ut ibi incipiamus vivere ubi futuri sumus. Volunt quidam voluntatem Patris ad personam sancti Spiritus referri, et venturum regnum ad personam Christi, de quo pueri qui præcedebant et qui sequebantur clamabant, dicentes, *Benedictum regnum Patris nostri David* (*Marc.* XI, 10). Cæterum ad personam Patris, sanctificationem ipsius nominis pertinere quis dubitare poterit? Nos tamen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sicut unam voluntatem esse dicimus, ita unum regnum et unam sanctificationem totius Trinitatis catholice confitemur; licet diffusio charitatis, id est prompta voluntas et Deo devota, ad Spiritus sancti gratiam referatur, sicuti et regnum ad Christi triumphum, qui devictis hostibus triumphavit; per cujus victoriam Deo Patri reconciliati, gloriamur per adoptionem, ut hæredes ejus, cohæredes autem Christi simus divinitus consecrati. Hæc autem progenies adoptionis in futuro amplius et **331** perfectius est præceptura, et ideo de his hæc pauca sufficiant. Cæterum ad ea quæ hic sunt necessaria, interim mentis oculum dirigamus, quatenus, his perceptis, ad ista quæ sunt sublimiora in fine quandoque veniamus.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. In qua nimirum petitione, quæcunque sunt necessaria præsentis vitæ, ut ad futuram pervenire possimus, omnia videtur petenda docuisse. Nam in eo quod ait, panem nostrum ἐπιούσιον, id est supersubstantialem, illud nobilitatis et substantiæ illius significat qualitatem, quod super omnes substantias sit, et super omnes creaturas sublimitas naturæ ipsius excedat. Hoc quippe significantius expressit, cum supersubstantialem posuit; quia ipse est panis vivus ille qui de cœlo descendit, de quo qui edunt, adhuc esuriunt, et ideo quotidianum eum alius Evangelista (*Luc.* XI, 3) nominavit. Verumtamen in via quotidianus, in patria vero æternus, unde per Joannem, si quis ex hoc pane manducaverit, non morietur : *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem dabo caro mea est, pro mundi vita* (*Joan.* VI, 51, 52). Et paulo post, dum ad hæc litigarent Judæi semper increduli : *Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere cibus, et sanguis meus vere est potus*, ac cætera quæ sequuntur (*Ibid.*, 53, 54, 55, 56, etc.). Patet igitur quam instantissime hunc panem petere debeamus, sine quo in Christo vivere

Introdusă în format electronic de Google

non valemus. *Qui manducat me,* inquit, *et ipse vivet propter me.* Vivet autem jam alia vita, quia qui manducat hunc panem vivet in æternum. Sed si de hoc pane accipiendum est, scilicet de Christi corpore, non absurde quæritur cur non quotidie illum comedimus, absque intermissione dierum, sicuti eum dari nobis quotidie oramus. Nam et in orientalibus Ecclesiis plurimorum est quotidie non communicare, præsertim cum iste panis quotidianus dicatur. Alioquin si ex præcepto quotidie communicandum esset, nunquam sic indifferenter istud fieret in Ecclesia; nam sine scandalo quibus placuerit, illud faciant, et nemo sacerdotum est, qui aut quotidie agere prohibeat, aut præcipiat non intermittere. Quo constat aliter intelligendum, quia nec quotidie omnes parati **332** esse possumus ad accipiendum : nam qui manducat indigne, judicium sibi manducat. Idcirco aut quotidianum eum intelligimus, eo quod quotidie liceat immolari, et ab his qui parati sunt fideliter accipi, aut quotidianum ideo, quia ipse idem indesinenter interius per fidem et charitatem, cultu religionis ac spei, reficit nos, et pastu suæ dulcedinis consolatur. Nam sine ipso nunquam spiritaliter possumus vivere. Et ideo cum dicit hodie, ostendit eum quotidie sumendum, nec sufficere quod hesterna die illum percepimus, si non adhuc hodie et ad finem usque indesinenter sumamus. Docet denique nos, hanc quotidie orationem coram Patre profundere, ut ex ipsa quotidiana vitæ indigentia commoneamur, quod non sit dies quo non debeat cor interioris hominis illo pane intrinsecus confirmari. De quo David : *Et panis*, inquit, *cor hominis confirmet* (*Psal.* CIII, 16). Potest et istud quod dicitur, *hodie*, de præsenti vita satis intelligi, dum scilicet in hoc sæculo commoramur. Ac si dicat : Præsta nobis hunc panem, quandiu in hac sæculi via sumus. Novimus enim, nisi quis in hac vita eum perceperit, minime in futuro illius particeps erit. Nam sæpe, hodie, pro omni isto tempore accipitur, sicuti est illud : *Hodie si vocem audieritis* (*Psal.* XCIV, 8). Quod si hoc loco ita accipiatur, tunc recte de corpore ac sanguine accipiendum erit, ut sit sensus : Panem nostrum da nobis, dum in præsenti vita sumus, quatenus nunquam, ab eo excommunicati, de Christi corpore præcidamur. Quia si quis ejus mandata non custodit, hunc panem indigne sumit. Quod satis per Adam cum peccasset adhuc in paradiso insinuatum credimus. Videte, inquit, ne forte sumat de ligno vitæ et vivat in æternum. Lignum autem vitæ, Christum debere intelligi, nemo qui Scripturas sacras legit dubitare poterit. De quo sumere prohibemur, quoties gravius peccamus, ne corpus ejus et sanguinem indigni accipiamus. Ex quo recte orare docemur, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* id est, tales nos exhibe, ut eum ex te jure sumamus. Sed quidam hunc sensum altius discutientes, panem quotidianum, spiritalia præcepta et divina quæ quotidie meditari debemus et operari, accipienda planius sanxerunt; eo quod regulam hanc orandi transgredi non oporteat, vel addendo quidpiam, vel subtrahendo, vel aliquid immutando. Unde dilatandus est intelligentiæ sinus, et, si quotidie corpus **333** Domini percipere non audemus, quotidie illum in mente, et omnia ejus præcepta, ardenti animo sumamus. Et ut plenius ea capere possimus, diebus singulis rogemus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; cibus namque verus voluntas Patris est. Ex quo idem unicus ut nos doceret Patris Filius : *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV, 34). Et alibi ad discipulos : *Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* VI, 27). Meditatio enim legis divinæ, et præceptorum exhibitio, animarum est cibus. Nec dubium quin, sicut præsens vita constat in cibo panis, sic æterna vita constat in opere mandati. Hinc jam beatus dicitur, si quis in lege Domini die ac nocte fuerit meditatus. De qua profecto meditatione David, *Quam dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia super mel ori meo* (*Psal.* CXVIII, 103). Ubi ostendit cibum vocari præceptorum eloquia debere, dum ea faucibus dulcia dicit esse, et non auribus. Similiter et Apostolus : *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus lac vobis potum dedi, et non escam* (*I Cor* III, 1); escam autem nominans spiritalem doctrinam. Unde quæso quis dubitet quod ideo immolatus sit Christus, ut salutaris sit cibus et vitæ potus? Ex quo sane clamat Apostolus : *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur* (*I Cor.* V, 7). Sed in his ut copiosius deliciis affluamus, oremus instantius, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* In qua profecto petitionis clausula probabilius tripertitus intelligentiæ sensus aperitur; licet Scripturas divinas sic oporteat omnes interpretari. Primum, juxta litteram, ab eo qui cuncta creavit, jure rogamus ut diurnum nobis necessitatis victum tribuat. Sed forte aliquis movebit cur pro his oremus adipiscendis quæ necessaria sunt hujus vitæ, præsertim cum Dominus dicat : *Nolite solliciti esse quid manducetis aut quid induamini : quærite primum*, inquit, *regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 25, 33). Quibus profecto verbis et hujuscemodi exemplis æstimant docendum non hæc cum supplicatione a Domino postulanda, sed tantummodo illa semper quærere quæ spiritalia sunt et æterna. Quod si in est sentiendum, erat generalis Ecclesiarum consuetudo, quæ suis in precibus quam sæpe ea quæ sunt necessaria præsentis vitæ intentissime rogat, ex quibus et in sacramentorum preces quamplurimæ recitantur. Ex quo liquido patet quod, sicut laborare debemus manibus, nec tamen solliciti **334** esse, ita orare peculiarius oporteat, ab eo qui cuncta tribuit, ista percipiamus. Alioquin nunquid ingrati esse debemus, aut nunquid ea sine ipso percipimus? quod si ab eo, licet cum malis, istis participamur bonis, nos, quorum fides est adoptio, debemus humiliter petere quod clementer volumus impetrare. Attamen cum dicimus *panem nostrum*, pa-

Introdusă în format electronic de Google

sim segreganur ab eis quorum nec fides est nec adoptio. Quia, etsi iste omnium communis est panis, videmur alium quasi specialius deprecari, qui non nisi tantum noster esse probatur; quoniam corporis aut sanguinis Christi cibus solum est Christianorum, nec non et operis mandatorum atque doctrinarum alimenta tantummodo filiorum censentur. Cæterum iste communis, inquiunt cibus, nec recte admodum noster dici potest, quia et aliorum est. Ad quod fatemur quia, sicut pro his qui prædestinati ad vitam sunt, hic mundus factus et constare creditur : ita et pro eis isti gratis accipiunt quæ illis, quia diligunt Deum, debentur; unde et noster jure dicitur, quia pro nobis, ut bonitas ejus ad omnes derivetur, illis porrigitur. Sed eorum nec quotidianus est cibus, quia perpetuitatem amoris, licet non sint ipsi perpetui hic in terris, radice cordis plantarunt. Porro illi quorum adoptio est, quia de crastino solliciti esse non debent, quotidianam tantummodo annonam postulant, largitatem Dei semper sibi ad futuram sperantes. Quod bene populo, qui ex Ægypto egrediebatur, gradienti per desertum, præcipitur ut singuli non amplius ad victum quotidianum, quam gomor unum colligerent; et si quidpiam aliquis alio plus collegisset, seu in crastinum ex eo reservasset, scaturiebant vermes illico ex illo, ita ut nec ultra cibus ille proficeret. Ex quo præsens Christianorum regula signabatur, quod perfecti quoque non debeant solliciti esse de crastino. *Sufficit* enim *diei malitia sua*; nam *crastinus dies sollicitus erit sibi* (*Matth.* VI, 34). Quod si plane laboriosum putatur et arduum, filiorum tamen debet esse ista perfectio ut sic vivant quotidie quasi mox morituri, et ibi spe semper pendeant, quo se credunt quantocius perventuros. Unde, quotidie orantes, triplice istum vitæ cibum quotidie, veluti fideles filii, de manu Patris percipiamus; ne forte accepta substantia, sicuti ille prodigus, longius ab eo recedentes oberremus. Sed talis profecto regula a paucis viris et rarissime **335** custoditur, talisque Patris amor et filiorum devotio vix servatur. Unde, sperantes in illius pietate, rejiciamus quæ mundi sunt, et ita vivamus, ut etiam cibo isto corporeo hic in via cum gratiarum actione, sine quo non possumus, quotidie pascamur. Deinde moraliter in lege mandatorum die ac nocte versemur, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Matth.* IV, 4). Constat igitur quod, sicut isto pane pascitur exterior homo noster, ita illo de die in diem interior reformatur. Atque per hoc, tam isto quam illo interim sustentamur; isto corpus in via alitur, illo anima et corpus simul ad æterna nutritur. Vescimur autem et spiritalem escam quotidie, dum aut in sacramento carnem ejus vel sanguinem assumimus; aut solummodo in mente, ipsum amando, credendo, sperando, interius ruminamus. Isto siquidem cibo ad æternam vitam Christo incorporamur, et cum eo unum corpus efficimur; ideo nihil minus orandum ut ab eo illo digne pascamur cibo, sine quo salvi esse nequimus. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quapropter sic vivendum est ut digni illo inveniamur, et sic orandum ut quotidie ista omnia competenter et sobrie ab eo percipiamus; ut ex uno quidquid in præsentiarum nobis necessarium est, impetremus; ex altero vero ut interius illis angelorum deliciis, in doctrina atque mysterio, quotidie, quandiu in tempore vivimus, spiritaliter participemus. Nec dubitemus in aliquo quia Deus Pater cum Christo simul nobis omnia donavit, aut præsentia vel futura. Unde illum, quia puer natus est nobis, et filius datus est nobis, oremus quasi thesaurum nostrum, oremus ut cibum nostrum; noster enim est, et ideo cum eo simul omnia nostra fiunt. Idcirco petamus eum quasi nostrum, ut quomodo in fide illum jam tenemus, ita in re fruamur, et per eum a Patre cuncta impetremus. Noster quippe est, quia nobis jam jure debetur. Ideo oramus ut quod nostrum est per donum, quotidie tribuatur per effectum. Sit tantum ille cibus nobis quotidianus, et omnia in eo simul nostra erunt. Hoc est dicere : *Primum quærite regnum Dei, et omnia hæc adjicientur vobis.* Quæ nimirum omnia aliena sunt, quia non sumus de hoc mundo, et ideo prius quod nostrum est oremus, ut in eo cuncta impetrasse lætemur. Nam quod aliena sint reliqua **336** omnia, docet evangelicus sermo, ubi ait : *Et si in alieno non fuistis fideles, quod vestrum est, quis dabit vobis?* (*Luc.* XVI, 12.) Propterea quod nostrum est, ante omnia et super omnia requiramus, quatenus ille sit nobis panis, ille cibus, ille vita, pro cujus amore quæ mundi sunt omnia postponentes quasi aliena deputemus : et ideo nonnisi diurnam, licet a Patre, alimoniam istam aut illam rogemus, ut in illo, de illo, ab illo semper alamur. Quoniam nec locupletius cellarium invenitur, nec præstantius paratissimum quidem est et continuum; idcirco non aliud quæramus quam quod proprium et paternum. Sequitur :

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Hic unusquisque semetipsum attendat, et cautionem coram judice voce propria proposuisse intelligat. Docuit enim hoc Magister pietatis, non solum ut nos invicem ad misericordiam inflecteret, verum ut peccantibus in se reis, ipse indulgentiam largiretur. In uno siquidem nobis subveniens, in altero vero peccantibus fratribus per eorum debita relaxans; in utroque tamen utrisque veniam clementer providit, et ad libertatem adoptionis singulos quolibet charitatis voto venire voluit. Unde diligentius unusquisque petitionem cautionis dignoscat; quia sicut promptus ad indulgentiam circa suos debitores exstiterit, sic Deum in suis propitium habebit. Hoc enim sperare docemur a Domino, et in nostra ponitur potestate, quod cernimur dimisisse conservo. Nostra quidem sponsione astringimur : idcirco sicut debitores esse nolumus, ita nec habere cupiamus, quia in eorum per

Introdusă în format electronic de Google

sonis aut ligamur, aut absolvimur. Quod si putatur hic incertum, de quibus debitis, vel de quibus debitoribus dicatur, abjicienda est materies excusationis, et intelligendum planius ex omni debito tam culparum quam et pecuniariæ gravitatis, ut in quocunque tibi frater tuus reus fuerit, hoc relaxes. Nam et nos plurimis ostendit nexibus involutos tam delictorum crebra præsumptio, quam pecuniaria inhonesta quæstusque lucri contrectatio. Ideo, prout facultas virium omnibus suppetit, debent singuli suis relaxare debitoribus pondera facultatis quibus oppressi tenentur debitis. Quia quisquis egenti fuerit inhumanus, Deo quæ sua sunt abnegat, cujus infinita pietas sic angustias suscipit miserorum, ut quidquid pauperi dispensatione benigna fueris largitus, sibi præstitum connumeret. Debitores autem **337** tribus obnoxii modis tenemur : cum aut quæ Divinitas prohibuit admittimus, aut quæ jussit non implemus; seu cum de propriis astringimur votis; quia et tum debemus, Christi beneficia gratis consecuti, omnia quæ promisimus, donec fideli mente singula reddamus. Sic itaque et in nobis tripliciter admittitur, quod remittere jubemur, nostris ut absolvamur reatibus. Dum injuste aut in animo lædimur, aut in corpore passionibus afficimur, aut in his exterius, quæ nobis jure competunt, quolibet injuriarum affectu prægravamur; quorum, quibusque debitoribus, seu peccati sit pretium, seu rerum, quod nonnunquam sine dilecto tenetur, debemus omnino fratribus relaxare, quatenus nobis nostra a pio judice relaxentur debita. Maxime tamen pondus peccati, si ad nos pertinere probatur, ultronei remittamus; quoniam etsi debitum pecuniæ interdum juste repetimus, debitum delictorum nunquam petentibus sibi indulgeri absque damnatione nostra negamus. Unde præceptum est in hoc ipso Evangelio : Cum steteritis ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, et Pater vester, qui in cœlis est, remittet peccata vobis; si autem vos non remiseritis, inquit, neque Pater vester, qui in cœlis est, remittet vobis peccata vestra (*Matth.* XVIII, 35). Excusatio namque nobis nulla relinquitur, quia unusquisque nostrum secundum hanc sententiam in die judicii judicabitur. Sed cauti esse debemus ne aut ea quæ in Deum admittuntur, quasi nostra peccantibus relaxemus, aut ea quæ nostra sunt, veluti ex zelo Dei, causa vindictæ retribuamus. Solemus ergo, quod est gravius, erga illa quæ ad Dei omnipotentis injuriam prorumpunt, quasi clementes existere; erga illa vero quæ in nobis fiunt, licet parvissima, immites et inexorabiles esse : pro quibus non indulgentiam utrisque factis, sed condemnationem a Domino promeremur, quia ex ipsa nostra petitione durius condemnamur. Quid ergo est dicere : Dimitte sicut dimisi debitoribus meis, cum non dimiseris, nisi pium judicem ex tua crudelitate ad severitatem vindictæ acrius provocare? Ideirco formam nobis imposuit, quemadmodum volumus judicari. Unde indulgentibus summa coram Deo jam fiducia respondet impetrandi : exigentibus vero, pœna in conscientia remordet damnandi. Deus tamen mavult invenire cui indulgeat quam quem puniat. Ideo **338** in nostra posuit potestate, qua quisque conscientia Dei judicium erga se provocet, et quomodo sententiam tanti discriminis valeat temperare. Nemo igitur se immunem a peccatorum debitis existimet, quia nemo sine culpa vivere potest. De quo Joannes apostolus : *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Neque perfunctorie hoc Magister veritatis discipulos docuit orare. Neque universalis Ecclesia false ista probatur dicere. Omnes quidem debemus, et ideo omnibus necessaria est Christi indulgentia. Propterea devoti ex animo omnibus relaxemus, ut et potiora seu quamplura nobis a pio judice relaxentur. Pecuniariam quippe proposuit orandi figuram, flagitiis comparatam, quoniam radix omnium malorum non solum cupiditas, sed et avaritia probatur, sine cujus semine vitioso nulla propemodum generantur scelera. Idcirco in utrisque servandum est, ut in quibuscunque possumus conservis subveniamus. Alioquin qui corda inspicit singulorum, ipse aut preces approbat, charitate in animo flagrante, aut reprobat illa refrigescente. Quia profecto prius corda viresque singulorum inspicit, et tunc ex eo munus voti, seu supplicum preces pensat. Hinc est quod primum ad Abel, deinde ad ejus munera respexisse legitur; unde placatus ea suscepit, quia eum quem prius aspexerat coram se rectum invenit. Quapropter nemo se fallat, nemo se circumveniat; quicunque non dimiserit peccantibus sibi ex corde, frustra ante judicem, cujus hæc sunt mandata, preces offert.

Et ne nos inducas in tentationem. Non quod Dominus dux et magister veritatis, qui via est credentibus, quempiam in laqueum tentationis inducat; sed abhorrens qui suis negligunt parere disciplinis, cum eos deserit et permittit ire quocunque ducuntur illecti, tum utique inducere eos perhibetur. Fit ergo iste loquendi modus in Scripturis divinis frequentissime, per id quod sinit aut præstat fieri, ut ipse facere dicatur. Habes quoque in bono quod Spiritus sanctus postulet pro nobis *gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26), dum nos postulare facit; habes et in malo, dum dicit : *Et ego indurabo cor Pharaonis* (*Exod.* IV, 21), cum eum indurari permisit. Atque propheta : *Indurasti, Domine, cor nostrum, indurasti ne iremus post te* (*Isa.* LXIII, 17). Non quod pius Dominus aliquem aut inducat in laqueum tentationis, aut induret, ne verbum disciplinæ queat **339** suscipere : sed quia, dum judicio suo vero et justo nos deserit, quasi inducere in sacris litteris figuratur, et dum nos sinit infidelitate cordis interius congelescere, quasi indurare dicitur, quia non resolvit ad calorem amoris, quos novit frigescere ab illo, qui sedem suam ad Aquilonem posuit. Unde sponsa in Canticis : *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum, ut fluant aromata illius* (*Cant.* IV, 16)

Introdusă în format electronic de Google

Alioquin, nisi animus divino fuerit adjutus suffragio, cito flante vento tentationis ad ruinam impellitur. Hinc est quod petimus : *Et ne nos inducas in tentationem*, id est, ab eo qui male tentat ne sinas nos induci. Deus enim intentator est malorum. Hinc scriptum est quod Deus neminem tentat. Non quod non tentaverit Abraham et Jacob, seu electorum quamplurimos ad salutem, sed quia ad malum neminem tentat, et ideo intentator malorum dicitur. Inducimur autem in tentationem, cum tentatio nos vel parum fregerit; neque enim oramus ut non tentemur, sed ne inducamur in tentationem, id est, ne nos tentatio vel ad modicum vincat; hoc quippe est dicere, ne nos inferas in tentationem, quod Paulus *præmittit dicens*, quod faciet cum tentatione, etiam *providebit* ut possimus sustinere (*I Cor.* x, 13). Nam non ideo beatificatur quispiam, quod non tentatur, sed quia post tentationem victor divinitus coronatur. Hinc quippe scriptum est : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* (*Jac.* 1, 12). Constat igitur quod omnibus tentatio necessaria est, et omnes tentamur. Sed quia vires nostræ ad ea non sufficiunt superanda, oramus medullitus cordis, *Ne nos inducas in tentationem*, hoc est, ne sinas nos ire ut vincamur; ac si dicatur : Infer tentationem, ut probemur, et præsta suffragium ne vincamur, quatenus post triumphum victores coronemur. Veniunt quippe venti, impellunt flumina, feriunt undæ, coacervantur immensi gurgites, petimus ne nos inducas, hoc est, ne tuo nos destituas auxilio, ut tentatio vincat; tu enim de cœlo clamas, adhuc certantibus in agone militibus : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* xvi, 33). Ac si dicatur : Si formidatis inter innumeros hostes, si timeris propter immensam mundi sævitiam, si vires contra violentos eorum impulsus pro diffidentia franguntur, si laquei hinc inde parati tenduntur, si caligo tenebrarum, ut impingatis cæcitate pressi, aspergitur, **340** si ab innumeris coangustamini casibus, et circumdati vallo jam tandem fide infirmamini, *confidite, ego vici mundum*. In mea siquidem victoria triumphus vester erit. Inter quæ nimirum mala, culpis exigentibus, ne nos deserat recte oramus, ne inferat nos in tentationem. Ac deinde subjungimus :

Sed libera nos a malo. Quibus duabus precibus regno diaboli exuimur, scilicet quantum ab eo educti sumus, ne rursus illo inficiamur; et quantum adhuc propter infirmitatem carnis in eo sumus, quantocius inde liberemur. Nam in eo quod dicimus, *libera nos a malo*, non minus de invisibili, quam de visibili liberari malo petimus. Præcipue tamen ab illo nos exui malo rogamus, a quo retinemur, id est, a diabolo et a peccato, quod ex diabolo quotidie propagatur. Verumtamen et ad finem oratio dirigitur, quia ab omni malo tunc penitus liberabimur. Nam quandiu hic sumus, sine illo malo quo caro atteritur et animus frenatur, esse nequimus; verum cum corruptibile hoc induerit A incorruptionem, et mortale immortalitatem, tunc utique ab omni malo funditus liberi erimus, qua libertate Christus nos liberabit. Interim tamen et a malo sæculi hujus liberari poscimus, ne gravemur angoribus et pressura corruptionis. In qua nimirum petitione, oculus tam ad præteritum, quam et ad præsens, nec non et ad futurum extenditur tempus; seu ab illo quod admisimus, seu ab eo quo tenemur adhuc malo, interius exteriusve, seu ab illo quod imminet in futuro, modis omnibus liberemur. Namque omnis corruptio mala est utique, quia a malo, id est, a diabolo exstitit; et ideo dum oramus, libera nos a malo, integritatem futuræ vitæ precamur participare, ut tandem ad eam felicius pervenire possimus. Quid igitur deest quod istis non con- B tineatur septem precibus, seu ad præsentem vitam, seu, quod majus est, ad futuram? Ex quo profecto liquet quod in eisdem res potius docuit Christus, quam verba. Unde non aliud orandum jure credimus, quando quidquid ad salutem fit, quod est in nomine Jesu petere, totum inibi deprecamur; ubi si recte pensamus mirabilis ordo ascensionis monstratur. Nam, sicut septem dona Spiritus sancti a summis incipiunt, et ad finem, id est usque **341** ad initium sapientiæ, gradatim decurrunt : ita et ordo precum a summis usque ad finem, ut a mundi malis liberemur, extenditur. Unde in utrisque si a fine incipimus, ad perfectionem fit gradalis ordo virtutum septem: et si a summis, quia ista de supernis æque accipimus, fit rursus C identidem ordo descensionis. Sed quia per operationem harum, nos ab imis ad summa consurgimus, septem beatitudines, ut prætulimus, quæ nostro labore per eadem dona quæruntur, ut nos ad altiora doceant elevari, de imis ad summa gradatim veniunt. Habemus ergo in principibus eadem ut impetremus dona, in donis vero, ut operemur Spiritus sancti mandata : deinde in operatione beatitudines quibus coronemur, illico consequuntur. Ac per hoc oremus ut percipiamus, perceptis vero donis operemur quæ jussa sunt; operantes autem præmeditemur quatenus ad singulas beatitudines divinitus adjuti quandoque perveniamus. Nam sicut a malo per spiritum timoris liberamur, ita liberati ab eo, non minus spiritu pauperes quam rebus esse cu- D pimus, deinde cum dicimus : *Ne nos inducas in tentationem*, spiritum pietatis rogamus, ut mansuescat interior homo noster, et mites simus, ne, ullo nos monente, tentamentorum incidamus laqueos; imo agamur spiritu pietatis, ne ullis exasperemur malis et perviam justitiæ gradientes sine ulla impietate mentis ac corporis evadamus. Nam in eo quod petimus dimitti nobis debita nostra, non nisi spiritu scientiæ rogamus, quia delicta nostra scire vel intelligere, illo ex dono possumus. Hinc quoque David ait : *Delicta quis intelligit?* Ac si patenter dicat : Nemo nisi qui spiritum scientiæ Dei ex dono possederit. Intelligere enim pro scire dixit, quia divina et spiritalia intelliguntur terrena vero, et quæ

Introdusă în format electronic de Google

carnis sunt, proprie sciuntur. Unde quidam doctorum inter sapientiam et scientiam hoc esse sanxerunt, dicentes sapientiam ad contemplationem futuræ vitæ pertinere, scientiam vero ad usum temporalium ut his bene utamur. Quæ profecto scientiæ virtus in evitandis malis, sive intelligendis, vel appetendis bonis versatur, quia per eam prius veritatis agnitio repulsis malis participatur. Propter quod nostra et aliorum vitæ contagia lugere indefessis precibus hortamur, et ad superna cœlestis patriæ desideria copiosius inardescimus. **342** Quibus duobus, vitiorum scilicet præmiique, finibus bene utimur, cum et illa lugentes penitus vitamus, et ista desiderantes amplius omni ardore charitatis concupiscimus. Magnus itaque quisquis tribus istis gradibus subrigitur; nam dum liberatur a malo, hæret jam illi summo bono; et dum postulat, confitetur esse sectandum. Qui cum liberatum se aspexerit, petit a quo liberatur, ne se inducat in tentationem, ne rursus in malum ruat. Ubi aperte illius potentia prædicatur, sine cujus permissu adversarius nihil valet; et dum permittitur culpis exigentibus, quasi nos inducere videtur. Unde omnis timor noster, spes et devotio, cultu religionis convertatur ad eum, dum constat quod in tentatione nihil inimico liceat, nisi potestas nocendi ab eo tribuatur, quem petimus, ne nos inducat. Deinde quia in hac vita sine peccato renatis vivere non vacat, bene hac prece utimur, ab his liberari, ut doceamur ex ea, charitatis officio, quid et ipsi agere in fratribus debeamus. Sed quia necdum visione Dei et virtutum plenitudine integre fruimur, cibus nobis in via necessarius est quotidianus, ut ex eo refecti, quandoque ad patriam redeamus. Unde illico, panem nostrum quotidianum petimus, ad quem nemo sine spiritu fortitudinis pervenit. Hinc sane scriptum est: *In sudore vultus tui vesceris panem tuum* (*Gen.* III, 19). Ubi ergo sudor quæritur, labor utique designatur, et ubi labor, ibi spiritus fortitudinis necessarius probatur. Ubi vero spiritus fortitudinis adfuerit, ibidem justitiæ esuries indefessa præmeditatur, quia justitiæ plenitudo æternus est cibus. Diurnus autem, ut quotidie illam esurientes, quam Christus docuit justitiam impleamus, ut sit panis ille qui de cœlo descendit in prece, justitia in exhibitione, spiritus fortitudinis in refectione; quibus duntaxat quatuor virtutum donis reliqua tria in fine plenius consummantur, quandoquidem voluntas Dei in terris, sicuti et in cœlo, spiritu consilii moderatur: quia nihil aliud vult Deus quam quod consilii est, et per eum omnia diriguntur. Sane unum est illi velle atque consulere. Neque igitur in parte distenditur, ut aliud habeat volendo, aliud consulendo. Nam nos quam sæpe aliud nolumus, et aliud consilii esse cernimus. Idcirco interdum perverse gradimur, **343** propter quod spiritus consilii est necessarius, ut ex illo voluntas Dei in nobis dirigatur, quatenus jure misericordes esse possimus. Restat plane spiritus intelligentiæ, ex quo illud regnum futurum ingredientibus declaratur, et cordis munditia tribuitur; quo nimirum oculo reserato Deum ibidem sicuti est regnantem visuri sumus, ubi spiritus sapientiæ complebitur illa septima sanctificatio nominis ejus; quam denique, non in senario, qui perfectus ab omnibus prædicatur, neque in alio retro numero decuit postulari, sed in septenario in quo illa signatur sanctificatio diei septimi, ubi Deus requiescens ab omni opere suo suam sanctificasse requiem enarratur. Non quod post laborem requieverit, sed quia quæ perfecta fecit, in se requiescere concessit. Nam omne quod est, ita ab illo et per illum est, ut totum ei debeat quod est. Idcirco perfectione senarii regni adventus poscitur, quatenus occurramus omnes in virum perfectum et mensuram plenitudinis Christi; deinde nobis in illo requiescentibus, sanctificetur ipse in nobis, dum nos in illo sanctificamur. Quam profecto sanctificationem a principio in se credentibus repromisit, dum illam sanctificasse legitur diem, quæ perfectionem omnium sequebatur rerum. In qua Deus in sese requiescens, non etiam non alibi quam in se requiescere concessit. Quam sane requiem jure poscimus in nobis sanctificari, ut perenniter in eum sanctificati requiescamus. Iste est igitur digitus summi pontificis Christi, quo septies ejus respergitur sanguis, ut in eo a lepra immunditiæ sanctificemur. Nam per digitum Spiritus sancti gratia designatur, quo preces nostræ et beatitudo donorum expletur, et omnia præsentis vitæ contagia expiantur. In qua nimirum septima sanctificatione pax veræ beatitudinis firmatur, præstatur adoptio, sapientia plenissime condonatur. Hinc quoque Paulus ait: *Pacem sequimini et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Verum omnis virtutum dedicatio ad hanc ultimam porrigitur sanctificationem, quia post perfectionem senarii, de dono immortalitatis vestiti, ipsius aspersione sanctificamur, ut deinceps in illo requiescentes incommutabiles per eum et sancti maneamus. Moneo igitur lectorem hos septem gradus **344** donorum et precum diligentius contemplari, quia non sine causa plurimis in locis, isto sub numero omnis perfectio et vera requies prædicatur. Nam Christus Jesus omnibus venit. Venit enim admodum docere sapientes et insipientes corde, omnique sexui et ætati præcepta salutis dare. Idcirco compendiose satis, non modo mandatorum tradidit disciplinam, verum etiam donorum ac precum, ut verbis paucioribus memoriæ res multiplices et pernecessarias commendaret. Si quomodo simplicitas fidei, velociter addisceret, salutis suæ sufficientiam, et prudentia ingeniosorum amplius profunditatem mysterii obstupesceret. Hinc Isaias vaticinatur dicens: *Sermonem abbreviatum faciet Dominus super terram.* Quem profecto sermonem ita abbreviavit, ut memoriter eum subito capere possint; ita rebus implevit, ut inpræsentiarum nemo sine Spiritus sancti gratia, et cum ea rarus admodum qui omnia aut intelligere aut percipere possit. Unde precibus

Introdusă în format electronic de Google

elaborandum ut dona percipiamus ex gratia; donis vero agendum, ut pervenire possimus ad meritum gratiæ, deinde pro meritis beatitudinem speremus quærentibus concessam. Alioquin nec sine fidei precibus ad domum, nec sine meritis pervenitur ad beatitudinis gradum : quod sequens conclusio satis declarat.

Si enim, inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Unde patet quod unusquisque sua condemnatur infidelitate. At ille in utroque Pater incommutabilis manet, quia non potest viscera paternitatis amittere; imo quia filius esse non vis, tua crudelitate jure damnaris. Hinc ex omnibus hoc unum post precem in fine conclusit, ut reduceret ad memoriam quid tu in oratione spoponderas, quatenus in tua cognosceres potestate impetrare vineam quam postulas. Neque aliud primum exigit judex apud quem rogas, nisi ut talis circa fratrem qualem eum exposcis circa te filium esse. Quod si fratri non parcas, Patri quoque infligis injuriam, quem rogas, et ideo jure condemnaris dupliciter reus. Primum, quia peccatis et debes, deinde quia monitus a judice, petenti **345** fratri amore patris, ut tu ipse veniam acciperes, crudelis in utroque, veniam non dedisti. Propter quod nemo se circumveniat, quia qui precem composuit, ipse cordis arcana penetrat, et talem te habet in prece, qualis exstiteris corde. Quibus ita inspectis, jam, quid ulterius prosequatur, expleamus.

Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes, ac reliqua. Consequenter in omnibus filios erudit, quomodo jejunare debeant, exponit. Siquidem ne tristes more hypocritarum pareant hominibus jejunantes. Non quod in die jejunii pro delictis et variis miseriarum casibus non oporteat contristari, sed affectatam vanæ laudis tristitiam vult procul abesse a nobis, ut in omnibus glorificetur Deus, et ad ejus laudem omnia referantur. Unde nec simpliciter, Nolite tristari, sed cum additamento : *Nolite*, inquit, *fieri sicut hypocritæ tristes*. Alioquin quomodo humiliabimus ante Deum animas nostras, præsertim cum oporteat nos contristari ad pœnitentiam? Nam cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Hinc quoque illam tristitiam, quæ vanas sectatur laudes, damnat, eamque fugiendam docet, de qua illico infertur.

Exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus jejunantes. Finem quoque intentionis, sicut jam superius, reprehendit, et jejuniorum profectum docet extra jactantiam confecti corporis esse debere, neque de ostentatione squaloris favorem vulgi quærere. Quia decet omne jejunium nostrum in sanctæ operationis decore ponere, ut ei placeamus inde, cujus semper gloriam oportet sectari, et laudem infatigabiliter quærere. Et notandum quod sicut jactantia ex nitore vestium et decoris pulchritudine A subripit elatos, sic utique de nimio squalore et macie corporis vana gloria decipit incautos. *Exterminant*, inquit, *enim facies suas*, quod est aperte dicere. Extra terminos humanæ consuetudinis eas obducunt, et inusitato genere fœditatis semet afficientes, pallorem quærunt, quatenus dissimiles ab aliis videantur, ut ex ipsa vilitate carnis ultra homines prædicentur. Melius tamen, sicut in quibusdam codicibus habetur, *demoliuntur facies suas*, quam *exterminant*, dicimus. Quia exterminare, quasi extra solum est ducere; demoliri autem, quasi **346** dissipare, et obductu tristitiæ ac squaloris quasi ad nihilum omnem venustatem vultus redigere. Sed quodlibet horum acceperis, hypocritarum est, ut scenam larvarum gestantes, aliud in corde gerant, B et aliud in superficie cernentibus se exhibeant. Non ut cultu veræ religionis virtutes Christi studeant, sed ut favorem vulgi excitent. Hinc est quod sequitur :

Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Suam itaque mercedem, et non adoptionem fidelibus repromissam, quia propriam gloriam quærentes, a Christo sunt alieni. Siquidem Deus non irridetur. Et ideo inpræsentiarum fumosas vulgi laudes, et in futuro simulationis suæ mercedem damnationis receperunt.

Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, etc. Idioma sanctarum Scripturarum est, ut sic uni quasi omnibus, et sic omnibus quasi uni loquatur; idcirco singulari numero, *tu autem*, dixit, C *cum jejunas*, ut unusquisque specialiter sibi intelligat hoc dictum. Cæterum notandus est locus, quod non omnia etiam Novi Testamenti præcepta juxta litteram sunt servanda. Alias autem fugientes in jejuniis hominum conscientiam, et vanæ laudis jactantiam, uncti capitibus magis ostendimur jejunare, et ridiculi erimus olei pinguedine delibuti. Verumtamen more Palestinæ provinciæ loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita sua solemnia celebrantes. Ex quo liquet jejunantes nos festivos esse debere, et in diebus abstinentiæ lætitia spirituali pinguescere. Est namque interior homo noster, in quo sicuti a capite omnia membra corporis regun- D tur, ita a mente illius participantur partes, propter quod sæpe caput pro mente ponitur. Quam oportet denique in diebus jejuniorum sacro perungi unguento, illo videlicet de quo sponsa in Canticis ad Sponsum loquitur : *Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ diligunt te* (*Cant.* I, 3). Quo nimirum unguento mens nostra peruncta, recte diligit eum, cujus amore interius perfusa, fragrat odorem, et virtutum odoramenta passim bonis operibus decorata respergit. At vero hypocritarum caput unguento ungitur adulationis, de quo Psalmista canens : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL, 3). Christus itaque factus est nobis unguentum, quod effusum per passionem mortis, totam domum, sanctam videlicet Ecclesiam, suo replevit odore. Idcirco non alterius causa jejunare

Introdusă în format electronic de Google

convenit; **347** sed illius spiritu profusi, debemus per abstinentiam macerare carnem, ut ejus passionibus participemur. Alioquin nisi ejus ungamur spiritu amoris, jejunia nostra vana erunt. Illo itaque oleo unctus est Jesus præ participibus suis. Illo ungamur et nos, ut opera misericordiæ cumulentur, implorantes spiritum charitatis, quo interius divinitus irroremur. De quo Propheta : *Impinguasti*, inquit, *in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5). Quia nisi illo ungamur unctionis oleo, calix jejunii nostri nullo inebriatur pietatis affectu. *Unge*, inquit, *caput tuum, et faciem tuam lava;* quod est manifeste dicere, Perfunde mentem spiritu lætitiæ, bonis operibus insudando, et faciem tuam, scilicet conscientiam, lacrymis lava, ut munda sit in omni opere tuo mens et conscientia coram Deo. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 6). Alioquin in diebus jejuniorum nostrorum, nec caput sufficit misericordiæ operibus perungi sine pura conscientia, neque conscientiam sufficit lavare ab operibus peccati, si non bona quæ possumus instanter agamus. Unde ut reniteat caput Spiritus sancti gratia perfusum, purgetur conscientia ab omni labe peccati, et lavetur fonte lacrymarum, quatenus jejunium acceptabile fiat, et nos Spiritus sancti gratia delibutos candidioresque commendet.

Ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo qui est in abscondito. Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Hominibus itaque ille jejunat, qui favore eorum captus vanam gloriam quærit : ille vero Deo Patri, qui propter ejus amorem sese macerat, et quod sibi subtrahit alteri largitur. Nec non etiam is sibi jejunat et non Deo, qui avaritia pellectus, in posterum sibi de quo abstinuit, reservat. Porro autem qui Deo jejunat, pura conscientia intus in abscondito offert profecto ubi Deus Pater videat. Si enim per fidem ille intus in abscondito esse creditur, ibi est jejunandum quo ipse videat, quia non alibi videre potest, qui nusquam deest, quam quo esse probatur. Idcireo necesse est jejunans sic vivat, ut ei placeat, quem in pectore portat.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, et reliqua. Hæret hæc sententia circumstantialiter ubi ait : *Ne videaris hominibus jejunans.* Quia qui jejunat, seu reservando quod non ederit, seu gloriam sibi quærendo quod abstinuit, in terris utique **348** sibi thesaurizat. Omne enim quod pro terrenis commodis gerimus, in terris thesaurizamus. Et omne quod propter Deum agimus, ad cœlum transponimus. Cœlum autem hoc loco pro æternitate ponitur, terra vero pro transitoriis. Unde quidquid agimus, vel quantum agimus, pro æternis agere debemus, et in spiritalibus, ut in æternum feliciter vivere possimus. Nec itaque cogitandum, quod ista terrena præceptorum usibus distributa ibidem aggregata ad litteram inveniemus, sed pro servitutis nostræ operibus illos in Christo sapientiæ thesauros et scientiæ acquirimus. Neque enim in cœlestibus alii thesauri possidentur, neque illuc hinc alii transferri queunt. Sed dum ista propter Christum amittimus, ea quæ in ipso sunt, nobis thesaurizamus. Nam etsi specialiter de eleemosyna moneamur, generaliter tamen de omni opere virtutum accipiendum. Quia quidquid pro Christo temporaliter impendimus, illinc in eo æternaliter recepturi sumus. Unde illa quæ gerimus, semper eo studio agere curandum est, ut Christo placeamus, atque per hoc in illo thesaurorum arcana nobis recondita solerter præparemus.

Ubi nec ærugo nec tinea comedunt; neque fures effodiunt nec furantur. Prætermissa igitur vanæ laudis cura, et invidorum obtrectatione, quibus duntaxat pretiosi corrumpuntur thesauri animarum, ponamus omnem spem nostram in cœlestibus, et ibi thesaurizemus, ubi per spem jam sumus, per fidem adhuc gradimur, per charitatem amplectimur. Verum hic omnia metallorum splendentia ærugo consumit, et vestimentorum renitentia tinea vel vetustas vastabit. Et, ut evidentius loquar, quæcunque in mundo possidentur præteribunt, unde tribus istis verbis, omnis concupiscentia mundi, et avaritiæ luxus condemnatur. Nam et moraliter, si quid in carne gerimus, thesauros in terra condimus, dum pretiosos corporis sensus terrenis desideriis occupamus. Ergo cum gula, seu fornicatio exercetur, talentum in terra confossatur ærugine consumptum, profecto quia ferreas mentes libido domat et erodit; deinde morum indumenta, ira, superbia, timor, et arrogantia, seu omnis vitiorum exercitus vastant, cum quibus si quid residuum fuerit, fures, dæmonum scilicet multidudo, effodiunt et furantur. Unde beatus Job, tactus dolore cordis, plangit dicens : *Et qui me comedunt* **349** *non dormiunt, a multitudine*, inquit, *eorum consumitur vestimentum meum sicut a tinea* (*Job* XXX, 17). Quibus sane verbis ostendit quod etiam, quos Deus probat interdum multis insidiarum dentibus corroduntur, et atteruntur sicuti a tinea paulatim dum eorum indumenta subripientium fraudibus corrumpuntur. Quod bene paucis verbis veritatis Magister cavere suos instituens, simul omnia comprehendit.

Thesaurizate, inquit, *vobis thesauros in cœlo.* Ac si dicat : Cum jejunatis, aut aliquid boni operis agitis, ibi recondite, ubi non adulatio, non vana gloria corrumpat. Cum vero terrenarum aliquid propter abstinentiam, quod etiam natura ipsa exigit, vobis subtrahitis, hoc et aliud quod habetis ibi reponite conservanda, quo nunquam fures vel corruptio possit accedere. Postremum quidquid illud est quod opere sit agendum, spiritaliter agite; quia qui seminat in carne sua de carne metet et corruptionem, et qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam æternam. Qua de causa thesaurizate in spiritalibus, id est in cœlis, ut de spiritalibus vitam percipiatis æternam. Et hoc notandum quod non ait : Thesaurizate mihi, sed *vobis*, quia quidquid boni operis pro ejus amore facimus, non illi, sed

Introdusă în format electronic de Google

nobis prosumus. Hinc David ait : *Conserva me, Domine, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 1). Nihil igitur eget alterius, et ideo quidquid illi tribuimus nobis servatur. Cæterum quod ait : *Ubi nec ærugo, nec tinea demolitur*, ostendit quod futuræ divitiæ sanctorum incorruptibiles erunt. Quod vero illinc nec fures effodiunt, nec furantur, manifestat quia ibidem ulterius adversus electos Dei nulla fraus diaboli prævalebit; unde sine fine illis incorruptibilis erit gloria, et ea sine aliqua delicti transgressione semper fruentes, beati per gratiam incommutabiliter erunt. Sequitur :

Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Quia qui in terris thesaurizat, cor deorsum habet, et qui in cœlis, id est in spiritalibus, spe jam in sublimibus versatur, et cor in Christo, in quo sunt omnes thesauri divitiarum, fixum habet.

Lucerna corporis tui est oculus tuus, et reliqua. Prosequitur autem munditiam cordis nostri, et de exteriore docet metaphorice interioris hominis officium. Quia sicut oculis istis carnalibus omnia corporis membra ordinate ad operationem diriguntur : ita intentione mentis et luce fidei cuncta virtutum genera, ut lucidum **350** corpus perficiant, illustrantur. Ubi non nisi unus et simplex quæritur oculus, de quo sponsus in Canticis : *Vulnerasti cor meum, soror mea, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* (*Cant.* IV, 9), ubi purissimum cordis ejus lumen expressit. Quia licet plura virtutum genera hinc inde resplendeant, ex uno fidei, qui per charitatem operatur, oculo vulneratur Christus amore dilectionis : nam lucerna lumen in testa est, sic et charitas amoris Christi in fide lucet. Cum autem fides cessaverit, tantum nobis sola charitas luxerit.

Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Id est, si mentis intentio non est ex fide, nequam est : propter quod totum corpus tuum, licet videantur virtutes inesse, id est totus interior homo, nequam erit. Quia quidquid non est ex fide, peccatum est; peccata autem omnia nequam sunt, et ideo corpus quod ex ipsis constat, tenebrosum erit. Nihil enim magis damnat quam infidelitatem, et malam hypocritarum intentionem, quæ de infidelitate descendit, ubi etsi bona videatur fieri, inter vitia computantur, quia de origine vitiorum nascuntur.

Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipse tenebræ quantæ erunt? Id est, bona quæ egeris, quæ a mala intentione, si tenebrescunt, cum poterant esse lux si ex fide forent, quid putas ea, quæ et mala per se sunt, et non ex fide fiunt, imo mala intentione nascantur, quia tenebræ sunt, tenebræ quantæ erunt? Nam mala intentio tenebræ sunt. De quibus si nascatur quasi lux, virtus boni operis, ipsa lux virtutis, quia male fit, vitium erit. Quod si rursus vitium mala infideliter agatur intentione, quasi tenebræ de tenebris generantur. Ac per hoc tantas tenebras quis poterit explicare? Vult ergo A Christus et bona fieri, et ex bono mentis proposito illa oriri. Alioquin si justificatio nostra ex fide est, quis poterit justificari per eam fidem quæ in se ambigua est? Ubi quærendum, si virtutes quæ mala intentione fiunt, vitia sunt, utrum vitia quæ rursum videntur bono proposito fieri, quando Dei judicio fallimur, in lucem interpretentur. Alioquin pronior severitas videtur ad culpæ vindictam, quam origo boni ad virtutis augmentum. Sed judicia Dei abyssus multa. Quis enim novit, quo judicio Dei in eodem bono proposito fallamur? Vel quis intelligit si voluntas nostra omni circumstantia nostra recta judicetur? **351** Verumtamen fidendum de Domini bonitate; si recta intentione gerentes labimur, cito luce fidei et confessionis purgabimur. B Quod si obstinatio perduraverit, magis timendum ne a radice mala intentionis hoc processerit. Quia si quid bonæ voluntati secus contigerit, humilis confessio, quæ de bona voluntate nascitur, cito purgabit, ita ut in lucem clarescant omnia. Qua de causa Deo subjecta sit semper anima, et illud : *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.*

Non potestis duobus dominis servire, et reliqua. De contrariis ergo et inter se dissidentibus loquitur. Quia sæpe videmus duobus bene concordantibus, sine ulla perturbatione mentis æquanimiter uno proposito deservire. Sed non de his dicit, quia propter dissidentia rerum negotia inter se ista proponit. Unde Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, non tres Domini, quorum deitas et voluntas, atque potestas C una prædicatur. Sed ibi deficit æqua obtemperatio servitutis, ubi dispar voluntas interseritur. Quæ nimirum sententia continuatur ad tria illa, quæ superius exposuimus. Ac si dicat : Non potestis solum ut videamini coram hominibus bona agere, atque ex his Deo placere. Neque potestis in terris thesaurizare simul et in cœlestibus ea recondere. Neque sine dubio vitiis et virtutibus deservire, quibus alteris partibus, recte vel Deo servitur vel diabolo. Sed quia regnum Christi et regnum diaboli longe inter se dividuntur, ideireo simul in utroque non possumus militare. Propter quod bene a principio fidei nemo ingreditur fontem baptismi, per quod intratur ad regnum Christi, donec abrenuntiet diabolo, et omnibus operibus ejus, atque omnibus pompis ejus. D Stultus igitur miles est, qui tyrannicam abjecit dominationem, et sub piissimo cœpit armis cœlestibus militare imperio, si rursus contemnat, projectis immortalibus armis, quem devotus susceperat, per quem etiam exemptus de morte salutem perpetuam acquisierat, illius nolens parere legibus neque disciplinis obedire; et quod stultius est, sub ejus redire dominio a quo prius morti addictus, captivus tenebatur, et crudelibus vexabatur furiarum legibus. Unde cogitet unusquisque apud semetipsum quid abjecerit in baptismo; diabolum scilicet et omnia opera ejus, atque pompas ipsius unusquisque nostrum repudiavit, et fit mira deceptio, cum aut opera carnis aut pompas sæculi sectamur. **352** Quid enim

Introdusă în format electronic de Google

sunt opera carnis nisi opera diaboli? Et rursus pompæ sæculi, quid nisi diaboli esse censentur? Quibus cum servimus vel succumbimus, cui nisi diabolo prosternimur? Mirabilis igitur vicissim proprietas verborum commutatur.

Aut unum, inquit, *odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit et alterum contemnet*. Quia profecto diabolus semper est odio habendus, Christus vero utique diligendus. Neque aperte unquam aliquis Deum odio habuit; sed omnes etiam pagani eum se fatentur diligere, licet variis seducantur erroribus, dum sibi falsos confingunt deos. At vero diaboli nomen pari modo simul omnes exsecrantur. Unde vitiosus quisque, pressus sua concupiscentia, velut tyrannum sustinet, super se iniqua exactione dominantem; Deum vero et Dominum Creatorem suum, suis concupiscentiis et diaboli devictus persuasionibus, adhuc revocantem se contemnit. Verumtamen non odio habens quem se diligere suamque salutem velle pro certo novit, sed contemnit redire, dum male perfectus a concupiscentia, pressus sub diabolo jacet. Duo sunt igitur utrarumque sententiarum fines, quia omne genus humanum sub duabus istis colligitur partibus. Omnes enim aut odio habent diabolum, et Deum verum obediendo diligunt, aut certe sub diabolo propria concupiscentia victi, tyrannicam sustinent dominationem, et Creatorem suum, ejus nolentes mandata servare, quasi de misericordia præsumentes mente cæcati contemnunt.

Non potestis Deo servire et mammonæ. Hoc loco quæ superius proposuerat, apertius exponit, quod non possint simul Deo et sæculo servire, neque simul temporalibus et æternis, cœlestibus et terrenis. Mammona namque Syra interpretatione *divitiæ* dicuntur, quibus servire Deum negare est. Non enim dicit, non potestis habere divitias et Domini militiam bajulare, sed designanter non potestis Deo simul et divitiis servire. Aliud quippe est opes sæculi habere, et aliud eis servire. Nam qui habet eas et legitime utitur, ut dominus, dispensator potius est earum quam servus. Ille vero qui se negligens, avaritiæ quæstibus immoderatus desudat, Mammonæ servus jure vocatus est. Quod nomen Irenæus Lugdunensis episcopus et martyr Christi dæmonis esse dicit, quasi qui divitiis præsit **353** hujus sæculi; non quod mundi opulentia illius sit, aut in ejus sit ditione; sed quia his utitur ad decipiendum, dum incautos divitiarum irretit laqueis. Sed quid horum acceperis, diabolo servit quisquis divitiarum ita irretitur nexibus, ut servus earum jure sit appellandus.

Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Cujus sententiæ constructio non satis præmissis congruere videtur propositionibus. Nunquid igitur unius domini servus non potest circa vestem cibumque sollicitus esse? Vel quia non potest duobus æque dominis servire, quæ causa est ut non debeat de victu et vestitu sollicitus cogitare? Quam profecto conjunctionem si diligenter inspicimus, superiorum sensum exsequitur sententiarum. Nam contemptum sæculi et fiduciam futurorum toto superiore sermone, quasi filiis et hæredibus æternæ vitæ, præcipiendo tradiderat; dum et injurias sustinere patienter jubet, damna quoque voluntarie ferre, in nullo tamen ulcisci, necnon inimicos diligere, deinde humanam gloriam fugere, nunc vero confirmari nos per fidem suis promissis in spem bonorum æternorum laborat. Quia plures sunt quos amor præsentium et desperatio futurorum torpentes facit, atque infidelitas omni caligine circumvolvit. Hinc est quod dicit: *Non potestis duobus dominis servire;* deinde: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*; ac si patenter insinuet, quid sit divitiis servire. *Ne solliciti sitis*, inquit, quia sollicitum esse pro his servire est; et ideo ne servi sitis pecuniarum, prohibeo sollicitudinem gerere cibi aut vestimentorum, neque enim dictum est in sollicitudine, sed *in sudore vultus tui vesceris panem tuum*. Idcirco labor exercendus est, sollicitudo tollenda. Ne forte, etsi non superflua quærantur, quasi propter necessaria cor duplicetur. Unde totam spem nostram Deo committere debemus, ne rebus serviamus caducis. Nam sollicitudo sæculi suis occupatur partibus, ne aut possessa depereant, aut elaborata non contingant, ex quibus metus et timor miseram animam satis sollicite perturbant, cum propterea nihil magis acquirere valemus, nihilque amplius retinere, nisi quantum ille decreverit, cui et nosmet committere oportet. Sed quærendum, cum anima spiritalis et incorporea sit, quomodo ad eam corporeus iste cibus pertinere dicatur, nisi quia **354** anima, sicut et alibi, pro vita ista qua vivimus accipitur. Nam duabus suis partibus constare videtur, ut sit superior ejus pars mens, a qua noster homo interior non solum spiritalis, sed etiam ipsa anima spiritus appellatur; inferior vero animus vicitur, a quo animalis homo vocatur, qui necdum percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sed tantum vita ista, quæ cibo alitur, cum pecoribus vivit. Quam qui perdiderit propter Christum, inveniet eam spiritalem a Spiritu sancto vivificatam in vitam æternam. Hinc est quod secundum hanc partem cibo eget ut alatur vita, secundum aliam vero partem, multo plus quam esca creditur. Neque enim vita ista propter escam, sed esca propter hanc vitam creatur. Simili modo et corpus non propter vestimentum, sed vestimenta propter corpus fiunt. Unde non debet esse sollicitus animus ne percipiat quod propter se creatum est, imo credere oportet in dictis Dei, quia veritas est et omnium creaturarum efficientia in ejus verbo est, quapropter non sit homo ambiguus. Quia in promissis ejus qui ista spopondit, nihil inefficax nihilque ambiguum est. Sit autem homo quod esse debet et ad quod factus est, continuo aderunt ei omnia propter quem facta sunt.

Respicite volatilia cœli, quia non serunt, neque

Introdusă în format electronic de Google

metunt. neque congregant in horrea. Quorum exemplis nunquid prohibemur serere, seu laborare quæ ad usus humanos necessaria sunt? Absit ut ita intelligamus; sed sicut hoc loco, ita et in omnibus scripturarum locis ille quærendus est sensus, qui et catholicæ congruit veritati, et intelligentiam præbeat spiritalem. Non enim ad humanos labores respicit hoc exemplum, quibus dictum est: *In sudore vesceris panem tuum*, sed ad sollicitudinem tollendam, et fiduciam de summo et præstantissimo Patre filiis ingerendam. Ut quia aves cœli absque ulla cura et metu victus terrenarum vivunt, multo magis pro quibus hæc omnia creata sunt, absque ulla mentis *sollicitudine* Domino debeant famulari, et in eo omnem curam suam et sollicitudinem projicere, ut ei vivant, cui credendo semel inhæserunt.

Et pater, inquit, *vester cœlestis pascit illa.* Exaggerat ergo fiduciam filiorum et confirmat; unde patrem etiam ea pascere testatur quæ minima sunt et propter filios sunt creata. Quod si bonitas largitoris ad illa se extendit, quanto magis ad eos quos forte adoptionis sibi computavit in filios?

355 *Nonne vos pluris estis illis? Pluris* hoc loco non ad numerum refertur, sed quia sunt pretiosiores ratione utentes filii, et in adoptionem per gratiam sociati. Verumtamen hæc comparatio sanctorum, sicut solet majoris ad minorem, non immerito cœli avibus confertur, quia sancti ultra quam aves secreta cœlorum penetrant. Et sicut præcipui sunt natura et merito, ita præcipua cœlorum sublimius volando per gratiam tenent. De quibus propheta miratur dicens: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et velut columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* LX, 8.) Sunt præterea eorum quamplurimi a mundi negotiis ita sejuncti, ut jam in terris nihil agant, nec aliud quid laborent, sed in verbo et sola contemplatione divina versantes, spe jam in cœlestibus degunt.

Quis autem vestrum potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Hucusque de cibo exhortatus est, nunc vero de indumento corporis, cui per ni-

A

miam sagacitatis suæ diligentiam non potest quispiam adjicere, idcirco ei cura corporis relaxanda est, cujus providentia factum creditur, cum ex eo nihil sit in nostra potestate creare. Quibus profecto verbis non modo fiduciam vestimentorum ingerit, verum demonstrat quod sua virtute quantitas et qualitas corporis metiatur, et si quid deest in futuro possit restituere. Unde qui mensuram corporis providit ut formaretur, illi tribuenda est cura vestiendi. Non quod laborare quispiam et providere ista non debeat, sicuti et pro cibo, sed hinc omnem timorem ac sollicitudinem abjicere, spem quoque suam et fiduciam Deo committere, et nihil sibi formidinis pro victu ac vestitu reservare. Quod bene Paulus ex hoc alibi docens, uno declarat verbo: *Quod qui arat, debet in spe arare* (*I Cor.* IX, 10); non enim interdixit illud agere, sed spem etiam in talibus Deo committere: neque fassus est quod qui arat, debeat arare sollicitus, sed proprie in spe arandum insinuat. Nisi

B

forte interpretetur aliquis, spem se habere in ipso jacto terræ semine, quod nunquam nisi insensatus dixerit. Sed ita intelligendum, quidquid provide pro hac vita gerimus, ut spem de ipsis, et pro futuris, semper in Domino habeamus.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Etiam exhortationem habitus sicut supra victus fecerat, congruo satis exemplo firmat, non quod ista, sicut pie quidam volunt, allegorizare oporteat, ut per volatilia dæmones, per lilia sublimiores angelicas dignitates, et per viride fenum **356** gentes intelligere doceamur. Sed simpliciter Christus eis de rebus manifestat, virtute sua et sapientia cuncta existere; neque in illius potentia deesse. Neque ab ejus providentia effugere corpora quæ suis mensuris formata creavit, unde debeant vestiri dum tantam pulchritudinem etiam herbarum contulit oleribus. Verum igitur *quod nec Salomon*, qui præ regibus terræ sæculi gloria floruisse legitur, *tanta vestitus est pulchritudine, sicut liliorum est.* Quia nullo artificio res aliqua tam perspicue colorari potest, ut ita candeat ut lilium, aut rubeat ut rosa, nec tamen laborant tincturæ coloribus se ornando, sicut nec volatilia in terra serendo: *neque nent*, ut conficiant quibus induantur operimentis. Ad quod quispiam imperitorum quasi physica disputatione sciolus, simplicitatem Evangelii reprehendit dicens: Quid requirere deberent insensibilia quod eis natura contulit, vel cur elaborare pulchritudinem, quam non sibi, sed nobis Creator indulsit? Aut quomodo cooperiuntur, quia scriptum est quod nec Salomon coopertus sit sicut unum ex istis? Nam lilia nascuntur potius quam cooperiuntur; et sicut quidam ait: « Coopertio vel amictus est corporis, non corpus ipsum. Unde si ad sensum, *inquit*, humanæ intelligentiæ res refertur, colorem lilii candor velamenti poterat æmulari. » Quibus profecto verbis non rei veritas aperitur, nec circumstantia lectionis intenditur, sed sensus caligine obducitur. Nam exemplum proposuit ubi multiplex providentia Creatoris atque efficax potentia prædicatur, qui tantum insensibilibus præstitit, quod nobis, pro quibus ista creata sunt, et necessaria præstabit. Non quod eis potiora præstiterit quam nobis, sed ne interiorem habentes gratiam pulchritudinis, hanc exteriorem diffidentius requiramus. Cooperta autem colorata omnia jure dicuntur etsi nascantur: non quod exterius aliud habeant tegumentum, sed ipse color juxta modum locutionis cooperimentum dicitur. Nam ita sæpe dicimus: Cooperuit eum pallor, aut rubor; cooperuit eum cæcitas seu macies corporis, et talia hujusmodi quæ infra corpus fiunt. Igitur nulli dubium quod sicuti est habitus animi, ita est et habitus in corpore, et habitus extra corpus. Porro candorem lilii quilibet vestitus color, quamvis possit æmulari, nullo modo tamen coæquari potest. Et ideo si talia tribuit uni cuilibet ex oleribus, nihil dubitandum Christiano, **357** quod eum unquam debeat fraudare promissis.

C

D

Introdusă în format electronic de Google

Si enim fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei? Ergo fidei nostræ inviolabilem confidentiam exemplorum auctoritate divinitus confirmat, ut nulli fas sit ambigere, dum tam evidenti documento dubietas aufertur, et promissione Christi infidelitas propugnatur. Si enim fenum, quod nodie est, tantæ viriditatis decore vestitur, quanto magis eos vestire parat, quos æternæ societatis participes fecit? *Et cras in clibanum mittitur.* Ubi alii codices, *in ignem* habent. Nec dubium quin in ignem mittatur, cum necesse fuerit, licet ad hoc inhabilis habeatur, sed ad usus jumentorum potius servatur. Porro in clibanum magis tropice mitti dicitur, quia dum colligitur quod hodie virebat decore pulchritudinis, cras in acervum mittitur. Et hoc est in clibanum mittere, quoniam acervus ille, quia formam clibani exprimit, jure clibanus nominatur.

Quanto magis vos, modicæ fidei? subauditur *vestiet*. Igitur quia omnem fiduciam nostram in fide repromissionum, et ipse perceptionis atque virtute sua majestatis persuadet collocari, cura rerum quibus indigemus omissa, indubitanter ab eo omnia expetere jubet, a quo et ipsi vivendi exordium sumpsimus, nihil hæsitantes de minimis, qui cœlestia et æterna, absque ulla ambiguitate sperare, et per patientiam exspectare debemus. Sic enim de terrenis et caducis rebus, promissis ejus non credimus ne solliciti simus, et tamen ab eo, licet ingrati, ista percipimus; quomodo invisibilia et cœlestia recte speramus? Vel quomodo æternorum promissis absque ambiguo credimus, qui nec de istis fidentes sumus? Et ideo sic exclamat tuba veritatis, quatenus de his et fiduciam nobis ingerat, et infidelitatem condemnet. Permodica igitur fides est, si fides dicenda est, quæ nec de minimis immobilem assertionem præstat. Sed quod pejus est saltem hanc pauci admodum habent, et ideo, quod alibi Dominus damnat, curis sæculi et sollicitudinibus suffocant verbum divinæ prædicationis, nec referunt fidei fructum, ut omnem spem vitæ suæ Creatori suo committant, et quæ cœlestia sunt, justitia dictante, primum quærant.

Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Plenius igitur inculcat et revolvit, **358** quidquid a principio sermonis docuit, ut omnes Christiani absque præsentis vitæ sollicitudine vitant quia sollicitudo sæculi suffocat verbum, ne Christi miles possit referre fructum. O infidelitas præcordiorum! tantum premis corda hominum, ut vix aliquem liceat ad plenum respirare ad superos. Hac quippe sollicitudine pene omnes premuntur, etiam aliquando et ipsi qui mortui videntur sæculo. Unde pro victu et vestitu quam sæpe scandalizantur. Infelix ergo eorum perfectio, dum pro his solliciti gentilibus coæquantur.

Hæc omnia, inquit, *gentes inquirunt*. Ac per hoc quid amplius habet a gentili, cujus adhuc infidelitas A dum sollicitat animum, hujus vitæ curis fatigat. Qui ergo de istis tantum confisus est a Domino, saltem modicam habet fidem: qui autem adhuc de his sollicitus est, infidelis censetur. Unde rara et paucorum est perfecta fides. Et ideo dubitanti adhuc Petro, post Domini jussionem, recte dicitur: *Modicæ fidei quare dubitasti* (*Matth.* XIV, 31)? Quicunque ergo dubitat in aliquo præceptorum Dei, vel minus ex eo confidit, quam promisit potens Deus, modicus est fide. Hinc quoque Jacobus: *Qui indiget sapientia, postulet eam ex fide, nihil hæsitans; quia qui hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur* (*Jac.* I, 5). Quod si in divinis hæsitare Christiano non convenit, in humanis et caducis post promissa quomodo fidelis dubitare poterit? Quid igitur fugis, Christiane? Quanto magis in promissis Dei hæsitaveris, tanto minus invenies pro quibus sollicitus desudas. Et si, bonitate Dei etiam dubius acceperis quod sollicite quæsisti, non tua sollicitudo id fecit inefficax, sed Dei largitas, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.

Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Patrem igitur ad memoriam filiorum revocat, ut ex eo de illius bonitate atque providentia absque sæculi cura securiores reddat. Unde alibi, ut certiores nos faceret: *Si ergo vos*, inquit, *cum sitis mali, nostris bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se?* (*Matth.* VII, 10.) Ad quod infidelitas forte dictura: Novi quia scit nos his egere, sed nescio utrum dare velit. Stulte, Patrem audis, et de voluntate dubitas? Quis unquam bonus pater clausit viscera sua fideli filio? Et si pro nobis proprio Filio non pepercit, quid habet quod negare debeat? Quoties ergo non accipis quod juste **359** quæris; non illius, sed tua pravitas vel infidelitas facit. Nihil enim filiis potentius dedit fide, nihil fortius charitate, nihil locupletius spe. Idcirco quicunque his tribus abundat, omnia in Christo potest, et per eum cuncta possidet.

Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et omnia hæc adjicientur vobis. Primum autem, non ad ordinem referendum puto, ut postea ista quærere debeamus, sed omnia hæc, inquit, adjicientur vobis. Unde magis ad quantitatem referendum est, ut extra hoc nihil quærendum sit; quia cum eo universa fidelibus condonantur, et ideo dicit: *Quærite primum regnum Dei*, ac si summum bonum, quod non propter aliud, sed propter seipsum oportet quærere, neque ad aliud referendum, quoniam adjicientur vobis omnia necessaria, non quidem propter se amplectenda, sed ut justitiam operari, et ad regnum felices quandoque possitis contingere, interim, dum estis in via, utenda, non propter se quidem, sed propter illud. Unde his utamur in via, quatenus illo fruamur in patria; quia hæc omnia propter illud nobis sunt necessaria, illud autem propter seipsum. Hinc ergo dicitur: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et* omnia hæc, quæ propter eum sunt vobis necessaria, superadjicientur. Superadduntur

Introdusă în format electronic de Google

autem, quia ad unum solum et permaximum necessarium est, in quo omnis sufficientia filiorum adimpletur. Quod sane fide, spe et charitate devote satis quæritur, si, omnia quæcunque facimus, quæcunque cupimus, semper illud in mente quærimus. Ubi ordo præposterus decenter satis permutatur, *Quærite primum regnum Dei*, deinde addidit, *et justitiam ejus*. Ergo prius quærenda est justitia regni, per quam pervenitur ad illud, deinde per eamdem ad ipsum perveniendum; quia nemo nisi justitiæ opera exsequendo illud invenire poterit. Sed primum proposuit, ut permulceret auditum, deinde intulit justitiam perquirendam, quæ satis laboriose impletur. Ut, si placuerit quod permulcet, impleatur laboriose *justitia*, quam ubique docuit, licet doleat quod jubetur. Alioquin *nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Justitia ergo regni omnia quæ Christus docuit, cum tribus præmissis virtutibus observare, deinde regnum quærere, ipsam eamdemque justitiam non ob aliud operibus adimplere, nisi ut glorificetur Deus, **360** et nos per omnia illi placeamus. Gentes enim terrena infideliter quærunt, quibus spes nulla de futuris monstratur, nec adoptio data est, neque in cœlestibus regnum aliquod permittitur. Fideles vero quia electi sunt ad gratiam, jure illis dicitur : *Quærite vos primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis*. Quia etsi bonus omnibus, credentibus scilicet et non credentibus, inpræsentiarum prædicatur, in futuro tamen justus ubique prædicitur. Unde filios præmonet, quærite primum regnum in mundi origine præparatum, et in Evangelio repromissum; deinde justitiam ejus, quia in eo nullus reprobus introibit, sed reddet unicuique rex virtutum prout gessit. Qua de causa virtutes studere, filiorum est; quæ mundi sunt quærere, *gentium*, id est infidelium. Verumtamen quia filiorum sunt omnia, idcirco etiam et non quærentibus adjicientur hæc omnia; quibus cum substrahuntur, ad probationem fiunt; cum vero præbentur, ad gratiarum actionem, quoniam qui secundum propositum sunt vocati, omnia illis cooperantur in bonum.

Nolite solliciti esse de crastino. Et, si quæsieris : quare ? Quia hæc omnia adjicientur vobis. Ubi, cum de futuro sollicitos esse prohibuit, saltem de præsenti curare permisit. Paulus enim die ac nocte laborabat manibus, et de collectis monebat quæ fiebant in sanctis. Nec non secundum Agabi prophetiam famis a sanctis procuratur; nec non et Dominum loculos habuisse legimus, unde non labor, non providentia, sed sollicitudo et cura mentem præfocans damnatur. Crastinus autem pro futuro ponitur. Quia non sollicitudo æternæ vitæ, sed sollicitudo sæculi prohibetur. Unde liquet quod pro his sollicitum esse in acquirendo, timidum in conservando, dolentem vero in perdendo, nec non et gaudentem in fruendo, servire est : liberum vero ab his et ab hujusmodi passionibus regnare. Non enim possumus duobus dominis servire; quia longe alia est sollicitudo sæculi, alia sollicitudo justitiæ Dei ac regni.

Crastinus enim dies sollicitus est sibi ipsi. Non illa nimirum sollicitudine virtutum, sed sollicitudine, quæ non nisi timore, gaudio, et mœrore, nec non et anxietate curarum mentem perturbat. Unde : *Sufficit diei malitia sua*. Id est sollicitudo præsentis vitæ, atque afflictio; quod κακία verbum Græcum simul sonat, malitiam videlicet et afflictionem. Verumtamen **361** hic malitia magis transferri debuit : sed malitia peccati est, quæ laboris et cruciatus. Unde quidem sufficit diei malitia, labor suus et angustia, idcirco superfluum est, de incertis cogitare. Nos tamen non contendimus, pro utraque malitia simul accipi hoc loco debere; quam sane malitiam peccando incurrimus : non quod dies malus aliquis per se inveniatur, sed quia in eo utraque mala fiunt. Quam denique diem bene Job et Jeremias intuentes, maledicunt; quia non illa est dies quam fecit Dominus, sed quam adinvenit diabolus, dies utique malitiæ et tenebrarum, unde sufficit ei malitia sua, nec eget alterius. Quia si inpræsentiarum in luce vix subsistimus, quanto magis si malitiam futurorum in præsentibus junxerimus? Nam curis præsentibus ita mens obruitur ut vix lucem respicere queat; quanto magis si fuerit malitia ipsius diei geminata ? Et ideo præcepta dat vitæ, ne in hoc exsilio duplicibus prægravemur.

(Cap. VII.) *Nolite judicare, et non judicabimini*. De occultis dubiisque loquitur rebus, quæ non possunt aperte interpretari quo animo fiant. Alioquin quid est, quod et apostoli et universalis Ecclesia de manifestis criminibus judicant et decernunt; nisi quia de manifestis, quorum est judicandi officium, debent utique decernere? Porro de his quæ occulta sunt, vel nescimus quo animo fiant, nemo absque periculo judicat. Sed sunt quædam vitiorum crimina, quæ nunquam possunt bono animo fieri, de quibus judicandum nemo qui ambigat. Sunt talia factorum opera, quæ et bona, si bono fiant animo, et mala si malo fiant, esse queunt. De quibus, cum sub specie religionis agunt, non est mox judicandum, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, ut manifesta fiant consilia cordium. Verumtamen quorumdam simulatione nonnunquam manifestantur, de quibus Dominus : *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16). Ex quibus manifesta fiunt, utique judicandum est; ut arguantur a luce, quia non sunt in veritate facta.

In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Ex quo nescio quidam philosophorum nebulam caliginis asperserunt, ut simplex veritas obtegeretur. Si ad mensuram, inquiunt, Deus peccantibus redditurus est pœnam, et omnis mensura **362** circumscripta est tempore, quid sibi volunt minæ infiniti supplicii? Ad quod fatendum quod non omnis mensura, ut eorum aliquis arbitratus est, præscribitur tempore. Sed tamen ne hanc videamur fugere quæstio-

Introdusă în format electronic de Google

nem, verisimile aut omnino verum esse probatur, quod omnis mensura præscripta sit, non tantum tempore, ut hic somniat, sed et locorum spatiis quædam proprie terminantur, vel capacitate rerum, quæ ad locum etiam referuntur. Unde quærendum si aliquid sit, quod æternum dicatur, et tamen quodammodo circumscriptum quibusdam teneatur lineis. Ut puta ipse homo, qui auctoritate divina æternus futurus confirmatur, et tamen loco circumscribitur, quamvis fine terminetur. Alioquin illocalis esset. Nam quem ipsi philosophi solem æternum putant, et ab eis geometricis figuris comprehendi putatur. Hinc igitur et aliis quamplurimis modis monstrari potest quod possit aliquid et æternum esse, et certam sui modi habere mensuram. Qua denique sententia coguntur accipere, velint nolint, aliquid cum mensura æternum. Ac sic æterna erunt supplicia quæ minatus est Christus, quamvis habeant juxta modum culpæ sui mensuram. Verumtamen non dictum est : Quod mensi estis, hoc remetietur vobis, sed in qua mensura mensi fueritis. Neque dubium quod aliud sit in quo metitur aliquid, et aliud quod in mensura metitur. Fieri enim potest, in qua mensura homo aliquis mensus est aliquid alicui, in eadem remetiatur ei. Verbi gratia, modium tritici, in qua nimirum mensura, potest illi hordeum aut aurum, aut aliud aliquid metiri, seu centum millia in eadem re assignari. Ita ut sine comparatione ipsarum rerum, et genus et quantitas differant, et tamen rectissime dici potest, in qua mensura mensus est, in eadem illi rursus metitum est. Porro unde hoc dictum sit paulo superius elucet : *Nolite*, inquit, *judicare, et non judicabimini, in quo enim judicio judicaveritis*, et cætera. Nunquid si iniquo judicio judicabunt, iniquo ab æquissimo judice judicabuntur? Aut si non judicant in talibus de quibus prohibentur, nunquid de aliis quibuslisbet suis sceleribus non judicabuntur? Absit ut ita sentiamus! nulla quippe iniquitas apud Deum, neque peccatum aliquod inultum patitur abire. Sed hoc est quod dicitur : *In quo judicio judicaveritis, judicabimini*, **363** tanquam si diceretur, in qua voluntate benefeceritis, in eadem liberamini; vel in qua voluntate male feceritis, in ipsa puniemini. Ac si dicatur, dum quispiam ad turpem utens oculis concupiscentiam, si jubeatur ideo cæcari : in quibus itaque oculis peccasti, in eisdem patieris; judicio enim animi sui in quo judicat, in ipso aut condemnabitur aut purgabitur. Unde non iniquum est, ut in quo judicat, animi sui judicio pœnas luat, cum eisdem malis patitur, quæ male judicantem animum consequuntur. Neque enim de aliis quibuslibet peccatis accipiendum est, nisi de istis judiciariis; quia in ipsis aut offendimus temere judicantes, aut excusamur, recto judicio quæque clementer examinantes, aut quæ dubia sunt et colorem habent justitiæ, in bonam partem interpretantes, soli Domino discernenda relaxamus. Alia vero peccata quæ admittimus, non in ista mensura vel judicio, sed in sese unumquodque ulciscetur delictum; id est secundum ipsius qualitatem vel quantitatem, propria accusante conscientia, infelix anima punietur. In ipso nempe animo, quo appetitus fit voluntatis, humanorum omnium est mensura factorum, in qua nimirum culpam sequitur pœna. Et ideo cum dixisset : *In quo judicio judicaveritis*, secutus adjunxit : *Et in qua mensura mensi fueritis* ; qui in voluntate propria metietur bonus bona suorum operum facta, et malus metietur mala, reatusque sui miserias. Quoniam ibi est quisque bonus ubi bona vult, et ibi est malus, ubi mala vult. Ac per hoc geminatum est, ut in ipso delicto, seu in ipsa animi sui conscientia, unusquisque sciat se puniri; quia ibi est, aut miser aut beatus : in ipso scilicet voluntatis suæ affectu, quæ est mensura factorum meritorumque, non ex temporum spatiis metiuntur quam morose fiant, sed ex voluntate qua fiunt. Voluntas quippe ipsa punitur, sive animi supplicio, sive corporis, ut quæ delectatur in peccatis, ipsa puniatur in pœnis. Unde quibus fuit voluntas sine fine peccandi, quamvis cum fine peccaverint, juste sine fine damnantur. Et quibus fuit judicium sine misericordia, sine misericordia judicabuntur. Hæc est, inquam, illa mensura, ut quod non præstitit, nec percipiat. Atque ideo quod ipse judicatur, æternum erit; quamvis quod ipse judicavit, æternum esse nequiverit. Justum igitur ut qui æternam voluit **364** habere peccati fruitionem, æternam inveniat vindictæ severitatem; et quorum voluntas nec habuit finem peccandi, nec habeat finem torquendi, ultricem pœnam sine fine ferendi. Quidam autem nostrorum, continuam circumstantiam lectionis in hoc capitulo servantes, ita sentiunt quod prohibeat judicari de sponsionibus suis. Quia, ut judicia pro incertis rebus inter homines sumuntur, ita et hoc judicium adversus Deum ex sentientis vel opinantis ambiguitate interdum suscipitur. Quod penitus repellit a nobis, ut constans fides et fiducia in ejus promissis retinerentur. Quia non, sicut in cæteris, peccatum est, propter diffidentiam in Dei promissis, quidpiam perperam judicasse; sed infidelitatis est crimen.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Grandis hoc loco moderatio judicii proponitur, sed rarus qui ab hujusmodi vitio sit alienus, quoniam unusquisque dum suis favet, aliena facile reprehendit. Aliena quoque gravius quam sua tolerat, et ideo arguendi sumit auctoritatem, sine ullo suæ emendationis exemplo. Per oculum quippe, ut dictum est, mentis intentio designatur; in qua nimirum unusquisque dum trabem gerit, videlicet majoris culpæ crimen, seipsum intueri non valet, quia caligine pressus delicti, introrsus cæcus jacet. Sed ille semper oculus exterior, qui reseratus in paradiso post culpam fuit, ea quæ sibi sint noxia, non quibus proficiat, apertus videt. Conspicit enim jactantiam vanæ laudis, dum sibi cæcus, alterius mentem mederi curat, non ut proficiat, sed ut adhuc per inanem gloriam evidentius

Introdusă în format electronic de Google

cadat. Difficile est, quod quisque egeat, ut alteri præstet; idcirco nemo cæcus ducatum alteri præbet. Metaphorice quidem loquitur; ideo a corpore ad animum exemplum trahere debemus, ut per oculum mentis intentionem, per festucam minima quæque delicta, per trabem vero graviora criminum probra intelligamus. In cujus autem mentis intentione adhuc odium residet, de ira temere alium castigat, ideo a judice salutis increpatur, ut quid videat minora quæque in fratre, dum in se majora non considerat. Et, quod gravius est, quomodo medicus animarum vult videri, qui sui curam non habet. Cui bene a Domino mox infertur :

365 *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo.* Hypocrita enim est quisquis appetit videri quod ipse non est. Idcirco ad cautelam sui unusquisque reducitur, ut primum seipsum curet, deinde, virtutibus illustratus, fratris, in quantum prævalet, salutem quærat.

Nolite dare sanctum canibus, neque margaritas vestras mittatis ante porcos. Proverbialiter ista proponens, monet dispensatores Ecclesiarum, et purgato mentis oculo ad alios castigandos veniant. Deinde ne sanctum canibus projiciant, verbum videlicet prædicationis. Quia sicut periculosum est pecuniam Domini abscondere : ita sane prodigum eam canibus tribuere. Et quomodo vitii, verum oculere, sic periculi est, non sustinentibus verbum vitæ coram ponere. Nam per canes intelliguntur hi, qui contra veritatem oblatrando impugnant; per porcos, qui contemnendo quæ audierant, pedibus substernunt, de quibus Petrus apostolus : *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabrum luti* (*II Petr.* II, 21). Et ideo per canes hæretici, seu abnegatores veritatis, revertentes ad vomitum infidelitatis denotantur. Per porcos vero, qui in sua immunditia perdurantes cognitionem Dei recte ruminare nesciunt, quibus non est allegoriarum veritas reseranda eo quod omni vitiorum immunditia polluuntur, sed apertiora quæque illis pandenda, vel si viliora dici possunt. Cæterum mystica eloquiorum documenta ad tempus reticenda sunt, donec ea singuli ferre possint, et tritici mensura omnibus præbeatur, ut neque isti percepta dilanient, neque illi oblata conculcent. Sed tamen quoquo modo periculosius est sancta porrigere perversis, quam pretiosa impuris. Quod bene uno dubitantis adverbio temperavit.

Ne forte conculcent illas pedibus suis, et disrumpant vos. Quia fieri potest ut resipiscent ab immunditiis suis, et de porcorum grege transeant ad consortium ovium. Verumtamen non ideo illud canibus, contra præceptum Domini temere tribuendum, neque istæ coram pedibus porcorum projiciendæ, ne forte et illas conculcent, et vos disrumpant. Conculcant autem contemptores veritatis eloquia Dei pretiosissima, dum despiciunt parvipendentes pulchritudinem promissorum, et veluti sues ad immunditiam **366** revolvuntur. Cæterum illi qui contra veritatem oblatrare moliuntur, si fuerint eis prodita, quæ velo celari jubentur obumbrantia sancta sanctorum, quibus non est licitum non solum ea contingere, sed nec videre, mox, inquit, disrumpent vos, non eas siquidem; quia incorruptibilia maneat eloquiorum Dei arcana; sed simplicitatem fidei vestræ. Hinc igitur est quod unitas fraternitatis tantas patitur pressuras, tantisque disrumpimur scissionibus, tantis dilaceramur verborum confutationibus; quia non probantur primum, quibus mystica reseranda sint sacramenta, imo quibusdam indifferenter omnia panduntur. Qui profecto tales non dispensatores pecuniæ, sed prodigi, atque exstirpatores thesaurorum jure censentur; quoniam tollunt panes filiorum, et mittunt eos canibus. Ignorant enim quod avidius quæritur absconsum, venerabilius conspicitur celatum, charius tenetur diu quæsitum, sine fastidio fit cum mensura perceptum, et sine læsione stomachi ad horam competenter esurientibus indultum. Hinc est quod Petrus Simoni gratiam Spiritus sancti negat, et tamen quia quantisper ad notitiam fidei intromissus fuerat, credentes disrumpere festinat. Hinc est quod multi hæreticorum Ecclesiam scindunt, et unitatem impugnant. Hinc est quod Julianus refuga tyrannica dominatione blasphemias et arma simul contra Christum movet. Hinc etiam est, quod hodie in Ecclesia indulgentia pœnitentiæ toties conculcatur, et securitas promittitur, ita ut illusio potius interdum quam medicina sordescentibus fiat; quia dum facile præstatur, vilior habetur, et percepta negligentius custoditur; atque culpa in facto cum spe veniæ audentius nonnunquam reiteratur. Hæc non ideo dixerim, ut crudelem esse doctorem doceam, sed ut ad cautelam incautos reducam. Quia, sicut quærentibus cum fide dilectionis non est neganda, ita delusoribus et infidis non est continuo præstanda; ne forte margaritas spei nostræ, non solum pedibus conculcet, verum etiam ne aliis, toties dum sordibus criminosus intingitur, peccandi fiduciam male pellectus præbeat. Inde est quod sacri canones multoties ad pœnitentiam reiterantes non facile admittunt. Quos sane **367** terminos nec nos oportet indifferenter transgredi, sed omnia cum discretione pensare.

Petite et dabitur vobis. Quærite et invenietis : pulsate et aperietur vobis. Quibus profecto gradibus, via, veritas et vita, legitime certantibus præstatur. Ut primum in via, quæ Christus est, ambulantes, veritatem inveniant, ipsum quærentes apud quem est fons vitæ. Ubi pulsantes ad ostium, licet per angustam portam, vitam ingrediantur sempiternam. Nam ostium Christus est, sicut ipse ait : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* x, 9). Et ideo non aliud petendum quam quod quærendum est, neque aliud quærendum nisi ad quod jugiter, ut ingrediatur, pulsandum est. Hic est enim panis vivus qui de cœlo descendit, filiorum utique cibus. Hoc est regnum, et justitia regni qua justificamur omnes. Idcirco eam primum non minus pe-

Introdusă în format electronic de Google

tere quam et quærere, verum etiam quæsitam invenire; inventam autem ad ipsam indesinenter pulsare januam, donec pulsantes ad eum per ipsum ingrediamur. A principio ergo hujus sermonis nihil aliud quam justitiam, regni filios et hæredes docuit; ideo animos eorum ab omni sollicitudine sæculi secrevit, ut illam intenderent justitiam, et solummodo regnum cœleste devoti quærerent. Alioquin regnare in eo nequimus, nisi primum leges ejus et justitiam, non dico discere, verum et implere quæramus. Hoc itaque est regnum primum quærere, ante omnia et super omnia Deum mente diligere, deinde dilectionis opera perficere. Sed ne cui impossibile videretur, composuit preces, docuit quid petamus, et modo præbet confidentiam, ut nihil hæsitantes poscamus. Veritas namque id promittit, et ideo hæsitare in precibus non debemus, tantum ut ea et sic petamus, ut jubet. Nec non et tunc et ibi quæramus, ubi jubet. Ex quo Propheta: *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 3). Ubi, si bene inspicimus, non aliud quam Patrem et Filium atque Spiritum sanctum quærendum esse docuit, et semper eum quærere mandavit læto et firmo corde. Non quia est nisi unus, sed quia ipse idemque immensus est et sempiternus. Petimus autem fide, per eam **368** profecto ad Christum gradientes; quærimus spe tutissima, dum, per ipsam penetrantes, interdum attingimus usque ad interiora velaminis Christi: quam denique sicut anchoram tutam, in cœlo jam fixam habemus; pulsamus charitate, dum infatigabiliter ad ostium, quod Christus est, jugiter sustinentes laboribus desudamus; quatenus unum quod petimus et quod quærimus quandoque devictis malis adipiscamur. Et ut majorem præberet constantiam perseverandi, diligentiam quærendi, fiduciam impetrandi, addidit, ita dicens:

Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Unde cuicunque non datur quod petit, absque dubio non recte petit, neque quærit, neque recte pulsat ante januam pietatis. Omnia enim quæcunque petimus aut quærimus, et ad quod pulsamus, sicut dixi, non nisi unum, et propter unum esse debet, quia non nisi unum est necessarium. Hinc quoque David ait: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXVI, 4). Alioquin quomodo negabit petentibus se, qui primum se non petentibus sponte obtulit? Aut quomodo quærentes eum non invenient, qui etiam non quærentibus se ut invenirent præstitit? Vel quomodo pulsantibus non aperiet ad se, qui quotidie clamat nobis: *Ecce sto ad ostium et pulso* (*Apoc.* III, 20); utique de ostio nostri pectoris dicens: *Si quis aperuerit, introibo ad eum, et cœnabo cum illo?* Patet igitur quoties non accipimus quod non recte petimus, et cum non invenimus quod non bene quæsivimus, et dum pulsantibus non aperitur: quia non recte pulsamus. Sequitur:

Quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Incipit lucidius explanare, quid petendum sit, et ex ipsa humana circa filios benevolentia, commendat præstantiorem et incomparabilem Patris diligentiam circa nos. Ubi cogitanda est excellentia dignitatis, et corroboranda fiducia mentis. Quia si patres bona data tribuunt filiis, multo magis Pater noster, qui incomparabiliter bonus est, daturus est bona sua petentibus se filiis. Comparat ergo panem lapidi, ut per panem intelligatur Christus vita, qui de cœlo descendit; quem si petimus recta fide, nunquid daturus est lapidem illum **369** offensionis, et duritiam cordis? Absit ut hoc de summo et incommutabili bono sentiamus, quod nec de homine mortali et incommutabili sentire fas est!

Aut si petierit piscem, nunquid serpentem dabit ei? Piscem utique illum quem Petrus primum piscando cepit, latentem inter aquas Scripturarum, in cujus nimirum ore staterem invenit, quem pro se daret. Si quis filiorum hunc poposcerit, nunquid benignus pater serpentem illum, qui Evam veneno fallaciæ suæ peremit, dabit illi ut moriatur dolo patris deceptus? Quibus duabus sententiis confirmamur, quod nunquam a Deo Patre nisi bona percipimus, qualiacunque nobis videantur. Quia his qui secundum propositum vocati sunt sancti, omnia illis cooperantur in bonum.

Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est dabit bona petentibus se? Malos autem appellat aut apostolos, aut omnes generaliter in comparatione divinitatis. Bona vero sæculi dicit, vel sicuti a sæcularibus æstimantur, vel quia omnia per naturam a bono Deo, jure bona dicuntur. Quæ tamen bona non nisi ab ipso habemus. Sed alia bona sunt longe incomparabiliter, quæ petere ac quærere, et ut accipiamus, perseveranter pulsare debemus. Quæ nimirum bona non nisi filiis præstantur, et ista sunt semper pro quibus invigilare debemus et certare, atque solliciti esse; quoniam quæ sæculi bona sunt superadjicientur, ista vero quia æterna sunt et spiritalia, indesinenter petere, perseveranter quærere, et ad ea infatigabiliter pulsare, quoniam ea non nisi petentes accipiunt, neque nisi quærentes inveniunt, et ad ea non nisi perseverantes introeunt. Primum est tamen petere, ut habeas quæ quæras; deinde quærendo festinus ire ut invenias; inventa observare ut ingrediaris ad ea, et sine fine fruaris. Decens itaque ordo, et secundum Lucam bene tribus alternatim rebus comparatur (*Luc.* II, 11): ut per panem, in quo tota signatur vita, charitas intelligatur; per piscem fides, quæ sub fluentis Spiritus sancti nutritur; per ovum vero, de quo pullus adhuc speratur, spes certa teneatur; quibus profecto virtutibus universa charismatum dona consequuntur. **370** Unde præfatus evangelista, non simpliciter bona dixit, sed quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se? Utique quia per eum spiritum omnes thesauri

Introdusă în format electronic de Google

sapientiæ et scientiæ, qui in Christo sunt, acquiruntur, sine quo nihil pretiosum accipitur. Quia qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Unde idem spiritus catholice donum appellatur. Hinc quidquid est quod oramus, primum et permaximum non aliud esse debet, quam Pater et Filius atque Spiritus sanctus, quod est æternum Christianorum regnum, ejusque justitia, ut omnia charitatis Dei et proximi opera, sicut præcepta sunt, impleamus. Unde sequitur :

Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis. Hæc est enim lex et prophetæ. In quibusdam namque codicibus : *Omnia ergo quæcunque vultis bona*, habetur ; quia profecto non aliunde quam ex bonis dicit. Sed quod in ipsa Hebraica veritate non invenitur, superfluum est ; id quamvis quidam, ut planius sonaret, addere voluerint. Sed si proprietatem verborum attendimus, voluntas non nisi in bono, sicuti, e contrario, cupiditas in malo recte accipitur. Quamvis multis in locis, et voluntas in malo, et cupiditas in bono improprie dicatur. Tamen isto in loco, non nisi de bono, et in bonum dicitur. Videlicet, bona quæ vultis accipere ab eis, et vos eadem facite illis, ut charitas proximi compleatur. Quam sane charitatem sine dilectione Dei nemo recte perficit, et ideo addidit : *Hæc est lex et prophetæ*. Propter quod alibi, non in una earum parte, sed in duabus istis, dilectione videlicet Dei et proximi, tota lex pendet, inquit, et prophetæ. Nisi forte in dilectione proximi simpliciter dictum accipiamus, quod in ea pendeat lex et prophetæ ; in Dei autem simul et proximi tota pendeat lex et omnis prophetia. Sed melius in utraque simul ea pendere dicimus ; quia nec charitas Dei sine proximi, nec proximi sine Dei jure servatur. Unde Dominus : *Si diligitis me, mandata mea servate* (*Joan.* XIV, 15). Et Apostolus : *Qui diligit Deum, diligat et proximum.* Alioquin : *Si quis dixerit, quia diligo Deum, et proximum oderit, convincitur quia mendax est* (*I Joan.* IV, 20). Ideirco diligatur proximus propter Deum, et Deus propter seipsum, ita ut mandata ejus custodiantur. Ac per **371** hoc, dilectio proximi erit in dilectione Dei, sicut et Dei in dilectione proximi ; unde in una earum, quia simul semper sunt, jure tota lex dicitur pendere, et prophetæ. Ubi manifeste insinuat unde dicatur ut ea faciamus hominibus quæ volumus et ipsi faciant nobis. Quia non de qualibet voluntate dicitur, sed de illa quæ ad dilectionem Dei et proximi pertinet : ut talia quæ volumus nobis fieri, aliis et ipsi propter Deum faciamus. Alioquin si quis ebriosus vult ab alio inebriari, nunquid et alios ipse jure inebriat ? Aut si luxum libidinis sibi assentiri vult, nunquid jure cum ea quæ se voluerit admisceri, mox fornicabitur ? Absit ut ita sentiamus ! Sed quidquid charitas Christi dictat in invicem impendamus.

Intrate per angustam portam. Quia quamvis charitas non nisi dilatato corde compleatur, et lata sæpe in Scripturis esse monstretur, satis tamen mentem quam repleverit per ardua et angusta hinc abducere festinat. Quam nimirum portam nemo sublimium superbia tumens intrare potest ; nemo abjectus et imus (non quem humilitas vera inclinat, sed quem diabolus prosternit in pulverem, et conculcat) ; nemo honoratus sæculi rebus, quia facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem per tam angusta intrare. Satis itaque excelsa est, dum usque ad amorem Dei erigitur ; satis vero deorsum angusta, cum etiam pro amore proximi nos mori velle, atque inimicum diligere jubet. Unde quamvis charitas lata dicatur, angusta tamen est ; quam pauci inveniunt, et, si invenerint, pauciores contendunt intrare per eam. Verumtamen ubi porta auditur, civitas consideranda est, quæ et qualis sit, quæ tam angustum habet ingressum quem pauci inveniunt, et si invenerint, pauciores qui contendant intrare per eam ; ubi nemo nisi absque peccati onere ingreditur, nemo absque labore et absque animi puritate. Quoniam satis angustum est omnia prætermittere, et unum solum diligere, unum intendere, unum quærere, et ad unum quotidie pulsare ; neque ad dextram, neque ad sinistram deflectere ; id est, neque prospera ambire, neque adversa formidare ; quæ non videntur quærere, quæ autem videntur respuere ; sicque omnia propter iter angustum hinc inde ab animo propellere.

Quia lata porta et spatiosa via quæ ducit ad perditionem. Hanc igitur, licet nemo **372** quærat, omnes inveniunt, quia in ea nati etsi se inde abstulerint, ultronea se offert. Unde rarus qui ad virtutes manum mittat, voluptas vero omnes, quasi importuna meretrix, suis oblectamentis invitat. Et ideo *multi intrant per eam.* Cæterum quam angusta est porta et arcta via quæ ducit ad vitam ! Unde sponsus et sponsa miratur in Canticis : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris ?* (*Cant.* III, 6). Ac si dicatur : Quæ est ista quæ ascendit viam quam pauci inveniunt, etsi invenerint. Quomodo ergo sic dirigitur et attenuatur ut fumi virgulæ comparetur ? Et non qualicunque, sed ex aromatibus myrrhæ et thuris ? Quæ nimirum aromata Christus supra docuit, ut mortificationem ejus in corpore nostro circumferentes, sacrificium thuris Deo simus, ita extenuati, ut virgulæ odoramentorum jure comparemur. Hanc quippe deserti viam pauci reperiunt, sed eam in quibus frequentia est populi, plures ambulant. Deserti autem viam, in quo Christus pugnant, pauci aggrediuntur. Pauci autem ad comparationem eorum dicuntur, qui per latam ambulant. Et ideo satis angusta est porta, et via quæ non nisi paucos recipit.

Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Ab his itaque dicit, qui ambulant in humilitate, et religione falsa, quos Scriptura pseudoprophetas appellat. Quia de corde suo in hypocrisi falsa loquentes, quæ sua sunt quærunt. Unde Dominus volens suos in omnibus erudire, quia dixerat arctam et angustam viam paucos invenire, ne forte, cum vidissent plurimos per eam magis ficte, quam

Introdusă în format electronic de Google

simplicitate cordis transire, illorum implicarentur erroribus, continuo adjecit dicens : *Attendite*, id est custodite vos, *a falsis prophetis*, ne illorum erroribus polluamini. Ipsi enim venturi sunt ad vos ut decipiant, in habitu ovium, quia vos vere oves estis, et ideo vestram ferentes schemam in habitu et in conversatione forinsecus, ut simplicitatem vestram deludant tamen *intrinsecus erunt lupi rapaces*. Scilicet immundi spiritus, qui eos pervaserunt. Idcirco cavete ab his, ne vos dilanient verborum morsibus, ciborum blanditiis, compositione simulationis.

A fructibus, inquit, *eorum cognoscetis eos*. Quapropter non dicat quilibet falsorum : « Unde me nosti? cur itaque me judicas? » vel « Cur mecum non participas? Aut quare me spernis quem judicare non debes? » **373** Profecto, quia vestem exterius prætendis, et religionis habitum præmonstras; intrinsecus autem lupum pertimesco, eo quod fructum in te pacis et charitatis Christi, cæterarumque virtutum non invenio. Habitum igitur recognosco, sed quod intus latet timeo. Qui licet occulta doceas, quasi in mysterio loquaris, aliud requiro quod in te non video. Unde intelligant quo censendi sint nomine, qui nec habitu teguntur humilitatis, nec fructum exhibent pietatis. Si enim ab istis cavendum est, qui et prophetiam prædicationis impendunt, et habitum sanctæ religionis gerunt, quid utique ab his qui cultioribus sæculi se ornant vestibus, et mundi sectantur gloriam, et in omni verborum affatu, atque conversationis pompa, nec non in cibis, rerumque dignitatibus lucis hujus filios esse se præmonstrant, et tamen magisterium inter oves Christi quam sæpe sibi vindicant? Nam, velint nolint, proprius ovium est habitus; quo licet mali utantur, tamen non ideo Christi ovis quod ei proprium est debet deserere : imo illos præcavere, qui talibus se transformant indumentis ut decipiant, et istos non imitari qui crucem Christi se jactant inter sæculi delicias portare; præsertim cum mortificationem carnis habeat, et contemptum mundi prædicet.

Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Spina namque quamvis a principio floribus candeat, non ideo uvas affert, quia non manet in vite, etsi videantur uvæ pendere super eam. Vitis autem Christus est, et omnia membra ejus palmites. Idcirco solummodo eorum est uvas ferre, opera videlicet Spiritus sancti, quæ inebriant mentem. Quas profecto cum videris inter spinas, noveris non ex eis esse; et ideo sic uvam carpe ut spinam caveas. Spinarum autem est, dilacerare tangentem se et disrumpere; quia hæretici verborum aculeis universos dilaniant et affligunt. Porro tribuli nullam dulcedinem ficus ferunt; quia fornicarii et scelerum amatores sine fructu ad tempus florent. Quibus duobus bene omnes, qui de massa perditionis sunt, etsi ad nos veniant, extra nos ad ignem sine fructu futuri figurantur. Unde primo homini dicitur : *Cum operatus fueris terram, spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III, 18). Quas isti miseri in carne et in animo, quia terra sunt, nutrientes, botros ferre nequeunt vineæ, de qua Pater agricola est, et omnes palmites propagantur. Neque de tribulis ficus generantur, **374** quos mittit ficulnea grossiores, sed ex sua propagine; quæ carnis sunt ex Adam sentiunt, et ea solummodo sectantur.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor fructus malos facit. Sic utique ut de spinis uvæ non possunt oriri, et de tribulis ficus, sed a radice manet fructus uniuscujusque; sic de bona vel mala arbore non potest fructus permutari, sed unumquodque a sua radice pullulat. Neque enim dixit : Non potest arbor bona mala fieri. Alioquin Judas non posset de Apostolo verti ad apostasiam, ut proderet Salvatorem; neque Paulus ex persecutore fieret vas electionis, si non posset et mala bona fieri. Nos ergo non duas ex hoc loco naturas, juxta Manichæos, boni et mali prædicamus; neque, secundum Jovinianum, dicimus quod et mali non possint permutari ut boni fiant, et boni rursus ad malitiam corruere, si non gratia Dei salventur. Igitur, quia nemo natura malus, sed vitio permutatur, eo quod terra quæ maledictionibus subjacet spinas et tribulos affert. De quibus nec uvæ nec ficus unquam colliguntur. Nam, etsi aliquam videatur utilitatem ferre interdum scelerati, vel mali doctores, dum bene prædicant male viventes; non eorum utique fructus est, sed vitis, quæ aliquando super sæpem spinarum exuberat. Unde, sicut dixi, carpendus est botrus, et cavenda spina, quæ male nascitur in manu temulenti, ne configatur incautus. Hinc Moyses Jethro socerum suum audiens colligit uvam, nec tamen gentilitatis vitio sordidatur. Nec possumus dicere quod de spina uvas collegerit; quia quod ad horam in illo paruit, non ex eo, sed ab illo cui famulabatur Moyses, fuit. Unde devotus Deo, in populo cui jam Christus præerat, sic omnia ut Veritas docuit ordinavit. Nam et illi qui veniunt in vestimentis ovium, videntur habere contemptum sæculi, jejunia, eleemosynarum effusionem, publicas orationes in foro et in angulis platearum, sed omnino non sunt eorum fructus, quia ei pro vitio reputantur; fructus autem iste improprius est eis, et ideo hypocritæ nominantur, quoniam alienas partes ficte agunt. Idcirco illorum magis censendus est fructus, quorum proprius esse recognoscitur. Porro malarum arborum fructus, opera carnis sunt : videlicet fornicatio, luxuria, immunditia, idolorum servitus, et cætera hujusmodi facta tenebrarum. Fructus vero bonæ arboris, gaudium, pax, patientia, longanimitas, **375** benignitas, et alia virtutum insignia cœlesti rore interius fecundata. Quos utique fructus nunquam nisi bona voluntas parturit, sicut e contrario malos cordis intentio mala semper enutrit. Nunquam igitur bona voluntas fructus malos facit, sicut nec mala bonos; et ideo per arborem recte voluntas uniuscujusque designatur; quia, sicut arbor radicatur in terra, ita voluntas quorumque in anima. Etsi malæ naturæ arbor in terra bona plan-

Introdusă în format electronic de Google

tetur, non ideo mox ex ea fructus bonus nascitur: simili modo etsi anima bona probatur per naturam, non ideo voluntas mala insita in illa unquam fructus bonos valet facere; sicut econtrario, nec bona malos. Propterea rectius accipimus, tropice, voluntatem uniuscujusque bonam vel malam arborem; animam vero, natura manente integra, quotidie voluntatis affectione corrumpi, vel commutari in melius. Nisi forte illa hæreticorum calumnia id prohibeat, quasi jure non possint, metaphorice, rebus quæ substantiæ non sunt de substantiis similitudines adhiberi. Præsertim cum eadem sæcularis disciplina, tropos tam ab animo ad corpus, quam extrinsecus a corpore ad animum doceat fieri posse. Unde passim innumera rerum exemplа concurrunt, et *de his* rebus quæ substantiæ non sunt, ad eas quæ substantiæ sunt; et rursus de his quæ sunt, ad eas quæ non sunt, similitudines trahere cernuntur; quod satis evidenter præsens locus verum esse confirmat. Ubi, licet ipsæ arbores bonæ malæve, homines simpliciter, et non voluntas eorum accipiatur, fructus tamen, velint nolint, virtutum vitiorumve opera erunt, quæ nemo nisi imperitus substantias æstimabit. Ac per hoc, jure voluntas hominis arbor esse dicitur; quia, sicut illa radicatur in terra, sic et voluntas cogitationibus in mente. Unde Dominus jam securim ad radices arborum positam esse dicit, dum cogitationes singulorum, quibus radicatur mala voluntas, verbo divinitatis suæ parat præcidere, et ex his universos dijudicare. Quæ nimirum voluntas si bona fuerit, et recta intentio, fructus malos non facit, sicut nec mala bonos facere potest. Quia omnia opera, licet bona videantur vel mala, radicis suæ succum, ac seminis virorem trahunt. Ex qua denique sententia omnes hypocritas, omnes pseudoprophetas damnat; et *omnia quæ* supra docuit de cordis munditia, hoc uno exemplo irreflexibilis naturæ confirmat, quod nemo de mala voluntate fructum **376** bonum percipiat, neque de bona intentione ne aliquis nisi quod bonum est metet. Bona autem voluntas hominis, arbor videlicet bona esse non potest, nisi habeat plantationem et virorem voluntatis Dei, ut ejus saporem gustantibus se fructus afferat. Quia quidquid ab ea degenerat, vitio corrumpitur, et inter malas dignoscentiæ partes connumeratur. Et hæc est, inquam, angusta via, quæ tam irreflexibili tramite et norma justitiæ regulatur. Lata vero, sæculi, quia in dextris istius a sinistris in immenso dispergitur, et per omnia vitiorum gramina huc illucque lata diffunditur. Hinc sequitur.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, etc. Voluntas quippe Dei ut fiat in nobis requiritur, non verborum effusio. Idcirco attendite a falsis prophetis, et ex fructibus illorum illos cognoscite. Quia non potest eorum prava voluntas bonos facere. Licet igitur dicant, Domine, Domine, non continuo credendi sunt. Nam labiis me, ut recipiantur a vobis honorare videntur, cor autem eorum longe est a me. Et ideo non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Quia, etsi latronem pro sola invocatione nominis videtur in paradisum introduxisse, constat eum corde fidei intus approximasse, et dilectionis obsequium exhibuisse. Neque ex hoc prohibuit se voce invocare, sed ostendit quod non omnis qui eum voce ingeminat, corde credit, aut operibus dilgit. Ubi quærendum, quomodo verum erit quod Paulus apostolus testatur, quia nemo possit dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XII, 13)? Si autem in Spiritu sancto dicimus ad eum, Domine, Domine, nunquid non audiet nos pulsantes ad eum, ut ingrediamur? Audiet utique. Propter quod quærendus est sensus Scripturarum, et non est audienda stultitia hæreticorum. Ecce inter hoc et illud dicere magnam distantiam esse nemo qui ambigat. Nam voce tantum quis idiota non valet dicere Dominus Jesus? In spiritu autem rarus et non nisi prædestinatus si permaneat. Siquidem voce multi dicunt, Domine, Domine, qui in novissimo adventu fatui repelluntur. Ornatis vero lampadibus oleo sancti Spiritus, pauci januam introducuntur; et ideo hoc est dicere in Spiritu sancto Dominum Jesum, quod est ornare lampades, id est, per Spiritum sanctum **377** Christum Dominum corde simul et ore, atque dignis operibus confiteri. Dicere Dominum Jesum confiteri est. Dicit autem eum qui corde credit ad justitiam, et ore illum confitetur ad salutem, deinde operibus quem credidit testificatur. Alioquin prodesse nihil potest, si operibus eum negant; ideo vere dicere Dominum Jesum confiteri est corde, et ore atque bonis operibus prædicare. Nam unum sine altero, negare est. Integre vero illum confitetur et dicit, qui fide et intellectu dicibile intus verbum in corde gerit, et quoties expedit ipsum quod dicibile intus habet, ore profert, et dicit: deinde rebus et operibus verum esse in se confitetur, quod in animo dicibile permansit. Secundum quam integritatem dicendi, Apostolus clamat quod nemo possit dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto. Quia sine illo eum intelligere non valet. Quod aperte Petrus insinuat, qui dum mori timuit, vitam utique negavit. Cæterum opera virtutum, id est Spiritus sancti dona, quis recte sine ipso percipiet? Nemo igitur sine ipso Dominum Jesum potest dicere, quia nemo in membris Christi sine Spiritu sancto potest esse. Unde isti pseudoprophetæ, vel hypocritæ, seu falsi Christiani, licet verbo tenus dicant, Domine, Domine, dum nec corde illum diligunt, nec ore recte prædicant, nec operibus confirmant, voluntatem Patris non faciunt, et ideo extorres a regno rejiciuntur. Ecce omnes voce clamant, sed non omnes recipiuntur. Recipiuntur autem illi qui in Spiritu sancto Dominum invocant, et unctionem habent ab ipso: propter quod docuit ut de fructu omnes intelligantur. Quia non solum illi qui solo nomine Dominum nominant, non recipientur; verum nec hi qui prophetant sin

Introdusă în format electronic de Google

operibus, et dæmonia ejiciunt, vel virtutes multas faciunt. Hinc quoque sequitur :

Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, aperi nobis. Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Vult enim hinc inde circumspectos nos esse, ne seducamur. Ideo, sicut superius ut a falsis prophetis cavere nos præmonuit, ita etiam ab his qui dæmonia ejiciunt, et virtutes faciunt multas, cautos esse debere insinuat. Quia prædicare Scripturarum occulta, et mali possunt ex studio discendi : quia et mentis efficacia videmus quam sæpe flagitiosos quosque **378** pollere, et divinis litteris erudiri. Cæterum malos prophetasse frequenter, et adhuc eorum complices futuros esse quis ignorat? Nam et Balaam hariolus, et Saul reprobus, atque Caiphas iniquus prophetavere, et alii quamplures quos Scriptura non nominat. Porro dæmonia plures ejiciunt, non eorum meritis, sed invocatione nominis Christi, sicut in Actibus apostolorum filios Scevæ cujusdam sacerdotis fecisse legimus (*Act.* xix, 14). Virtutes vero simili modo fiunt a reprobis, exuberante divina gratia, pro tribus causis : ut contemptores eorum decipiantur errore pravitatis, qui nolunt credere ea quæ jam impleta sunt et magister docuit veritatis, et ut alii per eos sanentur, quibus Dominus decreverit subvenire, et credant tam ipsi quam et alii, miraculis excitati; et hæc ideo per eos, licet reprobi sint, potestate divina fiunt, ut discant fideles Christi virtutes operari non magnopere studere, sed Christum in omnibus imitari, qui dixit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* ii, 29), charitatemque sectari. Nemo igitur dubitet, in nomine Christi priores virtutes multas fecisse, atque dæmonia ejecisse. Quod si aliquis voluerit abnuere, legat quid ipse Dominus etiam de futuro dicat : *Tunc*, inquit, *si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, ita ut in errorem inducantur etiam electi, si fieri potest. Ecce prædixi vobis* (*Mat.* xxiv, 23). Unde purgandus est oculus mentis, quærenda sapientia, firmanda fides, constantia fidei roboranda, inter tot perversorum hominum mala, inter tot laqueorum scandala ut evadere possimus, et a talibus præcaveri. Quærenda est igitur semper sana doctrina, et vita perfecta imitanda. Quoniam virtutes fieri, Spiritus sancti est operatio; bene autem vivere Christi imitatio. Unde dicturus est istis : *Non novi vos;* operantibus autem : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv, 34). Propter quod et Dominus prohibuit discipulos gaudere, quia dæmonia illis subjecta fuerant : *Gaudete*, inquit, *quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* x, 20). Unde et Paulus non virtutes linguarum, non mysteria secretorum nosse, non prophetias, non fidem qua montes prodigiose transferantur, sed solam charitatem commendat, quam Christus docuit (*I Cor.* xiii, 1, 2).

Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos; discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Confitebor autem, quod illi **379** noluerunt confiteri ut redirent ad me : confitebor quod diu patienter tuli. Confitebor sane : Non novi vos. Ergo qui finxit singillatim corda hominum, et intelligit omnia opera eorum, quomodo recte dicit non nosse quos creavit? Nunquid non vultus Domini semper super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum? Propter quod utique *non nosse* Dei magis figurate accipitur : quia novit quos approbat et salvat : non novit autem eos quos perimit et damnat. Dicimus enim : Non novit lux tenebras, id est non aspicit; quia si aspiceret, tenebræ jam non essent. Idcirco non inspexisse, reprobasse fuit. Unde orandus est jugiter ut illustret cæcitates nostras; quia, nisi respiciat, nihil aliud quam tenebræ sumus. Nam *nosse* Dei, approbare est et per gratiam eligere. Hinc quoque scriptum legimus : *Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit* (*Psal.* vi). Et illud : *Novit Dominus qui sunt ejus.* Et ad Moysen : *Novi te ex nomine* (*Exod.* xxxiii, 12). Novit igitur cognoscentes se, et approbat eos qui in simplicitate cordis mandata ejus custodiunt. Unde sequitur :

Omnis qui audit verba mea et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram. Conclusio totius sermonis mirabili fidei exemplo firmatur, excludens omnes qui aut hypocrisi falluntur, aut aliqua ignavia infidelitatis in aliquo premuntur, et eos tantum ad summum sapientiæ gradum comparat, quos supra petram rectæ fidei interius firmos esse veritatis actio probat. Omnis, inquit, qui audit verba mea et facit ea. Non dixit qui audit tantum, sed qui audit prius, deinde facit ea. Quia nemo recte audit, nisi faciat ea. Hinc quam sæpe dicitur : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* xi, 15; *Luc.* viii, 8). Aliud quippe est audire auditu corporis, aliud vero auditu mentis : Auditu itaque mentis quicunque audit, intelligit, et intellecta votis implere satagit. Cæterum qui verbum exterius in sono percipit, nisi rem verbi clamantem introrsus capiat, surdus redit. Quia, cum vox siluerit, nihil ei remansit quod audire possit. Et ideo qui audit, verba mea dicit, et non sonum loquentis. Nam quod exterius fit, verbum lectoris aut doctoris est; quod vero intus sentitur et intelligitur, Christi verbum est. Unde David : *Audiam quid loquatur in me Deus* (*Psal.* lxxxiv, 9). Tunc enim recte in nobis loquitur, cum, exterius organo vocis sonante, interius ad vocem Christi excitamur, divinitus colloquentem. Quapropter clamat **380** Apostolus : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (*I Petr.* iv, 10). Quod si sermones Dei iste loquitur, ille interius quid aliud audire debet, nisi eosdem sermones? Non enim, ait, omnis qui docet verba mea, sed qui audit. Tutius ergo est audire quam docere; sed tamen et ille qui docet, si recte docet, utique prior in corde audit quod docet. Ac per hoc Christus est qui docet omnes; et quos docet, audi-

Introdusă în format electronic de Google

tores utique verborum Dei sunt, deinde factores. Verumtamen etsi perfectius sit facere quam discere, prius tamen oportet audire ut facias disciplinam jubentis, deinde doctrinam quam didiceris, operibus exæquare. Et si forte semel audisti, debes delectari, indesinenter ut audias tubam salutaris; quia nunquam desunt hostes, contra quos præliandum est. Neque cibus unius diei sufficit ad omnem vitam præsentis sæculi; et ideo jugiter meditanda sunt verba Scripturarum, quatenus ex his vitam habeamus, et, unde vivimus, exercitatione operis pascamur. Alioquin nec recte audiuntur verba sine fructu operis, nec recte operatur sine cibo tantæ dulcedinis. Quod qui utrumque simul, ait, et recte videlicet audit, deinde facit verba quæ audit, videlicet ea intus quæ verba audit : *Similabo eum*, inquit, *viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Quærendum igitur, quis sit iste architectus, qui ædificavit domum suam supra petram, cui assimilari debeat is qui audit et facit verba Salvatoris? Non enim simpliciter de quolibet artifice domorum accipiendum puto, quæ sæpe supra petras ædificatæ impulsu ventorum præcipitanter ruunt, sed forte de illo qui ait : *Ut sapiens architectus fundamentum posui* (*I Cor.* III, 10). Magnum itaque est quempiam Paulo assimilari. Ipse enim hoc aît; sed si veraciter inspicimus, magis adhuc est quod promittitur. Quia nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant omnes qui ædificant eam. Idcirco licet Petrus ædificet, licet Paulus, licet quilibet sanctorum seu doctorum, Christus est vir sapiens qui ædificat; non quascunque domos, sed unam cœlestem in cœlis, supra se, qui recte petra est appellatus, fundamento fidei collocatam. Unde in hoc eodem Evangelio Petro dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18), id est : A qua tu Petrus sortiris nomen, pro firmitate fidei, supra ipsam eamdemque petram ædificabo fundamento fidei Ecclesiam, quæ est domus Dei vivi constructa in cœlestibus lapidibus **381** pretiosis. Ubi nullus hæreticorum ædificat, nullus hypocrita, nullus terrenarum thesaurizatorum, nullus vitiorum sectator, sed soli qui audiunt quod docuit, et faciunt ut docuit. Hi nimirum ædificant domos suas supra petram. Quia, licet una sit domus quam in se Christus ædificat, singuli supra fundamentum fide coædificant suorum merita. Unde alibi : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2); quas qui ædificant, coædificatores Christi sunt, qui cum eis, ipsas ædificat; et ideo jure illi assimilantur. Quia ubi ille, et illi; et quod ille, hoc et ipsi operibus erigere, et domum construere satagunt. Hoc quippe est verba ejus audire et ea facere, domum illam in cœlestibus fabricare. Cujus nimirum fundamentum fides Christi est, cacumen vero, spes certa sustollitur, compago quoque juncturarum charitas coaptatur, columnæ vero ipsius dono Sancti spiritus eriguntur. Quibus nimirum septem donorum columnis, tota domus innititur, A domus et fundamento Christi corroboratur. Omnem igitur structuram, id est omne opus quod in fide Christi eo in sublime excreverit, moveri non posse ullis impulsionibus manifeste docet. Hinc quoque ait :

Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit. Per pluvias ergo, blandas voluptatum illecebras, et sensim illabentium concupiscentiarum imbres significat. Quibus primum fides, rimis patentibus negligentiarum, madescit, et dissolvitur rigor fidei, et fortitudo charitatis corrumpitur. Unde Jacobus : *Tentatur unusquisque a concupiscentia sua illectus et abstractus* (*Jac.* I, 14). Cum enim mens carnis concupiscentia inebriatur, quasi pluviis a rigore sui status dissolvitur. De quibus profecto pluviis, in persona eorum qui reprobantur, David minatur dicens : *Pluit super peccatores laqueos* (*Psal.* X, 6). Laqueos utique, quia unusquisque a sua concupiscentia, si relinquitur auxilio Dei, illaqueatur. Quod si talibus non fuerit permotus majora tentamentorum flumina relaxantur, ut graviores experiatur undarum motus, et quasi tractu fluminum, vehementius obruatur concupiscentiarum fluctibus. Nihil infirmius in vita humana, quam qui sua concupiscentia vincitur : nihil validius quam qui nec a diabolo superatur. Sed aliter tentatur vere supra petram fundatus, et aliter qui super arenam ædificat. Iste quidem ut cadat, ille vero ut coronetur et **382** vincat. Ad utrosque tamen pluviæ oblectamentorum descendunt, et flumina prolixæ tentationis inundanter veniunt. Sed hi corruunt; hi vero, in quibus Christus ex sese ædificat, stabiles permanent, et opus eorum in cœlis semper constabilitur. Unde propheta : *Dominus in turbine, et in tempestate viæ illius* (*Nahum* I, 3). Quia profecto contra eos qui in Christo coædificantur sævior ac vehemens procella sævit. Ubi licet minora oblectamenta vitiorum pulsent, flumina elationum vel superbiæ fluant, deinde diabolus omnes ventos tentationum circumcirca fortius movet, et, si inconcussi adhuc stamus, satis timendus est Dominus in turbine ventorum et in tempestate, ne forte nos imbecilliores inveniat. Verumtamen fixos esse oportet, quamvis tribus istis generibus contra nos sæviat, et omnia tentamentorum genera in his expendat, quod nihil possit contra nos, nisi super arenam nos ædificasse inveniat. Quippe tribus hostis armorum generibus semper diabolus pugnat; carnis videlicet concupiscentiis aut exterioribus mundi oblectamentis atque favoribus, aut per seipsum, cum universos hinc inde ventos impulsionum laxaverit, eorum ad ruinam quos super arenam ædificasse invenerit. Sed tamen cur iste quilibet vir non ceciderit, manifeste ostendit dicens : *Fundatus enim erat supra petram.* Alioquin nisi super eam fundatus esset, penitus cecidisset. Unde datur intelligi, quicunque ruunt quod non in Christo ædificantur : quicunque vero permanserint, non illis sed fidei firmitati præstatur, et fidei virtus in eis a Christo consolidatur. Expleta

Introdusă în format electronic de Google

igitur adhortationis paradigma deterrentis : *Quod omnis qui ædificat super arenam*, versa vice, *stulto comparabitur* architecto, cujus structura nullius innititur firmamento virtutis. Nam vitia semper fluida sunt et velut arena collabuntur. Arena quippe nunquam solidari aut conjungi ad invicem potest; semper bibens aquas, et nunquam ab ariditate quantisper mollescens. Sic sic itaque desiderium et concupiscentia vitiorum nunquam expletur fluxu voluptatis, et tamen semper ariditate mali ardoris sine satietate conduratur; neque conjunctionem recipit charitatis, ut soliditatem possit habere cum venerit æstus, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, huc illucque impulsionibus raptatur : profecto quia non spiritu, sed in carne propagantur. Hinc ergo ad Abraham remissio generis duplicatur ; **383** *Erit*, inquit, *semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris*. Per arenam quippe carnalis propago designatur, infidelitatis vitio et ariditate carnalis desiderii a Christo dissociata ; super quæ qui ædificat, qualiacunque sint quæ agit, non culmen erectionis, sed ruinam dejectionis exspectat. Ubi simul gentilis adhuc in carne, necnon et Judæus ædificat sine Christo ; hæreticus in fide damnatus, hypocrita quoque simulatione deceptus, falsus Christianus vitiorum laqueis involutus, omnes isti non supra petram sed super arenam ædificant, et ideo disperguntur a Christo. Quorum ruina tanto fit major, quanto altius super arenam ædificasse inveniuntur. Profecto quia de his dicit qui audiunt verba hæc, et non faciunt ea. Audiunt quidem aure carnis, et non aure mentis. Audiunt itaque ut excusationem non habeant, et non ut opus fidei perficiant ; idcirco, ut in fine concluditur, fit ruina eorum magna, qui talia Christi salutaria monita contempserunt.

Et factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinam ejus. Quænam turbæ miratæ dicuntur, cum superius ad eum soli discipuli legantur accessisse? Nisi quia aut turba discipulorum, ex quibus duodecim elegerat, dicitur admirata, quos, pernoctans in oratione, cum dies factus esset accersierat ; aut certe cum descendisset, secundum Lucam, et stetisset in loco campestri, ubi et multitudo plebis fuisse legitur. Tunc utique cum finisset eumdem sermonem quem jam forsitan supra habuerat, miratæ dicuntur turbæ, et non discipuli. Quia discipulis fides potius et dilectio congruebat quam admiratio. Admiratio ergo signum est infidelitatis, quia necdum mens bene de virtute Dei sentiens, stupet ad ea quæ prius necdum crediderat. Prorsus et ideo fiunt miracula, ut mens ad ea commoveatur quatenus incipiat credere, et de illo cui nihil impossibile est, in nullo dubitare. Consummatio igitur sermonis plenitudo et integritas intelligatur doctrinarum, quia nihil imperfectionis habet sermo Christi. Unde et :

Turbæ admirabantur, eo quod esset docens quasi potestatem habens, et non sicut scribæ et pharisæi. Potestas ergo non in dominatione exactionis, sed in doctrina erat, **384** ostendens se Dominum legis qui et ea quæ deerant potestative illi ad perfectionem addebat, et quæ umbræ fuerant, luce veritatis reserata, submovebat. Deinde indidem præceptorum quæ ad agendæ vitæ perfectionem fuerat, verbo et exemplis confirmabat. In omnibus se Dominum exhibens, non, sicut pharisæi ac scribæ, superstitiosa docens, sed quæ salutis erant prænonstrans. Illi quidem ea quæ verbis docebant, operibus impossibilia demonstrabant ; iste vero, perfectiora docens, omnia virtute et operibus firmabat Cujus nimirum doctrina testimonium habens a lege et prophetis, signorum etiam virtutibus commendabatur. Non enim doctrinam legis quam prædicabat in synagogis, a scribis et legisperitis didicerat, sed famulabatur ei, ac si ancilla ipsa eloquentia verborum et rerum sententiarum affluentia. Ita ut manifeste hinc inde daretur intelligi quod ipse foret legum lator, cujus potestas et virtus in omnibus patescebat. Fertur namque quod etiam in vultu ejus gratia quantocius resplendescebat, ita ut hinc inde mentes afficeret auditorum. Sed hinc magis propter doctrinam dicuntur admirati ; quam sane doctrinam jugiter intendentes non admiremur cum turbis, sed operemur cum apostolis, quatenus post finem vitæ coronemur cum ipsis. Sed quam infelices sunt carnales adhuc hodie in Ecclesia, qui nec admirantur cum istis, eo quod non curant intelligere quæ dicuntur; nec credunt cum fidelibus, ut adhibeant meditationem operis ; nec agunt cum apostolis, ut possint assequi regnum quod promissum est recte quærentibus? Sed quia, remigante Christi gratia, immensa Spiritus sancti flumina transegimus, et cacumina montis Olivarum, in quo hæc dicta creduntur, mente lustravimus, ad nosmet redeundum est, quatenus ad decensum montis cum leproso vulnera nostra medico pandamus : et quia hæc quæ diximus, adhuc minime implevimus, saltem ut deorsum adorantes, et procidentes ante faciem ipsius, in confessione veniam consequamur. Propter quod finem libri et consummationem sermonis simul claudamus, ut, in alterius principio, a lepra qua coinquinamur, Domino manu tangente, plenius purgemur.

PROLOGUS LIBRI QUINTI.

385 Sanctissimis in Christo fratribus, quos divina sapientia satis abunde suis illustrat virtutibus, et cœlestis gratia miris exornat muneribus, sub sancto proposito monasticæ disciplinæ Centulo degentibus, Paschasius Radbertus, monachorum omnium peripsema, et Levitarum ultimus.

Introdusă în format electronic de Google

Expositum in Matthæo, charissimi, quod olim inchoaveram, ut eo in officio fratribus pensum servitutis meæ pro voto persolverem, multis demum, suscepto regiminis loco, præpeditus sollicitudinum curis, et causarum sæcularium variis implicatus negotiis, tantum a me longe abductus, quantum a studio litterarum remotus, non solum illud imperfectum reliqui quod cœperam, verum etiam, prætermisso quietis bono, memetipsum, pene plurimis aurarum allisus impulsionibus, in naufragium dedi. Sed quia Deus nobis, ut ille vates ait, sua providentia hæc otia fecit, fratres, qui a vobis ad nos missi venerunt, crebro me solerti aggressi sunt hortatu, ut explerem opus quod inchoaveram, vestroque consecrarem nomini : ne illuderer, juxta illud ex Evangelio, quia cœpi ac si turrim ædificare, nec potuerim consummare. Unde itaque, eorum exhortatione permotus, ac si divino tactus affatu, decrevi rogatus offerre [a] devotionis obsequio, tam charitati vestræ quam et fratrum meorum, qui me et ipsi sui amoris xenio ad id impulerunt ut facerem. Unde continuo quatuor librorum opuscula in eodem Matthæo, quæ dudum illis condideram pro voto, statui retexere ac si principium hujus operis, si forte super ipsos, ac si super fundamentum, possem tam vobis pro munere, quam et illis pro censu servitutis, culmen totius structuræ erigere; ut quorum una inviolabilis et incontaminata manet charitas, una devotio, unumque propositum, fieret hæc lectio una soliditas dilectionis, unusque funiculus triplex fidei, spei et charitatis, qui nunquam rumpitur, unaque fabrica perfectionis, quæ nusquam violatur. Beatum ergo me existimans fore, si quidpiam **386** meis quod gratum esset, pro censu exsolverem, et offerrem vobis licet exiguum pro munere non ignavi ponderis talentum locupletius quod placeret. Quoniam ut præsenti, ex omnibus et in omnibus gratissima me dilectione in Christo suscipere dignati estis, et refovere sinu charitatis, Deoque committere precibus, maxime eo in tempore, juxta illud antiquum proverbium, quando amicus et medicus in necessitate probantur. Hinc est charissimi quod tanto studio causa visitationis ad vos quam sæpe venire decrevi, desiderans vos videre, et corrigere in me quod diu negligentius omiseram; qui me dilectionis affectu contra omnia adversantia consolati estis in orationibus vestris, ita ut in præsentiarum nihil mihi deesse putarem, cum tanta beneficia vestra perfectæ charitatis circa me flagrarent, quoniam debitores facti estis omnibus, qui nihil aliud ulli debetis (quia radicem cordis in cœlo posuistis), nisi charitatem, quam semper debendo exsolvistis, et exsolvendo magis magisque debitores facti estis. Sed quia liberalitas vestra multum exuberat in dando, credo quod et in accipiendo liberalius, sancta benevolentia vestra magis gaudebit pro munere verbi, quam pro ullius censu dati. Hinc gratum fore putavi quidquid devotus obtulero, quibus profecto debeo quidquid possum et quod sum. Verumtamen non adeo ignarus ut nesciam quod nequeo digne quatuor Evangelistarum quadrigam sensu penetrare exiguo, neque ad liquidum unum eorum intelligere; non dicam ego tantillus, verumetiam nescio et si ullus eorum qui magnos sese faciunt virtutibus. Quoniam hæc quadriga currus Dei est multiplex, in qua Christus cœlestis auriga peragrat quadratum orbem modo universum : nunc in tempore volans per omnia; nunc extra tempus super omnia, et ultra cœlorum excelsa, semper cum Patre idem in una æternitate Deus manens; nunc infra tempus Deus homo perlustrat universa; modo a summo cœlorum egrediens, excurrit usque ad inferos; modo ab inferis regreditur usque ad superos. Et ideo hæc animalia, quæ hanc quadrigam per orbem trahere videntur ubique volantia, etiam terga pennata habere dicuntur; quorum corpora plena sunt oculis ante ac retro, deinde intus et foris; ex quibus emicant scintillæ ac si aeris candentis, et **387** discurrunt fulgura. Habent itaque singuli pedes rectos et semper in sublime tendentes. Unde non immerito et ipsi Cherubim vocantur, eo quod habeant in se multitudinem scientiæ Dei. Quam bene igitur dictum est per Ezechielem : Quia *non revertebantur cum incederent, sed unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur* (*Ezech.* I, 9), quia ad æterna tendunt. Quæ nimirum animalia multis in locis præfigurata, et, quod mirum est, ante sunt in cœlis huic prophetæ in spiritu Dei ostensa, quam essent in terris nata. Idcirco non potest non esse ineffabile, neque incomprehensibile quod sentiunt. Et tamen, ex eorum dictis est et verbis quidquid est quod recte sapimus vel intelligimus; quia eorum verba, verba sunt Dei. In quibus profecto verbis non humana sapientia, sed spiritus et vita lucet. Et ideo ipsa verba jure verba vitæ dicuntur, quia non in his flos eloquentiæ redolet sæcularis, sed fructus vitæ. Quapropter, etsi ad plenum nemo de talibus loqui potest, non ideo tamen ex toto homo quilibet silere debet; licet in climato loquendi genere, ne loquatur ea divinitus inspiratus quæ sentit. Quia intelligentia Evangelii non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis constat, sed in sapientia Christi : quam Paulus etsi imperitus sermone, ut ipse ait, non tamen scientia inter perfectos loqui se gaudet (*II Cor.* II, 6). Interea etsi senilis oratio per se compta esse debeat ac decora sensibus debet tamen esse et mitis, maxime in talibus. Cujus profecto sermo etsi decorus sit, quod non requiro, ut quidam ait, quietus esse debet ac remissus. Quod si in sæcularibus studiis talis debet esse eloquentia, quæ succum habeat modestiæ; quanto magis ego inter hæc flammantia virtutum documenta proferre non debui, et si possem, nitorem sæcularis facundiæ, quæ secum splendorem ferat verborum, sed puritatem sensus quærere et intelligentiam veritatis? Quoniam hæc sapientia Christi in mysterio abscondita est in ipso, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ Dei reconditi. Et ideo ab ipso in-

[a] *Subaudi* me, *vel* conatus, *aut* labores meos.

Introdusă în format electronic de Google

petrandum est ut oratio nostra emolumentum magis habeat perfectæ intelligentiæ, quam incitamentum vanitatis. Sed, quia hæc quatuor animalia varie describuntur, quærendum omnino quid est quod Joannes primum animal simile leoni dixerit (*Apoc.* IV, 7), **388** cum Ezechiel propheta, non leonis speciem, sed hominis primo animali inesse perhibuerit. Sic enim ordinem eorum describit : *Similitudo*, inquit, *vultus eorum facies hominis et facies leonis, a dextris eorum quatuor, et facies bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper volantis ipsorum quatuor* (*Ezech.* I, 10). Mirum quippe valde est quod Joannes animal primum simile leoni, propheta vero primum homini simile ponit. In qua nimirum sententia magna nobis oritur quæstio. Quamvis enim Ezechiel dicat de ipsis animalibus, quod essent quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, singulorum tamen facies declarantur. Unde cur immutetur ordo qui scriptus est in propheta Ezechiele, et dicatur a Joanne leo pro homine, non absque magno mysterio est. Quapropter sciendum quia mystica Scripturarum eloquia non semper ordinem servant historicum; quod si facerent, non jam mystica, sed tantum historica essent. Hinc, si ad descriptionem Evangeliorum recurrimus, propheta se animalia vidisse describens, ordinem servavit, qui Matthæo humanam faciem habuisse narrat; quia ipse primum de humanitate Christi exorsus est scribere. Marco autem leonis forma tribuitur, secundum quod a clamore, ac si leo in deserto rugiens, cœpit. Tertius vero Lucas speciem bovis, seu vituli gestat, quia ipse a sacerdotio suum Evangelium inchoavit. Joannes quoque in aquilæ similitudine figuratur, eo quod altius transvolans universa, ad divinitatem verbi usque pervenit ascendens; in qua clarius obtutum oculorum defigit, et inde nobis arcani verbi mysteria plenius reseravit. Nam et ipsi doctores nostri ex hoc loco diversa sentiunt, sicut et diverse narrata leguntur : quod in leone Matthæus, in homine Marcus visus sit. Sed, si ad dispensationem Redemptoris nostri mentis oculum defigimus, quam dispensationem eadem animalia peractam declarant, nec ipse propheta ordinem tenuit, qui secundo loco leonem posuit; cum idem Redemptor noster natus ut homo, prius fuerit ut vitulus immolatus, quam ut leo a mortuis suscitatus. Propterea videamus quam ob causam eorum ordo præposteretur, cum sint, ut dictum est, quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. Ubi patenter nimirum **389** Evangelistarum demonstratur concordia et unitas Evangelii Dei : quodlibet eorum et suam et trium possidet formam, ita ut in uno tria, atque in tribus unum inveniatur. Quod si in unoquoque eorum tria inveniuntur animalia, quodlibet horum primum est, nec alteri cuilibet posterius; quoniam singulorum omnium quatuor facies est una, sicuti et uni ipsorum simul quatuor. Quia Christus homo fuit quem simul prædicant omnes; et leo propter suam eximiam fortitudinem, quia moriens mortem devicit; et vitulus quoque, quia immolatus est in sacrificium Deo Patri, sicut ipsi quatuor testantur; sed et aquila figuratus est, quia mox ut occubuit per mortem innovata est juventus ejus, et resurrexit, atque descendit altior omnibus etiam angelis suo volatu, quando rediit ubi erat in principio Deus apud Deum. Et ideo non immerito facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, et facies vituli a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor : quia omnium eorum una facies est, et propria; ita ut et proprietas prædicationis mirabiliter resplendeat in singulis, et unitas commendetur in omnibus. Quia licet singuli suam habeant proprietam narrandi, non tamen aliam invenies faciem in alio, quam alius non habeat : et ideo uni, ut ita dicam, ineffabiliter quatuor facies sunt. Quia, si requiras quid Matthæus de incarnatione sentiat, hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas, et Joannes : si quæras quid Joannes, hoc procul dubio quod et alii tres similiter; et si quæras quid Marcus sentiat? quod Matthæus, Lucas et Joannes; et si quæras quid Lucas? utique hoc quod Joannes, Matthæus et Marcus sentiunt. Quia eorum una notitia fidei est, qua cognoscuntur a Deo; ac per hoc ipsa est in uno facies fidei vel cognitio, quæ est simul et in quatuor. Quæ cum ita sint, charissimi, in hoc loco si alium ordinem sequar, propter quem nostri inter se variant doctores, nemo me reprehendat temere, quoniam nec Joannis ordinem, sicut quidam fecerunt, nec Ezechielis impugnare cognoscor, sicut nec ipsi sibi etiam in diversa ordinis narratione facere probantur : dum unus eorum, id est, propheta Ezechiel ordinem demonstrat, ut dixi, Evangelistarum juxta quod ordinati sunt a Domino, et ipsi conscripserunt **390** Evangelia unusquisque in præfiguratione sua et qualitate principii. Alter vero, id est, Joannes, sacramenta quæ in Christo præfigurata sunt et expleta, potius persequitur : quia Christus ipse leo est qui securus dormivit in passione. Unde Jacob ait de Juda in persona Christi : Quia *occubuisti ut leo, et quis suscitabit eum?* (*Gen.* XLIX, 9) Ipse homo et vitulus, ipse et in aquila jure præfiguratur. Sed leonem Joannes primum ponere maluit, quia sacramentum resurrectionis ejus jam credentibus scribens, rectius prius judicavit declarare per quod maxime mundus credidit, quam hominis seu vituli personam. Quia non ideo omnes generationes in eum crediderunt quia homo natus est in mundo, neque quia immolatus est ut vitulus, sed quia post mortem victor resurrexit ut leo, ipse se resuscitans, sicut Moyses scripserat Jacob olim prophetasse. Alias autem, si solummodo natus esset ut homo, et passus, et non resuscitatus prædicaretur, quis in eum crederet? Quapropter Joannes primum solerter satis in sacramento resurrectionis Christi leonem posuit : quia per id quod mortuus resurrexit, in se mundum credere compulit. Idcirco leonem ante posuit. Nam, etsi primus est homo in ordine, seu vitulus, tamen prior est in virtute leo, et

Introdusă în format electronic de Google

in fortitudine sua Christus. Hinc Paulus aiebat dicens : *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* (*II Cor.* v, 16), ac si aliis verbis diceret, non jam in animalibus hominem morituram, sed leonem post mortem attendimus resurrexisse in æternum victurum. Sicque hoc modo, quantum mihi videtur, et Evangelistarum ordo recte servatur, ut præmissum est, et hæc præposteratio narrationis, quæ facta est in Apocalypsi a Joanne, non absque magno mysterio est. Sed utrum nostra præfatio, salva auctoritate priorum Patrum, debitam rationis consequentiam servet, tam vestro quam fratrum meorum examini, quibus laborare videor, derelinquo. Quia tam in hac sententia, quam et in omni opere isto, si vestro utrorumque judicio approbatus, vestraque defensus sententia fuero, nullius temeritatis supercilium pertimesco; neque reprehensionem indebitam formidabo, qui talium tantorumque auctoritate fulciri me cognoscam et firmari, quorum doctrina in omni scientia Dei longe lateque prædicatur, et sapientia pollet, non dico in verbo tantum, verum etiam in omni **391** opere bono atque disciplina virtutum. Qui, quidquid in doctrina didicistis locupletius factis exhibetis, ita ut Christus ubique glorificetur in vobis. Hinc me non immerito felicem censeo, si aliquid dignum vobis in hoc opere senex edidero, saltem quod prodesse queat juvenibus, ad emolumentum doctrinæ, et ad studium pietatis. Quoniam, sicut quidam ait, ut adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur, leviorque fit senectus eorum qui a juventute coluntur et diliguntur : sic et adolescentes boni senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducantur. Quapropter, charissimi, senectus mea non modo languida circa vos et circa fratres meos esse debuit; quos exhortari debui cum præessem, neque iners, verum nec otiosa in ipso otio, sed operosa et semper agens aliquid, et moliens tale, quo et vita formetur præsentium, et exemplum præbeatur futurorum. Ne sacramentum salis, olim in ore puerulus quod accepi, evacuetur in senectute vel in senio. Fac ergo quod nec tanta præditus sim sanctitate, nec tanto conditus sapientiæ sale, nec tanta eruditus disciplina litterarum, ut sit senectus mea in misericordia uberi, nec tanta illustratus virtutum, claritate, quo dignus videar talibus et de talibus scribere, vestri tamen est meriti et gratiæ obediendo immeritus quod præsumo.

A Quod si me quisquam adeo ultra præfecare voluerit, id ne audeam ineloquens, ac si omnium vitiorum illuvione respersus, conspiciat leprosum primum in in hoc opere occurrentem, in quo et cum quo me sanandum confido. Intueatur omnium morborum genera, et solius Domini voluntatem mecum salutis causam imploret. Audiat ergo Dominum imperantem, si mutum me credit, in Evangelio, *Ephphetha* (*Marc.* VII, 34), quod est, adaperire. Et quia de saliva oris ejus olim infans gustavi, verum loqui jam senex rogatus a vobis non erubesco. Prorsus quia digitos ejus meis in auribus intus sentio, idcirco quæ audio mihimet, et meis tacere non debeo. Unde et si ipse benignissimus Jesus mihi præciperet ne loquerer, satis me illi invitarent, ne tacerem qui quanto B magis eis præcipiebat, tanto plus prædicabant, et eo amplius admirabantur dicentes : *Bene omnia fecit, quia surdos fecit audire, et mutos loqui* (*Marc.* VII, 37). Hinc, quæso, nemo mihi molestus sit, nemo me reprehendat, si **392** loquar; ne forte videatur Christi operibus ingratus, qui bono suo, et surdis præstat audire sacramenta vitæ, et mutis loqui, quo possint narrare magnalia Dei. De cætero precor lectorem meum ne processus sermonis vix sufficiens sensibus Scripturarum, fastidiosa conseatur prolixitas, quando non oratio nostra verbis sed sensibus dilatatur. Licet enim plerisque legentium plus placeat sterilis brevitas interdum, quam utilis explanationum prolixitas; tamen locupletior sensus jure studiosis plus præstat quam commentum brevitatis. C Ubi nos nec tropologias secuti sumus Evangelii in explanatione, nec mysticas sententiarum intelligentias; sed solummodo simplicem sensum dictionum in brevi, prout oportuit, explicavimus. Idcirco habeant fastidiosi regulas veritatis ex commento, quas in Evangelio prius dictavit auctoritas priorum Patrum et efficacia mentis, ne prolixiora fastidiant. Studiosiores vero, quæso, dignentur nostra legere, quibus satisfacere volui requirentibus ampliora. Quod si nec ista nec illa placuerint quibuslibet iguavia pressis, legant quæ sibi dormitu somnique silentio fingunt; aut si secus delectantur, siliquas porcorum sæcularium litterarum adhuc pueri, vel cortices rodant. Nobis tamen, quos divinus spiritus instituit, prætermittendum non fuit, ne loqueremur vobis, amantibus, quidquid ex doctoribus sanctis confectum; prodesse credidi, et diligentioribus placere non dubitavi. D

LIBER QUINTUS.

(Cap. VIII). *In illo tempore, descendens Jesus de monte, ecce leprosus veniens. adoravit eum* (*Matth.* VIII, 2). Quia de monte Domino descendente, leprosus prior occurrit, festinandum nobis, ut et nos cum ipso perveniamus; quia et in illo fuimus, dum per eum genus humanum et cura salutis nostræ designatur. Verumtamen hinc prudens lector intelligat, et in aliis quibuslibet sancti Evangelii locis, allegoriarum, **393** figuras de veritate rei gestæ nihil ad fidem minuere. Quia in his dispensatione divina ita sunt omnia procurata, ut et fides nascatur ex miraculo, et doctrina fidei ex ipso eodemque opere ad institutionem morum proficiat in mysterio. Quapropter ubique loca, tempus, et ordo, atque omnis circumstan-

Introdusă în format electronic de Google

tia historiæ consideranda est, ut et veritas rei gestæ pateat ad fidem, et spiritualis intelligentia reniteat ad doctrinam. Hinc est sane quod in monte excelsius spiritales discipulos spiritalia, quasi ad cœlestia subjectos, docet. Deorsum vero descendenti prior leprosus occurrit. In quo nimirum leproso allegorice humanum genus, ut dixi, designatur, quia universos lepra maculosæ vitæ respserat; atque ideo ad paradisi castra commeandi nulli regressus erat. Divinarum autem Scripturarum allegoriæ usitatissimæ duobus principaliter formantur modis, rebus videlicet, atque verbis: aliter tamen rebus, aliter verbis. Sed verbis quæ fit, proverbialis appellatur, et quatuor cognoscitur modis. Aut per translationem scilicet verborum, ut est: *Apertum est cœlum et descendit Spiritus sanctus* (*Luc.* III, 21); et illud: *Exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XVI, 28); quæ ad insinuandas metaphorice rerum causas ex humanis motibus transferuntur ad Deum. Aut secundum imagines parabolarum, sicut est: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho, et incidit in latrones* (*Luc.* X, 30), et parabolæ vineæ, agricolarumque ejus narratio (*Matth.* XXI, 33). Ex quibus profecto non res gesta exigitur, sed personarum ac negotiorum transformatio ad aliud refertur. Aut certe comparative per similium rerum collationes: etsi vix in aliquo differatur, nisi quod non narratio, sicut in superioribus, contexitur, sed causarum tantummodo cooperatur effectus. Aut tantummodo proverbialiter, sicut est: *Ne mittatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Porro allegoria rerum illa de qua diximus, semper ita mystice figuratur ut de rebus gestis nihil subtrahere jure credatur, quia non rerum factarum typica auferunt veritatem, sicuti præsens locus probat, cum leprosus, Domino descendente de monte, curatus illico perhibetur, designans humanum genus, Domino de cœlestibus descendente, lepra peccati mundatum. Nec inconvenienter per unum multitudo credentium significatur, cum in solo uno hominis nomine universitas **394** humani generis a doctoribus comprehenditur. Nam, cum dicitur homo, quidquid ex nostra humanitate procreatum est, etiam ex usu sæcularium intelligitur disciplinarum. Et ideo apertissime per unum lepræ maculis respersum, unitas credentium ostenditur peccatorum maculis coinquinatorum, et immunditiarum squaloribus abjectorum. Propter quod nemo de suis glorietur meritis, quia omnes eramus iræ filii, et a cœlestibus exclusi consortiis. Quod nimirum genus, cum descendisset, mox occurrisse in uno præmonstratur. Alioquin, nisi descenderet ille, per incarnationem habitu inventus ut homo, iste non ascenderet, a paradisi gaudiis expulsus leprosus ut homo. Ergo simul omnes cum isto mystice occurrimus, simul omnes cum isto dicamus corde: *Domine, si vis, potes me mundare.* Omnes quidem immundi, tamen, fide accedentes, voluntatem, de cujus potentia non dubitamus, rogemus. Et tanto propinquius, quanto fidelius. Quid ergo in omnibus disciplinis tam efficax negotium quam voluntas Dei? Porro voluntas Dei causa est et origo, atque existentia omnium rerum, quia cuncta voluntate Dei creantur ex nihilo, et de informitate sua producuntur ad formam. Hinc sane peccati contagione male deformibus, prudentissime hic aperuit causam originis atque existentiæ, dum universa Christus quæ voluit, fecit, et solummodo voluisse, fecisse est. Quandoquidem unitas credentium in isto præmonstrabatur, justissimum erat ut ex doctrina ipsius, causa omnium, voluntas Dei cum fide deprecaretur. Quoniam non est fides, cuncta creasse credere; nisi credamus etiam, ea ipsa voluntate qua conditi sumus, rursus ad formam æternæ felicitatis in melius posse reparari. Quam argumenti materiam olim nemo philosophorum invenit, sed ipse illam docuit qui creavit. Unde dicat fidelis quisque: *Domine, si vis*, requirens causam suæ originis, nihil hæsitans de proventu, eo quod vult omnes homines salvos fieri: *potes me mundare*, et ad formam salutis restituere. Nec dubium ob hoc, secundum historiæ veritatem, Domino descendente, hunc primum lepra perfusum occurrisse: quia, curam suscipiens beatus Matthæus et apostolatum de peccatoribus, instituit eos, et formam doctrinæ imprimit, quos, exsules a civitate Sion, cujus fundamenta in montibus sanctis, lepra immunditiarum peregrinantes fecerat. **395** Et bene a primordio curationis non alium una cum turbis, quam leprosum, occurrisse commemorat, fide probum, confessione devotum, doctrina cœlesti præditum, qui profecto rogat: *Domine, si vis, potes me mundare*, docens prudenter causam et efficientiam omnium rerum, voluntatem Dei. Quam disciplinam nec Plato philosophus aliud prædicans attigerat. Confitetur ergo potentiam Christi, et implorat voluntatem; quoniam quanta ejus voluntas est, tanta et potentia, imo ipsa voluntas potentia est. Idcirco religiose obsecrat satis, ut a quo est de nihilo, inde reformetur rursus ad pristinam naturæ suæ formam de informitate peccati. *Tunc Jesus, extendens manum, tetigit eum dicens: Volo.* Extendit vero manum, quoniam ille longe recesserat. Et nisi prius misereretur ut extenderet manum, hic nunquam redire ac sanari posset. Pro quo Propheta gemens aiebat: *Ut quid, Domine, avertisti manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem* (*Psal.* LXXIII, 12)? Quæ nimirum manus nisi extenta esset, quia in extremis demersi eramus, nunquam nos tangenda curaret. De cujus nimirum potentia rursus alibi conquirendo: Numquid abbreviata, seu parvula facta est manus tua ne possis salvare? (*Isa.* L, 2.) Quæ utique si brevis esset ad misericordiam, vel parvula ad potentiam, nunquam ad ima mersos levaret tantis delictorum ponderibus prægravatos. Sed quia jam extensus venit Christus, scilicet Patris dextera carne indutus ad misericordiam, recte extendisse manum ac tetigisse dicitur. Alioquin quid necesse erat, juxta litteram, ut manum extenderet et tangeret leprosum,

Introdusă în format electronic de Google

qui, solo sermone ut creavit, imo voluntate, restaurat universa : nisi quia fecit in uno efficacissime, quod simul in genere se facturum, multis prophetarum eloquiis olim repromiserat? Propterea extendisse manum jure dicitur, ac tetigisse, quia si non maculas nostras ille incarnatus tangendo emundasset, adhuc sub lepra peccati essemus, necdum delictorum contagione expiati. Propter quod manum extendit, ut quamvis profundissime demersos apprehenderet; tetigit vero per incarnationem mysterii male saucios, ut sanaret. Cæterum, juxta litteram, ut se Dominum lepræ ac legis ostenderet, cum lex prohibeat a sacerdotibus eam tangi, ideo tetigisse creditur, quoniam lepra illa legis non poterat eum sordidare. Erat enim umbra, licet vitium carnis. Tamen bene a sacerdotibus Judæorum leprosus non **396** tangebatur, quia illi maculari poterant, nec sanare quempiam. Sed erat unus mediator Deus et homo, promulgator legis, cui fas erat et per humanitatem tangere, et per divinitatem imperare : cujus nequiret coinquinari munditia, sicut nec sanitas infirmari. Et ideo quia Dominus legis erat, removet ex auctoritate lepram, et fugat ex imperio, sicuti luce fugantur tenebræ. Unde puto manum illam lepram non tetigisse, sed ut tenebras a facie lucis, ita lepram a facie manus continuo disperisse. Quoniam nec lepram peccati tetigisse fas est credere, verum sola incarnatione sua et verbi potentia omnia peremisse. Qua de causa verbo curatur, quod manu tangitur. Hinc quoque post tactum imperat, *mundare*, ut et divinitas in verbo imperii, et humanitas in tactu carnis intelligatur; quia neque divinitas sine carne, neque humanitas sine divinitate quidpiam in hoc mysterio gessit. *Continuo*, inquit, *mundatus est*. Continuo ergo mundatur, quia semper voluntatem Dei et imperium effectus consequitur. Quem sane locum etsi juxta tropologiam lector voluerit discutere, præstabit non modicam moralitatis doctrinam. Quia profecto semper tropologiæ species in Scripturis sacris gemina est, scilicet aut mystica, aut nuda et simplex. Sed mystica, quæ de rebus gestis ad ædificationem morum trahitur : ita ut per hunc leprosum uniuscujusque anima humana curata intelligatur; nuda vero, dum Scriptura sacra simpliciter mores erudit, uti est : *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas similiter faciat* (*Luc.* III, 11). Ergo cujusque anima quotidie, quamvis peccatrix, a Domino curatur, si supplex ac devota illum adorans ubique confiteatur ex fide dicens : *Domine, si vis, potes me mundare*. Corde enim creditur ad justitiam. Unde necesse est fidissime deposcat, nihil ex potentia dubitans. Et si per fidem quæ per dilectionem est, oraverit, erit præsto indubitanter voluntas divina ad salutem, efficax ad imperium, potens ad effectum. Unde mox leproso supplicanti dicitur : *Volo*. Quia, dum anima sic inchoat credendo exorare, jam incipit curari a lepra sua ex manu Salvatoris. Ipse enim quotidie descendens inspicit et tangit peccata nostra, dum se ad misericordiam inclinat ut relevet infirmitates nostras. Nam ægroti prius ad montana, videlicet ad cœlestia, per contemplationem ascendere nequimus; sed solus Moyses, et pauci seniores cum eo ex omnibus **397** eliguntur; necnon et soli discipuli ad sublimia ducuntur. Deorsum vero plebs invalida et leprosus adorans, non volentes theoriam sectari, eo quod multis præpediuntur laqueis, curantur. Ad quos itaque Dominus frequenter se inclinans, tangit manu clementiæ suæ, et verbo imperat majestatis. Ex quo liquet manum Domini non lepram, sed mundum leprosi tetigisse corpus, sicuti et nos quoties tangere disponit aspectu misericordiæ, mox scelera fugantur, et munda restituitur anima. Quia profecto ubi salus agere dignatur, nulla infirmitas esse potest; ubi lux, nulla offuscatio peccati; ubi vita, nulla irruptio mortis; ubi potestas, nulla difficultas sanandi. Ideirco hic magister supplicandi egregius, de voluntate Domini non quasi pietatis incredulus dubitat, sed quasi immanitate suorum scelerum conscius non præsumit. Imo quod possit eum abluere si velit, ut in Domino potestatis auctoritatem, ita in isto constantiam fidei declaratam laudamus. Quoniam integra et vera fides tanti esse jure debet pro munere, quanti est et potentia misericordiæ Creatoris in operatione. Alioquin fides quæ infirmatur ipsa prius sananda, et sic demum sanitas corporis aut animæ efficacius per eam est impetranda. De qua sane fide Apostolus : *Fide*, inquit, *purgans corda eorum* (*Act.* XV, 9). Quod si fide purgantur corda credentium, cogitanda est virtus fidei, quia *qui dubitat, similis est*, ut ait Apostolus, *fluctui maris* (*Jac.* I, 6). Integra vero fides in dilectione, constans in perseverantia, patiens in dilatione, humilis in confessione, fortis in fiducia, devota in supplicatione, provida in petitionis consilio, profecto ubique audiat Dominum dicentem : *Volo*. Ob quod mirabile, verborum consequentia conjungatur. Nam illi præmiserat : *Domine, si vis*, et Salvator : *Volo*. Ille, *potes me mundare*, et Dominus verbo potentiæ suæ imperat, *mundare*. Quidquid enim vera peccatoris confessio in fide tenuit, hoc totum pietas et potentia mox indulgendo exhibuit. Et ne de immanitate scelerum suorum aliquis diffideret, hic ipse qui curatur, ab alio Evangelista plenus lepra describitur. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. Quia, sicut potestas Dei jure ubique creditur, ita et voluntas ejus necesse est credatur. Vult enim omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Agnitio quippe veritatis est Patris ac Filii sicut una Deitas, ita et voluntas; et quæ **398** voluntas utrique, ipsa et potestas : quapropter non minus eum potentem quam volentem credere fas est. Unde scriptum est : *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cœlo et in terra* (*Psal.* CXXXIV, 6). Propterea ergo hic egregius voluntatem requirit, de potestate nihil dubitans, de pietate præsumens. Cui dixit Jesus : *Vide, nemini dixeris*. Cur ergo præcipitur nemini dicere quod omnibus volebat manifestum esse, nisi quia

Introdusă în format electronic de Google

factus est ipse nobis via a Deo, ut doceat quod non sint vulganda mox nostræ virtutis opera, sed ob custodiam humilitatis interdum silentio tegenda, ut non solum a mercede nos abstineamus muneris, verum etiam gratiæ ac laudis. Nequaquam igitur celandum quod pro salute omnium gessit; sed in uno eodemque opere docere volens quid nobis agendum sit; et in nostris etiam quam cauti esse debeamus, insinuat: ne unde sublimamur ad culmen, inde corruamus gravius ad crimen. Hinc est sane quod Marcus ait, mox eum cœpisse prædicare et diffamare sermonem, ita ut jam non posset Jesus manifeste in civitatem introire. Profecto quia divina pandenda sunt opera, et quæ in nobis geruntur, ne prolabamur interdum tegenda. Nobis quidem præcipitur in illo ut nemini dicamus; ille vero absolvitur, ut absque culpa, in laude Salvatoris, etiam sacerdoti mundatum se exhibeat. *Sed vade*, inquit, *ostende te sacerdoti*. Alioquin quomodo nemini diceret, qui et pro sua emundatione sacerdoti in templo publice munus offert, nisi forte ubique ad gloriam et laudem Dei nostra pandenda sunt, et quæ in nobis a Deo geruntur opera; nemini vero pro nostra laude et favoris gratia, exhibenda: vel certe, sufficit ipsa virtutum ostensio ad exhortationem operis. Ita ut superfluum sit verbis edicere quod omnibus ad imitationem fas est conspicere; neque de se laudem quærere. Sed imitabilem se plurimis exhibere. *Vade*, inquit, *ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis*. Non quod Dominus jam de illo Mosaico satis [a] curaret præcepto, quod mox abolendum esset; sed ut omnibus qui ad fidem veniunt et sanantur, ne ingrati essent, formam daret offerendi summo pontifici Christo, cujus ipse sacerdos figuram gerebat, gratiarum quotidie hostias, et munera debitæ laudis. Quæ nimirum legis sacrificia spiritaliter pro nostra emundatione offerenda sunt; quoniam præcepta erant significandæ vitæ, promittentia **399** Christum pro nostra emundatione in carne passurum. Hæc sunt quippe illa redemptionis nostræ sacrificia, sine quibus Deo placere nequimus. Et ideo jugiter etiam respersi sanguine Christi per baptismum, ista fide pro nobis offerre debemus. Verumtamen ad sacerdotem ire præcepit, ut et sacerdos eum intelligeret, non legis ordine, sed gratia sancti Evangelii supra legem esse curatum. Hinc est ergo quod sequitur: *Et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis*. In testimonium quippe offertur munus ut credant. Et, si credere noluerint Judæorum pontifices, pateat, quem legis duritia a lepra sua mundare nequiverat, Christi gratia sanus et incolumis effectus. Nam et illud ipsum munus quia umbra erat, illum venisset typice præmonstrabat, qui sanguine suo universum genus respersum a lepra immunditiæ suæ clementer liberaret. Omnia namque miracula Salvatoris per carnem, testimonium erant divinitatis, quod esset idem Deus et homo Christus Jesus. Et ideo dicebat: *Si mihi non vultis credere, saltem operibus credite* (*Joan.* x, 38). Convincuntur sacerdotes et scribæ testimonio legis et prophetarum; quia testificatus est a lege et prophetis. Convincuntur etiam ab eisdem operibus, quæ non minus supra legem quam et supra hominis virtutem esse probantur. Qua de causa satis provide mittitur ad sacerdotem: ut et ipse a sua impietatis lepra discedat, habens testimonium a lege, illam nunquam talia potuisse; testimonium ab ipsa legis typica sanctione: testimonium ab ipso curationis opere, et verbo imperii, saltem ut recognosceret illum qui olim verbo cuncta crearat. Non quidem, velut aliqui suspicantur, illud Moysaicum videtur approbasse sacrificium, quod nec Christi Ecclesia credidit deinceps offerendum: sed solum ob testimonium, præsertim cum necdum cœperat illud sanctum sanctorum, corpus ejus videlicet, offerri sacrificium, quia necdum in passione seipsum redemptionis nostræ holocaustum obtulerat. Propterea nempe necdum oportebat auferri significantia legis sacrificia, donec illud quod significabatur ostensum et confirmatum esset ex impletione operis; ut tum quod tegebatur uberius fide credentium, passionis figuris jam repudiatis, Christi sacrificium amplecteretur.

Cum autem introisset Capharnaum accessit ad eum centurio, rogans eum et dicens (*Matth.* VIII, 5). De quo sane loco Lucas et præsens Evangelista multum dissentire videntur, **400** dum Lucas dicat, quod miserit ad eum prius seniores Judæorum, petens ut veniret ad eum, et salvaret servum ejus: qui cum venissent, rogabant eum sollicite, dicentes quia dignus est, ut hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse nobis ædificavit. Jesus autem ibat cum eis, et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum rursus centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari, non enim dignus sum ut sub tectum meum intres. Propter quod et meipsum non sum dignus arbitratus ut venirem ad te, et cætera (*Luc.* VII, 1-7). Porro hoc loco, quod ipse accesserit ad eum, dictum est, cum nec se dignum venire juxta Lucam testatur. Sed ibi veritatem historiæ ille prosequens; Matthæus vero hoc secundum usitatissimam loquendi consuetudinem asseruit. Nam et Lucas, quasi per recordationem, alicubi longe post, de leproso, quæ hic mox, cum de monte, in veritate facta interseruntur, edidit; de centurione vero: *Cum implesset*, inquit, *omnia verba sua in auribus plebis, intravit Capharnaum*. (*Ibid.*) Ut sit sensus, quod non ante intraverit, quam finiret ea. Tamen non exprimens sensum, post quantum temporis, sermone expleto, illuc intraverit. Eo itaque modo et ex hoc non dissentiunt. Volens unus edicere, quid secundum historiæ veritatem; alter vero, quod majus est, quid secundum fidem sentire debeamus. Præsertim cum perventionem, cujus adipiscendi causa aliquem adimus, plerumque dicimus factam, licet ad quem pervenit non videat ille qui audierat, cum per amicum pervenerit, cujus sæpe in talibus favor

[a] *Satis*, id est, *multum valde*; ut cum Gallice dicitur: *il est* ASSEZ *habile*, ASSEZ *savant*, etc.

Introdusă în format electronic de Google

est necessarius. Unde vulgo mos obtinuit, ut perventores eos appellemus, per quos potentium animos, licet inaccessibiles, personarum interpositione, quasi ambitionis arte, pertingimus. Quanto magis hunc per amicos accessisse recte dicitur, qui plus omnibus accesserat per fidem; juxta quod scriptum est : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 5). Proinde, quia fidem centurionis, qua vere ad Deum quisque accedit, ita ipse laudavit ut diceret : *Non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII, 10). Evangelista potius accessisse ad Christum dicere voluit, quam illos per quos verba sua miserat. Hoc quippe Lucas intelligens, historicam veritatem contexuit, ut ad fidem te reduceret, quemadmodum alius dixerit accessisse, qui omnino mentiri non potuit (*Luc.* VIII, 43). Sic enim et mulier illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur, magis, licet fimbriam tangeret, Dominum **401** tetigisse dicitur, quam turba. Propter quod nec mirum si magis accessisse hic creditur qui, et per fidem plurimum, et postea cum pervenisset ad domum, omni devotione supplex occurrit, et mente totus accessit. Eo igitur magis accessit, quo magis credidit. Et quidquid humilitatis ac devotionis prudentissime mandavit, sine dubio, licet alterius ex officio, totus non minus sententia obsecrationis quam fide religionis accessit, dicens ita : *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur.* Multi in illo tempore pro diversis rogabant infirmitatibus, alius pro se, alius pro filio aut filia, alius pro alio aliquo, nullus tamen legitur pro servo, nisi solus iste, tam suppliciter exorasse. Audiant ergo nostri, qui aliquando non solum pro suis non rogant servis ne male torqueantur; sed ipsi crudeles fiunt ac pessimi tortores, ita ut interdum gravius videatur sub manu eorum servire, quam sub manu paganorum. Didicerat enim jam iste doctrinam apostoli : *Servi subditi in omni timore dominis* (*I Petr.* II, 18), *et obedite non ad oculum servientes* (*Ephes.* VI, 6), *scientes quoniam unum Dominum in cœlis habetis* (*Coloss.* IV, 1). Sciebat ergo hunc communem Dominum esse Jesum Christum; et ideo plenus fide ac charitate, devotus pro conservo rogat. Nec sane illum ad eum attulit, quia credebat perfecte ipsum ubique præsentem omnia posse. Sed neque illuc eum venire rogat, quem nusquam deesse credidit majestate, quamvis eum carne localiter vidisset conversantem. Inde nimirum magna est ejus fides, et excellit omnium fidem, qui unc temporis erant in Israel. Nec tamen nuda vel mortua, sed fides quæ per dilectionem circa Deum et proximum fortiter operabatur, augens sibi præmium de cura conservi. Manifeste namque noverat Christi potentiam, quod nec loco concluditur, nec fine terminatur, sed ubique pollet. Idcirco, sicut nec venire illum necesse ad eum credidit, ita nec deferre famulum ex domo ad eum putavit. *Sed dic*, inquit, *verbo, et sanabitur puer meus.* Quo mox revera verbo sanabitur, quia verbo Domini cœli firmati sunt. Et mira doctrina centurionis. Fateor plane, ab ineunte ætate, quoscunque legere potui philosophos, sicut nec Christus tantam fidem in Israel, ita nec ego tantam in eis sapientiam invenire potui. Et quod illi ex omni fabrica mundi nequiverant intelligere, hoc iste in uno parvo corpusculo totum deprehendit, et divinitatis plenitudinem **402** in eo inhabitantem præsensit. Accesserat nimirum ad eum Verbum, per quod Deus Pater cuncta creaverat; non prolativum quidem, sed consubstantiale et coæternum. Idcirco rogat : *Dic verbo;* quia profecto cooperator Patri Filius : et sicut per eum Pater omnia vel dicit vel facit, ita ipse cum eo per se operatur et jubet. Quod hic recte intelligens : *Dic*, inquit, *verbo*, ex tua scilicet consubstantialitate, quia verbum et sapientia es Dei Patris : sapientia autem sanitas est orbis terrarum. Et mox profecto sanabitur puer meus. Efficacia enim verbi pertingit ad omnia, et ideo noli vexare corpus, quod verum esse confiteor. Neque enim te passionibus et labore carnis fatigari exopto, quas te pro nobis suscepisse penitus non ignoro; sed majestate operari, videlicet verbi potentia. Quia in una eademque persona fides mea mihi Deum et hominem prædicat. Nec ideo, sicut quidam hæreticorum, duas personas docet, sed *dic*, inquit, *verbo* (scilicet majestate tua) *et sanabitur puer meus.* Cui Dominus : *Ego*, inquit, *veniam, et curabo eum.* Mirum ergo! ecce offertur ei quod ipse non exigit. Cuidam autem regulo poscenti ut descenderet, priusquam moreretur filius ejus, omnino denegatur. Nunquid ergo personarum acceptor est Deus, præsertim cum ille regulus, hic centurio fuisse legatur ? Absit ! Alioquin honoratius erat ire ad domum reguli, et poscenti tribuere, quam ad domum centurionis, et recusanti offerre. Sed fides in causa est. Ille ut eruditur qui credidit eum non posse absentem curare, cum esset ubique totus, et præsentem adesse filio; iste vero ut exerceatur ad ampliora, et nobis innotescat quantis præemineret virtutibus, ad quem Dominus libenter ire gauderet. Discant igitur ex hoc loco imitatores Christi altiora sæculi contemnere, et humilia sectari, cum Dominus ad filium reguli ire distulerit, et ad servum centurionis mox venire consensit, ut et iste probetur, et nostra ex eo superbia reprimatur : *Domine*, inquit, *non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Sic nimirum omnis se humiliat, qui divinitatem Christi præsentem ferre non valet. Hinc Moyses ex colloquio Dei, etsi per ænigma loquatur : *Non sum*, inquit, *Domine, eloquens seu dignus ab heri et nudius tertius, ex quo cœpisti loqui cum servo tuo* (*Exod.* IV, 10). Hinc Abraham, se terram ac cinerem coram Domino fatetur (*Gen.* XVIII, 27). Sed et Job post visionem, in favilla et cinere promittit se peragere **403** pœnitentiam (*Job* XLII, 6). Cujus et ipse Petrus miraculo permotus, exclamat in captura piscium : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* V, 8). Tamen hic non a se Dominum repellit, sed fatetur quod non sit dignus ut intret sub tectum ejus, et verbi majestatem in eo plenissime confitetur. Implorat enim absentem, ut præsentem se insinuet, cujus indeficiens præsentia ubi-

Introdusă în format electronic de Google

que adest, et potentia omnia complet. Tum denique altiora promovens, licet occulte, de suo exemplo manifestiora docet, quod angelorum obsequio etiam humana curantur. *Nam et ego homo sum*, inquit, *sub potestate constitutus, habens sub me milites ; et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit ; et servo meo: Fac hoc, et facit.* Mira prudentia centurionis, qui sub uno momento tanta persecutus est majestatis arcana, quando et visibilia atque invisibilia Christo subjecta esse ostendit, per quem omnia constant et angelorum administrari officio. Unde idem Dominus Rex exercituum in Scripturis sacris quantoties prædicatur. Non enim ad humilitatem suam insinuandam, ut quidam volunt, ista centurio indidit, quod homo esset sub potestate constitutus, quasi exinde magis peccator intelligatur ; sed ut perfectus orator aut philosophus, inducit exemplum, quo animum piissimi judicis ex officii sui qualitate moveat ad effectum, et credentibus demum fidem exhibeat suæ devotionis. Hoc quippe ipsa conjunctio probat, dum dicit : *Nam et ego*, sententiam connectens aut ordinans. Ac si patenter dicat : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum, cum sis rex æternus sub nullius imperans potestate, tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego, licet sub potestate alterius (forte ducis, aut regis), prælatus in ministerio honoris, habeo sub me milites, et dico huic : Vade, et tamen vadit, ac cætera; quanto magis tu non sub aliquo habens exercitum angelorum, et eorum obsequio quam potenter cuncta disponis? Prius namque verbo cuncta potes, deinde magnorum militum officio potestative possides : in altero quidem majestatis habens imperium, in altero vero dignitatis obsequium. Quod si ego sub potestate alterius tanta queo sine labore per subjectos, quanto magis tu utique per eximios apparitores, qui verbo simul omnia potes? Facit enim hic noster philosophus inductionem comparationis a minore ad majorem. Idcirco infit : Si ego sub potestate **404** alterius tanta valeo, ostendens quod Christus, juxta divinitatem, sub nullius sit potestate, et tamen præsit exercitibus, etiam juxta humanitatem. Unde et *Rex sabbaoth*, hoc est exercituum, vocatur. Nam omnis, ut aiunt, argumentatio duobus fit modis : aut per inductionem, aut per ratiocinationem. Sed inductio ab aliquibus sæculi sapientibus sensim per exemplum studet, ut hic noster orator, animum judicis permovere ad effectum. Hinc certe, de re non dubia ipse nobis faciens argumentum, imo per eum Spiritus divinus, a quo illustrabatur, ad credendum id quod adhuc dubium erat, planius inducitur. Simili quoque modo exaggerat paulo superius exordium narrandi ad Dominum, tam per se, quam etiam per internuntios, more rhetorum. Primum enim narrat beneficia et humanitates, quod ædificaverit synagogam Judæis, et dilexerit gentem illam, quam noverat Dominum dilexisse. Deinde suppliciter eum Dominum vocans, dicit : *Puer meus jacet in domo*, et non qualitercunque, *sed paralyticus*, ac deinceps, *et male*, inquit, *torquetur*. Quod solum sufficeret ad pœnam, si torqueretur, tamen addidit, *male*, ad comparationem eorum, qui aliquando torquentur ut corrigantur, aut probentur. Hic autem male torquetur propter infelicitatem peccati, non ut emendetur quidem, sed ut jam male puniatur. Et, hoc dicto, silet cœlestis orator, ac si patenter diceret : Tibi quidem aperui vulnera, tu medicus es, nosti melius implere officium et præstare salutem ob quam venisti, quia salus mundi crederis. Nihilominus ergo mirandum in eo quod ait : *Habeo sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit ; et servo meo : Fac hoc, et facit.* Puto enim quod omnia cœlestia rimatus erat, qui et divinitatem in homine deprehendit, et officia cœlestis militiæ plenissime intellexit, et servorum ab his, ut æstimo, secrevit famulatum. Nam ille internus arbiter, alii interdum dicit angelorum : *Vade*, dum ad nos eos quam sæpe mittit ; quia ad hoc in ministerio sunt positi illi superni spiritus, propter illos qui hæreditatem accepturi sunt salutis, ut nostræ vitæ negotia quotidie disponant, et singulorum opera renuntient Creatori ; alii vero : *Veni*, et venit. Quia et eos quos mittit, et illos quos indefessos intus ad laudem sui tenet, omnes ad se venire jubet. Non quod ab eo unquam exeant, scilicet ab illa æternæ visionis dulcedine, dum **405** ad nos veniunt ; sed hoc est illis iræ, quandoque creaturarum, et nostram intendere causam. Venire vero in contemplationem illius immensæ majestatis semper propensius aspicere. Unde recte dicitur : *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12). Eo namque desiderio, quo magis desiderant, magis ad eum venire creduntur, quia immensus est et summa beatitudo, quem aspiciunt. Cæterum quod ait : *Et servo meo : Fac hoc, et facit*, videtur ab his dæmonum servitia prudenter secrevisse, quos et servos appellat, et ab eo sicut nec redire, ita nec venire, suo exemplo unquam designat. Nimirum quia semper se suasque nequitiarum frandes intendere, non ex divino jussu, sed pro sua pellecti superbia, non omittunt. Quia, sicut eorum est ire, nec aliquando ab his desinere, ita, potestate Domini agente, qui eorum bene utitur malis, velint nolint, explent omnia quæ sibi sunt imperata. Nam et in antiquo populo Romano, quos libertas generis nobilitabat, nullus eorum quos judiciaria damnabat sententia, quempiam torquebat cruciatibus; sed servilis conditio illos pœnis afficiebat; quanto magis in electorum angelorum ordinibus, quodammodo nullus exactor pœnarum jure creditur. Sed tortores illi nimirum intelliguntur, quos et potestas premit ut obediant imperatis, et conditio peccati vitiat, ut in malo ministri pœnarum sint, qui nunquam aliud queant, quamvis male velint, nisi quod divina æquitas decreverit. Unde et in hoc eodem Evangelio jure tortores appellantur. Quod prudenter iste intelligens, suppliciter suggerit Dominum per angelorum obsequia omnia implere posse. Quorum officio corporis infirmitas, vel contrariæ potestates, quibus fortasse iste torquebatur; quia illi maligni nihil amplius possunt

Introdusă în format electronic de Google

quam quod jubetur, procul ab homine pellerentur, maxime ille cum solo posset curare verbo. Multa siquidem hic, fide, quamvis adhuc gentilis, intelligere potuit de divinis, et prudenter edicere de arcanis. Idcirco sequitur : *Audiens Jesus miratus est.* Quid ergo miratus est? Nunquid fidem, quam aut ipse ante non dederat, aut eum tantæ fidei prius fore non præsciebat? Non utique; sed fidem laudat et approbat, quam ipse dederat, et miratur, ut nos admirantes faciat. Sic quoque et ad Abraham dicitur : *Nunc cognovi quod timeas Deum* (*Gen.* XXII, 12), id est, cognoscere faciam. Qui nimirum loquendi modus in Scripturis sacris usitatissimus est. Sed tamen, **406** sicuti perfectus timor in Abraham divinitus in tanto *fidei opere* approbatur, ita in hoc centurione, quasi in primitiis gentium, fides perfecta ex Domini admiratione ostenditur. Ergo in mundo nihil in conspectu ejus mirabile, et tantum unius admiratur fidem. Ideoque sequentibus ait : *Amen dico vobis : non inveni tantam fidem in Israel.* Non de omnibus prioribus Patribus et sanctis hoc dictum putamus, sed de solis ejusdem temporis loquitur hominibus, quibus ideo istius antefertur fides, quia eos, licet lex aut prophetæ, tamen longa eruditione perduxerant ad fidem; hunc vero, nullo docente alio, Pater solus per Spiritum sanctum plenius instituit. Non enim caro et sanguis eum ista perdocuit, sed Pater Christi cœlitus reseravit. Unde per eum, nec immerito, fides gentium collaudatur. Nam in priori leproso universitas designatur quos lepra peccati originalis resperserat, in isto vero centurione sola gentilitas aggregatur. Cujus nimirum fides, ultra Judæorum, multis in locis, propter Christi gratiam, prædicatur, quia gentes mox, gratia prædicationis et signorum percepta, plenissime crediderunt. *Israel autem*, inquit, *me non cognovit et populus ille me non intellexit* (*Isa.* I, 3). Non quod in Israel salvato tunc fides aliqua non fuerit, sed in isto plurima et præcipua, quasi in omnibus gentibus, approbatur. Osteadit denique in illo electos per gratiam ex gentibus, propterea fides ejus Israeli cum pomorum fructibus præponitur. Fructus autem fidei fuit charitas qua Deum et proximum dilexit; prudentia et intellectus quibus in homine divinitatem deprehendit; humilitas fundatissima, qua se indignum quem Christus tecto accipiat, confitetur. Justificatur autem ex fide, et primam carnis conditionem non spernit, curam gerens pro domesticis. Quapropter nec immerito, virtutum militia circumvallatus, centurio nominatur. Centurio quippe a centum nomen accepit. Centenarius vero numerus de læva semper in dexteram, coronam cœlestis et beatitudinem designans, transfertur, eos ostendens in beata vita futuros, qui a dextris erunt locandi. Qui profecto, quia perfecti sunt, necesse pro imperfectis Deum exorent, eo quod adhuc sub spiritu servitutis, quasi pueri timore premantur servili; quatenus ab eis paulatim perfecta charitas foras mittat timorem. Sed tamen adhuc eadem gentilitas, quia, necdum renata, ideo A sub potestate **407** alterius esse fertur, habens non minus sub se milites, quam et super se dominos, qui sibi ad universa quæ carnis erant, officiosissime male famulabantur. Sed et juxta tropologiam, si quis centenariam attigerit perfectionem, quasi Abraham, Isaac ex repromissione generans, inveniet quo miser introrsus gemat. Quia partus adhuc in utero, quasi puer in domo, male vitiorum languoribus vexatus, paralyticus jacet. Altera pars etenim est in nobis centenaria, de qua spiritales simus; altera vero animalis, unde quæ Dei sunt necdum recte sapimus; quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Nam ex eo quod sapimus, pro nostris obsecramus erratibus, et quotidie clamamus : *A timore tuo, Domine, concepimus ac peperimus, et facimus spiritum salutis.* Perfectior enim libertas viri pro servo rogat. Qui, quamvis necdum sit renatus ex Deo, dum adhuc in carne fragili peccat [quia, si ex Deo natus esset, ut Joannes ait (*I Joan.* III, 9) penitus non peccaret], tamen, quia centenarius, Deum ad dexteram collocandus obsecrat, ex fide quotidie curatur : *Domine*, inquiens, *puer meus jacet paralyticus in domo.* In domo, inquam, de qua dictum legimus ad animam : *Obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). In hac quippe domo, scilicet hujus sæculi, omnis anima paralytica jacens, id est intus dissoluta, nec immerito, eo quod hactenus ex parte animalis sit, puer appellatur. Et puer, licet centum annorum, morte morietur; qui profecto semper, donec puer est, male a dæmonibus torquetur. Idcirco tam diu quam talis est, non æstimatur dignus ut Jesus sub tectum ejus ingrediatur. Multum est enim, ad quem Christus intrare dignatur, ut mansionem apud eum faciat. Propterea ergo primum per humilem confessionem exhibenda est nostra infirmitas, quibus intus in animo torqueamur malis; tunc demum post curam, hospitium bonorum operum virtutibus præparandum. Interdum tamen licet simus sub potestate principis hujus sæculi, creduntur subesse nobis universi appetitus carnis, et nos eorum jure dominamur. Hinc quoque ad Cain cum de peccato in foribus loqueretur : *Sub te*, inquit, *erit appetitus tuus;* quorum si bene dominamur, si ea quæ libertatis sunt semper sectamur, ut de servitute ad integrum transferamur in libertatem, tum fidem rectam cum bonis operibus Domino exhibemus. Revera multum distat inter fidem et fidem, licet **408** una sit fides omnium, sicut Apostolus ait : *Una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV, 5). Unde et fides jure dicitur singulorum, non quod alia sit fides alteri et alia alteri, cum non sit nisi una fides; sed in una eademque fide, pro dono gratiæ et virtute animi, magna sit distantia quantitatis. Inde nimirum est quod et singulorum dicitur propria, et tamen catholice una omnium prædicatur; quia nisi hæc una eademque teneatur nulla est altera. Propter quod Dominus nequaquam : Non inveni istam fidem in Israel, quia omnino si diceret, omnes extra fidem essent, sed ait : Non tantam

Introdusă în format electronic de Google

inveni fidem, ut sit unitas in substantia fidei intelligenda, et quantitas meritorum in ipsa eademque fide a Domino recompensanda. Hinc quoque Cananæ dicitur mulieri : *O mulier magna est fides tua* (*Matth.* xv, 28). Petro vero : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* xiv, 31.) Quæ, si non multum interesset, nec in isto modica culparetur, nec in illa denique magna laudaretur. Tamen in utrisque sicuti et in omnibus qui sane sapiunt, fides una vel corrigitur, vel provehitur, vel proponitur quoque ut ab aliis imitetur. Cæterum, ficta fides licet dicatur, non est fides, quia de corde fingitur. Quod si falsi falsum de Trinitate crediderimus, inanis est spes nostra, charitas quoque incerta. Quia, dum falsum diligitur, vera esse non poterit. Propter quod in isto quod veram habuerit fidem et magnam, non ob aliud laudatur nisi ut imitetur. Quod si volumus ejus imitatores censeri, non audiendus Marcion, ac cæteri, qui phantasma Christum sine vera carne fuisse dixerunt. Non Arius, qui creaturam eum putat cum Verbo, quod in principio erat apud Deum, creat omnia, et solo sermone restaurat universa. Non nova hæresis Feliciana, quæ veterum cineres voluit removere, duas personas in Christo introducens Verbum scilicet, proprium Dei Filium, et adoptivum in Deum hominis filium, cum hic hominem Deum intelligat, cum ait : *Dic verbo*. Alioquin, nisi unus idemque esset Deus et homo, potius ad Deum interius, quam exterius ad hominem orandum esset. Quem etsi minoratum ab angelis cernebat, tamen eumdem ipsum hominem, per hoc quod unus erat cum Verbo, dominari super exercitum angelorum suo exemplo apertissime docet. Idcirco credendum, quod homo, quia medicina nobis a Deo Patre factus est, Verbo dicit et curat. Non tamen alius ipse, et alia persona Verbi; quia *Verbum caro factum est, et* **409** *habitavit in nobis* unus idemque.

Dico, inquit, *vobis, quod multi ab oriente et occidente venient*, et cætera quæ sequuntur. Quærendum ergo quomodo venient? Nunquid gressibus pedum? Non utique, sed fide ac charitate atque humilitate, quibus ad eum iste accessit gressibus. Eo quoque quisque magis perveniet, quo magis per fidem, quæ dilectionem operatur, crediderit. Sed quomodo vere multi venturi creduntur, cum alibi dictum sit, quod *multi vocati, pauci vero electi* (*Matth.* xxii, 14). Pauci quidem ab initio usque ad finem sæculi, licet multi vocentur, in comparatione illorum qui pereunt, ex omnibus colliguntur, venientes tamen simul hinc inde congregati, multi absque dubio invenientur. De quibus Propheta : *Dinumerabo*, inquit, *eos, et super arenam multiplicabuntur* (*Ps.* cxxxviii, 17). Quod autem ab oriente et occidente dicit, non quasi ab his duabus plagis solum venturi creduntur, verum etiam a meridie et ab aquilone. Sed hoc est quod dicit ab oriente, quia prima pars mundi est, quasi ab initio sæculi, et ab occasu, quasi fine vitæ, omnes hinc inde ad unum mediatorem Deum et hominem venient per fidem, ad quem hic accesserat; id est : Et illi requiescent qui ante adventum ejus digne crediderunt in eum, et illi qui post adventum ipsius, cum, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed, ex Deo renati, fide susceperunt. Seu aliter : ab oriente et occidente, hoc est, ex omni gente quæ sub cœlo est, ab ortu solis ad occasum. Quia sicut per omnes gentes habet prædicari, sic ex omnibus gentibus venturi sunt ad regnum cœlorum. In quibus nimirum partibus, etiam duæ mediæ, ut conquadrentur ad soliditatem, pro certo intelliguntur. Sed prima et ultima ideo ponuntur, quatenus dies ille semper in memoria figatur quando fulgur exiet ab oriente, et parebit usque in occidentem; quoniam tunc erit adventus Filii hominis. Nam et illi soli tunc in regno recumbent, quos nimirum initium rectæ fidei et consummatio boni operis probaverit idoneos. Unde et hi Patres ad medium deducuntur, quorum non confunditur vocari Deus; sed ait : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* iii, 6); Deus utique eorum quorum isti apud eum qui cunctos novit, tenentur exemplar. Nam in Abraham fides, qua placuit Deo, et reputatum est ei ad justitiam : in Isaac vero spes quasi sacramentum fidei et gratiæ, generatur. Porro per Jacob charitas designatur, quæ per varia certamina, **410** donec Israel Deum possit deorum in Sion videre, laboriose satis desudat. Ex qua nimirum duodecim tribus, videlicet omnis prædestinatorum ordo propagatur. Unde et in novissimo, duodecim apostoli super omnes duodecim tribus erunt sessuri, ubi nulli numerabuntur alii, nisi quorum fides, spes et charitas Deum istorum credidit, speravit, atque omni charitate coluit. Quibus sane virtutibus renati accumbent cum istis non carnaliter jacentes, sed spiritualiter quiescentes a laboribus suis. Et cum utique ex diversis partibus aggregati, erunt unum ovile et unus pastor.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Ergo regni filii Judæi accipiuntur, quos Deus ex Ægypto educens, constituit in regnum, et sibi adoptavit in filios. In quibus regnum diu tenuit, donec Christum Regis Filium ad se venientem rejecerunt. Propter quod, quia credere noluerunt cum gentibus, quarum hic centurio fidem obtulit, ejicientur in tenebras. Possunt autem et regni filii, sæculi istius interpretari, super quos principantur rectores tenebrarum; ut simul omnis damnatorum ordo intelligatur, quia non minus de gentibus quam de Judæis in easdem tenebras ibunt. Nam ab initio sæculi, hæc duo regna, Hierusalem scilicet et Babylonis, colliguntur; et ædificatur illa Hierusalem in cœlestibus : Babylon vero quia per se semper, sine Deo, in terrenis regnare voluit, projicitur uno impetu in tenebras, et in caminum ignis ardentis. Filii autem regni sic dicuntur, quemadmodum et filii tenebrarum, aut gehennæ filii, aut filii iræ, quod nos fuimus, sed per Christi gratiam adoptionis filii. Sed quærendum quomodo in tenebras exteriores ejiciendi sint, cum tenebræ semper interiores fiant?

Introdusă în format electronic de Google

Nisi quia non de his dicit tenebris, quas videmus ex corporibus obscurari, in quarum medio quam sæpe et ipsi requiescimus; sed de his quas caligo vitiorum et infidelitas simul cum diabolo sibi præparavit. Exteriores ideo dicuntur, quia extorres a regno Christi erunt. Nam quidquid infra illud regnum cœleste erit, totum utique lux erit, sicut et vita; quia omnes in luce ipsius et vita, beati erunt. Porro quidquid extra illud, non aliud quam tenebræ ac mors erit; quia omnes in igne tormentorum, qui paratus est diabolo, sine fine miseri erunt. Miseri ergo, quia dilexerunt magis tenebras quam lucem. Et quia secum interiores in animo tenebras tulerunt, juste in exteriores pelluntur a luce alieni, quam nunquam amaverunt. *Ibi erit*, inquit, *fletus et stridor dentium*, **411** ex quo vera resurrectio carnis prædicatur futura, licet qualitas pœnarum designetur; ut et animus defleat sine fine per oculos, absque fructu pœnitentiæ, quæ[a] male consensit; et dentes strideant de horrore tormentorum, ut per eos intelligamus, misera caro quanta pro malis sustineat. Tunc ait centurioni : *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi* (*Joan.* XI, 25). Absque dubio ita et unicuique secundum mensuram fidei promittitur. Hæc est namque illa potestas, qua dedit nobis libertatem filios Dei fieri, ut ex Deo in Christo per fidem quotidie renascamur, et, secundum mensuram ejus, cætera, juxta Apostolum, charismatum dona unicuique tribuantur. Ideoque ait huic : *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi*. Credamus ergo et nos, quia si quis crediderit in eum (ut ipse testatur) etiamsi mortuus fuerit, vivet. *Et sanatus est puer ex illa hora*. Ex hora scilicet illa, qua dixit Jesus, *sicut credidisti, fiat tibi*. Reportavit enim fides præmium salutis; quia potestatem accipit. Quod quidquid orando petierit, accipiet, si recte crediderit; sed quoties *non* accipimus, aut non recte credimus, aut certe mala petimus.

Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et reliqua. Ad hoc ergo venerat ut videret febricitantem, et ideo mox cum venisset, vidit eam ac sanavit. Causa namque adventus ejus jacentis infirmitas, et non edendi necessitas fuit; quia in domo qua misera febris hominem laniabat, non cura prandii ac lætitiæ, sed lacrymarum erat effusio. Mira omnipotentis Dei dispensatio, qui etiam non quærentes se quærit, et non valentes ad se venire, ad eos clementer venit; quia si non ille ad nos prior venisset, nunquam ad eum redire potuissemus. Sed bene, postquam descendit, hæc mulier tertio loco curata legitur, quamvis alii evangelistæ alio in loco eam commemoraverint (*Marc.* I, 30; *Luc.* IV, 38). Nihil enim interest ad historiæ veritatem quis quo loco ponat, sive quod ex ordine interserit, sive quod recolit, sive quod postea factum ante præoccupaverit; dum tamen invicem non adversentur, quod nunquam reperies. Multum vero ad mysticam semper proficit intelligentiam, ut eo loco ab unoquoque, Spiritu sancto docente, singula ponantur, et veritas pateat operis, et doctrina spiritalis uberius appareat ex circumstantia lectionis. Nam, ut dixi, leprosus ille universum designat humanum genus, id est lepra originalis delicti coinquinatum : **412** puer centurionis gentilitatem solam, morbo idololatriæ, quasi paralysi, dissolutam, et ab omni compagine vitæ pene emortuam. Quibus curatis, clementissimum erat ut mulier, quæ fuerat auctor morborum et mortis, post virum curaretur et ipsa. Utrumque enim sexum Dominus curaturus advenerat. Sed prior curari debuit qui prior creatus est, tum demum et illa ab opifice nec prætermitti. Unde et Scriptura :

Tenuit, inquit, *manum, et dimisit eam febris*. Quid putas? Nunquid verbo non potuit eam curare, quia tenuit manum ejus? Vel cur leprosum tangit, et curat verbo; hujus vero tenet manum, et continuo discedit febris? Illum ergo tangit, quod lex vetuerat, ut se supra legem ostenderet, de quo satis jam diximus. Hujus vero tenuit manum, quam mulier contra mandatum extenderat ad arborem, de qua noxium arboris gustum sumeret. Propterea ergo ratio fuit ejus tenere manum, ut vitam resumeret; quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Sic omnia Salvatoris concinunt opera. Justum quippe erat ut quod manus præsumentis admiserat, manus repararet auctoris, et indulgentiam reciperet quæ cunctis intulerat mortem.

Quæ surrexit, et ministrabat eis. Contra consuetudinem febricitantium, quia solent, incipiente sanitate, lassescere, et ægrotationis sentire molestiam; sed sanitas, quæ Domini confertur imperio, tota simul redit, licet, ad altioris causæ rationem, continuo ipsa ministraverit. Alioquin non erat in domo Petri vernula, non minister aliquis, non familiaris, non propinquus, certe vel uxor, quæ matris obsequium junior præveniret; sed anus sola diu vexata febribus hoc faceret magistro, quod discipulus, cujus domus fuisse dicitur, facere debuerat. *Fuerat* enim dixi, quia licet ejus dicatur, eo quod prius fuisse non dubium; tunc tamen jam non esse inde probatur quia omnia reliquerat. Erant autem cum eo et alii quamplures ministri; idcirco non quod illius egeret Christus ministerio, sed ad altiora nos intelligenda provehit. Nam et domus Petri, non absque mystica, ut credo, significatione commemoratur. Ita hujus obsequium, quod si non ob aliud, tropologice saltem ad demonstrandum, secundum Apostolum, ut membra quæ servierunt iniquitati ad iniquitatem, fructificent et serviant justitiæ in sanctificationem. Verum etiam eam ideo servire voluit, **413** ut indicium esset redditæ sanitatis. Quia ubi virtus curat, nullum residere debet vestigium infirmitatis. Venit ergo Jesus in domum Petri, quatenus ad eum domus Petri veniret. Et tunc itaque venit quando habitum nostræ carnis assumpsit. Domus enim Petri, ipsa est domus Juda, vel Bethleem, quæ *domus panis* interpretatur, ex qua Christus secundum carnem. Ad

[a] Ante hoc *quæ*, subaudi *ea*, vel peccata.

Introdusă în format electronic de Google

quam sane domum cum venisset, vidit socrum Petri jacentem et febricitantem, Synagogam scilicet jacentem in perfidia sua, et in lectulo vitiorum decubantem. Cujus tenuit manum; quia non tantum verbo, verum manibus Judaicæ plebis operatus est salutem. Unde Propheta : *Operatus est salutem in medio terræ* (*Ps.* LXXIII, 12). De qua manus confortavit lassas, et genua trementia solidavit. Cujus cum tenuisset manum, tradidit sacramentum vitæ quæ [a] sibi attraxerat mortem, et surrexit ministrans Christo, quæ prius jacebat febricitans in lecto infirmitatis. Febribus ergo Synagoga cruciabatur, dum libido concupiscentiarum et avaritiæ miseras inflammabat mentes, et frigus infidelitatis corda eorum gelidabat, quibus nimirum febris semper alternans, nunc flammis, nunc frigore misera hominum membra dilaniat. Hinc ergo est, quod manu erigitur quæ jacebat, et ministrat Christo, dum sanctificat modo manus suas in operibus bonis, quas ante suis polluebat criminibus.

Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonium habentes, et ejiciebat spiritus verbo. Mirum si tanta multitudo erat, aut deferentes tam tardi, ut, contempto die, vespere multos male habentes deferrent. Sed, licet ita sit ob nimiam occupationem Salvatoris, tamen tam diligenter ideo exprimitur, ut mystice hoc factum intelligamus. Nam vespere est, cum finitur dies, sic et finis sæculi, cum jam mundus a luce temporum ultimam ageret ætatem, in qua Christus nobis diem reddidit sempiternum. In hoc quippe vespere, oblati sunt ex officio apostolorum multi male habentes, etiam et nos de gentibus, ignorantes unum verum Deum, de quibus verbo virtutis suæ spiritus ejecit immundos. Unde scribitur : *Omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5). Nam Christus verbo ad nos venit; quia fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Quo plane captivos ab impia damnatione reddidit liberos, et omnes nos sanavit ægrotos. Ad hoc quippe scriptum erat : *Misit Verbum suum et sanavit* 414 *eos, et eripuit eos de interitu eorum* (*Psal.* CVI, 20). Quod volens evangelista exponere : ut adimpleretur, inquit, quod dictum est per Isaiam prophetam : *Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit* (*Isa.* LIII, 4). Audiant qui dicunt quod Salvator, licet passus dicatur, aut lassus, aut esuriens, hujusmodi passiones absque doloris et laboris affectu sustinuerit. Quod si verum est, nec nostras infirmitates tulit, nec passiones portavit. Imo vere passus quia doluit, et laboribus fatigatus infirmitatem carnis sustinuit. Alioquin homo ille Dominicus insensibilis esset, nec vera passio, sicut nec vera redemptio fieret. Propter quod catholice confitemur omnem infirmitatem carnis absque peccato suscepisse, ut nos sua sanaret infirmitate, et spiritus immundos a nobis verbo pelleret, atque per veram infirmitatem carnis nostra crimina factus medicina curaret : per divinitatem vero verbi, unus idemque Christus Deus et homo dæmonia ejiceret a nobis, et cuncta in melius restauraret.

Videns autem Jesus turbas circum se jussit ire trans fretum. Habebat enim Dominus refugium a turbis aliquando in mari, aliquando in montibus, aliquando in deserto Et hinc est quod jubet nunc ire trans fretum, ut a turbis tam ipse, quam et sui paululum requiescerent a tumultu eorum et laboribus. Hinc quoque datur indicium doctoribus, quod aliquando debeant occupari in prædicationibus, et negotiis Ecclesiarum; aliquando vero remotius vivere, et soli Deo vacare precibus ac studio contemplandi Deum. Aliter autem, Dominus videns turbas circa se necdum fide ferventes, sed corpore tantum tumultuantes, vidit quod in conscientia infidelitatis adhuc procella collidebantur, ac patiebantur naufragium fluctuantes, jussit ire trans fretum, ut eos a fluctibus amoveret, et post eum irent trans fretum tentationis; quibus interdum dedit inducias convertendi ab insipientia sua. Ipse duntaxat jubet ire trans fretum, ut ad patriam, expletis tentationibus sæculi, perveniamus. Quo jubente,

Accessit unus scriba, et ait illi : Magister, sequar te quocunque ieris. Accessit autem non fide, ut centurio ille, de quo diximus; sed tantum labiis dicendo : *Magister, sequar te.* Sic itaque decidit qui promittit, aut incaute aut ficte, se Deum ad omnia sequi posse. Displicet enim Deo infidelis et 415 stulta promissio. Necdum sciebat miser, quinam vel quantus esset, quem sequi se promittebat quocunque iret; alioquin quomodo promitteret quod nemo mortalium in hac vita potest, licet post finem vitæ dicatur de sanctis, qui empti sunt de terra ex omnibus primitiæ Deo et Agno (*Apoc.* XIV, 4), quod sequantur eum quocunque ierit. Quorum profecto mox addidit causam, quod virgines sint, et empti de terra ex omnibus, ut primitiæ Deo et Agno essent etiam sine macula. Sed iste nec suam perpendit mensuram, nec Christi considerat celsitudinem, ignorans quid vel quantum inter se et illum esset. Unde patet quod nihil eum amplius quam hominem putabat, unde et magistrum eum vocat. Credidit enim quod unus esset ex doctoribus legis, et ideo sic eum appellat. Vult ergo sequi, non ut imitetur, sed ut de miraculis et virtutibus lucrum, aut vanam quærat gloriam. Sic itaque et Simon magus sequi desiderat (*Act.* VIII, 13). Nam Petrus princeps apostolorum per mare sequitur, sed mergitur (*Matth.* XIV, 30) : ad passionem quoque, sed negat Quod si tantus una cum cæteris deserit, nec sequi valet ad omnia; quid putas iste incautus promissor, si tunc adesset? Verumtamen sic dicit, quasi cum eo posset ferre crucis ignominiam, portas confringere inferorum, mortem quoque morte destruere, et vitam resurgendo restituere, ac cætera quæ de Christo difficile est enumerare. Idcirco unicuique prius cogitandum quid possit, aut cui, vel quid voveat, quove animo, qua intentione. Sed quod iste dolose hæc promiserit, pandit

[a] Ante hoc *quæ*, subaudi *illi*, quæ vox scilicet, ellipsi jam a nobis indicata, omissa est.

Introdusă în format electronic de Google

mox conspector omnium, qui corda inspicit singulorum.

Vulpes, inquit, *foveas habent, et volucres cæli nidos* et reliqua. Non quod eum devote offerentem repellat, sed insinuando qualis esset iste, demonstrat. Tenet enim hic hæreticorum aut hypocritarum formam, qui semper ob aliud Deum confiteri et sequi se simulant : quorum non approbatur officium, quia non habent in corde fidei hospitium. Hinc sane apte dicitur : *Vulpes foveas habent*. Alioquin tales, nisi foveas haberent et dolos ac fraudes, vulpes non essent. Sed et nisi quia foveas habent, et terrenarum speluncas insidiarum; volucres cœli, id est dæmonia in aere isto volantia, nidos in eis minime haberent. Et si non prius in eis nidificassent, isti sibi foveas in terrenis pravitatibus non effoderent. Nunc vero ideo semper hæretici quærunt foveas, quia in eisdem dæmones vitiorum nidos habent. **416** Istæ sunt ergo volucres, quas Abraham ex holocausto suo vespere aiebat, volucres semper paratæ ad devorandum (*Gen.* xv, 11). Quam bene hæretici vulpibus comparantur : fallax enim animal satis, et semper insidiis intentum, fraudis rapinam passim exercens, nunc extra, nunc infra, nunc circa domos inter ipsa hospitia hominum fraudem requirens, jugiter foveas parat, in quibus semper aut latere aut refugere captat. Denique insidiatrix domesticarum avium, pullos gallinarum, indefessa rapere curat ; de quibus Dominus ad Hierusalem, inquit : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis?* (*Matth.* xxiii, 37.) Istos namque pullos semper insectantur hæretici, et rapere moliuntur de sub alis Domini. Quod sane animal numquam ita mansuescit, ut dolos deserat. Propter quod Dominus hunc rejecit, quia in felle amaritudinis sequi se pollicebatur ; non quidem ut fructificaret, sed ut demoliretur. De quibus ipse in Canticis : *Capite nobis vulpes, quæ demoliuntur vineas* (*Cant.* ii, 15). Et Samson ideo ad caudas earum faces ligat (*Jud.* xviii, 4), quia hæretici semper post se ad succendendas segetes ignem trahunt. Bene hunc Dominus repellit, ne discipulatus occasione messem Domini consumeret. Potest tamen et lectorem ædificare, quod Dominus tantæ paupertatis fuerit, ut vel tugurium nullum haberet in terris. Ac si diceret : Cur propter ambitiones et lucra sequeris, qui tantæ pauperta tis esse probor, ut nec caput habeam quo reclinem? Sed altius intelligendum in isto, et in omnibus qui forte foveas habent pravitatis, et dæmones nidificant, Filium hominis non habere in eis quo caput reclinet. Caput vero Christi Deus, Deus autem non nisi in mundis se reclinat mentibus, fide prius mundans corda eorum. Cæterum in eis qui aut foveas sibi fodiunt pravitatis, ut in quibus volucres dæmoniorum nidificant vitiorum artibus, Deus reclinare non creditur. Idcirco ex universis suos requirit Dominus sectatores, in quibus per fidem ea quæ charitatis sunt impleantur. Patet igitur, ut dixi, quod Christus hunc scribam non volentem sequi sed fingentem prodidit, quem exhorruit præsumentem. Alioquin quomodo volentem istum repelleret, qui alium ire cupientem prohibuit ne abiret? Verumtamen in utrisque stupenda et formidanda judicia Redemptoris, qui et istum juste rejecit, quem prius non intus a suo infidelitatis frigore per unctionem **417** spiritus removit, et hunc clementer volentem ire retinuit, quem prius prædestinatum ad vitam divinitus elegit. Unde ad hæc quid aliud dicimus, quam illud Apostoli : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom* xi, 33.) Cui enim vult miseretur, et quem vult indurat. Et si nos ea quæ sunt hominum exterius sentimus, Dominus intuetur cor, et quæ sunt in singulis perspicacissime videt.

Tunc alius discipulus ait illi : Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem. Ad hoc quippe dispensator omnium post tria illa miracula hos duos ad medium deduxit, ut disceres nec illos qui salvantur, eorum meritis, nec eos qui pereant, nisi justo Dei judicio ; quatenus nemo glorietur de se, sed omnes confugiant ad medicum salutis. Quod autem dicit : *Permitte primum ire*, fallitur, licet non de studio, dum ad opus pietatis ire festinat. Hoc enim ei non primum esse debuerat, sed secundum. Quia prius est in prima legis tabula Deum diligere, in secunda vero patrem honorare. Terrenus namque pater postponendus erat cœlesti ; et ideo mox ait : *Sequere me*. Hoc profecto jubet omnibus quos ad vitam vocat, propter quod venit ut seipsum cunctis exemplum præbeat. Et hoc est dicere, *sequere me*, ad passiones scilicet, ad obedientiam, ad humilitatem, ad omnia quæ Patris sunt, implenda. Fidei enim filius, ad domum perfidiæ ire non debuit. Siquidem nec ei juberet, *sequere me*, si non mortuus esset pater ejus, de quo dicitur : *Obliviscere domum patris tui* (*Psal.* xliv, 11). Quo mortuo, misertus eum, quamvis imprudentem, ad discipulatum vocat, sed mox instruit, sciens quod non discipulatum respueret animo, expleta debiti officii patris pietate ut liberior eum sequeretur. *Permitte*, ait, *mortuos sepelire mortuos suos*. Nunquid religionis officium humandi, quod ab auctoritate sanctarum Scripturarum percepimus, vetat, dum paterni funeris sepultura prohibetur? Itaque nequaquam hoc dixerim, eo quod aliud sit perfectio discipulatus Christi, aliud initium religionis ; humana namque posthabenda semper divinis, et præferenda quæ summa sunt humanis : quoniam cum studium, ait, intentio[a], dividitur per multa, fit minor ad eximia. Idcirco Dominus prædicatoribus Evangelii neminem in via salutare permittit (*Luc.* x, 4) ; non quod Deo benevolentiæ displiceat officium, sed quod irrevocabilis exsecutio, **418** et evangelizandi plus placeat intentio. Hinc et apostoli ministros eligunt ad ministerium pauperum, ne ipsi occuparentur, et a studio interdum prædicationis cessarent. Quæreretur ergo quomodo

[a] Legendum videtur *intentione*.

Introdusă în format electronic de Google

mortui sepeliunt mortuos suos, nisi cum ab impiis et mortuis Deo humantur cadavera defunctorum? Unde manifestum quod, sicut moritur caro cum deseritur ab anima, ita rursus anima cum deseritur a Deo. Et inde est quod ait : *Sine mortuos sepelire mortuos suos*, infideles scilicet eos qui defuncti erant carne. Ac si patenter dicat : Tu qui fide vivis, et mortuus sæculo probaris, nihil tibi cum mortuis, ideo illud consortibus relinque : tu autem una cum electis sequere me in vitam; alioquin cum mortuis deputaberis. Hæc non quod funera defunctis abneget, sed ut doctrinam ubique credentibus aperiat : neque ut ab officio patris filium revocet; sed ut a consortio impiorum eum secernat, et omnia pro tempore, pro doctrina, pro officio mystice dispenset.

Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Hoc est quod supra jusserat ut irent trans fretum, et occurrit ad medium quod de his duobus narratur. Unde hic unus : *Permitte me primum*, inquit, id est antequam iret cum eo trans fretum. Quia profecto rudes et tepidi adhuc moventur parentum affectionibus, quibus præpediuntur ire post Christum ad passiones et officium prædicationis. Sed Dominus omnia postponere, secumque in navicula, quæ est ipsius Ecclesia, inter varios fluctus et procellas sæculi ire trans fretum jubet; ne sine ipso mediis obvolvantur gurgitibus. Unde sequitur : *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Mira dispensatio Dei. Mare, quod pedibus ejus tumentes fluctus submisit, et undarum vertices redegit in planum, quod liquentem viam solidavit veluti aridam, ut super eam Dominus sicco vestigio incederet, modo quid est quod, Domino ascendente in naviculam, tantum sævit? Vel nunquid ipse præscius futurorum, præsentium sic erat ignarus, ut instantem tempestatem et tempus periculi non præcaveret? sed ut aliud ex hoc minueret, ideo et navim ascendisse, ac ventos excitasse credimus. Alioquin in tanto periculo, quomodo solus, ut Jonam olim fecisse legimus (*Jon.* I, 5), somno gravaretur, ita ut obdormiret, se suisque **419** tanto discrimine comprehensis? Sed, ait, provida Christi virtus omnia, quatenus et fides augeatur de miraculo, et aliud doceatur interius ex mysterio. Nam gubernatoris peritiam non probat temperies serenitatis, sed immanitas tempestatis. Ergo Christus tunc ascendit in naviculam, quando ex hoc doceret quod ab initio sæculi potens in sua, dum periclitatur, agit Ecclesia. Et quod fecerunt apostoli, postquam viderunt peritiam deperisse gubernandi humanæ fragilitatis, cernentes mare quod amplius sæviret, et turbines ventorum quod contra fluctus magis magisque colliderent; hoc quotidie discipuli Christi agunt, dum periclitatur Ecclesia. Mox ergo jure confugiunt ad gubernatorem verum, ad triumphatorem sæculi, ad elementorum Dominum, petentes ut fluctus mitiget pressurarum, periculum submoveat tentationis, salutem restituat laborantibus. Et hoc est, quod in Psalmo canimus : *Exsurge; quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem* (*Psal.* XLIII, 23). Non quod unquam dormiat qui custodit inter fragores sæculi Ecclesiam et gubernat, sed quoties periclitantibus non præbet auxilium, quasi obdormisse dicitur. Ergo unde ille obdormit, inde navis, videlicet Ecclesia, et qui in ea sunt, regitur, quia exinde fides contra tentationes amplius ad victoriam eruditur. Hanc sane Christus ascendit navem, quando ad nos incarnatus venit, hujus sæculi mare transfretaturus. Sed mox turbo et persecutionis procella insiliens, turbatur Herodes rex, et omnis Hierosolyma cum eo. Deinde usque ad finem sæculi contra eum, suosque, acrior dæmonum tempestas sævit; totius mundi fremit rabies, regum spumant vicissim fluctus, populi gurgites rotantur perfidia credentibus semper parat naufragia. Nequaquam igitur in hoc mari magno et spatioso draco, qui in eo est ad illudendum, unquam aut usquam cessat. Sed tamen quoties accedunt ad Christum discipuli suscitant eum quasi de sopore dormientem. Ipse vero mox imperat ventis, corripit procellam, tranquillitatem reddit Ecclesiæ, mitigat potestates sæculi, et pacem componit omnibus. Hinc est quod quam sæpe obdormisse putabatur, dum vero ejus Ecclesiam perimere moliebantur, dum Diocletianus subvertere, Decius exstinguere, Maximianus vero fluctibus obmergere, et alii quamplures arma diaboli ferire.

Tunc, inquit, *surgens imperavit ventis* **420** *et mari.* Surgens utique ut potens a somno mortis, dejecit hostes, qui prius dormiebat dum venti flarent, et mare fluctibus ferveret. Tamen, licet per humanitatem dormiat corpore, per divinitatem vigilans custodit omnia, et surgens imperat majestate. Quandoque dum dormit conturbat maria, qui evigilans serenat universa; tunc quidem, et nunc, ut suis suam insinuaret majestatem, et corda credentium erudiat ad fidem. Ad hoc quippe interdum dormit Christus, ut dormientes excitet discipulos. Excitantur autem, dum et suam recognoscunt infirmitatem, et ejus intelligunt, inter angustias conclusi, majestatem. Unde profecto, inquiunt : *Domine, salva nos; perimus.* Quorum precibus ideo excitatur, quia homo imperat majestate, quia Deus. Sed mox timorem eorum increpat, dicens :

Modicæ fidei, quid timidi estis? Nam ad hoc quippe obdormierat ut fides eorum pulsaretur. Qui cum timuissent, magis magisque periculo premebantur. Sic et Petrus videns ventum validum timuit, et mox cœpit mergi. Unde manifestum quod fides sine fiducia et fortitudine, ubique infirmatur. Non enim ex se sed ex Deo quisque debet confidere, sicuti eadem fides revera ex Deo esse probatur. Et ideo ut magna et efficax, sit, quantus est ex quo est ipsa, tantum cum precibus se debet dilatare, atque fiducia largitatis Christi crescere. Quæ nimirum quanto plus tinuerit, tanto minus valet; quia ipse timor de nostra infirmitate venit; fiducia vero fidei ex potentia et boni-

Introdusă în format electronic de Google

tate divini adjutorii, ubique et semper solidat credentes et efficaces facit. *Hæc est*, ait Apostolus, *victoria nostra quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* v, 4). Alioquin sine fide nos quid sumus? Quod si fides perfecta illis, fateor, esset, ipsi contra eamdem tentationem per eam possent. Propter quod Christus obdormit, ut probaretur infirma; probata vero ut nutriretur de miraculo, et doceret magister in modico quid ipse suam gubernans Ecclesiam inter omnia sæculi discrimina omni tempore gerat. Legi ergo quemdam doctorem dixisse quod mare exsiliens præ gaudio sui adventum Creatoris vix ferre quivisse, et hinc esse non quod tempestas fuerit aurarum, sed lætitiæ motus. Pia quidem, etsi non consona lectionis intelligentia. Quia et venti, quibus sæpe mare turbatur, Domini compescuntur imperio; ut sit indicium quod ei omnia cedunt, et sentiunt imperantem. Sed **421** magis credo illi ventorum [a] verbo imperasse, de quo Ecclesia in Canticis : *Surge, Aquilo; et veni, Auster* (*Cant.* IV, 16). Quia profecto idem ventus ejus qui ad aquilonem sedem posuit, semper significat frigus infidelitatis, quod excitat contra Christi Ecclesiam. Hinc quoque periclitantur etiam discipuli, quando fides eorum refrigeravit. Tunc denique quasi obdormiens Christus suum paulisper subtraxit auxilium, ostendens nos potius obdormisse, qui tandem excitati a somno dubietatis aut timoris necesse est vera fide dicamus : *Domine, salva nos; perimus.* Porro homines mirati sunt, dicentes. Nam discipuli ascendunt ad Dominum in navim, qui suscitant eum qui salvari humili supplicatione deposcunt. Homines vero dicuntur elementa mirati obedisse, nescientes quod omnis, ut dixi, creatura sentiat jussa creantis. Vere homines, et non discipuli, qui putant insensibilia non ad jussum Dei posse sentire, sicuti et sæculi homines qui mirantur ad imperium et voluntatem Christi mundum sic subito convertisse. Tamen eos qui mirantur, nautas, aut certe de turba qui ascenderant, credimus fuisse, et non apostolos, licet timore victos, in stuporem dubietatis ob miraculum redisse, qui jam plura viderant signorum prodigia, præsertim cum nusquam invenimus Domini discipulos præter honorem cognominatos, sed semper aut apostoli, aut discipuli, aut certe aliquid tale, nominantur. Mirabantur ergo homines dicentes :

Qualis est hic, quia mare et venti obediunt ei? Non quidem interrogantis affectu, sed asserentis ista dicuntur. Qualis est iste, hoc est dicere, quantus, quam fortis, quam potens, quam magnus, cui et insensibilia obediunt elementa, quibus neque auditus, neque loquela, neque sensus est ullus? In eadem tamen substantia in qua sunt, hujus nutu moventur, et jussioni deserviunt imperantis. Nec tamen ideo contendimus quod aliquando per angelos, mundi non moveat creaturam, sed veraciter asserimus, non dico jussis, verum voluntati ejus omnia cedere, et rerum naturam imperanti obtemperare. Claret igitur ex hoc miraculo, sicut et in omnibus, quod unus idemque Christus una sit persona, dum et ipse sit qui imperat, ipse vero qui dormit. Ex eo namque quod dormit, homo; ex eo vero quod imperat, Deus. Et ex utroque, quod unus idemque ubique dicitur, non sicut noviter **422** quidam finxit, sed una persona Dei Filius, qui et hominis filius catholice prædicatur.

Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis, et reliqua. Causa salutis humanæ Christus venerat; idcirco ambulat, non ut loca videat, sed ut eos qui illum nec quærere nec invenire poterant inveniret. Hinc quippe voluit ire trans fretum, ut et istos ad se traheret, quos ibidem prius plenos dæmonibus sciebat. Qui mox occurrerunt ei de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Denique prævidit, antequam transfretaret, quid mali in eisdem locis esset, decrevit non modo afflictis et miseris subvenire; verum etiam qui [b] eorum patiebantur vesaniam. Sic enim semper diabolus suam exaggerat malitiam, non tam eos quos possidet, verum etiam transeuntes per viam (quæ Christus est) de hoc sæculo ad patriam, insectatur incautos et inermes, ut decipiat. Unde sævos, quos contra conspicimus, homines non odio habeamus, sed eorum sævitiæ deputemus qui per eos agunt quatenus nemo illæsus per viam transeat, sed omnes aut morsibus attrectent aut discerpant manibus. Hinc quoque tanta Ecclesiarum pressura, et persecutio proximorum. Porro et hi tales unde exeunt? De monumentis utique, quia os eorum sepulcrum patens est, ubi sepeliant quos verborum morsibus peremerunt. Aut certe ipsi sepulcra dealbata, pleni sunt ossibus mortuorum, a quibus nisi exirent, nunquam occurrerent Redemptori. Non quod jam exuti a potestate dæmonum, sed ut exuantur, uti filius ille prodigus, qui necdum se dignum vocari filium confitetur. Quapropter attende, lector, quæ sævitia dæmonum, quive furor, aut quæ rabies erga humanum genus, dum ferre nequeunt mori homines, qui vivos gestiunt sepelire, et seipsos sepulcris mandant, ut homines redigant in sepulcra. Digna quidem utrorumque conditio, ut qui cœlo præsidere nolunt, pascantur cadaveribus, et saginentur putredine; delicientur fetore, quibus tota voluptas est vitiis deservire. Sed tremendum satis exemplum, quod tam sævi dicuntur ut nemo possit transire per viam illam; concluserant enim viam, veniendi ad Deum transitum denegarant. Et ideo nemo putet quod sine Christo ad Deum possit pervenire. Unde **423** factus est nobis ipse via, quia prius, sicut signanter evangelista dicit, nemo poterat transire per viam illam. Per illam utique et non per istam quæ Christus est; quia per viam ad viam, et per Deum ad Deum venientibus obsistere nulla vis dæmonum potest. Sed ad Deum, nisi per

[a] Post., *ventorum*, subaudi *furori*, ut sit : *illi ventorum furori verbo imperasse.*

[b] Ante hoc *qui*, subaudi *illis.*

Introdusă în format electronic de Google

Deum minime pervenitur. Unde patet quod isti Christo suis occurrunt votis; sed exhibiti ut latrones ante judicem; attracti quidem, non volentes, una cum suæ fraudis præda. Et mira ordinis conversio. Ante, latrocinante diabolo, vexabatur homo innocuus : nunc homo currit ad eum qui est refugium nobis, et diabolus pœnam incurrit suæ fraudis. Alioquin si non religati traherentur inviti, nec ipsi venirent ante lucem, nec isti ad adorandum currerent. Fortassis ergo prius isti ex permissu concitarunt ventos adversus eum, et moverunt fluctus, ne transmisso freto ad eos veniret judex. Quo nimirum fluctuantis mundi termino crucis navigio transposito, quasi ad littora salutis nostræ Christum pervenisse fuit, et regionem cæcitatis splendore lucis suæ perfudisse. Unde mox duo, quasi ex duobus populis per fidem resurgunt de monumentis, in quibus diu variis latronum vexabantur ludibriis. Sed mox hostes, ut præsentiunt virtutem Christi, clamant :

Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos. Quæ nimirum confessio non voluntatis est, sed necessitatis exactio, quæ cogit invitos aliquando tormentis pœnarum quæ nolunt confiteri. Velut si servi fugitivi, post multum temporis videant dominum suum, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur, accusante illos conscientia. Sic itaque dæmones, cernentes ex conjectura Dominum in terris repente versari, ad judicandos se jam venisse credebant. Nam præsentia Salvatoris tormenta sunt dæmonum, sicuti et reorum tribunal judicis. Inde nimirum clamant : *Quid nobis et tibi, Fili Dei?* Ac si patenter dicant : Quid auctori vitæ cum mortuis, habitatori cœlorum cum sepulcris, judici cum reis; qui de paradisis cœlorum ejecti, etsi digni sumus talibus, quid nobis et tibi, cum tu præsertim non sis tanta injuria dignus? Igitur ex omni parte perfida confessio, denegans Creatori nihil [a] esse cum creatura, nec Salvatori cum perditis, cum multum nobis et illi sit, ut ei a quo sumus devoti maneamus; illi quidem ut regat quos condidit et salvet; nobis autem, ut ei charitatis **424** affectu devincti fideles ac devoti famulemus. Quod si reo sponso digni essent, quia semel perditi redire nequeunt, objiciendum saltem : ut reddatis homines, quos invasistis, et restituatis auctori, quos captivastis. Quod si vobis nihil mecum, mihi autem vobiscum multum esse scio, quia et vos mei estis, et neque potestis manum meam effugere. At vobis nihil cum his, quos ad imaginem meam creavi, quos vestris fraudibus decepistis. Filium autem Dei dubitative suspicantur. Senserant enim introrsus virtutem majestatis ejus, quam miseri hæretici nolunt sentire. Isti siquidem Filium Dei eum clamant, et Arius tantum filium hominis prædicat. *Venisti enim*, inquiunt, *ante tempus torquere nos*, et præscribunt illud, quasi noverint tempus judicii. Præsumunt enim plus scire quam sciant, non curantes de mendacio. Propterea et Filium Dei confitentur, et judicem advenisse exclamant, et de tempore quasi ante tempus præscierint; omnino cum tempus illud non solum eorum non sit nosse, verum nec alicui Sanctorum, quod Pater posuit in sua potestate. Sed malis semper, licet longa patientia brevis videtur, sicuti et bonis ultio tarda. Idcirco isti, non quod sciant quando debeat esse, sed quod licet longissimum eis breve videatur, eo quod acrior instet cruciatus, et tempus concupiscentiarum, cum pertransierit, sic fit ac si non esset.

Erat autem ibi non longe ab illis grex porcorum multorum pascens. Grex porcorum mystice non longe ab illis erat, quia semper immundi juxta illos sunt, et a quibuscunque expelluntur, propter immunditiam eos repetunt. Isti sunt sane porci, ante quorum pedes superius Dominus margaritas vetat projicere (*Matth.* VII, 6); quorum cibis junior filius cupiebat implere ventrem, cum nemo illi daret. Significat autem grex iste porcorum omnes immundos, quos semper dæmones, a quibuscunque expellantur, possident. Hinc quoque, licet dubitative : *Si ejicis nos*, inquiunt, *mitte nos in porcos;* quia profecto sciunt fetorem mutare et immunditiam, nec tamen amittere. Haud dubium quin ipsi porci erant, de quibus pellebantur; ideo in porcos rursus expetunt introire. Quibus Dominus, *ite*, inquit. Unde fidendum quod si nec porcis possunt nocere, multo minus hominibus, nisi prius ipsi se subdiderint eorum pravis suasionibus. Sed tunc eis permittitur ut possideant, cum extranei **425** a Deo per immunditiam digni tali mansore fiunt. Et nimirum, quod qui de cœlo ruunt, non nisi cœnum petant, et volutabra porcorum ambiant. Ex quo notandum quanto melior sit homo pecude, cum propter duos tantum homines grex porcorum dæmonibus expositus suffocetur. Neque ut Manichæus somniat, omnium animalium æqualis est anima, cum propter istos, quorum erat immortalis, tot animæ pariter cum morte datæ sunt ut perirent. Alioquin earum si æqualis conditio esset, absurdum erat ut de regno suo, imo, ut ipsi aiunt, de substantia sua, propter hos, tot animas perimeret. Parum est ergo in comparatione paucorum electorum, non dico animalium multiplex numerus, verum pereuntium hominum multitudo. Idcirco plurimi traduntur pro paucis, quia omnis palea, tritico enutrito, igni ad comburendum traditur. Caveant ergo imitari hanc confessionem diaboli mali Christiani et malitiam, qui ex parte ipsius esse probantur, dum et credunt et verbo tenus confitentur, ac contremiscunt, non ut corrigantur et salutem quærant, sed indurati ut proficiant in pejus; propter quod semper adventum judicis formidant. Et contra justi gaudeant, qui adventum regni suppliciter implorant, et non solum pœnas non pertimescunt, verum et regnum desiderant.

Ecce, inquit, *cum impetu abiit totus grex præceps in mare, et mortui sunt in aquis.* Ad hoc sane quosque diabolus expetit ut præcipitanter demergat, et

[a] Hic *aliquid*, ob negativum *denegans*, requireretur loco negativi *nihil*.

Introdusă în format electronic de Google

cum impetu ruentes exstinguat in aquis pravæ colluvionis, et suffocet doctrina malæ persuasionis. Nec prætermittendum quod Salvator non propter preces eorum ire permisit eos in porcos, sed propter salutem quorum erant; ut pastores, viso miraculo, illis nuntiarent, uti fecerunt, de his omnibus. Unde sequitur :

Et ecce tota civitas exit obviam Jesu. Exeunt ergo commoti fide et devoti religione, licet adhuc parvuli ac timidi essent. *Quo viso, rogabant eum ut transiret a finibus eorum.* Et mirum si aliquid in aspectu non præsenserint quo eum ferre nequiverint, qui tam devote prius ad eum exierunt. Propter quod sciendum quia non de infidelitate ista loquuntur, sed de stupore et reverentia majestatis. Unde et Petrus, viso miraculo piscium, mox precatur : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* v, 8). Ita siquidem et isti, semetipsos considerantes, necdum fide imbuti, pertimescunt a **426** tanta divinitate, nec ferre possunt tanti luminis claritatem. Nec mirum, oculi qui diu lumen non viderant, si reperculsi tanto fulgore interdum cæcutiant.

(Cap. IX.) *Et ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.* Nec mirum ubique, si Christus aut in navem ascendit, aut caducis interdum utitur adjumentis, licet omnia possit. Quia præsertim nostras venit infirmitates suscipere, et suas nobis conferre virtutes. Idcirco dignum fuit, sicut jam supra diximus, ut nostras sustineret infirmitates. Alias autem, si in suis mansisset virtutibus, nihil commune cum hominibus haberet; et nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo otiosa esset susceptio. Propterea ergo quando his utitur, verus homo credatur, et quando pedibus absque navigio supra mare ambulat, unus idemque Deus intelligatur. Cur autem ascendit in navem, ut iret trans fretum, et veniret in patriam suam, jam supra diximus quod ascenderit in navem Ecclesiæ suæ, quam inter undas sæculi ipse gubernat, ut ad cœlestem patriam omnes qui cum eo in ea navigant, quandoque cives perducat, quoscunque municipes patriæ vel civitatis suæ esse voluit. Quia nimirum navi non ipse, sed Christo navis indiguit, sine quo inter fluctus hujus sæculi absque naufragio pervenire ad portum non valet. Cæterum in terris, unde habuit patriam, inde indiguit nave. Ad quam profecto cum pervenisset, obtulerunt ei paralyticum jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum qui offerebant, ait paralytico. Magna in hoc loco doctrina sancti Evangelii, magna virtus fidei prædicatur, quæ non solum pro se, verum et pro aliis, licet sine fide sint, potenter subvenit. Potenter, inquam, quia integra et vera fides, magno ex Dei dono utitur privilegio.

Videns, inquit, *Jesus fidem illorum.* Quærendum quibus oculis in altero fides videatur, cum nec in se quisque eam possit videre, nisi oculis spiritalibus. Sed tamen, quia nemo nisi Deus corda inspicit singulorum, probat se Deum esse, qui fidem eorum videt et metitur. Nec dubium ex hoc loco auctoritas totius Ecclesiæ firmatur, quod parvuli adhuc inscii fide alterius offeruntur baptizandi, et in alterius fide tinguntur, ut ex ea renascantur fide, sicuti et iste aliorum fide salvatur. Quapropter prius eorum fides discutienda qui offerunt, ut probetur, deinde infans est sacramento fidei consecrandus. **427** Alioquin non putas, prius quod Christus offerentis fidem inspiciat? Quod et si infidelis fuerit, quid alterum juvare poterit? Unde eligendi sunt in populo fide oblatores, tunc demum sequendus est ordo salutis.

Confide, inquit, *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Patet ex hoc loco quod multæ infirmitates pro peccatis eveniunt : idcirco fons et origo infirmitatis prius a vero medico sanatur. Et memento quod filium vocat, quem adhuc infidelitas premit. Sed recte filius vocatur, cum confidentia fidei ante restituitur, sine qua quisque mortuus probatur. Ac per hoc quod ait *Confide*, resuscitatio est ad vitam. Per hoc vero quod filium eum vocat, charitatis infusio et pietatis affectus largitur. Sine quibus sane duobus, omnis anima, non dico paralytica, verum mortua jacet. Ab his quippe delicta relaxantur, quia fide mundat Christus corda credentium, et charitas operit multitudinem peccatorum. Ergo prius in offerentibus, quod ipse approbat, hoc ægroto largitur. Deinde, quia fides animarum est, mox offerentium fide anima curatur. Audiant, quæso, paralytici, audiant criminibus dissoluti, quod fides alterius pro alio multum valet. Idcirco et si adhuc surgere optant, quærant fideles intercessores. Quos ego, qui loquor, valeam invenire, quorum fide oblatus ante Jesum, prius remissionem peccatorum, deinde a paralysi pravæ infirmitatis medelam salutis merear obtinere. Habet enim misera et infelix anima paralysin suam, quo pravitatis morbo male dissoluta jacet in lecto vitiorum. De quo sane lecto David : *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 6). In hoc namque lecto iste jacebat miser, et ideo exsurgere, nec ante Jesum venire poterat. Sed felix qui adinvenit oblatores! Ita et tu, anima gravis, criminibus obligata, si peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, induc super te presbyteros, seniores, scilicet quibus Jesus, quod tibi forte negare possit, clementer, videns eorum fidem, ignoscat. Necesse est igitur habeat patronos, qui per se venire necdum potest. Ad Christum autem non nisi fide venitur. Quæ nimirum fides, si fuerit virtutibus roborata, potest mox contingere ad salutem. Hinc est quod alius evangelista infert, quod a quatuor portaretur (*Marc.* II, 3). Quatuor autem virtutes scimus generales esse, prudentiam scilicet, justitiam, fortitudinem **428** ac temperantiam, quibus subvecta anima defertur ante Salvatorem, ita tamen si ex fide manent. Quidquid ergo non ex fide, peccatum est. Unde non eos qui attulerant, sed fidem illorum vidisse di-

Introdusă în format electronic de Google

citur. Quia primum fides animæ semper inspicitur, deinde opera fidei exiguntur.

Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. Quæ dictio cordis fuit cogitatio, quo livor Pharisæorum nobis ostendit Deum esse qui ait, *Dimittuntur tibi peccata tua ;* calumniantes, ut Marcus ait, *non posse, nisi Deum, dimittere peccata* (*Marc.* II, 7). Siquidem illorum testimonio Deus esse convincitur, quamvis illi calumniantes opus astruant Deitatis, personam negent. Deum utique confitentur, et perfidiam non amittunt. Porro perfidia verbo tenus confiteri potest, credere non potest. Sed medicus animarum semper affert fomenta salutis.

Ut quid cogitatis, inquit, *mala in cordibus vestris?* Quod est cordis verbum. Verumtamen quærendum quomodo mala cogitaverint, cum verum sit neminem peccata posse, nisi solum Deum, dimittere. Hoc quippe illos cogitasse certum est. Sed hoc ipsum male cogitant, dum ad hoc cogitant, ut convincant eum ex hoc blasphemasse, homo cum esset, Dei solius potestatem sibi usurpasse, nolentes eum Deum credere. Ad quod ipse mox, non ad eorum dicta sed ad cogitata, ut Deus, respondit. Ac si diceret : Cur non recordamini solius Dei esse, cogitationes hominum nosse, sicut scriptum est : *Tu solus nosti corda hominum?* (*II Par.* VI, 30.) Profecto, quia sicut Dei solius est peccata dimittere, ita et cogitationes singulorum videre. Hinc quoque ait : Quid est quod cogitas mala, me purum hominem esse? Ecce dum cogitationes vestras intueor, probare potestis me Deum esse, qui eas aspicio, quod nemo nisi Deus potest. Atque ex hoc quod negare minime potestis, vosmet convincite, et perfidiam superate.

Quid est enim facilius dicere : dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge et ambula? Nam apud homines inter facere et dicere, multa distantia est; apud Deum vero, utrumque ex potestate descendit, ut fiat signum visibile; quatenus illud spiritale quod ait, *dimittuntur tibi peccata tua,* factum in veritate intelligatur. Alioquin sicut imperio vitium animæ, peccata scilicet, nemo potest purgare, nisi solus Deus, ita omnino nec vitium carnis. Ex quo constat, non sicut Manichæus delirat, sed totum **429** hominem ab opifice uno creatum. Idcirco nihil minus potentiæ est, *Dimittuntur tibi peccata tua,* quam *surge et ambula.* Fecit enim hoc argumentum Salvator contra perfidiam eorum, ut si de cogitationibus tergiversarentur, fieret miraculum visibile, cui Deitatis opus non possint denegare.

Ut sciatis, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata : tunc ait paralytico : Surge et ambula.* Hoc quippe quod ait, *ut sciatis,* ad Judæos loquitur; sed adhuc imperfecto pendente sermone, evangelista interponit, *Tunc ait paralytico,* deinde sermo sequitur Salvatoris plenus potestate : *Surge et ambula.* Tria quidem simul imperat, surge, et ambula, et tolle grabatum tuum; ac si patenter dicat : Surge de profunda vitiorum ruina, et vade in domum æternæ felicitatis unde cecideras, et tolle interea lectum infirmitatis tuæ, donec induaris immortalitate plena. Mira Pharisæorum perfidia, sed mirabilior hæreticorum pravitas, qui nec eisdem [a] oppressi veritate tacent. Ecce filius hominis potestatem habet divinitatis, et ideo, ut Deus, relaxat peccata, cogitationes novit, et imperat jacentibus ut resurgant. Non alter quidem homo, ut illi volunt, alter Deus; sed Deus et homo unus Christus. Qui profecto hoc loco, sicut et in quamplurimis, filium hominis ideo se nominat, quia de illo Pharisæi calumniabantur, cum verus homo esset, cur Deum se faceret; et probat ex hoc opere se Deum esse, quod potestatem haberet in omnibus Deitatis. Nec tamen negat se verum filium hominis, quod Marcion facit, et cæteri ex hæreticorum schola. Prævenit enim his factis Deus mentium maligna consilia, et deitatis suæ potentiam operis attestatione monstravit, dum dissoluti corporis membra firmat, et sub imperio pristinam reddidit sanitatem. Ubi duntaxat integra ostenditur resurrectio, animæ videlicet et corporis. Et per hoc quod patuit exterius, etiam illud in anima provenisse comprobatur. Hoc namque adhuc hodie Christus agit in Ecclesia, dum et peccata nostra solus relaxat, et quæ carnis sunt interdum sanat. Quis enim non videat, animam virtutibus destitutam jacere in strato vitiorum? Unde indesinenter currendum ad veniam. Et quia nos minus idonei sumus, intercessores adhibendi, donec intrinsecus resurgamus. Ob cujus testimonium ait paralytico : *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* **430** Eadem quippe potestas ejus erit in resurrectione, in qua mortui qui in Domino sunt resurgent primi. Sed quod ait, *Tolle lectum tuum,* duabus de causis dicitur : ut et vera sanitas, et robur virtutis redditum, cunctis patesceret; et quid per hoc mystice figuraretur, manifestius claresceret. Nam per lectum infirmitas carnis designatur. Et hic est lectus doloris in quo anima nostra conscientiæ cruciatu jacens afflicta torquetur. Mirum, quandoquidem, dum relaxantur peccata, carnis infirmitas non tollitur; ideo lectus, in quo prius portabatur infirmus, ab ipso portatur. Nec dubium quin nemo nisi ex infirmitate carnis aut animæ dissolvitur, et mortalibus nexibus irretitur. Sed peccata in baptismo, aut certe semper ex indulgentia donantur; infirmitas vero peccandi aut corrumpendi manet. Hinc quoque et in Psalmis : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas* (*Psal.* CII, 3). Aliud quidem operis ostendens propitiandi, aliud vero sanandi. Propterea ergo et lectum jubetur tollere, licet vitia relaxentur, quatenus unusquisque intelligat, secum semper suam infirmitatem portare. In qua nimirum infirmitate non jacemus, nisi dum succumbimus; quia Dominus opem fert super lectum doloris nostri, licet universum stratum humani generis in infirmitate versaverit. Idcirco post medelam salutis, post veniam

[a] Legendum videtur *eadem.*

Introdusă în format electronic de Google

delictorum, in eodem infirmitatis lecto non jacendum, sed portandum est fortiter, et vitia præcavenda. Hinc ergo patenter ait : *Tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Domus autem nostra, paradisus est. De qua, inquam, domo Propheta gratulando canit : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI, 1). Ad quam nimirum domum repedantes, ferre debemus lectum infirmitatis nostræ, orantes : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* (*Psal.* VI, 3). Et quanto fragiliores, Domini suffragante gratia, tanto instantius super Christum innitentes, ad domum ire jubemur. Quia profecto lectus doloris, refrigerium ex gratia et quietem beatitudinis operatur. *Tunc surrexit et abiit in domum suam.* In uno ergo momento dicti et operis impletio coram calumniatoribus exhibetur, ut intelligerent illum de quo dictum erat, *Quia ipse dixit et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Propter quod sequitur :

Videntes autem turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Mira obduratio Pharisæorum. **431** Turbæ videntes resurgentem, saltem alii timent, licet necdum crediderint ut diligant, alii glorificant. Illi vero livore acriori moventur, et ideo calumniabantur quod blasphemaret. Et notandum admodum, quod et adhuc imperfecti admirantes dicantur glorificasse Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Sed quærendum, utrum Jesum Deum glorificent, qui dabat, illis videntibus, potestatem hominibus sanandi verbo, an Deum, more Judæorum, qui dedit homini Christo Jesu, una cum eisdem apostolis talem ac tantam potestatem curandi, ut eum tantum hominem intelligant, quamvis opera habuerit Deitatis. Quidquid horum igitur velis astruere, patet sensus, quod in illo potestas fuerit Deitatis. Verumtamen, quia peccata *dimiserat*, quod solius Dei est, et cogitationes occultas *deprehenderat*, et huic, sanandi ac resurgendi, sicut et quampluribus, verbo potestatem dederat coram eis, rectius intelligimus, Christum Deum illos glorificasse ac timuisse, quem miseri Pharisæi credere noluerunt. Et hæc est, inquam, potestas quam glorificant Deitatis, qua dedit in se credentibus non solum sanari verum filios Dei fieri, et ad domum cœlestis patriæ quantocius pervenire.

Et cum transisset inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me. Consuetudo est sanctorum in Scripturis divinis, quoties ipsi de se loquuntur, sic quasi de alio dicere. Nec immerito, quoniam etsi ipsi videntur loqui, tamen Spiritus sanctus loquitur in eis, et ipse de illis quæ vera sunt, quasi alius absque fuco decolorationis testatur, licet eo loquendi genere humilitatis causa se occultent. Sic itaque Moyses quam sæpe, sic Isaias, sic et Joannes loquuntur, quasi de altero, ut veritas suis adornetur virtutibus. *Vidit*, inquit, *hominem*, hominem ait, et non Matthæum, quia Matthæus *donatus* interpretatur, etsi jam in prædestinatione, necdum tamen vocatus ad gratiam : ideo nondum Matthæum vidit, sed hominem Matthæum tantum nomine, necdum gratia. Vidit, inquam, hominem ex iis de quibus dicitur, *Vos autem sicut homines moriemini* (*Psal.* LXXXI, 7). Profecto quia cœlestia relinquens, nonnisi terrenis lucris inhiabat. Hoc igitur vidit, quod eripuit. In Matthæo namque hominem salvavit. Vidit ergo hominem eo aspectu, quo et Nathanael dicitur vidisse sub ficu (*Joan.* I, 48). Vidit, **432** inquam, miserationis suæ affectu, sed istum in telonio, illum autem sub ficu, quo prior Adam foliis se contexerat, hunc tamen eo longius, quo terrenis inhiabat. Unde ad exaggerandum cupiditatis suæ cumulum, sedentem eum vidisse dicitur. Sedebat enim ut magister rapinæ juxta fornacem avaritiæ, et æstuabat concupiscentiarum caloribus. Nec stans ut vinceret, nec abiens ut evaderet, sed sedens ut princeps rapinæ ministrorum prædam diriperet. Nam τέλος Græce *tributum*, aut *vectigal* dicitur. Unde legitur in Græco τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος, hoc est, cui tributum, tributum (*Rom.* XIII, 7). Ex quo manifestum, in domo tributaria eum resedisse, ubi lucra, tributa vel vectigalia exigebantur. Sed venit in quæstionem cur Matthæus nunc vocatus legatur, cum Lucas longe retro exponat (*Luc.* VI, 13) duodecim apostolos simul electos, et audisse a Domino sermonem in monte, quem supra exposuimus. Patet igitur hoc mystice factum. Illi quidem signantes historica narratione, ante hunc sermonem in monte eos vocatos fuisse. Sed Matthæus post sanitatem leprosi, post curationem paralyticorum cæterorumque, medium se interserere maluit; ut ubi multi debiles curantur, etiam seipsum quasi debilem et immundum, sanatum a pio Domino humilitatis gratia ostendat. Simulque notandum, quod non omnium apostolorum vocatio, quando vel ubi facta sit, in Evangelio declaretur. Hunc tamen cum vidisset Jesus sedentem in telonio, dixit ei : *Sequere me.* Et mira dispensatio Dei. Nathanaelem ad se jam venientem quem laudat, licet viderit miserationis affectu sub ficu, nec tamen ad apostolatus officium vocat : hunc autem de tam profundæ iniquitatis cathedra, mox ad thronum apostolatus clementer provehit; et reor, ut illud Apostoli compleatur, quo *prius abundarat delictum, superabundaret gratia* (*Rom.* I, 20). Quem non solum apostolum, verum evangelistam esse voluit. Novit enim artifex singula licet incomposita, ad quos valeant usus suo proficere opere. Idcirco præteriens vidit materiam operis sui, elegit unde formaret vas in honorem, quod prius in contumelia jacebat. Vidit autem, cum approbavit. Non quod probum jam esset, sed erat unde ab opifice probabile fieret. Sic igitur omnia in principio quæ fecit, vidisse dicitur, hoc est approbasse. Quidquid enim ad se in laudem sui operis revocat, prius ex sua indulgentia probat, ut videat; et quidquid viderit, approbat in **433** laudem perfecti operis, ut reducat. Hinc est quod ait : *Videns vidi afflictionem populi mei, qui*

Introdusă în format electronic de Google

est in Ægypto (*Exod.* III, 9). Alioquin eos nisi prius ille videret, licet ejus essent, ipsi ad eum non redirent. Sic et Petrum de cruce, qui male negando recesserat, respexit, flendo ut rediret. Sic omnes, quos ad suam gratiam vocat, quocunque in loco recesserint, prior videt oculo pietatis, deinde vocat suæ dignationis officio ut eum sequi studeant. Nec istum ideo divitem vocat ut permaneat dives; sed ut, relictis omnibus, beatam amet paupertatem, et exemplum sequatur Præceptoris : siquidem non solum incessu pedum, verum imitatione perfectæ vitæ. Quapropter non alium ad imitandum quam se proponit. Et notandum quod transiens eum vidit et vocat. Ad hoc quippe ut, et ipse de hoc sæculo transiens, ad æterna quantocius festinet. Nam et Petrum atque Andream non stans aut sedens, sed perambulans secus mare, vocavit simili modo, ut Jacobum et Joannem transiens, quemadmodum idem Matthæus testatur (*Matth.* IV, 18, 21). Propterea, lector, hujuscemodi eventus non casu contigisse censeas. Imo divinitus ad institutionem nostram omnia præparata, quatenus et fides reniteat de præcepto, et de doctrina hinc inde uberius resplendeat ex negotio.

Et surgens secutus est eum. Surgens autem sequitur, quia sedens male corruerat. Nec utique stare quiverat, pondere pravæ cupiditatis pressus. Surrexit, nec minus fide quam corpore. Totus ergo surrexit, quia totus ceciderat; et secutus est eum moribus, doctrina fidei, exemplo discipulatus. Non ut quorumdam insania contra nos latrare ausa calumniatur, apostolos fatuos seu stultos fuisse, quod tam subito adhuc inscii secuti sint eum quem necdum probaverant. Nescientes miseri, quod ex auctoritate vel majestate jubentis potius, quam ex levitate hæc fecere. Si enim in succinis, aut magnete lapide tanta vis inesse dicitur, ut saltem levia quælibet contraposita ad se trahant, quanto magis vis et virtus divinæ majestatis interius eos afficiebat, et suæ dilectionis flamma a torpore solvebat infidelitatis? Nec poterat durare frigus dubietatis, a facie caloris quo intus urebatur; sed liquefacta mens affectu charitatis, currebat mox post fontem, cujus erat dulcedine respersa; nesciens dubitare de illo, cujus jam spiritu **434** interius agebatur. Currebat autem mens, sed trahebantur, de quo sponsa in Canticis, *Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I, 4); ac si patenter dicat, trahe prius me ut exsurgam, donec debilis et infirma videor, donec ægrotatione torpesco; trahe me post te, ut convalescam. Postea vero curremus, nec sine adjumento, sed in odore unguentorum tuorum. Quibus recreati odoramentis indefessi post eum ibant. Tetigerant enim, ne dubium quin ista virtutum aromata, nares eorum, dum ante illos odor vitæ transiret. Et ideo absque ulla mentis retractatione, relictis omnibus, ea quæ intrinsecus fragrabant ocius sequebantur. Imo trahebat eos vis divina, uncinus pomorum scilicet, quem propheta conspexerat; et ideo præpedire illos nihil poterat. Poma erant convallium; ideirco contra uncinum, quem divina manus tenebat, resistere nequibant. Quod miseri nescientes Porphyrius atque Julianus Augustus, arguunt, ut dixi, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, quod quasi irrationabiliter secuti sint hominem quemlibet se vocantem; cum tantæ virtutes tantaque signa præcesserint, quæ ante apostolos, quam crederent, vidisse non dubium est. Et, ut aiunt, poterat ad se videntes aspectu trahere, dum fulgor ipse et majestas occulta divinitatis in facie relucebat. Sed isti qui purum hominem fuisse illum mentiuntur, nequeunt intelligere, qua virtute apostoli mox odorem vitæ sequuntur.

Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu. Nec dubium quin ut Lucas astruit (*Luc.* V, 29), et Marcus in domo ipsius Matthæi (*Marc.* II, 15), quia paraverat ei Levi convivium in domo sua. Manifeste complens illud Apostoli, *Si vobis spiritualia seminavimus, dignum est, ut vestra carnalia metamus* (*I Cor.* IX, 11). Rectus igitur ordo, ut prius fidem susciperet, deinde renuntiaturus omnibus, non luxuriose distribuens, sed ex suis sumptibus hospitalitatis convivium Domino præpararet. Prius tamen illud exhibuit in pectore, juxta illud, *Ecce sto ad ostium et pulso, si quis aperuerit mihi januam intrabo ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum* (*Apoc.* III, 20). Quod itaque convivium tunc paravit, cum per fidem eum in animo ad dilectionem suscepit. Sic, sic, convivium quisque Domino recte **435** parat, qui se prius, tum sua, devotus impendit. Voluit enim Christo vicem rependere, et ideo mox ei convivium in domo sua parat, ut a quo jam perennia sperabat bona, ei sua largiretur temporalia. Cæterum Dominus non propter epulas terreni victus ad convivia tam frequenter ibat, sed ut occasionem haberet præstandi gratiam. Hinc sane quoties interfuisse legitur, aut ea quæ docuit memorantur, aut quæ gessit, quatenus omnes per hoc ad vitæ epulas venire invitaret. Unde non minus ad peccatores, quam etiam et ad eos qui se justos æstimabant, intrat ut cuncti se peccatores intelligant, et ad fontem misericordiæ currant. Nam et isti qui cum Domino in domo epulantur, quos peccatores accusant, non ita cum eo discumbunt ut peccatores permaneant, sed ut deinceps cum Matthæo ejus magisterio adhæreant. Inde namque est quod eisdem calumniantibus objicitur.

Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus, et illud : *Misericordiam volo et non sacrificium.* Ostendit igitur suis responsis, cur ad convivia peccatorum intrarit : equidem non ut acciperet escas, verum ut præstaret misericordiam, miseris et languentibus indulgentia subveniret. Nec præterundum quod Matthæus ob id electus sit de telonio, quatenus nemo immanitate scelerum suorum diffideret, Domini bonitate attractus, qui de tam imis et obscœnis quæstibus videt hunc provectum,

Introdusă în format electronic de Google

et in numero apostolorum subito connumeratum. Unde mox et in domo ejus, quæ fuerat officina crudelitatis, cellarium fraudis, et spelunca iniquitatis, fons emanat pietatis : ut multi publicani ac peccatores quasi ad vitam resuscitati, cum Domino participantur. Alioquin si in peccatis permanere decernerent, ei, qui sine peccato est, nequaquam convesci auderent. Imo unius peccatoris conversio multis exemplum præbuit pœnitentiæ. Mutavit ergo Matthæus negotium, nec amisit, dum in domo ad quam prius multos secum propter lucra conduxerat, ad veniam invitat : et qui erat magister rapinæ, factus est exemplum veniæ. Unde conducit illico suos ad scholam vitæ, quos conduxerat prius ad *quæstum mortis*. Accepit itaque alia talenta, ideirco refert alia lucra. Et sicuti beati piscatores, jam alios in sagena Christi capiunt pisces, ita hic de negotio veniæ alios secum peccatores et publicanos plurimos **436** invitat, et omnes recumbunt cum Jesu in domo misericordiæ. De quibus evangelista Marcus : *Multi*, inquit, *peccatores et publicani recumbebant cum Jesu et discipulis ejus* (*Marc.* II, 15). Erant enim multi qui sequebantur eum. Sequebantur autem, quia huic dictum fuerat, *Sequere me*. Apparet ergo quod prius per ignorantiam lucra conquisierant præsentia, qui tam subito ad unius conversionem rapti sunt ad divina. Facile enim contemnitur, quod in comparationem adeptæ rei vilissimum judicatur. Tum generosus jure censetur animus, qui tam subito per fidem, quæ magna putarat, et tam facile captus amore melioris vitæ prætermittit. Sed invidia semper bono alterius torquetur, propterea Pharisæi adeunt discipulos dicentes :

Quare magister vester cum publicanis et peccatoribus manducat? Primum infirmos adhuc adeunt discipulos, quia non audent aperte Magistrum reprehendere. Deinde suam ostendunt imperitiam, quod nec seipsos intelligant, nec eum quem calumniari conantur. Nesciunt miseri quod nemo sine peccato : et si peccatoribus non communicaret, nemo vita dignus esset. Venit denique eis hæc superstitio de jactantia, et non de justitia, quoniam, sicut Propheta canit, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Unde Dominus audiens hæc aiebat, *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*. Non quod aliquem sanum a medicina suæ salutis exciperet, sed ut omnes reos esse monstraret. Quod si medicina circa ægrotos non fuerit adhibita, sanis quid prodesse poterit? Ad hoc quippe ad Matthæum venit, quia ille ægrotus erat, ut avaritiæ curaret vulnera, ut concupiscentias restingueret. Non tamen hæc ideo dicit, quasi illi qui eum reprehendere moliebantur sani essent, sed ut infirmantibus se medicinam ostenderet. Cæterum illos qui de falsa legis justitia præsumebant, magis exprobrando tangit, quam ut justos esse confiteatur. Ac si aperte dicat : Omnibus veni, quia omnes morbo pressos novi; sed vobis, qui de supercilio malæ præsumptionis jactitatis, non opus videor : imo humilibus et peccatoribus me impendo. Hæc contra eos dicta gravius proferuntur, quia justos se mentiebantur; humilibus autem et confitentibus salus offertur. Propterea beatus Apostolus : *Conclusit enim Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur* (*Rom.* XI, 32). Et David : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non* **437** *est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII, 3). Ideirco melius est in domo beati Matthæi Christo cum publicanis et peccatoribus participari, quam cum Pharisæis male sine illo justificari. Jejuni quidem erant cibo salutis, propterea non sentiebant se ægrotos : et saturati jactantia falsæ justificationis, ideo nesciebant esurire misericordiam, et quærere medicum perpetuæ sanitatis. Alioquin quis erat in genere humano sanus, ægrotante ipsa natura peccato primæ originis? Hinc benignus medicus adhuc eos quasi languentes monet.

Euntes, inquit, *discite quid sit : Misericordiam volo et non sacrificium*. De propheta proferens testimonium suggillat quod justos se existimantes peccatorum et publicanorum consortia declinarint, propterea invitat ad doctrinam, ut dicant quid sit quod scriptum est, *Misericordiam volo et non sacrificium* (*Ose.* VI, 6). Misericordiam ergo vult divina pietas, ut omnium misereatur, et omnes eam implorent, atque compatientes in invicem misericordiam præstando, nullus infirmitate miser remaneat; quod isti dedignantes, nec aliis præstare, nec sibi quærere curabant, credentes se in sacrificiis, et sabbatis, ac neomeniis justificari. Quæ dum reprobat, horum sectatores ostendit peccatores esse, et provocat quantocius ad misericordiam convolare. Medicum quidem se vult intelligi, qui noverit infirmitates eorum, qui ex justitia legis tumebant superstitiosa præsumptione; cæterum male habentibus, qui suæ fragilitatis conscientia victi, gratiam requirunt, se offert ultroneum. Ubi simul ostendit, ut præmisi, quod hi, quos culpabant, non in pristinis permansere vitiis, sed pœnitentiam agentes præcesserint in regno Dei venientes ad Christum. Ad hoc quippe vulneratus est propter iniquitates nostras, ut ejus livore sanaremur. Attritus est propter scelera nostra, ut gratis ab eo justificaremur. Unde ait :

Non veni vocare justos, sed peccatores. Sed forte movet aliquem, quomodo dixerit, *Non veni justos, sed peccatores vocare*, cum omnibus pateat, quod etiam eos, quos secundum justitiam Mosaicæ legis atque instituta perfectos invenit, ad evangelicæ culmen perfectionis plurimos vocavit. Si enim solos peccatores, et non etiam justos ex lege vocaret, nequaquam Nathanael discipulatui ejus adhæreret, quem ad se venientem tanta laude dignum duxit extollere. Sed et cæteri quos ex lege justos fuisse nemo dubitat, nunquam ad altiora **438** erigeret, si etiam de his non eligeret per gratiam, quos vocaret. Quem locum sane Lucas apertius fortassis explanat (*Luc.* V, 32) : *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam;* ac si patenter

Introdusă în format electronic de Google

insinuet : Omnes quidem electos ad regna cœlorum Dominus vocat; sed illos solummodo ad pœnitentiam, quos graviora delicta ligant. Illos siquidem, ut perfectioris vitæ culmen apprehendant; istos vero, ut per pœnitentiam priorum errata delictorum damnent. Potest tamen et aliter interpretari, *Non veni vocare justos*, eo quod non illos vocaverit ex prædestinatione, qui suam volentes justitiam constituere Dei justitiæ non sunt subjecti, sed eos potius qui, suæ fragilitatis conscii, confiteri non erubescant quod omnes peccaverunt et egent gratia Dei, et quod in multis offendimus omnes. Licet profecto et de his vocaverit, quos prius falsa inflabat justitia correctos ad pœnitentiam; tamen manifestum, quod non jam de sua vel legis justitia præsumentes; sed isti et illi omnes qui salvi fiunt gratia Christi ad veniam justificantur. Propterea ergo jure non justos vocare dicitur; quia etsi justitiam legis habuere, nonnisi Christi gratia justificati apud Deum inveniuntur. Qua de causa insinuat, quod non peccatores diligat duntaxat, sed peccatores absolute vocat in pœnitentiam, ut eos per eamdem baptismi pœnitentiam, de qua longe supra diximus, ad veniam jam justos suscipiat. Quibus profecto verbis duplici errore illos deceptos probat, dum et se justos arbitrabantur, et eos criminabantur injustos, qui resipiscendo a malis jam justitiæ propinquabant. Igitur nec se, nec illos noverant : ideo Judex eos discernens, istos ad humilitatem reprimit, illos ad spem veniæ sublimat; utrisque tamen se medicum gratis offert. Sed in istis, puto ille senior filius foris stans invidet, et male jejunat; in illis vero junior reversus paternis glorificatur donis, et convescens justificatur. Felix tantus evangelista, qui sua duntaxat conversione, gregem meruit publicanorum ad Christum trahere. Unde sicut in principio hujus operis præmiseram, curam gerit in omni opere suo de peccatoribus; quod fortassis ejus convivium, in quo eos cum Christo conduxerat, demonstrabat; quod ipse suis exemplis, sua doctrina, suæ prædicationis officio, curam eorum gerat, qui nefandis criminibus rei tenebantur, ut cum Christo epulis æternæ vitæ saginentur. Sed quæritur ad litteram, cum sicut Lucas insinuat (*Luc.* v, 28), relictis omnibus **439** secutus sit Christum de teloneo, quomodo postea in domo sua suis sumptibus pascat eum cum publicanis et peccatoribus? Ex quo liquet quod res votis magis, quam manu relinquitur. Reliquit autem omnia, ex quo se novit illum imitari, et ideo in domo sua, qua præsidebat ad teloneum, non quasi Dominus domus, sed quasi minister fidelis spernit et dispensat caduca prudenter; cui æterna committenda erant. In cujus nimirum convivio suppliciter obsecro cum Christo vel ultimus epulari, et medicina ipsius a malis quibus præpedior, sanari.

Tunc, inquit, *accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?* Grandis Judæorum invidia et perfida calliditas, qua Christum nunc adulando interrogant, nunc reprehendendo, nunc dolis, nunc insidiis, nunc apertis odiorum blasphemiis atque contumeliis appetunt, pulsant, insectantur, et cupiunt subvertere, quem nemo fallere, nemo contraire poterat. Hinc est sane quod Pharisæi prius apud discipulos notam in magistrum de publicanorum convivio componunt, apud magistrum nunc iterum isti una cum eisdem Pharisæis discipulos captiose quasi jejunii nescios, et gulæ deditos accusant. Prætendunt igitur discipulis de magistro laqueos odiorum, et magistro rursus de discipulis fomenta discordiæ seminant. In utroque tamen agentes, ut ejus doctrinam evellerent, et contra eum insidias excitarent. Immittunt aliquando oppositas personas, nunc Sadducæos, nunc Herodianos, nunc ipsi per se Pharisæi arcuatis sæviunt jaculis. Et modo mittunt discipulos Joannis, ut ipsi contra eum veniant, quem magister prædicaverat. Alioquin quæ esset eorum societas cum eisdem Pharisæis, quorum dogma dispar erat? Sed junxit eos invidia, quos disciplina dissociabat. Illi quidem, ut Moysen Christo præferrent; isti vero, eidem ut Joannem anteponerent. Utrique errore pares, utrique livore communiter sævientes. Quibus Dominus, quia disciplina Joannis erant imbuti, sponsum se insinuat, de quo magister eorum prædixerat : *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi gaudio gaudet, quia stat et audit vocem sponsi* (*Joan.* III, 29). Et convenienter satis, ut ex magistri sui voce crederent, et non cogerent insidiando tempora sponsi læta tristitiis permisceri Pharisaicæ legis. Nec dubium illa jejunia, non de præceptis implendæ vitæ, sed de traditione Pharisæorum **440** erant, quibus Ecclesiæ præsentis figurabatur observatio. Unde patenter ait : *Non possunt jejunare filii sponsæ*. Non quod eos jejunare nollet, præsertim cum eorum vita non aliud quam jejunium fuerit; sed ut altiora nobis monstraret, quod non possunt jejunare jejunia illa Pharisaica, quæ aut de rigore legis veniebant, aut de superstitione magistrorum. Neque adhuc illa instabant, quæ postea Spiritus sancti gratia roborati, perfectius impleverunt. Interea quia sponsam quærit, jejunia seponit, relinquit austera, et quod sponsæ tenera tantumdem requirit affectio, totum se dat spiritalibus gaudiis, indulget epulis, ut sit filiis quos lactantes ducit, totus blandus, totus amabilis et suavis, totus festivus. Processit enim tanquam sponsus de thalamo suo, et exsultans occurrit a summo cœlorum vertice usque ad summum ejus, donec sponsam suis confirmet dotibus. Propter quod interdum præstabat se mensis, convivantibus intererat, et omnibus communiter se exhibebat, donec divinis humana conjungeret, et faceret de terrenis cœleste consortium. Nec dubium, quod in vocatione beati Matthæi, licet Hebræus esset, quia contra legis sanctionem se transfuderat Romanis parere quæstibus, per eum vocatio Gentium designatur. Unde cum eo mox multi publicani et peccatores veniunt convivium celebrantes, et non qualecunque, sed

Introdusă în format electronic de Google

magnum, ut Lucas ait (*Luc.* v, 29). Quod profecto mystice illud ostenditur esse convivium, quo simul sponsus et sponsa, cœlestibus redempta donis, fœderantur. Et ut altius fatear, idem sponsus est vitulus ille saginatus qui occiditur, juxta alterius loci parabolam, unde istud convivium divinitus instruitur. Sed ab eisdem qui Christum per fidem in animo dilectionis affectu suscipiunt, utique præparatur. Ibi namque publicani et peccatores, ibi Raab meretrix, ibi Tyrus et populus Æthiopum, quos idem evangelista ad Christi vocavit gratiam. Hinc Dominus per prophetam : *Ultra flumina Æthiopiæ inde supplices mei* (*Soph.* III, 10). Propterea nec immerito Levi magnum præparasse convivium dicitur, quia *gentilitas* hæc omnia in domo sua, scilicet in Ecclesia Christo per fidem exhibuit. Et ideo dictum B est in persona Domini : *Memor ero Raab et Babylonis, scientibus me* (*Psal.* LXXXVI, 4). Sciebant namque jam isti Christum, et ideo memor eorum Dominus, non solum ad fidem eos vocarat, verum etiam secum ad convivium admittens, vestierat **441** veste nuptiali. *Propterea filii sponsi ac sponsæ quandiu cum illis est sponsus, jejunare nequeunt.* Filii autem ideo dicuntur, quia ex fide Christi et Ecclesiæ renati, maternis adhuc alebantur doctrinis. Omnes quidem sponsi ac sponsæ filii, etsi ex omnibus sponsa una concorporatur, ut idem sint filii simul collecti in unitate fidei, quæ et sponsa, charitatis fœdere sociati. Unde nec immerito in eadem domo sponsa cum sponso vescebatur. Sed sponsi filii tantum ideo vocantur, ut teneritudo fidei eorum C et tirocinium discipulatus insinuetur, propter quod eis non debeat grave aliquid imponere.

Venient autem, inquit, *dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* Patet ex hoc loco quod omnes illi dies quibus Christus in carne fuit, quasi dies convivii et nuptiarum fuerint sponsi ac sponsæ, de quibus spiritali connubio apostoli jam creati, lugere non poterant, quandiu sponsum cum sponsa *in* thalamo esse gaudebant. Sed venient, inquit, dies cum transierint nuptiæ, et passionis ac resurrectionis tempus seu ascensionis advenerit, tunc jejunabunt : tunc utique, cum auferetur ab eis sponsus. Multiplicaverunt ex hoc loco post dies quadraginta passionis mox jejunia illa ecclesiastica celebranda, licet statim dies illos Pentecostes Spiritus sanctus D adveniens festivos dedicaverit. De qua sane occasione anus Prisca et Maximilla saltem post Pentecosten tradiderunt quadragesimam faciendam, quasi ablato sponso mox debeant filii sponsi jejunare. Sed Christi Ecclesia illud ad passionem et resurrectionem usque distulit, ut spiritalis saginæ jejunio ad illud Paschale sacramentum animæ melius præpararentur. Tamen apostoli non solum post ascensionem Christi cœperunt flere, verum in passione. Expleta autem ascensione, diebus quibus adventum Spiritus sancti exspectabant sine dubio et deinceps flentes et abstinentes erant. Sed et Dominus quomodo discipulos prohiberet jejunare, qui et ipse jejunabat? A Deinde, dicit eis, quod nequissimum illud dæmonum genus, non nisi jejuniis et orationibus posset superari. Quapropter si eos vincere vult, qua ratione, quandiu cum illis erat non debuerint jejunare? Vel quomodo non jejunabant, cum omnis turba cum eo perseverans non habeat quod manducet; præsertim cum non nisi quinque, aut alibi, septem inter omnes panes inveniantur? **442** Putasne illis omnibus jejunantibus, Christus et soli prandebant apostoli? Absit nos ita desipere. Sed quod verius est, filii sponsi lugere vel jejunare, quandiu cum illis est sponsus, mystice nequeunt, quia introrsus gaudio gaudent spiritali, et epulis epulantur æternæ beatitudinis. Hoc itaque gaudio Joannes gaudebat propter vocem sponsi, non quod sponsus esset, sed quia amicus ejus erat. Et hinc est quod ait non posse sponsi filios jejunare, licet illi jejunent, qui necdum ad nuptias intrarant. Quia nimirum omnes illi jejunant qui panem vitæ ignorant. Christus autem et sponsus et panis est, atque convivium deliciarum. A quo jejuni erant, qui necdum renovati nuptiarum interesse nequiverant epulis. Hinc sane sequitur :

Nemo commissuram panni rudis mittit in vestimento veteri, ne major scissura fiat; neque vinum novum in utres veteres, et reliqua. Igitur antiquæ legis supellectilem vetus appellat vestimentum, Judaicis attritum studiis, sensibus corruptum, sectis scissum, actibus obsoletum : commissuram autem panni rudis, Evangelii nuncupat indumentum. Quia profecto sicut vestimento tegitur corpus, ita doctrinis C anima cooperitur. Sed aliud est vestimentum vetus, aliud vero novum; quia vetus corruptionem patitur vetustate consumptum, cui si assuatur novum, pejor scissura fit, dum et illud quod erat significationis gratia promissum, corrumpitur, et illud quod ad salutem omnium erat repromissum, per se sufficere non æstimatur. Hoc plane Ebionitæ non intelligentes, commiscuerunt nova veteribus, non putantes sine lege Moysi Christi Evangelium posse sufficere. Lex quidem per se usque ad gratiam, licet traditionibus Pharisæorum esset consumpta, multum profuit; sed inchoante gratia, non vestis Evangelii, quæ de agni vellere contexta est, ei admitti debuit. Imo cessantibus figuris, vetustate exinanita, ea quæ in eadem erant lege agendæ vitæ, in novitate oportebat transire. Unde Joannes, cum de dilectione loqueretur : *Filioli, mandatum novum do vobis*, inquit (*I Joan.* II, 8), mandatum quod ab initio audistis. Quia profecto illa omnia non vetustatis, sed novitatis erant. Cæterum Sabbatismus et Neomeniæ, ac ritus jejuniorum, vel reliqua significandæ vitæ instituta, quasi vestimentum vetus, jam consumpta præterierant, veluti umbræ clarescente luce. Propterea his non assuendus erat pannus novæ doctrinæ. **443** Utraque tamen doctrina, jure pannus aut vestimentum dicitur, quibus induta anima non timebit a frigore infidelitatis, neque nuditate turpabitur Quia hæc est illa stragulata vestis mira varietate ornata, quam nobis in Salomone sapientia perfecit.

Introdusă în format electronic de Google

Sed et quidam de philosophia dicunt sub specie mulieris, quod habuerit vestes subtili artificio et indissolubili materia perfectas, quas ipsa suis manibus texuerat. Quarum species ferebat ac si fumosas imagines, quas caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat; habens in extremis deorsum Π Græcum, quod significat practicam vitam, in supremis vero Θ legebatur, theoricam volens exprimere. Quibus aperte insinuat, habitum animarum, sapientiæ doctrinam esse, licet traditiones hominum eam commaculaverint. Quibus remotis ac si umbris, patet lucis veritas, quæ nimirum non potest admitti vestimento veteri, ne pejor obcæcatio fiat, si lux obscuretur in tenebris, imo caligo earum rectius si clarescat in lucem. Verumtamen audis commissuram panni rudis, non scissuræ partem accipias, sed principium texturæ. Tunc enim primum tela regalis indumenti de Christi vellere texebatur. De vellere, quod dabat Agnus qui tollit peccata mundi. Tunc quidem principium Evangelii texebatur, idcirco jure commissura dicitur, hoc est junctura. Non quod veteribus debeat sociari, sed quia usque in finem supra corda credentium debeat extendi et dilatari, ut una sit vestis omnium inconsutilis, et indiscissa, desuper contexta, capiens omnes, neminem nudum relinquens, nisi qui se talibus privaverunt ornamentis. Geminat autem exemplum vestimenti, et utrium veterum novorumque. Sed per utres veteres debemus intelligere Scribas et Pharisæos, vel quoscunque extra Christi gratiam, quos necdum abluit aqua baptismatis. Qui necdum veteri homine deposito, possunt sustinere fervorem doctrinæ Christi. Nam per plagulam vestimenti novi, et vinum novum, præcepta Evangelii sentienda, quæ non possunt sustinere Judæi, ne major scissura fiat. Tale quid et Galatæ facere cupiebant, cum Evangelio legis præcepta miscerent. Sed Apostolus ad eos : *O insensati*, inquit, *Galatæ, quis vos fascinavit veritati non obedire?* (*Gal.* III, 1.) Sermo igitur evangelicus, et doctrina Spiritus sancti, apostolis potius quam Scribis et Pharisæis, aut discipulis Joannis Christo invidentibus, infundendus erat, qui majorum suorum traditionibus **444** depravati sinceritatem præceptorum Christi non poterant custodire. Alia est enim puritas virginalis animæ, nulla prioris vitii contagione pollutæ, alia libidinosæ obscœnitas, quæ multorum sordibus subjacuerit. Licet quidam ad imperfectionem discipulorum ista voluerint transferre, ut ipsi adhuc carnales et infirmi præcepta severiora ferre nequiverint. Quod si ita est, adhuc et ipsi in vetustate erant; quod absurdum est intelligere, cum jam secreti essent a jugo legis, et sponsi filii appellentur. Potius ergo contra eos ista dicuntur, conquirentes quare nos et Pharisæi jejunamus, discipuli autem tui non jejunant? videntur desiderasse, ut eos Christus a jejuniorum jugo, et gravitate legis solveret. Idcirco mox audiunt Evangelii præcepta, dum in vetustate manserint servare nequaquam posse, ne pejor in eis scissura fieret, quorum A doctrina vetustate attrita, novitatem præceptorum ferre nequibant. Et ipsi, utres, vinum nuptiarum, de quo apostoli ebrii loquebantur variis linguis, continere non poterant. De quo nimirum vino architriclinus sponso fertur dixisse : *Servasti vinum bonum usque adhuc* (*Joan.* II, 10). Quod denique vinum, necdum Pharisæi quibant ferre vetustate corrupti. Utres autem novi, scilicet apostoli et eorum imitatores, illo replebantur. Quia prius ut utres pellium ab omni squalore purgantur, et pigmentis liniuntur odoramentorum interius, ita confecti divinis torcularibus apti censebantur virtutibus, et gratia Spiritus sancti reparati. Quos sane David futuros aspiciens de se gemebat dicens : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis* B *me? Quia factus sum sicut uter in pruina* (*Psal.* CXVIII, 82). Quæ pruina infidelitatis procul dubio istos congelaverat, idcirco vetustate consumpti, mustum evangelicæ prædicationis capere nequibant, neque præcepta servare. Quod bene dispensator salutis prævidens, novos utres de prælo crucis replet ebrietate spiritus, veteres autem vacuos deserit, ne pejor scissura fieret.

Et ecce princeps unus accessit, et adorabat eum dicens : Filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam et vivat. Porro Marcus et Lucas, non mortuam eam dicunt, sed in extremis esse, vel in brevi morituram, videlicet morti proximam (*Marc.* V, 25; *Luc.* VIII, 42). Quam ideo præsens evangelista mortuam nuntiasse asseruit, quia desperaverat pater eam vivam invenire : C propter quod vicissim utrumque dicunt, quia **445** utrumque ille petierat, ut sive morituram mox sanaret, sive jam mortuam suscitaret. Hinc quoque tam flebili lamentatione remedium postulat filiæ desperatus de vita : non quidem, ut æstimo, incredulus, sed eruditus a lege. Qua de causa licet omnia verbo creasse Deum in principio cognoverit, hominem tamen Dei manu plasmatum legerat, ex quo denique eadem manu filiam, qua creata fuerat, recreari credidit, et reduci de morte ad vitam. Unde patenter rogat : *Sed veni, impone manum super eam.* Ut qui sponte prius ad creandum posueras, ad reparandum iterum exoratus imponas. Et hoc est quod Propheta fatetur dum decantat : *Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam* (*Psal.* CXXXVIII, 5). Quia qui posuit cum formaret ex nihilo, deposuit ut imponat iterum manum, et reformet eam de perditione. Juxta anagogen etiam multum valet quod ait : *Sed veni, impone manum super eam.* Procul dubio, quia singula sacramentis plena sunt, et omnia satis provide a Domino præparantur. Nec vacat a mysterio quod sexto signorum loco, homines a dæmonibus obsessos liberat : ut quem sexto die manibus de terra plasmaverat, eodem (juxta hunc evangelistam) curationum numero ad se revocans a dominio deceptoris liberaret, et ad imaginem primæ creationis reformaret. Sic itaque quod septimo loco, fide offerentium, pa-

Introdusă în format electronic de Google

ralyticum curat, peccata relaxat, et eum ad domum repedare jubet. Quia septem Spiritus sancti donis, omnia peccatorum vulnera sanat, et gratiam redeundi ad patriam præstat. Unde satis oculose sermo divinus nunc octavo curationis signo filiam archisynagogi offert, nolens eam excludere a mysterio veræ circumcisionis, sed subintrat mulier fluxum sanguinis perpessa, et octavo sanatur loco. De cujus revera numero Synagoga divinitus removetur, ut saltem veniat ad novum, juxta quod in Psalmis canitur : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Psal.* LXVII, 32). Atque illud : *Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet* (*Rom.* XI, 25). Nam princeps qui accedit rogaturus pro filia, typice *populum* patriarcharum specialiter designat, qui pro Synagoga indefessis precibus obsecrans, post Ecclesiæ introitum et curationem a profluvio infidelitatis, et a menstruis idolorùm, vix filiæ obtinuit sanitatem. Hinc quoque est, quod implorat : *veni et impone manum super eam*. Venire enim rogat, qui ubique omnia replet, hoc est carnem visibilem apparere. Cujus nimirum **446** impositione manus sanatur Synagoga, et resuscitatur ad vitam. Quæ revera prophetica voce canit etiam cum Ecclesia : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me* (*Psal.* CXVII, 16). Ac si patenter dicat : dextera Domini restituit quod crearat, propterea non moriar, sed vivam. Talia quippe præsenserat populus patriarcharum, et ideo hic ab alio evangelista bene Jairus nominatur. Jairus quippe *illuminans*, vel *illuminatus* interpretatur. Illuminatus autem a lege et prophetis per gratiam sancti Spiritus; et ideo ipse illuminans ab eo quod jam illuminatus erat, jure appellatur. Sic et apostoli lux mundi sunt vocati, non substantialiter quidem, sed ex participatione veræ lucis. Hunc princeps Synagogæ humilis descendit ab arce Pharisaicæ traditionis, devotus venit, suppliciter adoravit : licet quidam adhuc de infidelitate venisse autument quod eum ad filiam, ut *ei imponat* manum, venire rogat; quasi necdum ubique sicut nec regulus ille ex Evangelio, præsentem intellexerat. Sed qui cuncta novit huic mox obtemperat. Sed tamen absens curans filiam, se ubique præsentem docet. At vero hic tale aliquid si in corde gessisset, qui corda inspicit singulorum corrigere debuisset. Nisi forte ad hoc mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, ad medium in via deducitur, ut iste disceret eum non loco circumferendum, non itinere fatigandum, non præsentia solummodo corporali requirendum, sed credendum quod ipse ubique potens esset Deus, ubique totus, ubique semper. Interea præscius idcirco fortassis ire festinat cum eo, ut hanc in via prius clementer curet, de cujus plane curatione nodum dubietatis tollat. Ait namque : *Filia mea modo defuncta est*, quod est dicere, adhuc est in via spiritus, adhuc in extremis est, adhuc domi. Quam necdum tartarus invasit. Ergo ut eam possis retinere, festina. Quo nimirum dubietas Judæorum insinuatur, et vecordia. Unde mox e more usa gentilitas, videlicet fide recepta, occurrit ad medium, ut prior sanetur quam Synagoga. Verumtamen Christus, licet non se missum nisi ad oves perditas domus Israel fateatur, propter duritiam cordis eorum, prius a menstruis idolorum Ecclesiam de gentibus clementer curat. Et hinc est, quod dum ad alia tendit, alia in via fide sanitatem præripuit. Propter quod itaque scriptum legimus : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et ego provocabo eos in eo* **447** *qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos* (*Deut.* XXXII, 21). Nam quod archisynagogus eruditus a lege et prophetis Christum Deum forte ubique præsentem necdum noverat, neque Christum Deum æstimat, mulier jure perpessa, menstruis curatur. *Si tetigero*, inquit, *tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero*. Potest igitur uterque sensus populo Judæorum convenire, ut per eos qui Christum Deum crediderant, Jairus illuminans vel illuminatus dicitur; per eos vero qui dubitantes tantum hominem putarunt, Ecclesiam introisse ad fidem, sicut Apostolus commendat. Ait enim, incredulitas eorum salus gentium. *Cum autem*, inquit, *plenitudo eorum introierit, tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom.* XI, 25).

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Juxta Evangelium itaque Lucæ et ipsa principis filia duodenis defuncta legitur (*Luc.* VIII, 42). Quia profecto mystice hæc mulier, Ecclesia videlicet de gentibus aggregata, ex eo cœpit ægrotare, profluxumque immunditiarum pati, ex quo gens Judæorum credere, deinde legalibus ad Deum institutis divinitus eruditi. Melius jamque comparatione virtutum vitia ostenduntur. Sed cum adulta illa de menstruis idolorum cultibus, in quibus secundum evangelistam, erogaverat omne patrimonium suum, conversa sanatur ad Christum, illa mox perfidiæ suæ languore moritur. At per hoc utraque illarum duodenis jure narratur. Solent enim etiam leges sæculi quoque duodecimo ætatis anno jam suis coercere præceptis; et ipsi legum præmio pro bonis, aut supplicio pro malis interdum subjacere. Unde secundum anagogicos Scripturarum sensus jure illa sanatur a Domino, quæ adulta vitæ recepit intelligentiam, et præteritorum actus ignorantiæ deputantur. Illa vero simili modo cum jam jure adulta Christum ex lege repromissum suscipere debuisset, quia noluit credere a prophetis et patriarchis mox mortua nuntiatur. Et notandum quod sanguine fluens, non in domo, non in urbe accedit ad Deum, quæ juxta legem a conversatione humana excludebatur, sed in itinere ambulante Domino : ut dum pergit ad alia, in via quæ Christus est, aliam, id est Ecclesiam, curatam ostendat. Quod sane alibi sermo divinus insinuat, cum quidam invitati ad nuptias venire recusassent. *Exite*, inquit, *ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis bonos et malos, compellite* **448** *intrare* (*Matth.* XXII, 9). Siquidem de viis hujus sæculi vocatur Ecclesia. Idcirco ista præ-

Introdusă în format electronic de Google

paratur dum ad aliam iret, ut hæc prior in via occurreret. Dicebat enim intra se : *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus tantum, salva ero.* Mira dispensatio. Ecce inter Deum et mulierem furtivæ salutis agitur, tamen grande commercium. Archisynagogus quidem devotus occurrit, et totus ad adorandum in terra prosternitur ; causam refert, dolorem insinuat, movet affectum, impetrat ut properet, et accedat ad curam. Mulieri vero non quæsitus Dominus occurrit præteriens, saltem ingessit, quatenus et hoc generale pietatis opus apertius præmonstraret. *Accessit,* inquit, *retro.* Retro autem, quia post ascensum Salvatoris credidit. Sed juxta historiam hanc etsi cogebat ad Christum doloris magnitudo accedere, fœditas tamen vulneris prohibebat. Sed maluit fidei trepidante consilio ex fiducia judicari, quam de tam fœdo vulnere sic perire. Audiant igitur scelesti et immundi, abrumpant pudorem noxium, et inveniant consilium fidei, medicinamque salutis. Noverat enim hæc, quod Christus Deus et homo esset. Alioquin illum nisi Deum crederet, quomodo in fimbria extra hominem salutem quæreret? Qui nisi Deus esset, quomodo in fimbria extra se sentiret? Constat igitur et illam Deum in homine credidisse, atque extra hominem Deum fuisse ; idcirco ejus devote tangit fimbriam, quem ubique fides Ecclesiæ confitetur. Profecto autem totus ubique totus, et in homine Christo Jesu, quandoquidem extra se nihil præstat. Ait enim :

Sentio virtutem exisse a me. De illo quidem exiit, quia in illo plenitudo divinitatis erat, et in divinitate virtus omnipotentissima pollebat. Divinitas autem ubique erat. Aliter tamen in homine Christo, aliter autem in fimbria vestimenti. Porro in homine Christo ut Deus homo esset, quia Verbum caro factum est : in fimbria vero, sicut et in universo mundo, non quod Deus jure mundus vel fimbria credatur, sed quia extra, sive intra, potens tenet et regit omnia. Præparatur igitur mulier, in cujus typo universalis Ecclesia sub specie designetur, propterea dum libet ex ea divinitus tanta prædicantur.

Si tetigero, inquit, *fimbriam vestimenti ejus tantum, salva ero.* Et mira fiducia ! Nam in lege si quis mulierem menstruam vel fluentem sanguine, sive quodcunque **449** illa tetigisset, immunda erant. Hæc vero : *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Liquet igitur, quod eum Deum credidit, qui nullis coinquinatur sordibus, imo abstergit vulnera, emundat immunditias, et languores vacuat. Sed nunquid non sine tactu ejus, ei præstare poterat ; præsertim cum nec se tangi ab eo postulat, sed ipsa cincinnum vestimenti ex fide furtim tangere præsumit? Istinc igitur liquet, quod passim in Evangelio mysteriis et rebus divina prædicantur ; propterea et hæc tetigisse nempe dicitur, ut fides qua Christus a suis tangitur luce clarius reseretur. Quantum igitur ad historiam attinet, quia se indignam judicabat, idcirco retro accessisse dicitur, non quod ignoret Christum omnia contemplari, præsertim cum et in fimbria Deitatem credidit, sed ut turbæ declinaret aspectus. A populo quidem nesciri voluit, non a Christo. Propterea non Deum latere se, sed homines quid gereret æstimavit. Alioquin quomodo ab aspectu divinitatis latere credidisset, in quo nihil postremum, nihil judicavit infirmum, dum virtus et salus etiam in fimbria quæritur. Patet itaque, ut dixi, sensus mysticus, quod hæc mulier, videlicet Ecclesia, Christum tangit fide, quem turba premit. Ista siquidem est mulier, quæ primo vulnerata peccato primæ originis fluebat sanguine, et menstruis cruentabatur delictis. Quæ fide integra surripuit sanitatem, dum perfida archisynagogi filia, videlicet Synagoga, suis doctoribus perlecta, mortua nuntiatur. Sic, sic nimirum Christus tangitur, dum et ubique potens creditur, et Deus in homine veneratur. Propter quod cuidam necdum credenti dicitur : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XIX, 21). Ascenderat autem hic ad Patrem, quia coæqualem ei illum credidit, idcirco fimbriam vestimenti ejus fide perfecta tetigit. Quid ergo per fimbriam, nisi virtus Deitatis designatur ? Ista namque est fimbria mandatorum, quas in summitate pallii sacerdotis Moyses fieri jubet, per quam hæc mulier interna penetravit, et per fimbriam tetigit capitis summitatem. Hausit namque de cincinno guttam salutis, et de capite rorem pietatis. Unde et sponsus in Canticis : *Caput meum plenum est rore, et cincinni mei noctium guttis* (*Cant.* v, 2). Pervenit enim hæc ad fontem roris, et furtim hausit ex fimbria guttam salutis. Profecto quia credidit quod unguentum in capite descendens pervenerit usque ad oram vestimenti ejus. Hoc namque rore Spiritus sancti **450** crines Samson septem repleti erant illius Nazaræi, scilicet Christi, in quibus tanta virtus inerat, ut inexsuperabilis esset. Sed dum Dalilæ amplexus quærit, scilicet Ecclesiæ menstruosæ, infirmatur usque ad mortem, mortem autem crucis. Hoc nimirum ista intelligens accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Fimbria autem vestimentorum nec immerito quilibet sanctorum apostolorum accipitur. Omnis namque Ecclesia vestimentum Christi sæpe designatur, et ideo quoque est quod unguentum de capite fluens usque ad oram vestimenti descendisse canitur (*Psal.* CXXIII, 2), ut omnes quos divina virtus induerit plenos Spiritus sancti gratia non dubitemus. Unde cum quilibet eorum fide tangitur, doctrina salutis hauritur. De quibus per prophetam voce patris ad filium : *Vivo ego, quia omnibus his veluti vestimento vestieris* (*Isa.* XLIX, 18). Isti sunt equidem, ut dixi, cincinni guttis noctium pleni, dum sponsus pulsat ad ostium, quos admodum Christi Ecclesia ubique fide tangens confitetur : *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Quia per doctrinam eorum a fluxu infidelitatis salvatur. Retro autem tangit, sicut dixi, quia post ascensionem ejus, credidit ; seu quia dictum est : *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26) ; et alibi : *Post Dominum*

Introdusă în format electronic de Google

Deum tuum ambulabis. Unde Moyses posteriora Dei videns coruscus de monte descendit.

At Jesus conversus, et videns eam, dixit : Confide, filia, fides tua te salvam facit. Nec itaque dixit : fides tua te salvam factura est, sed salvam fecit ; ac si aperte dicat : In eo quod credidisti, jam salva facta es. Et notandum quod fides salutem acquirit, et non salus fidem. Siquidem quia initiatrix radixque omnium virtutum fides esse probatur. Licet quidam prius virtutes requirant, deinde promittant fidem : tamen prior esse debet fides, ut postea quilibet perveniat ad salutem. Quod autem Jesus conversus dicitur ad mulierem, credendum non motu corporis tantum, sed etiam prius divinitatis aspectu, ut mulier converteretur ad Christum, deinde per fidem curam acciperet sanitatis. Propter quod fatendum, quia vidit divinis oculis potius quam humanis, vidit ut saluti redderet, et non ut agnosceret quam profecto sciebat antequam ipsa sciret Deum requirere. Quid plura ? Christus hoc mulieris exemplo docuit quantum fides proficiat ad salutem. Ista namque est potestas qua utimur, non solum ut sanemur, sed etiam ut filii Dei simus. Unde ait : *Fides tua te salvam* **451** *fecit.* Sed nisi prius eam conversus vidisset, hæc minime illum fide tangeret. Sed recreavit prius quod faceret, et dedit unde tangeret. Inde duntaxat renata jure filia vocatur, et potestate accepta fidei, sanatur. Alioquin nisi prius perciperet, non solum salutem a medico non referret, verum nec eum tangeret. Porro juxta tropologiam, princeps iste animalis quilibet homo jure designatur, qui pro filia, id est pro carne, rogat ; eo quod omnis mortalitas nostra in extremis fore recte creditur. Sed quærit prius anima fluxum vitiorum male perpessa, et tangit saltem minima mandatorum Dei fide recreata, ut in salutem perveniat. Prius namque ordo, id est ut homo in anima sanetur, deinde ad resuscitationem et salutem carnis anhelet. Unde Propheta : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* LXII, 2). Verumtamen audiat Christianus quilibet, et quotidie corpus Christi de altare participans, quantam de eo possit sumere medicinam, quando mulier tantam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Fortassis per hoc docuit hæc mulier, quantum sit corpus Christi sumere de sublimitate altaris coram oculis divinæ majestatis, dum ex fimbria sic profluxit illico a tactu fons sanitatis. Sed quod deflendum est valde, exinde medicinam tulit vulneris ; nobis vero medicina ipsa interdum retorquetur in vulnus. Hinc quoque est quod Apostolus ait : *Qui tangit, seu qui comedit corpus Christi indigne, judicium sibi sumit* (*I Cor.* XI, 29). Capit igitur temeritas potius infirmitatem, unde fides accipere debuit sanitatem. *Propter quod inter vos multi infirmi et ægri, et dormiunt,* inquit Apostolus, *multi* (*Ibid.*, 30). Dormientes vero mortuos appellat quos acriter deplorat et luget in vivo corpore jam sepultos. Et notandum quod Christum nec tactus polluit immundæ, nec visus offendit cruentæ, nec odor exasperat fetoris, nec auditus coinquinat humanæ contagionis. Profecto, quia etsi sol tangat stercora, nec tamen coinquinatur, quanto magis creator solis, dum tangit nostra vulnera ? Offendunt itaque et displicent ei peccatorum vulnera, magis quam corporum passiones, vitiorum sanies magis quam viscerum fluxus. Quia etsi quisque voluntarius labitur in delictis, tamen in languoribus tenetur invitus. Propter quod caveat quisque indigne contingere vitæ sacramentum, imo purget se prius a menstruis, et sic demum fidelis accipiat. Nec prorsus dubitet divinitatem Christi deesse in carne corporis ejus, **452** si usque ad fimbriam pervenit. Virtutem autem Divinitatis fides ubique consequitur ; quia ubique est et nusquam abest : sed tamen magis in corpore et carne Christi : per quod etiam, quia *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Et si itaque corporis Christi assumptio transvecta est ad cœlos, quia majestas Verbi infidelitatis est ubique libera, non recessit a nobis. Propter quod devotus quisque ubique fide tangat, ne cum turbis male comprimat, et conculcet Christum. Sequitur :

Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat : Recedite, non est mortua puella, sed dormit. Ecce dormire dicit, quam supra mortuam pater nuntiarat. Et sicut alius evangelista expressius refert, dum hæc aguntur in via, a servis mortua asseritur dicentibus : *Noli vexare Magistrum, mortua est enim puella.* Mira Dei dispensatio ! Ecce duodenis ista defluxit ad mortem, dum illa coæva resurrexit in vitam. Quo nimirum numero non tempus humanæ vitæ concluditur, sed annus duodecim distinctus mensibus designatur. Unde propheta : *Annum acceptum Domini prædicat* (*Luc.* IV, 19), et Apostolus temporis plenitudinem commendans : *Venit*, inquit, *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Gal.* IV, 4). Qui nimirum adveniens credentibus vitam reddidit, incredulos vero detrusit in mortem ; eos videlicet quos perfidia Judæorum interemit. Recte servi appellantur qui nolunt vexari Christum, ut ad defunctam Synagogam veniat ; Magistrum eum legis æstimantes, licet mortuam pronuntient, eo quod perdiderint spem resurrectionis, et nolunt ad eum redire. Constat igitur Scribas et Pharisæos Deum in corpore despexisse, sed Christus prophetis et patriarchis pro ea interpellantibus, domum adire festinat, ut mortuam resuscitet Synagogam. Ubi cum vidisset tibicines et turbam tumultuantem, recedere jubet. Isti sunt enim fautores, quorum perlecta threnis somno usque hodie premitur infidelitatis. Solet igitur in tibiis lugubre carmen ad vigilias, et cantilenæ personare mortuorum, ut corda torpentium excitent ad lamenta. Sic Judæi litteram sectantes, quæ occidit, quasi suis canticis et threnis, luctum ingerunt, et mortuam Synagogam usque hodie deplorant. Quibus cum a Christo vel a suis dicitur discipulis : *Non est enim mortua puella, sed dormit*, deridentem eum, perfidia depressi suæ infidelitatis. Sed Christus, his cum

Introdusă în format electronic de Google

turba ejectis omnibus, intrat et tenet manum **453** puellæ, quia Deo omnia vivunt. Unde ait: *Non est mortua puella, sed dormit.* Ac si patenter dicat, dormit in superstitionibus legis, et traditionibus pravæ persuasionis. Unde a domo resurrectionis Christus turbam tumultuantem infidelium Judæorum ejicit, et tibicines, pravos scilicet magistros, ab officio litteræ repulsurus, extra donum facit. In qua denique domo solummodo septem personæ remansere, designantes ex Judæis eos resuscitari ad lucem, in quibus septiformis Spiritus sancti gratia se perfuderit, et numero consecraverit. Sed forte quæritur cur manum hujus tenuerit, sicuti et ejus, quem a febribus in domo Simonis supra sanasse legimus. Patet igitur in utraque quod sexus femineus ad vitam reducitur; propterea juxta litteram utrarumque manus tenetur, ut illa sanetur, quæ contra vetitum de arbore gustum mortis viro porrexerat. Cæterum juxta moralem intelligentiam, ejectis dæmonibus, qui male præcantabant miseram animam, et turba vitiorum, resuscitatur ad vitam; quæ manu tenetur Salvatoris, de qua, qui prædestinati sunt nemo potest auferri. Quibus curatis reddita salus cunctis designatur, dum una earum de infirmitate erigitur, altera vero a morte resuscitatur. Scit enim prudens lector quod ubique mystice species recurrit ad genus, et dum fides confirmatur gestorum miraculis, generalitas prædicatur salvanda virtutibus. Unde et species infra genus concluditur, et specierum significationis terminum, tam in moralibus quam in allegoriis genus non excedit. Propterea et per mulierem Ecclesia de gentibus, aut anima quælibet decore virtutum et fortitudinis robore penitus destituta, designatur. Per puellam vero defunctam Synagoga, quæ prius Spiritu fidei vixerat; aut anima dæmonum præstigiis perempta, significatur. Illa siquidem fluxum patiebatur vitiorum; hæc vero jam jamque in mortem deciderat. Illa pulchritudine et robore sanguinis destituta; hæc pessimis dæmonum præcantationibus interempta est. Nam in sanguine decor et fortitudo corporis præstatur, cujus fluxu virtutes bonæ vitæ deciderant, et misera ac flebilis anima suis fœdata immunditiis cruentabatur. Sed sicut ista nisi ex fide tactuque virtutum non sanatur: ita defuncta criminibus vitiorum, non nisi manu Salvatoris ad vitam resuscitatur.

Transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes: Miserere nostri, fili David. **454** Hoc de duobus cæcis, et de muto dæmonioso, solus Matthæus dicit (*Matth.* xx, 30). Illi enim duo cæci, de quibus et alii narrare probantur, non sunt isti; sed tamen simile factum est. Ita ut si hic ipse eorum etiam non meminisset, posset hoc quod nunc narrat ab aliis dictum fuisse duobus. Quod commendare memoriæ diligenter debemus, esse quædam facta similia in sacro Evangelio, cum idem ipse utrumque commemorat. Ut si quando talia singula apud singulos inveneri-mus, atque in eisdem contrarium quod solvi nequeat, occurrerit, non hoc esse, illius loci factum simile alterius rei. Nam transeunte Domino de domo principis, et pergente ad domum suam, sicut supra legimus, quod ascenderit in navem, ut transfretaret et iret in civitatem suam, clamabant ipsi duo dicentes: *Miserere nostri, fili David.* Et tamen non curantur transitorie, non in itinere, ut putabant: sed postea venit ad domum suam, accedunt ad eum et introeunt. Et ibi interrogati diligentius et instructi, lumen recipiunt. Profecto quia extra domum Jesu, id est extra Ecclesiam, nemo lumen potest accipere. Unde primum eorum discutitur fides, si possint credere, quod queat eos salvare. Deinde fidei lumine recepto, visus oculorum mox redditur. Nec tamen, ut supra dixi, de miraculo fides, sed per fidem lumen oculorum obsecrantibus restauratur. Idcirco prior fides requiritur, quia possibilia sunt omnia credenti. Exponit autem hoc miraculum illud de principis filia, et emortuæ mulieris, propterea consequenter ut quod ibi mors et debilitas, hoc cæcitas duorum ostenderet; uterque duntaxat populus Domino transeunte cæcus erat in hoc sæculo, cupientes reverti ad domum suam. Qui nisi confessi fuerint Christum filium David, et clamaverint Miserere nostri, neque a profluvio delictorum, neque a morte resuscitantur. Hinc quoque interrogantur.

Potestis credere quia possum hoc facere? Responderunt: Utique, Domine. Credebant autem, et confirmatur hac interrogatione fides eorum, sicut is qui dicebat: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* ix, 24): propterea, ut æstimo, prius non curantur. Tamen clamor eorum profundum cordis affectum insinuat: *Miserere nostri, fili David.* Ac si aperte dicant: Os nostrum et caro nostra es, miserere nostri. Et si non ob aliud, pro cognatione carnis. Porro interrogati si credunt, dicunt, *Utique: Domine.* Prius enim **455** filium David clamantes, postea vero plenius et perfectius Dominum confitentes dicunt: *Utique, Domine.* Ac per hoc humanitatem Christi divinitatemque invocant, ut fides eorum accepta fiat. Alioquin quicunque humanitatem carnis in Christo sine divinitate prædicant, aut divinitatem sine vera humanitate, necdum credunt, sed erroribus obcæcantur: propterea lumen cordis nequeunt recipere. Audiant Marcion et Manichæus, ac cæteri, qui negant Christum de stirpe David in carne venisse, vel qui veram Divinitatem in una eademque persona negant; et discant Christum appellare filium David secundum carnem, eumque ipsum Dominum confiteri. Cæterum illi qui extra Ecclesiam se faciunt catholicam, redeant ad domum Jesu, quia nequeunt alicubi lumen recipere, quatenus per veram fidem resumant quod amiserunt. Noverint igitur fide promerendum, quidquid petierint infra domum Christi, et non ex imperatis fidem sumendam, quoniam istis non prius salus præstatur quam credant.

Deinde comminatus est eis ne quis sciret; illi autem diffamaverunt eum in tota terra illa. Contraria quidem, sed justa. Nam Dominus humilis docet jactantiam declinare, illi e contra beneficium salutis

Introdusă în format electronic de Google

nequeunt ob memoriam gratiæ reticere. Necdum enim de se vult Salvator magna quæque et deifica prædicari, ne gloria præcederet passionem. Apostolis quidem hæc servantur, et ideo istis recte dicitur, ne usurparent quod aliorum erat. Ipsi vero diffamaverunt eum in tota terra illa, juxta quod futurum erat, quia *in omnem terram exivit sonus* apostolorum, *et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Secundum moralem autem intelligentiam, exterior et interior homo lumen a Domino infra unitatem Ecclesiæ Christi tum plene recipit obsecrando, cum et Christum in carne venisse de semine David creditur ad justitiam, et eum Deum et Dominum ore confitentur in salutem.

Illis autem egressis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem. Et ejecto dæmone locutus est mutus. Quod autem Græce dicitur κωφόν, in communi eorum sermone magis *surdus* quam *mutus* intelligitur. Sed moris est Scripturarum per κωφόν, mutum, vel surdum indifferenter dicere. Ex quo patet in uno eodemque homine tria simul signa exhibita, dum ejecto dæmone locutus est mutus, et per ambiguum verbum surdus recepisse auditum **456** significatur. Mirum si totum hominem dæmon pervaserat, quomodo aliquas partes corporis occuparat, aliquas vero relaxasse non dubium, ut puta visum, odoratum et tactum. Quod non abs re fecisse manifestum est. Obstruxerat enim auditum, ne verbum fidei vel doctrinæ Christi capesceret; obtorpuerat lingua, ne confessionis vocem, vel obsecrationis emitteret. Oculis autem, cæterisque sensibus, non nisi corporalia sentire poterat. Unde quærat prudens lector, si animam introrsus possideat, dum sic exterius membra inimicus dilaniat his utens, alia quidem ut nullum usum habeant, ac si organo, ut miser homo nihil interea agere videatur. Porro nec mirum si in carne dominatur, ubi habitat lex peccati, de qua Paulus apostolus : *Scio quod non habitat in carne mea bonum* (*Rom.* VII, 18). Ac per hoc jure ad eam, quasi ad suam legem, accedit inimicus. Sed aliud est cum suas leges in nobis ad concupiscendum inflammat, aliud cum sibi traditum in interitum carnis totum hominem possidet. Utrum tamen aliquos in carne et in anima simul, aliquos vero in carne solum, ut spiritus salvus fiat, jure quæritur. Quod facile patet ex his quos divinus arbiter sibi prædestinatos servat : qui non ei ideo tradantur, ut deinceps animam pejus possideat; sed ultione expleta per hoc quod suum erat evindicans quæ Dei sunt, quia non judicat Deus bis in idipsum, juste postremum amittat. Quosdam vero alienos a Deo aliquando sic jam tenet, ut totam fabricam penitus quasi perennis exactor possideat. Istum tamen calliditatis arte sic affecerat, quia Dominum in terris repererat advenisse, quatenus nec auditus verbi, nec virtus divini nominis, nec confessio ad eum pertingeret. Hinc est quod latebras speluncæ suæ pectus fecit, obstruxit aures, vinxit linguam, ne obseratis foribus verbum vitæ aut ederet aut perciperet. Non quod A spiritus immundus humanis distinguatur membris, sensibus angustetur, quia spiritus est, et uno momento temporis totum circumvolat orbem, varias mutatur in formas, corda penetrat, illudit animas, aspirat impias et pessimas cogitationes. Sed dum misera hominis membra tenet, nihil de se potest, quem fortis possidet inimicus.

Et cum ejecisset, inquit, *dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.* Liquet igitur quod fenestras ipse clauserat; propterea auctor salutis auctorem prius pepulit, **457** quo namque ejecto linguæ officium mox mutus recepit, et mirantur turbæ. Mirantur nec credunt, neque confitentur Deum, sed dicunt quod nunquam sic apparuit in Israel. Supra legem, licet inscii et increduli ea B quæ gesta sunt esse intelligunt, supra omnes qui retro fuere Jesum prædicant quia licet Elias, aut Elisæus, vel cæteri virtutes fecerint, nullus tamen potestate vel imperio. Neque aliquis eorum talia vel tanta fecit. *Judæi autem dicebant quod in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Miseri, quæ negare non poterant, calumniantur opera Deitatis. Turbæ quidem admirantes dicunt, quod *non apparuit sic in Israel.* Et isti obcæcati invidia dicunt opera Salvatoris in Beelzebub principe dæmoniorum esse facta. Secundum anagogen autem, mutus iste gentium populus designatur, qui apostolorum ministerio Domino est oblatus, cultui idolorum mancipatus. Qui plane mutus fuisse probatur, dum veritatem loqui necdum didicerat. Surdus autem, quia Domini præ- C cepta nec fidei verbum audierat. Plenus denique dæmonio, quia membra ipsius spiritu immundo repleta erant. Quo sane ejecto, audiunt quotidie verbum veritatis, et ore confessionem pronuntiant salutis. Unde mirantur adhuc hodie infideles, sicuti a principio, quando Ecclesia linguis loquebatur variis, et Judæi calumniantur nos Christum non credentes. Constat igitur quod sic ut per admirationem et confessionem plebium fides gentium præmonstratur, ita per calumniam Judæorum, usque hodie incredulitas et blasphemia designatur. Patet namque omnis anima, dum adhuc in mundo criminibus volvitur, quod muta et surda esse convincitur. Alioquin nisi surda esset, utique verbum salutis audiendo percipe- D ret. Unde quam sæpe Dominus : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI, 15; XIII, 9, 43; *Marc.* IV, 7; VII, 16; *Luc.* VIII, 8; XIV, 35). Sed quia infelix torpore surditatis premitur, constat quod a dæmonio vexatur. Propterea nec verbum confessionis proferre, nec salutem vitæ audiendo potest haurire. Hinc Propheta terribiliter incutiens : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XLIX, 16.) Ac si patenter dicat : quia spiritu immundo ageris, indignum est ut verbum salutis ulli narrare præsumas. Curandum igitur doctoribus, quoties tam insensibilis sit auditor, ut nec velit, nec intelligere cordis aure quæ dicuntur queat, offerat cum suis precibus Salvatori, qui a maligno premitur spi-

Introdusă în format electronic de Google

ritu, ut, illo ejecto, cordis occulta confiteatur, deinceps autem auditu auris audire quæ divina sunt devotus invigilet. Alioquin **458** quisque in vacuum laborat, nisi Deus audiendi introrsus incrementum præbeat.

Et circuibat Jesus civitates omnes, et castella, docens in synagogis eorum. Per omnes autem civitates et castella, ut nemo exciperetur ab officio salutis. Apostolos tamen prius docuit in monte, quorum conversatio in cœlestibus futura præsignatur, cæteras in synagogis eorum, qui altiora necdum poterant comprehendere. Mirabili quidem ordine prius docens Evangelium regni, deinde post prædicationem atque doctrinam, curabat omnem languorem, et omnem infirmitatem; ut quibus sermo fidem non suaserat, virtutum opera persuaderent; *Erat enim*, (ut duo ex discipulis ambulantes loquuntur) *potens in opere et sermone* (*Luc.* XXIV, 19), propterea promittebat regni documenta, postea vero signis et prodigiis, ut commoverentur ad fidem, potenter hoc ipsum commendans. Nusquam igitur de alio aliquo dictum reperies, nisi de solo Domino, quod curaverit omnem languorem et omnem infirmitatem; licet et discipuli multos sanaverint, sicut legimus, quod etiam ex umbra Petri plures curati sunt. Sed quærendum utrum ab eo loco quo de monte descendit, omnem languorem et omnem infirmitatem curaverit eorum qui oblati sunt, cum decem solummodo exinde curati connumerantur, an etiam et alios quod manifestum est; quia profecto ad hoc tam sollicitus omnia circuibat, ut omnes sanaret, et ipsi perciperent Evangelium regni. Manifestum est quod sicut in civitatibus et castellis, et in omnibus vicis docebat in synagogis eorum, quæ sermo Evangelicus explanat per singula et promittit, licet ex hoc intelligatur quid docuerit, quia legitur Evangelium regni docuisse. Ita liquet innumeras virtutes fecisse, quæ non sunt scriptæ, in tantum ut nullus languor, nulla infirmitas esset eorum quam non curasset. Porro discipuli non poterant eum sanare a dæmonio, qui delatus est ei. De quo dicitur, quod hoc genus dæmonum non nisi oratione et jejunio curetur. Christus vero omnem languorem et omnem infirmitatem interius exteriusve pellebat quasi Dominus, probans sibi nihil impossibile. Sed solummodo sicut ille sermo ex his omnibus in monte habitus, sufficere creditur, propterea Spiritu sancto reserante posteris stylo traditus est ad doctrinam. Ita siquidem ex omnibus paucissimæ narrantur virtutes, quæ rebus et numero sacramenta fidei commendent, et omnia Salvatoris opera insinuent plena fore mysticis muneribus. **459** Sæpe enim legimus in hoc ipso Evangelio sine narratione gestorum indifferenter, absque personarum expressione curatos omnes, et omnes languores atque infirmitates, sine cujusque proprietatis designatione, depulsas. Sed cæca infidelitas non vult interdum credere paganorum. Dicunt enim quod nulla, competentibus signis, indicia tantæ majestatis in Christo claruerunt. Quia larvalis illa, inquiunt, curatio debilium, et reddita vita defunctis, si et alii considerentur qui mira fecerunt, Deo parva sunt. Fatemur quidem et nos talia fecisse prophetas. Nam in his signis quid excellentius, quam mortuos ad vitam resuscitasse? Fecit hoc Elias in Veteri Testamento, fecit et Elisæus, fecerunt hoc et innumeri post adventum Domini. Nam de magorum miraculis, ex quibus pagani gloriantur, utrum ipsi mortuos suscitaverint illi viderint, qui suis eos fecisse fingunt mendaciis. Qui et Apuleium contra magicarum artium conamina copiosissime defendunt egisse, et conantur non accusando, sed laudando convincere. Legimus et magos Ægyptiorum istarum virtutum peritissimos, tamen a Moyse famulo Dei potenter utique superatos. Quia profecto illi et omnes sæculi sapientes, si aliquid egerunt, non nisi arte diabolica, nostri vero non nisi virtute Christi et in nomine Salvatoris. Quem et prophetantes et prædicantes, magnam ei gloriam dederunt, nihil de se præsumentes. Hunc autem non tanquam parem sibi, nec in eadem miraculorum potentia superiorem, sed plane Deum illum et omnium Dominum, hominem propter homines factum nuntiaverunt. Qui propterea et ipse talia voluit facere, ne absurda viderentur quæ per illum fecerant, nisi et ipse similia faceret. Verumtamen et aliquid proprium facere debuit, nasci de Virgine, resurgere a mortuis, in cœlum ascendere, sedere ad dexteram Patris super omnes choros angelorum, et dæmonia subjacere Deo. Hoc qui parum putat, quid amplius exspectet penitus ignoro. Arbitror enim quia in principio per ipsum omnia facta sunt, homine assumpto debuit alium mundum facere, ut eum crederemus fore, per quem factus est mundus? Sed nec major mundus, nec coæqualis in hoc mundo fieri posset. Quod si minorem faceret et infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur. Ergo, quia non oportuit, nova fecit in mundo. Potentius fortasse est, quod novissimis temporibus, quam quod in principio fecit. Unde mira hominum cæcitas. Fecit Filius Dei in carne minora vel æqualia, **460** quam et alii fecerunt, et contemnunt; fecit majora, et non credunt. Fecit quidem juxta eorum sententiam credibilia, et parum æstimant Deo. Fecit vero Deifica, sed nolunt credere, quia competunt Deo. Nesciunt igitur miseri quod Christus non venit rursus mundum facere; manet enim quod fecerat: sed venit quod perierat (humanum scilicet genus) salvare, propter quod hæc omnia olim crearat. Qua de causa fecit quæ ad salutem pertinere noscuntur, et fecit in exteriore homine visibilia virtutum signa, quatenus per hæc mens avida satis disceret quid interius requireret. Interius namque in anima, qua parte homo melior esse creditur, totus ceciderat; idcirco virtutes operantur salutis exterius, ut ad salutem homo ex beneficio provocetur interius, et diligat auctorem vitæ, ac credat, et quærat ab eo devotus medicinam salutis. Quod si quæritur adhuc,

Introdusă în format electronic de Google

quid Christus, quod nullus alius fecerit; pauca de pluribus libeat recensere. Complevit enim prophetarum omnium ex se vaticinia, quod nullus alter fecit. Natus est de Virgine, in cujus ortu sidus novum refulsit, et per viam magos ad eum devotos adduxit. Angelorum exercitus ad ejus cunas pastoribus audientibus canunt (*Luc.* II, 10) : *Gloria in excelsis Deo.* Et Gabriel fatetur : *Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator.* Porro talia et tanta de nullo alio a sæculo leguntur. Fecit quidem virtutes, quas et sui vates, ut veri Dei prophetæ probarentur, prius fecerunt; sed potestative et nullius invocatione alterius, tantæ ac tales sunt, ut a nullo aliquo unquam factæ legantur, ut prædictum erat. Et hinc est, quod multoties ait, curans omnem languorem et omnem infirmitatem eorum, qui sua quoque virtute dedit etiam testibus Evangelii potestatem similia faciendi, sed per fidem et invocationem nominis ejus, quod nemo alter fecit. Ea tamen solummodo de gestis ejus scribuntur quæ ad fidem sufficiant, et mystica nobis insinuent virtutum documenta. Quapropter prudens lector, velim ne fastidias, dum omnia divinis respondent muneribus. Quandoquidem si omnia quæ incarnatus gessit, Joanne teste, litteris mandarentur, nec totus ea capere sufficeret mundus (*Joan.* XXI, 25). Et non dico tantarum insignia rerum, verum nec ea quæ in suis postea operatus est membris. Unde et quam mirabilis jure prædicatur in sanctis suis, quibus non modo similia, sed etiam horum majora potestatem dedit faciendi. Quapropter ista quæ ob confirmationem fidei, et doctrinæ testimonium, **461** sermone decurso narrantur; magis mysticis ut proficiant dicuntur hinc inde sacramentis, quam ut gestorum operum exhibeant quantitatem. Quorum conclusio major est sine præfinitione numeri, quam numerositas signorum sine intelligentia sacramenti. Sunt enim ab exordio signorum in hoc Evangelio virtutes *ferme* decem aut eo amplius, ex quo cœpit Jesus signa facere, quia decem leguntur curati homines, mare vero et venti verbo imperii mitigati. Constat etenim decem plagis olim pro sui cordis duritia Ægyptum fuisse percussam, et ad extremum omnem eorum equitatum in mare demersum; quibus in modum plagis noster hic mundus jacebat attritus. Idcirco ut tunc ad curandum decem in monte præcepta dantur : ita nunc sursum discipuli amplius quam Moyses et perfectius in sublimioribus eruduntur. Deorsum vero decem curationes divinitus exhibentur, ut quo vexabantur numero plagarum, eodem relevarentur medicamine salutis. Hinc fortassis dicitur *curans omnem languorem*, quia in his exemplum dedit totius sanitatis, dum omnia dolorum genera curasse præmonstratur. Lepram scilicet immunditiarum, paralysin dissolutionis, febrem incendii, dæmonis vexationem, fluxum infidelitatis, mortis incursum, cæcitatem ignorantiæ, surditatemque et nodum linguæ loquendi. Quæ si diligenter inspicias, post octo doctrinæ beatitudines propterea totidem curationum genera sequuntur, ut sit sensus evidentior, quicunque has octo beatitudines animo compleverit, omnem sanitatem recepisse, omnem a se infirmitatem evacuasse. Quæ nimirum signa si duo in unum junguntur, surditas videlicet, et linguæ obligatio, septem connumerantur, sicuti et in oratione Dominica preces sub eodem numero constituuntur. Ac per hoc si animadvertas, omnia divinis concinunt sacramentis; ut et denarius numero respondeat in personis, octonarius autem in morborum generibus; quia dum simul duo paralytici junguntur, in eisdem una infirmitas curatur. Rursus cum duo dæmoniaci sanantur, unus hostis expellitur. Ubi dum septem, et octo, atque decem gradatim dignoscuntur, sacratus hinc inde redditur numerus, et mysteriorum virtus uberius aperitur. Porro quod mare tempestate permotum verbo serenatur, fit ut omnes cum Christo sanitati redditi, possint pertingere portum salutis. Unde prius, ut dixi, duo parantur discipuli, quorum unus pro culpæ suæ infidelitatis ejicitur, alter **462** vero Christi gratia liberatus ad vitam transponitur. Quo transposito, legiones dæmonum cum suibus quos tenebant, in mare demerguntur. Ut dum verus Israel ad patriam revehitur, equitatus Pharaonis mediis obvolvatur fluctibus. Et mira Dei dispensatio, ut totus homo curetur, agitur. Nam in muto, labia et gustus, in surdo vero aures purgantur, et aperitur auditus. In cæco namque tenebrarum caligo discutitur, et illustratur visus. Porro in leproso fetor narium rejicitur, et pulchritudo totius corporis inducitur, ut sit confessio in loquela, pulchritudo vero in reparatione decoris. Deinde febricitante socru tactus in manibus purgatur, redditur mitigato mare, ut cum Christo suffocatis hostibus, quantocius ad patriam revehatur. Talia quidem et hujuscemodi diligens perscrutator enucleatius perpende, et videbis quod nec conclusio sine sacramento, nec virtutes sine mysterio, nec doctrina sine narrationis intelligentia pedetentim, dum adhuc tenera in discipulorum cordibus fides enutritur, et continuatim describuntur. Sed quia concluditur ab initio prædicationis Christi periocha sacramenti, velim concludatur et liber explanationis, ut in principio ac si novæ narrationis articulo, animus reparatus, uberius ea quæ sequuntur, delectet, et delectando plenius apprehendat.

PRÆFATIO LIBRI SEXTI.

Expositio mea, dilectissimi, multorum eruditissimorum est doctorum, quos antiquior tulit ætas, et firmavit auctoritas veritatis. Sed proprio commendatam stylo novitas facit esse meam : ita ut tractatus

Introdusă în format electronic de Google

qui de omnibus colligitur, unus vere videatur et speciàliter esse meus. Quo communes plurium doctorum sensus fide et intellectu catholicorum, proprios esse feci. Non enim mysteria divinæ intelligentiæ, seu sententias Salvatoris Dei meis tantum explanare probavi ausibus: quod multi fecerunt, qui noluerunt sapere quæ sacra interius Scriptura divinitus inspirata sapit, sed eam in multis perverse suis applicuerunt erroribus. Et ideo tanto longe oberraverunt a vero, quanto minus palato cordis gustare potuerunt sapientiam interius divini verbi, quia magis humanis consenserunt conatibus, quam ut se et sensus suos divinis submitterent eloquiis. Hinc malui catholicorum Patrum sequi vestigia, quos cœlestis sapientiæ eruditio sale **463** condivit, atque, ut dixi, eorum doctrinam meam feci, ut vobis eruditissimis in lege divina, non aliud quam quod probatum erat afferrem. Etsi aliunde aliquid veritatis contraxi, non eorum fuit apud quos peregrinabatur ipsa veritas. Quinimo nostrum erat eum recognoscere et restituere, suis admodum ut floreret in locis. Sed quia sextum in Matthæo librum cudere paramus, plurimum ad perfectionem intellectus nostri valere credo, si homo sexto die sub perfecto numero de limo terræ formatus, et ad imaginem Dei creatus, reducatur ab exordio nativitatis Christi usque ad hunc locum per lineas et viam quæ Christus est: ut intelligat fidelis anima ascensiones in corde suo, de virtute ad virtutes quotidie proficiscens. Quia sic omnia Christi opera describuntur, ut nobis ipse per ea via esse monstretur. Quoniam ipse sic venit ad nos saliens super montes, transiliens colles, prospiciens per cancellos, ut nos semper ad altiora evocet. Idcirco prudens lector veniat primum in Ephrata, ubi longe diu audita est copula nuptiarum. Unde David gratulabundus non vult somnum dare oculis, neque requiem temporibus suis, donec inveniat locum Domino, qui ubique est illocalis, et tabernaculum Dei Jacob, quod sibi ipsi Christus in sole posuit. *Ecce audivimus eam*, inquit (*Psal.* CXXXI, 4), *in Ephrata*, id est in Bethleem, ubi natus est Christus. Ad cujus cunas multitudo angelorum canit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Quem pastores Verbum prædicant, et contuentur Verbum carne, quod in principio erat apud Deum, quod Dominus ostendit eis. Exeat primum de Babylone, id est de confusione, quo longe diu male jacuimus vulnerati, fidelis anima, et videat ubi debet ascendere et adorare cum Magis suaque deferre fidei munera. Quo enim alicubi exsul paradisi jacebat, nisi in confusione sua? Et ubi primum ascendere oportet, nisi ad domum panis? Quoniam ibi panis vivus ille descendit de cœlo. Ad quam qui pervenerit domum, jam ultra famem non patitur verbi, quia in eo vivit quicunque vivit, qui panis est vivus et verus, ac de cœlo descendit. Deinde quia in Ægyptum venditi eramus multis prægravati oneribus, suo defertur nutu, quasi patrocinaturus, ut nobiscum nostros mœrores et mœstitias se participasse insinuet, et sustinuisse multa pro nobis. Cum quo cœlestis anima multis afflicta tribulationibus et angustiis, reascendit **464** in Judæam per Dei gratiam, id est ad veram confessionem, ut confiteatur in omnibus misericordias Domini, et mirabilia operum Domini fidelis enarret. Postmodum nutritur cum eo in Nazareth, id est in flore boni operis, quatenus et ipsa cum Christo flos vocetur convallium, eo quod floruerit in palma, ut fructum ferat justitiæ. Sicque adulta possit ascendere juxta alium evangelistam (*Luc.* II, 42) ad templum Domini in Hierusalem, ubi semper moratur Jesus, quia in his eum oportet versari quæ Patris sunt. Verumtamen etsi ipse sit sapientia Dei Patris, interrogat tamen Scribas et sacerdotes de lege, de prophetis; non ut doceatur, sed ut exemplum præbeat de se, quid in hac ætate pueris sit agendum: ita ut mirarentur omnes de illo super prudentiam interrogantis, et responsis ejus. Nec absque mysterio est, quod duodenis fuisse legitur, quia in ea ætate omne genus humanum incipit sensu ac ratione vigere, et carne pubescere, ut totam se transferat anima ad cœlestia, et discat interrogare quæ divina sunt, contraque propulsantibus sibi in animo vitiis et interrogantibus intus in conscientia, ut possit prudenter respondere ad singula. Ne forte quia in eo tempore aperiuntur oculi, qui male aperti leguntur in paradiso, confundatur juventus erroribus. Quapropter debet ascendere ad templum, ibique interrogare quomodo possit proficere sicut ætate, ita gratia et sapientia, coram Deo et hominibus. Alioquin Jesus nihil gratia nihilque in sapientia sibi per ætates profecit, qui simul totus, etiam in utero virginis, gratia et sapientia Dei Patris fuit. Unde Joannes: *Et vidimus eum*, inquit, *quasi unigenitum a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Et ideo, pro nobis est, quod ipse proficere dicitur, quibus plenus venit; quatenus et nos exhortemur crescere virtutibus, ut quantum ætas augetur coram hominibus, tantum gratia et sapientia Dei quotidie intus crescat in moribus. Sed ne nos extollat juventus et virtus sapientiæ, quæ suos nonnunquam inflare solet, veniendum est ad descensum Jordanis. Siquidem Jordanis *descensio* interpretatur, per quam sane descensionem significatur humilitas. Ut humiliemus nosipsos in omnibus, quia non nostris meritis, sed gratia abluimur in baptismo ac salvamur. Deinde jam salvati ducimur cum Christo in desertum, ut discamus pugnare singuli contra invisibiles hostes, et contra vitia carnis, per abstinentiam et custodiam **465** nostræ mentis, si quo modo ad triumphum victoriæ pertingat anima nostra, depulso inimico. Omnes igitur isti processus animæ nostræ sunt ascensiones, ut sequamur Christum fide indefessa cum bonis operibus. Per quos nimirum gressus anima plurimum exercitata inveniat gratiam piæ institutionis, et pertingat ad culmen virtutis. Sed quia postquam Adam expulsus est de paradiso, humana conditio religata est in castellis vitiorum: propterea benignissimus Jesus omnia circuisse dicitur, et in

Introdusă în format electronic de Google

omnibus viarum anfractibus perambulasse. Verum qua ætate id Jesus cœperit considerandum censeo, ut discat prudens anima, nihil prius de se præsumere, quam erudiatur sub disciplina Christi; neque locum præoccupet regiminis, antequam discat quod docere debeat jam maturus. Hinc sancitum puto, nemo presbyterorum ante triginta annos ordinetur doctor et magister, circa quam ætatem cœpit benignissimus Jesus circuire castella et prædicare verbum vitæ. Exorsus est autem primum juxta fines Zabulon, id est, circa nocturna profluvia, hoc est juxta obscuriora prophetarum ænigmata. Ibi quidem sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Quos cum illustrare cœpisset Sol justitiæ, provehit eos ad sublimiora, ubi soli queunt ascendere discipuli, et docet mysteria cœlestis vitæ, quæ non nisi in cœlestibus animo capiuntur. Sed quia plebs invalida illuc eum sequi nequiverat, veniens deorsum curat languores animarum, et pertendit usque Capharnaum, quæ interpretatur *villa pulcherrima* : quatenus de tantis squaloribus, ad incolatum agri et pulchritudinem habitationis perveniant. Ex quo procedens, ut ad fines Gerasenorum pertingat, navem ascendit, et docet suo exemplo fluctus hujus vitæ et procellas non timere. Habet namque Christus navem intelligibilem quam regit, et in ea pias provehit mercedes ad patriam. In cujus nimirum puppi, tanquam bonus gubernator, tranquillo requiescit somno. Cujus itaque excitatur motu, increpat ventos, quatenus suis tranquillitatem refundat. Transiens quoque ad gentes liberat animas, quæ multis vexabantur dæmonibus, et concludit, ut dixi, periocha salutis, quod curaverit et docuerit omnes. Vere misera et infelix nimium dici potest anima, quæ in tot provectibus nullam recipit sanitatem. Sed tamen nec desperet, quoniam adhuc pius pastor, quasi in alio narrationis **466** exordio, visitare dignatus est gregem ovium suarum, ut omnes ad medicinam salutis indefessus perducat. Hæc ideo interdum dixerim, quatenus ex his potius animus potiora comprehendat, et discat in Evangelio nihil aliud hinc inde renitescere, quam vitam. Siquidem Christus nobis a Deo via factus est, et veritas ac vita. Propterea in his quæ gessit semper via necesse est requiratur, teneatur veritas, et fruatur vita.

LIBER SEXTUS.

Videns autem Jesus turbas, misertus est eis qui erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. In hoc sane capitulo completur illud Ezechielis, ubi dicit ex persona Domini : *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum* (*Ezech.* XXXIV, 11, 12). Vexabantur autem variis languoribus vitiorum, et jacebant prostrati sub pedibus inimicorum; quia ex perfidia prius pium amiserant pastorem, et multis dæmonum laniamentis cruciabantur dispersi. Propterea ergo circuit Dominus omnes civitates, docens et sanans, ut omnes inveniat, et jacentes erigat, qui nequiverant stare. Vidit autem turbas, non in uno quolibet loco, sed dum circuit vicos et castella, ubi disperserat eos ventus infidelitatis, propter quod circuisse legitur. Erraverat enim omne genus humanum sicut ovis quæ perierat : idcirco requirens eam, invenit vexatos et jacentes sicut oves sine pastore, quia oberrantes verum amiserant Salvatorem. Vexatas quidem a dæmonibus eas et jacentes invenit, dum premebantur variis vitiorum languoribus, nullum habentes procuratorem; sed omnes luporum morsibus laniatæ, jacebant in strato magnæ infirmitatis. Alioquin eas nisi prius requireret, et misertus vidisset, hactenus in suis totus grex jaceret languoribus. Nunc vero sanata infirmitate fortiter fert lectum infirmitatis, refecti omnes virentibus herbis, ut ad fontem satietatis quandoque pertingant. Tunc ait :

Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut ejiciat **467** *operarios in messem suam.* Mira figurarum satis et ornata varietas. Quos oves prius sine pastore signat, eosdem messem sine operariis appellat. Oves quidem, licet a pascuis paradisi recessissent, multis ex causis vocat : messem vero, propter naturam seminis; quia ex uno omnes, ac si annuis temporibus, satis de terra crevimus. In qua nimirum messe operarii pauci erant, qui eam excolendo ad horreum paradisi, unde semen exierat propter peccatum, per gratiam referrent. Etenim alii in hoc agro laboravèrant, quamvis apostoli in labores eorum introissent, tamen adhuc pauci erant, ideirco jubentur Dominum messis rogare, ut mittat operarios in messem suam. Et notandum, quia messis licet spinas ac tribulis suffocata sit, non alterius est, quia ipse utique fecit nos, et non ipsi nos; ut quidam physicorum volunt, naturam introducentes effectricem humani generis. Seipsum itaque Dominum ac Creatorem insinuat, qui debeat prædicatores mittere in messem suam. Alioquin quomodo prædicabitur, nisi mittantur? Prædicatores ergo fore nequeunt, nisi ab eo dirigantur ut proficiant. Idcirco rogandus est Dominus messis, cui cura est de omnibus, ut mittat cultores ad excolendum. Quia profecto languor ovium, et sterilitas frugum, spinarumque et tribulorum suffocatio, agricolarum pastorumque fit indigentia. Fortassis ergo hæc ideo istos duodecim monuit, ne invidia moverentur, imo rogarent, velut optimi agricultores, socios, quorum suffragiis eorum paucitas fulciretur. Eligendo namque septuaginta et duos discipulos providus magister, præmittit potius pro his ut rogent, quam ut invideant. Ergo dum circuit

Introdusă în format electronic de Google

omnia castella et vicos, vidit turbas non tantum carnis infirmitate jacentes, quam morum improbitate atque infidelitate mentis; quia vexabantur variis dæmonum ludibriis, idcirco misertus ait:

Messis quidem multa, operarii autem pauci. Ad hoc quippe hos duodecim jam supra vocarat; ad hoc seorsum in monte plenius erudierat; ad hoc coram eis virtutes fecerat. Sed quia necdum eos ad prædicandum miserat, rogari se vult, ut discant ab eo quærere, sine quo nihil queunt proficere. Doni est namque eorum copiosissimus fructus, quod quamvis sumatur a cunctis, tamen semper exuberat; propterea rogari jubet, quod gratis cupit impendere. Præstatur enim Spiritus sancti gratia pulsantibus **468** et petentibus, ut cooperatores sint gratiæ Dei. Alioquin in vacuum sine Spiritus sancti copia passim messores laborant, dum jure prædicare nisi mittantur, nequeunt. Unde virtus verborum ubique non minus consideranda quam rerum; quia par in dictis et factis gestorum significatio declaratur. Nam per eos quibus misertus legitur, omne genus humanum designat; quia nimirum vexati erant omnes variis nequitiarum præstigiis. Alii quidem philosophicis artibus pellecti et magicis; alii Scribarum et Pharisæorum pravis traditionum suarum doctrinis imbuti; alii deceptione dæmonum idololatriis occupati; alii peccati oneribus pressi, et sæcularibus curis intenti, non habentes potestatem resurgendi. Perierat enim lex naturæ, patriarchæ defuncti erant, propheta nullus, et totus, ut ita dicam, orbis incultus jacebat, et jam ipsi Judæi, in quibus olim patres vitæ semina sparserant. Ad cujus utique comparationem multitudinis, operarii, videlicet apostoli, pauci erant, nec ipsi gratia Spiritus eatenus illustrati, ut sufficerent. In cujus plane rei figuram, ex consilio soceri Moysen ad erudiendum populum unius gentis plures constituisse gradus legimus (*Exod.* XVIII): quanto magis in hac multitudine humani generis rogandum, ut mittantur a Christo plures operarii, quorum doctrinis messis et vinea, in qua pater agricola est, ulterius exculta copiosius exuberet, et amplius fructificet?

(Cap. X.) *Itaque, convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Quo sane loco in neutro evangelistarum satis apparet, an per recordationem, an juxta historiæ veritatem, ordo narrandi successerit. Unde singuli eorum, Marcus scilicet atque Lucas, et sequentem sermonem quolibet in loco habitum insinuant, et tamen nemo illorum uspiam a tramite veritatis deviat, dum et missos eos a Domino, et vocatos fuisse patet. Nam Lucas eos in monte simul vocatos et nominatos dicit; alibi autem, missos. Dehinc tertio loco septuaginta duorum discipulorum ad prædicandum narrat directionem. Quod et hic sane tantumdem quovis factum comprehendit. Et notandum quod in hujus gratiæ distributione nec Judas excipitur, sed ut in ordine ita in dono connumeratur. Clemens igitur magister, qui suis non invidet virtutes et dona largiri. Sed **469** longe aliud est, habere essentialiter, aliud dare indulgenter, aliud vero accipere misericorditer. Quod illi scientes semper suam confitebantur infirmitatem, dicentes: In nomine Jesu Christi surge, vel aliud quod ex imperio congrueret sanitatis. Qua de causa, etsi discipuli curant omnem infirmitatem, et sanant omnem languorem, Christus est qui agit, cujus potestas in discipulis operabatur. Mirabilis quidem ordo, prius docuit ut scirent quid sectandum, et instituit monita salutis, deinde miraculis firmavit fidem eorum, et doctrinam solidavit. At vero cum mittit ad prædicandum, dedit et illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem eorum. Sapientiæ quidem doctrina eis primum præstatur ex sermone, media ex operibus divinitatis fides; deinde potestas fidei per gratiam terminatur: ut nec doctrina sit sine potestate signorum, nec potestas sine doctrina sapientiæ, neque potestas signorum, aut sapientia, sine fide: sed pendeat uterque terminus ex fide Jesu Christi, quatenus et doctrina eam recte sapiat; et potestas non aliunde quam ex fide possit. Quam sane alternationis speciem musici admirantes laudant, ut medietas symphoniæ duarum partium utrisque suorum æque respondeat terminis, et ipsi tandem medietatem efficiant. Efficitur autem fides testimonium habens a lege vel prophetis, et virtute signorum media concluditur. Idcirco primum docuit, ut erudirentur a lege, et addidit quidquid legi deerat, deinde Deitatis opere quod Deus esset fidem instituit, quam rursus suis potestatem impertiens signorum, validissime firmavit. Primum itaque docuit ex fide vivere, sicut scriptum est, *Justus autem meus ex fide vivit* (*Hebr.* x, 38). Tum demum fide percepta Deitatis opere largitus est etiam, ut si fidem haberent velut granum sinapis, possent verbo montes de loco transferre; quatenus et ipsi potentes in omni opere ac sermone fidem omnibus de Christo astruerent veritatis. Et notandum, quod primum spirituum immundorum potestas tribuitur, ut sciamus quod morborum genera eisdem corporibus infliguntur: quibus demum expulsis, tribuit sanandi facultatem si quid ab eis est ingestum. Alioquin nisi auctor tormenti prius pelleretur, virus languoris atque infirmitatis maneret. Et ideo recte spirituum immundorum potestas antea largitur, et tunc ab eis quidquid **470** inflictum est, curandi virtus. Mira quidem omnipotentis dispensatio. Quia etsi nulla est potestas nisi a Deo, tamen alia est quam ipse permittit interdum aliquid ut possit, quæ semper pietatis obsistit bono, quamvis justa jure credatur; alia quæ voluntati ejus semper obedit, quam suis Dominus clementer indulsit. Sed illa licet extollat se super omne quod dicitur Deus, et ita efficax sit, ut nulla humana virtus adversus eam possit, præstatur tamen hominibus non modo ut resistant, verum eis ut dominentur et potestatem adversus

Introdusă în format electronic de Google

omne, quod contra Dominum est, gerant. Audiant igitur Manichæi, qui Dominum contra Deum tenebrarum dimicasse autumant, et corpora de regno tenebrarum esse contendunt, quomodo condignum putant, qui tam paucis et exiguis supra omne quod adversus Dominum conatur, potestatem tribuit ut pellant a corporibus, bellum adversus eos gessisse. Vel quomodo corpora de regno tenebrarum jure credantur, cum et Salvator ab eis evacuare venerit omnem fraudem inimici, et sanare omnem labem corruptionis. Patet igitur quod nulla est virtus aut potestas nisi a Deo, et ipse Deus sit, qui tanta suis præstitit ut possint : dedit enim eis potestatem calcandi supra omnem virtutem inimici ; sed et corpora non ab alio quam ab ipso condita, ut quod saucia- B verat hostis, jure sanetur ab opifice ; propterea curandi omnem languorem et omnem infirmitatem verbo dedit suis et gratiam indulsit. Verumtamen quæritur, quid sit inter omnem languorem, et omnem infirmitatem, etiam ab his qui nihil putant vacuum in divinis litteris a mysterio aut superfluum in relatu. Unde liceat existimare quod languor ad infidelitatem animæ pertinuerit, infirmitas vero ad vexationem carnis. Quæ nimirum duo morborum genera de obsessione dæmonum venire manifestum est. Et ideo prius illi pellendi erant, deinde per fidem anima purganda, tum sanitas carnis consequenda. Quapropter et fides quam sæpe requiritur in miraculis, et plenius confirmatur ex beneficiis, si quo modo totus homo salvetur, et nulla desit apostolis gratia salutis. Siquidem languorem quidam ad diuturnam vexationem carnis interpretantur, infirmitatem vero ad ingruentem subito corruptionem. Porro alii afflictionem hostis ad infirmitates æstimant pertinere, languores vero ad intemperantiam carnis. Si quid horum verius sit, patet sensus dum dicit **471** omnem languorem et omnem infirmitatem ; nullam ergo excipit hominis malitiam, qua possit exterius interiusve corrumpi ; nullam quam non dederit apostolis gratiam contra omnem adversitatem sanitatis, ut in nullo potestas eorum videretur infirma. Nam omnis corruptio a maligno est ; et ideo perfecta potestas eis tribuitur, ut habeant largiendi ex domino quod in ipso est : ipse autem potestas, salus et bonitas est, et fons totius incorruptionis. Idcirco præstitit suis ex gratia, quod D ipse est per naturam, tantum ut auditores eorum doctrinam, quam exhibuit, et fidem recipiant, quam signis et virtutibus commendavit. Sequitur :

Duodecim apostolorum nomina sunt hæc. Ex quo quippe præfigitur titulus, quia venturi erant pseudo-apostoli, ne ullus alius recipiatur ; et ideo mox connumerantur. In istis namque consecratus ordo, et duodenarius est numerus. Propterea satis provide post doctrinam Salvatoris, et prodigia signorum, illico dum potestas eis tribuitur prætitulantur, ne aliquis aliud extra doctrinam istorum afferens (licet ullis aliquid videatur artibus) forte in apostolatu, vel doctrina salutis reciperetur. Porro hi duodecim A fundamenta civitatis Dei, quæ in Apocalypsi præmonstratur, totidemque portæ et anguli quia solidantur, oportuit eos connumerari, et suis signatis præfiniri nominibus. Unde etsi alii dicuntur apostoli, tamen in istis præfixa est et completa figurarum varietas, super quos mare collocatur æneum ; et ipsi ac si duodecim boves ternario consecrati numero, ad singulas mundi plagas respicientes, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, baptismum, quod est mare æneum, signanter ferunt. Porro quod et mystice tantum duodecim eliguntur, qui profecto numerus dum ter quatuor, vel quater tres supputantur, alternatim conficitur, ita ut nec tres sine quatuor, neque quatuor sine tribus suis respondeant partibus ; eo quod solummodo istis quatuor specialius credita sint Christi Evangelia in nomine Trinitatis, quæ debeant ex officio ad quatuor mundi plagas jure deferre, et Trinitatem in iisdem partibus nuntiare. Hinc quoque duodecim tribus filiorum Israel ascendentes ex Ægypto (*Num.* II) similiter castra metantur ; tres videlicet ad orientem, et tres ad meridiem, tres vero ad aquilonem, et tres ad occasum, apostolorum præfigurantes formam, de quibus scriptum est : *In omnem terram exivit sonus* **472** *eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 4). Verus quippe Jacob duodecim genuit filios, quos benedictionibus collium æternorum spiritaliter benedixit. Hi duodecim fontes in Elim ubertatem vitæ fluunt, circa quos septuaginta duæ palmæ crevisse leguntur (*Exod.* XV, 27), videlicet septua- C ginta duo qui ad prædicandum mittuntur discipuli, quos profecto apostolorum fons salubriter enutrivit. Sed et leones duodecim thronum ferentes Salomonis (*III Reg.* X, 20), dum quadrato numero, tres simul ad singulas mundi junguntur plagas, istorum prænonstrant fortitudinem, quibus verus Salomon Christus præsidere in throno Ecclesiæ suæ jure creditur, quia super eos solum majestatis ejus fide fundatur, et civitas, de qua dictum est, solidatur : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1), quæ nimirum fundamenta mox portæ dicuntur, quas Dominus diligit supra omnia tabernacula Jacob. Si quis ergo per eas, per eorum scilicet fidem atque doctrinam, Christi Ecclesiam non introierit, ostium nusquam et nunquam reperiet qui ait : *Ego sum ostium, per me si quis intraverit, salvabitur* (*Joan.* X, 9). Multa sunt igitur figurarum exempla, quibus apostolorum numerus præsignatur, principatus quoque, eorum ordo et sublimitas declaratur. Unde multis Scripturarum indiciis divinarum, creberrime officiorum et personarum præconium sub eodem retexitur numero, quatenus mystice istorum et numerus et merita commendentur. Habet enim verus Salomon tantummodo super omnem Israel hos duodecim duces prælatos, quibus dictum est a Domino : *Sedebitis vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 18). Siquidem isti sunt duodecim lapides altaris, et duodecim panes propositionis coram Domino (*Levit.* IV, 5). Isti de medio

Introdusă în format electronic de Google

tolluntur alvei Jordanis et referuntur (*Jos.* IV), quorum nomina mox in fronte juxta Apocalypsin portæ civitatis conscribuntur (*Apoc.* XII, 1); qui et ipsi, ut diximus, portæ dicuntur, eo quod per eos tantummodo cunctis pateat introitus. Pluribus igitur talibus et hujusmodi figuris, creberrime eorum in divinis litteris præscriptus est numerus et assignatus, ut et illorum, ut fassus sum, dignitas ex hoc claresceret, et quod totidem, nec amplius vel minus recipiendi essent. Quia etsi sint alii adhuc apostoli, ut Paulus et Barnabas, ac cæteri quibus credita sunt apostolatus sui jura divina, tamen in istis consecratus est mysticus sacramenti numerus, et fundata in eodem Christi Ecclesia, quatenus ad eos **473** etiam et Paulus ac cæteri colligantur, et omnes in eorum numero, supra duodecim sedes judicantes resideant: ut sicut non excedit duodecim tribuum de Ægypto transiliens numerus, sed et gentes etiam in eodem inseruntur; ita nec ordo vel numerus prædicantium, sed omnes ex eisdem propagati eorum sociantur cœtui per fidem Christi, et coniuntur numero. Oportuit quidem ut eorum evidens mysteriorum dignitas multis ac creberrimis Scripturarum commendaretur præconiis; et ideo, prudens lector, attende, quia quanto diligentius ea discusseris, tanto profundiora de lege Dei mirabilia considerabis.

Primus, inquit, *Simon Petrus, et Andreas frater ejus*. Jam catalogum eorum adoritur divina dispensatio, qui novit merita singulorum. Sed quærendum de Simone Petro, quia dicitur primus, utrum ad ordinem et numerum pertineat, an ad meritum? Haud dubium quin ad utrumque referri possit, quia sicut hic primus ordinatur in catalogo, ita et in aliis quibuslibet locis; dum et specialiter solus, et generaliter cum cæteris ubique præfertur. Solus quidem cum dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18); et illud: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXIX, 32). Jure igitur in meritis primus æstimatur, per quem, et in quo ad alios dona transmittuntur. Accipiunt autem reliqui in eo omnes claves regni cœlorum, cum ei a Domino specialius committuntur; et fundatur Christi Ecclesia super eos: unde et fundamenta per prophetam dicuntur, cum et ipsi in petra, quæ Christus est, solidantur. Tamen quod huic præstatur quasi soli, omnibus in eo largitur. Et ideo in Petro prior vivit potestas, præcellit auctoritas. Simon autem Petrus ad distinctionem alterius Simonis qui Chananæus dictus est, appellatur, ut in nullo nos error de his involvat; sed præscriptus et præordinatus ordo servetur, ne aut alter pro alio, aut alius extra hos unquam recipiatur, aut de his ullus, ac si non ascriptus, repudietur. Ordo autem eorum, ut aiunt, tribus de causis ita distinguitur: Quippe aut vocationis gratia, aut perfectione meritorum, et ideo Petrus forte in exordio, Judas vero Iscariotes in fine ponitur, cui elogium denotationis iure semper ascribitur, ut et culpa pateat ex hoc, et distinctionem habeat ab alio apostolorum, qui et Judas nominatur. In quo sane sciendum, quod solus scrutator **474** cordium, qui merita novit singulorum, eos ita distinxit et præordinavit, ut et sacramenta redoleant de relatu, et divina in eisdem venerentur ex affectu. Tertiam vero fatentur causam, quasi ex cognatione carnis, quod non satis approbo; licet Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, simul fratres jungantur, qui nimirum bini propterea ponuntur, quia sic ad prædicandum mittendi erant, ut charitas in eis gemina, Dei videlicet ac proximi, quam prædicaturi erant, patesceret, et germanitas eorum in spiritu solidior firmaretur. Unde et fraternitas Petri et Andreæ pene ubique a principio designatur. Constat igitur charitatem non minus quam inter duos haberi posse; idcirco satis dispensative duo simul, reor, jungūntur, quatenus et ipsi prius eadem fibula charitatis annectantur, et cæteros jugo dilectionis in hac Domini agricultura binos ac binos consocient. Si quo modo omnis structura domus compacta et consociata crescat in Domino. Habet enim Dei agricultura necesse, ut sub uno jugo fidei bini charitatis loro astringantur, ne possit dissociari germanitas et lascivire. Quia profecto nemo manum mittens ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno cœlorum (*Luc.* IX, 62). Et ideo quam bene bini ac bini consociantur, ut eorum conjugatio in senarium surgat. Constat enim eodem dierum calculo universa, et in sexto hominem, quia perfectus est numerus, procreatum. Sed quia omnem agriculturam sæculi spinæ peccatorum et fruticeta infidelitatis pervaserant, justum fuit totidem juga boum aratrum sancti Evangelii ad scindendas cordium glebas, perfecto traherent numero, et semina verbi superspargerent; quatenus charitatis jugo simul asciti, perfectionem senarii exhiberent, et singuli connumerati supra duodecim tribuum sedes ad judicandum gloriosius niterent. Quorum primus binomius Simon *obediens* interpretatur, Petrus vero *agnoscens*; quia omnis perfectio Christianæ religionis ex obedientia, sicut apostasia prioris Adam ab inobedientia incipit; et non ex ignorantia dum libet, sed ex agnitione veritatis. Propterea jure, ut dixi, Petrus agnoscens de Græco in nostra sonare dicitur. Quod tamen nomen non minus et in Latino a petra, quæ Christus est, derivatum, firmitatem fidei ejus designat. Hinc inde, ut obedientia quæ certatrix usque ad mortem est, non modo agnitionem veri, sed et fortitudinem fidei habeat. Unde **475** et scharioth, quod in catalogo ultimum affigitur, *memoriale Domini* vel *memoria mortis ejus* recte interpretatur, quia vera apostolorum obedientia in memoriam mortis Christi debet per martyrium dilatari, et imitatrix passionis ejus usque ad mortem fieri. Interpretatur tamen Simon etiam, *pone mœrorem*, satis provide ob dispensationem negationis suæ, de qua satis mœrens ac dolens amariter flevit; quem nimirum mœrorem tunc deposuit, cum repletus jam Spiritu sancto mustum jucunditatis eructavit, sed et mœrorem quem de Christi passione contraxe-

Introdusă în format electronic de Google

rat, dereliquit, cum Christum resurrexisse visu corporeo conspexit. Jungitur autem ei Andreas frater ejus in cognominatione juxta tropologiam, ut virtus præfata fortitudine fulciatur. Siquidem Andreas *virilis* de Græco interpretatur, ut sit sensus, quod nec obedientia sine virilitate mentis, neque virilitas sine agnitione veri et obedientia coram Domino expletur. Præmonstrant autem ejus tyrocinia credendi, quam virilis iste præfuerit et decorus, quod simul ex Græco Hebræoque sonare videtur sermone; qui mox, Joanne insinuante *Ecce Agnus Dei*, non solum videre, sed sequi Christum maluit, ad quem et fratrem suum perducere curavit; qui simul relictis omnibus ad unius jussionis vocem, auctorem vitæ sequuntur (*Joan.* I, 29, 40, 41). Sed et finis virilitatem ipsius patenter insinuat, quam strennus ad crucem venerit, quamque viriliter perduraverit, et quam decorus in omnibus refulserit. Unde potius ex præsagio nomina apostolorum, quam fortuito indita probantur. Propter quod et alia eis superponuntur, ut Petro, quod in utraque lingua a *petra*, quæ Christus est, derivatur, et *Boanerges*, quatenus filii veri tonitrui intelligantur. Idcirco et Simon etiam *audiens tristitiam* interpretatur, eo quod audierit a Domino: *Cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo non vis* (*Joan.* XXI, 18). Non enim est æstimandum aliter, sed intelligendum quod hæc omnia hinc inde mysteriis sint plena, ut divina in singulis respondeat sapientia. Sequitur:

Jacobus Zebedæi et Joannes frater ejus. Filius autem Zebedæi ad distinctionem alterius Jacobi dicitur; ut in nullo catalogus eorum confundatur, et interpretatur *supplantator*, quia non modo carnis vitia supplantare, Domino vocante, verum etiam ipsam carnem Herode feriente, pro Christo contemnere prius *omnium* apostolorum gavisus est. Joannes vero **476** Christi respersus gratia præfulsit virginitatis suæ gloria, et solus in cœna supra pectus Salvatoris recubuit, ut totus gratia Dei possessus patenter annueret nomen ex præsagio traxisse. Unde etiam prisca meritorum gestant cum recordatione patris nomina, quatenus evidenter insinuetur cujus ante fuerint meriti, vel cujus demum gratia sint salvati. Interpretatur itaque Zebedæus *fugitivus*, illius habens figuram, qui semper ab initio fugit a facie Salvatoris, licet ubi vel ubi ejus indesinenter comprehendatur potentia. De quo Propheta patrem monet: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* XLVI, 11). Quo relicto, continuo a Domino *Boanerges* vocantur, id est, filii tonitrui, saltem quia vocem patris seorsum supra Christum terribiliter intonantem audierant: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5), vel quia alter eorum quasi de cœlestibus intonans vocem illam theoricam, quam nemo prius attigerat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1), effulsit: qui si altius evolaret, puto nec totus posset capere mundus. Alter vero mox Christum quasi tuba prædicans, ante alios imitator passionis, palmam adeptus est martyrii; qui simul sæpe seorsum ducuntur a Domino in monte, et nescio cujus gratiæ privilegio una cum Petro præ cæteris honorantur.

Philippus et Bartholomæus. Philippus autem *os lampadis* interpretatur. Et recte quia, prædicante Joanne, velut lampas succensa prior in agnitionem veritatis effulsit, et alium discipulum cœlesti lumine illustravit. *Quem scripsit*, inquit, *Moyses in lege et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth* (*Joan.* I, 45). Ecce quare os lampadis hic futurorum præsagio jure interpretetur, qui veluti fax in caliginoso, ab ore veritatis de lege ac prophetis edocuit. Bartholomæus vero licet Syrum sit, et non Hebræum, interpretatur tamen *filius suspendit aquas*, id est fluenta doctrinarum in nubibus, quæ pluunt super unam quarumlibet civitatum, et super aliam non pluunt, propter distributionem divini arbitrii. Porro sancti jure nubes dicuntur, qui dum ad altiora volant, Christus in eis vitæ suspendit aquas, quibus visitata terra inebriatur, et locupletatur cœlestibus disciplinis. Inter quos sane iste Filius ejus qui hæc agit in singulis pro ubertate gratiæ, jure nominatur; ut per eum etiam largitas Patris ad alios transmittatur. Sequitur:

477 *Thomas et Matthæus publicanus.* Nam cæteri Evangelistæ in catalogo apostolorum, primum Matthæum ponunt, deinde Thomam; et hoc ipsum sine additamento publicani, ne utique prioris vitæ recordantes suggillare videantur apostolum, quem Christus tanta suæ pietatis gratia illustrare dignatus est; ipse autem semetipsum et post Thomam ponit, et publicanum, utique humilitatis gratia, se nominat; quatenus liqueat cunctis, quod ubi abundavit prius peccatum, superabundaret gratia. Enimvero ex hoc etiam docet, nos priora coram oculis peccata semper opponere debere, nostrasque injustitias percepta indulgentia non abscondere, ut et alii consolentur spe veniæ post reatum, et humilitas conservetur in corde pœnitudinis obtentu. Thomas quidem interpretatur *abyssus*. Utique abyssus super quam ferebatur olim Spiritus sanctus (*Gen.* I, 2); ut de infirmitate cordis sui, quandoque ipso desuper illustrante ad formam procederet rectæ fidei. Alioquin post tot præconia, post miracula, post mortuos excitatos ad vitam, cæteris Dominum se vidisse nuntiantibus quomodo non credidit, nisi quia mens ejus abyssus erat informis, super quam ferebatur Spiritus sanctus, ut confoveret et enutriret eam ad fidem? Hinc sane est, quod attrectatis diligenter vulneribus, mox exclamavit, dicens: *Deus meus, Dominus meus* (*Joan.* XX, 28). Alias autem nunquam nisi eodem Spiritu recreante, de tanta dubietate formaretur ad lucem, ut veram deprehenderet in una eademque persona divinitatem. Siquidem hominis carnem palpat, sed Deum et Dominum exclamat. Propterea igitur Thomas jure *abyssus* interpretatur, qui de tanta deformitate sua pervenit ad tantam profunditatem mysterii. Nam idem in Græco Didymus appellatur, quod interpretatur *similis* seu *geminus*, eo

Introdusă în format electronic de Google

quod, ut aiunt, vultu similis fuerit Salvatori, sicut assolent duo gemini alternis vultibus unam habitus exprimere facieique figuram. Porro Matthæus *donatus* dicitur, et quam bene; quia de teloneo donatus est nobis Spiritus sancti gratia apostolus et evangelista. Omne igitur donum ex dono donantis donum esse creditur. Propterea et Spiritus sanctus in sacris litteris, quia Patris et Filii est munus, quam sæpe donum vocatur. A quo et iste jure donatus dicitur, eo quod illo dono repletur, mox sine ullius meriti prævent[illegible]one in melius de teloneo commutatus.

478 *Jacobus Alphæi et Thaddæus.* Jacobum autem Alphæi pari modo ad distinctionem alterius Jacobi nominavit; fortassis eo quod pater ipsius, sicut et ille illius fuerit. Qui profecto Jacobus in Evangeliis frater scribitur Domini, etsi ambo a patre cognominantur; quia Maria uxor istius Alphæi soror Mariæ matris Domini fuisse probatur, quam Joannes in suo Evangelio Mariam Cleophæ cognominasse legitur, forte a patre, sive ab aliquo familiæ suæ trahens nomen; aut certe quod defuncto Alphæo Cleophæ alteri viro illa nupserit; seu alia qualibet ex causa cognomen gerens impositum. Qui profecto Alphæus ex Hebræo sermone *millesimus*, sive *doctus* interpretatur, ut sit docti filius vel perfecti, qui prior Hierosolymis ab apostolis episcopus debeat ordinari. Et notandum quod sicut duo Simones, ita et duo Jacobi, et duo Judæ, cum suis connumerantur cognomentis. Quia sicut perfecta obedientia corde constat et opere: ita supplantatio vitiorum non minus esse debet in anima quam in carne, et cordis credulitas non minus ad justitiam, quam oris confessio ad salutem. Hinc quoque Propheta canit: *Confitebitur tibi, Deus, confitebitur* (*Psal.* LXXIV, 1), ac si patenter dicat: Corde et ore tibi confitebitur, ne unum forte sine altero a te, qui scrutator es cordium, condemnetur. Geminantur autem sex isti, ut senarii perfectio ex duodenario solidetur, et gemina hominis substantia ex tribus istis virtutibus Trinitatem colens cuniatur incipiens ab obedientia, vitiorum demum supplantans hinc inde molimina, et perveniens a confessione cordis usque ad confessionem oris, etiam (si contigerit) per martyrii passionem in salutem. Hæc ideo dixerim, ne prudens lector aliquid in his putet vacare a mysterio. Cæterum Thaddæus ipse est, quem Lucas in Evangelio et in Actibus apostolorum nominat Judam Jacobi; et alibi Lebbæus cognomentum habet a corde, quod nos quasi diminutive corculum possumus appellare. Forte ob dispensationem prius duobus istis usus est nominibus, quasi aliquid facetiarum gerens, quia gratius sonare videtur corculum diminutive maternum inter crepundias nati exprimens affectum, quam si cor diceretur teneritudinem sonans amoris. Ipse namque est, quem ecclesiastica tradit Historia missum a Salvatore ad Edessam civitatem ad Abagarum regem. Erat enim frater Jacobi **479** fratris Domini, sicut ipse in sua scribit Epistola. Hinc quoque et ipse frater dicitur Salvatoris, attestantibus ejus civibus, qui stupentes de miraculis aiebant: *Nonne iste est fabri filius et Mariæ, frater Jacobi et Joseph ac Judæ et Simonis?* (*Matth.* XVII, 55.) Non quod ex matre, ut Helvidius delirat, fratres fuerint Salvatoris, sed ex consanguinitate generis, uti mos est Scripturarum fratres appellari.

Simon Chananæus, et Judas Schariotis, qui et tradidit Dominum. Hos igitur et cum additamento cognominis posuit, ad distinctionem Simonis Petri, et Judæ Jacobi. Hic quia fuit de vico Chana Galilææ, in quo Dominus aquas convertit in vinum; quem Lucas sermone Zeloten in suo nominat Evangelio, quia Chana *zelus* interpretatur, unde et Chananæus jure interpretationis ab eo *Zelotes* est dictus, ob nimium fervorem charitatis; quem zelus domus Christi inflammaverat, et ideo martyrio consummatus est. Judas vero Scharioth, vel a vico in quo ortus est, vel a tribu Issachar vocabulum sumpsit quodam futuri præsagio in condemnationem sui; Issachar quidem *merces* interpretatur, quia mercedem proditionis est sectatus, de qua propheta in persona Domini: *Appenderunt*, inquit, *mercedem meam triginta argenteos, pretium quo appreciatus sum ab eis* (*Zach.* XI, 12). Porro Schariotis *memoria mortis* sonat, ut sit inexcusabilis, quod non casu, sed ex meditatione mortis Dominum prodiderit, cujus memoriam in animo diu, quo modo, vel quando illum proderet, gestavit. Dicitur autem et memoria mortis, quia quoties eum recolimus, Domini passionem continuo memoramus, ut obedientia quæ cœpit a Simone in animo usque ad alium Simonem consumeretur in carne · quatenus hinc inde in confessionem perdurantes memoriam mortis Christi semper habeamus, donec, si contigerit, etiam et ipsi propter illum martyrio explicemur. Non igitur æstimandum, quod sine providentia Dei electus sit inter apostolos, cui et interpretatio nominis respondit, et ultimus quasi extra hos jam repudiandus eligitur. Maluit enim Christus inter imperitos judicium suum de illo periclitari, quam effectum. Præsertim cum et simili modo in Ecclesia nunc eligantur, alii quidem ut probentur, et probati perveniant ad coronam; alii vero ut probent alios in quibus operatur diabolus, quasi in filios diffidentiæ, qui et falsi fratres ab apostolo nominantur. Siquidem **480** illi ut salventur, isti vero ut per eos boni exerceantur; omnes tamen ex præscientia Dei et providentia diversas ob causas eliguntur; non quod præscribantur ne aliter possint esse quam mali, sed præsciuntur quales jam cum necdum sint, utrique futuri sint, isti per gratiam, illi vero justo Dei judicio in massa perditionis derelicti, eo quod nec prædestinati sint ad vitam. Omnes tamen, ut dixi, et sciuntur et præsciuntur. In nullo igitur scientia Dei fallitur, in nullo judicium ejus a vero et justo deviat, et hæc est altitudo divitiarum ejus, unde Apostolus exclamat: *Quam incomprehensibiles sunt viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33.) Propter quod quisque fidelis quoties desereris a socio, quoties injuriatus fueris, etiam traditus patienter fe-

Introdusă în format electronic de Google

ras; quia sicut hæc omnia de isto prædicta fuerant, ita et de pravis et falsis fratribus, quod mistim futuri sint, pene omnis pagina testatur. Unde profecto et Dominus ideo voluit tradi a discipulo, voluit et deseri, quatenus tu non frangaris cum videris tuum deperisse judicium, beneficium defecisse.

Hos duodecim misit Jesus. Unde et speciatim missi nominantur, quia siquidem apostoli Græce, *missi* Latino sermone interpretantur. Etsi alii missi sint, isti tamen specialius sub duodenario mystice destinantur numero, quatenus rebus et figuris omnium scripturarum sapientiæ Christi serviat ordo. Hinc quoque signanter dicitur : *Hos duodecim misit Jesus*, quasi præfixos et præsignatos in eorum calculo, quos olim Moyses ad explorandam miserat terram (*Deut.* I, 23). Illi quidem, quia figura erant, sine suis mittuntur nominibus; isti vero in quibus veritas fulget, quos Raab sola suscepit meretrix, præmonstratis et præfixis assignantur nominibus, ut nullus de his scandalum patiatur. Qui bini ac bini quam bene junguntur, ut botrum quo gentes inebrientur duo ac duo (quia charitas non minus quam inter duos esse potest) suis deferant humeris. Isti sunt duodecim menses, qui simul annum placabilem, annumque acceptabilem sole illustrante justitiæ complent. Isti duodecim horæ diei, in quibus qui ambulat profecto non offendit. Et ideo hos duodecim misit Jesus, ut nemo aliam quærat lucem, nisi quam ipsi demonstrant, et nemo aliud recipiat doctrinæ, quam quod ipsi afferunt. Quia isti sunt veri exploratores, qui de Christo et majestate divina omnem explorarunt veritatem, et suis usque ad nos humeris mortificationem Christi in **481** cruce lætis gressibus detulerunt.

Et præcepit eis : *In viam gentium ne abieritis.* Hoc igitur loco consideranda est vis, et sensus præceptorum, quia non omnia præcepta æquali pondere vel fine terminantur. Alia enim sunt tantum significandæ vitæ, alia vero agendæ vitæ, alia vero dispensative ad tempus servanda, et tropologice indesinenter adimplenda, ut est illud : *In viam gentium ne abieritis* ; alioquin contrarium est quod ait eisdem apostolis : *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII, 19). Quomodo ergo docebunt omnes gentes, si ad eorum non dico civitates et vias, verum ad consortia et communionem docendi gratia non erant adituri, neque a Judæa egressuri ? et unde sonus eorum exiit in omnem terram, et in fines usque pervenit, si non delatus ab eis ad gentes confluxit ? Quapropter non ignorandum hujusmodi præcepta ad tempus dispensative data, et secundum tropologiam jugiter exsequenda. Exhibenda quidem ad tempus, donec repulsi a Judæa exirent divinitus ad omnes. Dedit enim hoc præceptum, ne Judæi, quibus repromissus erat Christus, et ad quas venerat perditas oves domus Israel, scandalum ex hoc sumerent, si ad gentes prius irent, quibus communicare juxta legem non licebat ; memor suorum præceptorum : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis* (*Matth.* XVIII, 6) ; præsertim cum necdum in eum crederent, et ideo magis scandalizari poterant, si ad quos repromissio facta fuerat desererent, et ad externos irent. Sed mox ut indignos se judicaverunt æternæ vitæ, solutum est hoc præceptum ; non quod umbra fuerit, sed quia ad tempus datum erat. Quo constat omnia divinæ legis præcepta eo sensu accipi debere quo data sunt, non humana præsumptione penitus temerari. Verumtamen secundum tropologiam hoc jugiter observandum, ne in viis gentium, pii prædicatores, quæ sunt actiones pravæ vitæ, uspiam eant ; sicut nec in civitates Samaritanorum, quæ sunt munitiones hæreticorum, unquam intrare licet. Et ideo debite monentur qui ad salutem gentium mittebantur opere ac vita gentilitatis ignorantia abstinere ; nec non et civitates Samaritanorum moraliter introire, præsertim cum et ipse curaverit Samaritanam. Unde manifestum est eos prohibitos ne adirent doctrinas pravitatesque illorum, quorum sermo serpit ut cancer, sed disciplinam **482** veri magistri sinceram, illibatamque passim omnibus libere prædicarent. Porro Samaritæ, juxta litteram, hi sunt quos ad custodiendam terram Israel decem tribubus captivatis Sargon posuerat. Unde et *custodes* interpretantur, qui legem Veteris Testamenti primum depravare cœperunt, non recipientes nisi quinque libros tantum Moysi, et eosdem pravitate Scribarum corruptos ; idcirco hæreticorum personam jure probantur habere, qui norunt solida scindere, integra violare. Ad quos itaque primum introire vetat ante passionem, quia et ipsi de gentibus erant : ut a Judæa prædicatio apostolorum repulsa, prædicatores sancti post resurrectionem per ordinem ad vocationem gentium venirent.

Euntes autem, inquit, *prædicate, dicentes quia appropinquavit regnum cœlorum.* Hoc igitur primum præco veritatis edocuit, hoc Christus, appropinquasse regnum cœlorum principium prædicationis suæ fecit. Hoc et apostolos primum monuit prædicare ; quia utique tota in eos potestas virtutis Dominicæ transfertur, ut qui in Adam terra erant, et imaginem Dei ac similitudinem amiserant, nunc perfectam Christi imaginem et similitudinem sortiantur, nihil a Domini sui virtutibus, potestate percepta differentes. Et ideo qui antea terrestres erant jure primum cœlestes fiunt ; et jubentur appropinquasse regnum cœlorum prædicare ; imaginem scilicet ac similitudinem nunc in consortium veritatis assumi, ut sancti omnes qui cœli nomine sunt appellati, Christo conregnent, et in quibus Christus amodo regnum sempiternum possideat. Anima enim justi sedes est sapientiæ, sapientia autem Christus est ; Christus vero nusquam nisi in cœlestibus habitat ; de quibus dictum legimus : *Cœli enarrant glòriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Propter quod eis mox virtutem adoptionis qua dedit potestatem filios Dei fieri, deinde opera Divinitatis concessit.

Infirmos, inquit, *curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Quatenus per ea non

Introdusă în format electronic de Google

modo in Christo Deitatem deprehenderent visibilibus intenti, verum et eisdem apostolis Deum fore non dubitarent. Non miremur quia primo homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), qui fide renascuntur in Christo, si audiant, quia cœlum es, et in cœlum ibis. Non in **483** cœlum utique firmamenti, quod locale est, sed cœlum spirituale, profecto quia Deus Spiritus est. In quo sane cœlo Deus habitare creditur, et localiter quodammodo ambulare, licet incircumscriptus et illocalis sit, quem ubique non loco, sed virtute credimus. Hinc quoque ipse: *Inhabitabo*, inquit, *et inambulabo in eis* (*II Cor.* VI, 6). Atque alibi: *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21). Quod nimirum regnum cœlorum jure appropinquasse dicitur, non inclinatione cœli, quod firmamentum cognominatur, sed illustratione fidei, qua Dei homines efficiuntur. Cœlorum itaque regnum non modo ideo dicitur præsens Ecclesia, quia spe jam in cœlestibus regnat; sed quia cœlum effecta spiritaliter Christus in ea regnat, sicut et in angelis qui cœli nomine spiritaliter appellantur. Nam sanctorum regnum Christus est; sancti autem, ut diximus, cœli sunt vocati. Quorum regnum bene appropinquasse dicitur, dum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Hoc quippe dono homines cœli facti sunt, et ipse Christus regnum eorum, ut perveniant et hi ad regna cœlorum. Primum quia descendit appropinquans, et facti sumus ipsi regnum cœlorum. *Infirmos*, inquit, *curate*, *mortuos suscitate*, *leprosos mundate*, *dæmones ejicite*. Hæc omnia namque deceptione diaboli contigisse nulli dubium est. Et ideo dignum fuit, ut sanato homine rursus daretur ei facultas, quod ille inflixerat dolo et persuasione maligna, hoc isti potestate fidei curarent, et expellerent ipsos rectores mundi de corporibus obsessis. Magna quidem virtus magnumque donum, magna reparatio, magnaque fiducia lapsis. Alioquin florente mundo, et diu humano genere in perfidiam prolabente, jamque mundo insolescente contra Deum cæcitatis suæ ignorantia, provoluto carnis propagine non modo ad incrementum, verum ad voluptatis malitiam exuberante, quis unquam visibilis invisibilia proferret? quis aliam vitam crederet? quis se a tam longa consuetudine revocaret? quis de tam lata via, quam omnes ingrediebantur, ad tam arctam et tam angustam se constringeret? nisi magnis ad fidem moveretur miraculis, ut de his quæ visibiliter fiebant, invisibilia intus, quæ prædicabantur, fide apprehenderet. Ad hoc quippe consessa sunt ista, non larvalia, sicut perfidia asserit paganorum, **484** sed deifica et solius ejus potentiæ congruentia virtutum miracula: ut beneficii invitati majora invisibilium crederent auditu, visibilibus permoti potentiam intelligerent Deitatis ex relatu, fraudem quoque diaboli gauderent evadere sanitatis ex proventu. Hinc plane Apostolus: *Signa*, inquit, *non fidelibus, sed infidelibus, data sunt* (*I Cor.* XIV, 22), quatenus per ea in eis fides nasceretur; fide vero percepta, potestas adoptionis daretur. Potestate siquidem fidei mala fugarentur, et diabolus vinceretur; quo nimirum victo, libertas hominibus et triumphus deberetur.

Gratis accepistis, ait, *gratis date*. Quia profecto vult veram in hominibus imaginem ac similitudinem Deitatis, quam amiserant, reparari, tribuit eis potestatem primum quidquid diabolus suo instinctu depravarat, corrigere; deinde beneficia sicut accipiunt a Deo, gratis dare, ut si omnibus prædicatio sancti Evangelii gratuita, et imaginis reparatio atque similitudinis plena, ne aut dispensatio tanti mysterii corrumpatur, aut similitudo reddita in moribus, causa avaritiæ violetur.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Hæc itaque præcepta non solum apostolorum sunt, verum omnium eorum quibus prædicatio sancti Evangelii credita est, licet a multis corrumpantur. Quæ tamen nisi recte intelligantur, non modo errare impellunt quoslibet incautos, verum dissonantiam inter sanctos evangelistas facere videntur. Unde primum cum gratis jubeat dare, superflua videtur auri argentique et pecuniarum interdictio. Præsertim cum et Judas ex commissu Domini loculos habuerit unde sibi emerent quæ necessaria videbantur. Et alibi discipuli ierunt in civitatem emere sibi escas. Quo profecto patet Dominum necessaria non interdixisse, sed superfluo resecasse. Hinc quoque signanter ait: *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam*. Quoniam aliud est necessaria victus et vestimenti ad horam habere, aliud vero, longa sollicitudine quæsita, timide aut cupide possidere. Verumtamen, ut arbitror, non invidiosus thesaurus, neque sumptuosus, auri argentique, et æris in zonis tantum haberi, sed docet quod prædicatorum in Domino tanta debeat fore fiducia, ut præsentis vitæ sumptus, quamvis non prævideant hos sibi deesse omnino non diffidat. Idcirco satis provide **485** divitias detruncat, qui propemodum etiam necessaria præsentis vitæ amputare festinat, ut ibi sit cor nostrum quo thesaurus esse probatur. Et ne forte viderentur apostoli magis lucri gratia prædicare, quam salutis humanæ, omnia subtrahit quæ possent esse scandali, et necessaria concedit ex Evangelio, quatenus eorum nemo de crastino cogitare videretur. Sed quærendum quid sit quod Matthæus et Lucas virgam in via ferre Dominum prohibuisse narrant, Marcus vero nihil eis concessum nisi virgam tantum ferre, et calceatos sandaliis incedere debere; quamvis Matthæus signanter etiam calceamenta possidere penitus vetuerit. Unde quidam Orientalium monachorum in cœnobiis degentes hactenus ad litteram observant, et servari debere nudipedalia sectantes contendunt. Quapropter ne contraria videantur evangelistæ sentire, quærendus est modus, tam hic quam alibi, quo Scriptura sancta catholice intelligatur, et auctoritas tanti mysterii non violetur. Fertur enim juxta Matthæum dixisse Domi-

Introdusă în format electronic de Google

num, ut nec virgam ferrent (*Matth.* x, 10). Juxta Marcum vero, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum (*Marc.* vi, 8). Contraria quidem dicunt, sed mystica et vera, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum est ferenda, et sub alia illam, quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda. Sicut illud : *Tentat vos Dominus Deus vester* (*Deut.* xiii, 3), etc., et : *Deus neminem tentat* (*Jac.* i, 13). Hæc quidem seductionis est, secundum quam Deus neminem tentat, videlicet ut decipiat; illa vero probationis, secundum quam tentatus est Abraham et Job, cæterique sancti, quatenus probati manifesti essent, juxta quod Abrahæ dicitur : *Nunc scio quod diligas Deum* (*Gen.* xxii), id est scire feci. Veluti, quod supra dictum est, *ut sciat si diligatis eum* (*Deut.* xiii, 3), quod est dicere ut scire faciat, utrum eum pro certo diligere velitis : ita et hoc loco virgo quæ ferenda est in via, potestas est Salvatoris, quam ab ipso perceperant, et regimen animarum. De qua sane potestate mox adjecit dicens : *dignus est operarius mercede sua.* Quam itaque mercedem Apostolus exponens dicit : *Ut qui Evangelio deserviunt ex Evangelio vivant* (*I Cor.* ix, 14). Et : *Nunquid non habemus hanc potestatem?* (*Ibid.*, 4.) Propter quod Dominus cum dixisset : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam*, et cætera, continuo subdidit :

486 *Dignus est operarius mercede sua.* Ex quo satis ostendit cur eos ista possidere noluerit. Profecto quia sic eos mittebat, ut hæc ab iis, quibus jam credentibus Evangelium prædicabant, accipi debere monstraret. Et ideo illis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent hujus vitæ necessaria, saltim nec magna nec minima. Propter quod posuit, juxta Matthæum et Lucam, *neque virgam*, sed omnia vitæ necessaria a fidelibus, ex potestate et ordinatione Domini debere accipere, et nulla superflua a suis auditoribus requirere. Quia sicut justa potestas a Domino, ita et injusta præsumptio a diabolo. Unde Dominum utrumque dixisse manifestum est, ut ferrent virgam in via, et non ferrent. Quia sicut est virga justorum, de qua dicitur : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* xxii, 4) : ita et ; *Virga peccatorum*, quam *non relinquet Dominus super sortem justorum* (*Psal.* cxxiv, 3). Quam itaque virgam monuit Dominus, ne sui ferrent in via discipuli, quæ Christus est, ne sub obtentu debitæ potestatis, qua digni erant mercede, sua cupiditate sumptuosa, quasi ex licentia, suos affligerent auditores. Non quod eis manibus non liceret victum quærere necessarium, sicut Paulus, et alii operabantur manibus, ne hac uterentur potestate; sed licentiam concedit, dum dicit :

Dignus est operarius mercede sua. Atque nihil ferendum in via nisi virgam tantum mandatur, ex cujus profecto potestate quæ necessaria sunt adfutura, nulli doctorum fidelium dubitandum (*Exod.* iv, 20). Ipsa est enim virga de radice Jesse, quam Moyses olim secum tulit, et in cujus potestate plurima signorum gessit (*Num.* xx, 11). De cujus eum ad aquas contradictionis potestate dubitasset, offendit. Ita et viri prædicatores, nisi legitime utantur ac potestate Christi, fideliterque nihil dubitantes de illo penitus alienantur retrorsum. Ideirco non aurum, non argentum, non pecunia, vel aliud aliquid ex superfluo, fidelibus est prædicatoribus requirendum, quasi ex virga quæ peccatorum est ; sed ex potestate Domini præsumendum. Sed quæritur quomodo gratis dare debeant, quod gratis acceperunt, si dignus est operarius mercede sua, et ex hac mercede sumptus vitæ necessarios licet accipere a suis auditoribus. Quod ita solvitur. Aliud est enim pro mercede lucri, verbi mysteria impendere, commoda præsentis vitæ hinc requirere : **487** aliud victum vix necessarium, et illud non ut vivamus tantum, sed ut libere prædicare possimus, accipere. Quæ licet jam de mercede sint operis, tamen Evangelii sunt lucra. Et ideo justum est ab eis accipere stipendia sumptus, quibus offerimus cœlestis vitæ præmia : quoniam hæc interdum evangelizandi gratia nobis sunt necessaria. Unde sint ista necessitate prædicatoribus concessa, non lucri causa quæsita ; et vitæ sacramenta fidelibus, gratis quidem, sed non pro mercede, impensa. Quæ nimirum merces ita de laboribus hic inchoatur fidelium, ut illic de veritatis visione compleatur jure credentibus. Quod autem nec calceamenta ferenda sint in pedibus, magis ad sensum accipiendum ; quia, ut dixi, secundum Marcum calceatos eos jubet incedere sandaliis (*Marc.* vi, 9). Unde et adhuc hodie sandalia Domini Romæ habentur, quibus pedes tecti et intecti monstrantur ; id est ut nec nudi deorsum ad terram sint, nec cooperti desuper. Volens ostendere, calceatos eos esse debere in præparatione Evangelii pacis ; quatenus Evangelium nec occultari debere insinuet, nec terrenis commodis implicari. Quod autem hic nec calceamenta permisit ferre, stultorum operum exempla insinuat, nec conspicere, ne sui corporis opera credat quasi ex mortuis pellibus muniri. Quia sunt nonnulli, qui pravitatem suam ex alienis pravitatibus conantur tueri, dum alios talia fecisse conspiciunt, et ea perficere licentius credunt. Ac per hoc sicut ex mortuorum pellibus pedes teguntur, ita et eorum quasi quadam decorticatione se muniunt. Nam sicut in duobus istis evangelistis contraria jubentur, in Matthæo videlicet et Marco : ita et aliubi ab eodem Domino jubetur sancto Moysi : *Solve*, inquit, *calceamenta de pedibus tuis* (*Exod.* iii, 5) ; et Josue similiter (*Jos.* v, 15), in comestione vero agni longe aliter prædicatur. Ait enim ita : *Sic autem comedetis illum : lumbi vestri sint præcincti, et calceamenta habebitis in pedibus vestris* (*Exod.* xii, 11). Porro Agnus Dei verus Christus est, quem Joannes demonstrat : *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* i, 29). Hujus ergo tam fideles in ministerio corporis et sanguinis Domini, quam simul universi credentes in fide, ita debemus edere, nostrique cordis interioribus commendare, ut non solum lumbos præcinctos

Introdusă în format electronic de Google

habeamus castitate, verum etiam calceati simus in præparatione Evangelii **488** pacis, quoniam sicut calceamenta carnales muniunt pedes, et asperitatem frigoris defendunt, serpentium quoque morsibus, vel spinarum resistunt aculeis : ita Scripturarum præcepta, quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repellunt serpentis diaboli dolos, et asperrimum aquilonis frigus, ac deinde gentium ac hæreticorum undique compugnantium spinas ac tribulos. Hujusmodi ergo calceamentis uti debemus, quotquot Pascha Dominicum celebramus. Quid ergo prodest, si lumbos castitate habes præcinctos, et fueris incautus, ac si munimine Scripturarum sanctarum, quasi calceamentorum pellibus, exspoliatus? Novimus namque quod dictum est diabolo : *Et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Gen.* III, 15). Multæ sunt quidem insidiæ ejus, quibus quotidie vulneramur. Et ideo non sine ingenti ratione ab uno evangelistarum dictum est, ut calceatos pedes sandaliis habeamus, et in alio, nec calceamenta in via feramus. Sic et in Veteri Testamento dum Pascha comedimus, calceati esse jubemur. Et Moysi, ac Jesu Nave, longe aliter præceptum legimus. Sed si ordo et ratio consideretur, mox tanta diversitas absque ambiguo solvitur, dum statim ipsa causa subditur : *Solve*, inquit, *calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Ostenditur ergo terra Ægypti, ubi datur præceptio mandati superior de Pascha, quod terra sancta est, et ideo populo Dei habenda ibi mandantur calceamenta et portare in pedibus, in sancta autem terra decernunt solvenda. Quas tamen causas diligenter considerare oportet, quia magna in se prænonstrant sacramenta. Quandiu ergo in hac Ægypto versamur, oportet nos Pascha Domini celebrantes, calceatis pedibus incedere, et sacrarum Scripturarum tegumentis munire gressus nostros, quia tutus non est incessus noster, nisi mandatis Dominicis præstruantur ac contegantur pedes, quo usque intremus in illam sanctæ promissionis terram, quæ justis debetur, et electis Dei est præparata ; de qua dictum est : *Beati mites, quia ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V, 4) ; in qua non sunt spinæ et tribuli, in qua non sunt serpentes et scorpii, ubi diabolus cum suis non accedit ministris. Habemus et Dominum Jesum, ut paulo ante jam dixi, Joanne teste, fuisse calceatum : *Cujus ego*, inquit, **489** *non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere* (*Joan.* I, 27). Sed longe alia in Christo est ratio. Ille non propter se calceatus est, id est carne vestitus, quoniam terra sustinere non poterat majestatis ejus nuda vestigia. Sed et calceamenta ejus cum dicit, gressus ostendit sanctarum Scripturarum, quibus graditur et peragrat habitus et notitia ejus in omnes usque qui habitant supra terram. Et ideo Joannes indignum se judicat, qui solvat corrigia calceamentorum ejus : quia quasi calceata adhuc in isto sæculo verbi Dei veneranda probantur vestigia, quæ exsolvere ad liquidum nemo potest. Quia modo per speculum videmus in ænigmate, tunc facie ad faciem ; ubi non erit aliquid opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur. Et propterea in hoc Evangelio calceamenta prohibentur portare apostoli, cum dicitur eis : *Nolite possidere aurum*, et post pauca, *neque calceamenta, neque virgam*. Marcus vero ait quod jusserit Dominus ne quid secum tollerent in via, nisi virgam tantum, et calceatos, ut dixi, sandaliis haberent pedes. Ut verbum Dei, ac si calceatum et contectum in mysterio propter spinas et tribulos blasphemantium, nec non et hæreticorum venena prædicent, ne sancta canibus pandantur continuo, et porcis pretiosa quæque projiciantur. Porro ad eos qui fideli mente ac devota audiunt, sanaque intentione quæ divina sunt scire desiderant, quasi jam in terra sancta gradientes, ac si perfecti in fide jubentur merito non portare calceamenta, quibus securi possunt nuda Scripturarum proferre testimonia, et apertis illic incedere vestigiis, et divina reserare arcana. Et ideo Petrus, jubente angelo (*Act.* XII, 8,) calceavit se in carcere calceamentis suis, et sic exiit ad hostes Judæos, et adversarias potestates, ut calceatis pedibus in præparatione Evangelii, calcaret super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. Sed et sponsa in Canticis laudatur pulchra in calceamentis, quoniam et ipsa sicut lilium inter spinas florere commemoratur (*Cant.* VII, 1 ; II, 2). Idcirco per desertum incedens hujus sæculi calceata sit necesse est, ne lædatur serpentium morsibus, vel peccati aculeis. Nam et Moyses dicit in benedictionibus suis quas Israeli proposuit, in persona Christi : *Ferrum*, inquit, *et æs calceamentum tuum* (*Deut.* XXXIII, 25), quæ duo metalla valde fortia videntur. Unum eorum interminuat et confringat, quæcunque dura esse videntur : aliud vero, ut nullo unquam tempore **490** æruginis vitio consumatur. Et ideo ac si his calceatus, Christus venit ut calcaret et contereret omnia capita draconis, et confringeret omnem potestatem inimici ; neque ullis in sæculo afficeretur vitiorum contagiis, sed in omnibus victor incederet, donec omnes inimicos suos redigeret, et prostraret pedibus suis. Verum altius repetendum est, cur in zonis auri, argentique, et pecuniarum pondera ferre signanter prohibuerit, nisi ut et avaritiam resecaret, et aliud ex his per tropologiam ostenderet. Nam in zona ministerii apparatum et efficaciam operis designat, ex quo, ne aliquid sit venale in ministerio Evangelii, monemur, et opus apostolatus auri, argentique et pecuniarum sit lucrum ; unde Dominus : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35). Ad hoc quippe præcingi jubentur, quo expeditiores ad opus ministerii fiant. Sed et Paulus calceatos pedes monet habere in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 15), quamvis Moysi dicatur, ut dixi : *Solve calceamenta de pedibus tuis ; locus enim in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Ex quo patet sensus quod hæc mystica sunt, licet quædam ad litteram debeant observari, et ideo calceari debere, ne pulvis peccati adhæreat gressibus. Quod si discalceatis in aliquo

Introdusă în format electronic de Google

rursus pulvis adhæserit perfidorum, excutiendus utique de pedibus, ne ullis coinquinemur fraudibus.

Neque peram, inquit, *in via, neque duas tunicas.* Detruncatis igitur avaritiæ thesauris, mox gulam cohibet, et arguit philosophos, qui dicuntur Bacchionitæ vel Baccroperitæ, qui, omnia mundi pro nihilo ducentes, cellaria secum ferebant. Quorum unus supellectilis cum nihil secum ferret, nisi caucum quo aquam biberet, videns quemdam concavis bibere manibus, mox projecit illud : *Si scissem*, inquit, *quod natura hanc haberem artem, nec istum tulissem.* Quanto magis indignum erat ut apostoli ciborum saccos, quibus ex Evangelio accipere fas erat necessaria, onusti ferrent. Verumtamen legimus (*Joan.* XIII, 29) Judam loculos habuisse in quibus non onera ciborum, sed necessaria victus, et ad usus pauperum, aliqua detulisse. Duas autem tunicas ferre vetuisse patet. Non quod in locis Scythiæ glaciali nive rigentibus, aut in quamplurimis Alpium cacuminibus una cuilibet tunica sufficere possit : sed quod tunica pro vestimento hoc loco **491** jure accipitur necessaria. Alioquin qui duas vetuit, non alia fortassis vestimentorum genera interdixit. Unde Paulus penulam a Troade sibi jubet afferri (*II Tim.* IV, 31), sed rectius, ut per tunicam vestimentum vitæ integrum accipiatur et necessarium ; licet sanctus Basilius unam et simplicem suis tunicam posse sufficere probaverit. Hoc igitur est quod ait : *Neque duas tunicas*, ne quisquam eorum post eam qua esset indutus aliam ferendam putaret, sollicitus ne indigeret : præsertim cum ex illa potestate præmissa posset a quolibet jam imbuto accipere. Proinde Marcus non portari, aut haberi duas tunicas, sed expressius indui vetuit (*Marc.* VI, 9) ; insinuans eos non dupliciter incedere debere in Evangelio, sed simpliciter qui veste nuptiali circumteguntur. Quorum est tunica illa indescissa, et inconsutilis desuper contexta per totum ; quam qui habuerit non timebit a frigore nivium, sed ad omnia protectus fidenter incedit. Verumtamen quia in his omnibus dura conditio videbatur apostolorum, ita concludit, dicens :

Dignus est operarius mercede sua. Ac si patenter dicat : Tantum accipite quantum in vestitu et victu vobis necessarium fuerit. Hinc sane Paulus : *Habentes*, inquit, *victum et vestimentum, his contenti simus* (*I Tim.* VI, 8). In hac igitur secunda prædicatione, postquam pro dilectione proximi infirmos sanare concessit, ad proprios suos vertit amicos sermonem, insinuans habitum quo monstrarent potius salutis gratia se, quam lucri, Evangelium prædicare, et sicut sermo in monte habitus mox virtutibus confirmatur : ita et istis, quia dura sunt quæ jubentur, larga virtutum operatio conceditur.

In quamcunque civitatem intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit. Pius magister omnia discipulis utilia et honesta proponit, ne ullis deturpetur Evangelium infamiis. Sed ignotam intrantes apostoli civitatem, unde scire poterant, nisi ex relatione civium, quis in ea dignus esset? Et ideo jubentur interrogare. Non quod in eisdem aliquis dignitatem fidei quæratur habere : sed si dignus sit moribus et fama bonæ vitæ, ut multi fuere Gentilium et Judæorum, honestatem sectantes et nobilitatem generis. Mira celsitudo apostolorum, quorum hospitio, non quicunque, ut assolet etiam magnatibus, sed dignus requiritur hospes, non minus ut impartiatur aliud, quam ut accipiat. Alioquin dignitas tantæ prædicationis suscipientes turparetur **492** infamia, si esset indignus coram suis civibus et notabilis. Magna igitur dignitas Deo tribuente beneficia ; sed major ab eo si mereatur gratiam percipere. Tamen in utroque laudabilis, quisquis ad hæc idoneus invenitur.

Ibi, inquit, *manete.* Ne vagi sitis huc illucque discurrendo, ut quia dignus inventus est hospes, ibidem confluere possint auditores. Docuit ergo quid intrantes urbem agerent, deinde quid domui hospitis implorarent : *Dicite*, inquit, *Pax huic domui.* Docet in specie quod exhibuit in genere. Nam cœlestis militia angelorum in ingressu Christi ad nos hanc exhibuit pacem mundo : *Gloria*, inquiunt, *in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Et hoc est quod hic dignus requiritur ; scilicet ut sit hospes bonæ voluntatis, quia nihil ditius neque locupletius invenitur. Enim vero pacem non parietibus implorare jubet, sed hominibus, ex quibus etiam domus construitur in cœlis. Quæ si fuerit digna, videlicet bonæ voluntatis : *Veniet*, inquit, *pax vestra super eam.* Nam et Paulus quamsæpe, quibus scribit, primum pacem implorat, ut, pace cum Deo recepta, qui sunt iræ filii, fiant adoptionis. Et notandum, quod jam pax Dei, pax apostolorum dicitur ; quia reconciliati et ipsi Deo, ex dono largitoris aliis munus pacis impendunt. Quod si non fuerit digna, id est bonæ voluntatis, quia aliis provenire non potest : *Pax vestra ad vos revertetur.* Revertetur quidem, eo quod egressa fuerat per sermonem, non ut desereret a quibus missa fuerat, sed quia hospes eam sibi oblatam suscipere noluit ob malitiam cordis, totum in prædicatoribus redundat, et merces pacis oblatæ, et pax ipsa eos quantum ex ipsis est, suo refundit rore, quia non sunt suscepti ne ullo patiantur mentis scrupulo. Quod si fuerit per bonam voluntatem in domo filius pacis, requiescet super eam pax Domini, dum ab omni perturbatione sæculi mentem Deo reconciliatam requiescere facit. Alioquin illa nullo fastidio patitur, quæ omnes seditiones interius repellit. *Sin autem, pax vestra ad vos revertetur*, quia nemo prædicatorum sine fructu erit.

Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Utrumque observandum, quia nec receptio apostolorum sine susceptione prædicationis, nec susceptio prædicationis sine officio charitatis. Et ideo **493** simul

Introdusă în format electronic de Google

jungit: *Cum non susceperint, nec audierint; exeuntes de domo, vel de civitate.* De domo primum, si forte in eadem civitate qui dignus sit inveniatur, quia unus non præjudicat omnes: sicut et si aliquis in ea eos receperit, non excusat domum, cui pax oblata displicuerat. *Exeuntes*, inquit, *excutite pulverem de pedibus vestris.* Quid si lutulenta fuerit civitas, quo non pulvis, sed lutum pedibus adhæserit? Magis ad sensum hoc accipiendum puto quam ad litteram. Ipsi enim non suscipientes pacem remanserant in sua impietate, de quibus dicitur per Prophetam: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I, 4). Et alibi de diabolo: *Pulvis panis ejus* (*Isa.* LXV, 25). Ergo pulvis anathematismus est miseræ civitatis vel domus, ne adhæreant gressibus apostolorum, qui noluerunt suscipere pacem suæ reconciliationis; ut permaneant projecti a facie terræ viventium nullam soliditatem fidei habentes; sed sint pulvis in cibo diaboli, nolentes pluviam doctrinæ sibi de cœlo allatam qua compluerentur, accipere. Unde signanter ait alius evangelista: *In testimonium illis* (*Luc.* IX, 5). Quia si eos aut doctrinam eorum perciperent, pulvis non remanerent. Et ideo ad testimonium pulvis excutitur, ut insinuetur ex hoc, quid ipsi per culpam remanserint, et quod projecti a gressibus eorum huc illucque ventorum impulsione ad tenebras propelluntur. Vel ad testimonium apostolorum pulvis excutitur, ut sit signum laboris eorum, quod ad eos venerunt, et ipsi pacem noluerunt accipere. Unde adeo nihil terrenorum ab eis communicasse, ut nec pulverem paterentur pedibus adhærere; sed omnia eorum sub anathemate reliquisse. Exeuntes vero pedes excutiunt; quia sancti doctores dum pravitates refugiunt auditorum, nihil debent adhærere peccati, et si quippiam inhæserit, festinanter excutere, ut aliis inveniantur idonei.

Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum quam illi civitati. Mira igitur dignitas, et magna consolatio apostolorum, quorum ex receptione tanta præstatur gratia, et ex repulsione illorum tantum offenditur Deus. Sed videndum quid sit quod ait: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum.* Nunquid ergo ipsa terra, quæ conflagrata est semel incendio, rursus eveniet in judicio? Non utique, sed terram pro habitatoribus posuit; qui licet pro suis sceleribus semel damnati sint, tamen in futuro tolerabilius pœnas luent. Terra **494** enim jure homines dicuntur, quibus dictum est in Adam: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Sed miseri Sodomitæ, qui et in præsentiarum conflagrantur, et in futuro, licet tolerabilius, cruciantur. Fit enim comparatio de levioribus ad graviora: et ideo quibus tolerabilius erit et levius, tamen pœnaliter erit. Audiant ergo, qui de quibuslibet incaute pronuptiant, quod non judicat Deus bis in idipsum: nescientes quod aliqui hinc incipiant torqueri, non ut finiatur eorum cruciatus in fine vitæ, sed ut qui vident terreantur, et ipsi quæ admiserunt sine fine lugeant. Alioquin et Pharaonis spes veniæ restat quod absonum est. Idcirco credendum quod sola conversio ad Deum finem malis imponat, et non tortura reatus sine gratia quæ hic incipit, ut in æternum desæviat. Tamen ex hoc loco colligitur, quod sicut defertur præmium sanctorum in requie · ita et pœna tormentorum in suppliciis. Sed qui perscrutator est cordium, et novit omnia, ipse justissime discernit quid singulis pro suis restituat factis. Alioquin quis contemplari valet, cur Sodomæ tolerabilius, et illi civitati atrocius esse debeat? Possumus tamen dicere quod illis pax reconciliationis non prædicata fuit, nec ad eos missus est aliquis qui eis vitam salutis annuntiaret; sed angeli mox ad perdendum eam quidem; qui ad Loth ingressi, vel unum repererunt cum quo diverterent. Vel quia hic Sodoma pœnam sustinuit, si forte ideo aliquid levius in futuro habebit. Sed misera civitas, quæ sibi oblatam pacem rejecit, et hospitalitatis gratiam interdixit, utramque legem contempsit; legem scilicet naturæ, et Moysi; ac Christi gratiæ reluctata est: cum Sodomitæ tantum legem naturæ pene abolitam diu illecti conculcaverint.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Quæ nimirum vox plena omni auctoritate, ac si patenter tonat: Licet vos pauci et exigui, viles, et indocti sitis, ecce ego sum qui mitto vos sicut oves in medio luporum. Quod si terret luporum immanis et innumerabilis sævitia, confortamini, quia ego mitto vos. Et mira exaggeratio potestatis. Esset quidem terribile, si lupi mitterentur ad oves licet pauci: nunc paucissimæ oves mittuntur ad superanda millia luporum, quorum rapacitas totum occupaverat mundum. Sed has oves leo de tribu Juda parturierat: idcirco insuperabiles eas ipse mittebat. Hi sunt autem de quibus paulo ante dicitur: *Hos duodecim* **495** *misit Jesus*, quos ovium nomine innocentes esse designat. Lupis vero Scribas et Pharisæos atque hæreticos et philosophos bene comparavit, qui semper insidiantur simplicitati Dominici gregis.

Estote, inquit, *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Quasi quædam contraria jubet; sed similitudine satis conveniunt. Nam et Moyses populum a morsibus serpentinis visu ænei serpentis, quem erexerat, curavit (*Num.* XXI, 9); cujus Christus, suspensus in cruce, veritatem expressit. Non enim calliditatem serpentis antiqui jubentur habere, sed secundum physicos, naturalem eorum prudentiam imitari. Dicunt enim aliqui eorum pretiosissimas in capite gemmas gestare; quos cum ut eas possint auferre, velint incantare, imprimunt fortissimo lapidi aurem, et cauda desuper aliam cooperiunt, ne vocem audiant incantantis. Quo sane facto, et quod pretiosum est, custodiunt, et vitam non amittunt: ita et sancti apostoli monentur margaritam, quam venditis omnibus emerent, sua prudentia custodire; mentemque (quod est principale hominis) petræ, quæ Christus est, fortiter imprimere, auremque carnis cauda, id est, fine vitæ, per passionem etiamsi contigerit, operire, ne vocem audiant in-

Introdusă în format electronic de Google

cantantis. Magna igitur prudentia est Christum in nobis portare, vitamque custodire, ne auferatur ullis pravorum fraudibus. Ad hoc quippe Scribæ et Pharisæi, atque hæretici, nec non et philosophi, laborant incantando pravis persuasionibus, ut Christum nobis auferant. Dicitur ergo et alia prudentia serpentis, quod totum corpus præbeat ut caput, in quo est vita, custodiat. Qui cum senuerit, ingreditur in angusto petrarum foramine, ut se veterem exuat tunicam : ita et nos caput nostrum, quod est Christus, in nobis custodientes, corpus ponamus, per angustam intrantes viam exuamus tunicam veterem, ut in omnibus renovemur. Bona igitur prudentia serpentis quam Paulus exponit dicens, *Estote prudentes in bono, et simplices in malo* (*Rom.* XVI, 19). Præmisit igitur prudentiam Christus, ut tuta possit esse simplicitas : et sequitur columbæ simplicitas : ne stulta inveniatur in nobis prudentia apud Deum, de qua dicitur, *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam eorum reprobabo* (*I Cor.* I, 19; *Isa.* XXIX, 14). Idcirco alternis se foveant prospectibus; ne sit illa simplicitas in nobis, de qua dicitur, quod simplex omnia credit : quia profecto in sæculo prudentiores **496** sunt filii lucis, et simpliciores sua fatuitate. Si forte coram prudentibus simplices inveniamur a sæculi actibus, coram simplicibus vero prudentes in bono. Perhibent etiam physici, quoties velint aquas bibere, quod prius venena deponunt : ita et nos si volumus aquam doctrinarum de fonte Salvatoris haurire, evomamus per humilem confessionem venena vitiorum, ut deinceps fluenta doctrinarum haurire possimus. Quæ nimirum quatuor, quæ posuimus, naturæ serpentis exempla bene videntur congruere ad imitationem prudentiæ. Sed duæ ut Christum, qui caput est nostrum, ante omnia per fidem in nobis custodiamus : duæ vero ad imitationem vitæ, quatenus exuti vitiis, in novitate vitæ ambulemus. At vero quidam, non ad naturam serpentis oportere referre dixerunt ; sed ad aliud quod in Genesi legimus, antequam Adam in paradiso traduceret, prudentiorem eum fuisse præ cunctis animantibus terræ. Unde primum animum sexus mollioris aggressus est; deinde spe eam illexit, dum communionem immortalitatis cum diis spopondit. Et per hæc tanta præmia opus consilii sui et voluntatis persuasit. Pari igitur dicunt oportere prudentia doctorem agere, ut inspiciat primum uniuscujusque naturam et voluntatem, quid intendat, quidve possit, vel quantum sit capax. Sicque adhibendam verborum prudentiam, deinde spes bonorum futurorum reseranda, et cœlestia fidei præmia promittenda, ut quod ille mentitus est, contra Apostoli prædicarent ex vero secundum sponsionem Dei, quod angelis similes futuri sumus. Quatenus hujuscemodi prudentia, verbis et promissionibus, sævientium mentes, et luporum rabiem protraherent ad fidem. Sed quid horum magis congruat præcepto Salvatoris, prudens lector videat; dum virus veneni fugiat, et simplicitatem columbæ non amittat. Quia quantum est amandum in columba quod fel non habet, tantum timendum in serpente, ne venena pravæ intelligentiæ in nobis diffundat. Sunt autem in columbæ natura quatuor, quibus permaxime simplicitas commendatur. Primum est, quod non rostro nocet, nec ungulis discerpit, nec alis ut lædat, sicut reliquæ aves, ferit : sed simplicitatem amoris, quia fel non habet, sine amaritudine intus custodit. Aliud vero est, quod desuper rivos aquarum residens, insidiantium sibi umbras videt, sicut legitur de Ecclesia in Canticis (*Cant.* V, 12); **497** deinde tertium est, quod suos diligentissime nutrit pullos, etiam et alienos pascit. Quibus nimirum exemplis, nos omnibus beneficos esse docet, et nulli nocere debere insinuat : verum quod postremum est, ut prius dixeram, sine fellis amaritudine nos omnia et facere et docere, ne cum Simone obligati dolo inveniamur (*Act.* VIII, 21), demonstrat; sed semper juxta doctrinarum fluenta versantes, insidias vitemus malignantium, et contemplantes Deum in cordibus nostris, exterius concupiscenda transponamus. Unde propheta de sanctis prædicatoribus : *Qui sunt isti*, inquit, *qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* LX, 8.) Ad fenestras quippe suas sancti recte aspiciunt, ut simplicitatem innocentiæ intus custodiant, dum nihil exterius aspiciendo, quod libeat cernunt. Imo omnibus prostant etiam alienis, qui suos enutrire modis omnibus elaborant. Dicuntur autem columbæ etiam suis invicem osculis, vel mutuis aspectibus concipere : ex quo instruimur moraliter, per charitatem sine ullius carnis concupiscentia, virtutes serere et parturire filios adoptionis, intus amore spiritali regeneratos. Sequitur :

Cavete autem ab hominibus. Ad hoc totum valet quod præmisit : *Estote prudentes, et simplices*, ut cavere possimus ne aut malis persuasionibus exterius decipiamur, aut simplicitatem, quæ per Spiritum sanctum diffusa est in credentibus, foras male projiciamus. Et hoc est cavere ab hominibus; non ut non tradamur, quod veritas futurum pronuntiat; sed ut non decipiamur ullis insidiarum fraudibus. Respicit hic locus quod ait : *Ecce ego mitto vos.* Et ideo cavete per prudentiam, ne amittatis simplicitatem columbæ.

Tradent enim vos in conciliis. Magister egregius Christus quæ ventura erant prædicit discipulis; non ut deterreat, sed ut instruat, quatenus paratiores sint pro eo, ad omnia sustinenda. Unde Paulus apostolus cum esset in vinculis : *In hoc*, inquit, *positi sumus* (*I Thess.* III, 3), id est, ut patiamur et sustineamus quæ inferuntur nobis. Quatuor namque eran quæ possent apostolos permovere; quæ hic ideo prænotantur, ne subito præriperet eos tacita cogitatio, quod homines simplices et indocti in concilium ducerentur ; et ideo ait : *Tradent enim vos.* Quod fragiles et imbecilles viribus, ne forte corde paverent : *In synagogis suis flagellabunt vos.* Quod viles et rusticani coram regibus starent, ut ait : *Ad* **498**

Introdusă în format electronic de Google

reges et præsides ducemini. Quod ineloquentes et idiotæ, ut ita fatear, disputare deberent de Christo et de lege ac prophetis, in quibus omnia de illo prænuntiabantur. Idcirco continuo ait : *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.* Unde Paulus doctor egregius : *Veni ad vos*, inquit, *fratres, non in eminentia sermonis, aut in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, annuntians vobis testimonium Dei, sed in ostensione Spiritus, signorum, et veritatis* (*I Cor.* II, 4). Itaque insinuat quod Deo totum tribuere debeamus, nec aliunde nos habere credamus, nisi ab eo in cujus manu nos et sermones nostri sumus. *Hæc omnia*, inquit, *propter me, in testimonium illis.* Ubi magis fides imploranda est, quam sensus requirendus ; quia quodcunque sanctis prædicatoribus verbi evenire posset, non aliunde posset quam ab ipso et in ipso a quo missi erant. Quod autem ait : *In testimonium illis*, distinguit Judæos et gentes, sicut et supra, quorum in testimonium venisse ad eos dicitur, ut essent inexcusabiles. Sicut Dominus ait : *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 22). Alioquin et tam Judæi quam et gentes quodammodo excusabiles essent, nisi apostoli et apostolici viri ad eos venissent. Nam locus iste non solum de apostolis intelligendus est, verum etiam et de omnibus usque in finem sæculi doctoribus, qui passuri sunt coram principibus gentium, aut in synagogis Judæorum. *Cum autem tradent vos*, hoc est, quod dixerat superius : *Quia tradent vos, nolite cogitare quomodo*, id est, utrum facundus sit sermo et luculentus, aut simplex et incompositus : *Vel quid loquamini*, id est, de qua re : tantum ut de conscientia bona est fide non ficta, ita ut prudentia vos præcedat, et simplicitas columbæ non effugiat. Quia in his duobus verbis Dominus et Magister miro modo magnam brevitatis discipulis præparavit materiem, custodiendi quæcunque denuntiat dura et aspera perferenda ; quoniam intus erat Spiritus sanctus, qui docebat singulos de omnibus : *Dabitur enim*, inquit, *vobis in illa hora*, id est, cum coram regibus aut in synagogis, vel ubi et ubi interrogati fueritis. Vult enim ut cor doctoris pendeat in Deum, et ad gloriam Dei ex donis ejus operetur aut loquatur in cunctis. *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium.* Quoniam nullus est fidus affectus carnis, ubi diversa est fides. Exaggerat itaque in tempore persecutionis **499** pressurarum angustias, dum in nullo nisi in solo Deo spes relinquitur : dum etiam ipsi filii surgere dicuntur in parentes. Et hic est gladius verbi divini, quem venit Jesus mittere in terram, ut dirimat religionem fidei ab omni amore carnis, et pietatem proximi a pietate divina.

Et eritis, inquit, *odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Nomen autem Dei magnum est et ineffabile. Sed est nomen ejus, ex quo scandalizantur plurimi, quo insigniuntur omnes quicunque recte invocant nomen Domini ; unde et Christiani vocamur. Quod sane nomen, quia in vobis erit, persequentur audientes. Omnes cum dicit, non eos dicit, qui audierint, sed ex eo omnes, qui ex contrario adversaverint.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Non qui perseveraverit odio, aut in cujuscunque rei negotio, in tradendo scilicet fratrem aut filium, sed qui perseveraverit in fide nominis Christi, quod Marcus manifestius dicit (*Marc.* XIII, 13, 14). *Qui sustinuerit*, id est, omnia sibi illata probra, persecutiones, quæ sanctis martyribus satis abundeque inflicta sunt, si quis sustinuerit hæc usque in finem, salvus erit. In finem autem intelligimus, aut usque in finem vitæ, aut usque dum compleat testimonium, quod est martyrium passionis ; vel quousque ad Christum perveniat, qui est finis omnis consummationis, per quem apprehendat unusquisque veram et perpetuam vitam. Quatuor quippe in hoc capitulo commendantur salutis elementa. Quia primum expellitur a nobis temeritas elationis, cum dicitur : *Qui perseveraverit*, ne ullus de suis præsumat viribus. Deinde cum ait : *Salvus erit*, spes præstatur, quacunque morte consummatus fuerit. Tertium cum dicitur : *Usque in finem*, duo simul ostendit, quod omnis tribulatio finem habeat, sed præmium boni laboris nullum habeat finem. Et ideo in fine laboris, vel certaminis bene addidit : *Salvus erit*, ut intelligas in æternum, in quo finis nullus erit. Alioquin finienda commendaretur æternitas in eo quod ait : *Salvus erit*, si esset et finienda salus sicut finitur temporaliter certamen agonis.

Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Quia dixerat : *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*, ac si cogitationibus eorum respondere videtur quid deinceps fieri oporteret. Quod autem dixit : *In civitate ista*, non demonstrative dixit, sed de qualibet ait civitate **500** in qua persecutio fuerit, ut puta si Hierosolymis, Romam fugite, sicut populum fecisse legimus etiam et de Damasco (*II Cor.* XI). Nam ideo fugam præcepit, vel concessit, ne aut infirmus non haberet locum respirandi in confessione Christi, si minus quilibet adhuc se videret idoneum, et temeritas periclitaretur, et ne aut importune martyrio occumberet Christi antequam militiam prædicationis suæ pro salute eorum, qui crediturі erant, indigne expenderet. Stultum ergo est in bello militem prius se morti offerre, quam aliquem adversariorum suis prosternat armis ; imo expedit ut festinet, antequam cadat, plures prosternere ; deinceps etiam si contigerit ad alia se servari gaudeat : ita et in hac militia Christi sic quærenda est palma martyrii, ut non refugiat quis pro salute aliorum tolerare dispendia sui, diuque ferre agones proprii laboris. Cæterum alii hunc locum expressius intelligentes dixere, quod in ista civitate cum ait, Jerusalem voluerit ostendere, quasi metropolim Judæorum, ne prius irent ad Samariam et ad gentes, quam in ea persecutio moveretur. Quod et primitivam Ecclesiam sub Claudio observasse legimus. Ut sit ordo, cum persecuti vos fuerint in Hierosolymis,

Introdusă în format electronic de Google

tunc expulsi de civitate, fugite primum ad Samariam, quæ quasi alia civitas nominatur, per quam tota gentilitas designatur. Unde quia dixerat ad tempus : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, insinuat quousque servandum fuerit quod præceperat. Quasi diceret : Cum persecutio vos expulerit a Judæa, fugite ad Samariam, et Evangelium ubique in omnibus prædicetur, et compleatur gentibus. Unde Dominus alibi : *Et eritis*, inquit, *mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ* (*Act.* I, 8). Non quod soli apostoli hoc impleturi essent, sed quod dicit illis, omnibus dicit, per quos usque in finem sæculi hæc complenda erant. Alias quid est quod dicit : *Non consummabitis civitates Israel, donec filius hominis veniat?* (*Matth.* X, 23.) Vel quid est quod dicit : *Non consummabitis?* Fortassis ergo quod præmiserat, *fugite in aliam*, non consummabitis eas fugiendo de civitate in civitatem; quod omnino non stat. Sed non consummabitis prædicando et convertendo eas, quousque veniat filius hominis in finem sæculi; sicque eis solis apostolis hoc videtur dixisse, sicut ait : *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem* **501** *sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Quod tamen universali Ecclesiæ promisisse non dubium est, in qua, aliis morientibus, aliisque nascentibus, usque in consummationem sæculi servabitur. Sic itaque et illud est ad solos apostolos, ubi ait : *Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis* (*Matth.* XXIV, 33). Cum ad eos solum hoc pertineat qui erunt electi in carne. Qui nimirum usus loquendi quam sæpe in Scripturis invenitur divinis. Unde sic dictum videtur, ut ostenderet quosdam apostolorum prædicationi credituros, deinde reliquum Israel credere in novissimis quos necdum consummatos ad fidem esse conspicimus; sed in finem, cum plenitudo gentium introierit, suscepturos minime dubitamus. Non quod hi qui Antichristi sunt, debeant credere, sed quotquot prædestinati sunt ad vitam. Quod erit consummatio prædicationis apostolorum, deinde adventus filii hominis. Nisi forte absurdum videtur, quod civitates Israel non consummandas esse dixerit, cum civitates eorum ipsi sunt appellati recte, qui simul commorantur ut concives fiant. Potest et hoc intelligi simpliciter : *Non consummabitis donec veniat*; labor non complebitur prædicandi, donec veniat vobis filius hominis in adjutorium, post resurrectionem a mortuis. Sed violenta videtur ista interpretatio, quia necdum prædicare ita perfecte cœperint, licet missi fuerint bini et bini. Melius tamen arbitror cogitationibus eorum respondisse, quibus sollicitudo erat convertendi eos ad fidem. Insuper ut et de gentibus eis daretur intelligentia, quia totum hoc ad illud tempus referendum est, cum ad prædicationem apostoli mittebantur, ne timerent rabiem persequentium, imo ut agerent singuli per successionem, ut doctrina Evangelii ad omnes gentes perveniret, sicut scriptum est de eis : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 4). Moraliter vero datur intelligentia, si aliquis nos hæreticorum in uno Scripturarum loco persecutus fuerit, ut fugiamus ad alia divinarum testimonia litterarum, donec consummemus fidem perfectam, quæ in Christo est, et palmam obtineamus victoriæ. Sequitur :

Non est discipulus super magistrum. Ad hoc itaque adhortatur quod dixerat : *Persequentur vos.* Ac si diceret : Si ego Magister vester patior, et sustineo propter vos gratis, quanto magis vos discipuli et servi pati pro meo amore non dedignari debetis, sed sustinere et patientissime ferre? **502** quod si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis discipulos ejus, quia non est discipulus super magistrum? Ideo probra et irrisiones sustinere æquanimiter debetis. Porro Beelzebub idolum est Accaron, quod vocatur in Regum volumine *idolum muscæ* (*IV Reg.* I), quod aliquando dicitur Baal, eo quod in montibus adorabatur; aliquando Beelphegor, a civitate in qua erat idolum filiorum Ammon. Bel autem pater Nini regis Assyriorum fuit, quem alii Saturnum esse dixerunt. Porro quod additum est Zebub, tradunt quod propter servum Abimelech, qui fratres suos septuaginta peremit gladio, ita sit appellatus. Hic autem servus dicitur primus hoc idolum in terra Israel adorasse. Interpretatur quoque Zebub, *musca* vel *vir muscarum*, propter multitudinem sordium et putredinem hostiarum, quas coram idolo Muscæ, quæ exterminant suavitatem olei, insequebantur et fœdabant. Unde quia spurcissimum videbatur idolum, principem dæmoniorum hoc appellabant dæmonium, a quo et Christum obsessum calumniabantur, et in ejus nomine virtutes operari (*Matth.* XII, 24). Et sicut hoc idolum inter omnia idola apud plurimos principatum obtinebat nequitiarum, ita et hunc dæmonem inter reliquos per quem Christus, ut fatebantur, operabatur tam mirifica et inaudita, nomen idoli habere putabant, quanto magis domesticos ejus? domestici autem Christi tam apostolos, quibus loquebatur, vult intelligi, quam et omnes qui pie volunt vivere in Christo, usque in finem sæculi, ut omnes parati sint universa quæ inferuntur ab adversariis sustinere pro Domino, quæ ipse prior in se sustinuisse monstravit. Unde supra præmiserat : Cavete vos ab hominibus, ne ob timorem, aut ob ullius oblectamenta fallaciæ vos decipiant. Nihil enim gloriosius suis domesticis Magister veritatis proponere potuit ad exemplum, quam seipsum, lumen æternum, qui est immortalis Rex gloriæ. Gloriosum quidem est, si illum, quo nihil est locupletius, amplectimur per fidem quæ per dilectionem operatur, et universis passionum conditionibus, ut ipsi fecerunt apostoli, adæquemur. Quia licet in pace videamur vivere, verum est illud, quod qui pie volunt vivere omnes persecutionem patiuntur.

Nihil opertum quod non reveletur, et occultum quod non sciatur. Idcirco dicit, ne ullus infamiam et ea-

Introdusă în format electronic de Google

lumnias timeret blasphemantium, **503** etiam si Beelzebub aliquis vocetur, aut aliud, si fieri potest, quod deterius sit, quia totum manifestum erit in ultimo judicio. Duo quidem proponit : opertum et occultum ; quia nihil in carne aut in anima geritur, quod in die ultimi examinis non reveletur, aut nesciatur, quando judicaturus est Deus occulta hominum. Revelanda sunt autem illa quæcunque perpetrata sunt et commissa : scientur vero quæcunque fuerint cogitata. Et ideo eos qui Dei sunt timere non debere hominum blasphemias et opprobria, *Quia gloria nostra*, ut ait Apostolus, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Verum hæc revelatio, vel hæc scientia æque de bonis erit et malis, quæcunque facta fuerint vel meditata, et ideo non pertimescendas docet minas, concilia, blasphemias, probra, nec potestates insectantium, quia dies judicii nulla hæc fuisse atque inania declarabit.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Ergo in tenebris quid dicit? Non puto de his tenebris dixisse quas cernimus, quia nec Salvatorem in noctibus multa disputasse legimus : sed de his tenebris utique dicit de quibus Joannes : *Et lux*, inquit, *in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). Quod si apprehendissent, utique non tenebræ, sed lux in Domino essent. In his ergo tenebris Dominus loquebatur; quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, et verbum ejus infidelibus nox est. Ideo quidquid aut secreto quasi adhuc in tenebris illis, aut in figuris et ænigmatibus dixit, jubet prædicare in lumine, id est in manifesto coram hominibus ; et quæcunque in auribus, quasi sub silentio docuit, mandat ac si talentum commissum expendere super tecta. More siquidem Palæstinæ provinciæ loquitur, in qua super tecta deambulatoria erant, in quibus quam sæpe loquebantur ad populum. Unde et Dominus præconia vitæ in excelso proponere jubet, et constanter annuntiare, quidquid sancti prædicatores, non tantum aure corporis quam et aure mentis intus audierunt a Domino. Sic dictum est ad eosdem : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* VIII, 10). Et ideo quod aure cordis intus vere intellexerunt, rogat ut absque formidine ingerant omnibus cognitionem veritatis in lumine ; quia ipsi lux effecti sunt per revelationem veræ lucis, ut omnes a luce illuminentur.

504 *Nolite timere*, inquit, *eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Firmat eos in prædicatione permanere intrepidos; quia etsi corpus cruciari potest ad tempus, anima quæ vita corporis est lædi non potest, vel occidi tormentis, quia immortalis natura est (nam mors ejus alia est), neque eam a corpore quisquam potest evellere, nisi velit aut permittat Deus. Sed et in hoc testimonio animadvertere debemus, contra eos qui dicunt animam esse corpoream juxta crassitudinem corporis nostri, et corporeis lineamentis metiri; non valentes aliud intelligere obtusis sensibus, quam corporum formas et exempla. Quod Dominus hoc loco denegat cum dicit quia corpus potest occidi, animam autem non possunt occidere. Quia anima non est corpus quod possit occidi : quod si esset, mortalis esset, sicut est corpus. Et sicut corporea transeunt omnia, et finem habent sui, pertransiret cum eisdem utique ad interitum, si esset tale corpus ; quod nunc non potest, etiam cum est in suppliciis. Unde mox Magister pius :

Sed potius, inquit, *eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam.* Ubi vera resurrectio prædicatur corporis, quia nisi resurgeret ad vitam, in gehennam mitti non posset ut sentiret. Nunc autem quia et anima occidi non potest, et corpus de morte resurgere habet, illa timenda est mors qua simul corpus et anima etiam sine fine torqueri potest. Porro gehennæ nomen in Veteri Testamento non invenitur, sed primum in hoc loco a Salvatore ponitur. Dicitur autem idolum Baal fuisse juxta Jerusalem ad radices montis Moria, ubi Soloas defluit. Et hæc vallis fuisse legitur, in qua parva campi planities irrigua erat et nemorosa, plenaque deliciis ; qui nimirum locus idolo Baal fuerat consecratus. Proh dolor! gens perdita ad tantam insaniam devenerat et amentiam, ut, relicto templo, ibi hostias immolarent et sacrificarent diis. Quo sane facto nihil dementius invenitur ; ut propter delicias, religionem desererent Dei ; insuper filios suos dæmonibus consecrarent, vel initiarent per ignem. Appellabatur autem locus ille *Gehennon*, id est vallis filiorum Ennon ; sicut in Regum et Jeremia, nec non et in Paralipomenon legimus. Unde et Jeremias comminatur imo Dominus per eum (*Jer.* XIX, 16) locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam amplius vocetur Topheth **505** et Baal, sed vocetur *Polyandrium*, id est tumulus mortuorum. Hujus nimirum loci vocabulo, futura peccatorum supplicia et pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciabuntur, denotantur. Porro duplicem esse gehennam et pœnam Job plenissime declarat, dum ait : *Transeunt a calore nimio ad frigus* (*Job* XXIV, 19). Quæ revera supplicia teste Deo magis timenda sunt et formidanda quam momentaneus dolor corporis et separatio animæ a corpore. Quia tunc anima licet sit invisibilis et incorporalis, secundum nostri corporis substantiam, simul cum corpore punitur, et supplicia sentiet sempiterna, cum quo peccaverat prius, cum esset in hoc sæculo.

Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Satis igitur abundeque Magister veritatis suos evidentissimis instruit exemplis ne timeant in præsentiarum, et ideo adhuc exaggerat Dei providentiam, sine qua nihil accidit in terra, quia ipse est virtus et potestas. Ac si dicatur, si parva animalia et vilia absque Deo auctore non cadunt in terra, sed in omnibus est illi potestas et providentia, ita in minimis ut quæ peritura sunt, non sine Dei pereant voluntate : vos qui æterni

Introdusă în format electronic de Google

estis, non debetis timere quod absque Dei providentia vivatis. Nam et iste sensus jam supra præmissus est, ubi ait : *Respicite volatilia cœli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horreis, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne magis vos pluris estis illis?* Seu cætera quæ sequuntur. Verumtamen quia Paulus ait : *Nunquid non de bobus cura est Deo?* (*I Cor.* IX, 9.) Recte quæritur quomodo etiam minima quæque Dei regantur providentia, si de his nulla est cura Deo; vel quomodo ad voluntatem ejus manent aut decidunt, si non reguntur arbitrio? ubi, prudens lector, rogo, quod jam olim a majoribus præmonitum est, cave superstitiosam intelligentiam, et ne dicas : quomodo avium et bestiarum ipse per se Deus, etiam et muscarum, seu rerum omnium disponat eventus? Quinimo crede veraciter, quod sic omnia formavit et condidit, ut essent singula in sua conditione præscripta ac disposita, legibusque naturarum devincta. Quod quia semel voluit, et permanent omnia, et finiunt ut voluit omnia. Solus autem in hoc mundo homo ad imaginem Dei creatus, ampliori gratia sublimatus, ita ut filius vocetur Dei, jugi providentia gubernatur et cura pietatis disponitur. Unde quia de illis non curat **506** Deus ad æterna, omnino in prima conditione manent, qua voluit et disposuit ut manerent et essent. Solo autem homini propter quem cuncta creavit, ut ad æternam perveniat gratiam impendit, et beneficia præstat, nec non et providentia regit. Cætera vero omnia, ut dixi, sic accidunt et recidunt, ut ipse voluit et disponit. Et ideo nihil sine voluntate ejus fit in terra, etiam nec in minimis, sed omnia ejus aluntur beneficiis ac subsistunt, et vestiuntur rerum operimentis. Quapropter, o homo ratione prædives, superstitiosa devita, et modos loquendi simpliciter intellige. Nolo tibi tribuas, tuæque naturæ, *ut* Scripturas ad tuum redigas intellectum, sicque *tibi* omnia assignes, ut Deo nihil tribuas, a quo sunt omnia. Hæc idcirco longius peroravi, ne mens sua decipiatur ignavia, quam divina virtus tantis adhortatus documentis et gratia, tantisque illustratur beneficiis. Porro quod ait : *Duo passeres asse veneunt*, ideo dicit, quia sic erat consuetudo in templo, ut passeres et reliqua quæ in sacrificiis offerebantur venalia essent, ut advenientes de singulis civitatibus parata omnia haberent. Sed evangelista duos tantum ideo videtur dixisse passeres asse mercari, quatenus intelligeres, ista tam viria non sine Deo esse, aut interire, multo magis tibi corpus et animam non deperire; cum pro istis assis distrahitur, pro te Christus Dei Filius sit venundatus et peremptus. Adhuc autem ad Dei providentiam commendandam, et timorem pellendum, proponit quod etiam nostri capilli omnes Deo numerati sint. Ubi ineffabilem et incomprehensibilem de nobis multiplicat et commendat curam. Sed miseri et vani, qui semper beneficia Dei et immensitatem sapientiæ ad calumniam vertunt promissorum, dum dicunt quod superflue decisi capilli, aut quotidie defluentes, reparandi promittuntur, resurrectionem carnis non credentes, et nolunt intelligere vim Scripturæ, præsertim quia non dixit : omnes reddendi sunt, vel salvandi, sed omnes numerati sunt, eo utique numero quo creati sunt. Et ut ita fatear, eodem pondere et mensura qua mensi sunt, quia ubicunque numerus est, ibi et scientia numeri demonstratur. Licet etiam adhuc velint et hoc vaniloqui reprehendere, quod superflua sit et ista dinumeratio. Quod si igitur eis superflua videtur, cogitent ne forte ejus sapientia, qua cuncta creata sunt, et ipsa superflua temere judicetur. Cui quam recte dicitur: **507** *Omnia in sapientia, deinde in mensura et pondere, et in numero tu fecisti* (*Sap.* XI, 21). Quod si in numero cuncta creata sunt, utique et capilli; et quia in numero creati, vere numerati sunt. Unde quia in præscientia ejus sunt, multo magis anima et corpus, ob cujus decorem isti creati sunt. Verum in omnibus divinus Magister fidem corroborat discipulorum; quia si illa quæ decidunt et pereunt, Deo numerata sunt, et comprehensa in numero, et pondere, ac mensura qua condita sunt; multo magis corporum nostrorum nullus pro Deo pertimescendus est casus, maxime in eo quod ait : *Quia multis passeribus meliores estis vos.* Nam illa omnia post modicum non erunt, homo vero ad æternitatem vocatus semper in æternum erit. Quibus doctrinis ad fidem satis abundeque instituti, audiamus quod sequitur :

Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Ac si diceret, quales mihi testes eritis coram hominibus, ut vita, moribus, confessione me indefessi prædicetis in terris, tali vos, apud Patrem, cujus et filii estis, testimonio in cœlis commendabo. Ad hoc quippe totum valet quod præmiserat, ut in hoc testimonio fidei permanentes usque ad palmam martyrii fortiter decertarent. Quatuor siquidem modis in divinis litteris confessio dicitur, et duobus in locis. Est itaque confessio laudis, est et gratiarum actio, quæ semper fit in cœlis; tertia vero confessio peccatorum, quæ nunquam proficue fit nisi in terris : quarta est, de qua hic agitur, in martyrio coram hominibus, in tempore; ut unusquisque eam recipiat coram Patre et coram sanctis angelis in æternitate. Quæ negatio vel confessio, non tantum verbis accipienda est, quam et in omnibus bonis operibus et puritate cordis. Unde e contrario Christus (*Matth.* XXV, 3) electis : *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei;* et reprobis : *Discedite a me, operarii iniquitatis, quia nescio vos.*

Nolite, inquit, *arbitrari, quia veni pacem mittere in terra.* Quærendum esset quod cantatum est ab angelis in ortu Salvatoris, quomodo accipiendum sit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus* (*Luc.* II, 14). Quod contrarium est huic loco; nisi quia addidit, *bonæ voluntatis*, quoniam cum ait : *Pax hominibus bonæ voluntatis*, separavit eos ab his qui sunt pravæ voluntatis. Et Dominus cum ait : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27), solis suis

Introdusă în format electronic de Google

pro'atur dixisse membris, quibus pax diligentibus Deum servatur usque in finem.

Non veni pacem mittere, sed gladium. **508** Gladium utique verbi Dei, de quo Paulus apostolus : *Et gladium*, inquit, *Spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17). Quia Deus Spiritus est. Hic est autem gladius, qui procedit de ore Dei, utraque parte acutus. Et bene ex utraque parte acutus, quia æque perimit peccatores et impios, ut moriantur prius peccato, et deinceps melius vivant Deo : æque etiam hoc gladio verbi feriuntur qui nolunt converti et agere pœnitentiam; ut mortui Deo, male vivant perempti suppliciis æternis. Hic est gladius, quo accingi incarnatus a Patre jubetur : *Accingere*, inquit, *gladio tuo super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV, 4). Quo nimirum gladio, dum sibi sponsam ducit, venit debellare sibique prosternere omnes adversarios suos. Unde sequitur :

Veni enim separare filium adversus patrem et filiam adversus matrem, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus. Nisi enim nobis hæc divisio ex usu et consuetudine jam notissima esset; valde obscura videretur hujusmodi locutio, quod Dominus, qui matrem vel patrem diligere jubet ex lege, et de dilectione ante omnia tanta taliaque ubique mandat, quid sit quod tam contraria infert, se venisse non pacem mittere, sed discordiam et gladium. Et factum est seminarium impietatis auctoritas clementissimi Salvatoris. Hinc odia in principio prædicationis ubique, hinc bella et seditiones, cum gladius Domini, id est verbum prædicationis, cœpit dirimere inter patrem et filium, inter filiam et matrem; in tantum ut totus orbis contra se divisus desæviret, multasque persecutiones excitaret. Quoniam Magister ineffabili virtutis gladio pertingente usque ad divisionem animæ, compagum quoque et medullarum, cuncta discrevit; ut ex omnibus eligeretur una Ecclesia, in qua pax requiesceret, et secerneret paleas a frumento. Unde quæso, lector, et ab exordio hujus institutionis, quam vehemens sit sermo, quam sublimia præcepta, quam ultra omnem philosophiam oratio, perpendas. Ubi respondent primis secunda, posteriora superioribus; omnia complentur omnibus, si quomodo Christus unum martyrii sui expleat corpus. Hinc in singulis sententiis una est series causarum, et contextus vel ordo narrationis. Partes quoque hujus doctrinæ partibus consentiunt, et conuiunt universa. Ita ut in hoc testimonio videatur mirabilis artifex, scrutator naturarum, etiam profunda quæque in intimis rimare visceribus; dum per gladium verbi filium a patre dividit, et filiam a matre. Grandævam quoque ætatem deserens, et semper in hoc **509** loco parentum juniores assumens. Nimirum quia serior ætas longioribus et diuturnis male assueta, vel implicata erroribus, vix aut nunquam absolvitur; quia sic est quasi a natura pessimæ vitæ longa consuetudo. Junior vero ætas facilius revocatur ad fidem, et quæ rationabilia docentur efficacius capere probatur, et credere quam citius. Non tamen ideo dictum est, ut multi ex parentibus non crediderint priusquam filii, sed quod frequentius est a natura, benignus Magister intromittit. *Non enim*, inquit, *veni pacem mittere*, sed veni separare filium a patre loco scilicet, vel fide, seu moribus; dum de infidelitate convertitur ad veram fidem, de morte ad vitam, de pravitate ad rectam, quæ in Christo est, et veram vitæ viam. Sicque fiunt *inimici hominis domestici ejus*, cum insurgunt filii in parentes, et parentes contra filios, aut nurus in socrum, seu socrus contra nurum, ita ut nulli sit tuta ubique societas. Vel, *Inimici hominis*, id est Christi, qui est filius hominis fiunt *domestici ejus*, dum Judæi apostatantur a fide, qui erant amici prius. Quidam vero, quasi subtilius volentes distinguere, *inimici hominis*, prius, deinde inferunt, *domestici ejus*, ut subaudiatur erunt. Ut qui prius fuerant inimici fiant demum per prædicationem Verbi domestici Dei, sicut facta est omnis gentilitas gentium. Separatur autem spiritaliter omnis qui ad Christum venit a patre diabolo; filia, id est Ecclesia, a gentilitate sua. Nurus a socru, dum Ecclesia fidelium dividitur a Synagoga. Potest et moraliter hic locus accipi : sed hoc lectoris arbitrio ad pertractandum relinquo; quia nec nos hoc Evangelium tripliciter exponendum suscepimus.

Qui amat patrem suum aut matrem super me, non est me dignus. Profecto quia dixerat : *Veni separare filium adversus patrem*, ne putaretur sibi esse contrarius in eo quod jubet diligere patrem temperat modum, et ostendit quod non prohibeat patrem diligere vel matrem, seu cæteras affinitates : sed ut nemo pietatem parentum aut carnis præferret religioni Christianæ, quia renascimur, et adoptamur ut filii Dei simus et nominemur. Docet itaque charitatem ordinatam habere, ut primum Deum ex toto diligamus, deinde proximum sicut nosmetipsos. Quod si hi duo amores simul teneri non possunt, potius in Deum pietas tenenda est, et servanda fides. Unde in lege jussum est (*Levit.* XXI, 2) ne sacerdos super patre aut matre contaminaretur. Ergo in omnibus his virum evangelicum depingit Salvator, informat, et instruit. Ideo non necesse est quæ tractamus singula **510** excellentius magnificare, et latius protrahere: quia ipsa per se sunt grandia, et magnam vim habent cogitantibus ea, ita ut ab invidis et æmulis divina esse censeantur, et extorqueant necesse est veritatis confessionem. Et notandum, quod filium, quem separare venit a patre, adhuc monet, ne super Deum diligat patrem. Sicque intelligendum est, et in cæteris gradibus, ne aliquis plus quam Deus diligatur.

Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Ne forte putares tantum sufficere patrem reliquisse, nisi tollas et crucem, addidit, ut nec crucem satis esse crederes tollere, nisi sequaris et Christum. Unde et in alio Evangelio reperimus : *Qui non accipit quotidie* (*Luc.* IX, 29), quoniam non

Introdusă în format electronic de Google

semel sufficit ardorem fidei concepisse, sed semper crux feranda est post Christum, ut semper amandus doceatur. Nam sunt quidam hypocritarum qui crucem ferre videntur, non tamen Christum sequuntur; quia non eum corde perfecto amare videntur, dum aliud requirunt quam Christum. Duobus itaque modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi intus afficitur animus. Quoniam ille pro nobis crucifixus est, et nos pro illo crucifigamur, non minus in occulto, quam et in manifesto. Alioquin *non est me dignus*, id est ut passionis meæ victoriam consequatur. Hinc quoque Apostolus ait: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* v, 24). Quoniam indignus est gratia, qui non crucem suam, in qua compatimur et commorimur, consepelimur quoque et consurgimus, accipiens, quodammodo imitando Christum fuerit secutus, quod est in novitate vitæ ambulare. Attende, diligens lector, per singulas sententias quam pulcherrimus ordo prædicandi doceatur, ubi nulla evidenter insinuat pericula præsentis vitæ formidanda, omnemque affectionem carnis religioni subjicit; aurum et pecuniæ sumptus ad integrum tollit. Propterea ne forte videretur alicui hujusmodi evangelistarum gravis conditio, et quæreret timidus, unde sumptus, unde et necessaria victus? Austeritatem præceptorum temperat spe promissorum, et beatitudine æternæ remunerationis. Unde sequitur:

Qui invenit animam suam perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam. Nihil igitur magis habet homo quid agat, quam ut animam suam pro Christo et proximo impendat: non solum ut carnem, **511** in passionem pro ipso tradat; verum etiam ut animam quæ magis est quam caro, amittere impræsentiarum gaudeat. Hæc namque est ipsa crux, quam ferre jubet usque in finem, ut salvus fiat. Porro anima quam invenit carnalis quisque, præsens vita est; quam invenisse bene dicitur, quia scire aliam non curavit. Hanc solam sibi sufficere credit, hanc accepisse et invenisse gaudet; quam mavult juxta arbitrii sui libertatem abuti, quam pro Christo crucifigi. Et notandum quod anima diversis dicitur modis; sed nil inferius in ea est quam vita, qua vivitur solummodo cum bestiis. Et ideo qui hanc partem noluerit amittere pro Christo, qua vivitur cum pecoribus, perdet illam, qua perfrui potuit in Christo cum angelis. Perdere autem eam dicit in futuro, cum jam non suo arbitrio perfruetur, sed cruciatibus æternis male damnabitur. Qui vero perdiderit illam, et crucem suam portaverit, inveniet eam vitam, quæ angelica est, et præmia sempiterna. Porro quidam aliter dixere, ut qui invenit animam suam et vult suam salvare, perdat eam, ac si imperativo modo legendum sit, ut crucifigat eam. Et ipse invenit eam, qui in hoc mundo perdiderit, dum detrimento brevis vitæ fenus immortalitatis acquisierit. Jam deinceps omnem austeritatem temperat mandatorum, et apostolorum magnopere exhibet præmia meritorum, dum ait:

Qui recipit vos me recipit, et qui recipit me recipit eum qui me misit. Ita enim dicit in suscipiendis apostolis, quoniam membra sunt Christi, ut unusquisque credentium Christum se suscepisse gaudeat. Sed quia fuere pseudoapostoli et pseudoprophetæ, vel falsi Christiani, occurrit cogitationibus suscipientium si nequiverint discernere, quive falsi, quive idonei ad eos venturi essent, tantum ut in nomine veri discipuli, eos suscipiant. Hinc sequitur:

Et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, et justum in nomine justi, mercedem prophetæ et mercedem justi accipiet. Nequaquam enim de propheta vel de justo, sed qui recipit justum vel prophetam, justi seu prophetæ mercedem accipiet. Secundum quod Apostolus ait: *Qui dat semen serenti, et panem ad manducandum præstabit, et augebit incrementa frugum justitiæ* (*II Cor.* IX, 10). Sed si lector altius velit considerare, omnia hæc in quibus hospitalitas humanitatis commendatur, magnum et evidens ostendunt sacramentum. Jam enim supra periculum non recipientium eos protulerat, cum excussi pulveris testimonio denuntiari jussit; nunc vero recipientium meritum ultra sperati officii gratiam, commendat **512** et docet in se consistere mediatoris officium qui cum sit receptus a nobis atque ille quia natus ex Deo ad nos venit, Deus per illum transfusus in nos esse creditur. Hinc itaque qui apostolos et sanctos Dei ministros recipit, Christum recipit; qui vero Christum receperit, Patrem Domini, qui in Filio est, recipit. Quia non aliud in apostolis recipit quam quod in Christo est, neque in Christo aliud est, quam quod in Deo est; per quæ omnia non aliud est apostolos vel ministros Dei recepisse, quam Deum quia et in illis Christus, et in Christo Deus esse creditur. Sicque fit ut Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus omnia in se habeat. Deum scilicet caput et membra corporis sui, et per hoc in membris suis jure ipse recipitur. Sed si in Apostolo ipse recipitur, eos tantum quasi digito demonstravit, cum ait: Qui vos recipit; cæterum omnes alios exclusit. Quoniam in apostolo ipso Christus suscipitur, in propheta merces prophetæ repromittitur, ac si honor horum duodecim apostolorum commendetur, quos vicarios Christi jure vocamus, prophetarum vero suscipientibus merces juxta officium prophetæ repromittitur, et justi similiter, quasi cooperatoribus prophetarum et justorum. Cum potest fieri ut pseudopropheta, et justus qui videtur non justus, sed falsus et pravus inveniatur. Tamen si ultra duodecim apostolorum numerum nemo recipiendus esset, nemo apostolum Paulum recepisset, et si non nisi verus propheta et verus justus, magna difficultas esset. Nunc autem hoc uno temperavit vocabulo cum ait: *In nomine prophetæ*, aut *in nomine justi*, insinuans non personas suscipiendas esse, sed nomina officio-

Introdusă în format electronic de Google

rum, et mercedem non perdere suscipientis licet A indignus fuerit qui susceptus est, donec zizania mista cum tritico, magna tamen exhortatio data est suscipientibus. Porro de apostolis non ait in nomine apostoli, aut in nomine Christi, quoniam superfluum esset. Nam apostolus Græce Latine *missus* dicitur; missus autem Christi nemo recte dicitur, nisi a Christo sit missus, unde qui apostolum suscipit, eum utique suscipit a quo missus est; et ideo, in nomine Christi eum quia venisse credit, recte ipsum suscepisse dicitur, propter quem eum suscepit, et in quem credit.

Quicunque, inquit, *potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Hoc quippe est quod supra dixerat : cuicunque dederit B tantum fideliter in nomine veræ religiositatis, quia non perdet mercedem veræ religionis. Unde cum de maximis præceptorum mandat, pervenit usque ad **513** minimum, id est usque ad potum et calicem aquæ frigidæ. Qua sicut obviant in singulis calumniatorum fraudibus, ita et in hoc excusatorum prævenit defensionibus, ne forte aliquis diceret : Paupertate prohibeor, tenuitas rerum me retinet ut hospitalis esse nequeam; quam excusationem levissimo delevit præcepto, dum insinuat calicem aquæ frigidæ promptissimo porrigendum animo. Hinc quoque frigidæ dicit, et non calidæ, quia in calida fortassis aliqua excusatio esse posset paupertatis, nunc autem in manifesto est, quod in nullo excusari potest officium benevolentiæ et pietatis. Quia *Deus non irridetur, et* C *quæcunque seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* VI, 7). Mira omnipotentis Dei doctrina sic omnia persequitur, ut in nullo defraudetur merces boni operis, in nullo excusatio habeat locum impossibilitatis, si non fuerit præstitus honor nomini discipuli Christi quamvis minimi. Quia probra de se fallentis, non lædunt officiis pie obsequentis; cum merces secundum dantis fidem recompensatur a Domino, et non secundum accipientis mendacium. Et notandum quod per calicem aquæ frigidæ, non inania demonstrat esse singula, quamvis levissima pietatis officia : verum sicut sunt summa recompensata quæ fiunt pro Domino in summis; ita etiam et minima in minimis, ita ut in nullo evacuetur merces boni operis. Licet D quidam velint solummodo in membris Christi, hos diversos officiorum gradus accipi debere, pro quibus susceptis, aiunt tantummodo remuneratio promittatur; de improbis vero et falsis fratribus quamvis officiosissime susceptis aiunt, quod nulla sit retributio. Unde Dominum in judicio dicturum affirmant *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Quod hic satis apertius declarat cum quilibet ex fide in nomine suscipitur prophetæ, aut justi vel discipuli, quia non perdat mercedem justitiæ, juxta illud Psalmistæ : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXI, 9). Fit namque quisque justus ex honore justitiæ, dum consummatur justitia in nomine justi ex fide.

(CAP. XI.) *Et cum consummasset Jesus præcipiens duodecim.* Perfectionem apostolicæ doctrinæ insinuat ab eo loco ubi ait : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* III, 37). Ergo quod sequitur, *Transiit inde*, id est a domo in qua longe supra duodecim sanati sunt ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum. Ad has igitur venit civitates quas paulo post increpat, et quibus exprobrat, post interpolatam Joannis, ac si fabulam quod **514** non crediderint ad signa et prodigia quæ facta sunt in eis, et ad prædicationem ipsius Salvatoris. Sequitur :

Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi. Quia Christus cum audisset quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, ad quem jam de carcere mittens discipulos suos ait illi : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Non quod ille B Christum ignoraret, quem omnibus digito ostenderat dicens : *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I, 29, 36), et super quem viderat Spiritum in specie columbæ descendentem et manentem. Nec non et de quo audierat : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVI, 5). Sed sicut in Græco reperimus quod nostri non habent codices, cum tingeretur aquis Jordanicis, lux, inquit, magna circumfulsit de aqua, ita ut timerent omnes, id est circumstantes. Ex quibus omnibus satis colligitur non eum ignorasse, quem venturum prius, ut præco nuntiarat; advenientem et consistentem inter turbas ut propheta agnoverat, ostendit; porro adeuntem ut confessor veneratus est, de quo dixerat : *Post me venit vir, qui ante me factus est,* C *cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere* (*Joan.* I, 27). Unde igitur tam abundanti ejus scientiæ error obrepsit, ut nesciret quem tot indiciis, docente intus Spiritu sancto cognovit, et præconiis declaravit : nisi forte spiritu prophetiæ ex parte tactus fuit, ut eum Dei Filium sciret, et multa de illo nesciret; et parte vero necdum tactus erat, et ideo de illo fideliter interrogat nonnulla quæ nesciebat. Hincque signanter ait : *Tu es qui venturus es*, et non ait, qui venisti. Non enim ignorabat se Dei Filium baptizasse, sed ignorabat forte, si ipse per mortem mundum redempturus esset, et ad inferna pro suis descensurus. Et ideo ait : *An alium exspectamus?* Ac si diceret : Sicut te prædicans annuntiavi in terris, D utrum sic ad inferna iturus nuntiabo illis, ut te exspectent quandoque esse venturum. Alioquin credi non potest quod in carcere positus pro justitia et veritate, Spiritus sancti gratia, qua repletus fuerat, sit privatus; cum apostolis idem Spiritus sanctus virtutis suæ lumen esset in carcere similiter pro Christo positis, ministratus. Verumtamen quamvis ita recte accipi possit ut monstravimus, Domini et Salvatoris responsio, aliud intelligere nos cogit, qui non ad ea respondit quibus interrogatur verbis. Hinc liquido constat, quia Joannes non sibi tantum interrogat quantum discipulis quos ad Christum dirigit, sic quippe interrogat, quomodo **515** Salvator ubi positus sit Lazarus, ut qui locum sepulcri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem cum viderent mor-

Introdusă în format electronic de Google

num resurgentem. Noverat enim præcursor et propheta Domini quod discipuli ejus hactenus superbirent adversus Dominum, et haberent aliquid contra eum mordacitatis, ex livore et invidia, quod supra ostensum est, evangelista referente : *Tunc*, inquit, *accesserunt discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant* (*Matth.* IX, 4). Et alibi : *Magister cui tu perhibuisti testimonium ad Jordanem, ecce discipuli ejus baptizant et plures veniunt ad eum* (*Joan.* III, 26). Quasi dixerint, invidia stimulati, nos deserimus et ad illum turba concurrit. Quæ omnia plenissime sciens beatus præcursor, formavit, non sibi, ut dixi, sed illis, ac si fabulose, interrogationem mittens per eosdem quos obcæcaverat livor invidiæ, ut amplior *intelligentia*, et efficacia major sentiretur in eodem facto expressa, quatenus ipse propheta in hoc conditionis suæ genere prophetaret, et discipulorum suorum ac si providus Magister sanaret vecordiam. Quia in ipso Joanne forma legis erat, lex enim Christum annuntiavit, et remissionem in eo ipso prædicavit, regnumque cœlorum spopondit. Nam et Joannes hoc totum opus legis explevit; hinc cessante jam lege, quæ pro peccatis plebium inclusæ tenebatur, et populi vincta vitiis, ne Christus possit intelligi, quasi vinculis et carcere retrusa tenebatur. Propterea ergo ad Evangelia contuenda lex mittit duos ex discipulis suis, scilicet Scribas et Pharisæos, ut infidelitas fidem non minus factorum quam dictorum contempletur, ut quod intra eam peccatorum fraude sit colligatum, per intelligentiam evangelicæ libertatis abluatur. Tali igitur Joannes exemplo, et mirabili magisterio Spiritus sancti usus, quasi artificis ingenio, et prophetiam texit in facto, et discipulorum consulit ignorantiæ, ut scirent non alium a se prædicatum quam Deum. Idcirco ad opera ejus contuenda discipulos suos misit, ut auctoritatem dictis illius, et præconiis ejus, opera conferrent, ne Christus jam alius exspectaretur, quam cui testimonium opera Deitatis præstitissent. Unde plenissime datur intelligi quod eodem spiritu Joannes erat plenus, qui super Christum requieverat totus, et ideo Christus totum prænoscit, ad quod miserat eos Joannes, et Joannes nihil dubitavit de Christo, cui omnia cordis secreta patent. Hinc quoque, ut dixi, non ad verba **516** interrogantium respondit, sed *signa* Deitatis ostendit.

Ite, inquit, *dicite Joanni quæ audistis et vidistis*. Ut ipsi sibi testes essent propriæ conscientiæ, ad quod eos magister eorum miserat; quibus arbiter omnium secretorum, non ad verba, sed ad intentionem mittentis, et ad scandalum nuntiorum respondit : *Cæci vident*, ac si diceret : Ite, dicite Joanni quia ego sum de quo propheta dicebat : *Deus veniet ipse et salvabit nos* (*Isa.* XXXV, 4); et alibi : *Ipse infirmitates nostras portabit* (*Isa.* LIII, 4) : nec non et illud : *Tunc aperientur oculi cæcorum ; claudi ambulant* (*Isa.* XXXV, 5). Quia in eodem propheta dictum est (*Isa.* XXXV, 6) : *Tunc saliet claudus sicut cervus*. Ac deinde : *Surdi audiunt*, ex quo sequitur, *quia surdorum aures patebunt*. Porro quod ait : *Pauperes evangelizantur*, ipsi utique pauperes, de quibus dictum erat : *Evangelizare pauperibus misit me* (*Luc.* IV, 18); ut intelligeres inopes, seu, quod magis accipiendum est, spiritu pauperes; ut nulla videretur distantia prædicandi inter nobiles et ignobiles, inter divites et egenos.

Et beatus, inquit, *qui non fuerit scandalizatus in me*. Ipsorum ergo, ut dixi, conscientiam percutit, vel eorum omnium qui de morte Christi dubitant, quia etsi mortuus est ex infirmitate carnis ut ipse voluit, vivit tamen ex virtute Dei. Idcirco tam eos qui missi fuerant, quam omnes vult sanare ab scandalo infidelitatis; quibus si non fuerint scandalizati beatitudo repromittitur. Alioquin in his dictis vel factis discipuli Joannis plus admirari poterant quam scandalizari; neque jam aliquid in Christo erat gestum unde Joannes scandalizaretur, ut ei talia mandaret. Quinimo eisdem loquitur discipulis ad quos missi fuerant ut sanarentur : non solum ipsi, verum etiam omnes quibus evangelizata erat a principio decursi sermonis mors Christi et passio crucis, sic ait : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam, et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* X, 38, 39). In quibus quia in Domino universitas passionum conveniret, et futura esset crux ejus plurimis in scandalum, propterea eis qui perseveraverint in fide sine scandalo, beatitudo repromittitur. Unde videtur eosdem nuntios ab exordio præteriti sermonis inter discipulos Christi semper fuisse, ubi prius cæci sunt illuminati et claudi, nec non et pauperes evangelizati, et ad perferenda omnia usque ad mortem plenissime instructi. Sed quæ interrogata sunt, quæve responsa ne possent Joannis suspicari **517** infamiam vel suspicionem, tanquam in aliquo scandalizatus esset de Christo, ait benignissimus Jesus ad turbas de eo :

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Et hoc quasi fabulose loquitur. Nam per desertum certe, aut ipse locus in quo erant, designatur, aut forte, quia ipsi Spiritu sancto vacui erant, in quo habitatio Dei ulla necdum erat. Unde increpantis affectu potius, quam confirmantis hæc loquitur. Ac si diceret : Ut quid existis videre hominem cogitatione Dei vacuum, et veluti calamum, immundorum spirituum flatu huc illucque vagantem? Hæc idcirco ita dixisse creditur, ut et Joannem miris efferret laudibus, et eos, quorum corda introspexerat, redigeret ad soliditatem fidei de Joanne, quod non lenitate mentis de eo ambigeret, quem antea prædicarat; aut forte vanis eorum cogitationibus respondit : ne videretur invidiæ stimulis contra Christum agitari, quasi de prædicatione sua vanam sectaretur gloriam. Verumtamen quidquid turbæ cogitaverint de Joanne, miris eum circumscribit laudibus, quod nec calamo similis esset inter medios fluctus, et aurarum anfractus, ut ullis impulsionibus fidei moveretur, nec vacuus intus esset rore Spiritus sancti, neque mollibus vestitus.

Introdusă în format electronic de Google

Quoniam ecce, inquit, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*. Quasi diceret : Non ex prædicatione sua vanam captat gloriam, neque vitæ sæculari blanditur, ut mollibus vestiatur, sed potius vos quærit, qui quasi arundo intus vacui, exterius huc illucque flexibiles fulgetis. Nam quatuor modis in Scripturis sacris arundo vel calamus dicitur. Aliquando dicitur pro verbo sacri eloquii, quod manat et influit, ut est : *Lingua mea calamus scribe velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2). Aliquando doctoris peritia designatur, ut est : *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami* (*Isa.* XXXV, 7). Aliquando nitor gloriæ sanctorum, ut : *Fulgebunt justi, et sicut scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III, 7). Quod arundinetum ipsi erant ad quod Dominus loquebatur fluctuantes. Interea quæ prius audierant a Joanne, et cætera quæ de eo multis protulerat præconiis. Et nunc audiebant interrogantem : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Ergone in his fluctibus auditores Christi remanerent, firmat eos etiam de Joannis exemplo, quod non interius vacuus, quod non exterius siccus, quod non sectator mollitiei, et adulator regum **518** terrenorum fuerit. Insuper addidit quod majus est :

Aut quid existis videre? Prophetam? dico vobis etiam plus quam prophetam. Postquam igitur ab errore animi eos revocavit, mox infert, quomodo vel qualem eum credere deberent. Prius siquidem depulit errorem, tum demum adhibuit veritatem. Et quod ergo plus quam propheta fuisse dicitur, manifestum est quare dicatur. Quia ipsi licuerit prophetare Christum, deinde quod nulli alteri prophetarum, videre, et digito demonstrare, nec non etiam manibus baptizare : unde non minus opere quam et nomine jure plus quam propheta est. Quoniam prophetæ officium est futura prædicere, hic autem, quem prædixit venturum, præsentem extensa manu ostendit. Nonne vero quam magnus sit, voce divina insinuatur, cum ait : *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Mal.* II, 7). Sed et Malachias ex Hebræo qui *angelus* interpretatur, hunc prænuntiat in persona Spiritus sancti angelum esse futurum, non quod Joannes angelus fuerit, in naturæ societate, sed ex officii participatione. Nam et angelorum nomen non naturæ, sed officii est. Porro facies Christi ejus cognitio est, sicut et Christus facies Patris, per quem Pater cognoscitur, ante cujus faciem Joannes venire, ut cognoscatur Christus longe ante prænuntiatur.

Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Fortassis ergo, ut dixi, quia missus est ex officio angelus ante Deum, ne forte existimaretur super humanam naturam esse et plus quam homo, ideo mox temperavit sententiam, et inter natos mulierum eum annumeravit. Ita tamen ut inter eos etiam intelligatur qui ex viri feminæque coitu generantur, et non Christo qui est ex virgine sine complexu viri genitus, coæquetur. Sic quippe divinus arbiter, inter utrumque sententiam temperavit, et ut monstraretur quid erat et ne ultra putaretur quam homo, quam non erat nisi qui missus in angeli potestate viam parabat homini Deo. Veruntamen recte adhuc quæritur si major fuerit Joannes Elia, in cujus spiritu et virtute venisse dicitur. Aut si major credendus sit Elisæo, in quo *duplex spiritus*. Eliæ requievisse dicitur (*IV Reg.* II, 9). Quod valde a nobis temerarium est definire, nisi forte ideo major jure dicitur Elia vel Elisæo qui præcedit, *in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* I, 17), quo ille venturus est in finem **519** sæculi. Nam eo modo major fortasse accipitur. Unde non ait, sequetur, licet Elias ante fuerit, sed præcedet ; qui forte cum venerit, tanto majorem quam prius gratiam habebit, quanto et agonem habiturus est fortiorem. Interea non cum prophetis et patriarchis, vel cunctis Salvator prætulit hominibus, sed exæquavit cæteros Joanni. Hinc ergo est quod sequitur :

Qui minor est, inquit, *in regno cœlorum, major est illo*. Quamvis eum angelum dixerit, tamen major est illo, in regno cœlorum, qui post agones et bella pii certaminis, jam cum Deo est, et victor ad cœlos ascendit, istiusque vitæ variis evasit ludibriis, quam his qui adhuc inter dubias sui agonis pugnas, dubius militat, et desudat ex eventu. Nonnulli, quia angelum eum dixerat, de angelis id dictum accipi debere, dixerunt. Ac si dicatur, quod angelus quilibet in regno cœlorum, quamvis minor præ cæteris, quia videt faciem Patris, major est Joanne, etsi extremus in officio sit a natura. Unde recte quæritur quia angelus natura antecellit, utrum meritis et gratia hominibus sanctis demum coæquabitur in gloria, quanquam hic nullus audeat præsumere de se, nisi etiam eorum indigeat suffragiis, quorum ubique protegimur auxiliis. Unde David in Psalmo : *Immittet angelos Domini*, inquit, *in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII, 8). Ille utique, *magni consilii angelus*, mittit administratorios spiritus suos, et facit eos angelos dum ad nos veniunt, propter eos qui hæreditatem sunt accepturi salutis. Sed de hoc temere judicare non oportet, vel quantum ipsi inter se differunt, vel etiam quantum summi sanctorum eorum debeant coæquari sublimarive societate. Verumtamen beata et gloriosa Virgo Maria, jam ex auctoritate ecclesiastica et traditione sanctorum Patrum, ubique canitur et prædicatur super choros angelorum gloriosissime exaltata. Interea (ut ita fatear) non natura, sed dono et privilegio divinæ gratiæ, quoniam eodem verbo quo cœli, firmata est, et eodem Spiritu repleta, quo virtus eorum et potestas, amplior prædicatur. Quidam dixere quia Christus, qui tunc ætate adhuc et fama minor videbatur in carne, major erat illo in regno cœlorum, in præsenti scilicet Ecclesia, quæ jam erat in apostolis certe aut quam ipse supra regebat in cœlis.

A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti **520** *diripiunt illud*. Singulæ benignissimi Salvatoris sententiæ, quia sunt gravidæ mysteriis et plenæ sacramentorum

Introdusă în format electronic de Google

doctrinis, decrevi de singulis pertractare. Sed quia materia vincit loquendi peritiam, quia ex omnibus non possum petentibus condignum opus efficere, saltem brevissime imaginem veritatis ostendam. Et si nequivero principalem de omnibus quam authenticam vocant præstare vocationem, elaboro tamen ut vel scire cupientibus sensum evangelistæ, verbis etsi ineruditis, absolvam. Unde cum perpendo quod dictum est : *A diebus Joannis usque nunc regnum cælorum vim patitur*, miror valde quid velit innuere. Quia etsi ab eo baptismus et pœnitentia per quæ regnum cœlorum diripitur, primum prædicata est, quid sit quod ait · *Usque nunc*, satis obscurum est. Quia cum ait : *a diebus Joannis Baptistæ usque nunc, quasi duos* illud rapiendi posuit terminos. Quod si nec post, nec ante, quispiam illud diripuit fide, vana fuit omnis patriarcharum et prophetarum spes, vana et in Christo æternæ vitæ repromissio. Verum quod ante prædicationem pœnitentiæ quam Joannes annuntiavit, nec ante baptismum quem exhibuit, ullus sanctorum regnum cœlorum percepit, quoniam, sicut Salvator ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum cælorum* (*Joan.* III, 5) : unde liquido constat, quod ex eo regnum cœlorum violentiam passum est, ex quo credentibus in se, Christus januam paradisi patefecit. Sed quærendum quid est quod dicit : *Usque nunc?* Nunc autem scimus quia adverbium præsentis temporis est. Quod si a diebus Joannis regnum Dei usque ad illud tempus hanc violentiam passum est quando Christus hæc loquebatur, et non ulterius, ergo omnes exclusit a regno Dei qui ante vel post in Christum crediderunt. Nisi forte aliqua intelligenda est violentia, quæ tunc temporis viguit, nec tamen alio in tempore, cum hæc violentia, nulla nisi fides in Christo, *Quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* v, 6), alia fuit. Idcirco quod *dicit* Salvator : *Usque nunc*, utique usque ad se illud tempus intelligi voluit, quia ipse semper, heri, et hodie, id est et nunc dum præsens sæculum currit, et ideo nec ante ipsum quem Joannes prædicavit et ostendit digito, nec post ipsum, qui semper in tempore præsens est ubique idem regnum cœlorum ulli aperitur. Interea violentia qualis quantaque sit, qua violenti regnum **521** cœlorum diripiunt, jure quæritur, quia omnino magna et mirabilis est. Mira siquidem vis est ut peccator homo, regnum supernorum civium, quod non habuit per naturam, adipiscatur per gratiam ; et homo terrenus de limo terræ formatus consequatur æternam et angelicam vitam. Quid ergo violentius esse potest quam cœlum acquirere per virtutem, quod nunquam tenuimus per naturam? Nam ut rerum exigit natura potior semper vim infert, et minor est, cui vis infertur. Hinc quoque ab exordio sermonis Christi construitur fidei murus, et propugnacula præparantur, quibus omnis violentia fidei armatur, ut diripere possit, gratis quod offertur. Cæterum apostolo Judæorum Joanni non creditur. Auctoritatem Christi opera non merentur. Crux futura scandalum erat pene omnibus. Prophetia Joannis finitur. Lex in Christo completur, deinde prædicatio concluditur. Porro spiritus Eliæ in Joannis voce præmittitur. In illo vetera terminantur, nova incipiunt. Unde velim perpendat quisque fidelis quænam vis major esse potest, quam quæ facta est, dum Christus Judæis prædicatur, et mox a Gentibus suscipitur et cognoscitur. Judæis quidem nascitur, et diligitur a gentibus. Sui eum respuunt, alieni diripiunt. Proprii insectantur, complectuntur inimici. Hæreditatem gentilitas a Deo aliena expetit ; familia rejecit. O mira Dei virtus ! *Quam incomprehensibiles sunt viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33.) Testamentum promissæ hæreditatis filii repudiant, et servi ex fide promerentur illud accipere. Hinc igitur est quod dicitur, quia *Regnum cælorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI, 11). Quia, ut quidam ait, gloria Israel patribus debita, a prophetis nuntiata, a Christo oblata, fide gentium occupatur et rapitur.

Omnes, inquit, *prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt*, quod *non surrexit major inter natos mulierum*. Idcirco jure limes est ipse legis et prophetiæ, ex quo etiam quasi proprio utitur privilegio. Et notandum quod ait : *Omnes prophetæ*. Nunquid et eos hoc verbo complectitur qui post adventum fuerunt Christi? Sed proprie de prophetantibus Christi adventum dicit ; quanquam et hi qui post fuere non nisi usque ad Christum et de Christo prophetaverunt. Legis autem unum est nomen, sed tripartitam habet intelligentiam ; quia prima pars legis est de Deo, secunda vero pars ejus est in præceptis **522** agendæ vitæ : deinde tertia in neomeniis et sabbato, in escis variis et circumcisione, nec non et in variis sacrificiis. Quam sane partem dicit pro toto usque ad Joannem prophetasse ; quoniam quidquid in eisdem est præceptis et ænigmatibus, non nisi futurorum prophetia est. Reliqua vero omnia legis venit Christus non solvere, sed adimplere. Implentur autem illa quæ semiplena sunt, ut Deus Trinitas ex lege intelligatur ; præcepta vero agendæ vitæ, ut amplius compleantur, sicut est, non irasceris, etc. hujuscemodi. Ultima vero pars significandæ vitæ tunc impleta est, cum Christus qui per eam figuris et ænigmatibus repromissus est, jam venisse in carne, per eam ubique præfiguratus monstratur. Et notandum quia lex prophetia est ; quoniam sicut Paulus ait ad Hebræos : *Multifarie multisque modis olim Deus patribus in prophetis locutus est* (*Hebr.* I, 1). Aliter tamen rebus, aliter verbis. Sed rebus et verbis una dicitur facta futurorum usque ad Joannem prophetia.

Quod si vultis, inquit, *scire, Joannes ipse est Elias.* Quæ nimirum sententia nisi esset multis sanctorum Patrum jam declamationibus serenata videretur valde obscura, in tantum ut quidam non minus hæreticorum quam philosophorum voluerint asserere, animas iterum ad corpora redire, et per diversa se invicem comitari debere. Quod sane catholica fides non recipit. Propterea non in persona

Introdusă în format electronic de Google

Joannis idem qui Elias, sed in Spiritu et gratia unum sunt etiam et in præconio veritatis. Sequitur :

Qui habet aures audiendi audiat. Quam profecto sententiam ubicunque Spiritus sanctus proponit, mysticam monet requirere intelligentiam, tam in Evangelio quam in Apocalypsi Joannis. Spiritales siquidem aures requirit, dum dicit : *Qui habet aures audiendi audiat* (*Apoc.* II, 17). Quis igitur tam imperitus idiota et indoctus, qui nesciat hominem interiorem esse et exteriorem, qui nesciat animum intus habere aures cordis? Nam vox exterior aurem pulsat corporis, cum tangit et verberat aerem fitque vox, et influit tangitque aures, ut moveatur auditus: sicque proferente Spiritu sancto quæ divina sunt, mens nostra intus simul audit et videt. Cujus nimirum videre, intelligentia est; et intelligere recte, sensus est consummatus. Et sicut exterior vox hominem permovet ad auditum : ita divina interius animam docet et erudit **523** cum suis ipsa quæ Dei sunt, percipit auribus. Sed quia rari sunt qui has intus habeant aures, idcirco vigilanter requirit inter innumeros : *Ut qui habet aures audiendi audiat.* Quas nemo habere poterit, nisi cui datum est eas ut habeat. Sed talis videat etiam ne in vacuum gratiam Dei percepisse videatur, sicut hi fecerunt, de quibus subditur :

Cui autem assimilabo generationem istam? Similis est, inquit, *pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis dicunt : Cecinimus vobis et non saltastis, lamentavimus, et non planxistis.* De his autem videtur dicere, remissis ad Joannem duobus discipulis, ad quos continuatim dubitantibus de illo, locutus est. Quinimo in eorum specie, omne genus Judæorum quorum corda, nimia premebantur infidelitate, culpatur. Verumtamen de ludo puerorum et lamentantium consuetudine, miram egregius Magister proverbialem proponit similitudinem. Est autem quibusdem in locis consuetudo, ut aiunt, duos inter se constituere ordines, quibus vicissim aliquando quod volunt laudant, aliquando threnos inculcant, suis conclamantes æqualibus. Unde Dominus hanc suis auditoribus congruam invexit correptionis sententiam. Quia totus hic sermo, infidelitatis opprobrium est, et de affectu superioris querimoniæ, descendit quam pulchre ad cantantium voces modus aptatur saltantium, et ad lamenta plangentium, juxta simplicitatem sensus. Quia et cantibus plausus convenit lætitiæ, et lamentis, planctus compunctionis. Non in lamentis, et bona recitantur eorum quos plangunt, et casus diræ infelicitatis, sicut Jeremiam fecisse legimus in Lamentationibus suis. Et propheta alius lamentatrices jubet evocare ad planctum, quæ majores in populo excitent fletus. Porro quod ad cantum saltare conveniat, docet David, dum chori hinc inde psalmos dicerent, et ipse ante arcam subsiliens, etiam nudus saltaret. Unde de his, non libera nobis datur facultas intelligentiæ. Sed quidquid dicitur de pueris et generatione, quam objurgare propter duritiam cordis videtur, totum ad Judæos et ad Christum ad prophetas et apostolos, qui pueri vocantur, propter innocentiam, referendum est. Quoniam pueri isti qui sedent *in foro*, *ii* sunt de quibus Isaias loquitur ex persona Christi : *Ecce ego*, inquit, *et pueri mei, quos mihi dedit* **524** *Deus* (*Isa.* VIII, 18; *Hebr.* II, 13). Et in Psalmis : *Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem* (*Psal.* VIII, 3). Sed et illud : *Testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis* (*Psal.* XVIII, 8). Isti ergo sunt parvuli seu pueri, in foro sedentes qui venalia lucra Christi exercent. Qui margaritas in foro ferunt et lapides pretiosos, qui aurum et argentum eloquiorum Dei, venale proponunt. Denique lac et vinum, etiam sine argento, et sine ullo pretio juvenibus gratis offerunt. Nam ubi Latine dicitur *in foro*, Græcus habet ἐν ἀγορᾷ quod significantius dicitur, ita et est locus ubi multa venalia sunt. Et quoniam populi Judæorum, semper auribus prægravati, audire noluerunt, ideo non tantum locuti sunt ad eos prophetæ et apostoli, verum etiam exaltaverunt ac si tuba vocem suam, et clamaverunt dicentes : *Cecinimus vobis et non saltastis* (*Matth.* XI, 17), id est provocavimus vos ad nostrum canticum, et nihil opere manuum respondistis. Prædicavimus Christum venturum in carne et non credidistis. Et notandum quod omnia virtutum prædicamenta una harmonia est, et una melodia dulcissimi cantus; nec non et prophetia de Christo tuba salutis. Lamentati sumus et vos ad pœnitentiam provocavimus; nec hoc quidem facere voluistis. Sprevistis itaque utramque prædicationem, tam piæ exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ post peccata. Quid enim durius in utroque genere, cum nec mens bonis provocatur ad melius, blandimentis, nec comminatione pœnarum, expavescit ut revertatur, ne forte deinceps obligata peccato, male vivat in pœnis. Quam sane sententiam Salvator, ad quid proposuerit, apertius insinuat.

Venit, inquit, *Joannes, non manducans neque bibens.* Et hoc est quod ait, Lamentavimus vobis, quia habitus illius et parcimonia victus, nihil aliud quam lamenti forma et pœnitentiæ fuit. Non quod non manducaverit Joannes et biberit, sine quibus impræsentiarum nemo vivit, sed quia communes hominum cibos et superfluos ac non necessarios vitæ nunquam comedit. Insuper vinum et siceram non bibit, qui ab omni potu quo inebriari potest abstinuit. Deinde venit filius hominis habitum lætitiæ habens, quod est dicere cecinimus vobis. Venit siquidem manducans cum publicanis et peccatoribus, in conviviis omnium ciborum alimenta vobiscum sumens, et tamen sic non placuit vobis, ut ad ejus cantica **525** lætitiæ, operam daretis piæ jucunditatis, ac si patenter dicat : Quod si jejunii mœror et abstinentia victus placet, cur Joannes displicuit vobis? Et si lætitia, atque uti omnibus cibis, cur Christus non placuit vobis?

Justificata est, inquit, *sapientia a filiis suis.* Ac si

Introdusă în format electronic de Google

diceret, quia vos noluistis recipere disciplinam, ego qui Dei summi sapientia sum, comprobatus et acceptus sum ab apostolis meis et discipulis. Ab his scilicet qui vim facientes, regnum cœlorum ipsum illud diripiunt, fide justificati. Et idcirco quia in sapientia sunt renati, jure filii dicuntur sapientiæ. Operæ pretium est ergo in hoc loco virtutem dicti perpendere. *Justificata est*, inquit, *sapientia a filiis suis*, de se utique volens illud dictum intelligi, est enim ipse sapientia Dei Patris. Non accidens ex rerum efficientiis, sed ex natura. Res enim omnis habet potestatem suæ naturæ, negotium vero potestatis effectus est; quia non idem est opus virtutis quod est ipsa virtus. Tantum igitur discernitur, efficiens virtus per quam efficitur quod effectum est, quantum Creator a creatura. Et ideo in hoc dicto ut justificata sit sapientia a filiis suis quos genuit ut sapientes sint, potius natura sapientiæ intelligenda est quam efficientia et opus virtutis. Quoniam Christus a natura vere Dei virtus ab Apostolo et vera sapientia Dei Patris prædicatur. Et hic seipsum apertissime sapientiam nuncupavit, essentialiterque seipsum sapientiam esse ostendit. Hoc quippe filiorum magni est doni privilegium, ut ita eum intelligant sinceriter, quia reprobarunt eam filii regis, ut possit sapientia recte justificata prædicari a filiis suis, et ipsi exinde in adoptionem filiorum transire.

Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, etc. Inter reliquas, superius quas dicitur circuisse civitates ut prædicaret Evangelium regni, etiam et istis prædicasse nulli dubium est. Quod hic Matthæus per recordationem magis quam secundum textum posuerit. Nam hæ duæ civitates in Galilæa fuisse manifestum est; sed quas Dominus virtutes in eis fecerit, non satis apparet, nisi forte eo in tempore quo circuibat et reliquas civitates, ibidem tunc fecerit plurimas virtutes, quod nunc recapitulatur. Verumtamen quia factæ sunt, nulli dubium est; sed valde resolubilis ex hoc loco **526** quæstio nascitur, verum etiam et a sanctis patribus impertractabilis, cur non factæ sint virtutes in Tyro et Sidone? Quæ si factæ fuissent juxta Salvatoris vocem, pœnitentiam ad prædicationem ejus egissent. Nunc vero, quia prædicatum non est eis, neque signa miraculorum perceperunt, videntur non esse in culpa, quia non crediderunt. Quinimo vitium silentii in eo est, qui acturis pœnitentiam noluit prædicare, quod nemo fidelium audet dicere : Idcirco, ut dixi, ab omnibus sanctis doctoribus vera et facilis est responsio valdeque aperta, se ignorare judicia Dei, et singularum dispensationum ejus sacramenta nescire. Unde Paulus apostolus exclamans dixit : *Quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33.) Siquidem propositum fuerat Domino Judææ fines interdum non excedere, ne justam Pharisæis calumniatoribus et sacerdotibus, occasionem persecutionis primum daret. Unde et apostolis ante passionem A præcepit : *In viam gentium ne abieritis, et in civitatibus Samaritanorum ne intraveritis* (*Matth.* X, 5). Ergo civitatibus Judæorum, quas exprobrat Dominus, ideo prædicatum est Evangelium et signa ostensa, ut inexcusabiles essent. In quibus profecto verbis Dominus Jesus altius nobis mysterium prædestinationis ostendit, cum et illis prædicatur verbum Dei, quorum cor obduratum, et aures prægravatæ erant; et illis non prædicatur, inter quos si factæ fuissent, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent sicut se habent eloquia veritatis. Tamen in die judicii et istæ punientur remissius, quamvis minore supplicio, et illæ gravius, in quibus facta sunt mirabilia et signa ab ipso Domino, propter contumaciam et inobedientiam quam præscivit etiam Dominus habitaB ros, antequam in eis factæ fuissent. Utrumque igitur præscivit Dominus et istos abnegare seipsum cum fierent, et illos pœnitere et confiteri, si fierent. Quod et postea in prædicatione apostolorum fieisse, manifestum est. Unde ne quæras tempus quando factum sit, cum intuearis salutem credentium, sed cur istis remissius etiam non credentibus prius, et illis gravius quibus prædicatum est, et ad quos venit Dominus, quibus signa et mirabilia ostensa sunt divina, manifestum est. Quia illæ civitates absque Deo erant vero sicut omnis gentilitas, sine notitia legis et prophetarum tantum legem naturæ transgressæ. Judæa vero et civitates quas exprobrat, **527** omnia contempserunt, legem naturæ et prophetas, legem per Moysen datam, in qua Christus C venturus præmonstrabatur. Insuper etiam ipsum Dominum præsentem, signis et virtutibus declaratum, rejecerunt. Et ideo ut inexcusabiles essent, hæc exhibita sunt eis ostensa signa Deitatis. Verumtamen ex his omnibus nostrum est confiteri, quia etsi occulta sunt quæ dicuntur, vera utique sunt et justa quæ fiunt a Deo. Unde canitur in Psalmo: *Judicia Dei abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Et : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XIV, 11), quoniam non est iniquitas apud Deum nec injustitia ulla. Licet quidam disputator catholicus non ignobilis hunc Evangelii locum sic exposuerit, volens effugere profunditatem quæstionis, ut diceret præscisse Deum Tyrios et Sidonios a fide postea recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent; D hinc misericorditer potius, non eum illic prædicasse vel virtutes fecisse, quoniam graviori pœna obnoxii fierent, si fidem quam susceperant, rejecissent. Utrumne sit ista exsolutio vera, prudens lector intelligat. Potest tamen hinc objicere jam quia pietas fuit Salvatoris in eis quos maluit non accedere ad fidem, quam cum scelere multo graviori discedere a fide, cur non potius factum est clementissime, ut crederent prius, deinde præstaretur eis per gratiam fidei quam perceperant fidem ne relinquerent? Aut antequam eam relinquerent, ex hac vita migrarent, ne malitia, sicut scriptum est de quibusdam, mutaret corda eorum. Ac per hoc manet illud Dei judicium in utrisque occultum, sed justum in omnibus

Introdusă în format electronic de Google

quamvis plurimi ex hoc multas coacervent quæstiones, et involvant incautos syllogismorum nexibus. Unde quæso, quia difficile est, tantam in me esse præstantiam et facilitatem doctrinæ, ut omnibus artibus et officiis satisfaciam eloquentiæ, et absolvam impenetrabilia divinorum verborum profunda mysteria ne nostram notent ignorantiam in his quæ Deus solummodo sibi nota voluit reservari. Quorum velim non sit iniqua reprehensio in me, qui debent utique grati esse, et acceptum ferre, quidquid noster labor et industria dignum fidei, et non eloquentiæ percepit. Nam nos grandia et incredibilia pene conamur, tenues ingenio, et exigui. Plus si quidem ex Deo audemus, et præsumimus, quam uti meremur et possumus. Tamen non est inefficax, quisquis de **528** Deo fide vera plus præsumit quam meretur aut possit. Quam fidem sane quia præfatæ urbes recipere noluerunt, etiam Capharnaum, in qua diu conversatus est, denotatur, et comminatus est ei.

Tu, Capharnaum, inquit, *nunquid in cœlum exaltaberis? Usque ad infernum descendes.* Sed in Græco habet : Et tu, Capharnaum, quæ usque in cœlum exaltata es, usque in infernum descendes. Sed videtur duplex intelligentia. Vel ideo ad inferna descendes, quia contra prædicationem meam superbissime restitisti, vel quia exaltata usque ad cœlum, meo hospitio et meis signis atque virtutibus, tantum habens privilegium majoribus plecteris suppliciis, quia his credere noluisti. Legitur namque quod Capharnaum juxta stagnum fuerit Genezareth in Galilæa gentium, et in finibus Zabulon et Nephthalim : villa quidem pulcherrima, sed quantum videtur in comminatione ejus Jerusalem culpatur quod rea sit, sicut et alibi ad eam dicitur, quia justificata est soror tua Sodoma ex te, ut appareat ejus turpitudo deliciarum, et nimiæ elationis superbia, atque fœditas vitiorum. Unde ait :

Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, mansissent usque in hunc diem. Ubi primum notandum est quia scelera et flagitia hominum nonnunquam vitam minuant impræsentiarum. Ac si dicatur de eis : si non peccassent et contra Deum non egissent, mansissent utique usque in hunc diem, scilicet in quo loquebatur. Verumtamen quod ait, forte, ac si dubitantis adverbium, non quod Dominus quidpiam dubitaret, sed ut liberi arbitrii daretur locus et facultas manendi si peccare noluissent, cum fidem ex signis et prodigiis suscepissent. Nam salus omnis ex fide est. Et ideo ubi tot miracula visa sunt, debuisset non solum gestorum visio vocare ad metum, et ad fidem rapere, verum ipsa, licet a longe, auditio invitare. Sed infelices Judæi inter quos facta sunt talia, et quibus prænuntiata sunt hæc eximia, quorum immanitas peccatorum facit, ut non solum Tyriis et Sidoniis levia sint peccata, verum etiam Sodomorum et Gomorrhæorum, quia forte illis credendi fuisset affectus, si talium virtutum contemplatio contigisset. Et quod magis est, quia non usque adeo peccaverunt, necdum percepta lege divina. Tamen in his omnibus ostenditur differentia suppliciorum in futuro, sicut **529** et diversa qualitas meritorum.

In illo tempore, respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Domine Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, et cætera. Quæritur autem, non interrogatus quomodo respondisse dicitur? Non enim præmissum est, quod eum aliquis interrogaverit, vel quid interrogaverit. Quod genus locutionis et in Apocalypsi legimus. Sed utrum ad mysticos sensus pertineat, an certe simpliciter hæc locutio accipienda sit, lectoris arbitrio derelinquo. Nisi quia sunt divina interius quæ vident sancti, et audiunt adhuc in carne, quibus quam sæpe respondere videntur, et alloqui : quanto magis Salvator, qui omnia quæ interius sunt et divina agebat cum Patre, et respondebat exterius quæ intus contuebatur. Unde Lucas : *In illa hora*, inquit, *exsultavit in Spiritu sancto* (*Luc.* x, 21), quoniam ipse semper cum Deo Patre intus in Spiritu sancto erat. Nam quod iste ait : *In tempore illo*, et Lucas *in hora*, unum est. Sed de quo tempore vel hora dicatur, alii postquam exprobravit civitates dixerunt, alii postquam septuaginta duo discipuli reversi sunt, gaudentes pro virtutibus et signis, unde monentur non se elevari debere. Alii vero in tempore et loco dixerunt hæc eum dixisse, ubi dictum est : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* xii, 5), cui sermoni nunc respondere videtur quod ait : *Confiteor tibi, Domine Pater.* Ac si diceret : Gratias ago tibi, *quia abscondisti a sapientibus* sæculi, *et revelasti ea parvulis*, ut ne intelligant, et cognoscant quia tu es in me, et ego in te, et ipsi ut gratias agant confiteor et exsulto in Spiritu sancto. Pater, Domine, inquit. Apte Patrem vocat eum, qui dixit, *Hic est Filius meus dilectus.* Et facit hic locus contra eos qui dicunt Christum non natum esse, sed creatum, quia Patrem eum vocat. Cæterum Dominus est cœli et terræ, licet et ipse formam servi acceperit. Ideo Dominum cœli dicit, quia de cœlo vox sonuerat, et in terris monstrabatur paternis Dei Filius indiciis. Alioquin inconsequens fuit, non et sui ac cœli et terræ Dominum vel patrem similiter appellare. Abscondisti, inquit, ea sapientibus sæculi de me quæ parvulis revelasti, a quibus *justificata est sapientia*, quasi *a filiis suis* (*Matth.* xi, 19), et non a Judæis, qui noluerunt plangere cum Joanne, neque **530** saltare et gaudere ad canticum filii hominis. Sed humilibus et parvulis revelasti profunda mysteria, quæ sapientibus et Scribis abscondisti. Aliquin nisi eis abscondita essent de Christo, nunquam sic aberrassent. Parvuli autem apostoli, vel omnes discipuli Christi ideo vocantur, quia a malitia sunt alieni ; vel quia humiles erant et innocentes. Insuper etiam et rudes in sapientia, quatenus de se nihil haberent, sed totum quod erat in eis, ex Deo esset. Hinc quoque blandientis affectu loquitur ad Patrem, eo quod ineffabile sacramentum apostolis reseraverit, et de se præsumentibus, male inanes reliquerit, ut

Introdusă în format electronic de Google

universa compleantur cœpta in apostolis beneficia pietatis. Sequitur :

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et tradentem Patrem et accipientem Filium, lector, mystice accipe. Alioquin, si juxta fragilitatem nostram sentire voluerimus, cum cœperit pro certo habere qui accipit, incipit non habere qui dederit. Verum ne quid in Christo minus existimares quam in Patre, quia blandientis affectu se submiserat, ait, omnia sibi a Patre tradita esse. Quoniam sicut ad Patrem ipse ait : *Omnia mea tua sunt, et tua mea* (*Luc.* xv, 31), ostendit unam naturam Deitatis unamque divinitatem : ita et in eo, dum soli se Patri cognitum dicit, Patremque soli sibi notum, vel cui se ipse revelare voluerit. In qua sane revelatione, eamdem utriusque immutata sibi ad invicem cognitione, substantiam esse docet. Ut qui Filium cognoverit Patrem quoque cognoscat in Filio, quia omnia ei a Patre sunt tradita, cum genitus ex eo est consubstantialis Filius in quo est ipse. Atque ita in hoc mutuæ cognitionis secreto, intelligitur in Filio non aliud esse quam quod in Patre est; quia ipse Pater in Filio est, sicut et Filius in Patre. Et quæ Patris sunt omnia ei tradita sunt, cum nascendo Patri Filius exæquetur, ut sit ei æqualis per omnia, natura, honore, ac potestate. Quapropter rogo non secundum corporales modos, lector, dictum existimes Filium inesse in Patre, vel Patrem in Filio; ne quasi loco Deus manens, nusquam alibi exstare videatur a sese, sicut homo, aut aliud aliquid ei simile; cum alicubi est, alibi tamen omnino non est. Quia id quod est, illic continetur ubi **531** est; Deus autem immensæ virtutis est vivens ubique, potestas quæ nusquam et nunquam abest, qui totus in Patre Filius, et Pater in Filio, unus et verus Deus est. Ac per hoc Filius cum dicit : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, et cum ait ipse ad Patrem : *Omnia mea tua sunt, et tua mea*, seipsum et Patrem demonstrat. Quia sua, non aliud quam se esse a Patre genitum significat, ut ubi sua insunt, ipse esse recte intelligatur. Non corporali siquidem modo, quasi alicubi non sit, et non ubique esse credatur, cum per sua, et per ea quæ tradita sunt a Patre, in omnibus esse non desinat, qui totus in Patre est. Ac per hoc ipse, ut dictum est, non aliud est, quam quod est ipse quæ sua sunt, quoniam ad naturæ suæ intelligentiam hæc omnia referenda sunt. Unde cum Apostolus alibi de Spiritu sancto loqueretur, ait (*Joan.* xvi, 12, 15) : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ille*, diriget vos, seu *docebit vos omnem veritatem. Non enim*, ait, *loquetur a semetipso, sed quæcunque audierit loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me* honorificabit, vel sicut alii codices habent, *clarificabit, quia de meo accipiet.* Deinde intulit : *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt, et propterea dixi vobis quod de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* A Filio igitur accipit Spiritus sanctus, quia ejus sunt omnia quæ Patris sunt, et a Filio mittitur, qui a Patre procedit. A Unde quærendum, si idipsum sit a Filio accipere et a Patre procedere? quod idipsum atque unum esse videtur, a Patre procedere et a Filio, atque accipere a Filio sicut et a Patre; quia dixit de meo ille accipiet, et omnia quæcunque habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo ille accipiet. Hoc ergo quod dicit, accipiet, sive potestas sit, sive virtus, sive doctrina, sive aliud aliquid quod annuntiaturus erat eis Filius, a se accipiendum dicit; et hoc ipsum omnino de Patre accipiendum esse significavit, a quo procedit. Cum enim ait : *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo*, insinuat quod omnia quæ Patris sunt sua sunt. Et ideo quæ a Patre accipienda sunt, etiam a se accipi, quia omnia quæ Patris sunt sua sunt, quia sibi a Patre, eo quod ab ipso genitus est, tradita sunt. B Non habet igitur **532** hæc unitas diversitatem, nec differt a quo acceptum sit. Quia quod datum est a Patre, a Patre est, datumque refertur et a Filio, quia omnia quæ habet Pater, habet Filius, quia tradita sunt ei omnia. Hinc igitur patet quia nemo recte dividit naturam Patris a Filio, nemo catholice dissecat hanc unitatem, neque infert in ullo aliquam dissimilitudinem, per quam Filius non sit in unitate naturæ quorum est Spiritus sanctus, una communio, una charitas naturalis, atque unitas consubstantialis. Idcirco universa quæ Patris sunt, similiter ea et Filii sunt, quia ei a Patre omnia tradita sunt. Et ideo prudenter, ut dixi, distinguendum est, ut dicas : *Confiteor tibi, Pater*, deinde inferas : *Domine cæli et terræ;* quia est per naturam Pater, cœli autem ac terræ, C Dominus ac creator. Et hæc sunt quæ revelata sunt parvulis, et abscondita sapientibus sæculi, quia sic fuit placitum Deo Patri. Hæc propterea dixerim, ut prudens animus, semper una cum apostolis ad ea quæ divina sunt sensim intentus introducatur. Quia nemo recte novit de Patre aut Filio, quæ nosse oportet, nisi *cui voluerit Filius revelare.* Neque enim aliquis scire potest Patrem, qui nescit Filium, sic nec Filium, qui nescit Patrem. Quia nemo alterum sive altero potest scire. Et ideo ait ad Patrem : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3). Dixerat enim supra jam Pater, clamans de cœlo : *Hic est Filius meus.* Dicit et hic Filius : *Confitebor tibi Pater.* Quem ergo suum Filium de cœlo Pater clamat, ipse D Filius eumdem Patrem suum esse confitetur, Patrem et insinuat. Sed ne sola simplex confessio intelligatur nominum : *Hic est Filius meus*, et quod dicit : *Confiteor tibi, Pater*, ne forte intelligamus quasi sit nuncupativus pater, vel adoptivus filius, et sit honoris nomen in patre, ut hæretici volunt, propterea adjecit hæc omnia de se, et ait : *Omnia tradita sunt mihi a Patre, et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* xi, 27). Quod autem Pater Filium revelet cui vult, quid amplius quærere opus est, cum ipse dicat Pater : *Hic est Filius meus;* et ad Petrum de Patre ipse Filius : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis* (*Matth.*

Introdusă în format electronic de Google

xvi, 17). Ex quibus profecto verbis patet sensus, cum
533 ait : *Quia nemo novit Filium nisi Pater, neque* quisquam ullo modo, ut est, *nisi Filius*. Quia nemo eorum nisi per mutuam testificationem cognoscitur, id est per Patrem Filius, sicut et per Filium Pater. Quia tam ignorabilis est Filius quam Pater, nec non et Pater incognoscibilis, sicut et Filius cui tradita sunt omnia. Idcirco, fratres charissimi, ut dixi, hæc addita sunt, ut in omnibus nihil intelligatur exceptum quorum est una natura, unaque virtus, et una potestas, atque una in omnibus exæquata Deitas, quorum secretum cognitionis ad invicem æquale est. Quod si eorum natura æqualis est, æqualis et virtus, et potestas in omnibus, nullo modo potest esse naturaliter, ut non sint quod vocantur Pater et Filius. Et ideo non potest esse tantum nuncupativus ex nomine Christi, vel adoptivus ut novella hæresis asseruit. Quia unus est, neque ut Ariani et cæteri hæretici senserunt, minor quam Pater, vel aliud quam quod Pater est. Sed in omnibus hoc est quod Pater ; et idcirco solus novit Patrem sicut et ipse a solo cognitus est Patre. Quorum jus naturæ æquale est in potestate, et difficultas in cognitione mutua nulla est. Sicque per hæc unigenitus Deus, sapientia Dei Patris quæ justificata est a filiis suis, non nominis tantum testimonio Filium Dei se docet esse, sed vere etiam in omnibus unitum et naturalem filium, ut vere credatur quod dictum est a Patre : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ; ipsum audite* (*Matth.* xvii, 5). Et quia Judæi eum non ita esse credebant, dicebat eis benignissimus Salvator : *Neque me scitis, neque unde sim scitis*, nec enim inquit, *a me veni, sed est verax qui misit me, quem vos nescitis : sed ego novi eum, quoniam ab eo sum, et ipse me misit* (*Joan.* viii, 19, 26). Et ideo verum est quia Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ; cujus professio procul dubio propterea tam frequens est, quod solum sibi cognitus est, quia ab eo naturaliter est ; quod si ab eo est, et sibi soli cognitus est, interrogandi sunt Ariani qui creaturam eum dicunt, utrum id quod ab eo est, opus creationis in eo est, an naturam generationis per hoc ostendat ? Si ergo opus creationis est, et universa quæ creata sunt a Deo sunt, quomodo Patrem non universa noverunt, maxime rationales creaturæ ? Cum Christus eum idcirco utique novit, quia ab eo omnino est. Quod **534** si creatus potius quam natus videtur in eo quod a Deo est, cum a Deo cuncta sint, quomodo non cum cæteris Patrem ignorat ? Sicut et omnia sine ipso quæ ab eo sunt ignorant eum. Sin vero idcirco, quia ab eo est, ei proprium est eum nosse, quomodo non hoc ei, quod ab eo est, erit proprium, scilicet ut vere Filius ex natura Dei Patris sit ? Quam itaque naturam et generationem, nemo alius nisi Deus planissime novit. Cum ideo Deum solus novit, quia a Deo Patre solus est. Alioquin si opus creationis esset, quomodo nescirent Judæi quis et a quo esset, cum omnia a Deo esse probantur ? Quamvis ex nihilo facta sint. Et idcirco id quod unde sit ignoratur, natura Deitatis, ex qua est, profecto nescitur, dum unde sit, nescitur. Quia ignorari non potest unde sit, etiam quidquid subsistit ex nihilo. Sed hunc nemo novit nisi solus Pater, sicut et Patrem nemo nisi solus Filius. Habes igitur, lector, proprietatem cognitionis, de proprietate generationis, in quo non aliud est, quam quod in Patre, neque ad invicem quidpiam ignorabile exstitisse. Unde quæritur, si soli Filio, ut est Deus Pater notus, aut soli Patri Filius cognitus est ; quid est quod Apostolus ait, nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum suum ? Si autem eis revelatus est Deus Pater, aut Deus Filius, quomodo soli Filio Pater notus est ? Nisi quia addidit : *Et cui voluerit Filius revelare*. Nec in hoc quidem ulli etiam nec Angelis ita notus est Pater aut Filius, quomodo ad invicem ipsi se cognoscunt, in qua sæpe cognitione mutua, etiam ipse Spiritus sanctus connumeratur, ubi dictum est, quia Spiritus sanctus scrutatur etiam profunda Dei, quoniam et ipse deitatis habet naturam. Denique hoc in loco temeritas Eunomii damnatur, qui ait, quod tantam notitiam Patris et Filii habeat homo, quantum habent illi inter se ad invicem, cum longe aliud sit, naturæ æqualitate nosse quod noveris, aliud revelantis dignatione, quantum noveris pro certo cognoscere. Quærunt etenim nonnulli, quando ait : *Et cui voluerit Filius revelare*. Quare non dixerit simul Pater et Filius, cum unus eorum sine altero, nemo recte cognoscitur, non considerantes quod supra jam de Patre dixerit, et revelasti ea parvulis. Ac per hoc, quorum est una natura, una **535** et operatio revelationis per Spiritum sanctum, in quo reserantur nobis profunda Deitatis sacramenta. Quoniam ipse amborum spiritus est, in quo sunt omnia. Verumtamen in hac traditione a Patre, non cœlum, et terra, et elementa mundi intelligenda sunt, et cætera, quæ ipse fecit et condidit, sed ii qui per Filium accessum habent ad Patrem. Unde olim dictum erat in Psalmis : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* ii, 8), quæ omnia Pater cum dedit aut tradidit non amisit, sed acquisivit, quoniam antea inimici erant quos sibi filios adoptavit. Nequaquam igitur ita intelligendum est, sicut quidam male voluerunt, quasi Filius a nullo possit cognosci, nisi a patre solo, Pater vero non solum a Filio, verum etiam ab eis quibus voluerit Filius revelare. Quinimo sic intelligendum, ut Patrem et ipsum Filium, per Filium revelari credamus quia visibilis apparuit, ut esset interius nostræ mentis lumen. Tamen et Filius a Patre revelatus est, ut dixi, et ostensus ; quoniam nemo unum eorum sine altero novit. Ergo ac si verbo suo Pater se declarat, verbum vero Filius, non solum id quod per verbum declaratur, verum et seipsum etiam declarat. Unde quia tradita sunt ei omnia, invitat ad se omnes, quia mediator est, ut eos ipse perferat ad Patrem.

Venite, inquit, *ad me omnes, et ego vos reficiam*. Tribus namque modis vocatio ista legitur, cum ait : Venite. Una est, de qua hic dicitur : *Venite ad me*,

Introdusă în format electronic de Google

alia est qua doceamur, unde ait : *Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos* (*Psal.* XXXIII, 12); tertia vero erit in futuro, quando dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV, 34). Porro quod ait :

Qui laboratis et onerati estis. Judæos simul et gentes vocare videtur, quoniam alter eorum, nimio labore legis sine ulla profectione vexabatur, alter vero peccatorum oneribus prægravatur, nec sursum ad Deum, idola colens, respicere valebat. Gravia quidem sunt onera peccati. Unde Zacharias dicit, quod iniquitas sedeat *super talentum plumbi* (*Zach.* V, 7), et David : *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII, 5). Sed et lex grave onus erat, sicut Petrus docet : *Quod nec nos*, inquit, *nec patres nostri portare potuimus* (*Act.* XV, 10). Et ideo graviter laboribus fatigatos, **536** vel oneribus depressos benignissimus Salvator ad se vocat, ea omnia ablaturus, tantum ut jugum ejus suave, et onus leve suscipiant, juxta illud Isaiæ ubi ait : *Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui* (*Isa.* I, 3). Quia per bovem designantur Judæi, qui gravissimum traxerunt jugum legis, et per asinum, gentilitas et irrationabilis, nimiis onerata criminibus. Vocantur primum ut veniant ad fidem, et suscipiant utrique speciale, Judæi scilicet laboris quod eis proprium est, et gentes onere camelorum deposito, levitatem mansuetudinis Christi. Hoc quippe jugum est de quo superius ait, ut tollat unusquisque eorum mandatorum Dei præcepta, una cum sacramento Crucis, ut sequatur Christum, quoniam humilis ac mitis est. Blandimenta siquidem proponit credentibus, ut discant abstinere a malis et facere bona. Quoniam nihil suavius est quam velle bonum, nihilque levius quam sine crimine vivere, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non teneri, nolle inferre alteri quod sibi quisque non vult fieri.

Et invenietis, inquit, *requiem animabus vestris.* Animabus equidem dixit, et non corporibus, quoniam impræsentiarum corpora cruciantur, ut animæ a vitiis requiescant et laboribus hujus sæculi. Non quod in futuro etiam et caro non sit reparanda ad requiem, sed ut anima jam hic in Deum requiescat, in quo vera est requies, et reficiatur bonis cœlestibus quotidie, ne laboribus fatigata in via et pressuris deficiat. Sed Judæi et gentes simul unum jugum ferre jubentur, convincti, et connexi, bini ac bini, loco charitatis, quatenus semina verbi elaborantes in Evangelio uberius crescant, et augeatur messis Dominica, cum incremento frugum. Quod nimirum suavitatis jugum, crux est, ut dixi, ipsius Salvatoris. Quam ut ferre possimus mox infert disciplinam ipsius Crucis.

Discite, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde.* Alioquin nemo nisi humilis ferre potest quod jubet, nisi mitis hæc omnia quæ crucis sunt sustinere. Idcirco discere mandat a se, non mundum fabricare, non mortuos suscitare, non virtutes signorum facere, sed humiles esse et mites, ut possimus omnia sustinere. Et notandum quod ait : *Quia mitis sum et humilis corde*, siquidem non labiorum **537** superficie, sed cordis integritate; neque in ulla compositione vel dejectione habitus, licet et in corpore atque verbo sit exhibenda coram hominibus, sed in omni devotione atque abjectione mentis. Ibi namque primum ferenda est, et habenda, ubi Deus videt, deinde ex fonte cordis exterius exhibenda, ut Deo sit placita et accepta hominibus. Et ideo ibi discenda est a pio domino, et magistro clementissimo, ubi manere, et de quo manare possit ad omnes. Interea jure quæritur quomodo jugum Evangelii leve dicatur, et præcepta gratiæ levia, cum in lege adulterium et in Evangelio concupiscentia damnatur; in quo nec irasci permittitur, neque rependere malum pro malis; quinimo etiam bona pro malis impendere, et orare pro inimicis jubet. Porro in lege opera requiruntur, quæ Apostolus dicit portare non potuisse Judæos : in Evangelio vero etiam etsi effectum non habuerit, ipsa voluntas requiritur in bono, quæ periclitata et in malo damnatur. Sed quia sub timore præcepta legis servantur, ut vivat homo tantum in eis, propterea gravia et importabilia dicuntur, Evangelium vero jam filiis data gratia quæ est in Christo Jesu, valde levia videntur. Legis timor pœnam infert, Evangelii vero charitas suavitatem, quia omnino quidquid libet, magis placet. Nam lex terrena repromittit et temporalia, Evangelium cœlestia et æterna. Ibi sine ulla miseratione damnatur reus, hic et converso, non solum venia, verum etiam gratia præstatur et adoptio. Unde quia duobus præceptis tota lex et prophetæ adimplentur, perficit gratia ut charitas (in qua omnia pendent) integra conservetur, qua nihil est dulcius, nihil levius, nihil suavius, eo quod charitate Dei et proximi non solum premimur aut gravamur, verum etiam his duobus præceptis, ut consortes simus angelis, ad cœlum usque levamur.

(CAP. XII.) *In illo tempore abiit Jesus sabbato per sata.* Quod Marcus et Lucas idipsum narrant, sed illi hoc speciali non assignant tempori. Unde apparet quod Matthæus hic ordinem temporis servavit, quando respondit Jesus : *Confiteor tibi, Domine Pater*, et deinceps, ex quo narrandi ordinem secutus est, et ideo signanter ait : *In illo tempore abiit Jesu per sata.*

Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas et manducare. Ubi mira **538** Dei dispensatio consideranda est, et gestorum ordo contuendus quandoquidem ab eo loco ubi ait : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* IX, 37; *Luc.* X, 2), usque ad hunc locum, multiplex doctrina exuberat sententiarum. Quas sane sententias, prout potui, brevius quam oportuerat percurri. Sed quia splendorem divini eloquii habent, quia magnifica et divina sunt, nullam elegantiam verborum adhibui, nec ornatum eloquentiæ, ut pulchra esset et laudabilis oratio quæ-

Introdusă în format electronic de Google

sivi, sed tantum, ut minus capacibus sensum aperirem; et quibus informatur perfectus Christi discipulus disciplinis, paucis ostendi. Nunc vero post tantam immensitatem divinæ sapientiæ, et profunditatem intelligentiæ; attendat diligens auditor, ad quod opus gestorum pius Magister eos invitat, quos edocuit jam jamque esurientes. *In illo*, inquit, *tempore*, ac si diceret, cum his instituti sunt dictis, *Abiit Jesus per sata*, ut recordarentur eorum quæ dixerat, quod *messis quidem multa*, et *operarii* essent *pauci*. Ad hoc ergo eos erudierat, ut messores essent animarum; et quod alii prius elaboraverant, ipsi jam meterent. Unde et ipsi cœperunt esurire, *et vellere spicas* primitiarum. Nunquid non antea non esurierunt, quia tam signanter dictum est quod tunc primum cœperint esurire? Esurierunt plane, sed sic omnia gerit, ut plena sint singula sacramentis. Loquitur enim ubique mystice verbis, loquitur locis et temporibus, loquitur rebus et gestis providæ operationis. Propterea et discipuli post tantam exuberantiam divini verbi, post tam egregia et mirifica doctrinarum eloquia, dicuntur ac si messores, per sata, in illo tempore, quod jam Patri Deo gratias pro salute data gentibus, confessus est, ut idem sensus superiora et sequentia conjungeret, ut quod docuerat discipuli opere complerent. Et ideo quam dispensative dictum est, cœperunt esurire et vellere spicas. Perpende, quia tunc primum fervor charitatis in eis cœpit abundantius animarum salutem appetere, ac evellere homines de mundo, et confricare eos doctrinis verbi, ut concalescerent, et trajicere in corpus suum, ut simul membra Christi fierent. Nam messis in agro, genus humanum est in mundo. Sabbato vero qui viando esuriunt et vellunt spicas, otium est et requies ab omni opere præsentis sæculi. **539** Non torpentes ignavia Judæorum, sed viantes ad patriam, esurientesque salutem animarum, et evellentes eas a terrenis actibus quarum se salute discipuli festinant satiare. Alioquin homini non satis congruit cibus spicarum, neque deceptarum esus utilis est aristarum, sed fidem futuri facti jam species exsequitur; et virtus interjecta verborum sacramentum esuritionis et satietatis absolvit. Nec dubium, quin si ipsam, quæ latet in gestis Salvatoris, ubi vel ubi, sententiam diligentius inspicere volueris, examinareque quæ sit singularis intelligentia, invenies non tantam esse rem quæ est in sono vocis uniuscujusque generis, quanta sunt mysteria quæ intus latent, si remota vestis fuerit a tegumento litteræ, ut nuda videri et comprehendi possit veritas. Tanta quippe est solertia divini operis, et sapientia Salvatoris, ut omnibus rebus loquatur et factis, his qui sibi salutem investigare cupiunt, et accipere. Verumtamen quia vescuntur spicarum defricata manibus, turgentia, vitæ austeritas designatur, et indicium est virtutis parcimoniæ ubi non præparatio escarum, sed simplices quærunturcibi. Quod autem de alieno labore spicas apostoli tollunt, et nequaquam reprehenduntur, legis est defensio, quæ jubet, ne tantum exinde foras efferrent. Sed quia sabbatis eunt, et evellunt et confricant, ab æmulatoribus legis litteræ condemnantur. Et notandum quod in sabbatis ait, et non in sabbato, quia non semel solum, et secundo, hoc eos fecisse declarat, verum etiam et amplius, quatenus ex hoc, post omnem instructionem novæ legis, patesceret quod abolenda esset lex litteræ, et cessanda observatio sabbati. Quænam observatio communis erat homini cum peccatoribus, et ideo destruitur primum ab apostolis, quoniam præsens erat spiritalis et vera requies Christus, verusque sabbati Dominus. Cui dixerunt :

Quare discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis? Id est quæ supra dixi, ire, vellere, et confricare, vel quidpiam facere. Quod quia plurali numero dictum est in sabbatis, videtur quod sine observantia legis, discipuli ista fecerunt et in aliis sabbatis. Sed Dominus pro discipulis Judæis calumniantibus respondit :

An non legistis quid David fecerit, quando esuriit, et qui cum eo erant; quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit **540** *quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Veteris objicitur facti auctoritas, quando David fugiens Saulem, *venit in Nobe* (*I Reg.* XXI, 1), ubi susceptus ab Abimelech sacerdote postulavit cibum, qui cum non haberet panes laicos, dedit ei consecratos, quos non licebat edere nisi solis sacerdotibus et Levitis. Sic quippe in Regum volumine scriptum legimus, quod panes propositionis eis dederit, melius judicans homines eripere de famis periculo, quam panes oblatos Deo sibi suisque, quia sacrificati fuerant, conservare. Decrevit enim potius illud implere propheticum : *Misericordiam volo magis quam sacrificium* (*Matth.* XII, 7). Et hoc quasi in argumento rerum, utitur divina sapientia, olim quod gestum fuerat in prophetia, et ex ipsius prophetiæ ratione docet apertissime illud hujus facti exemplum fuisse. Non enim, si non licebat fieri, David sanctus creditur fecisse sine crimine. Sed quia fecit, et sine criminis piaculo posteris res gesta ad memoriam traditur, nec dubium quin prophetiam magis fuisse, ut ipse David cum suis panibus expleretur propositionis. Ostendens Christum cum suis apostolis salutem gentium esurisse, de quibus supra dixerat : *Messis quidem multa*, et easdem per ipsos in corpus Ecclesiæ trajecisse. Ex quo liquido constat, nihil in rebus a Salvatore gestis inventum quod non fuerit antea prædictum. Et ipse de se singula sic assumit, ac si propria suæ operationis testimonia, quo hostia placabilis hominum salus est. Et ideo hoc in loco proponit et dicit Judæis calumniantibus illud ex lege, ac si argumentum quo rei gestæ veritas commendatur. Quasi diceret, quod si David sanctus est, et Abimelech pontifex a vobis jure non reprehenditur; quinimo legis uterque mandatum probabili excusatione non violasse docetur, cur eamdem famem non approbatis in discipulis meis? præsertim

Introdusă în format electronic de Google

cum maxima sit distantia inter utrumque rei opus gestum. Ille siquidem panes Leviticos comedit, isti spicas confricant manibus; ille in tabernaculo, isti in agro; ille in die Neomeniarum, quando locus ejus apparuit vacuus ad mensam regis, isti in sabbato, ad præsagium, feriato; ille homo tantummodo, ego Deus et homo; ille cum suis militibus terrenis dimicans armis : isti missi a Deo Patre, et a me, prædicatores, ut expugnent tantum duodecim universum orbem. Quæ nimirum **541** figura prolata in exemplum vincit omnia philosophorum epicheremata, quibus contexuntur verisimilia rerum argumenta. Quoniam in hoc, ut dixi, exterius exemplum ostenditur apertissimum, et interius ipsa veritas diu prophetata, latens, aperitur; dum et duodecim panes propositionis duodecim præfigurant apostolos, et messis de qua grana decerpunt universitas est gentium. Porro Scribæ et Pharisæi, ac si Saul David, Christum prosequuntur Regem, quem in Abimelech occidere gestiunt pontificem, ita ut Dohec Idumæus Judam repræsentet in facto.

Non legis, inquit, *in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant profanantes eum sine crimine; dico autem vobis quia templo major est hic.* Apertissime eos revincit per singula dierum Sabbata sacerdotes in Templo pejora facere, et Sabbata violare, immolantes victimas, cædentes tauros, holocaustomata super lignorum struem ponentes, et incendio concremantes absque necessitatis contemptu. Ac si diceret : Dum aliam legem observare cupitis, Sabbatum utique violatis et destruitis. Verum etiam, sicut in alio legitur Evangelio, circumcidebant pueros in Sabbato, ut octava die circumcisio servaretur. Nam talia in lege quamplura inveniuntur, ex quo non puto quod leges Dei sibi contrariæ sint. Prudenter tamen Christus, qui est Sapientia Dei Patris, hoc exemplum in eosdem refert qui calumniam suis intulerant discipulis, et graviora legis opponit dispendia, licet videantur esse sine crimine. Proponitur hic totum, ut suos innocentes comprobet, ut eos qui calumniabantur apostolos, reos et plenos invidia convincat. Porro quod ait, quia *templo major est hic*, non pronomen, sed adverbium loci esse Græcus ostendit sermo, eo quod major sit templo locus, qui Dominum templi teneat : et ipse Dominus sanctior atque major erat, licet in loco præsens secundum carnem, quam illud Hierosolymis templum. Adhuc autem quod eis objecerat ex Scripturis comprobat divinis. Si sciretis, inquit, quid est, *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Matth.* XII, 7), qui non solum seipsos contaminabant, verum et Sabbatum ac templum violabant, nunquam condemnassetis. Et est sensus : si misericordiam accipitis Abimelech, et comprobatis, quia fame periclitantes panibus recreavit Domino consecratis; quare meos condemnatis discipulos, qui non oblatos Deo panes, sed grana tantum **542** modo præ fame sumunt? Et notandum hoc exemplo, quia opus salutis nostræ, non in sacrificio docet, sed in misericordia. Nam lege cessante, sola bonitate Dei salvamur, cujus rei donum si intellexissent, nunquam condemnassent innocentes, id est apostolos, invidiæ causa. Maxime cum, cessante lege, universis per eos misericordiæ novitas subveniret. Unde luce clarius patet sensus, quia melius est esurientes misericorditer cibo recreare, quam otium Sabbati custodire.

Quia Dominus, inquit, *est Filius hominis etiam Sabbati*, scilicet Christus Dei et hominis filius, verus est Dominus Sabbati, qui non hominem propter Sabbatum, sed Sabbatum propter hominem constituit et creavit. Nam et omnis homo jure ideo videtur esse Sabbati dominus, quia propter quem factum est Sabbatum, potest ob misericordiam solvere legitime jura Sabbati. Sed longe aliter Christus filius hominis jure dominatur et Dominus est etiam Sabbati, quoniam per ipsum omnia creata sunt et subsistunt universa. Sequitur :

Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. Porro Lucas non in eodem Sabbato, sed in alio venisse illum in Synagogam dicit. Ubi ostenditur aliquos interfuisse dies, in quibus ea disputavit quæ supra dicta sunt, deinde a segete transisse, et in alio Sabbato de agro synagogam intrasse.

Et ecce homo manum habens aridam. Tertius decimus igitur iste est qui curatur in synagoga eorum. Et notandum quod non in itinere, neque foris, sed in conciliabulo Judæorum ubi manus aruerat, et torpebat præ ariditate boni operis. Porro in Evangelio quo utuntur Nazareni legitur quod hic cæmentarius fuerit, istiusmodi auxilium petens : Cæmentarius, inquit, eram, manibus victum quæritans, precor te, Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos. Quæ nimirum manus usque in adventum Salvatoris arida permansit in synagoga Judæorum. Sed postquam ille venit, reddita est in apostolis credentibus, et dextera restituta est operibus bonis, et donata est sanitati.

Qui cum venisset in synagoga eorum, interrogabant eum dicentes, si licet Sabbatis curare, ut accusarent eum. Marcus vero et Lucas narrant Jesum eos interrogasse, si licet Sabbatis bene facere aut male? animam salvam facere aut perdere? In quo videtur quod illi prius interrogaverint Dominum, **543** tentantes eum, ut possent accusare propter Sabbatum. Quorum intelligens Jesus nequitiam, statuit in medio qui erat sanandus, et interrogavit ipse sicut hi duo protestantur evangelistæ. Quibus tacentibus similitudinem rursus valde egregiam proponit de ove, quæ quæstio ut putabatur inevitabilis quasi tela araneæ solveretur. Alioquin si diceret quod liceret, quasi transgressor legis teneretur : quod si diceret non licere, culparetur immisericors aut impotens in infirmitate prolata, qui non subveniret petenti.

Quis homo, inquit, *ex vobis qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? quanto magis melior est homo ove?* Propter quem facta est ovis, et non solum ovis, verum etiam et Sabbatum in quo cecidit ovis, et ideo quia

Introdusă în format electronic de Google

et Sabbatum violatis propter ovem, et non estis in crimine, multo magis ego non debeo crimine teneri, qui reliqui nonaginta et novem in montibus, ac veni unam quærere, quæ erraverat, et ceciderat in mortis foveam. Quæ nimirum figura et Judæos revincit, et factum ipsius Salvatoris ostendit, qui venit salvare quod perierat. Sed miseri Pharisæi, malitia obcæcati, non poterant sapientiam Dei intelligere, ideo resistere conabantur. Revincuntur autem de suis propriis factis et suis alligantur vinculis. Christus vero, qui verbo curat, potestate infirmitates depellit, insinuat in specie quod facturus erat in genere. Ipsi namque Judæi curantur in manco, quia dandæ salutis substantiam non habebant, et manus officium cessabat. Ministerium quoque corporis, quo aliquid agitur aut impartitur, aruerat. Cui Dominus manum jussit extendere, ac mox restituta est sanitati sicut altera; cujus curatio in verbo fuit, et manus sicut altera sana redditur, fitque stupendo et admirabili exemplo virtus salutis; non humanitus, neque casu, sed divina procuratione, et prophetia, ut ita dicam, Dei summæ operationis. Ministerium siquidem apostolorum in officium dandæ salutis, priusquam vellere cœperunt spicas, efficitur. Aruerat enim manus hominis magis stupore fidei quam siccitate nervorum, et plus culpa conscientiæ quam debilitate carnali. Antiqua manus ista erat, quæ in ipso mundi principio contraxerat ægritudinem, nec arte hominis nec beneficio poterat curari, quæ justa Dei indignatione fuerat arefacta, quia contigerat vetita, inconcessa præsumpserat, cum se ad arborem sciendi bonum malumve **544** porrexerat, et ideo auctore indigebat salutis, non qui malagma imponeret, sed qui possit illatam relaxare sententiam, et ignoscendo resolvere quod juste ligaverat indignando. Propterea, ut dixi, præparatur divinitus homo manum habens aridam, ut in eo fieret argumentum nostræ salutis, quia perfecta salus nobis reparatur in Christo. Nam tunc ariditas nostræ manus miseranda dissolvitur, cum cruore perfunditur Dominicæ passionis, cum in illo vitali ligno crucis extenditur, cum carpit fructuosam de dolore passionis virtutem, cum amplectitur arborem salutis, cum clavis divini amoris corpus affigitur, ne unquam ad arborem concupiscentiæ aridæ redeat voluntatis. Sed miseri Judæi qui Christum ad se non recipiunt intrantem, nec agnoscunt præsentem, nec divinitus operantem intelligunt! Hinc considerare oportet quam nihil sit præsentia corporalis, ubi fuerit a Deo mentis miserabilis separatio : sicut e contrario nec officit absentia corporalis, ubi corda fidelium fuerint sociata Deo per fidem, et integritatem habuerint bonæ voluntatis. Alioquin semper offendunt bona malos, pia impios, sancta profanos. Et ideo pessimi sacerdotes observabant Sabbatis non si peccaret, sed si sanaret, ut accusarent eum. Insidiantur in accusatione virtutum, quasi contra salutem, non pro salute Sabbatum fuerit constitutum. Jubetur ergo ut extendat manum, quatenus largitatem boni operis exhiberet. Sed de sanitate hominis mox calumniam sumunt, quia homo in Sabbato sanatur, quasi nullus eorum extenderet manum aut pedem eo in die, saltem ad os portans cibos, vel porrigens calicem. Et in Sabbato atque in templo, ut supra dictum est, majora operabantur, præsertim cum liceret ex lege usque ad mille passus iter agere. Unde patet quia zelo amaritudinis et invidia laborabant, non quod curarent de Sabbato, sed quia insidias moliebantur ex odio.

Euntes autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. Et sicut alius evangelista ait, hoc *cum Herodianis* ineunt *consilium* (*Marc.* III, 6), id est cum militibus Herodis, ut ipsi viderentur innocentes, cum illi perimerent, sicut in passione postea fecisse legimus. Gravius est enim omne malum, quod diu præmeditatur, et præmeditatum quasi cum consilio peragitur. Sed non est consilium contra Deum. Et ideo ait : *Jesus sciens secessit inde.* Sciebat ergo in occulto quid agerent, qui **545** novit corda omnium, et quale inirent consilium. Idcirco secessit inde, ut occasionem impietatis ab eis auferret. Sive quia tempus passionis nondum advenerat; sive ut exemplum suis vitandi pericula ad tempus daret.

Et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes, et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Festinat igitur, suos quos sanare disponit, educere seorsum, et segregare ab infidelibus. Qui vero salutem desiderant, indefessi sequuntur, et qui secuti fuerint sanat eos omnes. Nullus igitur excipitur a salute, qui eum sequi voluerit ad imitationem. Quibus imperat, ne eum manifestum facerent non timoris causa, sed ne gloriandi de se occasionem daret. Quinimo jactantiam fugere insinuat, dum se, virtutesque a se factas, celare jubet. Nam salus unicuique reddita sibi ipsa testis erat. Sed jubendo de se tacere, magis cognitionem sui præstat; quia observantia silentii ex re quæ sit silenda proficiscitur; quæ res gesta in propatulo se ostendit, licet tacendi de se veritatem insinuet. Ex quo utique sicut per Isaiam prænuntiatum erat, clarissime quod ipse sit Christus Salvator mundi demonstrat, cum præcipit ne manifestum eum facerent, quoniam indigni erant ut eis annuntiaretur in publico. Quod ut confirmaret Evangelista, testimonium assumit.

Sicut dictum est, inquit, *per Isaiam prophetam dicentem, ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit bene animæ meæ. Ponam Spiritum meum super eum, et judicium gentibus annuntiabit. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt.* Hoc totum ideo simul posui, ut perpendat prudens lector non omnia hæc ad hunc locum pertinere testimonia. Quia uno tantummodo verbo prædictam confirmat sententiam quo ait : *Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* Cætera vero alia narrationis suæ loca firmare videntur; ut puta : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene compla-*

Introdusă în format electronic de Google

cuit animæ meæ. Illi attestatur loco, ubi ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII, 5). Sic et reliqua suis quibusque locis. Quæ tamen omnia Christum depingunt, et suis designant lineamentis; quæ figura characterismos dicitur, Latine descriptio. Quæ ita describit ejus innocentiam, ut nulli alteri congruere **546** hæc longa hujus capituli narratio, nisi solo Christo, videatur; qui nunquam visus est turbulentus et anxius, juxta quod Hieronymus interpretatus est, eo quod æqualitatem vultus omni tempore prætulerit; quod falso philosophi de Pythagora gloriantur, quasi nunquam plus solito tristis fuerit vel lætus. Sed ut hujus testimonii explanatio de Christo manifestior appareat, curramus per singula, juxta varietatem interpretum. Nam in principio hujus loci, secundum Septuaginta, Jacob puer meus, habet, assumam eum, Israel electus meus, suscepi eum. Sed Matthæus quia Hebraicam secutus est veritatem, nec Jacob posuit, nec Israel, sed tantummodo, *Ecce puer meus*. Quoniam ubicunque de apostolico choro prophetia est, semper Jacob aut Israel, aut semen appellantur Abraham; quibus quasi hominibus ac servis consequenter dicitur: *Noli timere, vermis Jacob, et parvus numero Israel* (*Isa.* XLI, 14). Ubi vero vaticinium est de Christo, perfecto ut impræsentiarum, semper absque Jacob et Israel legitur. Nec mirum igitur Christus si servus vocetur, pro quo Evangelista, *Ecce puer meus* dixit; quoniam factus est ex muliere, et factus sub lege: *Qui cum in forma Dei esset, humiliavit semetipsum formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 7), in quo complacuit sibi anima Dei Patris. Non quod Deus Pater, ex cujus persona Propheta loquitur, animam habeat, sed tropice dictum est more humano, sicut et in quamplurimis locis, ubi et membra ponuntur: in quo nimirum sibi complacuisse testatur, quia omnes in eo virtutes fuerunt, nullumque peccatum. Quinimo ipse est Dei virtus, Deique sapientia. Dedi, inquit, spiritum meum super eum non partiliter, sed totum. Qui descendit super eum in specie columbæ, et mansit totus in eo. Qui puer vocatur, quia licet minor in forma servi, unus tamen idemque Christus coæqualis est in regno Patri, et in forma Dei. In quo quia æqualis est in divinitate, unius est cum Patre voluntatis, totum in eo Pater placitum suum posuit qui natus est ex Maria. Ut qui placere Deo desiderant, in eo illi complaceant, extra quem nihil ei placere potest. *Et judicium*, inquit, *gentibus nuntiabit* (*Matth.* XII, 18), vel proferet quod antea nesciebant. Unde ipse de se, *In judicium*, inquit, *ego veni in mundo* (*Joan.* IX, 39), *quoniam* et Pater *omne judicium dedit Filio, quia filius hominis est* (*Ibid.*, 22). Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem suam; *lata* enim **547** *et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem* (*Jerem.* VII, 13). In qua nemo audit vocem ejus; quoniam ipse est illa arcta et angusta via, per quam pauci intrare contendunt, ut per ipsum perveniant ad ipsum; quem ideo multi non audiunt, quia in spatiosa et lata perambulant via, in qua nunquam Christus auditur, quamvis sapientia foris clamitet, et in plateis det vocem suam, in capite omnium viarum. Quia nisi quis ex hac platea transierit ad angustam quæ ducit ad vitam, Christum audire intus non potest. Vel idcirco dicitur quod non clamabit, quia mitis fuit et mansuetus sine voce, non aperiens os suum, et non accipiet personam in judicio, sive non levabit, ut subandiatur in altum vocem suam, vel juxta Symmachum, non decipiatur; quia omnes insidias diaboli intelliget. Porro Septuaginta hoc loco, *non relinquetur* dixerunt: id est, non relinquet populum Judæorum, nisi vocet eum ad pœnitentiam. Nec audietur foris vox ejus, scilicet extra Galilæam, neque extra Judæam in aliis gentibus Evangelium prædicabit. Quod si legimus eum fuisse in terminis Tyri et Sidonis, vel in confinio Cæsareæ quæ nunc Paneas vocatur, tamen sciendum non esse scriptum quod ipsas ingressus sit, aut prædicaverit civitates. Quod non contenderit etiam damnatus, manifestum est, neque defenderit multis injuriatus opprobriis, colaphis et verberibus cæsus; neque clamavit quando dictum est ei: *Non audis quanta adversus te dicunt testimonia?* (*Matth.* XXVII, 13.) *Calamum*, inquit, *quassatum*, sive effractum, *non conteret* (*Isa.* XLII, 3), quia cunctis placabilis fuit, et veniam præstitit peccatoribus, dicens ad mulierem, *Confide, filia, dimittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX, 2). Et *linum fumigans*, sive, ut alii transtulerunt, obscurum atque tenebrosum, *non exstinguet* (*Matth.*, XII, 20). Abfuit namque ab eo omnis clamor, et ira, et indignatio, et omnis amaritudo, idcirco nullum læsit; quoniam qui peccatori manum non porrigit, nec portat onus fratris, iste quassatum calamum vel arundinem confringit, et qui modicam scintillam fidei, vel justitiæ, seu boni operis contemnunt in parvulo, hic linum fumigans exstinguit, quod Christus non fecisse probatur, quoniam qui vicini erant morti et obscurati peccatorum tenebris, ejus clementia salvati sunt, et accensi flamma charitatis qui venit illuminare tenebricatos peccato, et salvare quod perierat. Aliter regnum Judæorum quassatum et confractum, quia in lapidem **548** offensionis impegit, non ipse, sed peccatum eorum quia non receperunt eum contrivit, et linum fumigans quo utebantur, sacerdotes videlicet ipsos, non ipse sed infidelitas eorum exstinxit, quia fetorem magis et cæcitatum quam flammam charitatis attulerunt. Verum etiam nec gentes nec Judæos a fide repudiavit, sed alligavit quod confractum erat, et quæsivit quod perierat: insuper reaccendit modicam scintillam Judæorum, quibus erat tantummodo natus, ita ut de parvo lumine cognitionis Dei, et pœnæ moriente scintilla, maxima in mundo suscitari incendia, ut totus orbis arderet igne Domini Salvatoris, quem venit mittere in terram et adhuc magis vult ut ardeat. Sequitur: *Et in veritate educet judicium* (*Isa.* XLII, 3). Ac deinde ut in Hebræo, non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra

Introdusă în format electronic de Google

judicium. Septuaginta pro tristi, et turbulento, *splendebit et non conteretur* posuerunt; quod hic Evangelista neutrum posuit. Quinimo ut videtur scriptoris vitio factum est, quia supra dictum est, in veritate educet judicium; et deorsum, donec ponat judicium. Quod medium erat secundum Hebraicum vel secundum Septuaginta, scriptor prætermisit. Sed quia de uno eorum jam supra diximus, quid Septuaginta dixerint videamus. Splendebit, inquiunt, et non conteretur. Splendebit autem resurgens a mortuis, qui de morte victor ascendens, cunctos illuminavit. Vel splendebit juxta quod nonnulli aiunt, quando in facie ejus quidam splendor emicans repercutiebat adversantes sibi, ita ut ferre non possent aspectum vultus ejus, sicut factum est (*Joan.* II, 15) quando funiculum fecit de resticulis, et a templo ejecit omnes; necnon et in aliis quibusque locis. Et ideo fiebat, ne contereretur ab inimicis, sed inter eos, quando volebat, per medium eorum liber ibat. Porro quod in veritate educet judicium, splendebit, et non conteretur donec ipsum ponat in terra judicium: nulli dubium quod omne judicium Salvator secundum veritatem judicat, cui dictum est: *Deus, judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis* (*Psal.* LXXI, 1), qui reddet unicuique juxta opera sua. Tamen impræsentiarum nequaquam reveritus est Scribas et Pharisæos, quos confidenter publice redarguebat, et revincebat, hypocritarum nomine notans eos. Splendebit autem in Ecclesia sua et in membris suis, et non conteretur licet persecutiones passa, obscurari **549** quam sæpe videatur, usque in finem sæculi, donec perducat judicium suum ad victoriam, ita ut dicat morti jam victor: *Ubi est, mors, aculeus tuus, ubi est, mors, victoria tua?* (*I Cor.* XV, 59). Cujus nimirum judicia verissima sunt in omnibus justificata in semetipsis. Unde alibi David ad ipsum: *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Psal.* L, 6). Unde fidenter agat quisquis doctor Ecclesiæ, quoniam splendebit doctrina Christi et non conteretur, etiam ab eo qui se extollit et adversatur contra Deum, donec ejiciat ad victoriam judicium suum Christus, ut sublata mortis potestate judicium claritatis suæ cunctis ostendat, et in omnibus se in veritate vicisse demonstret. Hæc quippe quasi intra certi temporis statuta præscribit, donec fiat voluntas ejus, sicut in cœlo et in terra, et transeat judicium ejus in victoriam. Ex quo Aquila et Theodotio ita interpretati sunt: non obscurabit, et non curret, donec ponat in terra judicium. Et est sensus, nullum vultus tristitia deterrebit, nec festinabit ad pœnam impiorum, verum ad judicium ultimi temporis omnia reservabit. Quod sequitur: *Et in nomine ejus gentes sperabunt*, in Hebræo habet, et legem ejus insulæ sperabunt. Sed Evangelista sensum potius quam verba interpretatus est; pro lege enim et insulis nomen posuit, et gentes; ut diceret: *In nomine ejus gentes sperabunt.* Et hoc non solum impræsentiarum, verum ubicunque de veteri instrumento evangelistæ et apostoli testimonia protulerunt, teste Hieronymo, non sunt tantum verba secuti, sed sensum. Et ubi Septuaginta ab Hebraico discrepant, Hebræum sensum suis expressere sermonibus. Quod in nomine Christi gentes sperent, jam testis est universus orbis, et legem ejus, scilicet Evangelium, insulæ, id est Ecclesiæ susceperunt. Quæ licet diversis fluctibus quatiantur, fundamentum tamen immobile permanet, quia fundata est super firmam petram.

Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut cæcus et mutus loqueretur et videret. Quod dicit tunc oblatus est, tempus ostendit quando secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes. De hoc siquidem Lucas narrat, licet non eo ordine, sed cæcum tacet. In quo nimirum, tria manifestum est signa simul facta fuisse, cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur. Quod si Lucas ex his aliquid tacet, non ideo de alio dicere putandus est, **550** quam de eo; per quem sane hominem, ac si in specie, universum genus humanum designatur. Quæ nimirum opportunissima occurrit curatio, qui cum post omnes turbas in commune charitas nunc extrinsecus dæmonium habens cæcus et mutus offertur. Ut sine ambiguitate aliqua idem, intelligentiæ ordo mystice servatus videatur. Nam spicas vellere, id est homines a sæculo præcerpere, apostolos Pharisæi arguebant. Pro quo facto misericordia super sacrificium prædicatur. Deinde manus aridæ homo, in synagoga oblatus, curatur. Quæ virtutes ad convertendum Israel non solum nihil proficiunt, verum etiam Pharisæi consilium mortis ejus ineunt. Unde oportebat ut post hæc in unius forma hominis omnium salus gentium figuraretur, ut populus, qui erat habitatio dæmonis, cæcus et mutus, Dei capax fieret, et Deum in Christo videret; Christi opera in confessione totius Trinitatis laudaret. Quo facto stupuerunt turbæ, sed Pharisæorum ingravescit invidia. Ergo quia humanam infirmitatem hæc tanta ejus opera excedere videbant, pudorem confessionis suæ majori perfidiæ scelere declinant. Ut quia hæc esse opera hominis existimare non poterant, confiteri ea Dei nollent, omnem ejus hanc virtutem in Beelzebub principis dæmoniorum esse confirmant, et in dæmonis potestate hanc factam fuisse proclamant.

Turbæ vero stupebant omnes et dicebant: Nunquid hic est filius David? Infelix nimium Pharisæorum cæcitas. Turbæ mirantur et obstupescunt signis, et requirunt ac confitentur filium David, quem ex præsagio prophetarum noverant repromissum; hi vero calumniantur et ad blasphemiam insidiose convertunt.

Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit: Omne regnum divisum contra se desolabitur. Ad cogitata quidem respondit, ut vel sic cogerentur credere Deum esse, qui solus novit cogitationes hominum, et occulta cordium sua inspicit virtute. Deinde miro contra eos utitur argumento, quod omne regnum contra se divisum desolabitur. Plurimam ergo intelligentiæ de se, et exemplorum præbet copiam, vel simpliciter

Introdusă în format electronic de Google

si intelligatur, vel si altius introspiciatur. Est igitur locupletissima contra eos responsio, qui ejus opera in Beelzebub nomine facta calumniabantur; ita ut duobus modis intelligi possit. Primum ut responsionis ipsius conditio ad **551** eosdem retorqueatur regnum eorum, scilicet Judæorum, dum male divisum est, stare non posse. Lex enim a Deo data est, et regni Israel pollicitatio vel stabilitas ex lege est. Christi vero ortus vel adventus, legis plenitudo est. Quod si regnum contra se, ut ab eis factum est, dividatur, necesse est ut desoletur, quod et factum est. Nam potestas omnis divisione minuitur; et regni virtus adversum se separata, dimicans consumitur. Ac per hoc, regnum Israel amisit ex lege, quando ad impletionem legis principum et Pharisæorum fastus et superbia, invidiose satis, repugnavit in Christo. Quod consecutum est per hanc divisionem, ita ut populus et civitas ac regnum veniret in exterminium. Sed et regnum diaboli stare non posse, dictis suis, licet non intelligentes quid dixerint, contra se dixisse approbant. Eo igitur ipso quo locuti sunt genere, eos condemnat ipse, dum ostendit juxta eorum calumniam, illos confessos fuisse regnum Beelzebub contra se esse divisum, etsi ad divisionem suam coactus est, ita ut spurcissimus dæmon reliquos perturbaret dæmones, adversus se divisio ipsa fiebat, et ideo regnum ejus manifesto stare non posse. Hinc quoque fatendum plus esse in eo potestatis qui diviserit, quam in his qui divisi sunt et expulsi. Ergo jam divisus est, et adversum se coactus, regnum ejus jam sub tali divisione dissolutum est, et destructum. Porro quod ait :

Omnis civitas et domus contra se divisa non stabit. Eadem ratio vel similitudo est, quæ et regni. Sed civitas hic potest Hierusalem intelligi, in qua Dei venerabatur religio, gloriosa olim. Sed postquam in Domino suo, plebs inimica Deo, furore exarsit, ut eum occiderent; et apostolos ejus non credentibus exfugarunt, divisio facta, et regnum cecidit, et civitas destructa est, et domus usque ad solum diruta juxta comminationem Salvatoris. Verumtamen benignissimus Dominus contra duritiam cordis eorum non cessat adhuc exempla opponere evidentiora.

Quod si Satanas, inquit, *Satanam ejicit, et adversum se divisus est, quomodo stabit regnum ipsius?* Ac si dicatur, quod si ipse sibi inimicus est dæmon, seseque ipse impugnat, dum milites suos ab obsessis depellit corporibus, quomodo stabit regnum ipsius, pace restituta illis, in quibus dominabantur? nec habent in eo locum adversariæ potestates, quibus illis litigantibus, **552** pax restituitur, et omnia interius exteriusque membra sanantur corporis, et homo totus fide curatur. Quod si dæmones hominibus semper gestiunt nocere, et ille qui major illis est in nequitia, suæ eos curat invocationis nomine, quomodo stare poterit regnum ipsius? Ac si dicatur : Ipsi vos dijudicate, et convincite vos vestris calumniis, quia non potest voluntas eorum, semper prava et nocendi cupida, meis benignissimis comparari operibus. Nam, A regnum diaboli, malitia nocendi est, per quam regnat in eisdem quibus nocet; benignitas vero et largitio sanitatis jam non de ejus est regno, sed de Spiritus sancti gratia, mediatorisque Dei et hominum operatio.

Quod si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Adhuc eos exorcistarum convincit exemplo gentis illius, qui per invocationem nominis Dei, dicuntur dæmonia ejecisse et curasse suis invocationibus male obsessos ab spiritibus immundis. Vel de apostolis intelligendum magis censeo, quibus potestas data est judicandi duodecim tribus Israel. Ideo, inquit, *ipsi judices vestri erunt*. Sed et ipsi exorcistæ Judæorum non tantæ potestatis judices esse poterunt, comparatione tamen et fide qua invocatio fiebat, recte judices dicuntur futuri. Quia quod in istis fiebat qui minus erant quam Christus, hoc Pharisæi non credebant factum per eum, qui Deus erat in Christo. Nimis ergo prudenti interrogatione, sicut et in omnibus coarctat eos ut virtute Spiritus sancti opus confiterentur esse, quod gestum erat. Ac si patenter clamaret, quod si expulsio a filiis vestris facta dæmonum, non dæmonibus, sed Domino deputatur, quare in me idem opus non approbatis? aut quare in me non eamdem rependitis causam? Ideo judices vestri erunt, quia eos creditis in Spiritu Dei agere, et judicio coram eis contendam vobiscum, dum illi Deo totum attribuant opus salutis hominum, vos autem Beelzebub operibus (quod contra eum est, nec ipsi congruit) assignatis. Quid igitur dignius quam ut ipsi sint judices eorum, quibus Christus dedisse adversus dæmones potestatem non dubitatur, quam quod ipse habuerit, negatur? Ergo si discipuli operantur in Christo, et Christus in Spiritu Dei, profecto regnum Dei jam in discipulos, mediatoris officio, transfusum est. Idcirco ait (*Matth.* XII, 28) : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia*, et hoc creditis, *profecto in vos* **553** *pervenit regnum Dei*. In quo itaque facto tota Trinitas declaratur, dum Christus in spiritu Dei Patris, virtutem operatur in genere humano, per quam in credentes regnum Dei pervenisse, id est remissio peccatorum, jure creditur. Sed regnum Dei tripliciter accipiendum. Quia aut ipse est regnum Dei de quo alibi dicitur : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21), vel certe illud regnum sublime, de quo Joannes et ipse prædicaverunt : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV, 17). Vel tertio modo, Scriptura sancta vel lex, regnum Dei accipitur, de qua dictum est : Donec *auferatur a vobis regnum Dei, et tradetur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI, 43). Quæ simul omnia Judæi tunc perdiderunt, quando Christum non receperunt. Sed notandum quod Matthæus in spiritu Dei ait : Lucas in digito Dei dixisse invenitur; quia quod Lucas obscurius posuisse, Matthæus manifestius probatur. Iste est ergo digitus Dei, quem magi Pharaonis confitentur, docentes : *Digitus Dei est hic* (*Exod.* VIII, 19). Et lex digito Dei in monte Sinai conscripta legitur. Quo profecto digito Scripturarum sanctarum pro-

Introdusă în format electronic de Google

funditas inspirata est hominibus sanctis, et reserata est lex veritatis.

Unde si ego in spiritu Dei, aut digito Dei, ejicio dæmonia (a quibuscunque eos ejecero) *profecto pervenit in vos regnum Dei*, et totius Trinitatis. Alioquin nisi Deus Trinitas credatur, et una æqualitas Deitatis in nobis commendetur, nec dæmonia fugantur, nec regnum Dei jure pervenisse creditur. Sed pius Magister adhuc latius duritiam cordis eorum tangit, et convincit opera Deitatis esse dæmonia ejicere, et animas hominum curare. Unde infert :

Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum illius diripiet. Contra immanissimam, Judæorum, et insensatam, ut ita fatear, pertinaciam multis benignissimus Salvator ac novis utitur argumentis. Unde nunc viri fortissimi rursus introducit similitudinem, sicut de regno et civitate jam prædixerat, quam nemo intrare vel diripere potest, nisi prius vicerit et alligaverit fortem? Quod ipse Dominus mox post baptismum fecisse, satis aperte hic præsens Evangelista declarat, quando in desertum ductus est, et congressus cum diabolo; utique cum eo ipso, quem isti insanissimi principem vocabant dæmoniorum. Congressus namque est cum eo, quem tertio tunc vicit ac rejecit. **554** Hinc est quod nunc hoc in loco dicitur quasi aliis de se inferret verbis, quomodo possem dæmones ejicere, nisi principem eorum eis consentientem in omni opere nefario prius vicissem et alligassem? Quod autem ipse fortis sit et indomabilis, Dominus famulo suo Job apertissime describit, et insinuat quod non sit potestas in terra quæ possit ei æquiparari. Et ideo bene Lucas intulit: *Si autem fortior illo supervenerit, et vicerit eum, universa arma ejus in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet* (*Luc.* XI, 23). Ubi manifeste ostendit quod illum fortem fortior Christus vicit ac ligavit, cum eum propriis nequitiæ suæ vinculis adstrinxit, ne amplius noceret nisi quantum ei permittitur, cui ita vincto spolia Salvator detraxit et domum abstulit; nos scilicet, quos redemit, quos in suum, victo Diabolo, redegit dominium, domumque sibi ex nobis dedicavit novam, et sanctificat Ecclesiam. Quos vero suo justo judicio dereliquit, in eorum cordibus quasi in abysso hunc fortem cum suis damnatum religavit, et abstulit ab eo omnes quos redemit. Alioquin nec possent se viribus suis homines eruere, quia fortis erat quia eos tenebat captivos, nisi gratia Dei liberarentur, et fortior illo Christus alligasset fortem, dum ei potestatem exemit, ne impedire posset voluntati fidelium, ne sequi possint Christum et regnum obtinere sibi oblatum. Ergo quod dico oblatum, præsens locus insinuat etiam violenter ut accipiant qui necdum volunt elaboratum. Propter quod adhuc proponit :

Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit. Quo sane syllogismo valde revincit eos Beelzebub dæmonem longe a se esse, quantum lucem a tenebris, aut bonum a malo, quibus nihil contrarium invenitur. Unde argumentatur non solum aliquid ab eo non mutuasse, neque in nomine et potestate ejus egisse, verum in nullo ei convenire posse, quando qui secum non est adversum est, et qui secum non congregat dispergit, ex quo ingens corporis Christi unitas, et corporis Satanæ secernitur alternitas; quia non idipsum quod est Deus Trinitas, neque ad ipsum colligitur qui contra Christum dispergere probatur. In omnibus igitur agit, ut ipse intelligatur Deus a Deo Patre missus, in Spiritu sancto operari, in quo unitas Patris et Filii commendatur, quorum est spiritus, et quorum idem commendatur charitas, de quo dicitur : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 16). **555** Quapropter nemo cum Christo est, licet videatur habere nomen ejus ut Christianus vocetur; si non habeat Spiritum sanctum, in quo dono unitas commendatur; quoniam ipse non solum adversus se divisus non est, verum etiam quoscunque colligit efficit indivisos; peccata quæ adversum se divisa sunt dimittendo, eosque mundatos inhabitando ut sint membra Christi et corpus Christi, in quo corpore unitas commendatur et colligitur. Qui autem ex adverso sunt, nec cum ipso sunt, nec cum ipso colligunt : sed dispergunt, donec ab unitate corporis Christi dividuntur. Quod si ita est, quid est quod discipuli videntes quemdam in Christi nomine dæmonia pellentem, referunt ad Dominum se vidisse et prohibuisse, quia cum illis eum non sequebatur? Quibus Dominus, Nolite, inquit, prohibere : qui contra vos non est, pro vobis est. Non potest enim quisquam in meo nomine facere aliquid, et male loqui de me. Quomodo ergo contra ipsos non erat, imo contra Dominum, qui adhuc in corpore Christi nondum erat, neque renatus in Spiritu sancto, ut sequeretur Dominum per quem hæc unitas colligitur? Quod si esset, omnino discipuli non prohibuissent ei nomine Jesu non solum dæmonia ejicere, verum nec virtutes quaslibet facere, quas ipsi profecto faciebant. Unde quia extra hanc unitatem erat, quomodo Salvator ait : Qui contra vos non est, pro vobis est? Quod si omnino ita accipiendum est, videtur cum Christo esse, et in nomine ejus colligere quisquis extra communionem Ecclesiæ constitutus, et dissociatus a societate Christianæ religionis est. Atque ita falsum erit hoc quod hic dicitur : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit* (*Matth.* XII, 30). Securus ergo esse potest quiquis extra Ecclesiam Christi in nomine ipsius bonum aliquod, seu virtutes operatur, quod omnino catholica fides non recipit. Et ideo in Scripturis divinis multa discretio sensus adhibenda est, ubicunque dissonare videntur, maxime in verbis Domini, ne ipse sibi (quod absit) contrarius inveniatur. In hoc enim facto non contra eos, sed pro eis erat, ubi in nomine Christi sanitates operabatur. Idcirco ut utraque sententia vera sit, sicuti omnino vera est, quærendus est modus, quomodo juxta sensum Domini utraque recte intelligatur. Ergo ille in hoc facto prohibendus non erat.

Introdusă în format electronic de Google

juxta præceptum Domini, sed multo magis in tanti nominis veneratione confirmandus, ubi **556** non erat contra Christum, neque contra Apostolos, sed neque contra Ecclesiam; verumtamen in eo culpandus erat, quia non sequebatur Christum, neque jungebatur ei, eo quod adhuc in Spiritu sancto necdum renatus erat, neque ei unitus in charitate Christi cum eo, ut ejus membrum esset. Unde quia ab unitate Christi et Ecclesiæ separatus erat, licet colligeret ipse, tamen extra dispersus erat, quia cum eo necdum erat. Quod si forte venisset ad Christum et ad Ecclesiam, non illud quod habebat acciperet, sed in quo aberrabat in se corrigeret, et quod necdum habebat acciperet. Neque enim Cornelii orationes, hominis gentilis, non sunt exauditæ, vel eleemosynæ non sunt acceptæ (*Act.* x, 31). Imo et angelum ad se missum meruit intueri; sed quia prodesse illi ea non poterant, nisi per vinculum Christianæ societatis et pacis, ut incorporaretur Ecclesiæ, jubetur mittere ad Petrum, quatenus per eum discat Christum, et per illum etiam baptizatus, in consortio sacræ communionis et unitatis Ecclesiæ colligeretur. Alioquin si nollet bonum quod non habebat societatis Christi et Ecclesiæ suscipere, dispergeret in quo contra Christum erat, contraque ejus Ecclesiam superbiens foris ex eo quod habebat. Videtur itaque Christus in hac sententia, et qui intus sunt, et qui foris, utrosque tangere; si aut illi qui extra sunt voluerint introire cum Christo, sint in Ecclesia unumque corpus fiant; aut si illi qui intus sunt ac si in domo jam collecti noluerint colligere cum Christo, et aggregare virtutes, ut stabiles permaneant fundati, et constabiliti super petram. Quoniam qui super arenam ædificant domum suam, et thesaurizant sibi iram in die iræ, ipsi non cum Christo congregant, qui est petra, ut habeant stabile fundamentum, sed dispergunt. Quia cum flaverit eos ventus et aura, raptantur huc illucque, quasi pulvis ante faciem venti. Et ideo qui foris sunt seu pagani seu hæretici, licet habeant sacramenta Dei, in quibus forte virtutes operantur, non cum Deo sunt, quia in Ecclesia non sunt, neque in unitate pacis per Spiritum sanctum aggregantur, idcirco adversus Deum sunt. Similiter et qui intus sunt per sacramentum baptismi in domo, nec tamen ædificant super petram, quæ Christus est, dispergunt semetipsos, quia nolunt colligere in unitate Christi, ut sint in Ecclesia Dei, et ipsi unum in **557** Spiritu sancto concorporati et coadunati in vinculo pacis. Hinc quoque colligitur hinc inde, quod nunquam corpus Diaboli cum Christo est, neque cum eo colligit intus forisve, secundum interiorem hominem qui renovatur de die in diem in agnitionem veritatis, et consociatur per charitatem in unitate corporis Christi. Licet nonnulla sacramentorum Dei habeant beneficia, in quibus cum Deo intus forisve esse videantur, tamen Antichristi jure dicuntur, quia in multis contra eum esse probantur, quamvis non contra Ecclesiam, sed pro Ecclesia sint in eo quod ejus sunt dona quæ habent, et non eorum qui abutuntur his male, sibi quidem ad perniciem et condemnationem, Ecclesiæ vero ad testimonium. Et ideo utrique, licet in quibusdam cum Deo sunt, contra Deum esse probantur intus forisve, quia non secundum Deum sunt et dispergunt. Sequitur:

Ideo dico vobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur hominibus. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quod sane capitulum obscurissimum esse probat præclarissimi doctoris Augustini ingenium, de quo ad populum multis quæstionum declamavit sententiis. In quo reprehendere nullus non debet, si quid pius labor noster et industria, ex his, ultra aliquid pepererit; et quod grandia et incredibilia conamur tenues et exigui nullus nos despicere, quoniam magna sunt et eximia quæ tractamus. Unde si plus audemus, et præsumimus quam quod possumus, quæso ne quis præscribat donum gratiæ interclusum, saltem bonum quod cupimus. Quoniam non solum obscurum est de quo quæritur, verum etiam valde pernecessarium ut intelligatur, et valde terribile cum intellectum fuerit quod dicitur: *Omne peccatum et omnis blasphemia remittetur hominibus, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Solet namque res ex collatione interpretum melius intelligi, solet et ex sententiis Doctorum collatis deprehendi quod latet, et ut plenius apprehendatur in Spiritu sancto quod patet; unde inter se Evangelistarum collatio quam sæpe pleniorem reddit intelligentiam, ut impræsentiarum Marcus ait, qui causas tantæ iræ manifestius expressit: *Quia dicebant*, inquit, *eum spiritum immundum habere* (*Marc.* III, 30), quod et præsens Evangelista ex eadem blasphemia hanc venire interminationis **558** occasionem, suis declarat indiciis, quia dicebant eum in Beelzebub principem dæmoniorum ejicere dæmonia. Quoniam, sicut novit fides catholica, in Spiritu sancto omnis remissio fit peccatorum, omnis sanctificatio. In quo dono virtutum omnia donantur dona. Si quis ergo in eo blasphemaverit, in quo sunt hæc omnia perfectionis sacramenta, quomodo consequi potest remissionem peccatorum? Aut quomodo sanctificabitur ab immunditiis suis? Vel quomodo donum accipiet aliquod, cum exsecraverit eum in quo sunt omnia dona virtutum? Quamvis igitur Pater donet quodcunque donum, etiam se et Filium, quod majus est omnibus donis, nonnisi in Spiritu sancto donat Pater et Filius, quia ipse amborum est donum. Cum autem ipse donatur, vere quidquid contractum est, ut ita fatear, contra Patrem et Filium, blasphemia vel peccatum in eo remittitur, in quo omnis remissio datur; vel in eo negatur ipsa remissio peccati, et blasphemia tenetur in crimine, dum ipse blasphemat in quo Patris et Filii omnia sunt dona. Quo dato, Deus tota Trinitas habe-

Introdusă în format electronic de Google

tur, creditur, et amatur. Quo negato, nullum peccatum nullaque blasphemia remittitur, dum ipse blasphematur, et dicunt ejus opera esse principis dæmoniorum, in quo gratia donatur, et omnis impœnitudo cordis solvitur. Unde sanctus pater Augustinus post argumenta varia rerum, post omnes propositiones Scripturarum, post syllogismorum acutissima epicheremata, post introductiones definitionum latissimas, Spiritus sancti blasphemiam impœnitudinem cordis esse dixit. Quoniam sicut nemo nisi in Spiritu sancto Dominum Jesum dicit, neque cum operibus salutis confiteri nisi in eo potest : ita nec pœnitere a peccatis, et blasphemiis cessare valet. Quanto magis qui manifeste intelligit opera Dei, cum de virtute negare non potest, diabolica stimulatus invidia, calumniatur Christum Dei Verbum, et opera Spiritus sancti esse Beelzebub. Non quod non remittatur eis talis blasphemia si cesset blasphemare, perfecteque voluerit pœnitere, et confiteri eum sine quo nemo dicit Dominum Jesum. Quoniam in ipso Christum Dominum confiteri, magis laudare est, et venerari quam blasphemare. Quod delictum blasphemiæ juxta impœnitudinem cordis, talibus non dimittitur, neque in præsenti sæculo, neque in futuro; quorum nec audacia tantis revincitur minis, nec impudentia tantis superatur doctrinis, nec fides (qua sanctius nihil est) tantis instruitur divinis **559** eloquiis. Exercuit ergo Christus contra eos (ut ita dicam) orationis suæ argumenta, ita divinitus obpacata verbis, ut intus luce clarius exhibeant veritatem, foris vero non intelligentibus afferant offensionem. Quoniam, inquit, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, si Spiritus blasphemia eos non tenuerit reos. Etiam quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Ac si diceret : Quod si scandalizatus aliquis in carne mea fuerit, et me tantum hominem arbitratus, quod filius sim fabri, homo vorator, et vini potator, habeamque fratres; talis opinio atque blasphemia, quanquam culpa non careat erroris, tamen forte habet veniam. Non quod si perseveraverit in hac fidei blasphemia, sed si receperit confessionem ac pœnitudinem cordis, ne videatur blasphemare in Spiritu sancto, ex quo conceptus est Christus. Alioquin quomodo etiam hæreticos post blasphemiam Spiritus sancti episcopos scilicet ac presbyteros quidam in suum recipient gradum, necnon et omnes blasphemantes ad pœnitentiam. Unde manifestum est, peccatorum remissionem, nunquam sine Spiritus sancti confessione, nunquam sine advocatione ejus fieri; neque sine illo quemquam, ut expedit, ingemiscere, neque sicut oportet, orare per se, dicente Apostolo : *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Nam, sicut dixi, *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII, 3); quod evacuare, et dicere in Beelzebub ejicere dæmonia, vel in eo operari quæ divina sunt, nimis exitiabile est, nimisque mortiferum. Quapropter nunquam veniam merebitur, qui ab intercessore, et sanctificatore, id est, a Spiritu sancto deseritur, qui est remissio omnium peccatorum. Unde est quod dicitur : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta erunt* (*Joan.* XX, 23). In quo igitur putas remitti peccata, cum accipitur venia, nisi in Spiritu sancto, qui datur credentibus, quoniam Patris et Filii est; hoc unum optimum et perfectissimum donum in quo donantur reliqua dona, quo negato, negatur et venia, quæ accipitur in vera Spiritus sancti confessione. Quoniam omnes qui vere in Jesum Christum credunt, habent Spiritum sanctum per quem charitas Dei Patris et Filii diffusa est in cordibus credentium, quæ operit multitudinem peccatorum. Habent et gratiam remittendi peccata, verumtamen non nisi in eodem **560** Spiritu, in quo est omne donum, et omnis gratia etiam, ut sæpe dictum est, et remissio omnium peccatorum. Et quia per angustum clepsydræ meatum influentis aquæ pondere cœlestis minus replemur, minusque suffusa mens Spiritus sancti gratia, ad ea intus prolabitur, idcirco circumductas lineas divinæ intelligentiæ, quas spiritus Dei per beatos Evangelistas modificate distinxit, segnius, jam fatiscente senio, cymbalo linguæ monemur. Et ideo ad beatum Augustinum et ad alios sanctos Doctores, lectorem meum paucis fatigatum, nec tamen jure fastidiosum, remitto, qui de hoc opere propria edidere opuscula. Interim tamen scire convenit, cum dicit : *Quod blasphemia Spiritus sancti, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittitur* (*Matth.* XII, 32), quia sunt aliqua peccata quæ post hanc vitam in futuro sæculo remittantur; aut per ignem purgatorium, ut aiunt, aut per oblationes et preces, ac vota fidelium. Tantum ne blasphemia Spiritus sancti eos inurat, ut Dominum Jesum in Spiritu sancto quo repletus est, abnegent operari. Quia cum cætera gesta dictaque Spiritus sancti venia relaxentur, caret misericordia quisquis per hanc duritiam et impœnitudinem cordis, quod Deus in Christo sit, negaverit. Quid tam extra veniam quam non solum negare Christum quod Deus sit, verum etiam blasphemare quod spiritu immundo agatur, et consistentiam paterni spiritus adimere, in quo et per quem omnis blasphemia omneque peccatum relaxatur. Quo abnegato, omne peccatum tenetur. Nam in spiritu Dei omne opus Christus adimplet, ut ipse sit regnum cœlorum, et Deus in eo *mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19). Alioquin quidquid contumeliæ exstiterit in Christo, id omne exstabit in Deo; quia in Christo Deus, et Christus in Deo est. Unde sequitur adhuc evidentior syllogismus, quem nos, ut ait beatus Hieronymus, inevitabilem possumus appellare. Cujus profecto vinculis hunc inde eos, si interrogati fuerint, concludit.

Aut facite, inquit, *arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum*. Utroque itaque eorum eos premit. Ac si dicatur:

Introdusă în format electronic de Google

si Diabolus malus est, bona opera facere non potest. Si autem bona sunt quæ facta cernitis, constat ut non sit diabolus, id est arbor mala, qui ea facit. Neque enim fieri potest ut ex malo bonum, aut ex bono malum oriatur. Idcirco tribuite bonis operibus **561** quæ fiunt, ut cernitis ex me, ut bonus sit idem a quo fiunt, quæ negare nequaquam potestis quod bona sint, quoniam Deifica et divina. Propterea alibi eisdem Pharisæis ait, etsi me non vultis, saltem *operibus credite*. Quo nimirum argumento et præsentes valde revincit Judæos, et futuros propulsat adversarios, dum eos refellit intelligere Christi opera, non esse humana virtute, nolle tamen confiteri quod Dei sint, condemnat. Porro in futuro ex hoc omnem fidei perversitatem coarguit, eorum scilicet, qui dignitatem et communionem paternæ substantiæ ab ipso detrahunt. Unde se arborem, quæ fructum suum et non alienum dat in tempore suo, in corpore positum significat; quia per interioris suæ fecunditatem mittitur ubertas Ecclesiæ, et exuberat omnis fructus justitiæ. Quapropter et jam miro modo dicit: Aut facite arborem bonam cum fructibus suis, aut facite arborem malam cum fructibus suis; quia ex fructibus, ut ait, arbor ipsa cognoscitur. Nunquid secundum arborum naturam arbor mala bona potest constitui, vel quæ bona est, ut mala sit, cum ramis et fructibus suis commutari? Sed ut ex natura arborum convincantur Christum non posse inutilem jure, aut malum judicari, dum fructus ejus boni probantur et Deifici; quinimo juxta fructum operis Deum decerni debere, et tanquam Deum Dei Filium in omnibus venerari. Ne forte cum per admirationem operum tantorum Dei nomen detrahere non audeas, per malitiam mentis, et sensus generositatem, ejus quam habet cum Deo Patre quanquam confiteri es coactus in nomine, abnegata paternæ substantiæ communione, decerpas in fructu proprietatem naturæ. Ac per hoc quia: *Væ qui dicunt bonum malum et malum bonum* (*Isa.* v, 20). Ideo Dominus bonitatis suæ minus ostendit; et ideo aut malam arborem cum malis fructibus suis, aut bonam cum bonis fructibus suis secernant, ne si quis bonus est, dicant male operari posse; aut de seipsis, ipsi qui mali erant, æstiment bona vel vera dici posse. Unde sequitur:

Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ostendit illos apertius arborem malam esse, et profert in veritate judicium, talesque eos afferre fructus blasphemiæ, qualia in se semina Diaboli susceperant. Unde et progenies viperarum jure vocati sunt, non a natura, sed ex vitio diaboli quo corrupti erant **562** jam, ut bona nec loqui nec agere possent, donec in eodem vitio blasphemiæ perdurarent. Quia *bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala.* Non quod homo a natura sit malus, sed quia ipse sibi thesaurizat in corde suo malum, unde sit malus. De quo thesauro iræ Dei profert mala. Quo sane thesauro thesaurizato, factus est malus, sicut et ex bono fit bonus et profert bona; quanquam a natura ipse homo sit bonus. Quod si in opinione boni malive subrepserit dubietas, sub secreto indulgentiæ Dei reposita est venia in bona confessione. Verumtamen omnem corruptelam hominis ex naturæ vitio proficisci docuit, cum et homo bonus, et homo malus dicatur, non ex eo quod homo est, sed ex vitio, quia corruptus est. Et hinc est quod sequitur:

Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Hæret quidem hoc cum superioribus, et est sensus: quod si otiosum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo ejus qui loquitur: quanto magis vos qui opera Spiritus sancti calumniamini reddituri estis rationem calumniæ vestræ? Porro otiosum verbum est quod sine utilitate audientis loquentisve dicitur. Ut puta si omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, fabulasque narremus antiquas. Cæterum si quis scurrilia replicat verba, vel risum moventia, seu aliquid turpitudinis, hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus. Quibus profecto vitiis, dum cachinnis ora dissolvimus quam sæpe offendimus, quia talia divinus sermo et sanctorum Patrum regulæ æterna clausura damnarunt, ne os Christi discipuli talibus maculetur eloquiis. Hinc est quod sequitur:

Ex verbis tuis justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. Quoniam sicut supra dictum est: *Ex abundantia cordis os loquitur* (*Matth.* XII, 14), ac si dicatur: ex proprio thesauro cordis. Quoniam vanitas aut scurrilitas, seu reliqua quæ intus in mente, pejora abundantes aperire frequenter assuescunt. Ubi abundat gratia Spiritus sancti, et thesaurizata bonitas manet, ea profert lingua quæ in thesauro suo intus habet. Quoniam calamus linguæ inde profunditur quæ intus abundant. Nec potest de malo thesauro, nisi quæ mala sunt assuete proferri.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis **563** *et Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre.* Ubicunque evangelista, tunc ponit, tempus exprimit ordinis. Idcirco usque ad præsentem locum omnia hæc argumenta contra blasphemiam prioris signi objecta sunt adversus eos. Sed perfidi Pharisæi vel Scribæ sic rursus signum petunt ab eo, quasi quæ viderant signa non fuerint. Sed alius evangelista, quæ hic obscurius posuit, manifestius explicat cum ait: *Volumus a te signum videre de cœlo* (*Matth.* XII, 38). Ergo vel ignem de cœlo in morem Eliæ venire quærebant; vel in similitudinem Samuelis, tempore æstivo concrepare tonitrua, fulgura coruscare, imbres pluere, quasi non possent et ista, si fierent, calumniari ac dicere, ex occultis et variis aeris passionibus accidisse. Nam qui calumniabantur ea quæ oculis ex aperto viderant, manu tangere possent, et utiliter salutem hominum sentire, quid facerent vecordes de his quæ de cœlo ex abditis venirent? Fortassis ergo responderent, et magos in Ægypto multa signa de cœlo fecisse. Neminem eum esse putabunt nisi tantummodo hominem; et ideo

Introdusă în format electronic de Google

adulatorie magis et fraude, quam ex fide vel religione eum Magistrum vocant. Non puto quod ignorarent a magis stellam visam et prædicatam in ortu ipsius, quando et ipsi ex prophetia locum nativitatis Christi Herode interrogante denuntiarunt. Neque latebat angelos pastoribus Christum natum nuntiasse qui vocem Patris de cœlo ad eum venisse et Filium sibi dilectum proclamasse audierant vel cognoverant, quando et ipsi magis invidiose tonitruum factum fuisse de cœlo dicebant. Pro quibus profecto calumniis et blasphemiis egregie dixit :

Generatio mala et adultera. Adultera quia dimiserat virum suum Christum juxta Ezechielem, et multis se miscuerat amatoribus. Quod autem dicit, generatio mala, non naturam eorum damnat qui nati sunt ex semine Abrahæ, sed vitium, quo a diabolo corrupti sunt. Imitatione quidem ejus, dicuntur filii sicut et supra progenies viperarum. Quia sicut occidunt filii matres ex quibus nascuntur, ita occiderunt Judæi *Christum Dei virtutem Deique sapientiam* (*I Cor.* I, 24), qui est omnium recte sapientium mater.

Signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Omne igitur signum alicujus rei signum est. Porro signum quod se Christus daturum promittit, illius signi Jonæ res est. Sed ideo signum dicitur, quia quidquid præfiguratum fuit in Jona, **564** totum impletum est in Christo. Ac per hoc, licet signum dicatur, res, ut dixi, illius signi fuit. Quia sicut fuit Jona in ventre ceti *tribus diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* Quamvis nonnulli quidquid Jonas gessit signum fuisse de Christo confirmant, quod reprobato Israel ad Ninivitas propheta mittitur, sicut repudiatis perfidis Judæis Christus ad gentes, seu cætera quæ de eo leguntur. Tamen in hoc evidens signum fuit, quod non solum mortem Domini præfiguravit, verum etiam ipsum tempus passionis, tribus diebus et tribus noctibus, signanter expressit. Quamvis ex hoc quidam dubitent, et mendacio ascribant Salvatoris verba, quod non tribus diebus, nec tribus noctibus in sepulcro jacuerit. Nec intelligunt quam sæpe in Scripturis sacris hunc modum locutionis inveniunt, qui tropus synecdoche vocatur, ubi pars pro toto accipitur. Non quod Dominus omnes tres dies et tres noctes in inferno fuerit, sed ut sextæ feriæ diei partem qua sepultus est, cum præterita nocte et die accipias, hoc est pro tota die. Sabbatum vero in quo est tota nox et dies, deinde noctem Dominicam cum eodem die illucescente, partem accipiendo pro toto. Habes igitur tres dies, et tres noctes, si ita uniuscujusque diei partem, aut noctis acceperis pro toto. Ut puta si aliquis hora diei nona egressus fuerit de mansione, iter agens, et alterius diei hora tertia ad mansionem alteram pervenerit ; quod si dixerimus bidui eum fecisse iter, numquid statim reprehendemur mendacii? Quia ille qui ambulavit non omnes horas utriusque diei, sed quamdam partem itinere consumpsit. Nam et quod Dominus ostendit se in monte post sex dies factum dicit unus evangelista, alter vero, post dies octo ; partem posteriorem primi diei, in quo completum est quod promisit, pro totis atque integris diebus annumeremus, ut intelligas eum qui dixit post sex dies, solos medios connumerasse qui veri, toti, atque integri, completi sunt. Sed hic tropus significationis capax est, pleni intellectus, cum plus minusve pronuntiat Scriptura. Aut enim a parte totum ostendit, ut : *Verbum caro factum est ;* aut e contra, ut ibi : Ergo *propter parasceven Judæorum quia juxta erat monumentum ubi posuerunt eum* (*Joan.* XIX, 42). Porro quod ait, in corde terræ, tropice similiter loquitur : non quod terra cor habeat ut animal sit, sed significat Hierusalem, de qua dictum **565** est : *Quia operatus est salutem in medio terræ* (*Psal.* LXXIII, 12), in qua crucifixus est Dominus et sepultus.

Viri Ninivitæ surgent. Prosequitur miram et admirabilem prophetiam, quæ de prophetia Jonæ facta est, de qua prophetaverat Christus et ipse propheta. In quo ut expleret vaticinium suum, etiam celerior factus est ipse in resurrectione quam prædixerat et præfiguravit propheta. Porro de Ninivitis majorem gentium fidem futuram demonstrat quam Judæorum, et ideo ex fide Ninivitarum, Judæos in futuro, quia non crediderunt, condemnandos denuntiat. Quoniam Ninivitæ, Jona prædicante, pœnitentiam egerunt, et a Deo pœnitendi veniam confessione meruerunt ; isti vero Christo Dei filio prænuntiato, ipso prædicante, eum non susceperunt. Ideo surgent dictum est, quoniam laudabiliores erunt in similitudine duorum denariorum, quorum alter formosior splendet et clarior formatione artificis, alter vilissime degeneri actus pondere et splendore, contemnitur. Ubi fides gentium permaxima prædicatur. Condemnabunt autem non judicii potestate, sed quia ex eorum comparatione ipsi condemnabuntur. Et notandum quod gentes ad meliora eo in die resurgent, et sublimiora percipient fide suæ dona.

Et ecce plus quam Jonas hic. Hic autem non nomen accipiendum, sed adverbium loci. Quoniam impræsentiarum erat Christus qui loquebatur sic de se quasi de alio, ac si diceret : Hic inter vos est, qui plus est quam Jonas hic. Quoniam juxta Septuaginta Jonas tribus diebus Ninivitis pœnitentiam prædicavit, ego vero tanto tempore ; ille Assyriis genti incredulæ, ego Judæis populo Dei ; ille alienis a lege Dei, ego meis civibus semper a lege et prophetis ea quæ repromissa sunt patribus, exhibeo ; ille voce tantum locutus simpliciter nihil signorum faciens, ego (et si in Beelzebub facere calumnior) innumera infirmis præstiti beneficia gratis. Quæ quia deitatis sunt opera, insinuant quod plus est quam Jonas hic impræsentiarum, a quo tam mira et inaudita fiunt. Regina Austri surget *in judicio cum generatione ista, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Nemo mortalium est qui tam docilem habeat

Introdusă în format electronic de Google

naturam, vel excellentissimum ingenium, ut thesauros divinarum Scripturarum sua possit scientia, vel eruditione ad liquidum penetrare. Nemo qui singula queat ænigmata **566** revelare, et allegorias rationesque parabolarum demonstrare; similitudines quoque suis in locis digne exprimere, omnia occulta aperire. Quod quia non potest, non ideo tamen debet putare, quod aliquid in eisdem sacris litteris supervacuum, aut absque sacramento, licet occultæ significationis, sit positum. Idcirco adhibendus labor, et cum studio inveniendi imploranda est divina gratia, ut nobis obscura reserare dignetur qui tenet clavem scientiæ. Quia, ut dictum est, ipsa veritas multum demersa in alto latet. Quis enim deprehenderet disertissimus philosophorum, hæc regina Saba quod ista præfiguraret, vel quod Jonas forte per triduum in ventre ceti demersus tam profunda ostenderet? Nisi Christus Dei virtus Deique sapientia, qui aperit et nemo claudit, illud de se dictum aperiret? Quoniam sicut inaudita vectura rectorem suum servans, et post triduum referens ad superna : ita et Christus per mortem ad inferna descendens, ineffabiliter est adimpleta veritas cum victor triumphans rediit ad vitam. Et hoc est signum quod quærentibus solum se daturum promittit, per quod scirent gloriam quam in Christo speverant, totam esse gentibus conferendam, sicut et Jonas se reddit gentibus quem aufugiendo abstulerat a Judæis. Unde adhuc et regina Austri in judicium ventura prædicatur. Quia sicut Jonas prævisus est ut veniret in figura Christi : ita et regina Austri prævisa est in figura Ecclesiæ, quæ venit ad Christum. Propterea beati sumus, inquam, quia quod præcessit in typo et promissum est in figura, nos totam tenemus in specie veritatem, veneramurque ipsam sapientiam, ipsumque Salomonem amplectimur, amamus et tenemus in specie veritatem, veneramurque ipsam sapientiam, ipsumque Salomonem amplectimur, amamus et tenemus fide. Quia profecto hic plus est quam Salomon Christus, cujus egressio a summo cœlorum culmine quæsivit eam quæ venit a finibus terræ audire sapientiam, et contemplari ineffabilia sacramentorum ejus mysteria. Tradunt igitur Judæi quod hæc mulier Meroe sit vocata, solummodo nomen quærentes et carnaliter omnia sentientes. Nec tamen mysterium recognoscunt, quod Christus de se et Ecclesia, quæ vere regina est, esse docuit. Cumulat ergo adhuc invidiam Judæorum hæc comparatio, quia eos sine excusatione facit **567** fides gentium. Ut cum illi prophetis, id est, Jonæ Salomonique credunt, et complectuntur sapientiæ doctrinam; isti Christum non credunt Jona seu Salomone potiorem. Et ideo eos in resurrectione judicii condemnabunt, quia in his repertus est timor Dei ac fides, quibus lex non erat data, nec virtus veræ sapientiæ prædicata. Hinc magis indigni sunt venia qui ex lege sunt infideles, dum plus fidei sectati sunt commercium qui legem non noverant, quando illis gratia et venia gratis prædicatur. Sequitur adhuc alia objurgatio :

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, et non invenit, et reliqua. Continuus quidem ordo lectionis, et ex prioris exordio sermonis proficisci probatur, dum eis ob duritiam cordis eorum atrocior accumulatur pœna, et major comminatur vindicta. Ad hoc quippe omnis comparatio præsentis loci intentatur, ut demonstret ex ea Judæis graviora imminere supplicia, quod et in fine aperte concludit, cum ait :

Sic erit (inquit) *et huic generationi pessimæ*. Nam homo a quo immundus egreditur spiritus Judæorum natio designatur, de qua spiritum immundum lex, quæ data est, interventu suo ejecit. Quoniam antea in Ægypto multa et gravia in Deum peccata idola adorando et dæmonia colendo, contraxerant. Nec non etiam postquam signa et prodigia Dei in Ægypto viderant, post transitum maris Rubri, post innumera beneficia et miracula interdum, cum lex a Deo fabricaretur, metallo ac lapidibus hostias immolaverunt, una cum choris et canticis saltantium, aureos quos sibi conflaverant vitulos, deos adoraverunt. Sed lex, veluti quædam custodia murorum circumjectæ potestatis, dæmonibus rejectis, conclusit Dei populum ab eis, et exclusit adversarium. Qui illinc exiens, pergens quasi per arida loca, et inaquosa, longe diu circuiens, oberravit per solitudines gentium, in quibus nullus fons vitæ adhuc effluxerat, neque cœlestis imber eos compluerat, et ideo nimia arditate torridi squalebant. Quas solitudines et loca arida diu dum circuiret, et requiesceret in eis male pacatus, tandem aliquando Dei gratia respersi, postquam per lavacrum aquæ vitæ sunt abluti, et fons vivus in eis effluxit, habitandi cum his nullus locus fuit. Et cum jam in his requiem non haberet regnandi intra se reputans, optimum duxit, **568** et posse credidit in eam regredi domum, de qua depulsus prius per legem ac si ad ampliora invitatus, exivit. Ad quam rursus regrediens, invenit vacantem per otium et sabbatum. Vacabat enim templum Judæorum, quia sine Christo erat, et sine Deo, et sine custodia angelorum. Quoniam, sicut legimus in Josepho, post passionem Domini clamatum est publice multis audientibus in eadem arce murorum : Transeamus ex his sedibus. Nec immerito, quia Dominum angelorum habitatorem habere noluerunt. Et ideo eorum exspoliata præsidiis vacabat domus otio vanissime feriata, ornata prophetarum præconiis et traditionibus paternæ legis, nec non et superstitiosis observationibus. Propter quas nimirum traditiones etiam ipsa legis custodia longe abscesserat, quia omnis lex et prophetia usque ad Joannem data fuerat, ut Christum annuntiarent, quo abjecto, absque habitatore, ut dixi, vacua remansit, non solum ipsa gens, verum etiam et ipsa lex; quia non erat alius quem præfiguraret neque in se quem demonstraret; sed a nobis tamen legitur plena mysteriis ad testimonium confirmationis nostræ, et illis ad opprobrium

Introdusă în format electronic de Google

damnationis suæ. Quæ domus Judæorum cum ita esset ornata, et mundata, necnon et vacua, ne vacua remaneret, rursus repleta est dæmonibus. Qui ideo sub septenario numero assumuntur, quoniam in eo numero plena perfectio designatur. Ut quia tot erant eis munera gratiarum destinata si Christum recepissent, in quo erant hæc omnia, tot tantaque deinceps e contrario fieret in eis iniquitatis possessio. Quoniam et per septem vitia principalia, universa vitiorum immanitas exprimitur; ut quanta est in bonis gratiarum actio, tanta sit et in malis iniquitatis plenitudo. Sed ideo nequiores dicuntur assumpti quam is fuerat qui eos prius possederat, quia graviora sunt vitia quæ post perceptam legem vel gratiam committuntur quam fuerant illa quæ nulla percepta lege operabamur. Propter quod quia completum videmus in Judæis quæ comminata sunt, expavescamus admittere quæ prohibita sunt, quoniam melius esset, juxta Apostolum (*II Pet.* II, 20), viam Dei non nosse, quam post perceptam gratiam retrorsum abire, aut sub hypocrisi ficte ac vitiosissime vivere. Quia cum quisque ceciderit de culmine justitiæ Dei, deinceps jam simulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulsa **569** per pœnitentiam, et a consuetis operibus jam exclusa, cum non invenerit in quibus delectationibus requiescat, avidius ad pristinam redit hominis mentem, et rursus eam occupat, si, cum expulsa esset, negligentia subsecuta fuerit, ut de fervore charitatis mens prolapsa ruat. Tunc siquidem non solum habebit illa septem vitia, quæ sunt septem virtutibus spiritalibus contraria, verum etiam per hypocrisin, in seipsa virtutes habere simulabit. Propterea assumptis secum aliis septem nequioribus, hoc est ipsa septenaria simulatione, redit ipsa concupiscentia et possedit eamdem domum, *ut sint novissima hominis illius pejora prioribus* (*Matth.* XII, 45). Etenim Judæis gravius est nunc quotidie in synagogis Christum obstinato animo blasphemare, quam cum in Ægypto ante legis notitiam idolis serviebant, dæmonibus immolare. Et, ut apertius ostenderet de quibus parabola texebatur, ait: *Sic erit generatio huic pessimæ*. Quamvis quodammodo et de hæreticis accipi possit; quoniam multo pejoris conditionis sunt hæretici æstimandi, quam gentiles; quia in illis adhuc spes fidei restat, in istis vero pugna discordiæ manet. Tamen ut veritas non extenuetur intelligentiæ, impleta hæc omnia datur cernere libere in Judæis. Quoniam nisi gravius hoc illis esset quod rejecerunt Christum et vacui remanserunt, quam si ut prius idola adorarent, nequaquam ita usque in finem sæculi a proprio solo capite sine ulla repropitiatione expulsi essent. Nam modo non idola adorant et venerantur, et tamen sine ulla clementia per omnem orbem terrarum dispersi, et sine Deo vero vagi inveniuntur. Quia qui noluerunt esse domus Dei, facti sunt domus dæmonum pessimorum. Ad quam regressi cum suo principe suis circumsepti nequitiis, in eisdem habitant, et sunt eorum omnia pejora prioribus.

Adhuc igitur *Salvatore loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres ejus stabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua et fratres tui, foris stant quærentes te.* Quamvis occupatus esset Dominus in doctrina verbi, altior hoc loco requirendus est sensus, quia perfecti et sapientis viri est, per singulas sententias acute inspicere sensus latentes in eis invenire; distinguere singula, quæ in locis et temporibus seu in rebus sunt significata, dicta vel gesta. Breviter quidem definire verbis plenius, quæ explanantur amplificare sensibus, sine insolentia, sine ambitione laudis, et **570** jactantia vanitatis. Quia omnia divina, ut dixi superius, narrata operata sunt mysteriis, et nihil in eis dictum quod non sit plenum sensibus, sicut est quod ait: *Adhuc eo loquente, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, et dixit ei quidam: Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te.* Non quod ingrediendi ad eum, ut cæteri non haberent potestatem, sed quia sic divina disposuit Providentia, ut rei eventus monstraret exspoliata prædicatione, deinceps quid ipsi Judæi acturi essent, nolentes per ostium intrare, id est per fidem ad eum. Unde dictum est: *Ego sum ostium* (*Joan.* x, 9), et quia *in sua venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.*, I, 11). Porro in matre et fratribus Synagoga et Judæi, qui ex ea nati sunt, intelliguntur; qui contemnentes ejus doctrinam, cuncta in opprobrium vertunt. Unde quidam ut ex uno genus intelligatur, ac si insultans dicit: *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te.* Quasi diceret: Quid talia de te in populo respergis, vel quare te Deum facis, et in nobis tanta taliaque reprehendis et minaris, quasi in tua sit potestate atrociora nobis reddere, nonne hæc est mater tua et fratres tui? cum sis homo, fabri filius, et vilior in genere præ cæteris, cur tam eximia de te ostendis, et in nobis tanta calumniaris? Quæ adhuc hodie vox est Judæorum credentes quod homo est tantum fabri filius, et conditione carnis humanæ ex femina generatus. Quanquam videatur iste qui nuntiat et ob aliam calumniam, non fortuitu, neque simpliciter insultans, ista nuntiare, verum magis ex hoc insidias prætendere, utrumne officio divini verbi contra superius præceptum de matre prolatum vel de fratribus, carnem aut sanguinem eorum, per motus affectum, præferat. Sed inspector cordium benignissimus Salvator sic responsum temperat, ne matrem neget, aut fratres, pro qua etiam in cruce pendens sollicitudinem gerebat, sed ut insidiantem reperciteret, seque Filium Dei non celavit.

Unde extendens manum in discipulo, ait, Ecce mater mea et fratres mei. Ac si diceret, Isti sunt mater mea, quorum officio et doctrina quotidie credentium animæ in meo corpore ut sint generantur ad lucem. Isti sunt fratres qui faciunt opera Patris mei et voluntatem, unde et ipsi ex hoc adoptantur in filios. Non enim ut dixi, juxta hæreticos, matrem negavit, ut putaretur de phantasmate natus. Sed apostolos cognationi prætulit carnis, ut et **571** nos

Introdusă în format electronic de Google

in comparatione dilectionis semper carni Spiritum præferamus. Sed ne forte de solis apostolis dicere videretur, providus Magister addidit, etiam et de singulis recte credentibus.

Et quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Interea ne de Joseph dicere rursus calumniaretur, cum voluntatem Patris requirebat, addidit, *qui in cœlis est*, ut monstraretur luce clarius seipsum de cœlis venisse, quamvis Filius hominis in carne videretur. Formam quoque seipsum omnibus agendi sentiendique constituens propinquitatum omnium jus atque nomen jam non de conditione carnis, sed de Christi et Ecclesiæ communione retinendum. Quoniam Ecclesia, quæ in Christo colligitur, mater effecta est, intus in corde Christum gignendo et pariendo. Soror vero secundum quod quam sæpe in Canticis appellatur, ideo et ipsa vocata est, quia Christus Dei Filius, hominis filius factus est, juxta quod et ipse sponsus et frater est. Unde jam tunc in apostolis cum Christo mater intus erat et fratres, foris vero Synagoga de qua genitus est, et fratres Judæi invidia cæcati stabant, nolentes intus intrare ad convivium, in quo junior filius clementer receptus epulabatur. Ex quo loco quidam, fratres Domini dixerunt esse filios Joseph, de alia uxore generatos. Suspicati sunt enim, sequentes ex apocrypho Judæorum deliramenta quamdam Estham mulierculam fuisse, de qua genuerit filios, qui fratres Domini vocarentur. Nos autem fratres Domini non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ mater fuisse dicitur Jacobi minoris, et Joseph, et Judæ, quos in alio Evangelii loco, fratres Domini appellatos legimus; fratres itaque consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat. Qui cum venissent ad eum, quia occupatus erat Dominus omni frequentia populi, non minus in opere sermonis ad turbas, quam et in doctrina interius ad discipulos, in officio curationis, nec non et in responsione sibi insidiantium. Omnium tamen in omnibus unam operabatur salutem, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, ut omnes venirent *ad agnitionem veritatis* (*I Tim.* II, 4). Idcirco mater et fratres differunt introire, ut et reverantia servaretur in accessu, et mysterium formaretur divinitatis ex proventu. Unde quia percurrimus inelimato loquendi **572** genere ab eo loco ubi *circuibat* benignissimus *Jesus civitates omnes et castella docens in synogagis eorum et prædicans Evangelium regni* (*Matth.* IX, 35), usque ad hunc locum, ubi deinceps novus incipit ordo narrandi. Et quia flagitat ratio ut vires reparentur lectoris, curemus finem imponere libro, si forte ad novum narrandi genus, recreatis viribus, constantius qualitercunque redire possimus Quoniam nec nos tam largam habemus dicendi peritiam, nec facultatem apposite ad persuadendum, ut quæ optima sunt loquendi explere valeam; neque sum præstantissimo præditus ingenio, ut hæc tam difficilia enodare facile et explicare possim. Idcirco me intra meos continere terminos decrevi, quos mihi divina indulsit misericordia, ne modum excedam concessæ gratiæ, quoniam nec laudem multam requiro hominum, nec gloriam. Idcirco etsi non eloquentiam mihi vindico, sensus tamen catholicos enucleare cupio. Quoniam si non alii tractassent Scripturas divinas quam oratores studiosi et prudentes, atque illustrissimi viri et præclari, rara esset disputatio divinorum eloquiorum, et humana facundia laudaretur magis quam cœlestis gratia. Stultum quippe est in hac Christi schola, sæcularem et vanam sectari philosophiam, maxime in hoc loco, quem tractavimus. Ubi eliguntur apostoli piscatores et rustici, et mittuntur, *Sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X, 16), ad universa tormentorum genera perferenda; ubi instituuntur apostoli discipuli ad agones, et nullam quærere eloquentiam jubentur. Quapropter, his ita decursis, festinet oratio, una cum præcellentissimo eloquiorum divinorum magistro, modum loquendi facere, et cum ipso benignissimo Salvatore, quoniam et ipse festinat, nos navem ascendere valeamus, ut dicatur nobis quod dictum est his qui cum eo erant in navi : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* VIII, 10), ne forte cum turbis in terra inveniamur.

PRÆFATIO LIBRI SEPTIMI.

Breviter recenseat animus quæ tractavimus, quoniam timide disserui, quia pene a nullo hoc in tempore inveniuntur impleri quæ jubentur. Describit enim sermo divinus virum Evangelicum, **573** et depingit non penicillo aut calamo, sed ratione ac disciplina cœlestis magisterii, ut totus integer homo interius reformetur. Hincque jungamus quæ dicta sunt in domo luce clarius perfectioribus attributa parabolis, quæ sunt obscurius turbis et plebibus adumbrata, ut nosse possimus cum apostolis mysterium cœlestis regni, et intelligere ænigmata quæ sunt divini testimonii auctoritate firmata. Festinet igitur mens peritissima inter utrasque librorum partes, unam sui habitus efficere texturam, ut paulo altius luculenta Evangelii dogmata conspiciat; quam sint splendida, quam præclara, si quo modo videre possit quantum præemineat ejus doctrina, quam pulchram de se reddat imaginem ex visione veritatis. Itatenus ut in quocunque perterruit nos sublimitas præceptorum infra domum, auribus nostris divinitus commendata; ne forte impossibilia censeantur, totum demulceat suavitas parabolarum, et perornet

Introdusă în format electronic de Google

earum varietas. Sicque jam æqualiter perfusum lumen in cordibus nostris, nulla nos fallat claritas inter utrasque partes. Sed si excelsius nos ducere videmur, nulla nos vertigo capitis decipiat, verum securi simus, quoniam verus est, et falli non potest, quem sequimur. Idcirco sequamur eum intrepidi, sequamur securi. Sunt enim ejus refugia quotiescunque fatigatur a turbis, aut in monte, aut in solitudine eremi, aut in mari. Ad quæ nimirum loca quia plebs invalida accedere non valet, soli discipuli sequuntur, in omnibus remoti a doctrina. Ideo perceperunt jam in monte quæ turbæ nequeunt assequi, et in mari cum eo navicula jam recepti, interrogant secretius mysteria cœlestis vitæ quæ turbæ adhuc audiunt in parabolis. Nec virtus eorum in ullo debilitatur, nec fortitudo frangitur, nec constantia fatigatur, nec præstantia divini amoris gravatur pondere infirmitatis; sed in omnibus hactenus sequuntur infatigati, etiam inter fluctus maris, et committunt se naviculæ quæ a Christo regitur; est enim firmissima tabularum connexione, artificio ædificata divino, solida magis in Christo quam robusta. Frangit itaque fluctus, et non frangitur; turbinibus rotatur, et non mergitur; eludit et elidit undas ventorum quas non recipit; seditiones placat moderatione remigii. In qua igitur navi fratres, quia jam ascendimus, firmi et stabiles permaneamus, semper doctrinam **574** Christi sectantes. Et si qua sunt, quæ minus capimus, quia multa sunt, interrogemus securi, nullis aurarum fluctibus moveamur; quoniam etsi elevantur usque ad cœlum, non possunt nos obruere suis allisionibus, cum quibus Christus in ea navigat. Unde ait: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20); et: *Confidite, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33).

LIBER SEPTIMUS.

(Cap. XIII.) *In illo die exiens Jesus de domo sedit secus mare, et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ.* Apparet igitur quod Matthæus hic ordinem narrationis suæ ac temporis secutus est, cum dicit, in illo die: ac si dicatur, quando finiunt hæc quæ dicta sunt verba, nisi forte diem pro tempore accipiamus, ergo exiit de domo in qua fuit, cum sanatis præcepit ne manifestum eum facerent; vel in qua docuerat quæ dicta sunt. Et congregatæ sunt ad eum turbæ, quæ domum intrare non poterant, ubi apostoli intus audiebant mysteria. Et ideo exivit ut congregarentur ad eum, quia misericors est. Alioquin nisi exisset de illa occulta habitatione sua, in qua semper cum Deo Patre est, nunquam ad eum congregarentur, qui dispersi erant, et vexati variis languoribus. Sedet autem juxta hujus sæculi mare, ut turbæ congregentur ad eum, et audiant secus littus quæ intus non merebantur audire. Sed benignissimus Magister in suis indicat factis etiam ea quæ agit. Ascendit autem in naviculam, et resedit in mediis fluctibus, ubi navis hinc inde, de montuosis valde tunditur procellis. Sed turba foris stat, ut ex subjectis rebus ratio monstretur, quæ in parabolis erat locuturus. Quo nimirum facto significat eos qui foris sunt extra Ecclesiam, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim typum præfert Ecclesiæ, intra quam verbum vitæ positum est et prædicatur. Qui autem extra sunt, arenæ comparantur et sunt steriles sine fructu, atque inutiles. Idcirco quæ proponuntur in parabolis intelligere non possunt. Aut certe ideo stant in littore fixo gradu, ut diligentius audiant quæ dicuntur: quoniam necdum cum Jesu, neque cum **575** apostolis, pericula et tentationes, quibus jam premebatur Christus a suis insidiatoribus, ferre poterant. Unde sequitur:

Et locutus est eis multa in parabolis. Multa quidem, sed non omnia. Si enim dixisset omnia in parabolis, absque emolumento turbæ recessissent. Turba autem non unius est scientiæ, sed diversa in singulis voluntas. Propterea eisdem loquitur multis in parabolis, ut juxta varias voluntates suas, diversas reciperent disciplinas. Hinc perspicua miscet obscuris, ut per ea quæ planius intelliguntur provocentur ad eorum notitiam quæ obscura sunt, ut avidius requirant, et intelligant clarius.

Ecce exiit qui seminat seminare. Intus erat, domi versabatur, et loquebatur discipulis sacramenta vitæ. Quibus profecto rebus docet, ut dixi, quod exierit de cœlo, et venit in mundum quod est secus mare sedere, aut de Judæis, quia venit ad gentes, ascenditque navem, id est Ecclesiam. Turbæ vero ad littus stantes, præsentem vitam significant. Exivit namque de domo sua qui seminat verbum Dei, ut seminaret in gentibus: sic enim de se loquitur quasi de alio, quoniam ipse est solus sator universorum, et semen. Et ideo absque ullo cognomine se insinuat, quia ipse est qui proprie et singulariter seminator dicitur. Simul observa hanc esse primam parabolarum, quæ cum interpretatione sua posita est. Et cavendum, quamcunque earum Dominus exponit, et rogatus a discipulis, proprios sermones suos ipse disserit, ne vel aliud vel plus superstitiose aliquid velimus intelligere, quam ab eo expositum est. Porro hanc parabolam quidam hæreticorum ad comprobandam hæresim suam assumunt, tres volentes introducere naturas, scilicet spiritalem, animalem, atque terrenam; cum hic quatuor sationes connumerentur, una juxta viam, alia inter petrosa, tertia inter spinas, quarta vero quæ in terra bona fructificasse dicitur. Quarum intelligentiam ab ipso Domino requiramus. Interim vero differendum parumper, do-

Introdusă în format electronic de Google

nec cum ipsis discipulis, secreto eamdem audire possimus. Et accedentes discipuli ejus dixerunt : Quærendum itaque quomodo accedunt discipuli ejus, cum Jesus in navi sedebat ? Nisi quia intelligendum est quod dudum cum ipso navem conscenderint, et ibi cum eo stantes super interpretatione parabolæ sciscitati sunt. Et **576** notandum quia et illi accedentes interrogant, et turbæ stantes audiunt. Jesus vero majestate sua securus sedet in navi, quasi doctor et judex ; idcirco istos docet accedentes fide, inter medios tentationum fluctus, illos discernit, et tantummodo in parabolis audire permittit ; quia necdum erant idonei ferre tentationes, quia necdum probati. Et ideo ait :

Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Audiant Pelagiani, qui sine gratia Dei quidquam se habere jactitant, quoniam nihil sine dono Dei percipitur. Unde Apostolus : *Quid habes quod non accepisti* (*I Cor.* IV, 7) ? Propterea nemo præsumat de se, quia nihil habet ex se, nisi sola delicta. Accedat igitur alacer, fide devotus, gratia firmus in charitate, ut audiat cum apostolis in navi, ut intelligat quod datum est illis, quia quod illis et datum est, omnibus est repromissum. Magnum igitur est quod illis datum est nosse, quia *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et, quem misisti, Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Cognitio quippe hæc magnum est sacramentum, unde dictum est : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21). Et quia hoc vere crediderant apostoli, habebant non ex se, sed ex dono Dei jam illud in quo est vita æterna. Propterea sequitur :

Qui enim habet dabitur ei, et abundabit; qui autem et non habet, et quod habet auferetur ab eo. Id est, qui habet mysterium regni Dei, et fidem integram (quæ ex me est) possidet, sicuti vos, dabitur ei augmentum gratiæ, sicut Apostolus ait, secundum mensuram fidei ; quoniam radix omnium virtutum et fundamentum fides est, super quam ædificatur omnium virtutum structura, quam qui habuerit ei scientia, secundum mensuram fidei. Dabitur et charitas in Spiritu sancto, ut augmentum capiat verus Christianus, et dona secundum magnitudinem fidei, et abundabit etiam usque ad plenitudinem charitatis : quam qui non habet, id est veram et rectam fidem, quod habet auferetur ab eo. Verumtamen e contrario hic tangit Judæos qui gloriabantur in lege, et turbam in parabolis audientem, quia fidem quæ in Christo est necdum habebant. Ideo quidquid per legem possederant, auferetur ab eis. Tangit etiam et eos qui videntur habere per naturæ bonum certe aut simulatas sine fide virtutes, quia auferentur ab eis ; quoniam *sine fide impossibile est placere Deo* (*Heb.* XI, 6). Neque possunt quidpiam sapienter intelligere, qui caput **577** non habent in se sapientiæ. Sed ne forte aliquis se putet fidem habere cum credit in Christum, sine operibus justitiæ, sciat, quia si opus fidei non habet, fides mortua est. Et si habuerit opus aliquod boni sine fide, ipsumque opus vacuum est, quia non est in Christo. Qui autem habet Christum in fide, secundum opus fidei, utique et Patrem habet. Qui autem Patrem et Filium, vere et Spiritum sanctum habet, quorum est spiritus. Quia quod sine fide est, peccatum est, teste Apostolo ; idcirco vere qui hanc non habet, quod videtur habere, auferetur ab eo. Hæc igitur de his loquitur qui stant in littore, et dividuntur ab Jesu propter tumultus sæculi, nec audiunt ad liquidum quæ dicuntur. Propterea in parabolis est eis omne quod audiunt secundum Isaiam prophetam, qui ait : *Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis.* Hæc quippe de turbis prophetata sunt, quæ non merentur audire sermonem, auditu cordis, quoniam de Christo nihil aliud sentiebant nisi quod oculis carneis videbant. Carnem quippe et corpus videbant, sed non divinitatem ejus facientem eâ quæ divina erant, intelligebant. Audiebatur quidem vox Patris dicentis : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* XIII, 55), et non audiebant ; quia dicebant : *Nonne hic est filius fabri ?* Propterea accedamus et nos cum discipulis ad Jesum, et rogemus discretionem parabolarum, ne cum turbis frustra aures et oculos habere videamus. Sed obscurius est valde, quod in Isaia juxta Hebraicam veritatem legimus, ubi totum imperative ponitur : Audite auditu, et nolite intelligere ; et videte visu, et nolite cognoscere. Ac deinceps : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava* (*Isa.* VI, 10), et oculos ejus claude, seu cætera. Hic tamen non imperative dicitur, sed indicative. Sicut et Lucas in Actibus apostolorum posuit. Unde sequitur :

Incrassatum enim est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt. Pro quo valde miror cur Matthæus vere Hebræus, Hebraico scribens sermone, hoc loco contra consuetudinem suam juxta Septuaginta hoc posuerit testimonium magis, quam juxta Hebraicum. Sed et Hieronymus in commentario suo secundum Septuaginta hoc exposuit. Nihil tamen de hac varietate movit quæstionis, neque in hoc opere, neque **578** in expositum Isaiæ, nisi forte, quia unus idemque est in eisdem interpretibus sensus. Sed tamen facilior secundum Septuaginta, quoniam difficultas est in Hebraico, quomodo ipse Deus præcipiat populo, ut auditu audiat, et non intelligat, et videns videat, et non agnoscat ; vel quomodo Propheta introducatur ad Dominum suis precibus agens : *Excæca*, inquit, *cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude; ne forte videat oculis suis, et auribus audiat, et corde intelligat et convertatur ac sanetur* (*Isa.* VI, 10). Quod si divino judicio factum est, et auctoritate, quod imperatum est, non video eos esse in culpa qui non vident, sed magis ille qui excæcavit eos, et dedit oculos ad non videndum. Unde Septuaginta magis liberum arbitrium servare videntur cum aiunt : Incrassatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, seu cætera. Ut ex suis

Introdusă în format electronic de Google

actibus justo Dei judicio, ad divina intelligenda, indigni judicentur. Sed absque hoc testimonio, quod nunc conamur exponere, manet eadem quæstio in ecclesiis. Quia seu sit dictum imperativo modo, seu indicativo, unum est, quoniam nullum Deus condemnat sine justo judicio suo. Neque præscribit ut possis dicere quod ipse sit auctor mali, sed quibus vult miseretur, et emollit ut convertantur, et quos vult indurat. Non quod Deus aliquem excæcat ne videat cordis oculo, aut indurat ne convertatur, sed quia jam cæcum et induratum justo judicio suo, relinquit, nec illuminat ut videat lumen vitæ, nec emollit ut convertatur et sanetur. Quapropter cum hæc soluta fuerit quæstio, solventur et cæteræ in quamplurimis locis, aut cum cæteris hoc loco et ista indissolubilis erit. Quoniam secundum Apostolum : *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur* (*Rom.* XI, 32 *et* 33). Admirans quoque Domini sacramenta, intulit dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia Dei, et investigabiles viæ ejus !* Verumtamen in hoc loco tria considerare oportet. Unum, quod pro magnitudine sceleris etiam isti qui excæcantur, et presserunt aures suas, ne audirent verba vitæ, pœnitentia indigni judicati sunt; aliud vero, quod si convertatur quis, et pœnitentiam egerit, et audierit rectæ fidei sacramenta, verum quia sanabitur a Domino, et salvus erit, licet in quolibet facinore detentus; tertium vero, **579** in omnibus istis qui pereunt, qui graviter audire dicuntur, et claudunt oculos suos ne videant, ut sanentur, sciendum quod non naturæ vitium est, sed arbitrium malæ voluntatis. Sequitur :

Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures quia audiunt. Ergo ideo beati, quia datum est illis nosse mysterium Regni. Et mira locutio : Beati, inquit, oculi vestri quia vident, et aures, quia audiunt. Nunquid non omnes videbant, et audiebant boni malive, etiam et bestiæ? Quod Lucas evangelista manifestius insinuat, dicens : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (*Luc.* X, 23). Idcirco ex hoc loco regula sumenda est, quatenus locutionis modos divinarum Scripturarum apertius intelligamus. Quoniam eis datum erat *nosse mysterium regni Dei* (*Marc.* IV, 11). Et inde erat quod videbant, et audiebant in corde, in quo turbæ et hi qui foris sunt, excæcati erant. Sed quia omnes oculos carnis et aures habebant, ideo jam supra cordis requirebat dicens : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Apoc.* VI, 13, 22). Quia illi beati sunt oculi qui possunt Christi cognoscere sacramenta, et quos Jesus levari jubet in sublime, ut candentes jam segetes aspiciant. Verum et illæ aures beatæ, de quibus Isaias loquitur, Dominus apposuit mihi auriculam. Necnon et Job : *Auditu auris*, inquit, *audivi te* (*Job* XLII, 5) ; neque enim nisi aure auditur. Sed ideo jure audire se dicit, quoniam intus erat quod audivit, intus qui loquebatur, intus per quod audiebat. Unde David : *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquitur pacem in populo suo* (*Psal.* LXXXIV, 9). Alioquin nulla beatitudo est, audire et videre quod audiunt et vident universi; veluti viderunt Christum boni malive in carne, et audiunt Evangelium cuncti qui veniunt ad Ecclesiam, licet non intelligant quæ leguntur. Porro quod sequitur :

Quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt. Videtur huic loco esse contrarium quod alibi dicitur : Abraham cupivit videre diem meum, vidit et gavisus est. Verumtamen non dixit, Omnes prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, sed multi. Unde inter multos poterat fieri, ut alii viderint, alii non viderint. Sed temerarium est de his quidpiam definire, aut merita sanctorum discernere. Nam Abraham vidit in ænigmate, **580** vidit in specie, apostoli autem in ipsa completione veritatis. Et ideo beati, quia quod futurum illi cernebant in spiritu, isti jam completum videbant in Christo, et ad voluntatem interrogabant eum de omnibus, et convescebantur ei in omnibus sacramentis. Et tanto perspicacius cuncta noverant, quanto præsentius ejus fruebantur eloquiis et doctrinis.

Omnis qui audit verbum regni et non intelligit, venit malus et rapit quod seminatum est in corde ejus; ex quo ostenditur, quia qui non intelligit quod audit, vere nec audit auditu auris, quia non capit quæ audit sensu carnis. Unde hortatur nos ut diligentius audiamus quæ dicuntur in Scripturis divinis : *Venit malus*, inquit, *et rapit quod seminatum est in corde ejus.* Malus igitur bonum semen rapit, non aliunde quam de corde, in quo seminatum est. Non quod ulla diversitas litteræ sit, id est animarum credentium ; sed quia *secus viam cecidit*, ideo *volucres cæli comederunt illud* (*Luc.* VIII, 5). Secus viam ergo cadit semen verbi, quando ipsi dæmones viam sibi faciunt in anima, ut est illud : *Incurvare* animæ tuæ *ut transeamus* per eam (*Isa.* LI, 23). Alioquin nisi curva esset anima, id est vitiis implicita, transitum per eam dæmones non haberent; sed quia eis transitum in se præbuit, propterea quidquid semĭnatur in ea boni, continuo malus rapit. Nec potest aliter donec misera anima in se talibus iter præbuerit spiritibus. Mira siquidem locutio, ut cum verbum regni seminatum in corde dicitur, transit continuo ad eum in quo seminatur, ita dicens :

Hic est, inquit, *qui secus viam seminatus est.* Ac per hoc et verbum semen est, et ipse in quo seminatum est. Utrumque tamen, quia juxta viam sunt, non utique juxta viam illam quæ Christus est, sed secus eam quam ipsi sibi dæmones attribuerunt, cum eam a statu rectitudinis deflexam et curvam invenerunt, ideo continuo Satanas rapit illud de corde, ne credentes salvi fiant. Qui modus locutionis secundum idioma sacrarum Scripturarum invenitur, ne carnaliter hæc parabola æstimetur dicta. Unde Marcus evangelista significantius ait : *Hi autem sunt circa viam ubi seminatur verbum, et cum audierint, continuo venit Satanas, et aufert verbum quod semi-*

Introdusă în format electronic de Google

natum est in cordibus eorum (*Marc.* IV, 15). Quasi A diceret, quia ipsi juxta viam sunt, et viam in se præbuerunt **581** dæmonibus, ideo aufertur ab eis quod seminatum est. Et ait hoc Matthæus, ut totum spiritaliter quod supra dictum est, de semine intelligatur. Sicque sequitur :

Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud. Verumtamen supra propositum est, quod alia ceciderunt, id est semina, super petrosa. Et nunc ipse seminatus dicitur supra petrosa, in quo seminatum est semen verbi, quia ipse totus in corde lapideus et durus vitio suo effectus est. Habebat tamen quamtulamcunque, licet non multam terram, id est quamdam affectionem (quamvis ad tempus) boni, et ideo *dicitur* cum gaudio suscepisse. Sed quia non habuit B altitudinem terræ, longanimitatem scilicet et perseverantem patientiam, vicit duritia cordis pluviam divini verbi, nec habuit semen humorem virtutis, quo radicem firmaret seminis. Quia temporalis erat, nec ad æterna tendens, propterea recte dicitur.

Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum continuo scandalizatur. Quod supra dixerat, aruerunt. Et notandum ex verbis Domini, quia in ortu solis vel calore quam sæpe in Scripturis divinis tentatio vel persecutio designatur, sicut est illud : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*Psal.* CXX, 6). Quoniam quos urit tentatio vel persecutio, quia non habent humorem perseverantiæ in charitate, cito, facta interrogatione de verbo, corruunt in negationem. Sed magna distantia est inter eum qui C multis tribulationibus pœnisque compellitur Christum negare, et eum qui ad primam persecutionem statim scandalizatur et corruit. Similiter et inter eum qui proclivis est quotidie ad peccandum, et eum qui gravioribus tandem vincitur tentationibus, si continuo divina clementia fuerit recreatus.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudine istius sæculi, et fallacia divitiarum, suffocat verbum, et sine fructu efficitur. Similiter supra dictum est, alia ceciderunt in spinis, id est alia semina. Hic vero ipse in quo seminata sunt, seminatus esse dicitur, quia semen verbi in se habuit, ut per hoc quod seminatum est ipse qui percepit seminatus intelligatur, inter sæculi divitias crescens et fallacias vanitatis. Nec **582** igitur mirum D si talis sit locutio, cum et ipsi spinæ dicantur, sicut est illud in Canticis : *Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias* (*Cant.* I, 2); quarum, licet floreant, nunquam ab illis est fructus sicut nec curæ sæculi, etsi videantur cibum habere salutis. Unde et ad Adam juxta litteram etiam figurate loquitur : *Cum operatus fueris terram, spinas et tribulos germinabit tibi.* Unde *in sudore vesceris pane tuo* (*Gen.* III, 19). Quoniam quicunque sæculi se dederit voluptatibus curisque istius mundi, panem cœlestem et cibum verum non nisi inter spinas comedit; attamen in sudore et labore nimio : Quia *dives difficile intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 23). Eleganter autem adjunxit, et fallacia divitiarum, quia blandæ sunt divitiæ. Aliud itaque agunt et aliud pollicentur; lubrica est earum possessio. Quarum oblectamentis et fallaciis suffocatur verbum Dei, dum instabili gradu cito et habentes deserunt, et non habentes reficiunt. Hæc tria siquidem seminum illi congruunt loco ubi ait : *Descendit pluvia, flaverunt venti, et irruerunt flumina* (*Matth.* VII, 25-27). Quoniam tria sunt ista, in quibus non solum agricultura subvertitur, verum etiam structura divini ædificii subvertitur.

Qui vero, inquit, *in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert.* Aptus quidem ordo ut primum audiat quis verbum, deinde intelligat; quoniam audire tantum aure carnis, et non intelligere aure mentis, parum est. Verumtamen admonent ipsi gradus in terra bona, quales sint præfati differentiarum fructus in terra mala, dum in utraque parte tres inveniuntur variasse licet unius seminis qualitates; non quod seminis vitium esset, sed quia qualitas agriculturæ id attulerit, ut etiam in una eademque bona terra, tres unius seminis dicantur prolatæ fructus ubertates, centesimi scilicet et sexagesimi, nec non et tricesimi. Verumtamen nec in illa, nec in ista parte mutatur naturæ substantia, sed voluntas et agricultura fidelium vel infidelium. In quorum corda, quia venit malus et rapit quod seminatum est in corde ejus, inde secundo ac tertio ait : *Hic est qui verbum audit.* Similiter et in expositione bonæ terræ, iste est, inquit, qui audit, deinde intelligit, ac sic profert fructum doctrinarum, non minus in opere, quam in intellectu. Quoniam **583** quidquid meruit audire, festinavit nosse et intelligere, quæ vero intellexit, opere implere. Et ex hoc quippe trino profectus gradu, nascitur culmen summæ perfectionis, ut sit omnis Ecclesia Christi, bicamerata, vel tricamerata. In quibus profecto gradibus quasi per tabulata templi veri Salomonis, ascenditur usque ad arcem integræ perfectionis. Depingitur autem iste numerus, *Centesimus, sexagesimus et tricesimus*, etiam juxta ætates humanæ naturæ. Quoniam homo cum fuerit triginta annorum, tunc fortissimus habetur ad omnia, et sponsalitatis jura amplius amplectitur, ac hinc inde filii procreantur. Idcirco sub hoc numero fructus conjugatorum ab omnibus Ecclesiasticis viris jure exponitur. Deinde sexagesimus augetur, quia cum ad hanc ætatem pervenerit quis, desinit jam belligerare, etiam et filios interdum procreare. Sub quo sane numero viduarum et omnium continentium ordo deprehenditur; quorum ideo copiosior fructus, quia magis sunt a sæculi actibus alieni, sub angustia pœnitudinis et tribulatione pii laboris, Deo vacare noscuntur. Unde et Apostolus viduam, quæ vere vidua sit et desolata, non minus quam sexaginta annorum jubet eligere. Hinc et cœlibes vocantur, eo quod jam deinceps cœlestem vitam debeant ducere, ut ad duplicatum fructum, sicut et viduæ in sua destitutione possint ascendere, ut deinceps jam sopitis hujus

Introdusă în format electronic de Google

vitæ passionibus omnis conditio ad melioris vitæ negotia sortiatur. Porro centesimum fructum æque virginibus vel martyribus consecratum et reconditum credimus; quamvis quidam nostrorum solummodo ad martyres, propter contemptum mortis, illud referre contendat, et ad virgines sexagesimum, propter otium interius, ut ait, deputat, quia non pugnant contra consuetudinem carnis. Sed mira interpretatio, ubi nec gratia æstimatur, nec incorruptio conservata, quæ consors angelorum est, suis privilegiis honoratur. Quod si ita esset, quia non est, videretur cælibatorum et viduarum, atque omnium continentium, vel pœnitentium ordo exclusus, quibus post militiam vel otium, quasi sexagenariis jam duplicata merces ob contemptum sæculi jure reperditur. Quas partes, quia pius Magister non expressit, nec secrevit, nec demonstravit, nec definivit, non ideo tamen libere oberrare **584** debemus a regula veritatis. Alioquin in toto hujus parabolæ textu, quid putas quomodo veritas elucesceret tantæ intelligentiæ, nisi divina auctoritas eam reserasset? De qua veritate vix perfecti in his quæ restant se convenire possunt. Unde benignissimus Salvator in cæteris ut regulam tractandi, parabolis, ac si prudens orator, ostenderet hanc per se parabolam, paucis explanare voluit verbis; deinceps auditores suos ut provocaret ad intelligentiam reliquarum, quas proposuit, parabolarum. Fecit enim, ut aiunt, ad similitudinem portantis vas plenum miris et diversis speciebus, quas in terra cum detulerit, ubi antea necdum visæ fuerant, ostendunt unam ex eisdem valde locupletem, et multis exornatam coloribus, quatenus ex hac una provocet mercatores regni cœlestis ad cætera quæ intus obscurius obvolvuntur. Et ideo tam diversa proponit, ut omne fastidium detergeat; quia novit cœlestis orator secundum consuetudinem patriæ, in parabolis graviter, copiose, ornateque dicere. Novit et peritissime docere, animos commovere granditer audientium, efficaciter persuadere, ut diversas audientium voluntates suavissimis parabolarum oblectet blandimentis. Et ideo ex una eadem terra, tricesimum et sexagesimum atque centesimum fructum repromittit, juxta culturæ qualitatem. Sed quanta sit horum graduum diversitas, quantaque divinæ sapientiæ majestas, et quanta potestas eloquentiæ suæ, quantumque pondus habeat in loquendo, nemo est qui digne admirari possit, nemo qui ad liquidum explicare. Unde videamus etiam in computatione Græcorum, qui semper sapientiam quærunt qualiter iste formetur numerus. Nam tricesimum numerum iidem ad nuptias referunt, quoniam in sinistra manu ipsa digitorum complexio, quasi sub molli osculo maritum simul depingit et conjugem. Sexagesimum vero, ad viduas seu cælibes, eo quod sub jugo tribulationis et angustiarum sint positæ, determinant. Unde et a pollice index digitus deprimitur fœdere viduitatis, ut quanto major difficultas gravitatis et oneris, tanto magis præmium augeatur. Porro centesimus, quia ad virgines referatur, seu martyres, de sinistra transit ad dexteram; ita ut quibus digitis nuptiæ significantur, et viduæ circulum faciens coronam exprimat **585** virginitatis. Et hoc est quod canitur in psalmis: *Astitit regina a dextris tuis* (*Psal.* XLIV, 10); quia vera incorruptio, soror est Angelorum, quorum societas in Christo in dextris utique collocatur. *Aliam quoque parabolam proposuit eis, dicens.* Recte aliam, quia multæ sunt, et non alteram, ne forte duæ tantum intelligerentur, quas ipse auctor vitæ per se clementer exposuit, licet paucis in medio interpositis, ut cæterarum intelligentia ex istis avidius requiratur. Quarum quia floridus est intellectus, et dulcis auditus, plurimum invitat lectorem ad reliqua in cæteris, quæ obscura sunt, requirenda. Quia benignissimus Salvator quasi prædives valde paterfamilias quos invitat ad epulas æternæ satietatis, interim diversis deliciarum reficere curat cibis, in via, ut unusquisque secundum naturam stomachi sui alimenta percipiat salutis. Sed quia has tantum, ut dixi, duas, licet paucis interjectis, ipse per se exposuit, simul jungendas censui. Et sicut eas cœlestis sapientia splendore divinæ intelligentiæ illustravit: ita legentibus, simul ut propositæ sunt, assignare decrevi.

Simile est, inquit, *regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.* Quam itaque similitudinem, coram turbis, una cum cæteris, obscure valde peroravit. Deinde dimissis turbis venit in domum, et accesserunt ad eum discipuli, quasi domestici, quasi familiarissimi, et dicunt ei: *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Quæ nisi obscurior videretur præ cæteris, nequaquam de hac sola interrogarent quasi inscii, quam nec populus merebatur audire, nec poterat. Quibus pius Magister ait:

Qui seminat est Filius hominis, ager autem est mundus, bonum vero semen ii sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam. Inimicus qui superseminat est diabolus, et cætera. Hæc ideo præmisi, ut liberior daretur facultas loquendi, et multiplicem quæstionem ex his paucis quæ reserata sunt a Domino, perspicacius intelligeremus. Quoniam quæ exposita sunt et nostræ intelligentiæ derelicta, enucleatius requirenda sunt et breviter annotanda. Quia ad hoc divinus arbiter clausis tegit veritatem figuris, sacramentis obumbrat, obscurat mysteriis, ut fideles et devoti in his exerceantur. Exponit nonnulla secretius, ut ad ea quæ obtecta sunt avidiores sui reddantur. *Simile est*, inquit, **586** *regnum cœlorum homini*, quoniam Christus factus est homo, ut pereunti humano generi subveniret. Qui homo seminavit bonum semen in agro suo. Audis quemadmodum ipse Deus homo, sator mundi, rerum principia bona fecit, nec ullum malum ab auctore primæ originis processit, sed omnia valde bona fecit. Idcirco non sunt audiendi Manichæi, seu cæteri hæretici, qui dicunt aliquid mali esse creatum a Deo tenebrarum, quoniam ab inimico superseminatum est malum, et non procreatum ab auctore Deo, qui cuncta fecit valde bona.

Introdusă în format electronic de Google

Sed *inimicus homo*, id est diabolus, *superseminavit zizania* (*Matth.* XIII, 25) in medio tritici. Primum in Adam dum esset in paradiso, deinde in Cain jam in mundo. Et sic per omne genus quod disseminatum est ab uno usque ab finem sæculi. Et ne in longum protraham tractatum, semper bonis ab initio miscuit mala, virtutibus vitia. Constat igitur quod ex uno homine Deus omnem replevit terram, et semine ex uno pius seminator totum genus humanum tantam multiplicavit in messem. Sed inimicus homo, qui ideo inimicus appellatur, quia Deus esse desinit, quod esse voluit, semper vitalia nostra vertit ad ruinam, et creaturam ad agnitionem Dei creatam, et laudem convertit ad injuriam. Ita in mundo ut nesciretur Deus, quoniam se Deum esse mentitus est. Hinc sapientes sæculi fecit stultos; speculatores mundi docuit nihil videre; professores scientiarum fecit scientiam non habere, inquisitores rerum, juxta Apostolum, dimisit ignaros. Sicque totam segetem satam in mundo cœlesti semine, hæretica pravitate, vel fallacibus præstigiis supersemimando confudit, ut manipulos loro fidei et charitatis alligatos, gehennæ fasciculos faceret, et igni perpetuo concremandos, ne triticum cœleste perveniret ad horreum. Non quod naturam mutaret tritici, sed quia vitiis infecit eum, ne quod bonum creatum erat in mundo, obediret auctori ut perveniret ad horreum. Hoc quippe egit dolis, machinis, fraudibus, ut degeneraretur triticum et fieret lolium, non natura, sed per vitium depravatum. Inde igitur in mundo hæreses, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices doli, inter innocentes nequitiæ. Nec igitur curat ut acquirat zizania, sed ut triticum perdat. Nec ut obsideat mortuos, sed ut impugnet viventes. Nec quærit **587** capere quos possidet subjectos, sed ut justos capiat suo vitio jam corruptos. Et hoc totum non in die, dum vigilat quis ad præcepta Domini custodienda, sed dum dormiunt homines somno torporis et ignaviæ, venit inimicus in medio tritici et vadit, non itaque alubi quam in medio tritici, quia malum nusquam est nisi in aliquo bono; ut de bono, quia malus est, suo vitio faciat et ipse malum. Verumtamen et hoc ipsum non nisi dum dormit ipse quem decipit. Unde David: *Dormitaverunt*, inquit, *omnes, et dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV, 14). Idcirco inimicus homo superseminavit zizania, ut tota periret Dominica messis. Et egit hoc præstigio suo celantibus tenebris, ut adulteratæ messis noxa redundaret ad servos, hincque pœnam sumerent unde speraverunt palmam. Propter quod evigilantes servi præ timore et cura eo quod evenerat istud expavescunt, hoc metuentes ne zizaniorum germina ad illorum redundaret offensam, quorum conscientia præter jactum boni seminis nihil habebat. Unde cogitare oportet quam periculosum sit his qui præsunt, aliud intendere, vel ignavia torpere. Ne forte in messe sibi commissa inimicus superseminet zizania, id est crimina, vel hæresim, unde pereat bonum semen, quod a Domino seminatum est. Quia licet seminet quis verbum prædicationis, ipse Christus est qui seminat, quia exiit seminare ipse, et quod seminatur in cordibus credentium.

Cum autem, inquit, *crevisset herba, et fecisset spicas, tunc apparuerunt zizania.* Quia quod latebat in herba manifestatur in spica, et quod celatur in germine, aperitur in fructu. Hinc quoque Dominus ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16); quoniam in Ecclesia Christi multi flores multitudinem fructuum pollicentur. Sed orta tentatione ad fructum boni operis paucissimi remanent. Hinc est quod boni messores semper vigilant et metuunt, ne forte illis dormientibus, triticum sordidetur et commisceatur semini alieno. Hinc etiam quod aditum sui Domini præveniunt, nec securi sunt de innocentia, aut timent reatum incurrere de silentio.

Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei. Accedunt itaque mente et non corpore, nec loco sed fide, et dicunt non clamore vocis, quia parabola est, sed corde tacito cum dolore: *Nonne*, **588** inquiunt, *bonum semen seminasti?* Seminasti, aiunt, et non seminavimus. Quoniam quidquid est boni, quod agimus, totum auctori, et non nobis, attribuere debemus. *Unde ergo habet zizania?* Quæ nimirum vox plena admirationis est, plena stupore et pavore. Quomodo natura humana, quæ bona creata sit a bono Deo, sic vitiari potuerit et degenerari, ut aliud esset, non per naturam, sed per vitium, quam quod creata est. Totum ergo se ignorare ostendunt, quo Dei judicio factum sit, ut homines ad imaginem Dei facti rationales, et boni conditi sic aberrare potuerunt a Deo, ut tam vani essent et steriles, a fructu alieni, ita ut nihil aliud quam lolium viderentur parati potius ad gehennam, quam digni ut recondererentur in horreum paradisi ad quod creati erant. Idcirco cesset humana præsumptio, cesset hæreticorum pravitas, qui de divino judicio et præscientia Dei temere aliquid definire vel susurrare præsumunt, cum et ipsi angeli, pie interrogando se ignorare fatentur quo judicio contigerit. Sed divinus arbiter longe se et ipsos angelos sanctos removet a culpa. *Inimicus homo*, inquit, *hoc fecit*, quia infecit et viciavit bonum quod a bono creatum est, et seminatum in mundo. Quod si deinceps velit aliquis ultra interrogare, quare quem nulla latent, etiam antequam fiant, hoc permiserit? Profecto quia nihil ei deperire potest, et plus fuit mystica discernere quam mysterium prohibere. Quia majus est reparare perdita, quam servare illæsa. Simulque observa quod jam responsum est, quia oportet zizania, id est hæreses esse, ut probati manifesti fiant. Tunc devoti servi, *Vis imus*, inquiunt, *et colligimus zizania?* Indefessi quippe suum offerunt laborem, nec patiuntur, Dominicæ messis, saltem temporaliter, videre tantam fœditatem. Verumtamen pius Dominus, quem tempora non fatigant, qui quando vult suas potest abolere injurias, *Sinite*, inquit, *usque ad messem*, et continuo addidit cur hoc præcipiat.

Ne forte, inquit, *dum vultis evellere zizania, era-*

Introdusă în format electronic de Google

dicetis simul et triticum. Alioquin clementissimus Dominus, nisi hoc juberet videretur tollere pœnitentiam. Sed imperiti cultores et operis Dei nescii, neque scientiam discretionis habentes, aliquando dum cupiunt evellere lolium, eradicant simul et triticum. Non dico ut contradicam illud Apostoli, *Auferte malum ex vobis* (*I Cor.* v, 13); quod contrarium huic loco sonare videtur. Sed aliud **589** est de manifestis apertisque criminibus judicare in Ecclesia, aliud de his quæ adhuc quasi in herba latent. Nam zizania, quod nos lolium esse dicimus, antequam in culmum veniant, dum in herba sunt, tanta similitudo in eis est, ut discerni vix aut nunquam possint. Et ideo Dominus, *Sinite*, inquit, *usque ad messem.* Quoniam potest fieri quod hodie zizania videtur, cras triticum fiat, et quod ad præsens paret triticum, in futuro vertatur in lolium, dum aliud protendit in specie, et aliud ministrabitur in flore. Ergo potest fieri ut qui hodie est hæreticus, crastina die sit non solum fidelis, verum etiam et defensor fidei. Sic et de cæteris vitiis sane intelligendum. Quia nisi Dei patientia subveniret etiam Matthæum (cujus hoc Evangelium est) non haberet, nec Paulum de persecutore apostolum possideret. Unde colligitur ne, ubi quid ambiguum est, magister Ecclesiæ sententiam cito proferat, sed Deo judicii terminum reservemus, ut cum dies judicii advenerit, ille non secundum suspicionem criminis, sed juxta manifestum reatum, de sanctorum cœtu reum ejiciat; sanctos vero, quia appellantur triticum, in horreis, id est in mansionibus æternæ vitæ susciperet. Porro quod messis, consummatio sæculi dicitur, quia ultra nec satio erit agri, nec fructus humani seminis ultra augebitur. Sed tunc tempus ejusdem messis erit, id est judicii dies, quando de singulis judicabitur. Præterea messores, quibus dicitur, *Colligite primum zizania*, teste Deo, ipsi angeli sunt, qui sunt in auxilio Ecclesiæ Dei, quos apostolus Paulus administratorios vocat spiritus, qui positi sunt in ministerio sanctorum propter eos qui hæreditatem accepturi sunt salutis. Interea quod ait, *Colligite primum zizania*, non quod altera sit resurrectio justorum, et altera peccatorum vel impiorum, sed quia primum segregandi sunt mali a bonis, et tunc sancti simul colligendi sunt in regno. Et tunc *fulgebunt sicut sol in regno Patris* (*Matth.* XIII), quia adoptati sunt in filios per mortem Filii Dei. Aliam para bolam proposuit eis, dicens:

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Mira et ineffabilis comparatio; ecce grano sinapis comparata est tota cœlestis magnitudo. Sed quid sit quod majestas regni, tam parvi, tam minimi seminis similitudine concluditur, ne absque magna consideratione prætereundum est. Quasi profecto illa cœlestis sapientia nihil invenerit **590** locupletius quam granum sinapis, cui illam omnipotentiam supernæ virtutis compararet. Unde ergo Evangelium nemo in transitu legat. Parabolas Christi nemo quasi vile aliquid accipiat. Quia vile non debet videri illud regnum cœlorum sua singularitate potens, æternitate felix, divinitate præfulgens, toto diffusum cœlo, tota terra dilatatum. Sed cogitare non sufficio, penetrare non valeo, illa sapientia divina, quid quod tam inæstimabile sacramentum, tamque ineffabile grano sinapis coaretat, et infra tantam parvissimi seminis concludit angustiam. Hinc, quæso, cesset oblatrare hæretica pravitas quod Deus fieri dignatus est homo, si cœlestis regni majestas omnis usque ad grani similitudinem venit. Quid quæritur quod Dominus totius mundi formam servi acceperit? Porro regnum cœlorum, sicut jam supra dixi, tripliciter accipitur, scilicet aut ipse Christus, sicut hoc loco, aut præsens Ecclesia sicut in quam plurimis; certe aut Evangelium, quod et hic etiam non incongruenter significatur. Quia ultra omnium philosophorum dogmata, et Scripturarum sanctarum mysteria, crevisse manifestum est. Sed melius tamen de Christo intelligitur dictum, ex quo, et per quem, ipsum Evangelium crevit et dilatatum est. Quia sicut *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, et quod stultum est, sapientius est hominibus* (*I Cor.* I, 25): ita hoc minimum Dei, tota magnitudine hominum etiam et angelorum magnificentius invenitur. Ita tamen si hoc granum sinapis nos in nostris sic seminemus pectoribus, ut intelligentiæ magnitudo nobis intus in arborem crescat. Et non in qualemcunque arborem, sed in eam et talem ac tantam, sub qua in ramis requiescant omnia volatilia cœli (*Matth.* XIII, 32), et sensus nostri leventur ad cœlum, ac totum scientiarum diffundatur in ramos. Deinde ita teratur in corde, ut ora nostra gustu ferventia vivido fructus sui sapore succendat. In tantum etiam, ut ab oculis lacrymæ, præ nimio ardore, decurrant: et ita igne seminis sui tantum in nobis ardeat, ut cerebrum purget, et verticem mentis tangat. Flammetur in pectore, quo ignorantiæ totum a nobis auferat sua degustatione fastidium, et ferventes reddat. Talis igitur et hujuscemodi naturæ sinapis intelligentia insinuat, non se grano hujus oleris sine causa comparasse, *quod acceptum homo*, Deus Pater videlicet, *misit in agro suo*, vel sicut alii codices habent, in horto suo, id est in **591** Ecclesia sua, vel in mundo. Quod autem minimum se dicit cunctis seminibus olerum, nec mirum cum ait in Psalmo de se: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal.* XXI, 7). Hinc autem, cum crevit, hoc est cum resurrexit, factus est arbor, et ascendit usque ad cœlos. Ergo rami ejus, scilicet apostoli, dilatati sunt et creverunt, quia *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ, verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Ita ut volucres cœli, qui sancti intelliguntur, habitent in eis, id est in eorum doctrina et Magisterio, dum terrena despiciunt et cœlestia appetunt. Quod si ad Evangelium alio sensu refertur hoc granum sinapis, tunc homo seminans verbum Evangelii Christus intelligitur. Quod ideo minimum dicitur, ad comparationem humanæ philosophiæ, quia non credentibus vile videtur.

Introdusă în format electronic de Google

Sed cum seminatum fuerit in corde fidelium, fit arbor eximia dum ascendit et dilatatur ultra omnem sapientiam mundanam. Interim vero doctrina Evangelii minima videtur omnibus disciplinis. Quoniam ad primam novæ institutionis doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Deumque mortuum; sed inde omne scandalum crucis oriri videtur. Quam sane doctrinam confer dogmatibus philosophorum, et libris eorum qui nimio splendore eloquentiæ redolent, compositione vero sermonis renitent, sicque videbis quantum minus sit semen Evangelii, seminibus liberalium artium. Sed illa dum crescunt et augentur passim, nihil vitale afferunt, nihilque salutiferum demonstrant, neque vividum *aliquid* ad perpetuitatem æternam. Quinimo totum flaccidum, totumque marcidum, frondescit et floret in olera et herbas, quæ cito arescunt. Sed Evangelii prædicatio, quæ minima videbatur, vel parva in initio fidei, cum in anima credentis vel in toto mundo radicaverit, sicut fecisse cernimus, tota crescit in arborem, ita ut volucres cœli, animæ videlicet credentium vel virtutes Dei servitio mancipatæ, veniant et habitent in ramis ejus. Porro rami hujus arboris dogmata probantur esse sanctorum prædicatorum diversa, in quibus supradictarum volucrum sancta requiescit societas. Hinc ergo assumamus et nos pennas columbæ, ut ad altiora possimus volare; nec non habitare in ramis hujus arboris et nidos facere doctrinarum. Verumtamen multi legentes hoc granum sinapis minimum omnibus seminibus. Nec non et quod alibi dicitur a **592** discipulis, Domine *auge nobis fidem*, quibus responsum est : *Amen dico vobis, si habueritis fidem quasi granum sinapis, et dixeritis monti huic, transi de loco isto, et transibit* (*Luc.* XVII, 5-7). Omnino putant apostolos, vel parvam fidem habuisse, vel Dominum de fide eorum (quia parva erat) eos arguisse; non intelligentes, quod Paulus apostolus hanc fidem grano sinapis comparatam, maximam et eximiam judicaverit : *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 2). Quæ nimirum fides quæ montes transfert, ipsa est illa quæ grano sinapis a Domino comparatur, et ea est tota et integra fides in qua est omnis fides. Quia Deus Trinitas per eam vere et fiducialiter colitur et amatur, in qua totus est Christus, per quem omnia sunt, et per ipsum ipsa fides omnia operatur. Porro rami ejus tunc dilatantur, cum expositiones sanctorum Patrum ex ea crescunt doctrina, in quibus volucres cœli, scilicet amatores veræ sapientiæ, secure requiescunt. Quoniam desuper venit quod seminatum est, idcirco confidenter suscipitur auditum, fide radicatur, spe crescit in altum, charitate diffunditur, et dilatatur in ramos, confessione extenditur, virtutibus quotidie virescit. Ad quam sane amœnitatem frondium aves cœli jugiter invitat, id est spiritales sensus; atque ipsos in eisdem ramis, quasi sub quiete recipit mansione quo nidificant, et nutriunt sibi pullos in mente sempiternos. Quod si rursus hoc granum in horto seminatum, quo jacuit in sepulcro requiris, invenies primum in utero virginis, deinde in Ecclesia seminatum. Ex quo nimirum horto sponsus in Canticis : *Hortus conclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* IV, 12), emissiones duæ, inquit, paradisi. In quo plane horto, quia crevit hoc granum, totius regni summa in eo manet. Quod regnum Christi, qui crevit in arbore crucis, et per totum dilatatus est orbem, qui quanto plus attritus est passione, tanto amplius fructus sui in mundo effudit saporem, et efferbuit charitas dilatata. Apparuit siquidem virtus ejus vehementior, quando comminutus est usque ad pulverem, et eliquatus prælo passionis. Ex hoc quippe est tota origo regnandi, et ideo cantamus fideliter, *Dominus regnavit a ligno*. Hinc nemo dubitet ex hoc grano, quia olim jam radicatum est in patriarchis, natum est in prophetis, crevit in apostolis, consummata est arbor magna in **593** ecclesiis. Multiplices dedit in donationibus Spiritus sancti ramos quos Apostolus bene dinumerat. In quibus profecto ramis donorum mundissimæ cœli aves fide requiescunt securitate.

Et aliam parabolam locutus est eis. Quapropter rogemus Christum, ne et nobis loquatur cum turbis in parabolis. Quia licet delectabilius nonnunquam auditur, quod dicitur in parabolis, valde infructuosum tamen est, nisi intelligantur ea in his quæ ornantur rebus, et obteguntur figuris.

Simile, inquit, *regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Bonus, et egregius magister, regni sui similitudines sic enarrat, sic variat et ornat propriis comparationibus, ut non de occulto sumat eas, neque de cœlestibus, sed profert illas de quotidiano usu et de communi conversatione, ut ad omne genus hominum perveniat quod est omnibus profuturum, juxta illud Propheticum : *Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ et filii hominum simul in unum dives et pauper* (*Psal.* XLVIII, 2, 3). Alioquin si quid ex divinitatis occulto, si quid de secreto cœli, si quid de impenetrabilibus divitum afferret in medium, hoc nesciret pauper, hoc non caperet mediocritas, nec notum simplicitas haberet. Nunc vero ita loquitur, ut omnibus congruat loquendi peritia. Quia homo in Dei vocatione quæritur, non discernitur in Dei prædicatione persona. Propterea regnum suum ante, grano sinapis memorat accepisse hominem, id est virum, nunc vero mulierem asserit accepisse fermentum : illudque semen exiguum crevisse in magnam arborem, mulierem modo exiguum fermentum ad profectum totius massæ manifestat abscondisse. Quia sicut dicit Apostolus : *neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino* (*I Cor.* XI, 11). Ad unum quippe regnum diversum sexum varia similitudo perducit. Neque igitur virum separat a muliere vocatio Christi, sed contra conjungit. Quia quod Deus ex alterutro esse fecit, et natura sociat, mira

Introdusă în format electronic de Google

similitudine similes reddit hæc parabola et forma componit profectus. Faciunt enim hæc parabolæ, ut sint duo in uno corpore unum, ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio. Sed quare has similitudines regni sui Dominus per virum et feminam formaverit, quare tantam majestatem regni tam vilibus tamque disparibus **594** comparet exemplis et conjungat, non aliis re fieri credo, præsertim cum dicat Apostolus : *Mysterium hoc magnum est, ego autem*, inquit, *dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 32) ; puto igitur quod pretiosum lateat aliquid in hoc mysterio. Comparationibus ergo istis humani generis negotium geritur, et per virum ac feminam mundi causa olim a sæculo præfigurata finitur. Dum et granum sinapis crescit in arborem, de qua purgetur uterque sexus, ita ut quidquid deliquit in illa quæ scientiæ boni et mali appellatur, in hac solvatur quæ lignum vitæ dicitur. Et fermentum in farinæ satis tribus absconditur ut fermentetur totum quidquid conspicuum est et corruptum primæ prævaricationis peccato. Ut mulier quæ vitiaverat in Adam totam massam humani generis, totam massam carnis nostræ redintegraret et in Christo, fermento justitiæ, per novam regenerationem et innovationem novæ nativitatis. Mulier quæ confecerat panem gemitus et suloris, panem vitæ rursus decoqueret igne sancti Spiritus et salutis, essetque omnium viventium mater per Christum, quæ fuerat primum mater omnium morientium. Hoc quippe loco res de usu geritur ; vir in agro sinapis arborem serit, domi mulier fermentum in farina absconlit, panes decoquit, alimoniam præparat. Quia virum foris est laborare, mulierem vero domestica cura intus constringit. Hinc est, fratres, quod Sara sterilis et anus, ex ista præparatione fermenti et ex tribus mensuris, tres subcineritios panes Dominicæ hospitalitatis mystico offert obsequio, ut sterilitas mundi jam tota senecute conclusa, in mensuris tribus, hoc est in æqualitate Patris et Filii, et Spiritus sancti, fermentum fidei suæ vel doctrinam perfectæ intelligentiæ collocaret. Quæ nimirum mulier justum fuit Domino suo ut tres panes ex Evangelio apponeret, in confessione Trinitatis, pro munere. De qua rectæ fidei conspersione, tota Christiani nominis fecunda facta est proles, et fermentata in Christo, una facta est conspersio. Hæc, ut cernis lector, mulier figuram gerit Ecclesiæ, quæ accepit fermentum, id est fidem Christi, vel doctrinam sancti Evangelii, et facta est una et nova conspersio. Ita ut quidquid in prophetis et patriarchis, nec non et in omni Veteri Testamento celabatur, ubi multiplices videmus, et mysticos sensus, totum una sit massa perfectæ fidei, in verbo, quæ fidelibus non latet, latet vero **595** infidelibus et incredulis. Quod autem *donec fermentaretur totum dicit*, si ad genus humanum retuleris, usque ad finem sæculi, in quo tota integritas hujus fermentationis extenditur, dilatatio commendanda est. Porro fermentum de farina est, sed singularitas ei quædam ascribitur, eo quod virtutem habeat specialem et propriam, et nescio quam acerbitatem virtutis, in tantum ut de modico multa efficiatur sui generis cum Spiritu sancto ; ita ut lex et prophetia, atque Evangelium resolvantur nimium, et quasi sub tribus mensuris cooperatur hæc omnia. Unoque de grano fermenti unum facit ; quia quod lex constituit, prophetæ nuntiarunt, idipsum Evangelium explet. Fiuntque omnia per Christum ejusdem virtutis et sensus, ut unum sapiant, ita ut nihil aliud ab alio mensuris æqualibus fermentatum dissidere reperiatur. Quanquam et ad gentium vocationem ex Sem et Cham et Japhet, tres mensuras istas farinæ referre quidam non incongrue videantur, ut sit sensus quod dicit donec fermentetur totum, quia ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus, ut evacuetur quod ex parte est, et inveniatur totum unum, quod perfectum est. Non dico quod omnium gentium vocatio sit hac conspersione salvata et counita, ut fermentatum sit totum genus humanum, sed eorum unitas ex tribus commendatur generibus, in quibus nulla extrinsecus admixtio fermenti invenitur, sed tota in Christo unitas commendatur ; ita ut nec fermentum sine farina de qua est, nec farina sine fermento in quo est, et a quo fermentata est, inveniatur, quatenus per hoc omnia unum fiant, et sapiant unum in Trinitate, quod perfectum est. Tamen hæc parabola quia a Domino non est interpretata, ut duæ supra, de quibus jam diximus, idcirco imbecillitas humani ingenii varia sibi fingit intelligentiarum ac diversa dogmata. Nam quidam referunt has tres mensuras ad spiritum et animam, et corpus pertinere debere ; ita ut hæc tria in unum redacta per prædicationem verbi, non discrepent inter se, sed totus et integer homo fiat nova conspersio in Christo. Quia si duobus istis vel tribus inter se, juxta quod alibi legitur, bene convenerit, impetrabunt a Patre quodcunque petierint. Disseritur et aliter locus iste a nonnullis, quia humana, ut dixi, opinio mutabunda quam sæpe varie incedit, ut tanto quisque doctior videatur, quanto **596** aliquid in sensu novi invenerit, quod saltem verisimile videatur. Unde hoc loco sumunt de Platone philosophorum doctissimo exemplum quod vulgatum est, et dicunt tres esse in anima humana possessiones, rationalem scilicet, et irascibilem, atque concupiscibilem. Et, ut putat philosophus ille, rationabile nostrum in cerebro est, irascibile in felle, porro concupiscibile in jecore commoratur. Quibus ita præcognitis et determinatis, si acceperimus fermentum Evangelicum, et Scripturarum sanctarum doctrinam, de qua jam supra dictum est, et tres istæ humanæ animæ passiones in unum fuerint redactæ, et conspersæ fermento justitiæ, ita ut in ratione vigeat prudentia mira, perfectum odium surgat contra vitia, in desiderio vero vel concupiscentia charitas Dei et proximi commutetur, ut sit semper in homine viridis cupiditas virtutum ; et hoc totum per doctrinam evangelicam, quam in nobis mater Ecclesia bene conspersit et abscondit in cordibus nostris. Unde David : *In corde meo abscondi eloquia tua*, ut

Introdusă în format electronic de Google

non peccem tibi (*Psal.* CXVIII, 11). Quam sane interpretationem sicut non satis approbo, ita nec rejicio; quia clarior est sensus hujus parobolæ qui intus redolet, quem supra jam, licet paucis tetigimus verbis. Tamen etsi ita intelligatur, ut diximus, satis ædificat audientem, quamvis non multum erudiat lectorem. Quia interim donec sumus in via, semper necesse est fermentum divini verbi in nobis conspergatur ad incrementum justitiæ; quia scientia divina illustrat sensus, levat corda, incrementat ingenia, dilatat virtutes et inebriat, ut semper vireat animus in horis, reaccensus igne amoris Dei. Diffundit augmentum charitatis, et sic bene tota fermentatur conspersio et innovatur jugiter, donec incorruptio veniat, et tunc fermentabitur totum, deinceps jam ut nulla regnet injustitia in nobis. Quæ nimirum sata tria farinæ etiam in tribus distincta filiis Noe, ut dixi, a quibusdam accipiuntur, ex quibus procreata est omnis natio humani generis. Sed quia non omnium eorum est fides, idcirco nisi pars pro toto accipiatur, alias totum fermentari, quidquid ex eis est, non recte dicitur. Unde quidam hoc refugientes, tria sata in tribus Ecclesiæ fructibus conspersa intellexerunt, et fermentatur in his omnis Ecclesia, doctrina Christi, quousque Evangelium in hoc toto prædicetur orbe et conspergatur in cordibus fidelium. Porro satum **597** genus est mensuræ juxta morem provinciæ Palæstinæ unum et dimidium capiens modium, quæ profecto mensura triplicata adhuc in tribus enumeratis personis etiam a quodam eximio doctore, fermentum conspersum et absconsum non incongrue interpretatur, Noe scilicet, et Job, et Daniele, quoniam in his tribus personis omnis electorum ordo designatur. Unde dicitur per prophetam (*Ezech.* XIV, 20) : Si fuerint Noe et Job atque Daniel in medio civitatis, non filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli sua justitia salvabuntur. Per quos, ut dixi, omnis electorum numerus Dei conspersus doctrina et fide intelligitur, donec omnis Ecclesia Christi usque in *finem* sæculi in unum colligatur, sub eo numero fermentata in fide perfecta Trinitatis, et doctrina sancti Evangelii conspersa in unitate corporis Christi et plenitudine charitatis. Hæc secundum quorumdam intelligentiam, modis exposuisse diversis, nemo digne reprehendere potest : quod ideo feci, ut curioso lectori satisfacerem. Ipse vero de pluribus quod placuerit prudenter eligat, aut certe hæc omnia sana fide huic parabolæ non inconvenienter congruere decernat.

Hæc omnia, inquit, *locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis*. Siquidem non discipulis, sed turbis per parabolas loquitur Christus. Et quod gravius est, usque hodie turbæ et populus hujus temporis in parabolis audiunt singula, et non requirunt ut intelligant, tantum quod in sono vocis audiunt. Sed discipuli, inquit, quia veri sunt discipuli, domi secretius interrogant Salvatorem, et orant ut intelligant, quod David orasse legimus : *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super Sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor* (*Psal.* LXXXIV, 9). Ut impleretur, ait, quod dictum est per Prophetam dicentem : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi* (*Psal.* LXXVII, 2). Nulli dubium quod Matthæus hoc ex persona Christi intellexerit, et ideo quia obscurissimæ sunt hæ parabolæ, in fine ita conclusit, qui habet aures audiendi, audiat. Unde ait :

Eructabo abscondita a constitutione mundi. Quoniam quidquid historialiter sonare videtur in Genesi, vel in Exodo, seu in cæteris locis Veteris Testamenti, omnia omnino in parabolis dicta sunt, et in ænigmatibus abscondita. Quamvis alii **598** transtulerint propositiones, alii abscondita in Hebræo, tamen ænigmata habere dicitur, quia ænigma non est hoc quod dicitur, sed quod intus significatur. Ideo unum est in sensu, seu dicas absconditâ, seu propositiones, seu ænigmata tantum, ut Christus aperiat os suum, et loquatur intrinsecus in corde propositiones et ænigmata, quæ ab initio sæculi fuerant abscondita et obscura valde. Unde divinus sermo signanter ait : *Inclinate aurem vestram, in verba oris mei* (*Psal.* LXXVII, 1). Non enim ait, erigite, sed inclinate humiliter aurem vestram, ut intus quod sonat, non sono vocis, sed auditu mentis sacramentum divini verbi intelligatur, quod absconditum fuit ab initio sæculi, et præfiguratum in Scripturis sacris.

Tunc dimissis turbis domum revertitur. Ut ibi audiant discipuli, quæ nec populus merebatur scire; nec audire intus poterant, quoniam turba magis semper in tumultu hujus sæculi versatur, quam in silentio cordis. Sed quæ tunc audierunt et interrogarunt discipuli, jam prævenimus, ut dum simul a Christo expositæ parabolæ jungerentur. Quoniam procul dubio expositionis suæ parabolam ita concludit, quando congregatum fuerit triticum in horreis, id est in mansionibus æternis, tunc justi fulgebunt sicut sol, in virtute sua. Nam nunc ut lux lunæ in nocte hujus sæculi, sanctorum lux est, tunc vero sicut lux solis ampliabitur. Unde Isaias ait : *Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis*, id est Christi, erit *sicut lux septem dierum* (*Isa.* XXX, 26), quia in eo erit omnis plenitudo claritatis æternæ, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt, omnium donorum gratia in eo fulgebit splendore sempiterno. Sequitur :

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, etc. Cujus nimirum parabolæ intelligentia, etiam et ipsa obscura est, dum et ipse thesaurus absconsus et inventus prædicatur; ac deinde ab inventore rursus reabsconditus, ut servetur interim obstrusus et occultus, donec simul cum ipso agro, in quo latet, pretio ematur. Unde quid faciam pauper ingenio, quomodo reperiam quod tam diligentissime occultatur? Vel quomodo effodiam, etiamsi invenero, quod tam profundissime celatur? Nam, ut sæpe dictum est, veritas perfectæ intelligentiæ, ob-

Introdusă în format electronic de Google

voluta figuris et ænigmatibus obscurata est. In imis jacet, et ideo, licet eximia sit oratio, et facundia sublimis, imploranda est divina pietas, ut eo spiritu disserantur **599** parabolæ istæ, quo videntur esse compositæ. Quoniam, ut sentio, in hac præsenti omnes spei nostræ opes et divitiæ videntur obvolutæ et absconsæ satis; cui thesauro, quia in agro latet, regnum cœlorum divinitus comparatur. Ubi manifeste ostendit quia in homine Christo, Deus est repertus, non nostra inventus peritia, sed ex sua demonstratus gratia. *In quo*, juxta Apostolum, *sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ* (*Colos.* II, 3), sed in agro carnis. Quod si voluero secundum alios agrum, scientiam fidei accipere, et thesaurum ipsam fidem, videtur de tantæ sublimitatis intelligentia non satis congrua interpretatio. Nam alii regnum cœlorum opus justitiæ interpretati sunt, quam in ipso homine, quasi in agro, absconditam esse dixerunt : alii thesaurum in agro utrumque Testamentum in Ecclesia figuris obumbratum, intellexerunt; qui profecto thesaurus non invidiæ causa absconditur, sed ut in corde ponatur; quem profecto thesaurum vendidit populus Judæorum, et emit eum natio gentium, seu cætera de his, quæ confingere videntur magis quam exponere, præsertim quia obscura sunt; ideo libere, ut ita dicam, delirare aliqui passi sunt. Sed nos fulti gratia Spiritus sancti, dicamus, ut supra jam diximus, quia Christi caro ager est, plenus cœlestibus sacramentis, quem olim benedixit Dominus, in cujus pretium vendendæ sunt omnes sæculi facultates, ut æternas cœlestis thesauri divitias comparemus. Verumtamen valde considerandum, quia nec thesaurus sine agro emitur, nec ager sine thesauro invenitur. Hincque damnatur omnis hæreticorum pravitas, qui de incarnatione Domini male aliquid senserunt, et de carne dubitaverunt, quoniam nec caro ejus sine thesauro divinitatis habetur, nec thesaurus sine nativitate carnis ex utero virginis invenitur, et inventus emitur fide ac bonis operibus. Quem thesaurum sapientiæ atque scientiæ qui deprehenderit bono in Christo homine, valde absconditum pro infirmitate carnis comprobabit. Sed qui eum invenit vadit et abscondit, ne auferri interim possit clanculo, ne forte ablatus a fide de medio agri, omnis emendi necessitas et facultas fructu careat inventionis. Sed ut rei ita et dicti fuit ratio explicanda. Quoniam ideo rursus per eum qui invenit, absconsus est thesaurus, quia et agrum emi oportebat in quo divitiarum omnium abscondebatur thesaurus. **600** Thesaurus enim in agro, ut diximus, Christus intelligitur in carne, in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter, et celatur incredulis. Quem procul dubio agrum invenisse, gratuitum est, quia prædicatio Evangelii omnis in absoluto est, et gratis offertur. Sed utendi et possidendi thesauri hujus potestas cum agro non potest esse sine pretio; quia cœlestes divitiæ non nisi damno sæculi possidentur. Idcirco dicitur :

Quem cum invenerit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit omnia quæ habet, et emit agrum illum. Quod autem ait, quia abscondit eum, non de invidia hoc facit, sed timore casto, volens servare eum et non perdere. Ideo abscondit eum in corde suo quem omnibus præsentis vitæ prætulit facultatibus, in tantum ut præ gaudio illius elegerit universa distrahere, et agrum scilicet carnem Christi, quia *in ipso est omnis plenitudo*, ut dixi, *divinitatis* (*Colos.* I, 9), ex integro in una persona possidere. Alias autem quid necessitatis vel impedimenti erat, ut inventum thesaurum non statim auferret de agro? Quod si gaudebat quia invenerat eum, nonne tibi videtur quasi hujus inventor thesauri non satis prudenter egisse, cum profecto in ipso illo temporis otio et secreto, quo eum repererat auferre potuerit, et in tam facili acquisitionis compendio, sine propriarum dispendio facultatum emendi agri necessitatem non haberet, dum thesaurum pro suo gavisus est possidere? Sed cognovit utique prudentissimus homo inefficacem atque inutilem, imo periculosam esse thesauri hujus, sine agro, possessionem. Nam vide quia absconsum eum invenerat, ita et ipse eum abscondit. Nec agrum nudare ac vacuare a suo thesauro ausus est, sed omnia sua vendere festinavit jure legitimo, ut thesauro simul potiretur et agro. Quia nec humanitas Christi sine divinitate, nec divinitas sine humanitate in una eademque persona legitime habetur. Et ideo de Christo prorsus omnis est inutilis et vana confessio atque impia, quæ Dominum Christum Deum tantummodo, aut hominem solum, non et Deum fatetur. Agrum autem carnem Christi figuraliter nominari, et præsens indicat locus, et multa alia Scripturarum testimonia. De hoc quippe agro maxime Isaac in suis benedictionibus testatur, dicens : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Deus* (*Gen.* XXVII, 27). Nam corpus Christi **601** magnis diversarum virtutum flagrat odoribus; unde Apostolus : *Christi*, inquit, *bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 15) ; hinc Ecclesia in Canticis : *In odore*, ait, *post te, unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I, 4). Nam de hujus agri pulchritudine ipse loquitur in Psalmo, Et *species agri mecum est* (*Psal.* XLIX, 11). Quem sane agrum in Salomone mulier introducitur comparasse, sic enim dicitur : *Agrum vidit, et emit illum* (*Prov.* XXXI, 16). Quoniam pretiosa est hujus agri possessio, quæ Christi intra se absconsam retinet deitatem. Idcirco nec thesaurus deitatis sine agro, nec ager sine thesauro, ut hæretici voluerunt, jure emitur aut possidetur. Quamvis Augustinus doctor eximius, hunc agrum duo Testamenta esse dixerit; melius tamen sic accipitur, ut non minus Photini error destruatur, qui solum hominem dicit Christum, quam et Eutychetis nec non et Nestorii falsitas, ex hoc sicut et in cæteris locis, condemnetur impietas. Sequitur :

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, et cætera. Aliis quidem verbis, et alio loquendi genere idipsum repetere ornatissime videtur, non ut immutet eamdem

Introdusă în format electronic de Google

sapientiam, sed ut introducat ad eam variis sententiarum ænigmatibus, audientes. Nisi quod solum videtur negotiatorem longe jam diu in lege versantem amplius designare, quamvis omnes qui fidem sectantur Christi generaliter possit hæc parabola evidenter colligere. Nam in eo quod negotiatorem eum vocat, et quærere bonas margaritas, multum diuque prænuntiat, et eos per speciem unius hominis designat, qui longo ac diutino labore ad margaritarum scientiam venire desiderant. Deinde cum jugi meditatione negotiatus fuerit in lege, et eas quæ in lege sunt, deprehenderit intelligentias, tandem aliquando, inter eas quas repererat invenit unam et singularem margaritam Christum quam optabat. In cujus comparatione, licet bona sit lex, bona sit et prophetia, seu quæ in his præcipua inveniuntur doctrinæ ornamenta, homo negotiator similis Pauli apostoli, omnia legis prophetarumque mysteria et observationes pristinas, in quibus inculpate prius vixerat, quasi purgamenta contemnit et quisquilias, ut Christum lucrifaciat; quia pretiosissimum est margaritum, scientia Salvatoris, et sacramentum passionis illius, et resurrectionis arcanum. Non quia inventio hujus pretiosissimæ **602** margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum, sed quia in comparatione Christi omnis gemma, id est, legis et prophetiæ intelligentia, sit vilior. Potest et per hunc gemmarum diligentissimum negotiatorem, universus Ecclesiæ Christi ordo designari, ut ostendatur genus in specie, et regnum cœlorum ipsa intelligatur Ecclesia, quæ longe diu multumque laboravit in patriarchis, quæsivit in Prophetis, quamvis latenter; quia necdum erat propalata sanctorum gloria. Tamen in eis multi gemmarum speciem afferebant, et præornabant præfigurando Christum futuram Ecclesiam. Sed nemo in eis inventus est, qui pretium humanæ redemptionis in se afferret, et ideo nemo inventus est lapis tam pretiosus propter quem omnia quæ præsentis vitæ sunt hic prudens negotiator venderet, tantum ut hanc solam acquireret gemmam, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, et pretium humanæ salutis. Et ideo eo pretio emitur iste pretiosissimus lapis, quo supra in illa alia parabola emptus est ager et thesaurus. Non quod alii lapides quos quæsivit præsens negotiator, et forte invenit, boni non fuerint et pretiosi, sed in comparatione istius nemo bonus, quia omnes ex isto habent ut boni sint et pretiosi. Hic est calculus novus ex Apocalypsi Joannis, in quo nomen novum est conscriptum, quem nemo novit, nisi qui accipit. Unde oportet ut omnis umbra removeatur a sensu legis et Prophetarum, et sola veritas amplectatur; distrahatur præsens vita, et quæ præsentiarum sunt, ut hæc sola habeatur in qua omnia sunt bona et sempiterna sunt. Et notandum quia non dicitur præsens negotiator quantum emerit eam, sed tantum quicunque invenerit eam, quantum habuerit. Unde dicitur :

Vadit et vendit omnia quæ habet, et emit eam.

A Quia regnum Dei tanti valet, quantum habes. Verumtamen non ita emitur, ut tua tribuas Deo, te autem vitiis et diabolo, sed ut te primum restituas ei, deinde quæ tua sunt, ut eum liber sequi valeas. Neque cum eum inveneris, et fide bonisque operibus emeris, mox quærere et invenire, donec in hac vita es, cessabis. Sed sicut Propheta canit, *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 3).

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ **603** *missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti*, et cætera. Rectissime igitur prædicationem sancti Evangelii Dominus et Salvator *sagenæ missæ in mare* comparavit ut in his verbis vaticinium Jeremiæ prophetæ impleatur dicentis : *Ecce* enim *ego* B *mitto* ad vos *piscatores multos* (*Hier.* XVI, 16). Qui profecto piscatores ab initio Evangelii usque ad finem sæculi laboraturi sunt in hac piscatione humanæ salutis; quorum primi fuerunt quibus dictum est, *Venite post me, faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Unde hi quatuor bini, et bini, primum contexuerunt sibi juxta vocem præceptoris et Salvatoris sui, tam ex Veteri quam ex Novo Testamento, sagenam Evangelii dogmatis; deinde omnium sanctorum prædicatorum secutus est ordo. Et trahitur hæc sagena duobus connexa funibus, per medium hoc mare, a summo usque deorsum extensa : sursum siquidem spe super omnes fluctus sæculi vehementer erecta et firmata, deorsum vero usque ad ima, timore divini judicii dimersa, sed nunquam C usque ad ima pertracta, ut semper sursum non sit eminentius charitate Christi levigata, et ad cœlum usque erecta. Nam sagena Græce quæ vulgo a trahente verruculum vocatur. Quod *mare*, in quo trahitur, *magnum et spatiosum* in Psalmis dicitur (*Psal.* CIII, 25), ubi *reptilia* sunt, *quorum non est numerus*, in quo et *draco ad illudendum ei* positus est, ut ipse ab omnibus illudatur, non hominum virtute tantum, sed gratia divini muneris, et magisterio tanti piscatoris. Ad cujus nimirum magisterii formam sagena ex usu ita majoribus et minoribus duD pliciter contexitur nodis, ut omnia possit capere genera piscium, ne magnus aut parvus effugere possit. Sicut et hæc duo Testamenta minora et majora sibi duplicant præcepta, ne ullus effugiat salutis suæ retia. Quod si majora non potest, vel minima compleat. Quod itaque recte sic trahitur Evangelium, ut per omne mare penetrét; ita ut de profundo elemento hujus sæculi, per omne corpus vadens, clausos intra ambitum et sinum suum omnes extrahat ad lucem supernam, et ad lumen veri solis, ne ullus in hac caligine aquarum natus et enutritus, demersus remaneat. Ad hoc quippe similitudo illa componitur, ut ostendat cur in apostolos tum eosdem quibus loquitur piscatores elegerit, et captores piscium fecerit hominum piscatores : scilicet ut divini judicii typus arte piscatoris, monstraretur. Pisces namque congregat captura quoscunque confusos et indiscretos; **604** sed in vasis discretio divini judicii se-

Introdusă în format electronic de Google

cernit electos : quomodo vocatio Evangelii justos et injustos, bonos malosve ad fidem vocat et trahit. Finis vero sæculi et judicii dies, quales retia traxerint, demonstrabit. Nam inter hujus maris fluctus quo tumens pompa se multis dispumat allisionibus, quo elato se attollit vertice mundus, undosum se facit sectis, dividitur erroribus, clamosum se reddit litibus, fremit irarum vaporibus, sævit procellis, naufragatur sceleribus, impietate demergitur. Inter hoc itaque maris fluctus, quo regnabat hostis antiquus, misit Christus piscatores suos, Petrum videlicet et Andream, Jacobum et Joannem, probatos arte cum dicit, *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Istos quippe misit retia portantes præceptis evangelicis et cœlestibus innodata monitis, circumplexa et contexa virtutum donis. Quæ sagena sinu evangelico dilatata, longam trahit usque ad finem sæculi humani generis capturam. *Quam cum impleta esset*, inquit, *educentes et secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Hanc igitur tertiam parabolam per se Salvator exposuit, quoniam obscuræ sunt, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum catholicæ dissertionis.

Sic erit, inquit, *in consummatione sæculi. Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum.* Non quod angeli corporeis egeant sessionibus, sed quia eorum potestas judiciaria designatur. Unde signanter ait : Exibunt angeli ab illo interno et divinæ majestatis judicio, in quo sedebit Christus cum senatoribus suis. Exibunt quidem, ad exercenda divina judicia quæ intus didicerunt ; sed non antea quam impleta sit sagena Christi, id est omnis numerus eorum qui prædestinati sunt ad vitam, et præordinati ante constitutionem mundi. Ipsi in finem sæculi colligentur in vasis, id est, in mansionibus æternis, et mali ab eo regno, et a claritate æternæ vitæ, foras mittentur. Et hæc est consummatio sæculi. Non quod elementa mundi deperient, quia erit cœlum novum et terra nova ; sed consummatio sæculi perfectionis intelligitur plenitudo, quando mundus de fine principium est sumpturus. Finis vero non defectio, ut dixi, elementorum erit, sed innovatio, cum præterierit figura hujus mundi, quia etsi deficiet, non creatori peribit, sed crimini ; quia *mors ultra non erit* (*Apoc.* XXI, 4). Nec dubium quin Angelos suos, **605** per quos nunc regitur et adjuvatur Ecclesia Christi, tunc implebit benignus Salvator, et tollantur impii de medio justorum, ne videant gloriam Dei, et foras mittentur in tenebras exteriores, et in caminum ignis, *Ubi erit fletus et stridor dentium.* Miror valde quorumdam temeritatem et insipientiam, qui dicunt nullas esse pœnas, neque tormenta suppliciorum, nisi proprias sceleratorum conscientias, quasi et ipsi sibi conscii reatus sui non essent, dum adhuc in carne viverent, præsertim cum et ignis æternus præparatus diabolo et angelis ejus dicatur, in quo mittendi sunt quos ignis aduret æternus. Ubi quia carnis resurrectio erit, ideo stridor dentium et fletus oculorum prædicatur, non de sola conscientia peccati veniens, sed de supplicio præparato æterno. Nisi forte assertores hujus mendacii velint astruere, quod etiam ipsas conscientias auctor vitæ sic præparaverit, in quibus torqueri solummodo ab eis creduntur, ut ipse sit auctor supplicii ; quoniam tormenta quibus torquendi sunt, necnon ignes et supplicia, ab ipso præparata dicuntur. Unde ait, *Intellexistis hæc omnia ?* Solis namque Apostolis hoc dicit, quibus *datum est nosse mysterium regni Dei* (*Marc.* IV, 11), et plebibus. Idcirco et ipsi quasi magistri, quasi consortes regni, dicunt utique non de trivio docti, non de schola philosophorum, sed Spiritu sancto, quasi futuri magistri, instructi, et magisterio cœlesti eruditi.

Tunc ait illis, ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Scribas eos vocat, et doctos atque institutos cœlestibus insinuat disciplinis, dum eisdem ac si intelligentibus parabolas, dignum reddit testimonium, quoniam ipsi soli quasi notarii Salvatoris et secretorum conscii, verba illius et præcepta recondebant in thesauro cordis, et describebant in tabulis purissimi pectoris. Idcirco patrisfamiliæ nomine sibi eos comparat, eo quod doctrinam Novi ac Veteris Testamenti, legis videlicet et prophetarum, de thesauro pectoris Christi ad plenum hauserant ; propter quod et Scribas eos nuncupat doctos in lege et Evangelio. Et non solum doctos, verum etiam sibi similes eos facit. *Qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Unde ex uno thesauro est quod omnes hauserunt ; et ideo quidquid in Evangelio docebant apostoli legis et prophetarum **606** vocibus comprobabant omnia, ut similes ei invenirentur, cujus thesaurum in corde gerebant. Hinc quoque sponsa canit in Canticis (*Cant.* VII, 13) : *Nova et vetera* fratruelis meus servavit. Quia nullus doctor in Ecclesia esse debet (quæ est regnum cœlorum), nisi thesaurum Novi ac Veteris Testamenti proferre possit in plebes. Debet namque antiquam Adæ prævaricationem ita pronuntiare, ut idoneus sit Christi novæ gratiæ beneficia, et novam redemptionem humani generis plenissime prædicare. Debet etiam dives in virtutibus inveniri, ut possit de thesauro cordis sui bona opera ad novam vitam pertinentia ostendere, et vitia seu peccata, quæ ad veterem pertinent hominem, more medici scienter curare ; necnon et pœnas inferni, atque supplicia inferorum, aperte denuntiare, ita ut potens sit ex fide, cum omni auctoritate Scripturarum exhortari, ac docere quæ cœlestia sunt et spiritualia : et ad ea quæ sempiterna sunt, auditores suos evidentissime invitare, ut sic temperet nova ac vetera, non ut timor gehennæ fideles absorbeat, aut spes beatitudinis jactanter nos elevet, sed humilitas semper virtutes quas operatur in se recondat. Ecce Matthæus impræsentiarum octo parabolarum genera proposuit, quas si volueris, lector, octo beatitudinibus conferre, invenies valde invicem easdem congruere non

Introdusă în format electronic de Google

solum numero, verum et doctrinæ exemplo; quamvis alii voluerint easdem septem esse, dicentes quod novissima iteratio sit præcedentis. Dixerunt enim hoc, ut septem convenirent diebus quibus factus est mundus; quia et sic prima parabolarum de initio videtur mundi sonare, quo seminatum est quidquid post crevit in fruge, vel vitiatum quidquid demum apparuit in semine. Porro novissima earum quæ sagenæ comparatur ad finem tendit sæculi, in qua dictum est: *Sic erit in consummatione sæculi.* Reliquas vero sex in medio sex mundi ætatibus contulerunt, eo quod congruere videatur quidquid in singulis dictum est singulis sæculi temporibus, ita ut in prima ætate sæculi, scilicet in Adam primum, deinde Cain, sicque per omnem illam ætatem diabolus ac si inimicus et hostis, zizaniam superseminaverit in medio tritici, et corrupit naturam humani generis. Deinde secunda ætate Noe quasi granum sinapis parvus numero crevit in gentem magnam dilatatis genealogiarum ramis, et facta est arbor frondosa nimis. **607** Porro fermentum tertiæ parabolæ ætatem designat in qua fides patris nostri Abrahæ efferbuit, et Dei tum deinceps fermentavit mundum, in cujus semine benedicentur omnes terræ. Et in hac quippe sæculi ætate primum Synagoga fermentum legis accepit, quo tota conspersa est massa Novi Testamenti testificata a lege et prophetis. Hinc jam in tempore David quasi sub quarta ætate, inventus est thesaurus in agro prophetiæ latuisse. Unde unus prophetarum cum invenisset eum, aiebat: *Tu es Deus absconditus, et nos nesciebamus te* (*Isa.* XLV, 15). Interea cum accessisset captivitas illa quæ facta est in Chaldæis, margaritæ longe diu quæsitæ defecerunt, donec in fine hujus temporis una, quæ Christus est, pretiosissima inveniretur, quia in ea natus est Christus. Sicque in ultima illa ætate quæ sexta vocatur, omnis ordo prædicatorum in similitudine Christi, qui protulit de thesauro suo nova et vetera, fecerunt in vasis suis fictilibus Sacramenta legis et prophetarum, et eructant usque in finem sæculi ornamentorum pretiosissima, nova et vetera divinorum eloquiorum mysteria. Hæc, quia nonnulli doctorum ita tradunt, ut diximus, ideo nos paucis tetigisse potius, quam explanasse sufficiat. Sed diligens lector consideret, utrum plus simul octo parabolæ, cum suis octo beatitudinibus, conveniant junctæ, an ita, ut volunt, si cum his ætatibus sæculi comparentur. Nam hoc certum est, quia non absque mysterio tales totidemque parabolæ simul junguntur, in quibus et octonarius conformatur numerus, et mysteria humanæ salutis occultantur Judæis, et panduntur apostolis. Unde ait: *Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, abiit inde.* Consummatio vero parabolarum opus perfectæ prædicationis est, quod nunquam nisi octo beatitudinibus complebitur. Et ideo quidam psalmus pro octava canitur, qui de passione Domini cantatur, quoniam in eo omnis perfectio beatitudinis consumpabitur.

Et veniens in patriam suam, id est in Nazareth, *docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur.* Hic Matthæus ordinem narrandi non tenuit, quoniam post istas parabolas postquam a domo exivit, ad alia se primum transtulit, quod Marcus et Lucas narraruut, ubi dicunt quod in mari dormierit, et apud Gerasenos dæmonia expulsa fuerint. Nam et Lucas hunc locum non longe post baptismum posuit, **608** quod cives ejus ad ejus potentiam obstupuerint. Ne mireris, lector, quod ait: Quia venit in patriam suam, non enim secundum Deitatem hoc loquitur, sed secundum humanitatem. Alias autem secundum Divinitatem, unde egreditur qui nusquam abest? Quo ingreditur qui nullo continetur nec concluditur loco? Ad quam ergo patriam vadit, qui fecit et possidet totum? Venit igitur ad patriam et ad concives suos secundum carnem, ut doceret eos in synagogis eorum. In eorum synagogis, inquit, et non in Dei, quia qui eum nesciebant Deum habere non poterant. Et ideo mirabantur et dicebant:

Unde huic sapientia hæc et virtutes? Mira siquidem stultitia Nazarenorum et imprudentia. Mirantur unde habeat sapientiam æterna sapientia, et unde habeat virtutes æterna virtus. Sed error eorum manifestus est, dum eum fabri filium suspicantur. O quantus est error humanus, quantaque insipientia, quæ de virtutibus et divinis rebus invidiam concipit et parit odium! Non enim sic nox diem neque solem caligo tegit, quo modo mentem cæcat et tenebrat quos possederit invidiæ livor. Mirantur hi super sapientiam et virtutes ejus, et nolunt credere; quia hæc admiratio non de pietate, sed de invidia venit. Tamen velint, nolint, deifica est doctrina quam audiunt, et virtutes quas cernunt. Plus eum fatentur quam hominem, et ideo moventur ad miracula, sed nolunt eum Deum confiteri, cum videant in eo opera Deitatis. Sic enim admirantur, ut aliunde fingant eum habere, quæ negare non possunt. Idcirco mox oculos, invidia cæcati, ad hominem retorquent.

Nonne, inquiunt, *hic est filius fabri, et mater ejus est Maria?* Unde huic hæc sapientia, tantæ talesque virtutes? Sic dicunt, qui Deum ex quo est sapientia, ex quo virtus, ignorant. Sicque abnegat et confitetur invitus qui non cernit, qui Christum nescit Dei virtutem esse Deique sapientiam. Sed miror cur Mariam nominant, cum de patris nomine taceant, nisi quia irridendo magis fabri filium eum vocant, ut ex utilitate operis amplius eum despiciant, quamvis Dei nutu, etsi inviti, de illo quæ vera sunt et deifica loquuntur, quoniam Dei Patris est vere Filius qui fabricator est mundi. Unde Marcus eum non fabri filium, sed ipsum fabrum dicit. Eo enim eum fabrum credebant, quo et fabri filium, **609** ex artificio patris vere et ipe faber, quoniam fabricator est orbis per quem facta sunt omnia. Non igitur mirum cognati et concives si errent cum Judæis de Christo, qui errant de patre et de matre illius, seu de fratribus. Nam callide fratres ingerunt et ostendunt se;

Introdusă în format electronic de Google

rores, ut aut patrem aliam habuisse uxorem confingant, aut numerosior partus sanctæ Matris infametur, ut virginitas sancta lateat, obscuretur integritas, et sentiatur totum de Christo quod humanum est, nil quod divinum; cum si beata Maria filios habuisset, ut quidam garriunt, in ipso crucis tempore mater a Christo discipulo virgini Virgo non traderetur, et in ipso mortis articulo nec commendaretur extraneo. Quinimo fratres et sorores Christi de quibus Cleophæ sororis Mariæ filii sunt, quæ fuit matertera Christi, de qua orti sunt consobrini Salvatoris, qui jure fratres vocantur. Nunquam enim contra pietatis ordinem Matrem Domini extero, hoc est Joanni de cruce, ut dixi, commendasset, si alios post ipsum filios suscepisset. Sed quia non erant alii, Virginem virgini commendavit, ut inter exteros solam curam sacramenti haberet, sola societas religionis esset, nec mundanæ sollicitudini discipulus tantus serviret, sed prædicaturus partum virginitatis domi haberetur Virgo. Alioquin Jacob, qui frater Domini dicitur, si filius esset unius feminæ, nunquid non matris habere potuisset curam? Qui et inter Ecclesiæ primordia, et inter Judaicam tunc perfidiam Hierosolymitanam singulariter rexit Ecclesiam. Unde constat quod hic error Judæorum, non de veritate, sed de invidia natus est. Idcirco nec mirari oportet si errent in fratribus, cum errent et in patre.

Jesus autem dixit eis, Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. Propemodum naturale est, cives semper civibus invidere, et ideo non considerant sapientiam in eo Deitatis, et eximia divinæ majestatis opera, dum fragilis ejus recordantur infantiæ, et parentum connumerant, et assignant ei genealogiam. Ecce carnaliter qualiter sapiunt cives, ecce qualiter mundani parentes sentiunt de honore propinquitatis. *Et non fecit*, inquit, *ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum.* Non quo etiam illis non credentibus facere non potuerit, sed quo ne multas faciens, cives incredulos amplius condemnaret. Vel paucas gratis ideo fecit, ut inexcusabiles essent, **610** licet divino suo judicio distulerit ut multas faceret; quia non merentur ea intelligere, quæ facta sunt ut crederent.

(Cap. XIV.) *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis.* In illo tempore quod dicit, intelligendum, quando venit in patriam suam, id est in Galilæam, quo erat Herodes. Iste Herodes tetrarcha filius Herodis est sub quo natus est Christus, cui quarta pars regni Judæorum, ut esset regnum humile, concessa est ab Augusto, sicut et reliquis tribus fratribus. Unde singuli ex Græco sibi nomen traxerunt, ut tetrarchæ vocarentur, eo quod singuli quartam partem unius principatus obtinerent. Quod vero Matthæus ait, quia dixerit suis cum audisset famam Jesu, *Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis*, Marcus ita refert, quia dicebant quidam quod *Joannes Baptista resurrexit a mortuis* (*Marc.* VI, 14); Lucas vero, *Audivit*, inquit, *Herodes quæ fiebant ab eo, et hæsitabat eo quod diceretur a quibusdam quia Joannes resurrexit a mortuis* (*Luc.* IX, 7), seu cætera quæ sequuntur. Unde intelligendum, quod aut post hæsitationem, se confirmasse in animo ut hoc crederet quod dicebatur, et sic deinde diceret pueris suis, Hic est Joannes, aut hæsitans adhuc interrogative dixerit, Hic est Joannes? Utroque itaque modo intelligi potest. Non enim ut confirmaret dixit, Nunquidnam non hic est, aut hæsitans non dixit, Ne forte hic est, sed tantummodo, *Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.* Quidam ecclesiasticorum interpretum causas requirunt quare Herodes ista sit suspicatus, ut putet Joannem a mortuis resurrexisse, et ideo virtutes operari in eo. Sed superflua videtur alieni erroris ratio, nisi forte quia reprimenda et condemnanda est secta quam Græci μετεμψυχώζεως vocant, quam per Necromantiam dicunt fieri, ut animæ singulorum post triginta annos in corpora redeant, quod omnino in Joanne et Christo non convenit; quia eo tempore quo Joannes decollatus est, Dominus triginta jam erat annorum: μετεμψύχωσις autem, ut dixi, post triginta annos, aut eo amplius, post multos circulos annorum in diversa corpora dicat animas hominum insinuari et redire, quod valde dogmatibus Christianis contrarium est et insanissimum credere.

Herodes autem tenuit Joannem. De quo supra dixerat evangelista in persona Herodis, Hic est Joannes; quem locum **611** supra recapitulando præmisit. Profecto quia a nullo evangelistarum in ordine, quo facta est hæc tragœdia, de Joanne narratur; quamvis Matthæus et Marcus eodem in loco inter se consentiant. Lucas vero longe antequam baptizaretur Dominus, hæc præmittens, narrat. Porro Joannes solummodo tangit eam, et dicit venisse Jesum in Galilæam, ubi vinum fecit de aqua, et tunc, inquit, rediit in Judæam, ubi baptizavit multos, antequam traditus esset Joannes. Traditus est autem, et alligatus, et positus in carcere, propter Herodiadem uxorem fratris sui.

Dicebat enim Joannes: Non licet tibi habere eam. Vetus narrat historia Philippum Herodis majoris filium, sub quo Dominus fugit in Ægyptum, fratrem hujus Herodis sub quo passus est Christus, duxisse uxorem Herodiadem filiam regis Petiphere; postea vero socerum ejus, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam, et in dolorem prioris mariti ad contumeliam hujus Herodis inimici ejus, eam nuptiis copulasse, licet Philippus germanus esset frater ipsius Herodis. Sed Joannes Baptista, qui venerat *in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* I, 17), eadem auctoritate, qua ille Achab corripuerat et Jezabel, arguerat Herodem, quod illicitas nuptias fecerit, quia secundum legem non licebat fratre vivente germano uxorem illius ducere, quamvis post mortem id licuerit. Et ideo fratre vivente, quia non erat licitum reus culpabatur Herodes, et incestuosus pro crimine; malens præco veritatis

Introdusă în format electronic de Google

periclitari apud regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Dei. Unde, nec immerito beatitudo martyrii ei a Domino recompensatur, ipso dicente in hoc ipso Evangelio : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 10). Quapropter arguendi sunt nunc in tempore quidam qui dicunt, non debere arguere reges aut potestates hujus sæculi, neque durius increpare, ne forte atrocius commoveantur ad iram, sicut a quodam audivi episcoporum; quia rex sub nullius, inquit, redactus est potestate, neque sub cura alicujus regiminis, eo quod omnibus in commune est, et non in una commoratur parochia. Quod si ita est, Joannes reprehensibilis et temerarius censendus est, qui ex eremo venit ad regis præsentiam ut increparet adulterium. Sed quia amicus sponsi erat Joannes, incestuosos ferre non poterat, quos hic adulator magis palpare **612** gaudet, et delinire laudibus quam increpare. In quo sane vitio multi periclitantur, qui videntur gerere curam pastoris. Unde nescio, si tempus esset martyrii, utrum fidem servarent qui modo quidquam pro justitia non audent. Sed Joannes, licet insidiaretur ei Herodias, non timebat Herodem, qui tantis erat devinctus malis, neque molliebatur beneficiis ejus, quia sicut dicit evangelista, in multis eum sæpe audiebat, et inclinabat se ad ea libenter, quæ præco Christi monebat. Erat enim miser in omnibus, dolosus valde, unde Dominus vulpem eum vocat. Et ideo dicit evangelista :

Volens eum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant. Sed quia occidere eum distulit, ob satisfactionem pessimæ uxoris, vinctum eum sine culpa in carcere posuit, ut totum esset mysterium Herodis quod erat ad reatum. Occultatur iste, dum exaltatur Christus. Finitur in eo lex et prophetia, quia omnes prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt. Et ideo, lector, sicut quam sæpe monui, omnem diligentiam Evangeliorum lectioni adhiberi oportet; quia in his quæ gesta narrantur, subesse intus, interioris intelligentiæ arcana reperiuntur. Habet omnium operum narratio suum ordinem, de quibus gestorum effectibus causæ subjacentis species præformatur. Unde Herodias significat synagogam, quæ caput Joannis, id est Christum, amputare molitur una cum filia, quæ saltavit in convivio, sicut et gentes ante idola; quæ tulit caput Joannis, hoc est, corpus Christi in altare, quia illud datum est puellæ, hoc est Ecclesiæ de gentibus. Rursus illa tulit eum matri suæ, quia fidem quam accepit de Christo, in finem sæculi ad conversionem Judæorum, ut caput eum recipiant, ipsa est oblatura.

Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. Quam quidem filiam dicunt fuisse Philippi, ut ex ipsa comprobaretur coram omnibus suis complicibus Herodiadem uxorem duorum fratrum fuisse, quæ affectione conjugii violaret affectum fraternum; tantum ut sociaretur Herodi, et essent in nomine consimiles, qui non erant jam scelere, moribus, et vita dissimiles. Jungebantur vocabulo quos criminum junxerat turpitudo. Sed turpior filia quæ suis lusibus, ut patruum incestaret, et matrem amplius fedaret, filia siquidem prioris mariti hæc omnia publicabat; quo de facto contigit, ut adhuc **613** deterior esset, juxta illud Apocalypsis, ut *qui nocet, et adhuc noceat, et ut qui in sordibus et adhuc sordescat* (*Apoc.* xxii, 11).

Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset. Procul dubio ideo dolosus jurat, ut videretur excusabilis et innocens, qui volebat eum, ut supra testatus est evangelista, longe diu jam occidere. Sciebat enim ex affectu matris quod filia hoc peteret. Alioquin si aliud postulasset, forte matris mortem utique non impetrasset, neque dimidiam partem regni, quam pollicitus est. Non ut daret, sed ut ejus pollicitatio irrefragabilior videretur, cum peteret quod ipse moliebatur. Nullum ergo invenimus diem natalis sui observasse, nisi Herodem et Pharaonem in divinis litteris, ut quorum erat par impietas in perfidia, esset una solemnitas ad superbiam. Inter quas fallacias timens Herodias, ne aliquando Herodes resipisceret, vel Philippo fratri amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio solverentur, monet ut in ipso statim convivio caput Joannis postularet, digno operi saltationis dignum sanguinis præmium.

Et contristatus est rex, ait evangelista, *propter jusjurandum.* Quia de se ostendebat, non de pœnitudine cordis, sed ut simultatione simul discumbentes falleret. Artifex enim mendacii et homicida præfert in facie tristitiam, cum lætitiam haberet in corde, ut convivantes eluderet. Porro Scripturarum consuetudo est, ut opinionem multorum hic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur, sicut et hoc loco forte discumbentes, Herodes quod vere tristaretur, putabant. Hinc quoque ait : *Propter juramentum et eos qui pariter discumbebant, jussit dari.* Unde Domino jubente fugienda sunt juramenta, maxime quæ pariunt totis noctibus et horis protracta convivia; quia vinum quod cum mensura emitur, et sine mensura bibitur, cito naufragium parit. Hinc est quod Herodes, licet sacramento fidem reddiderit; homicidium perpetravit. Sed melius esset pro juramento pœnitere infausto (sicut David fecisse legimus verbis Abigael super Nabal placatum) quam sanguinem funderet sancti prophetæ, et fraudem, quam in corde gerebat, perficeret. *Da mihi*, inquit, *in disco.* Cur autem in disco? nisi ut sacramentum figuraretur nostræ redemptionis. Quia *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* cxv, 15). Ut in disco et mensa, quo corpus Christi sacratur, quod est caput martyrum, **614** ipsi participarent cum suo capite in oblatione æternæ salutis. Sed serpentis germen caput Joannis petit semper, atque hominis, cui suum caput sententia

Introdusă în format electronic de Google

olim summi judicis sciebat addictum, dicente Domino, Illa tuum observabit caput, et tu illius observabis calcaneum (*Gen.* III, 15). Sed misera feralis aula regis, et infelix rabies, quæ in pastum suum suscepit caput martyris, et in potum ebibit liquorem sacri sanguinis, sitiensque mortem prophetæ aspexit. O ferculum crudele! O discus rosis resparsus sanguinis, sed convivantibus valde exitiabilis! quia in tanto convivio nemo fuit qui prohiberet audaciam regis, quinimo, ut Scriptura ait, *propter eos qui pariter discumbebant, jussit dari*. Quo facto omnes sceleris sui facit esse consortes, et in luxurioso impuroque convivio, cruentæ epulæ adhuc sordidius sordidantur, dum defertur caput in disco.

Quod allatum datum est puellæ, et illa tulit matri suæ. Legitur ergo in Romana historia Flaminium ducem Romanum, quod accubanti juxta se meretriculæ, quæ nunquam vidisse se diceret hominem decollatum, assensus sit, ut reus quidam capitalis criminis in convivio capite truncaretur; deinde a senatoribus demum pulsum a curia, eo quod epulas sanguine miscuerat, et mortem quamvis noxii hominis, in alterius delicias prostiterit, ut libido et homicidium simul miscerentur. Quanto sceleratior in facto Herodes et Herodiadis, necnon et puella quæ saltavit, et in pretium tragœdiæ suæ, non hircum, sed caput postulat prophetæ, ut habeat in potestate linguam, quæ illicitas arguebat audenter nuptias. Respondit igitur suæ turpissimæ matri, turpior valde filia. Quia talis debuit procreari de adultera, quæ fractis gressibus, corpore dissoluto, omnique compage membrorum disjuncta, fluentibus huc illucque ex arte maleficii visceribus deturparetur: fitque tota matri deformitate valde deformior. Et notandum quod ait:

Quia misit Herodes et decollavit Joannem. Ex quo datur intelligi, quia ipse occidit qui jubet, sicut et de omni reatu, quia ipse se auctorem facit sceleris, qui imperat ut fiat. Hæc juxta litteram dicta sint; quia de hac comœdia miseri Herodis, suorumque qui cum eo complices exstiterunt, a multis nostrorum facundissime declamatum est in Ecclesiis, et ideo in hoc tractatu pauca de multis lectori sufficere debent.

615 *Et accedentes*, inquit, *discipuli, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud, et venientes nuntiaverunt Jesu.* Ubi qui eum tulerunt, non minus Christi discipulos fuisse debemus intelligere, quam et Joannis; quia qui prius fuerant Joannis, jam facti erant Christi. Sed honor Joannis servatur, in quo tot impleta sunt sacramenta, ita ut in ejus capite truncato cernamus Judæos usque hodie sine Christo remansisse, qui caput est omnium prophetarum.

Quæ cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum. Ad solita rursus secessit præsidia, cum ei necem Baptistæ nuntiarunt, non, ut quidam arbitrati sunt, timore mortis, sed tres ob causas. Primum ut parceret inimicis suis, ne homicidio homicidium jungerent; deinde ut usque in diem Paschæ suam mortem differret, in quo propter sacramentum semper immolabatur agnus. Ad ultimum propterea recessit, ut nobis præberet exemplum vitandæ temeritatis; quia non omnes eadem constantia perseverant positi in tormentis, qua se nonnunquam torquendos offerunt. Unde et supra jam dictum est: *Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23). Eleganter quoque evangelista non fugit in locum desertum, sed secessit, ait, ut ostenderet persecutores suos magis declinasse ad tempus, quam timuisse. Sed et postquam a Judæis et a rege Judæorum prophetæ truncatum est caput, et linguam et vocem apud Judæos perdidit prophetia, Jesus transiit ad desertum et Ecclesiæ locum, quæ virum antea non habuerat, neque caput. Quod autem dicit, quia post decollationem Joannis secessit in naviculam, et in desertum, continuus sermo est. Unde apparet quod post hæc audita est fama de Jesu, et facta sunt illa quæ supra narrata sunt. Ille vero etiam ob hoc secessisse videatur, ut credentium probaret fidem. Et ideo sequitur, *quia turbæ secutæ sunt eum pedestres.* Non in jumentis neque in vehiculis diversis, sed proprio labore pedum asperitatem itineris insinuat, ut ardorem mentis eorum ostendat. Nam antequam veniret in solitudines gentium, ab uno tantum populo colebatur. Sed postquam Dominus venit ad gentes quasi in desertum, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ideo sequenti miraculo hoc testimonium anteponitur, quoniam abscisso capite a lege, mox secessit a Judæis et ascendit in navicula, id est in illa primitiva Ecclesia in locum desertum, ut dixi, quia **616** doctrinæ notitiam non habebant. Et venerunt pedestres, quia humiles, et non in pompis sæculi. Quibus misertus est Dominus, animas eorum sanando, qui de civitatibus, id est de variis sectis, ad eum venerant, quos curavit. Quia, quibus plena est fides, statim præmium consequitur salutis. Unde dicitur:

Et exiens vidit turbam multam, et misertus est ejus, et curavit languidos eorum. Cernis quia in evangelicis sermonibus semper spiritalia reserantur mysteria. Et propterea dicitur, egressus Jesus, significat quod turbæ habuerunt quidem veniendi ad eum voluntatem, sed vires perveniendi non habuerunt; ideo Salvator egreditur de loco, et pergit obviam, sicut prodigo filio pœnitenti legimus occurrisse. Quibus visis, miseretur eorum, et curat omnem languorem, ut fides plena statim præmia consequatur salutis.

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli dicentes, etc. Non est qui omnia Evangelii sacramenta ad liquidum valeat perscrutari, quoniam omnia mysteriis plena sunt; et de singulis, ut sæpe diximus, aliud loquitur de locis, de temporibus, de actu, et causis, etiam et de sententiis simul junctis. Recedit igitur de Judæa, et venit in desertum locum, unde jam diximus, et egreditur ad eos Jesus, et miseretur eorum; et hoc facit non mane, non crescente die, non meridie, sed vespere, quando sol justitiæ occubuerat.

Introdusă în format electronic de Google

Jesus autem dixit eis, Non habent necesse ire, date vos illis manducare. Sed restat quærere quomodo discipuli accesserint ad Jesum, secundum Matthæum et alios duos evangelistas, vel quomodo dixerint hoc verbum ut dimitteret eos ire, cum Joannes ad Philippum dixisse prius Jesum describit, dicens : *Unde ememus panes ut manducent hi?* (*Joan.* VI, 5.) Ex quo recte intelligitur quod post verbum discipulorum Dominus locutus est Philippo, unde ememus panes. Quod autem aiunt, *quia desertus est locus*, ostenditur, quia longe a civitatibus erant juxta litteram. *Et hora*, inquit, *jam præteriit*, hora scilicet manducandi. Seu hora pro tota die ponitur, quia dies jam præterierat. Porro Matthæus ait, *ut emant sibi escas*, quasi de turbis dixerit. Marcus vero narrat apostolos de se hoc dixisse : *Euntes emamus ducentis denariis panes* (*Marc.* VI, 37). De quo loco Joannes ait : *Ducentorum denariorum panes non sufficient eis* (*Joan.* VI, 7). In quo sentiendum nobis, quia vera sunt omnia quæ singuli dixerunt, et nemo eorum suis dictis **617** alterius narrationem impugnat, sicut nec Joannes, in eo quod ait Dominum, Philippum interrogasse, quod alii discipuli ad eum prius jam dixerant, sicut reliqui narrant evangelistæ, contraria sentit. Sed ostenditur quod post verba discipulorum hoc Dominus locutus est Philippo, *Unde ememus panes?* Necnon et quod Andreas dicitur dixisse, *Est puer unus hic qui habet quinque panes.* Alii dixerunt, quia *non sunt nobis nisi quinque panes*, quod utrumque dictum fuisse, nemo qui ambigat. Sic, lector, invenies in omni concordia evangelistarum, eos nihil a sententia discrepare : *Non habent*, inquit, *necesse ut eant, date illis vos manducare.* Ac si diceret, non necesse habent diversos cibos quærere et emere sibi ignotos panes, cum secum habeant cœlestem panem, date vos illis manducare. Provocat apostolos ad fractionem panis, et ad providentiam suæ possibilitatis, ut illis testantibus se non habere, virtus et magnitudo signi notior fieret omnibus. Unde, quæso, quod sæpe monui ad mentem unusquisque reducat, maxime in hoc miraculo, quia etsi mira sunt quæ gessit Dominus et Salvator, mirabiliora tamen valde videntur ea quæ in his præfigurata sunt, sic ad liquidum expressa ut nulli dubium esse possit hæc omnia sic ad hoc divinitus præparata. Quapropter perpendite quæ gesta sunt vel qualiter gesta sunt, et in his omnibus attendite personas, effectus causarum, et singulas causas, numeros quoque et modos, loca et tempora, seu cætera, in his quæ longum est enumerare. Quoniam quæ gesta sunt, ut dixi, præter gerendi officium longe altius prætendunt munus salutis nostræ. Idcirco non casu, neque secundum eventum rei hæc omnia contigerunt, sed secundum dispensationem divinam. Unde interrogati discipuli dixerunt : *Non habemus nisi quinque panes.* Et alius ait : *Est puer unus qui habet quinque panes.* Hoc quippe Andream dixisse Joannes testatur. Sed horum nihil vacat a mysterio, quoniam etsi Moyses per hunc puerum intelligendus est, sicut nostri tradunt, quia quinque libri Veteris Testamenti ejus dicuntur, omnium tamen apostolorum eadem erat lex, quia omnibus illis est data, ut qui fecerit ea quæ in illa sunt jussa, vivat in eis. Præsertim quia apostoli, ante passionem Domini et coruscationem Evangelii, non habebant nisi quinque panes, et ipsos hordeaceos, quia lex Moysi in quinque libris distincta **618** nimia palearum tenacitate constringebatur. *Et duos pisces*, duo vero pisces juxta alios, qui in salis gurgitibus, et in aquis, atque in maris fluctibus versabantur, duo libri intelliguntur qui supersunt quinque, hoc est, Jesu Nave et Judicum, quoniam et ipsi secundum mysticos intellectus magna continent sacramenta : necnon prophetarum eloquia, et Joannis prædicationem alii eosdem pisces esse dixerunt. Sed nos duas personas una cum quibusdam Moysen et Aaron interpretati sumus, per quos regnum et sacerdotium monstrabatur; quorum condimento populus cum Ægypto exiret per desertum pastus est, et in futuro his duabus gubernatur personis. Quia sicut in panibus adhuc prædictis quibque libris vita Judæorum continebatur, ita piscium duorum regiis et sacerdotalibus gubernabatur officiis. Quæ tamen duæ personæ Dominum nostrum præfigurabant; ambas enim ille sustinuit, et non figurate, sed proprie solus implevit. Nam et rex noster est Dominus Jesus Christus, qui nobis pugnandi et vincendi demonstravit exemplum. Itaque ipso duce ab oneribus et laboribus hujus peregrinationis nostræ, tanquam ab Ægypto liberamur, et persequentia nos peccata sacramento baptismatis nobis evadentibus obruuntur. Ipse est enim sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ memoriam passionis commendavit, ut illud quod in Melchisedech obtulit Deo, jam per orbem terrarum in Christi Ecclesia videamur offerri. Verumtamen et genealogia Christi per has duas personas videtur esse contexta. Quia Matthæus ab Abraham usque ad Christum descendendo per regiam personam eam deducit. Lucas vero ascendendo a Christo usque ad Adam et ad Deum, per sacerdotalem progeniem illam inseruit. Quæ nimirum prophetia de Christo in his quinque libris latebat. Et ideo hi tantum duo pisces cum quinque inveniuntur et habentur panibus.

Et cum jussisset turbam discumbere super fenum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit, et fregit, et dedit discipulis suis. Audite ordinem miraculi, quinimo, non miraculi tantum, sed parabolæ : ita ut et fides corroboretur in miraculo, et anima pascatur in mysterio, quia et veritas non latet in facto, et parabola **619** facti amplior et profundior prædicatur in sacramento. Jubet ergo recumbere super fenum juxta alium Evangelistam, quia fenum multum erat in loco, et jubet secundum consuetudinem convivantium, ut super quam calcaverunt carnem sedeant, et super omnes

Introdusă în format electronic de Google

flores illius ; quia *omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni* (*Isa.* XL, 6), et omnes voluptates ejus quasi arens fenum. Sed turba illa Judaica super fenum discubuit, quia Testamentum Vetus acceperat, in quo regnum eis temporaliter, et Jerusalem temporalis promittebatur. Ideo constat eos in spe carnali collocatos fuisse, cujus gloria quasi fenum efflоruit, et claritas ejus ut flos feni fuit. Verumtamen non jam in terra ideo jacens, sed lege suffultum, et tanquam terræ feno, fructibus scilicet operis sui, unusquisque eorum substernebatur. Unde et in monte pavisse eos Dominum, bene dicitur; quia licet per legis litteram quantisper ad altiora conscenderent, sed quia adhuc, ut dixi, carnales erant, hordeo pascebantur, et non tritico, ut per hordeum lex monstraretur Veteris Testamenti, sicut et per triticum, ex quo septem fuisse panes alibi in Evangelio monstratur, lex sancti Evangelii. Hæc quippe sunt duo testamenta, scilicet et duæ leges, ex quibus impræsentiarum, dum hoc sæculum vertitur, omne pascitur genus humanum, ex benedictione Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Et ideo secundo hoc usus est miraculo, et non amplius, vel minus, ut seipsum ostenderet et in hoc facto, qui duas condiderat leges nostræ refectionis gratia, ex quibus pascitur et recreatur quotidie omnis anima fidelis. Sed quia ille prior populus adhuc carnalis erat, propterea talis ei lex data est, quæ vitale animarum alimentum corporalibus obtegeret sacramentis. Et sicut medulla hordei tenacissima obtegitur palea : ita eadem lex suis carnalibus institutis, quoniam carnali dabatur populo, nondum exspoliato carnalibus desideriis, quod sane desiderium tanquam palea hordei cordi eorum inhærebat. Unde a propheta incircumcisi cordibus culpantur, quoniam nullis tribulationum flagellis, neque triturarum pressuris, potuerunt purgari, ut intellectu reserato spiritali, carnalia deponerent tegumenta : sicut nec hordeum areæ tritura, illo paliari tegmine, licet aristæ frangantur, exuitur. Propterea igitur Dominus hos tantum quinque panes sibi providit tunc, et præparavit in omni illo **620** populo, ut ex his doceret quid ex his faceret quinque libris suo in tempore. Quos accepit et benedixit, ac fregit, et dedit discipulis suis. Alioquin si ipse eos non accepisset in manibus, ut suo implerentur opere, sine fructu salutis et sine vita essent. Et nisi eos in se benedixisset, in quo est omnis benedictio spiritalis, qui sub ea erant lege sub maledicto essent. Et si non eos fregisset, neminem pavissent ad salutem.

Et dedit, inquit, *eos discipulis suis ; discipuli autem dpposuerunt turbæ*. Quia per eos erant divinæ gratiæ dona reddenda populis. Pascitur autem deinceps turba populi, et explentur abundantissime ex quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum, exceptis parvulis et mulieribus. Consonat ergo numerus quinarius in utraque parte populo carnali, qui tantum vix quinque sensibus bene utebatur carnalibus, quibus multi dediti erant. Et ideo quam signanter Dominus hoc significare videtur cum dicit, Non opus habent ire, ut emant alibi, aut aliunde, sed date vos illis manducare. Quoniam sub lege custodiebantur, in qua erat victus perfectæ intelligentiæ, si a Domino discipulis comminuta et exposita traderetur. Et hoc sapientia Dei Patris totum noverat quid dederat singulis, vel quid facturus esset. Idcirco non de ignorantia interrogat, *Quot panes habetis?* sed ob mysterium. Etiam et rogat, juxta Marcum, quot haberent panes, ut se bene convincat nescire in sacramento, quod jam patebat in dato et commisso, et ipsi et omnis turba portabat sub jugo. Quos profecto panes, quia benedixit ac fregit, creverunt. Non enim quinque multiplicantur in plures numero, sed fragmentis fragmenta succedunt, et fallunt semper in fractu, multiplicatione sua, frangentes. Crescit ergo materies panis, nescio utrum an in mensura vel in loco, an in manibus sumentium, an in ore edentium. Unum tamen profiteor, quia in manibus Christi fons erat augmenti, sicut fontis est fluere, uvas vitibus inesse et vina diffundi, atque omnes mundi opes annuo quodam cursu in diversum fluere. Auctor est enim hujus universitatis tantus panum profectus. Et mirantur omnes hoc quod rarum est, et non mirantur hoc quia res ex usu viluit quod quotidie fit. Agitur enim in opere visibili invisibilium demonstratio, dum superat omnem naturam virtus operantis, et supergreditur facti intelligentiam ratio **621** virtutis, et sola relinquitur admiratio potestatis. Sed priusquam hæc fierent, *aspiciens in cœlum*, dedit exemplum, ut semper ad patrem oculos mentis dirigere debeamus, et ad ejus exemplum, cibos, et quæ ex Deo sunt, benedicamus ; quoniam omnis benedictio per eum, aut multiplicatio rerum est, aut sanctificatio, ita ut rerum benedictio usque in admirationem, si diligentius attendatur, veniet, admiratio vero usque ad mensuram causæ subjacentis. Nam confracti panes cum piscibus saturato populo interdum deinceps cumulantur augmento, ut quot sunt millia hominum, tot panibus saturentur, exceptis, quod magis creditur, parvulis et mulieribus ; quorum sicut nullus est numerus, ita nec expletio quantitatis. Insuper augetur splendor gratiæ ut secundum apostolorum numerum, duodecim cophini repleantur, ita ut modus numero coæquetur, et numerus modo obtemperet sacramenti ; quatenus intra fines suos ratio conclusa, ad consequentis effectus conditionem divinæ virtutis moderamina cohortetur, quia vincit humanam intelligentiam opus facti. Et cum frequenter quædam fiant quæ concepta sensu sermo non explicet, in his tamen ipsa sensus subtilitas superatur, ita ut ad rei contemplationem pro difficultatis magnificentia et negotii invisibilis miraculo obstupescat animus, in tantum, ut nec cogitare sufficiat quæ sentit, nec explicare verbis, quæ intelligit. De his tamen nullus esurire permissus est, quos cœlestis gratia pavit. *Et sublati sunt duodecim cophini reliquiarum*. Forte excepto præfato et ineffabili my-

Introdusă în format electronic de Google

sterio, ut non fantasma facti putaretur, reliquiæ ex his collectæ sunt ut panes veros esse ad fidem credentium longo in tempore ostenderentur. Quanquam ab difficultatem facti, unde mox duodecim cophinos, quibus reliquiæ colligantur, multi quærant, in deserto quomodo invenire potuerunt? quasi non eadem virtute qua panes prius præparati esse potuerunt, maxime quia facto miraculo, ex proximis castellis eos afferre poterant, eo quod essent in loco deserto juxta Lucam, qui est Bethsaide. Ipsosque allatos implent reliquiæ et virtus ineffabilis, quos nunquam implere poterat ipsa res, vel ipsa materies. Satiantur quinque millia ex quinque panibus, cum mysterio æternæ salutis, ac perpetuæ suavitatis. *Exceptis mulieribus, inquit, et pueris*, qui mihi videntur ad hoc pertinere, ut intelligamus in populo **622** Veteris Testamenti fuisse quosdam tam infirmos ad implendam justitiam quæ secundum legem est, in qua justitia Apostolus sine querela conversatum se fuisse dicit, itemque alios qui facile seducerentur in cultum idolorum. Quæ duo genera, id est infirmitatis et erroris, mulierum et puerorum nominibus figurata sunt. Infirmus est enim sexus mulierum ad actiones, et facilis ad lusum pueritia. Quid autem lusui puerili tam simile est quam idola colere? quando et Apostolus ad hoc retulit hoc genus superstitionis, cum ait, neque idolis serviamus quemadmodum quidam eorum, sicut scriptum est : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*I Cor.* x, 7). Mulieribus ergo similes erant, qui in laboribus exspectationis, quousque ad promissa Dei venirent, non viriliter perseverantes, tentaverunt Deum ; pueris autem qui sederunt manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Tales quippe sunt, et in Novo Testamento qui non possunt occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel levitate mentis ; qui profecto jure *interdum* mulieribus et pueris comparandi sunt. Et ideo neque in Veteri Testamento, neque in Novo, tales admittuntur ad numerum, neque in bellicis rebus, neque in ullis rerum negotiis : sicut nec in Numerorum libro, quoties sacerdos atque Levitæ, et exercitus vel turbæ pugnantium describuntur, servi et mulieres, et parvuli, et vulgus ignobile in numero prætermittuntur. Et tamen in populo erant, et ideo, sicut canit Domino David in psalmo : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione* (*Psal.* CXLIV, 16). Replevit eos donis cœlestibus, et saturantur etiam quotidie, et ipsi juxta capacitatem sensus sui et mensuram fidei suæ. Porro apostoli, quibus dedit hæc omnia in manibus, quoniam ipsis primum revelata sunt mysteria, idcirco ipsi omnibus prædicaverunt Evangelium æternæ vitæ ; et tulerunt de reliquiis duodecim cophinos, quæ omnes capere non potuerunt. Unusquisque apostolorum cophinum suum ; quoniam ipsis omnia sunt reserata cœlestis vitæ sacramenta. Sed miser Judas, qui quod tulit perdidit, quia non sibi sed alteri reservatum fuit. Unde et beatus Petrus sorte quæsivit a Domino, licet ambo boni essent, quos statuit coram Domino ut eligeretur non ab homine, sed a Deo cui hæc reposita erant, et qui capere posset ea quæ solis apostolis divino privilegio parata erant, et servabantur. Idcirco nemo sanctorum **623** fuit, qui sibi tantum honorem vendicare sit ausus ; quoniam et numerus est in his mysticus, et ordo sacratus, necnon et honor proprius eis tantummodo a Domino largitus, quorum corda ita sunt virtutibus repleta et sapientia divina, ut omnia quæ a convivantibus ex divinis epulis capi non possent, secum in suis reposuerint præcordiis, suisque reliquerint sequacibus, et servaverint. Unde mox post passionem Domini, quinque millia sunt repleti fide, et Dominicis imbuti sacramentis, quot sunt in isto convivio præfigurati, etsi ipsa figura veritas esse credatur. Hæc de hac prima refectione sacramenti paucis dicta sufficiant, ut cum ad secundam venerimus, in qua novus formatur ordo, latius Domino inspirante de his disserere valeamus. Interim discentium formamus infantiam, ut distinctis syllabis splendidam confessionis demum de his reddamus vocem, nunc vero inter salutares undas navigaturi navigia nostra præparemus. Quinimo rogemus cum apostolo Petro, ut ipse nos ad se venire jubeat super aquas, ne mergamur fide qui cum verbo navigamus, ut splendidam in profundo latentem margaritam invenire possimus, ne in vacuum inter placidos fructus ludere jam edocti videamur.

Et statim, inquit, *jussit discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Nam in aliis exemplaribus, non jussit, sed compulit, habetur, discipulos suos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum. Quo verbo insinuatur invitos eos a Domino recessisse ; quia præ amore piissimi præceptoris, nec puncto quidem temporis patiebantur abesse præsentia, nec volebant separari ab eo. Sed valde contrarium videtur quod nunc dicit, quia *dimissis turbis ascendit in montem solus orare*, cum Joannes, sicut supra præmisi, in monte Dominum turbas pavisse insinuat. Quod si in monte eas pavit, et nunc dimissis turbis ascendit in montem, quomodo in montem eum ascendisse dicit quo fuit, cum eos saturaret panibus? Ex quo apparet manifeste, quod de monte, quo fuerat prius, descendit ad ima ut turbam pasceret, quia ad montana non valebant ascendere. De quo rursus loco, dimissis turbis, ascendit in montem, ne a turbis teneretur, qui eum volebant regem facere. Unde et Joannes non ascendit dixit, sed **624** *fugit in montem solus orare* (*Joan.* VI, 5). Ubi ostendit quod causa orationis non solum secedere debeamus soli, verum etiam fugere caducos et terrenos honores, ut soli Deo in theoria, id est in monte, vacemus ; quoniam contemplativa vita semper remotior et uberior est suis fructibus, de qua Dominus dicit : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* x, 42). Et notandum quia Matthæus prius dimisisse Dominum discipulos dicit, et

Introdusă în format electronic de Google

sic ascendisse in montem orare. Joannes vero prius fugisse illum in montem, et tunc dimisisse discipulos. Ex quo apparet, quia Joannes quod prius factum erat, postea quasi recordatus quod prætermiserat, commemoravit, sicut sæpe omnes evangelistæ quasi ad oblita solent redire, et non suo in loco juxta litteram, qualibet alia ex causa, commemorari. Quod autem dicit, quia solus ascendit, manifestum est quia Petrus, Jacobus et Joannes non erant cum eo, quia si essent, qui forte viderant gloriam transformati, ascendissent cum eo, et ideo ob mysterium sunt præmissi, ut solus oraret pro omnibus, qui solus, ut omnes redimeret, mortuus est pro omnibus. Unde dicitur :

Vespere autem facto solus erat ibi. Ut appareat cunctis, quod ejus oratio salus sit universorum. Et notandum quia vespere facto solus esse dicitur ; in vespere namque finis sæculi significatur, quando venit solus pro salute omnium. Unde et supra, hora jam præterisse dicitur, quia sicut ait Apostolus : *Novissima hora est* (*I Joan.* II, 18), et ipsa jam præterii, quia quasi umbra fugit. Ne mireris, quia ascendit solus orare. Solus et singularis. Verumtamen quamvis solus, non debes referre ad eum quod orat, qui de quinque panibus quinque millia hominum saturavit, exceptis parvulis et mulieribus, neque ad eum qui super undas ambulavit æquoreas firmis gressibus, sed ad eum qui audita morte Joannis, secessit in desertum locum. Hæc non ideo dixerim, fratres, quo personam Domini dividam in duas, sed quo gemina operatio Salvatoris consideretur, per omnem textum Evangelii in una eademque persona mediatoris Dei et hominum, quoniam sicut in eo Deus et homo erat, eo quod *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14) : ita et operatio Divinitatis atque humanitatis. Gemina siquidem operatio, sed unus idemque Christus, qui hæc omnia operabatur. Ipse namque est qui esuriit et sitivit, ipse qui et de quinque panibus tot homines satiavit, ipse qui fatigatus ex itinere, resedit, **625** ipse qui et super mare pedibus ambulavit ; sed una earum operatio humanitatis est, altera vero Divinitatis. Quas plane operationes, nisi catholice distinguat et intelligat prudens lector, tanto aberrare poterit a catholica fide, quanto fuerit obcæcatus a confusionis caligine.

Navicula autem in medio maris jactabatur fluctibus. Propterea igitur inviti et retractantes apostoli supra recesserant a Domino, ne illo absente naufragia sustinerent. Noverant enim sine illo quod turbarentur, sicut et Ecclesia quotiescunque impræsentiarum a Christo deseritur, jactatur fluctibus, et ventis impellitur. Nam hujus temporis figura erat omnis illa periclitatio navis. Interea, Domino commorante in montis vertice, statim ventus contrarius oritur, et turbat mare, periclitaturque Ecclesia. Et tandiu imminens naufragium perseverat, quandiu Jesus moratur, nec veniat et succurrat. Et ideo se repromisit esse cum suis, donec præsens sæculum volvitur : *Ego vobiscum sum*, inquit, *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Alioquin sine illo periclitatur Ecclesia et mergitur. Unde quotiescunque variis tunditur fluctibus, et impellitur ventis aurarum, ita ut mergere videatur, invocandus est Salvator, de quo confidere oportet, quod nusquam et nunquam abest majestate, licet in alto resideat in cœlis. Hinc est quod laborantibus illis in remigando.

Quarta vigilia noctis venit ambulans supra mare. Quod autem dicit quarta vigilia noctis, ostendit eos tota nocte periclitatos et jactatos fluctibus ; quia quatuor vigiliæ juxta stationes militares duodecim horæ sunt : habent enim singulæ ternas horas. Et ideo cum dicit quod in quarta vigilia venit Jesus, finem insinuat noctis, et principium auroræ, rarescentibus tenebris. Ubi totum tempus paucis depingit verbis, ex quo Salvator ad Patrem rediit, solus pontifex interpellans pro nobis usque in finem sæculi, quando rursus venturus est, calcatis omnibus, suaque luce fugabuntur tenebræ, cessabunt flumina et ventorum impetus, quoniam Deus jam graditur ubi vestigium nullatenus humanæ virtutis invenitur, ubi consuetudo gradiendi deficit. Miracula ex hoc uno hinc inde congeruntur, nam consuetudo non respicit signum, sicut nec singularitas ejus admittit exemplum, sed divina virtus operatur simul mysterium et miraculum. Miraculum in facto, mysterium **626** in præfigurationis sacramento. Quod natura non habet, quod ingenium humanum et philosophia sæculi non capit. Idcirco virtus auctoris est non naturæ humanæ potestas, ut in uno eodemque homine Deitas et humanitas declaretur. Deitas in eo quod ultra hominem cernitur, humanitas, quia ipse homo super undas videtur ; quod sane opus superni numinis est, quia hoc caro sentire non potest, nec mens humana intelligere, quomodo fieri possit quod natura utraque non admittit, ut et gravis superambulet, et liquida pondus aliquod sustineat, quod natura neutra permittit ; sicut et panes crevisse ita tenus, ut dictum est, nulla probat ratio humana, nulla intelligentia deprehendit, nisi forte fingere velis quod aut alleviaverit corpus ut phantasma, aut aliquas crassiores et concretas reddiderit aquas, ita ut super eas potuerit caro humana sicco vestigio ambulare. Quod et hoc mirabile esset si ratio id admitteret ; nunc autem facti causam nullus explicat, sensus nullus recipit humanus, mens non capit humana, nemo loquitur hominum quomodo fieri potuerit tam libere, nisi qui subest ei omne posse cum voluerit, ut probetur ex hoc ejus, ut diximus, gemina operatio. Quia omnino Deitatis est, quod ambulat contra naturam humanam super aquas, et humanitatis quod visibilis apparet in forma servi, et vera caro.

Unde videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt dicentes, quia phantasma est. Ergo probaverant eum jam verum hominem esse Christum, et ideo nunc turbantur putantes se contra naturam ejus videre. Alioquin si juxta Marcionem et Manichæum

Introdusă în format electronic de Google

Dominus noster non est natus ex Maria virgine, sed visus ex phantasmate, quomodo nunc apostoli timent et turbantur ne forte phantasma videant? *Qui præ timore clamaverunt.* Nam confusa vox et incertus clamor, magni timoris indicium est. Sed eorum timor nostræ est fortitudo mentis, quoniam de Christo nihil inexplorate sentiunt, nihil quod non requirant, nihil humanitatis in eo aut Divinitatis quod non intelligant. Adeo probant omnia, ut nullus deinceps dubitet, nullus diffidat, nullus desperet, nullus incredulitate de Christo succumbat. Sed divina pietas cito subvenit pie quærentibus, et non impie dubitantibus. Quibus mox illis clamantibus præ timore, et dubitantibus præ miraculo, ut eum reciperent in fide Deum et hominem **627** in quem crediderant, *Confidite, inquit, et habete fiduciam : ego sum.* Ergo quod *primum* versabatur in causa medicus occurrit. Quoniam qui confidentiam amittit et hæsitat, juxta apostolum, *similis est fluctui maris* (*Jac.* I, 6). Ego sum, inquit, nec subjungit quid sit, vel quis sit; quia profecto ex voce sibi notissima, poterant cum quisnam esset intelligere, qui per obscuras noctis tenebras vel crepuscula loquebatur. Noverant enim illi hanc esse familiarissimam ei sententiam, et ideo ait, Ego sum. Ac si patenter diceret, Ego sum ipse qui sum, et non mutor, ut vos putatis me phantasma esse. Nec dubium quin ipsum esse retinebant animo, quem locutum olim ad Moysen noverant, *Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel;* et : *Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 13). Ad quam sane vocem Petrus cum audisset, Ego sum, consonanter respondit dicens : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Senserat enim in eo quod ait, Ego sum, ipsum esse, cui est, semper essentialiter idem esse. Et ideo ait, Si tu es, ac si diceret, quia si tu es qui semper cum Patre unus idemque es, jussio tua exhibitio est virtutis, quoniam omnipotens es. Ne mireris, *lector*, quod cum fide rogat et dubitat : dubitat autem non quasi infidelis, sed quasi cautus et veteranus explorator, ne facilis ruat in ruinam. Ipsum invocat, cujus essentia veritas est, nihilque dubitat de potentia, nihil de virtute. Alias autem qui Petro apostolo, ac si Ecclesiæ fundamento aliquid infidelitatis ascribit; nimis temerarium est eum arguere, cui pro meritis fidei suæ solvendi ac ligandi potestas attribuitur. Quis ergo alius, erga timorem Dei et amorem tam idoneus invenitur, si huic culpa innuitur, præcipue cui ipse Dominus testimonium reddidit? Nec igitur mirum quia multi indociles, dum rei gestæ rationem ignorant, laqueos offensionis incurrunt, ut credant fidem veram in eo non fuisse quod dictum est ei, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Propterea non considerant hi tales magnitudinem ipsius fidei qua dictum est, *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.* Utique qui dicit, Jube me, credidit potestatem. Ingens ergo hæc credulitas fuit, ut audaci saltu, et de navi intrepido descensu, profundissimo se crederet elemento, et inusitatam gressibus viam securus intraret. Non metuit quod onerosum valde esset humani corporis pondus, et liquida maris unda solidum non portaret gressum. Qui tantam in Dei verbo fiduciam conceperat, **628** cum ait, Veni, ut crederet infidam vestigiis suis tenuitatem subditam, et tanquam terrenam soliditatem esse subjectam. Nam quod ex omnium consistentium numero in navi respondere solus audet Petrus, et juberi sibi super aquas ut ad Dominum veniat precatur, fervor est amoris et fortitudo fidei et præsagium futurorum ; quoniam sic et in passione præ omnibus affectum exhibuit amoris vestigiis semper inhærens piissimi Redemptoris, licet infirmitatem futuræ negationis timiditas prætenderit tentationis. Hinc namque quamvis incedere ausus esset, tamen mergebatur propter imbecillitatem carnis, sicut et usque ad metum mortis abnegandi necessitatem demum est coactus; quoniam nemo mortalium qui Domini æquiparari possit vestigiis. Nam cum Dominus supra mare iter ageret, ita subditum pedibus obtemperabat mirabiliter elementum, ut nec se mare subtraheret, et venerandas Domini plantas superferret. Nec igitur mirum, si ei natura æquoris serviebat, cujus dispositionis arbitrio perfecta sunt universa. Idcirco illi calcabilem se præbuit juxta debitum naturæ quasi Domino, et Petro secundum jubentis imperium ad modum serviens. Tamen necesse poscebat ratio, juxta fragilitatem humanam, ut eum terreret ventus, et perturbaret unda suis collisionibus, ne inter Deum et hominem nihil videretur discrepasse, et esset ob hoc inter homines non minima dubitatio, si Petrum hic vidissent facere quod Christus sua fecit potentia. Nec igitur honos debitus Deo redderetur, quia non esset mirum a Deo factum, quod et ab homine videretur effectum. Præsertim quia in hac virtute Christus insinuat quod ipse sit solus, qui omnes elationes præsentis sæculi, et omnes fluctus sua virtute calcat et comprimit. Ideo debuit in Petro monstrari, in uno ac singulari, quid in omnibus agit, qui suum requirunt auxilium, dum præsens vertitur sæculum. Quia in hoc sæculo tanquam in aliquo mari positi sumus, in quo utique spiritualium nequitiarum turbines quotidie, et impulsiones gravissimas sustinemus, cum omni sollicitudine jugiter naufragium fugientes. Quod valde tunc maxime pertimescendum est, cum virtutibus et miraculis supra nos elevamur. Propterea datur beatissimo Paulo *stimulus carnis, angelus Satanæ* (*II Cor.* XII, 7), sicut et hic nunc Petro ventus tentationis, ut virtus in infirmitate perficiatur; **629** quoniam melius est nobis interpellando Dominum liberari quam dissimulando et non orando, quin imo superbiendo, periculum mortis incurrere. Quia plurimum sibi humana usurpatio licentiæ daret, si virtutem cum Deo cœpisset habere communem. Et ideo jure visum est nobis Petrum, in quo apostolorum omnium unitas commendatur, satis dispensative præ timore mersum fuisse nimio, ut sciremus nihil nostris actibus nos tribuere debere, sed totum Deo, quod recte gerimus ascribere, et in om-

Introdusă în format electronic de Google

nibus Dei invocare auxilium. Verumtamen quod illo trepidante, virtutem ad se libere perveniendi Dominus non indulserit, cum ei prius venire jussit, sed manum ei porrexit, apprehensumque eum sustinuit, ut supra paucis præmisi, typicus ordo fuit, ut dextera Dei exaltaretur a fluctibus, quæ facit virtutem in omnibus, quoniam solius Domini est virtus sæculi motus tempestatesque calcare, et omnes a pressura tentationum eripere. Solus enim passurus pro omnibus, omnium peccata ipse solvit, nec socium sibi consortemque hujus operis admisit; quoniam quidquid universitati præstitit, solummodo ab ipso fuit, ita ut cum esset unus ac singularis ipse redemptio universorum, primum Petrum redimeret, et calcaret omnia, sicque demum Petrus ipse Dei auxilio levatus martyr occurreret, non accessu indignus qui cæteris fide anteibat, sed probatione ac multiplicatione virtutis instructus ac glorificatus operibus, ut alios anteiret. Igitur qualitercunque Petrus, aut ex mysterio, aut ex infirmitate prolapsus sit, constat tamen in eo, quia verum corpus fuit. Et si ipse tantummodo verus homo super aquas recto incessu ire potuit, multo magis Deus et homo, non phantasma, sed veritas fuit, qui non aliud in utraque natura quam verus Jesus Christus fuit. Et ideo nemo de virtute infirmetur cum hæreticis, nemo de veritate carnis falsitatem sibi confingat, quod pondus non habuerit, nemo de divinitate in Christo dubitet. *Modicæ*, inquit, *fidei quare dubitasti?* Quod si Petro hoc recte dicitur, cui fides, ut ita dicam, incomparabilis inter alios emicuit, quid putas de nobis dicetur, qui nec modicam hujus fidei particulam habere probamur? Qui ad modicum ideo tentari permittitur, ut ejus fides de infirmitate augeatur, et virtus Christi sublimior de subventu prædicetur. Nemo **630** igitur modicam potest vocare fidem Petri, qui omnes in fide ubique antecellit. Nemo tamen potest negare exiguam, quem Dominus modicæ fidei fuisse culpando increpat. Tamen fides quæ supra grano sinapis comparatur, fides omnium apostolorum est, et modica videtur, quæ juxta quantitatem grano exiguo comparatur. Quid igitur dicimus, nunquid Chananæa illa mulier majorem fidem habuisse creditur quam Petrus, cui dicitur: *O mulier, magna est fides tua?* (*Matth.* xv, 28.) Credo quod nemo hoc audeat asserere. Idcirco quærendus est modus intelligentiæ, secundum quod ejus modica dicatur fides, qui in omnibus ardentissimus fide ac dilectione prædicatur. Ecce interrogatis discipulis quem esse dicerent Jesum, ipse præ omnibus confitetur, *Tu es*, inquit, *Filius Dei vivi* (*Matth.* xvi, 16). Sic itaque et in cæteris locis eum semper præstantiorem invenies fide. Denique talis tantaque fides, quanquam recte magna credatur in comparatione tantarum rerum quarum est fides, et juxta magnitudinem earum, ut mihi videtur, modica est fides; quia fides est sperandarum argumentum rerum non apparentium (*Hebr.* xi, 1); et omne argumentum minus est earum rerum, quarum est argumentum. Et ideo non incongrue increpatur fides Petri modica, in comparatione tantæ majestatis Dei, de quo est fides, præsertim cum his casibus crescenda et nutrienda erat fides Petri usque ad consummationem. Et ideo licet in quibusdam ex ardore magnæ fidei erret Petrus, tamen in omnibus ferventior invenitur, quia in ipso est forma omnium in quo unitas Ecclesiæ commendatur.

Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt et adoraverunt eum dicentes: Vere Filius Dei es. In quo plane miraculo, sicut supra paucis ostendi, omnis fides et ordo designatur Ecclesiæ, in quo tempore quousque redeat in finem sæculi Ecclesia multis periclitatur fluctibus. Et Jesus gradiens super undas maris, a quamplurimis phantasma esse putatur. Hinc quoque in quarta vigilia noctis bene venisse dicitur, quam particulam, supra, finem noctis esse ostendimus. In qua sane vigilia cum advenerit Christus ob tentationes Antichristi, nutabundam valde et naufragam inveniet Ecclesiam, flantibus undique ventis. Quæ ideo quarta dicitur, quia prima fuit legis vigilia, in qua lex data est, secunda prophetarum, **631** tertia ipsius Domini adventus, quarta vero reditus, quando venturus est in claritate, calcatis omnibus aurarum motibus, quando inveniet fessam, et nimium laborantem propter Antichristi impulsiones. In qua itaque tentatione anxiis vexata Christi Ecclesia fluctibus, ad omnem tentationum novitatem nimis sollicita erit, ita ut in Domini etiam adventum expavescere dicatur, propter falsas rerum imagines, et subreptitia in oculis fragmenta mendaciorum. Sed bonus Dominus statim aderit suis, et illustrabit eos voce consolationis, ut fiduciam habeant, timoremque depellant. Quibus procul dubio inspirabit fidem in animo, dicturusque est, *Ego sum*, ne Antichristi seducantur erroribus. Et hoc est ei, ascendere in navem, quoniam mox adventu suo ventum cessare faciet, et quiesceet mare a fervore tentationis, eritque pax et tranquillitas magna. Deinceps cum claritas æterna refulserit, et ipse manifestus advenerit, tunc quoque admirantes dicturi sunt universi, quia vere Filius Dei est. Confessio enim universorum tam absoluta et publica erit, quando jam non ex parte, sed ex toto facie ad faciem videbitur juxta Apostolum quod perfectum est; quando Dei Filium jam non in humilitate corporea, sed in claritate et gloria quam habet cum Patre, omnis Ecclesia videbit sanctorum, et adorabit eum in sæcula sæculorum. Nunc autem donec hinc inde surgunt fluctus, et tempestates sæviunt, licet veritas luce clarius jam pateat, adhuc a multis (quod pejus est) etiam ecclesiasticis Jesus phantasma fuisse putatur, dum credunt, aut non verum corpus habuisse, aut si habuit, non eum verum Dei Filium esse, vel proprium. Sed catholica fides utrumque confitetur, et proprium Dei Filium ac verum, sicuti hoc loco confessi sunt apostoli, et qui cum ipsis erant in navi, quia *verus Dei Filius es*, et verum corpus habuisse

Introdusă în format electronic de Google

catholice prædicatur; quod et pondus habuerit, ut dixi, gravitatis absque peccato, et onus corporeum, et cum pondere atque onere corporali incesserit super aquas non infusis pedibus, sicut proprie de hac re Dionysius egregius inter reliquos doctor ecclesiasticus in opusculis de divinis Nominibus contradidit, et conscripta nobis reliquit, quod et alii firmavere doctores. Scribit enim ita inter cætera : Ignoramus qualiter de virgineo sanguine, **632** alia lege, præter naturalem, formabatur, et qualiter non infusis pedibus, corporale pondus habentibus et materiale onus, deambulabat mundam et instabilem substantiam. Ubi ostendit præfatus doctor ita eum ambulasse, et Evangelium hoc probat, nec corpus *aliud* fuisse quam verum corpus, nec aquas aliud quam veras ipsasque liquidas ac præterfluentes, ubi totum Deitatis est opus quod gessit, et humanitatis veritas quæ apparuit. De quibus ideo hujus rei, licet paucis, mentionem feci, quia ex hoc multi desipiunt adhuc, et conantur explicare, quæ nec veritas admittit, nec ipsi intelligunt. Unde, quæso, ne prolixa videatur alicui digressio et regressio de tam eximiis rebus, in quibus ipsa eademque veritas admirabilis atque ineffabilis prædicatur. Deinde earumdem rerum significatio, cum multiplicitas perplexa, et latior mysteriis figura, quam rei gestæ miraculum invenitur. Quoniam quidquid nunc gerit in tempore, præfiguratum est in miraculo. Idcirco qui in navi erant et pervenerunt ad littus, vere Dei Filium confitentur et adorant, eumque credunt regnantem cum Patre in unitate Deitatis.

Et cum transfretasset venerunt, inquit, *in terram Genesar*. Porro Genesar regio est, unde et alicubi lacus Genesareth vocatur. Et dicitur Genesareth, quod ipse sibi generat auras, de quo quasi ex naufragio persecutionis benignissimus Jesus navem Ecclesiæ perducit ad littus, ut tranquillissimo portu faciat eam requiescere. Et notandum quod post quinque millia virorum, qui manducaverunt et saturati sunt, multa et media quæ dicta sunt usque ad hunc locum, in omnibus idem sensus est; quoniam finitis legis temporibus, et ex Israel quinque millibus virorum in Ecclesia collocatis, dum orat Jesus solus in monte ubi est cum Patre, et calcat fluctus, discipuli laborant in remigando. Interim vero solus Salvator quoties cum respicit et ascendit navem, mitigat ventos, redditque tranquillum : sicque ex his quinque millibus quos recreavit primum panibus, jam multis credentium occurrit populis ipse per fidem ex lege salvus et satiatus, qui deinceps ex suis infirmos atque ægrotos offert Deo sanandos, quoniam cognoscunt eum Salvatorem. Propterea inquit Evangelium :

633 *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam*. Cognoverunt eum rumore magis quam facie, quamvis præ signorum magnitudine quæ perpetrabat, jam vultu notus erat plurimis. Sed tota hæc fides et notitia de virtute erat miraculorum, et potentia, vel ex gratia vultus ejus, sicut et nostra qui eum nunquam vidimus in carne. Unde perpendat prudentia vestra, quam signanter ait, *Cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes*. Sicut et modo facit Ecclesia, *et rogant eum ut fimbriam vestimenti ejus tangant*, ubi mira fides prædicatur Genesarenorum et Ecclesiæ, quæ non solum contenta in suorum sanitatibus, verum etiam ad universos mittit, ut veniant et curentur. Unde quam bene Genesar *ortus principium* dicitur interpretari, quoniam per illam primitivam Ecclesiam, quæ in principio eum vidit fide et intellectu, in qua ortus est Christus, et de qua nati sunt apostoli, cognitus est in mundo et creditus; ipsaque misit in universum orbem, ut in toto mundo Christus nuntiaretur, et omnes sani fierent a peccatis et languoribus suis. *Et rogabant eum*, inquit, *ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent*. Nam fimbria, sicut omnes novimus, ex veste est, et ex ea dependet : ita et ex Domino nostro Jesu Christo virtus sancti Spiritus procedit; quæ apostolis data, ipsis quoque tanquam ex eodem Christi corpore exeuntibus, salutem his qui contingere possunt, subministrat. Non enim de apostolo, aut de quolibet sancto hæc sanitas exit, sed de fimbria, hoc est, de gratia quæ est in apostolo, vel in sancto. Hanc quippe fimbriam tetigerat illa mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, quia ad Christi gratiam pervenerat, et ideo sana facta est a profluvio. Unde nemo sacerdotum sine fimbriis digne ingreditur in sanctuarium; quia quisquis sine gratia sancti Spiritus ad hoc accedit ut ministret, vacuum se ostendit et importunum magis quam officiosum se ingerit et dignum.

Et quicunque tetigerant, inquit, *salvi facti sunt*. Quia nemo excipitur a salute perpetua, quicunque Dei gratiam attigerit; quoniam qui unum habet earum donum, omnes habebit. Et, *Qui in uno offenderit, factus est omnium reus* (*Jacob*. II, 10). Unde constat eos qui adhuc male habent et ægrotant **634** in animo, quia non tangunt fimbriam vestimenti ejus, quoniam quicunque tetigerit vel unam, ut omnes habeat, salvus fit continuo, et non ægrotat.

(Cap. XV.) *Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisæi, dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum, et non lavant manus suas cum panem manducant?* Mira Pharisæorum Scribarumque stultitia, Dei Filium arguunt, qui legem dedit divinam, quare hominum traditiones et præcepta non servet. Quoniam quidquid in discipulis reprehenditur, ad calumniam Magistri insidiose ab ipsis, qui ab Hierosolymis advenerant Scribæ et Pharisæi, refertur. Sed evangelista dupliciter eos redarguit, quia Scribæ erant et doctores legis, qui insidiabantur, et quia a loco sancto venerant metropolitæ, ubi arcem tenebant divinæ auctoritatis, et magisterium doctrinæ. Sed divinus Magister et legis propalator, sicut fulgur, eos terribili collisione quam sæpe repercutit, et corusco verborum retundit; ita ut eos intonando deterreat. et suos doctrina salutari corri-

Introdusă în format electronic de Google

gat et emendet, sicuti hoc loco fecisse miramur, dum Pharisæi et Scribæ gestiunt vituperare discipulos ejus ac reprehendere. Miror autem nihil de eo prophetatum quod non impleverit, nihilque in terris egit quod pronuntiatum prius non fuerit. Et ideo quia prædictum erat, Ipse *arguet pro mansuetis terræ* (*Isa.* XI, 4), hoc loco complevit, dum pro apostolis suis, qui mansuetissimi erant, Scribas et Pharisæos redarguit ac revincit. Nemo tamen cum hæc audit, existimet discipulos Domini sub specie contemptus sui, incultis et illotis manibus ac si rusticos, consuete manducasse, præsertim quia mensæ Domini quasi convivæ participes erant. Ideo magis credendum, quod communem servaverint honestatem, quando istud neque natura patitur, neque hospitalitatis admittit affectio. Quis itaque mox aquam non offerat manibus, advenientis propter obsequium, aut quis ad offerentis injuriam istud recuset officium? Præsertim cum ipse Dominus arguat Simonem, invitatus ad mensam; *Aquam*, inquit, *manibus meis non dedisti* (*Luc.* VII, 44). Vult itaque fieri Dominus, quod sic exegisse perdocemur. Sed Pharisæi non diligentiam corporis a discipulis Domini, sed superstitionis suæ baptismata requirebant, quo in mensa, ut mos est quorumdam sæpius lavabant, nescientes unum baptisma, quo a Domino **635** lavandum erat et innovandum, simul corpus et anima, quo non ad cultum cutis, sed ad conscientiam diluendam Dominus præparavit in salutem. Hinc Propheta precabatur cum diceret : *Amplius lava me ab injustitia mea* (*Psal.* L, 4). Sed has superstitiones Judæorum magis aperit nobis Marcus evangelista, cum ait, *Pharisæi et Scribæ non manducant nisi crebro lavent manus, et cum de foro veniunt, nisi baptizati fuerint non manducant* (*Marc.* VII, 3, 4), servantes etiam baptisma calicum, urceorum et æramentorum, necnon et lectorum, et alia quamplurima, secundum purificationem Judæorum. Quam plane purificationem manuum de superstitione venientem magis quam de honestate, et usu quotidiano illi calumniantes, requirebant, cum essent impuri et immundi. Erat namque eorum traditio talis qualem apostoli imitari superstitiose nolebant. Quibus Dominus respondit :

Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Ecce Magister egregius, quam libere cum omni auctoritate divina, quam sapienter, quam officiosissime respondit, et falsam calumniam vera confutat et retundit interrogatione; quoniam iniquum est mandatum Dei propter traditiones hominum etiam superfluas et vanas honeste magis quam reprehensibiliter prætermittere. Ac si diceret Salvator, Si propter traditionem hominum Dei præcepta vel mandata contemnitis, quare discipulos meos innocentes et bene conscios reprehenditis, eo quod seniorum vestrorum instituta quasi Dei præcepta non custodiunt, cum sceleratius sit Dei negligere mandata quam traditiones hominum superfluas prætermittere? Sic namque fortissimo cuneo nodus malus dissolvitur. Sic cœlestis orator non solum sua suorumque confirmat facta, verum etiam conterit et destruit adversa, profecto, et ostendit quod semper magis sit animarum levatio, quam corporum sectanda.

Nam Deus dixit : Honora patrem tuum et matrem. Et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorabit patrem suum vel matrem. Brevitas dictionis quam sæpe in Scripturis divinis obscuritatem generat, et difficultatem intelligentiæ parit, sicut in hoc loco cum ait : *Munus quodcunque est ex me, tibi proderit.* Nam honor in divinis litteris non tam in salutationibus, et obsequiis inferendis, quam in eleemosynis **636** et muneribus ac donis seu oblationibus, servatur. Unde Paulus ait : *Honora viduas quæ vere viduæ sunt* (*I Tim.* V, 3). Necnon et alibi, probi duplicem habeant honorem, *Maxime qui laborant in verbo* Dei (*Ibid.*, 17), qui nimirum honor, donum intelligitur. Et per hoc mandatum jubemur, ut *bovi trituranti* os non alligemus (*I Cor.* IX, 9); quoniam *dignus est operarius mercede sua* (*Matth.* X, 10). Præceperat ergo Dominus imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum consideraus, ut filii honorarent patrem vel matrem, etiam in vitæ necessariis, et ministrarent parentibus suis. Hanc igitur providentissimam Dei legem volentes Scribæ et Pharisæi subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent ob avaritiam suam, et lucrum pecuniarum; qua de causa docuerunt pessimos filios, ut si quis ea quæ parentibus suis debebantur et offerre debuerant eis, in usibus necessariis Deo vovere voluisset qui verus est pater et Dominus, oblatio Domini præponeretur parentum muneribus, et irretractabilis esset oblatio, ne illorum jam ultra subveniret angustiis. Vel certe ipsi parentes si quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, tangere declinabant, sicque egestate conficiebantur. Atque ita fiebat oblatio liberorum sub occasione templi et Dei, ut in sacerdotum lucra cederet. Hæc siquidem pessima Pharisæorum traditio de alia occasione veniebat; quoniam multi habentes obligatos ære alieno, et nolentes sibi creditum reddere, delegabant sacerdotibus, ut exacta pecunia ministeriis templi et eorum usibus deserviret. Sicque docebant ut dicerent patri vel matri : Munus quodcunque est ex me Deo votis oblatum, tibi prodest, o pater, quoniam ex me pro te Deo offertur. Quibus profecto verbis callide evacuabant honorem patris, et mandata Dei transgredi faciebant pro suis concupiscentiarum lucris, nolentes attendere quod ait ipse Dominus : *Misericordiam volo magis, quam sacrificium* (*Matth.* IX, 13). Vel alio modo intelligendum ut possit habere tam brevis dictio sensum, munus quod ex me est tibi proderit, ac si diceret : Compellitis filios ut dicant parentibus suis, munus vel donum quodcunque ex me votis oblaturus eram Domino, in tuos consumo usus tibique prodest, o pater, vel o mater, ut illi timentes accipere quod Deo saltem voluntatis voto videbant mancipatum, ita ut inopem vellent magis vitam ducere, quam come-

Introdusă în format electronic de Google

dere de consecratis. **637** Quam sententiam Pater Augustinus sententiarum omnium absolutor eximius, et quæstionum investigator acerrimus, longe aliter absolvit, dicens : Munus quodcunque offers mei, ac si filius diceret ad patrem : Causa mei ad te pertinebit. Quibus verbis significabant filii jam non sibi opus esse parentum pro se oblationes, eo quod jam ad eam ætatem pervenissent, qua possent ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constituti filii, ut libere possent parentibus dicere, et cum hoc dixissent, negabant Pharisæi reos esse filios, si parentibus suis non præstarent honorem. Sed non video utrum respondeat circumstantiæ lectionis, nisi solummodo quia in *fine* parentes non honorantes, superbia culpabantur *illecti*, præceptis non obtemperantes divinis.

Hypocritæ, bene prophetavit Isaias de vobis. Idcirco hypocritæ, quia docebant dicere filios propter avaritiam : Munus quodcunque est ex me. Ubi insinuat quod vacuus est honor a mercede, si labiis tantum fiat, et non in corde. Nam tribus modis Deum honorificat, corde, opere, et sermone. Sed quia Judæi in his evanuerant propter traditiones suas, ideo a Deo et a traditionibus Dei longe erant. Et quia molesti erant Deo magis, quam religiosi, sine causa Deum colebant; in quo cultu Deus in causa non erat, dum vitia docebant in vita sua, et mandata Testamenti Dei relinquebant. Quibus ipse dixit, *Audite et intelligite.* Aures utriusque hominis requirit; quia nec recte audit intus, qui contemnit quæ Dei sunt audire foris : nec foris, ut dignum est, audit, qui intus nec intelligit quæ audit foris.

Non quod intrat in os coinquinat hominem. Hæc ideo, quia ipsi discipulos reprehendebant quod non lavarent manus. Quo verbo audito, quod dixerat, *Quod intrat in os non coinquinat hominem*, scandalizati sunt et de hoc verbo discipuli ejus dicentes, *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* Nam in hoc plurimum scandalizabantur, eo quod solveret legem Moysi. Nam ex hoc uno sermone, omnis superstitio Judaicarum observationum fuerat elisa; quoniam omnem religionem suam in cibis sumendis abominandisque arbitrabantur esse positam. Ob quam causam quia dixerat : *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, scandalizabantur, quia in hoc uno, plurima ex parte, solvebatur lex. Vel ideo scandalizati dicuntur, quod non illis, sed turbis **638** sit locutus. Porro scandalum, quia frequenter jam in nostris litteris legitur, noverit diligens lector, quia magis Græcum est quam Latinum. Nam ubi Psalmus dicit, scandalum posuerunt mihi, Græcus habet, Σκάνδαλα ἔθεντό μοι : quod nos verbum offendiculum, vel ruinam, et impactionem pedis possumus dicere. Idcirco nulli facto vel dicto ruinæ occasionem dare debemus. Et notandum, quia ubi nos habemus Quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, alii codices habent, Hoc communicat hominem. Quæ ideo dixerim, quia beatus Hieronymus, etiam hoc loco, ipsum verbum exposuit, dicens communes cibos esse, quibus omnes utuntur homines : verbi gratia, suillam carnem, ostreas, et lepores, seu istiusmodi animantia quæ non findunt ungulam nec ruminant, nec in piscibus squammas habent. Commune ergo dicitur quod cæteris patet hominibus, et in commune vescuntur, quasi qui non sunt de parte Dei, et ideo a Judæis hujusmodi cibi communes vocantur et immundi. Unde ubi unus interpres dixit : Hoc coinquinat hominem, alter : Hoc communicat hominem. Et unus idemque sensus est. Discipuli autem cum accessissent, et nuntiassent ei de hoc verbo, respondens ait eis :

Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. Mira valde et satis provida in omnibus Christi responsio, ut et discipulos doceat et instruat, et insidiantes sibi divinitus repercutiat. *Omnis enim*, inquit, *plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Quia omnis illa traditio Judæorum, unde sermo exorsus est, non a Deo Patre erat, sed superstitio hominum, pro cujus favore etiam legis præcepta transgrediebantur, et ideo hanc doctrinam eradicandam quam provide satis comminatur, ac si diceret : Propterea isti jure eradicandi sunt, quia non permanent in doctrina in qua a Deo plantati sunt, de qua dicit ipse per Isaiam prophetam : *Ego te plantavi vineam electam* (*Isa.* v, 2), sed ipsi pravitate sua decepti semen nequam ab ipso jam ultra vocantur. Sed forte quæret aliquis : Si eradicanda sit a Patre plantatio Pauli apostoli, de qua dicit (*1 Cor.* III, 6, 9), *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Nequaquam igitur hoc dixerim quia sequitur, *Deus autem incrementum dedit.* Dicit et ipse alibi : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Et in alio loco : *Dei cooperatores sumus;* si autem cooperatores, ergo plantante Paulo et superrigante Apollo Deus cum cooperatoribus **639** suis plantat et rigat; quia et ipsi non aliud quam quæ Dei sunt plantant et agunt. Sed Pharisæi non ea quæ Dei erant docebant, sed quæ hominum, et ideo quam bene Magister verus et justus, *Omnis plantatio*, inquit, *quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.* Abutuntur hoc loco qui diversos introducunt naturas, ita dicentes : Si plantatio quam non plantavit Pater, eradicabitur, ergo quam ille plantavit non potest eradicari, et ideo nemo in melius, nemo in deterius potest transplantari, sed unusquisque juxta naturam suam fructificabit. Videant igitur tales ne forte audiant illud prophetæ ex persona Domini : *Ego te plantavi in vineam electam, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ?* Plantavit eam si quidem Deus, et nemo potest eradicare plantationem ejus, quam plantavit ipse, nisi ipse tribuerit assensum in quo plantatum vel seminatum est, semen verum semen justitiæ et bonitatis; quoniam ista plantatio in voluntate proprii arbitrii est; nullusque alius eradicat eam, nisi unusquisque proprio vitio deceptus. Nam ipsam infidelitatem Judæorum plantationem appellat, quam non Pater cœlestis in eis plantaverat, sed diabolus. Et ideo alibi ad eos :

Introdusă în format electronic de Google

Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). Ex quibus profecto verbis etiam Petrus et alii discipuli commoti, quia dicebat non coinquinari hominem his cibis quos immundos lex vocat, qui per os ingrediuntur in eum; quoniam et ipsi omnino Judæi erant, qui fugiendos quarumdam carnium cibos, a pueritia, ex lege Moysi, instituta præceptorum acceperant. In quibus nimirum observationibus, se omnino justificari credebant. Et ideo curiose satis dicunt accedentes ad eum:

Scis quia Pharisæi audito verbo scandalizati sunt? Forte et ipsi nihilominus movebantur ex hoc verbo quoniam insita erat in eis longa consuetudo in observatione ciborum, ac si lex naturæ, quæ vix aut nunquam tollitur, et si mala ipsa consuetudo videatur, quanto magis illa, quæ legalibus præceptis tradita erat, et auctoritate paternarum traditionum plurimum veneranda commendabatur? Et ideo indubitanter, quia Judæos cæcos vocaverat, ducesque cæcorum, propter escas putabant omnino eum in parabolis hoc dixisse. Non enim poterant adhuc aliud rudes de escis intelligere, neque ad significationem vitæ de quorumdam carnibus animalium id præceptum æstimare, ut per eorum immunditiam mores humanos **640** lex designaret, quos Ecclesia quæ corpus est Christi in suæ unitatis vinculum stabile et sempiternum recipere non potest, tanquam immundas escas respuens, et in sua viscera non convertens. Quippe, quia illi necdum erant capaces, ut illa omnia significandæ vitæ præcepta populo carnali imposita, futuram spiritalis populi disciplinam prophetarent: et ideo etiam ipsi non possunt acquiescere sententiæ Domini; ut de his velit dicere escis, quas lex et traditio paterna immundas vocabat. Unde Petrus longe post adhuc, nesciens hujus præcepti mysteria, gloriabatur, cum juberet angelus ea quæ de cœlo ei in vase allata fuerant, *Macta et manduca:* Domine, inquit, omne immundum seu commune nunquam introivit in os meum (*Act.* x, 13). Si enim hoc loco ad plenum Apostolus de escis dictum intellexisset, omne quod intrat in os non coinquinat hominem, puto quod postea hoc audito verbo, *Macta et manduca*, nunquam tam vehementer expavesceret. Neutrum ergo intelligebat, neque quod hæc præcepta, significandæ vitæ in prophetia data essent, neque hoc loco quod de escis diceret. Et ideo ait:

Domine, edissere nobis hanc parabolam. Inviolabiliter præceptum esse credebat, quod ipse et reliqui Judæi, ut ita dicam, inviolabiliter observabant. Quæ nimirum sententia procul dubio Manichæos revincit et condemnat, qui omnes carnes abominantur et repudiant, etiam carnem hominis a Deo tenebrarum factam esse dicentes. Qui suos auditores nonnunquam tanquam adhuc immundos permittunt vesci carnibus, cum nihil aliud quam caro sint, coinquinari nefarium arbitrantur, et dicunt, quod non Dominus hæc perfectioribus, sed turbis sit locutus, *Omne quod intrat in os non coinquinat hominem.* Et ideo quasi paucioribus sanctis sibi interdicunt, quod suis perverse relaxant auditoribus. Verumtamen Dominus, non ut illi mentiuntur, sed absolute universaliter omnibus dicit et testatur, omne quod intrat in os non coinquinare hominem. Unde et et ipsos apostolos, quamvis Judæi essent, dure increpat satis. *Adhuc*, inquit, *et vos sine intellectu estis.* Ergo sine intellectu sententiæ erant, qui necdum intelligebant quæ Dominus simpliciter loquebatur. Et ideo oportet, Domino jubente, Scripturas primum diligenter audire, deinde prudenter intelligere, ut ita intelligamus singula, ut dicta sunt. Quapropter **641** Paulus, quia prudenter intellexerat, aiebat: *Nemo vos judicet in cibo vel in potu, vel in parte dici festi, aut in Neomenia, vel sabbato, quæ sunt umbra futurorum.* Quia hæc omnia vere umbra erant, idcirco removebantur jam a Domino, ut resolveretur servilis obligatio, et redderetur libertas filiorum. Neque enim lex Veteris Testamenti in talibus locis contraria est Evangelio, neque repugnat Evangelium legi, sicut ipsi Manichæi garriunt, sed adimplet et explanat quæ tegebantur in lege. Et ideo illa quæ figurate immunda dicebantur, monstrantur a Domino, per se naturaliter esse munda, quæ nec cum intrant in os coinquinant hominem. Verumtamen jubet apostolos, ne mittant margaritas suas ante porcos, volens insinuare immundos homines et sceleratos, quos significant porci. Et ideo tales, si detecti fuerint, jure abominatur Ecclesia, nec admittit quia immundi sunt in corpus suum. Ac per hoc Salvator, qui legem dedit, ait de escis et carnibus: *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Quia illi cibi per se non immundi erant, cum omnia quæ Deus creavit bona sint valde, et cum gratiarum actione utenda. Sed significatio earum in hominibus quæ nonnunquam invenitur valde immunda erat, et rejicienda ne tangeretur, neque ut in Christi admisceretur corpore. Quod audiens beatus Petrus ac si novo stupore perculsus, non potest sentire de cibis dictum ad litteram, neque potest æstimare hoc Jesum absque ratione dixisse. Idcirco primum, ac si pro Judæorum scandalo requirit de verbo, quid significare voluerit; sed cum ille contra eos dure satis respondit, adhuc ei sensus obscurior videtur, et in parabolis eum locutum fuisse credidit. Dixerat enim ac si recte intelligentibus, *Sinite illos*, inquit, *cæci sunt, et duces cæcorum.* Cæci autem erant, quia lumen scientiarum Dei videre non poterant; duces cæcorum, non ut viam Dei illis ostenderent, sed ut propter traditiones hominum, eos in foveam mortis demergerent. Hinc ergo erat quod docebant dicere filios parentibus suis: Munus quodcunque ex me tibi prodest. Porro quod ait, Sinite illos, hoc est, quod apostolos jubet ut hæreticum hominem post unam et secundam correctionem devites, sciens quod perversus sit hujuscemodi, et a semetipso damnatus. Et Salvator in hunc sensum præcepit doctores pessimos suo arbitrio dimitti, eo quod tales difficulter **642** possunt corrigi, et a

Introdusă în format electronic de Google

sensu pravitatis immutari. Sed Petrus audiens, ut dixi, quæ dicta sunt, suspicatus est in parabolis eum fuisse locutum, et ideo sic respondit : *Edissere nobis parabolam istam ;* cui ille dixit : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?* Ex quo animadvertere debemus vitiosum esse auditorem, quia ut obscura manifeste, aut manifesta obscure vult interpretari, aut intelligere, sicut in hoc loco Petrum fecisse cernimus, qui in re tam manifesta mysticam requirit intelligentiam. Tamen benignissimus Magister sententiam, de qua orta fuerat talis suspicio, adhuc explicat et dicit :

Non intelligitis quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, et in secessum mittitur ? Omnia Evangeliorum loca, fratres, apud hæreticos et perversos perfidiæ suæ doctores, plena sunt scandalis, quia ipsi sibi prætendunt laqueos, et innectunt nodos, ut subvertant doctrinam salutis et decipiant incautos. Unde et in hac sententia calumniantur quod Dominus, omnium naturarum creator, physicæ disputationis fuerit ignarus, dum putat omnes cibos in ventrem ire et in secessum mitti, eum statim escæ infusæ et absumptæ faucibus, per artus et venas ac medullas nervosque fundantur, ita ut singula membra accipiant partes suas quibus alitur et nutritur omne corpus, et universi humores in homine procreantur. Unde istiusmodi calumniatores insidiose dum volunt Salvatoris reprehendere sententiam, suam ostendunt imperitiam, quia Dominus sic loquitur, ut natura et usus vivendi est, non ut physicam doceat, sed ut homines ad cœlestem erudiat disciplinam. Quoniam ipse omnem naturam tanto amplius novit, quanto constat verum, quia ipse eam condidit et creavit. Sed tamen quamvis hujuscemodi locutio simplex esse videatur, quæramus quantam in se habeat rationis veritatem et sanæ intelligentiæ disciplinam ; nam naturæ victus sic se habet usus, ut quod in os intrat, mox ut fauces transierit, primum in ventrem vadat, sicque liquidior esca et pinguedior escæ potusque succus per omnes venas et artus se dividat, ut singuli humores, singulaque membrorum officia, suas accipiant partes. Tunc demum cum jam decocta fuerint et digesta, velit nolit adversarius (quia sic in natura ipse creator firmavit) per occultos meatus corporis quos Græci πόρους vocant, et nos aperturas possimus appellare, ad inferiora **643** dilabuntur, quamvis prius cinis ciborum decoctus insuper deinceps et ipsa caro quæ ex his nutritur, et omnes rheumatismi ad ima secedunt, cum decrescunt, nisi pauci humores, qui per suos, ut dixi, poros egeruntur. Quæ omnia in corpore humano suos secessus habent, licet eorum prius cinis et materies ad ima decocta, jam putrida atque putida, secesserit. Et ideo quam vani sint, quamque indicti qui ista reprehendunt, ipsa natura docet, et veritas dicti eos revincit. Cæterum quod ait :

Non quod in os intrat, sed quod de corde procedit coinquinat hominem. Non minor quæstio est ; quia etsi ea quæ de corde aut de ore mala exeunt, vere coinquinant hominem, ut puta cum homo bibit, aut manducat, cum per os ejus cibus sumitur aut potus immundus erit, etsi contigerit ebrius ut vomat et crapulatus fuerit, nunquid quia ore exiit non coinquinat hominem? Absurdum enim et stultum nimis est, ut tunc putemus non fieri immundum hominem, cum manducat usque ad crapulam, et inebriat se, tunc autem non putemus, quia de ore exit si vomat. Ait enim Dominus : Non quod intrat in os, sed quod exit coinquinat hominem. [Jam quod de idolothytis dici potest si manducaverit homo, Paulus apostolus solvit, quia non nisi ex conscientia coinquinatur aliquis cum manducaverit. Quoniam omnis creatura per se bona est, sed quia idolis immolata est, malum est. Nunquid hoc ita hoc loco explanabitur, ut quando manducas non sis immundus, et quando exspuis eris immundus? Aut quando quod gravius est, usque ad nauseam veneris, quia bibisti eris coinquinatus, et quia vomuisti, eris immundus ? Tamen Apostolus dicit : *Quia ebriosi regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). Et Salvator : *Videte ne graventur corda vestra in crapula* (*Luc.* XXI, 34). Quia non sic est contrarium (inquit) omni Christiano. Verum quando exspuis, quia de ore tuo exit aliquid, et quando bibisti, in os tuum intravit aliquid quo inquinaris, ita ut regnum Dei possidere non possis. Quid ergo voluit Dominus dicere : Non quod intrat in os, sed quod exit coinquinat hominem, nisi forte, quia secutus eodem loco Marcus evangelista dixit : *Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare, quia non introit in cor ejus, sed in ventrem, et in secessum exiit purgans omnes escas?* (*Matth.* VII, 18, 19.) Alioquin nisi corpus vitiosum fuisset, ut inebriaretur, **644** aut aliquid tale admitteret, utique non fieret. Et ideo non de corporis ore tantum intelligere debemus, unde exeunt mala quæ coinquinant hominem, sed magis de ore cordis. Propterea et hic Matthæus ait : *Quæ autem procedunt de ore de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.* Habet enim cor os suum, sicut et interior homo aures suas et oculos suos, quibus videat aut audiat homo quæ Dei sunt. Unde si non exierit concupiscentia et voluntas, aut assensus malæ rei, a foris, non potest intrare quod coinquinet : *Quia omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15). Hinc quoque Apostolus de idolothytis prohibet manducare, si noveris quod immolatum sit, ne forte ex conscientia sordideris, quod ex creatura, quia bona est ex se, non poteris. Sic et de omni esca et potu intelligendum est, quia non ex se sordidant hominem, sed ex vitio quia male sumuntur, sordidantur homines. Et ideo sequitur :

De corde enim exeunt cogitationes malæ, fornicationes, homicidia, furta, blasphemiæ. Hæc sunt, inquit, *quæ coinquinant hominem.* Quæ licet extrinsecus fiant, tamen de intus procedit, ut fiant. Et ideo sola voluntas prius in culpa est, deinde reatus facti in pœna, quia illa sunt quæ coinquinant hominem, quæ cordis ore exeunt. Et ne dicat aliquis, cor habetne os? audi David dicentem : *Tunc repletum est*

Introdusă în format electronic de Google

gaudio cor nostrum, et lingua nostra exsultatione (*Psal.* CXXV, 2). Alioquin os corporis quomodo impletur gaudio? Non solet ergo impleri, nisi aut cibo aut potu, aut aliqua re tali, etiam et quando eum habemus plenum loqui non possumus. Sed habemus intus os, id est in corde, unde non quidquid procedit, sed si malum est, coinquinat nos, si bonum emundat, et ideo quidquid est quod intrat in os corporis, quod non licet, aut non expedit; non illud prius, sed mens et conscientia, quæ immunda fuit, coinquinat hominem, et hæc est voluntas prava, quæ cordis ore manat. Non enim tunc primum quando loquimur, aut quando ad effectum voluntatem deducimus, nos maculat. Ne quis dicat: Quando loquimur, de ore nostro exeunt verba, quia verborum voces de ore nostro exeunt; et quando malum loquimur, tunc immundi efficimur. Quod si aliquis non loquatur, et tantum cogitet malum, mundus est, quia de ore ipsius corporis nihil processit, sed de ore cordis jam Deus illud audivit, in quo et de quo prava voluntas loquendi, aut agendi processit. Et ideo **645** juxta Domini vocem quæcunque de ore cordis mala procedunt ea communicant hominem, quia inde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Ubi Marcus plura commemorat vitiorum genera quæ de radice cordis exire testatur. Sed nec sic omnia connumeravit cordis mala. Quia nescio si terrarum spatia, aut magnitudo urbium, vel latitudo regionum tantos hostes ferre possint, totque inimicos capere, tantasque sustinere prævaleant nationes, quot vitia, quot delicta, quot crimina sæviunt et rapiunt sensus humanos, hominumque corda devastant, et diripiunt bona virtutum. Ubi novus ordo bellandi quotidie surgit, de homine contra hominem, in ipso homine, et ideo nihil quod exterius, sed quod interius est, et ab intus foras jam vitiatum venit in facto vel dicto, coinquinat hominem. Unde arguendi sunt, qui cogitationes a diabolo submitti putant, et non ex propria nasci voluntate, quoniam diabolus adjutor et incentor malarum cogitationum esse potest, actor utique esse non potest, quoniam extra est. Et ideo si per insidias foris positus, levem cogitationum nostrarum scintillam exploraverit prius, deinde inflammaverit, non debemus opinari eum cordis occulta rimari posse, sed ex corporis habitu, seu motibus explorare vel æstimare, quid versemus intrinsecus. Et ideo incentor est omnium malorum, et non auctor, instigator et non repressor. Porro quod ait benignissimus Salvator: *Quia de corde exeunt cogitationes malæ*, naturarum omnium formator et creator insinuat animæ nostræ principale non secundum Platonem in cerebro esse, sed juxta veritatem in corde, quod medium est animantis. Et ideo de medio, quasi de puncto circuli, resplendent radii luminis, et totum quasi in supernis, cerebrum ac si cœlum, luminaria quæ cordis fonte circumfulserint, illuminant et illustrant. Tanto lucidius a natura caput, quanto sanius; et tanto splendidius a gratia, quanto fuerit cor divinitus cœlesti illustratum sapientia.

Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis, quæ urbes proximæ mari erant. Quinimo Tyrus insula maris proxima a Circeo terræ Judææ. *Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa.* Novis quidem et magnis informamur mysteriis per omnem textum sancti Evangelii, quoniam quicunque Jesum sequitur, nunc **646** cœlos penetrat, nunc ima descendit, nunc mystica et nova penetrat sacramenta. Ubi etiam et ipsa diversa curationum genera, diversos causarum complectuntur effectus. Sed res atque sermo, ex superioribus ordinem sumit. Nam exprobrata infidelitate Pharisæorum et cæcitate damnata, quoniam cæci erant et duces cæcorum, venit post hæc ad regiones Tyri et Sidonis, ut nova de miraculo præmonstraret mysteria, et esset res ad fidem præstruendam mirabilis, et virtus sacramenti ad demonstrandum majora valde sublimis. Quoniam erat in specie generalis gestorum exhibitio, et salus gentium in hoc facto, ipsaque jam repromissio. Et ideo egreditur Salvator a Judæis, et venit ad fines Tyri et Sidonis. Deinde mulier illa Chananæa et ipsa egressa est a finibus suis. O mysterium! Ecce cæcitas ex parte in Israel facta est, ut omnis multitudo gentium salva fieret. Idcirco jam ex causa Salvator reliquit Judæos, et mulier illa quæ est Ecclesia de gentibus, reliquit idololatriam Et egressa de finibus suis clamat atque orat post Dominum, et filium David confitetur quem supra Scribæ et Pharisæi negarunt. Idcirco non immerito illi perdiderunt, quem ista invenit, quoniam isti negarunt eum quem ista confitetur. Sed mira dispensatio Dei, necdum egreditur a finibus Judææ, ne illis ullam daret occasionem calumniandi, sed tamen offert se illis ut Tyrios Sidoniosque curaret. Unde egressa mulier de finibus pristinis, ut clamans impetret filiæ sanitatem. Sed mira omnipotentis Dei providentia, ut singulæ res singulis suis divinitus administratæ respondeant sacramentis. Ecce mulier occurrit de gentibus, et filia ipsius quinto décimo curatur loco, ut acciperet in parte remissionis suæ septem, nec non et octo, sicque ad cultum transiret Novi Testamenti, sed non priusquam exiret de finibus suis, et veniret ad Christum. Cujus nimirum fidem Marcus et Matthæus extollunt, et prædicant. Commendant prudentiam credulitatis ejus, magnificant ardorem. Sed Marcus ex hoc facto non parvam nobis generat quæstionem; dicit enim ita: *Egressus inde Jesus abiit in partibus Syriæ et Sidonis. Et ingressus domum, neminem scire voluit, et non potuit latere* (*Marc.* VII, 24). Quod nemo sine admiratione potest legere, quia dicunt voluit, et non potuit. Nam velle et non posse non est divinæ majestatis, quinimo infirmitatis est humanæ; scriptum est enim: *Omnia* **647** *quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV, 6). Et Apostolus: *Voluntati ejus quis resistit?* (*Rom.* IX, 19.) Succumbit ergo necessitati, quæ non est libera et abso-

Introdusă în format electronic de Google

luta voluntas, et minorat dominantis arbitrium, voluntasque sustinet aliquantarum difficultatum angustias. Leprosus ille jam longe supra præmissus, dicit : *Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* VIII, 2). Et Evangelista dicit : *Voluit et non potuit.* Quod absque mysterio dictum esse non credo. Idcirco quid sit, voluit, et quid sit, non potuit, diligentius requiramus. Quoniam Christus Judæis olim repromissus, memor promissionis suæ, venerat in salutem. Unde et dicebat : *Non sum missus nisi ad oves domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Sed ipsi propria feritate bestiis sæviores, obfirmaverunt laniare et perimere suum semper pastorem magis quam fide suscipere. Et ideo Christus implere non poterat, ut maneret occultus apud Judæos quasi in domo, non impossibilitate sua, sed pro nequitia proditorum. Ideo quod aliis detulerat, aliis cogebatur conferre, dicente ipso : *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Fecit ergo hæc mulier in sacramento Ecclesiæ vim cum adhuc lateret in domo juxta Marcum evangelistam, quia accessit ad eum continuo ut audivit, ut fide gentium, dispensative satis raperet hæreditatem patris, et transiret ipsa, quamvis canis vocata sit in sortem filiorum. Et ideo quia voluit Judæos, quibus venit, salvare, non potuit, sed ipsi se indignos fecerunt æternæ vitæ, non potuit latere ne gentes hanc salutem diriperent quia sic in dispensatione Dei provisum erat, ut ad eos primum veniret, deinde ad gentes, cum eum a se ipsi repellerent. Unde signanter Marcus ait : *Quia erat gentilis Syrophœnissa, et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus* (*Marc.* VII, 26). Qui dixit ei :

Sinite prius saturari filios : non enim bonum est sumere panem filiorum et mittere canibus. At vero Matthæus dicit, quia non respondit ei verbum. Ex quo ostenditur, quia prius hæc mulier juxta Marcum in domum venit, et exclamavit : *Miserere mei, Domine, fili David.* Deinde in via, imo per omnem viam, nunc ante, nunc retro hoc proclamans. Sed quia ei primum non respondit verbum, non de supercilio Pharisæorum fuit, nec de superbia, sed ne ipse sententiæ suæ videretur esse contrarius, per quam jusserat, *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* X, 5), nolebat occasionem calumniantibus dare, perfectamque salutem **648** gentium passionis suæ et resurrectionis tempore volens reservare. Sed illa nihilominus cessat clamare in via : *Miserere mei, Domine, fili David.* Utramque igitur naturam in Christo confitetur, cum et Dominum eum vocat, et filium David proclamat. Interea ubi didicerit hanc fidem mulier de gente Chananæorum, quam ipsi Pharisæi et Scribæ negabant, quærendum censeo. Nulli dubium, quod hæc est fides catholica, ut Jesus Christus, unus idemque Deus et homo intelligatur et adoretur. Quid est ergo quod ipsa mulier gentilis et Chananæa, non erudita in lege, neque inter proselytos adhuc forte connumerata, sic confitetur? Unde habuit ut divinitatem in homine deprehenderet, eumque ipsum hominem Filium Dei olim repromissum intelligeret? Si dixerimus quod ex traditione Judæorum, inter quos forte tributaria vivebat, revincit nos Evangelium, quod tunc primum dicit ad famam Jesu de finibus suis eam egressam. Quæ nisi egressa esset, non puto quod hanc confessionis vocem emitteret. Unde fateor, quia ideo illa egreditur ut Salvatorem inveniret, quoniam ipse prius eam illustraverat et quæsierat. Quæsierat autem eam quando venit in partes Tyri et Sidonis, ut in specie genus præsagiret, cujus figuram et formam ista tenebat, et ideo fides Ecclesiæ jam nulla præfulgebat.

Tunc accedentes discipuli ejus, rogabant eum dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos. Diversis ex causis discipuli pro hac Dominum interpellant. Forte quia adhuc mysteria Salvatoris minus intelligebant. Ideo durum eis visum est, quod ad tam deprecatorias voces longe jamdiu nullum responsum daret; aut forte propter tædium tanti clamoris, seu quia misericordia moti succurrere cupiebant miseræ mulieri, vel pro amore piissimi Magistri, ne quasi cuipiam durus videretur, imo ut misericors fieret, exorabant. Quibus clemens Dominus :

Non sum missus, inquit, *nisi ad oves perditas domus Israel.* Et quid est, benignissime Salvator, quod ais ; Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel? Nonne tu alibi dicis : *Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere* (*Joan.* X, 16.) Quid est, inquam, quod negas? Nonne ista de his ovibus est, quas te oportet adducere? Et ecce modo devota et fidelis venit, teque confitetur et Dominum adorat, filium quoque David te asserit esse, **649** sicuti repromissus es, quid est quod eam repellis? Vel quid est salus mundi quod filiæ salutem negas? Prorsus non absque mysterio est quod agis. Unde datur intelligi quod arcanum est, et paternæ voluntatis sacramentum, ut absolute pateat quod typum teneat Ecclesiæ hæc mulier Chananæa, dum deposcit quod aliis offertur. Non quod et gentibus solus impartienda non esset, sed suis Dominus, quia in sua venerat, primum salutem impartiri gaudet, quatenus ab his primum; quibus et de quibus erat ortus, primitias fidei acciperet. Sic demum per suos apostolos, et sanctos prædicatores ad gentes transiret, salusque una omnibus esset. Sed præfata mulier non cessat, non frangitur; et quia interpellaverat chorum apostolorum, quamvis non impetraverint, rursus ipsa inclamando perseverat.

Cui Dominus : Non est bonum panem sumere filiorum et mittere canibus. Quia dare panem canibus etsi humanitatis non est, humanæ tamen rationis est. Et qu'a quibus repromissus est panis vitæ, tollere non est bonum illis accipere nolentibus; rursus qui eum quærunt et petunt cum fide, illis negare non est æquum. Et ideo ad hoc differt pius Dominus, ut custodiat sacramentum patris, et ne tollat quibus est repromissa salus. Sed illis oblatam eam, sibi non recipientibus, demum ordo fuit, ut se transferret ad gentes, et adducat eas oves ad gregem apostolorum, quæ non

Introdusă în format electronic de Google

sunt ex hoc ovili. Defertur honor Israel olim promissus, ne frustratus videretur indebite, ac negatus. Sed affectus beniguissimi Dei in se invidiam potius accumulat Judæorum atque odium, quam pietatis effectum. Interea Chananæa mulier jam per fidem salvata, interioris scientiam mysterii habens, non solum non refugit se canem vocari, verum proponit humilius catellos nonnunquam de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, quam frequenter edere. Sicque opprobrium sibi illatum vertit efficaciter in supplicationis suæ blandimentum. Nec refugit Judæos intelligere dominos, quibus Chananæorum a Domino fuerat attributa potestas, et se suosque jure canes esse vocatos. Sed quia illi oblatum panem conculcare scelus, non ad vitam sumere sunt conati, propterea rogat supplex toto desiderio ut vel micas liceat lambere more catulorum, quia B hoc non est tollere panem filiorum et mittere canibus, præsertim quia multoties eis allatus, repulsus est et oblatus satis studiose conculcatus, attributus **650** quamvis se ingesserit, tamen nunquam est receptus. Hinc est, fratres, quod hæc mulier, fide Christi jam imbuta, tam efficaciter respondet, tamque humiliter. Et ideo quæ se canem confessa est, tandem commutatur in hominem, et illi oblatrantes contra Dominum vertuntur in canes, de quibus dicitur per Prophetam : *Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me* (*Psal.* XXI. 17). Et hoc quam juste susceperunt vocabulum, quia filii Dei esse noluerunt. Hinc est quod jam supra dixi vera justitia Dei, propter quam nec Judæis dare potuit promissa sua, nec gentibus denegare. Et ideo exclamans C Salvator dicit : *O mulier, magna est fides tua!* Ut intelligeremus longe diu silentium Domini et abnegatio ex ratione temporis fuisse, et non ex voluntatis difficultate venisse. Unde rogo perpendat prudens lector quod sæpe moneo, ne in Dei operibus æstimet aliquis talia et hujusmodi, fortuito contigisse, sed sic dispensatius a Domino sunt præparata, ut et fidei incitamenta essent in miraculis, et amplior in toto ex his prædicaretur operatio Deitatis in doctrinis. Nam hæc mulier, ut sæpe dictum est, formam commendat Ecclesiæ. Et ideo perfecta jam fide instructa venit ad Dominum, quem non cessat confiteri Deum et hominem ac deprecari pro filia ut ab hoste liberaretur maligno. Quod Ecclesia facere non D cessat, pro his ex ea qui regenerantur in Christo. Tamen quia dictum est : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19), quam patientissime hæc omnia pertulerit, quamque longanimiter perseveravit in rogando, probat Evangelicus sermo et Domini responsio. Sed et humilitas ejus quanta fuerit, quantaque admirabilis sapientia quæ Deum sic deprehendit in homine, et hominem rursus assumptum in Deum, ut Deus et homo unus sit Christus, unaque persona unus Dei Filius adoretur, unusque hominis filius : *Non in confusione substantiæ, sed unitate personæ*. Quam sane fidem sic laudat Dominus : *O mulier, magna est fides tua!* Et non qualiscunque, sed magna. In qua renascitur omnis anima, ut filia possit esse Ecclesiæ. Et ideo dicitur ei a Domino : *Fiat tibi sicut vis*, ut in tua sit voluntate ac potestate sanitas filiæ. *Sic quoque quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). *Unde et sana facta est filia ejus ex illa hora*. Unde non sunt audiendi qui dicunt pueros necdum idoneos ut credere possint, in baptismo alterius fide non posse salvari. Et notandum quia ad puerum centurionis, et ad filiam hujus, in quibus magna prædicatur fides, per se Christus ut sanentur, **651** non venit, sed e longinquo sanari jubentur, ut ostendat Dominum non solum tactu, verum etiam verbo et voluntate posse salvare omnes. In quibus profecto maxime salutem gentium designat, ad quos ipse per se non venit, sed in verbo fidei omnes curantur et liberantur ut filia mulieris, ab omni dominatu immundorum spirituum in ablutione salutis. Unde continuo facti fides sequitur, dum mox in monte obsessi vario genere morborum a turbis Domino offeruntur, id est a credentibus infideles, ægrotique ut adorent et procidant, instruuntur : sed non prius quam in montem ascendat. Ait enim ita Evangelista :

Cum transiret inde Jesus, venit secus mare Galilææ, et ascendens in montem sedebat ibi. Quia de hoc sæculo ascendit ad Patrem. *Et tunc accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum multos mutos, cæcos et claudos, debiles et alios multos projecerunt ad pedes ejus, et curavit eos omnes*. Nam in eo loco ubi latinus interpres transtulit *debiles*, in Græco habet κύλλους quod non generale debilitatis, sed unius infirmitatis est nomen, quem nos vulgo *mancum* possumus dicere. Sed quia proprietas hujus verbi, in nostra non exprimitur lingua, maluit interpres debiles dicere, quam male non proprio interpretari verbo. Quod autem Jesus ascendit in montem, quasi terrenos provocat ad volandum pullos suos, ut altiora semper appetant, quoniam ipse de altissimis sedibus, eos omnes qui infirmantur, et ad fidem redeunt, curare non cessat. Sed postquam curantur, ne in via deficiant, miseretur eorum Dominus tantum, ut ad montana conscendant. Unde signanter ait :

Convocatis discipulis suis ait illis : Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducent, et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Tenet ordinem cursus operandi, et docet mystica in eisdem operibus, dum succedit virtutum opus. Nam in filia Chananææ fides gentium præparatur, deinde debilitates ac morbi jam de monte per eamdem fidem a Domino curantur, sicque cibi, ne deficiant post languores, more ægrotantium, offeruntur, quoniam in omnibus his forma est Ecclesiæ. Unde ex consequentibus earum rerum intelligentia accipit auctoritatem, ne in via præsentis vitæ propter inediam deficiant. Hinc ergo est quod pius benignus Dominus convocat discipulos suos, cum quibus, init consilium de refectione plebis, ut in nullo essent inscii **652** quæ facturus erat. Et hoc agit ut magistris ecclesiarum futuris exemplum præbeat

Introdusă în format electronic de Google

quotiescunque aliqua præcipua agenda sunt, ut cum minoribus et discipulis suis communicent consilia sua, sicut Dominus ex confabulatione ut commendetur facti ratio, et concordiæ societas ; necnon ut ex difficultate intelligant signi magnitudinem, et sint ministri tanti sacramenti, ac socii in dispensatione salutis. *Misereor*, inquit, *turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducent.* Consideranda est igitur in hac lectione, sicut et in omni textu sancti Evangelii, in uno eodemque Redemptore nostro, gemina ac distincta operatio Divinitatis atque humanitatis, ut in utroque opere veritas commendetur humanitatis ejus atque divinitatis. Sicque error Eutichetis qui unam tantum operationem in Christo dogmatizare præsumit, condemnetur. Quis enim non videat benignissimus Jesus quod *misereatur* turbæ, quod colloquitur discipulis, ne vel inedia vel longioris viæ labore, turba deficiat, affectum esse vel compassionem humanæ fragilitatis? Quod vero de septem panibus et paucis piscibus quatuor hominum millia saturavit, divinæ opus esse virtutis? Et quod majus est, ista ita in omnibus temperentur miraculis, dictis et factis, ut et veritas facti commendetur in miraculo quasi in specie, et sacramentum prædicetur opere divinitatis in genere. Qua de causa rogo intelligat catholicus auditor, quid est quod omnipotens Deus, non amplius quam secundo de panibus hoc fecerit miraculum, ut turbas pasceret, et reliquiæ superarent. Non enim impotens erat, ut amplius non posset si vellet; sed ratio exegit ne plus aut minus faceret in specie, propter fidem commovendam ad tempus, quam facit in omni tempore, propter doctrinam universum genus humanum ad instruendum per gratiam. Quoniam non nisi duas leges instituit, quibus eruditur et pascitur omnis anima fidelis ad vitam, Vetus scilicet et Novum Testamentum in quibus et de quibus vivit omnis anima : *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei* (*Matth.* IV, 4). Hæc quippe gemina refectio Deum prædicat, qui non amplius aut minus se præbuit in miraculo, quam se exhibuit in Novo aut Veteri Testamento. Duasque istas statuit leges, unam earum priori præbens populo, alteram vero dedit populo, quem redemit sanguine suo, sicque has duas semel et secundo pro miraculo præbuit pastiones : una earum **653** de qua jam supra tractavimus, typum tenuit prioris legis, ista vero de qua nunc loquimur, sicut suis demonstrabitur differentiis, figuram exprimit Novi Testamenti, in quo Christi gratia commendatur. Et ideo bene de septem panibus facta est hæc refectio ; quoniam in septem Spiritus sancti donis totius Ecclesiæ satietas et gratia præstatur. Propterea ad Novi Testamenti recte intelligitur pertinere. Non enim aliquis evangelistarum dixit quod isti panes, hordeacei fuerint, sicut de illis quinque dictum est : sed magis triticei fuisse creduntur, ut eo alatur Christi Ecclesia grano frumenti, quod cadens in terra mortuum fuit, deinde multum fructum attulit. Pro qua ipse Dominus misericordia motus, eo quod jam triduo cum eo perseverantes, nec habebant quod manducarent. Procul dubio gentes quia legem non habebant, id est, quinque libros Moysi, nec prophetas, nec prædicationem alicujus sanctorum, sed per solam fidem venerunt primum ad Christum, et ideo quam bene jam triduo cum eo perseverant dum in nativitate ejus et passione ac resurrectione recte credunt, et perseverant etiam in fide Christi cum ipso jam triduo, cum in Patre credunt, et in ipso Filio ejus et in Spiritu sancto, et permanent in confessione Trinitatis, sicut Salvator ait : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Et hoc est dicere : Non habent quod manducent, quia legem non habent, nec verbum prædicationis, sine quo nemo vivit. *Et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Ut qui per fidem Christum crediderant, verbo fidei deinceps alerentur in salutem. Ordo igitur idem est in sermone Domini, qui et in consequenda gratia manet. Unde et hodie, venturi ad baptismum, prius confitentur se credere in Filium Dei, et in passione ac resurrectione ejus, et huic professionis sacramento fides redditur. Atque ut hanc verborum sponsionem quædam ipsarum rerum veritas consequatur, toto in jejuniis passionis Dominicæ tempore demorantes, quadam Domino compassionis societate junguntur; ac per hoc sive sponsionis sacramenti, sive jejunio, omne illud passionis Dominicæ cum Domino agunt tempus. Quibus Dominus misertus ait, jam *triduo* secum esse, quos ne in cursu vitæ sæcularis, id est in opere præsentis sæculi defectio labefactaret, vult cibo suo eos alere, atque ad pergendum totius initeris fortitudinem, **654** panis sui virtute firmare. Sed minor valde quid sit quod apostoli supra solliciti esse dicuntur post jejunium unius diei de refectione plebis, et rogant quia desertus erat locus, et hora præterierat ut dimittat Jesus turbas ire ad vicina loca et castella, quo possint sibi emere escas. Hic autem jam triduo perdurante populo et laborante cum Domino in concursu, nihil tale dicunt, sed silent, et fit de pane causatio, quod non sint unde isti possint saturari. Quapropter gestorum causa, nec immerito rationem quærit, unde videtur mihi quod refectio illa salutem demonstrabat Israeliticæ plebis, et mensuram æternæ satietatis eorum qui salvandi erant. Ideo favor fuerit apostolorum, ut salutem gentis suæ quærerent, sicut et Jonam fecisse legimus. Cæterum gentibus nulla ex lege salus, neque ex prophetis, sed per solam Christi gratiam, septem eis primum parantur panes, et franguntur; ut Spiritus sancti gratia alantur gratis, donisque cœlestibus nutriantur. Ad quas, quia necdum missi erant prædicare, sed potius ad oves perditas domus Israel, propterea de his non solum tacent, verum etiam causantur et dicunt : *Unde istos poterit quis saturare panibus in solitudine?* (*Marc.* VIII, 4.) Alioquin nisi in mysterio hoc dictum esset, incredulitas apostolorum valde culpanda erat, quia etsi non aliunde, ex priori saltem miraculo de

Introdusă în format electronic de Google

quinque panibus recordari, et scire poterant, quod Deo nihil impossibile erat. Sed tandiu forte eos incredulitas tenuit, et oblivio facti, ne recordarentur quod fecerit de quinque panibus, et duobus piscibus, donec mysteria complerentur gestorum. Nam in priori signo, quia quinque sensibus adhuc qui pascuntur, tantummodo utebantur, et sensibus vicini erant carnalibus, non ipse Dominus recordatur in uno saltem laborantes die, sed discipuli, quia adhuc sub pædagogo erant legis, unde vicina vespere et inclinante jam sole, quia amplius non poterant sustinere pro eis deprecantur, quasi pro imperfectis. Hic autem ipse Dominus recordatur eorum, et misereri dicitur, causasque miserationis exponit: *Quia triduo*, inquit, *perseverant mecum, et jejunos dimittere eos nolo, ne deficiant in via.* Infelices Judæi, qui adhuc hodie hoc triduum non agunt cum Deo, nec perseverant in his quæ Dei sunt, quia in Trinitate deitatis nolunt credere, neque nativitatem Christi, **655** passionem ac resurrectionem confiteri; quanquam et hoc triduum alii aliter interpretari velint. Dicunt enim quod tertius dies esset, ex quo ei jejuni adhæsissent. Quia in toto sæculo generis humani tertium tempus erat, quando fidei Christianæ gratia data est. Primum scilicet ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Et quoniam quartum adhuc restat, quo ad plenissimam pacem Hierusalem venturi sumus, quo tendit quisquis recte credit in Christum, propterea se dicit turbam illam reficere Dominus, *ne deficiant in via.* Quia hæc dispensatio, qua nobis Dominus in carne apparere dignatus est, nihil aliud agit, nisi ut ad palmam supernæ vocationis sine defectu venire possimus. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Unde apostolus Paulus nondum se dicit apprehendisse quod perfectum est, sed ea quæ retro sunt oblitum, et ad ea quæ ante sunt extentum. Secundum intentionem, inquit, persequor ad palmam *supernæ vocationis* (*Philip.* III, 14). Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulamus, ut quia tertio die Domino adhærentes sumus, et ab illo pasti non deficiamus. Et ait illis Jesus

Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem. Hæc interrogatio Domini, non de ignorantia venit, sed ex dispensatione divina, ut apostoli non remanerent dubii de his quæ perceperant donis, quoniam magistri erant futuri Ecclesiarum, scirentque quæ in Christo perceperant; quia in ipso erant juxta Isaiam prophetam hæc septem dona, in quibus pascenda erat omnis Ecclesia sub quadrato numero in Christo jam collecta vel colligenda. *Et requiescet*, inquit, *super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2, 3). Ad cujus profecto numerum, totidem provisi, ex industria magis Dei, quam ex eventu, et præparati sunt panes; ut discerent apostoli se habere ex gratia quod non habuerant per naturam, in quibus erat omnis satietas plebis. Et notandum quod supra quinque panes, hic septem offeruntur; illic duo pisces tantum, hic indefinitus, sub paucitatis tamen significatione, numerus ponitur; illic quinque millia virorum juxta Pentatheucum, hic quatuor juxta Evangelium; illic duodecim cophini, hic septem sportæ replentur; illi accubuerunt super fenum, isti supra solidam terram; illi diem tantum unum **656** faciunt cum Christo, isti triduo perseverant irremoti. Hinc superius de quibusdam puto jam satis esse tractatum, et omnia secundum personam populi congruenter esse subjecta, signavi. Nunc quoque competenter ratio poscit, quæ omissa sunt, singularum rerum causas paucis explere, ut singulæ mensæ cui congruant plebi luce clarius patescat. Nam quatuor millia ideo populo Novi Testamenti comparantur, quia hic ordo sub quatuor Evangeliis degere probatur, et a quatuor plagis cœli in unitate Ecclesiæ colligitur. Qui numerus semper in laude ponitur, quia quadratus lapis non fluctuat, nec est instabilis. Et per hunc plane numerum multitudo innumerabilium ex quatuor partibus congregata figuratur, ipsaque multitudo quatuor virtutibus, ut subsistat, solidatur. Quo sane numero etiam ipsum Evangelium ut firmum permaneat, quadrato numero solidatur, et in soliditate unitatis perfectissime conquadratur, ne ullis vacillet temporibus. Porro pauci pisces, et non duo sicut supra, hi sunt qui primum de falsis gurgitibus hujus sæculi capti, per fidem Domino adhæserunt, et in ejus nomine juncti sunt, et missi ad prædicationem Evangelii, ut pro ipso magno pisce, id est, pro Christo, legatione fungerentur, ut in eorum condimento animæ fidelium satiarentur, ne ullum fastidium plebs invalida sustineret. Seu indefinitus piscium numerus, diversorum donorum et charismatum partitiones ministrationesque significat, quibus fides gentium gratiarum diversitate satiatur.

Et præcepit turbæ ut discumberent super terram. Prior turba quinque panibus pasta super fenum viride discubuit, nunc ubi septem panibus reficiuntur super terram discumbere jubentur, quia per Scripturam legis carnis desideria calcare, et comprimere jubemur, quia omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni: in Novo autem Testamento, ipsam terram ac facultates temporales relinquere præcipimur. Uterque tamen populus ad montana ducitur. Sed ibi celsitudo propter carnales homines Jerusalem terrenam carnali spe et desiderio exaltatur, hic remota omni facultate carnali convivas Novi Testamenti spei permanentis ad altiora educere curavit, ac firmare soliditate incorruptionis. Et ideo tanquam in ipsius montis Christi soliditate locati, nullo feno interposito emolliebantur, **657** sed sola æternitate incorruptionis reficiebantur. Et ideo post cæcitates, post claudicationes, post debilitates innumeras, quia jam triduo cum Domino permanserant propter curationes et sanitates diversarum infirmitatum, de manu Domini reficiuntur officio apostolorum, ut ad ea perveniant quandoque; quia grandis eis juxta angeli vocem restat via.

Et accipiens, inquit, *septem panes, gratias agens,*

Introdusă în format electronic de Google

fregit, ac dabat discipulis suis ut apponerent. Et apposuerunt turbæ. Quia hæc omnia divina sacramenta, per manus apostolorum distribuenda erant Ecclesiis. Sed benignissimus Jesus prius gratias egit Deo Patri pro salute credentium, deinde benedixit panes, ut in ejus benedictione crescerent; ac fregit, quia nisi eos prius frangeret, nemo erat qui aperiret divina mysteria, et reseraret a sæculis abscondita sacramenta. Quis enim manifestaret Filium Patris? Aut quis Patrem cognosceret nisi Filius? Cum ipse dicat: *Nemo novit Filium, nisi* ipse *Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Ipse est enim panis vitæ, qui de cœlo descendit. Et quis hunc panem per se nobis demonstraret, vel quomodo nos ad interiora ejus cernenda penetrare potuissemus, nisi aperiret ipse nobis septem signacula libri signati? In quo libro procul dubio septem isti panes signati erant, et ideo longe diu propheta plorans dicebat: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV, 4). Quod est aliis verbis dicere, indocti et ineruditi quæsierunt cibum verbi divini quo possent ad virtutem boni operis convalescere, et refici divinis eloquiis, nec erat qui eis arcana Scripturarum aperiret, eosque ad viam veritatis instrueret. Acceptis igitur Dominus panibus, gratias egit, ut nos instrueret ad gratiarum actiones Deo Patri, suaque suffragia implorare, et ut ipse quantum gaudeat de salute humani generis, ostendat. Idcirco et nos ad implorandam gratiam, etiam et referendam, instructi esse debemus, ut quidquid beneficiorum ejus percipimus, gratias agamus ei indefessis laudibus.

Manducaverunt, inquit, *et saturati sunt*. Hoc quippe a sæculo per David prophetam prædictum fuerat: *Edent pauperes et saturabuntur; et laudabunt Dominum qui requirunt eum, et vivent corda eorum in sæculum sæculi* (*Psal.* XXI, 27). Ergo quia isti requisierunt invenerunt, et quia invenerunt triduo permanserunt: et quia **658** triduo permanserunt, misertus eorum est, et saturati sunt: et quoniam saturati sunt, *Vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Sed quantum isti beati qui tali recreantur edulio, et saturantur divinis dapibus, tantum infelices qui manducant, et non saturantur; qui panem verbi, quo vivit homo, audiunt et degustant, sed non fide atque opere perficiunt quæ audiunt, nihilque ex his internæ dulcedinis percipiunt, quo cor eorum firmetur ut permaneant. Profecto, non dicam hi tales, quia de longe venerunt, sed quia longe fuerunt a salute, et alieni a gratia. Nam quidam eorum qui salvantur, et satiantur donis cœlestibus, de longe venerunt; quidam vero, sicut Nathanael, et plurimi in quibus dolus non erat, de proximo. Tamen omnes qui venerunt per fidem nisi recesserint a peccato, languescunt, et ut ita dicam, mortui sunt, quia longe est a peccatoribus salus.

Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas. Profecto quia turba in via posita ad cumedendi finem pervenire non potuit, ideo relictæ sunt escæ. Sed apostolorum chorus atque doctorum reliquiarum fragmenta perire non est passus, sed impleverunt mirabili sacramento septem sportas, quæ sunt septem Ecclesiæ, in quibus universalitas designatur, septemque candelabra lucentia coram Domino divino lumine illustrata. Quoniam pusillis cum majoribus satiatis, non deerunt in Ecclesia Christi, una cum apostolis, qui hæc altiora perfectionis præcepta, vel potius exhortamenta et consilium compleant, et recondant in vasis suis, quæ generalis fidelium multitudo non potest sensu capere, nec operibus explere. Unde bene septem sportæ quibus Dominicorum sunt condita ciborum fragmenta memorantur, propter septiformem Ecclesiam, quæ et ipsa ob septiformem Spiritus sancti gratiam, septenario numero generaliter consecratur; quæ bene reliquiis Dominici prandii repleta cognoscitur, et saturata esse narratur, quia totum in culmine perficitur, quod latitudo deorsum carnalium non capit. Tamen omnes admodum saturati memorantur; quia si sunt in Ecclesia qui sua omnia relinquere non possunt, neque explere quod de virginibus dicitur, tamen juxta modum suum unusquisque satiatur, dum quod intelligit, et suus ordo poposcit, implere festinat, ut ad vitam perveniat sempiternam.

659 *Et dimissa turba*, inquit, *ascendit in naviculam.* Quæ non dimittitur, nisi satiata et repleta. Tamen omnibus diebus vitæ nostræ, nobiscum manet. Unde et signanter navem, quæ est Ecclesia, ascendit, de qua et in qua credentium plebem ipse gubernat et regit, ne pasta deficiat inter fluctus, ne erudita oberret inter auras linguarum, ne vegetata frangatur longo itinere, ne etiam appulsa impellatur ventis, ne sæviente charybdi naufragetur turbinibus. *Et venit in fines Magedan.* Pro quo in Marco legimus Dalmanutha. Sed quia unus ordo narrationis est in utrisque Evangelistis, idcirco non dubitandum eumdem locum esse sub utroque nomine. Nam et nonnulli codices similiter habent secundum Marcum Magedam, quamvis in Græco sit Magdalan.

(CAP. XVI.) *Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes, et rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis.* O quam duricordes! Signa quærunt, quasi quæ viderant opera Deitatis signa non fuerint. Sed quid quærant ostendit Evangelista cum ait: Et rogaverunt ut signum de cœlo ostenderet eis. Quærebant ergo signum de cœlo, ut jam supra, aut in morem Eliæ, ignem de sublimi venire, aut in similitudinem Samuelis, æstivo tempore tonitrua concrepare, coruscare fulgura, imbres ruere, de quibus etiam supra dictum est, quasi non possent ista, et alia hujuscemodi calumniari ac dicere, ex occultis et variis aeris passionibus accidisse. Qua de causa sensus patet, quod non ob aliud de cœlo quærunt signum ut credant, sed ut ea quæ secundo facta sunt de panibus, evacuent. Quanquam et in Evangelio Joannis monstretur eos post hoc miracu-

Introdusă în format electronic de Google

lum de panibus, quæsisse ut manna more Moysi de cœlo eis daret. Dicit enim Joannes eos ita dixisse : *Quid ergo tu facis ut videamus et credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlis dedit eis manducare* (*Joan.* VI, 30, 31). Ac si dicerent, ut qui multa millia hominum secundo pavisti in deserto paucis de panibus, fac in exemplum Moysi nobis manna venire de cœlo, ut credamus tibi. Et hoc vere non de puritate fidei dixerunt, sicut nec patres eorum, quando dicebant : *Nunquid panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* (*Psal.* LXXVII, 19.) Quæ nimirum vox, non de credulitate venit, sicut nec istorum, sed de infidelitate et duritia cordis ut calumnientur et evacuent quæ facta sunt a Domino, ne credentes salvi fiant. **660** *At ille respondens ait illis.* Porro in Marco habetur quod ingemiscens spiritu dixerit : *Generatio mala et adultera*, prætermissis in medio quæ Matthæus commemorat, quoniam sicut supra turbam credentem cœlestibus beneficiis refecturus, gratias agebat; ita nunc ob stultam Pharisæorum non credentium perfidiam, et tentationis callidam fraudis petitionem, gemit et contristatur. Quibus ait :

Facto vespere, dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum; et male : Hodie tempestas erit, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire? Hoc apud plerosque codices non habetur. Sed sensus manifestus est, etiam apud gentiles; unde Virgilius canit :

> Sol quoque exoriens, et cum se condet in undas,
> Signa dabit; solem certissima signa sequentur.
> Et quæ mane refert, et quæ surgentibus astris.
> Denique quid vesper serus vehat, unde serenas
> Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster
> Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
> Audeat.

Constat igitur verum, quod ex elementorum ordine atque ex consonantia rerum, possint et sereni dies et pluviales quam sæpe prænosci. Et ideo increpantur Pharisæi et Scribæ, qui videbantur legis esse doctores, quod ex certiore prophetico vaticinio non poterant intelligere Salvatoris adventum, de quo dictum erat : *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram, orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis* (*Psal.* LXXI, 6). Quæ nimirum aperta et manifesta signa fuerunt, quibus deprehendi posset tempus adventus ejus. Idcirco increpantur, quod tempora ex aeris qualitate nossent dijudicare, et deprehendere sibi utilia, utilia vero salutis suæ non intenderent nec intelligerent, signa adventus Dei e cœlo in carne. Ex quibus profecto verbis, mirabilis Dei responsio commendatur in omnibus; quia illa humilitatem in Christo carnis et corporis contuentes, doctrinam ex his quæ sub habitu hominis gerebat dedignabantur accipere, quorum insolentiam et inanitatem jactantiæ irridens, multa eos de natura cœli conjicere solere respondit, cum aut ex ortu auroræ, aut ex vespere, serenum nimbosumque aerem prænuntient. Quibus ita præscitis et præcognitis valde stultisssimum docet eos ignorare adventus sui signa, **661** cum omnis lex et prophetæ hunc annuntiaverunt esse venturum, et quando venturus esset, vel quomodo, prædixerunt; necnon et operum quæ gerebat, indicia cum omni admiratione, jam eum perhibebant venisse. Ita ut quemadmodum fidem tempestatis cœli rubor matutini temporis vel vespertini reddit : ita manifestam temporum cognitionem, virtutum atque operum, indicium sui adventus præstare deberent, si cæci non essent. Et mira comparatio. Quia facto vespere sanguine passionis Christi in primo adventu, peccatorum indulgentia datur; et mane hodie tempestas valida secundi adventus. Rutilat enim triste cœlum. Nam primus adventus ejus bene vesperi comparatur, quia in fine sæculi fuit. Unde licet rubeat ut rosa Christi sanguine purpuratus, tamen serenus valde fuit. Porro in secundo cum venerit quasi mane erit, sed tunc licet cœlum rubeat aut rutilet, non serenum sed tempestas erit, profecto quia rubor ille non de sanguine, sed ex igne erit. Quoniam sicut in psalmo canitur : *Ignis ante ipsum præcedet* (*Psal.* XCVI, 3), *et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 4); quod Græce hoc loco significantius dicitur πυρράζει, quod nos ignitum possimus appellare; quia omnis illa tunc rutilatio de igne erit. *Faciem ergo cœli*, inquit, *dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire?* Hæc nimirum vox increpantis, vel exprobrantis est, quia signa et prophetias de adventu suo primo, vel de passione ac resurrectione, cui simile roseum cœlum esse dicitur vespere, non potuerint vel noluerint cognoscere. Neque rursus de tribulatione ante adventum suum futurum diligentius cogitare, cui simile est mane roseum ac triste cœlum, ex quo et quando tempestas futura prædicatur. Perpendat fidelis animus quam digna omni admiratione Domini responsio sit, quam vera, quam fortis in revincendo, quam prudens in docendo, ut quemadmodum fidem tempestatis cœli matutini vel vesperi rubor reddit : ita manifestam temporum cognitionem virtutum atque operum miracula, seu indicia Scripturarum præstare deberent. Quibus, ut ita dicam, ineffabiliter ita responsum temperavit, ut ipse ortus e cœlo signum his non cœleste, sed terrestre daret ut eos misericorditer intra confessionem humilitatis retraheret, et quod futurum erat lege de se pronuntiatum doceret.

Generatio mala et adultera signum **662** *quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* Ergo si non essent adulteri, fidem Abrahæ, de quo nati erant, servarent. Sed quia in apostasiam corruerant a fide, adulteri erant. Unde propheta : *Pater tuus*, inquit, *Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI, 3), quibus se signum dare repromittit, non qualecunque, sed olim a Deo in figura ipsius, magnum et mirabile promissum. Quia sicut Jonas in prædicatione pœnitentiæ ad Ninivitas missus est : pari specie de se Christus totum exhibuit, ut veritas

Introdusă în format electronic de Google

adimpleret signum. Nam omne signum alicujus rei signum est, quo signatur res occulta latens, vel futura. Ideirco recte passio Christi signum Jonæ dicitur, non quod aliud jam præsignet aut præfiguret passio Christi, sed quia signi Jonæ est adimpletio. Quæ species apud Grammaticos notissima est, ut dicatur signum res quæ jam nihil ultra de se signat, sed quia signi formam olim promissam in se repræsentat. Nam Jonas ventis sævientibus projectus in mare est, et devoratus a ceto vel bestia, et post triduum de abysso ac de ventre bestiæ vivus emissus est, et non retentus a ceto, neque in abysso consumptus, nec cibi conditione in ventre confectus, sed contra humani corporis naturam, integer et illæsus in auras superas virtute Dominicæ præfigurationis post triduum evasit. Hoc ergo potestatis suæ signum Christus de se constitutum demonstrat, et se impleturum, ut præfiguratum est, repromittit. Quod vel inefficaciter perpendat pius animus, et prudenter intelligat mirabile sacramentum et omnipotentia plenum. In prophetia tunc promissum est, et in Christo mirabilius nunc completum. Quoniam ipse est qui relictis Judæis, per se Ninivitas, id est omnes gentes, venit prædicare ad pœnitentiam, et salvare in salutem. Ipse est qui sua morte ventos mitigat, et tempestates placat. Ipse qui sæculi judicio traditus est, et ab hominibus dijudicatus. Ita ut Caiphas, quasi in sorte dicat : *Expedit ut unus homo moriatur, ne tota gens pereat* (*Joan.* XI, 50). Unde devoratus et deglutitus a morte, projectus est, ita ut usque ad inferna quasi in profundum abyssi descenderet, totumque eum abyssus vallaret. Et non dico quod draco ille qui est in mari, et formatus est ad illudendum, eum absorbuerit, ut in suum trajiceret corpus, sed ut perimeret illæsum, nesciens quod non esset ei datus ad victum, sed ut vivus et victor remearet ad superos de **663** sepulcro, et ut daretur indicium, quod Jonas in ejus venisset præconium, mox post triduum ex abysso de morte, contra conditionem hominis, quem assumpserat, non retentus atque incorruptus emersit, ac vivus. Propterea quia ejus mors et habitus plena sunt virtutum miraculis, et signorum sacramentis, voluit de se intelligi futurum, quod promissum erat ad exemplum, ut eo amplius cognosceretur ex prophetiæ signo, quo signum rursus reformabatur in hominis exemplo. *Tunc relictis illis, abiit.* Non sicut locis aliis dicitur, dimissis turbis abiit, sed relictis, ut aliquam differentiam faceret in negotio. Quia infidelitatis error insolentium animos obdurarat, idcirco non dimisisse eos dicitur, sed reliquisse.

Et cum venisset trans fretum, obliti sunt discipuli ejus panes accipere. Qui dixit illis : Intuemini et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum. Quod autem obliti sunt panes tollere, et quod eis præcepit cavere a fermento Pharisæorum, res in causa est, quia per hanc occasionem docet non solum apostolos, verum etiam et nos, quid significent quinque panes et septem, necnon et quinque millia hominum, et quatuor millia quæ pasta sunt in eremo. Quia quamvis magnitudo signorum perspicua sit et mirabilis, tamen longe altius et mirabilius aliud spiritali intelligentia demonstrant. Unde docet quod fermentum Pharisæorum et Sadducæorum non corporalem panem, ut apostoli æstimarunt, sed traditiones perversas, et hæretica significat dogmata, sicut et cibus quo nutriti sunt filii Israel in eremo veram doctrinam, et panem, Christum, qui de cœlo descendit, significat. Sed jure quæritur, Quomodo panes non habuerint secum, qui mox ut impleverant septem sportas, ascenderunt in naviculam, et venerunt in fines Magedan, ibique audiunt navigantes, quod cavere debeant a fermento Pharisæorum et Sadducæorum ; quos denique panes cur secum non habuerint, Evangelista dicit, quia obliti sunt, inquit, eos tollere. Sed quomodo eorum potuerunt oblivisci, sola divina dispensatio videtur esse in causa. Et ideo eis proponit proverbium de fermento, ut inde venirent ipsi et nos ad geminæ pastionis intelligentiam. Et ex hoc fermenti dicto, quia apostoli aliud cogitabant quod panes non acceperint, absoluta est omnis obscuritas hujus mysterii et declarata Deitas, quæ sola cogitationes hominum novit. Quod **664** autem abstinere apostolos jubet, ne admisceantur doctrinæ Judæorum, omnipotenter docet, circumspecte lateque intelligendum quia omnis legis opera in effectum fidei posita sunt, et in præformatione rerum futurarum constituta, ut in quorumcunque tempora seu ætates, veritas claresceret signorum, nihil jam ultra in veritatis similitudine aut spei positum adumbraretur aliquid, et æstimaretur superstitio Judæorum seu deuterosis verum quippiam promittere. Et ideo magnum est documentum omni Ecclesiæ catholicæ, ut caveat se ab omni quod extra Christum et extra legem spiritalem est; ne veritas Evangelicæ legis in aliquo corrumpatur. Sed si forte fragilitas aut oblivio humana subrepserit, ut septem sportas aliquis secum sumere prætermiserit, caveat ne similis eorum efficiatur, ut obliviscatur beneficiorum Dei. Quinimo audiat benignissimum Jesum increpantem et docentem; quoniam omnino oblivio donorum Dei fugienda est. Et si contigerit, recordari oportet doctrinarum Dei de quinque et septem panibus ; quoniam qui de his tot millia satiavit hominum, potens est et recreare, non ex panibus tantum, verum et ex doctrina æternæ refectionis, quibuscunque ad tempus in navi, aut in via, oblivio subrepserit, ita si obtulerit ea, quæ pro delicto oblivionis in lege jubentur. Sed quia longam jamdiu viam cucurrimus, et latiores circuivimus campos, non est nobis amplius in his immorandum, ne prolixa oratio, ne accurata lectio, fastidientibus non placeat, et laborantibus ac volentibus discere, impediat; quia sæpe importuna narratio loquentis patientiam fatigat audientis. Idcirco monere lectorem meum debeo, ne partem parabolarum benignissimi Dei surdus audiat, quia de his dictum est : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI, 15). Ne cu-

Introdusă în format electronic de Google

rationes Dei ingratus recipiat, ne ad convivia geminæ refectionis fastidiosus veniat, ne pro filia intercessor indevotus accedat. Unde gravissimam ac simplicem disputationem nostram nemo despiciat, quoniam nulla in nostro sermone est ambitio laudis, nulla pompa vani eloquii : nihil quod festivum resplendeat, nisi sola intelligentia : nihil quod puerile resonet lubricum, vel quod ferveat, juventutis. Et, ut credo et opto, nihil quod senile jure derideatur, quia jam mihi nulla plumea levitas placet, nulla lactea ubertas et infantilis delectat. Nam litterarum studia humanarum **665** jam olim omisi, et ideo nunc nihil de alienigenis studiis captiosum neque ornatum traho sermonem; quia non adulterinam desidero doctrinam, neque populi amicam exclamantis vocem. Ideo, fratres mei, ut in principio proposueram, quia oratio nostra non habet fucatam pulchritudinem, habeat, oro, naturalem intus virorem et imaginis suæ veritatem, ut caput suum nullis verborum floribus coronet, sed sola et simplici fulciatur intelligentia. Et secuti sumus Jesum per ineffabilia parabolarum documenta, et virtutum miracula. Respiremus paululum, ut ad ea quæ restant pertractanda, infatigabiles regrediamur, si quomodo primum beati Petri fidem a Deo Patre inspiratam percipiamus.

PRÆFATIO LIBRI OCTAVI

Notum est omnibus, etiam qui sæculares litteras legunt, plus esse sectandam sapientiam maxime divinam, quam eloquentiam humanam; quoniam, sicut ait Cicero, totius sæculi eloquentiæ rex et magister, si quis omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriæ civis alitur. Qui vero, inquit, ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda, sed pro his propugnare possit, is mihi videtur suis et publicis rationibus utilissimus. Unde et mihi licet non habeam tantam loquendi facundiam, quia intelligentia ex parte divinarum Scripturarum præstita est, nemo me, quæso, reprehendat, quia volui fratribus, quibus me totum debeo, in hoc negotio deservire, et fugaces sententiarum sensus, saltem his qui minus intelligunt, eorum ad incitanda ingenia, litteris alligare. Siquidem simplici eloquio, quia omnino sic magis decet, quam artificioso ingenio, quæ divina sunt, enodare decrevi. Ne vendibilis magis culparetur oratio, quam utilis et proficua legentibus probaretur. Maxime in processu sermonis id servandum, ubi non caro et sanguis aliquid operatur, neque eruditio humana valet, sed Patris infusio, qui per semetipsum proprium Filium suum beatissimo Petro revelavit in carne, et docuit arcana **666** sacramenti sui mysteria, quæ nunquam lingua potuit reserare humana, neque intelligendi formam rationemque mortalibus præstare, quæ præstita sunt principi apostolorum, ut plenissime cognosceret in uno eodemque Christo quod semper Dei Patris Filius fuerit, et semper jus Patris in eo nomenque manserit. Hæc est autem vera et inviolabilis fides ex Deo Patre Petro data, ne si non semper Filius, non semper et Pater fuerit. In qua fide profecto omnis Ecclesia fundata et constabilita consistit, Deum Dei Filium credens, cui est de Patris æternitate cum eo una æternitas, unaque virtus, et una potestas. Hanc igitur fidem non eloquentia humana docuit, non philosophia sæcularis, non facundia sermonis, non ullius artis disciplina. Et ideo stultum est in ea parte sermonis suasoria sententiarum verba depromere, ubi totum divina inspiratio operatur; quamvis cavere debeamus ne bonis et sanctissimis documentis amara et venenata dulcedo misceatur, quoniam valde absoluta et plana est beati Petri de Christo confessio, ut nulli liceat aberrare a fide, neque declinare a vero. Unde post declaratam majestatem Christi volens divina sapientia apostolos introducere ad sacramenta redemptionis humanæ, cœpit eis ostendere, nunc ejus passiones, nunc eos ipsos apostolos et omnes electos per easdem passiones et mortificationes carnis, ire debere post Christum. Donec rursus redeat ad consueta operationis suæ miracula, elaborat divina virtus ut eum omnes intelligant Deum verum et hominem et passibilem et immortalem. Suisque, ut ita loquar, utens argumentis, non in humana sapientia persuasibilibus verbis, nec secundum introductiones dialecticæ artis, quas Græci Isagogas vocant, sed miro et ineffabili modo introducit ad se, nunc inspirationibus ad divina intelligenda, nunc quæ humanitatis ejus sunt demonstranda, nunc se venturum repromittens in gloria Patris; deinde se glorificatum ostendit in monte, et sic novo genere, ut ita loquar, agendi et dicendi procurat ut eum intelligant vere quinam sit unus et singularis, vel quid sit, aut cur venerit. Ut videant, credant et cognoscant mysteria redemptionis humanæ, sicque eum sequendo ut ad eum perveniant, beniguissimus magister invitat.

667 LIBER OCTAVUS.

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis? Magna et evidens est intelligentia de Christo, quam commendant Evangelistæ, et

Introdusă în format electronic de Google

ideo locum describit quo facta sit ista interrogatio, et reddita tanta talisque et tam admirabilis responsio. De quo sane loco, quia multi disputaverunt, superfluum duxi aliquid dicere, vel diu loqui. Quia non opus est, nisi solummodo, ut dixi, quod Evangelista nunquam locum et tempus describeret, si non magna et eximia forent, quæ in his locis dicta vel gesta sunt, de quibus et ipse narraturus erat. Interrogavit autem Jesus eo in loco discipulos suos ita dicens : *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Quidquid igitur de illo quilibet sensisset, non aliud quam de Filio hominis interrogat, quem eum esse dicerent. Quia profecto vult introducere discipulos, quidquid alii senserint, primum ad fidem, ut ipsum eumdemque Filium hominis, Dei Filium vere sentiant, credant et intelligant, et non (sicut vetus error noviter repullulasse et veteres cineres removisse doluimus) ut unum et ipsum Christum in duas divideret personas, diceretque humanitatem Christi per adoptionem in Deum esse, et Verbum Patris quod caro factum est, verum confiterentur Filium. Sicque duas naturas in Christo duos dogmatizabat filios, duasque personas fingebat. Cum hic de Filio hominis solummodo ipse interrogat, et Petrus ad interrogata de hoc ipso respondit :

Tu es, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Nihilque interponens et nihil discernens de unitate personæ, sed totum quod est in Christo verum Dei Filium confitetur. Nec mirum si erravit iste de quo diximus, quia homo erat; sicut erraverunt et illi qui eum aut Joannem dicebant propter Herodis fallaciam, aut Eliam, quia venturus adhuc esse creditur, aut Jeremiam, propter quod ad eum dixerat Deus : *Ecce constitui te super gentes et regna* (*Jer.* I, 10), eradicare et demoliri, et perdere, rursus reædificare et plantare. Quæ nimirum omnia de errore **668** veniebant, quia homines erant, et ideo his omissis transeamus ad alia, quoniam plus ædificat fides, quæ Petro revelata est, quam locus in quo hæc interrogatio proposita est, et relictis etiam erroribus de Christo, et opinionibus singulorum, ne otiosum videamur protendere tractatum, ad apostolorum interrogationem, qua interrogantur a Christo, veniamus.

Vos ergo, inquit, *quem me esse dicitis?* Ac si diceret benignus Magister, quia illi tantum homines de Filio hominis ut homines male sentiunt : *Quia omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 11), vos qui plus estis quam homines, quem me esse creditis? Hoc quippe ex consequentibus textuque sermonis a Domino ostensum est, quod apostoli nequaquam homines, sed dii jure sint appellati. Cum enim dixisset : *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, mox subjecit : Vos ergo, quasi diceret : Quia dii estis, quem me esse testamini? Vel, Quem me æstimatis? Attende, prudens lector, quam mira et stupenda interrogatio. Nam coram oculis eorum nihil aliud ipse quam homo apparebat, etiam se esse Filium hominis, quod vere erat, dicebat, et tamen ab eis aliud requirebat. Idcirco nequaquam dixerim quod de se requisierit illud quod ipse confessus est, quod coram oculis, et in eodem loco erat quod manu palpari poterat; sed occultum erat de quo quærebat, in quo et usque ad quid fundamenta Ecclesiæ jacienda erant, et fides omnium commendanda. Unde mirabilis omnium et inaudita responsio beati Petri emicuit, ut totum quod erat in Domino cerneret, et quod in Christo, qui Deus erat, videret. Nec hominem, qui loquebatur cum eo, denegavit esse hominem, quem cernebat præsentem : et tamen ultra, sine dilatione, quam ullus eorum confitebatur : *Tu es*, inquit, *Filius Dei vivi*. Deum vivum forte appellat in comparatione eorum deorum qui putabantur dii, sed mortui erant, et non sunt nisi idolorum portenta. Propterea et beatus Petrus plus quam homo erat, quia ultra hominem sapiebat; qui cum Dei Filium in hominem videret, ultra humanos oculos vidit et intellexit. Et ideo ab ipso Domino laudatus est, quia non id quod ex carne et sanguine erat, tantum intendit, sed Dei Filium etiam in Patris revelatione conspiciens, in una eademque persona confessus est. Neque enim dixit, inte est verus Dei Filius, sicut Verbum erat in prophetis, ut alius esset hominis, et alius Dei Filius; sed mox ut ait, **669** *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, sine ulla dilatione aut interpositione confessus est qui loquebatur ei Filius hominis, *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Utique juxta Joannem, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Est ergo Filius Dei, Deus ex Deo, et homo ex homine, unus in utroque plenus gratiæ et veritatis. Accepit namque nascendo hoc quod non erat, et natum est Verbum quod semper in Patre erat, atque ita filius æternus natus est, quia in eo non aliud natum est quam quod æternum est. Hunc igitur assumpsisse corpus quod erat in propatulo, et hominem factum, perfecta beati Petri confessio est et absoluta; quia sicut æternitas, naturæ nostræ corpus accepit, ita cognoscendum est naturam corporis nostri æternitatis assumere potuisse virtutem. Unde quia in fide ista, summum bonum consistit valde per necessarium, a discipulis requirit, quem se homines esse dicerent? et adjecit : Filium hominis? Hæc enim firmissime confessionis tenenda est ratio, et prædicanda fides, ut sicut Dei Filium, ita et filium hominis in una eademque persona credamus et adoremus Deum; quia alterum sine altero nihil specie tribuit ad salutem. Porro quod Petrus prior præ omnibus respondit, prioratus officii est, et ardor fidei nimius, ut unitas commendetur Ecclesiæ, et fides teneatur omnium apostolorum, ac si in capite uno : *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Habes in hoc exemplo totam Trinitatem, et veram confessionem catholicæ veritatis, ubi Deus Pater prædicatur, et Filius Dei vivi, unctus a Spiritu sancto, et intelligatur una virtus, una natura, una cooperatio Trinitatis. Porro quod addidit Dei, excellentius est, quam ut comparationem capiat cum his qui non sunt dii. Verum quod majus est, etiam et cum his qui aliquid esse videntur ex gratia, quo-

Introdusă în format electronic de Google

niam secundum eminentiam qua supereminet omnibus habentibus in se vitam Deus vivus dicitur; quia non accidens ei vita est, sicut nec filio ejus qui ex eo vita natus est. Et ideo a quo habet ut vita sit, ab ipso apostolo Petro revelatum est quod Patris Filius sit. *Et sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in seipso* (*Joan.* v, 26). Ac per hoc vita filius, Dei Patris vivi Filius est. Quæ confessio procul dubio, sicut æternam habet remunerationem, ita et beatitudinis præmium. Hinc ei dicitur :

Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus **670** *qui in cœlis est.* Beatus qui in thesauris Dei introivit, beata et confessio quæ de thesauris Dei hausta est, quoniam beatitudinis affert præmium. Unde et beatus dicitur ex prædestinatione et ex dono gratiæ, quam necdum habebat jure, dum satanas increpatur, dum negat, et alia quamplurima, quæ infirmitate carnis salutem operabantur. Beatitudo tamen firma manet ei, in eo, *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* (*Rom.* IV, 17). Sed quare hæc beatitudo, reciproca vice, ei reddatur a Christo, causa est ipsius confessio; causa vero confessionis ejus, ex dono et gratia est. Ut sit Deus Pater qui revelat Filium suum, in causa, et Filius qui revelatur, causa nostræ salutis; Spiritus vero sanctus amborum Patris videlicet et Filii donum per quem revelatur Filius. Unde et Petro : *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-Jona.* Quare ? quia non revelavit tibi ista caro et sanguis, quæ ex patre aut matre, sed Pater qui in cœlis est. Et quod caro et sanguis revelare non potuit, Spiritus sancti gratia revelatum est. Hinc ergo Petrus et ex confessione sortitur vocabulum, eo quod revelationem ex Spiritu sancto habuit, cujus et Filius appellandus est. Nam Spiritus sanctus Hebræa lingua feminino genere *Ruha* dicitur, nec inconvenienter, quoniam ex eo, aut ex ea, ut ita Latine loquar, omnis renascitur Ecclesia. Siquidem in lingua nostra Bar *filius*, Jona *columba* interpretatur, ut ex toto *filius columbæ* dicatur; quamvis alii simpliciter id accipiant, ut Simon Petrus filius Joannis juxta carnem intelligatur. secundum alterius loci interrogationem : *Simon Joannis, diligis me ?* (*Joan.* XXI.) Et volunt id scriptoris vitio depravatum, ut pro *Bar Joanna*, corrupte *Bar-Jona* legatur, inde detracta syllaba. Joanna autem interpretatur *Domini gratia*, Jona vero, ut dixi, *columba.* Sed utrumque nomen mystice intelligi potest, ita ut et columba Spiritum sanctum, et gratiam Deique donum significet spiritale illud quod ait : *Quia caro et sanguis non revelavit tibi.* Apostolicæ narrationi compara quæ ait : *Continuo non acquievi carni et sanguini* (*Gal.* I, 16), carnem ibi et sanguinem Judæos signans. Unde ostenditur quod ei non per doctrinam Pharisæorum, sed per Dei gratiam Christus Dei Filius ei revelatus sit. Et ut verius fatear, neque ab homine, neque per hominem, hanc habuit gratiam, neque ullis humanis sensibus, hanc didicit doctrinam, quoniam sicut : *Nemo novit Filium nisi Pater,* **671** sic, *nemo Patrem nisi Filius, et cui voluerit* eum *Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Ac per hoc sicut revelat solus Filius Patrem per Spiritum sanctum, ita et Pater Filium per eumdem Spiritum sanctum.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quod si volueris, lector, singula verba opponere et conjungere prioribus verbis, invenies miræ responsionis eloquium. Ac si diceret : Quia tu mihi dixisti : *Tu es Christus, et ego dico tibi, quia tu es Petrus;* deinde : *Filius Dei vivi*, et ego dico, quia tu es Bar-Jona, id est, filius columbæ ; ut et ipse Petrus per gratiam sancti Spiritus Filius Dei intelligatur. Unde cum magno gravitatis pondere cogitandum et legendum est quod ait : *Et ego dico tibi.* Ac si patenter dicat, non sermone casso et nullum habente effectum operis, sed dico tibi ego, cujus dixisse, fecisse est, quia verbum meum omnipotentia plenum est; *Quia tu es Petrus*, quod a petra derivatum est nomen, id est, a me super quem ædificatur omnis Ecclesia. Non enim, ut quidam male putant, Petrus fundamentum totius Ecclesiæ est : *Quia fundamentum nemo aliud potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Licet super eodem fundamento primus, ac si caput Petrus recte positus credatur, tamen in ea petra, de qua nomen sibi ex dono traxit, et super eam tota construitur et constabilitur illa cœlestis Jerusalem, id est, supra Christum, ut firma permaneat in sempiternum. De cujus nimirum firmitate prior Abraham in Veteri Testamento firmatus et consolidatus in ipso legitur; deinde Petrus in novo, ut in eorum fide omnis repromissio firma maneat in Christo. Nec igitur mirum si Petrus a petra dictus est, eo quod firmus futurus erat per Spiritum sanctum firmitate fidei, cum et lux mundi dicuntur esse, a lumine quod est Christus. Est igitur commune nomen, ut aiunt, inter Syriam et Hebræam Latinamque linguam. Et notandum quod non hic primum ei hoc impositum est nomen, sed longe supra juxta Joannem ubi adduxit eum Andreas ad Christum. *Tu es*, inquit, *Simon Joannis, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*Joan.* I, 42). Et non dixit, tu vocaberis Petrus, quo jam vocatus erat nomine, sed ait signanter : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, a qua petra factus es, *ædificabo Ecclesiam meam.* Non quod jam, ut dixi, tam firmus esset, sed quod futurum erat ut fieret a Christo, *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ* **672** *sunt* (*Rom.* IV, 17). Et per Spiritum sanctum ita firmaretur : *Ut neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura posset eum separare a charitate quæ est in Christo* (*Rom.* VIII, 38, 39). Et ideo nondum beatus erat in re, sed tantummodo in prædestinatione Dei, a quo non qualis tunc erat, sed qualis futurus erat amabatur a Domino. Nam et Nathanael, *in quo dolus non* erat, teste Domino, pene eamdem prior confessionem tenuit cum ait : *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel* (*Joan.* I,

Introdusă în format electronic de Google

47-49). Sed ille adhuc interrogantis affectu ac dubitantis, videtur quærere magis quam firmare, et hoc ipsum quia visus est sub ficu. Petrus autem talem ac tantam expressit de corde confessionem, ut ejus confessio sit omnium apostolorum. Et sicut simul omnes interrogantur, ita in eo omnium est responsio una, supra quam fundatur Ecclesia, et contra quam portæ inferorum non prævalebunt. Quia seu dicas contra hanc fidem eas non prævalere, seu dicas contra Ecclesiam, quæ hac fide supra Christum fundata est, et firmatur, unum est, eo quod nec fundamentum dissolvitur, nec fides talis tantaque infirmatur, nec Ecclesia inter innumeras aurarum tempestates, nec ventorum impulsionibus subvertitur.

Sed tanta fides non nisi de revelatione Dei Patris, et inspiratione Spiritus sancti, nascitur, ut Petrus quisque qui hanc habuerit fidem a firmitate petræ dicatur, non carne et sanguine revelante, sed Deo illuminante, ita ut cum Apostolo : *Conversatio nostra in cœlis* sit (*Philip.* III, 20). *Quod si secundum carnem* et sanguinem vivimus, et confitemur Jesum Christum Filium Dei vivi, ut puta dogma hujusmodi suscipientes a parentibus traditum nobis, tunc forte Pater non revelavit nobis, sed caro et sanguis (*Rom.* VIII, 13). Propterea nec stabiles sumus in fide ipsius, nec firmi sicut Petrus, et ideo nec beatitudinem reportamus, nec similem benedictionis gratiam. Et notandum quod tantum petra est unusquisque fidelium, quantum imitator est Christi, et tantum lux, quantum illuminatus a luce. Ac per hoc tantum Ecclesia Christi super eos fundatur, quantum et ipsi firmantur a Christo. Unde non super uno Petro, verum super omnes apostolos apostolorumque successores Ecclesia Dei ædificatur; unde David : *Fundamenta ejus*, inquit, *in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1). Sed ipsi montes super montem **673** Christum ædificantur prius. Deinde et mons Christus ultra omnes montes et colles elevatur. Quod autem repromittit, quia *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, vel sicut nonnulli codices habent; non prævalebunt ei; recte quæritur, cui ei? vel, adversus quam? Utrum adversus petram supra quam ædificatur Ecclesia Dei, aut ei Ecclesiæ non prævalebunt quam ædificat Christus supra petram? Quia id non exprimit manifeste, tamen indubitanter credendum est, quia nec adversus petram, supra quam ædificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam quæ ædificatur supra hujusmodi petram. Alioquin adversus quem portæ prævaluerint inferorum, ille neque petra dicendus est supra quam a Christo ædificatur Ecclesia, neque Ecclesia quæ super petram ædificatur. Quoniam si ædificaretur super petram, licet flumina inundaverint, venti flaverint, teste Christo, non cadit quisquam, quia fundatus est supra petram. Novimus quia portæ inferorum vitia sunt et peccata; nam unumquodque peccatum per quod descenditur ad inferos, porta est inferorum, et ideo omnis anima quæ contrahit adversus se, in A se, peccatum, neque petra est super quam ædificat Christus Ecclesia, neque Ecclesia est, neque pars Ecclesiæ quam Christus ædificat supra petram, quia prævaluit ei porta inferni. Et ideo dum hic vivitur, elaborandum est ne prævaleat aliqua nobis porta inferni; quia si prævaluerit, non in Ecclesia neque pars Ecclesiæ sumus. Hinc est quod ait Apostolus : *Quoniam qui talia* et talia *agunt*, quæ dinumerat, *regnum Dei non consequentur* (*Gal.* v, 22). Et Dominus inquit : *Contendite intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII, 24). Quia sicut sunt portæ inferorum vitia et peccata, ita sunt portæ justitiæ, virtutes, per quas intrant justi in requiem. Unde David canit Domino : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntient omnes laudationes tuas in portis Sion* (*Psal.* IX, 14). Per quas nimirum portas pervenitur feliciter ad illam unam portam, de qua ipse rogat : *Aperite*, inquit, *mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino* (*Psal.* CXVII, 19). Deinde addidit **674** illam unam portam, quæ Christus est : *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam* (*Ibid.*, 20). Cum sint ergo multæ et innumerabiles portæ inferorum, nulla earum prævalet contra eum, quia aut, ut petra est, aut Ecclesia ædificata supra petram.

Idcirco jugiter orandum est : *Ne quando dicat inimicus, prævalui adversus eum* (*Psal.* XII, 5). Quia tunc vere prævalet, si vicerit usque in finem, ut porta nos absorbeat peccati, ne nos jam ultra resurgere ad virtutes, aut vincere possimus peccatum. Et ideo fortassis non prævalebunt, de futuro dixit, et non de præsenti, quia rari sunt in quibus post perceptam gratiam aliqua eorum non prævaleat porta peccati. Etiam, ut ita fatear, nec ipse Petrus fuit, quamvis jam magis ex prædestinatione Dei beatus esse dicatur, contra quem non prævaluerit dum negavit; sed non defecit a fide. Idcirco tandem aliquando vere conversus per gratiam Spiritus sancti, deinde contra ipsum nihil jam ultra prævaluit, dum victor in fine claruit.

Et tibi dabo, inquit, *claves regni cœlorum*. Competenter igitur primum promissum est, quod ei non prævaleant portæ inferorum, et postea, *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Dignus enim est ab eo ipso Verbo accipere claves regni cœlorum, qui obstruxerit portas inferorum, ut non prævaleant adversus eum. Quasi præmium enim post firmitatem fidei et fortitudinem victoriarum, in secundo loco dantur claves regni cœlorum ei qui potuerit virtutibus obstruere portas inferorum, ut ipse sibi aperiat portas regni cœlorum, quæ clausæ sunt eis qui vincuntur a vitiis, et portis concluduntur inferorum. Omnis namque species virtutum cum ex corde fuerit adimpleta, quasi ipsa clavis regni videtur, ita ut inveniatur eadem virtus et clavis esse portæ simul et porta per quam introitur ad regnum. Idcirco nec immerito tot dicuntur claves, quot fuerint habitæ virtutes. Præsertim quia unaquæque virtus quam sæpe et simul omnes virtutes regnum cœlorum di-

Introdusă în format electronic de Google

cuntur; et propterea qui eas habuerit secundum quas vivit, videtur esse in regno cœlorum et in civitate virtutum, **675** contra quas inferni leges et tartarorum portæ, et omnia mortis claustra dissolventur, et aperientur januæ vitæ. Sequitur :

Et quodcunque ligaveris supra terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Quæso unusquisque circumstantiam lectionis hujus diligenter intendat, maxime tamen episcopi, quibus videtur cum Petro et cum omnibus apostolis hæc potestas specialius a Domino attributa, licet et omni Ecclesiæ eadem sit concessa; quoniam qui hanc sibi vult vindicare gratiam, debet infirmitatem Petri in petra tenere, fidemque moribus et voce prædicare, deinde claves regni quas dixi habere, easdemque claves non a se, sed a Domino, et per Dominum, quasi cœlestis janitor custodire. Alias autem nisi judicia ejus maneant firma in Christo, quasi Deo judicante per ipsum, timendum ne contra ipsum qui ligat aut solvit, prævaleant portæ inferorum, si injuste judicat, et non secundum Dei verbum. Adversus quem autem portæ inferorum non prævaluerint, ipse juste judicat, quia claves regni a Domino jam perceptas secum portat. Propter quod et aperit eis qui soluti fuerint super terram, ut sint soluti et liberi in cœlis. Et claudit eis, qui justo judicio ejus ligati fuerint super terram, ut sint quasi ligati in cœlo et judicati; et ideo, quasi, dixi, quia non in cœlis erunt, sed inde repulsi cœleste secum judicium portabunt ad inferos, si juste ligati fuerint. Et ideo formidolosa utrisque incumbit necessitas; et qui judicat ac ligat, ne forte injuste liget aut solvat; et qui judicatur ac ligatur, ne forte ligatus aut judicatus juste, hinc antequam solvatur, exeat. Verumtamen ovibus Christi, quolibet modo liget pastor, semper timenda ac reverenda est sententia pastoris, ne forte culpam quam non contraxit ex facto incurrat præ contemptu. Cæterum quamvis eis ligandi solvendique maneat potestas, nisi juste ligaverint aut solverint (ut cum eorum pace loquar qui ligant aut solvunt), ridiculum est cogitare, aut sentire, et periculosius facere, ut is qui in vinculis peccatorum suorum ligatus est, et constringitur pœnaliter, propter hoc solum, quia episcopus dicitur **676** habere hujusmodi potestatem, ut ab eo soluti, sint soluti et in cœlis; aut ligati in terris, sint ligati et in cœlis, hoc est, in cœlorum judicio. Absit ergo hoc ab illo senatu cœlorum, ut secundum motum animi superbientis aut irascentis cujuslibet, et ipsi injuste ligent aut solvant coram oculis summi judicis omnia circumspicientis. Quinimo magis timendum, ne forte incurrat judicium judex vitæ alienæ, quia Veritas omnibus dixit : *In quocunque judicio judicaveritis, judicabimini* (*Matth.* VII, 2). Et ideo cavendum, maxime tamen qui in divinis judicant rebus, eo quod apud Dominum non sententia sacerdotum tantum, verum et reorum vita quæritur. Nam et in Levitico de leprosis, ubi jubetur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote jubetur ut immundi fiant; non quod sacerdos leprosos mundos faciat aut immundos, sed quod habeat notitiam leprosi et non leprosi, et possit discernere qui mundi sint, quive immundi. Quomodo ergo ibi sacerdos mundum facit aut immundum, sic et hic alligat vel solvit episcopus vel presbyter, non eos qui noxii sunt, vel innoxii, suo arbitrio, sed pontificalis officio cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandi sint, quive solvendi. Et si quispiam secus præsumpserit, non de justitia et vero venit, sed de fastu et præsumptione Pharisæorum, quia non sunt ad hoc missi, ut disperdant et occidant, sed ut colligant et salvent eos etiam qui ceciderint.

Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse est Christus. Quoniam alios spiritus sui esse testes oportebat quam apostolos, legem videlicet et prophetas. Resurrectionis autem suæ testimonium, proprium est apostolorum. Et ideo non antea quam tunc primum confirmantur, ut testes fierent idonei in Spiritu veritatis. In quo nimirum præcepto declaratur, quia scientium in Spiritum Christum beatitudo monstrata est. Negatæ vero rursum humilitatis et passionis ejus periculum declaratur. Propterea :

Exinde cœpit, inquit, *ostendere quia oportebat eum Hierosolymam ire, et pati multa a senioribus plebis et scribis, et a principibus sacerdotum occidi, et die tertia resurgere* **677**. Sed quam dispensative apostolos ad hanc introducat fidem, nescio vel si rari sint qui intelligant. Nam superius Petrus vix tandem pervenit ut confiteretur : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, et hoc non nisi Patre de Filio revelante, et mox præcepit ei et omnibus discipulis, *Ut nemini dicerent quia ipse est Christus*. Quid putas prædicaverint prius, quando dictum est eis : *In vias gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; ite potius ad oves perditas domus Israel*, etc. (*Matth.* x, 56). Quæ dixit eis, mittens ad prædicandum. Quid ergo, si ad apostolatus officium jam tunc mittebantur, aliud prædicare poterant quam Christum, qui se miris et diversis quotidie operibus Dominum esse declarabat? Et si tunc adhuc eos mittit, et volebat ut eum annuntiarent, quid est quod nunc præcepit eisdem discipulis ut nemini dicant, quoniam ipse est Christus? Si autem nolebat se prædicari, quomodo implentur quæ prædicta sunt eis; quale est illud : *Tradent enim vos in concilio, et in synagogis suis flagellabunt vos propter me, in testimonium illis?* (*Marc.* XIII, 9.) Vel illud : *Cum tradiderint vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (*Matth.* x, 19). Quomodo propter Christum flagellandi erant, aut tradendi, si non Christum annuntiabant? Fortassis ergo aliquis audet dicere, quia nolebat tunc prædicari, quoniam Jesus ipse est Christus, quando primi missi sunt bini et bini, neque ab apostolis usque ad resurrectionis tempus. De quibus omnibus Origenes in tractatu suo multa pro-

Introdusă în format electronic de Google

ponit et infert, si forte isra et hujusmodi talia suis in locis ad futurum tempus pertineant, maxime hoc in loco quærendum judicat, et utrum cum mitterentur, jam cognoscebant quoniam ipse erat Christus. Et si jam cognoscebant, inquit, procul dubio cognoscebat et Petrus. Quomodo ergo post tanta et talia, quæ in diversis locis retro habentur, interrogat eos : *Vos ergo quem me esse dicitis?* Quando et respondenti Petro ac dicenti : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, dixit : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Per hæc enim demonstrat, quoniam tunc primum confessus eum fuerat Petrus Christum Filium Dei vivi; in cujus confessione et cæteri apostoli **678** confessi creduntur et edocti. Antea vero si nesciebant eum Christum Dei Filium, quomodo prædicare poterant quem nesciebant? aut confiteri? qualemque jam retro confessionem requirit? Dicit enim ita : *Omnis qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor ego et eum coram Patre meo* (*Matth.* x, 32). Ex quibus profecto verbis et sententiis manifestatur sensus, quia tunc primum apostoli seu reliqui discipuli aliqua sciebant de Christo, sed ampliora erant et altiora nostræ salutis sacramenta quæ nesciebant. Et ideo præfatus doctor quærit, utrum minus sit Jesum credere esse Christum, quam cognoscere? Et dat exemplum de Joanne, ubi ait : *Si vos manseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 32). Et ait, ut dicamus quando mittebantur ad prædicandum, credebant quidem Jesum esse Christum, non tamen cognoscebant; postea autem proficientes per doctrinam et plura miracula cognoverunt, quando et interrogati confessi sunt : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Sed fateor quia et Petrus, revelante Deo Patre, cum hanc confessus est confessionem, qua laudatur, non omnia sciebat adhuc de Christo, sicut mox declaratum est, ubi increpat Dominum eo quod dixerit se occidendum, et reliqua quæ præsens locus testatur. Et ideo inter cognoscere et cognoscere multa distantia est. Quoniam tunc quidem apostoli initia cognitionis jam habebant, postea vero profecerunt ut pervenirent, maxime cum perceperunt Spiritum sanctum in omnem agnitionem veritatis. Quid plura? Præsens sententia Salvatoris in causa est, qua dicit, deinde cœpit eis ostendere se passurum, cur præceperit eis, ut nemini dicerent quod ipse esset Christus. Porro deinde quod dicit, id est, ex quo confessus est eum Petrus Filium Dei vivi, etsi tunc Petrus didicit una cum cæteris apostolis de illo quod prius nesciebat, inde scandalizabatur continuo qui erat futurus magister, constitutus jam caput Ecclesiæ, quid æstimare debemus quomodo portare possent reliqui quibus prædicabatur, si ita annuntiarentur de eo omnia ut erant in passione futura? Aut si tunc apostoli hæc discebant de Jesu quæ nondum noverant, quid putatis quam minus sciebant **679** illi de Christo quos apostoli prius docuerant, et ideo Dominus Jesus Christus prædicari se primo noluit, ne ullus strepitus inde nasceretur. Quapropter Lucas apertius increpasse illos dicit, ne cui hoc dicerent quod oporteret Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et scribis, et occidi, et die tertia resurgere. Et fortassis ideo increpasse eos addidit, quia sciebat Dominus difficile passioni ac resurrectioni etiam discipulos credituros. Hinc est quod ipse passionis suæ ac resurrectionis primum per semetipsum assertor esse maluit, deinde post resurrectionem apostolos; ut ex facto fides, et non ex auditu discordia nasceretur. Neque voluit antequam passionem subiret, gloriari, sed maluit interdum ignobilis videri. Nam in uno eodemque Christi nomine multa sunt et ardua et arcana, quæ prædicanda erant. Ipse est enim Christus qui natus est ex Virgine, et de Spiritu sancto conceptus est, ipse qui mirabilia fecit innumera, ipse qui mortuus est pro peccatis nostris, ipse qui resurrexit a mortuis; et qui passus est, et resurrexit, ipse est qui in principio erat Verbum, Deus apud Deum, sine quo nunquam est Deus Pater, per quem facta sunt omnia. Talia igitur, et alia quamplura quæ catholice de Christo prædicantur, ipse est Christus. Nam unum horum si subtraxeris subtraxisti salutem tuam; quia et hæretici Christum habere videntur, Christumque prædicant; nemo eorum Christi nomen negat, sed negat Christum, quia non omnia quæ Christi sunt confitetur. Quapropter multis ex causis jubet tacere discipulos, forte ut fallat principem mundi, et videatur declinare jactantiam, humilitatemque de se docere, et quod magis est, ne rudes et imperfecti adhuc discipuli altissimæ prædicationis mole opprimerentur. Et si quippiam titubassent in prædicatione, sicuti fecere in passione Christi, magis auditoribus suis scandalum generarent erroris, quam perseverantiam perfectæ dilectionis. Quod si quæritur, utrum hic primum hoc mandatum dederit ne eum annuntiarent, an jam superius quando missi sunt, non solum ut prædicarent, verum etiam ut sanarent omnes et curarent universos? recte dicimus, quia nec hic mandatum videtur ne Christum Dei Filium prædicarent, sed, ut ita dicam, **680** ne quid passurus, aut occidendus esset, vel etiam a mortuis resurgendus, quia nemo ex mortuis resurgere recte dicitur, nisi qui mortuus fuerit, et de morte ad vitam resurrexit. Sed quia hoc præceptum sacræ dispensationis est mysterium, tam temperanter est mandatum, ut in omni prædicatione et tempore iste modus sit servandus, ne aut doctor aliquid assumat ultra quam creditum est ei vel commissum, aut certe ultra quam ipsi auditores ferre possint vel capere, ut unusquisque suo *in tempore tritici mensuram* accipiat (*Luc.* XII, 42), quam possit efficaciter portare, et operibus adimplere. Hinc est ergo quod prohibentur, ut dixi, evangelizare Christum, seu omnia quæ Christus est, ut evangelizarent eum postea amplius et perfectius, etiam crucifixum, sicque cum ipso Christo ipsam commendarent crucem, in

Introdusă în format electronic de Google

qua gloriarentur Christiani; quia hæc est vera fidei nostræ gloria, si vere intelligamus crucem Christi, quia aliæ cruces nihil nobis prosunt; sed sola crux Christi, quæ nobis utilis est et pernecessaria, per quam nobis *mundus crucifixus est* (*Gal.* VI, 24), et nos eidem mundo. Mira omnipotentis Dei dispensatio. Quam subtiliter, quam provide introducit suos ad fidem, ne aut obruantur majestate, aut dejiciantur carnis infirmitate; aut uberiorem de eo doctrinam in posterum opportunius prædicandam, reservarent, quando poterant jam de singulis annuntiare quæ viderant, ut si mors Christi aliquem conturbaret ad perfidiam, resurrectio et ascensio ad Patrem relevarent et foverent animos credentium ad fidem. Alioquin apostoli, qui semper cum eo fuerant, et viderant miracula universa quæ fecit, et audierant ab eo *verba vitæ* (*Joan.* IX, 68), quibus et testimonium perhibuerant, si ea nocte qua tradebatur scandalizati sunt, quid arbitramur passuros eos fuisse, qui nihil tale sciebant? Si audissent quia ipse erat Christus, propter quod parcens eis, mandat apostolis ut nemini dicant, quia ipse est Christus. Verumtamen non hoc dixerim, quando missi sunt apostoli, aut quando loquebantur ad plebes, quod non aliquid annuntiarent de illo, sed ita temperanter, ut et quosque ad eum traherent ad fidem, et arcana Christi sacramenta non publicarent ante tempus. Et ideo quia inducti erant jam ad Dominum **681** per fidem ex revelatione Patris, ut plenissime eum Filium Dei vivi non solum crederent, verum et scirent, opportunum jam erat ut ipsum eumdemque Dei et hominis Filium moriturum pro omnibus ac resurrecturum intelligerent; quia pernecessaria res est prædicari Jesum Christum crucifixum. Alioquin prædicare Christum, et crucem tacere inutile est. Et ideo præcepit interim, ut nemini dicant quia ipse est Christus, donec præparet eos ad fidem et ad sacramenta mysterii, ut postmodum perfectius atque opportunius dicant, quia ipse vere est Christus. Unde diligentius considerare debemus quia non ait, exinde cœpit Jesus dicere vel docere, sed ait: *Exinde cœpit ostendere discipulis suis.* Quoniam sicut corporalia evidentius carnalibus ostendi dicuntur, sic eis adhuc quasi mortalibus et parvulis ostenduntur a Christo, ut apertius cognoscerent ea quæ loquebantur. Et non sic puto eis ostensa fuisse visu oculorum ea quæ passus est, vel quæ viderunt et gesta sunt a Christo, quomodo discipulis ostensus est rationabilis sermo et intelligibilis de mysterio passionis ac resurrectionis ipsius; et ideo dixit quia tunc cœpit eis ostendere, ut deinceps capacioribus factis ac dictis plenius idipsum demonstraret, ne jam quasi rudibus incipiens loqueretur, sed perficiens in ipsa ostensione plenius intelligerent quod omnia quæ cœpit Jesus facere aut docere utique et perfecit

Et assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: Absit a te, Domine, non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro: Vade post me, Satanas, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Ex quibus dictis apparet quod sæpe a multis dictum est, nimii ardoris amorisque quammaximi fuisse Petrum in Dominum Salvatorem. Nam post confessionem suam sibi a Patre divinitus revelatam, et post præmium benignissimi Salvatoris, quo audierat: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis;* repente audivit a Domino, et inquam subito, se oportere ire Hierosolymam, ibique multa pati et occidi, ac reliqua. Non potest ferre quod audit, nec vult infirmari confessionem suam, et destrui, quia non putat fieri posse quod vere novit, et absque ambiguo confessus est, ut Dei Filius occidatur. Inde est quod ex ardore amoris, ex fidei firmitate, ex reverentia pietatis, assumit eum seorsum, ut et Magistrum **682** compescat a talibus, et ne præsentibus condiscipulis eum videatur ac si temerarius arguere; ubi semoti cum essent, cœpit illum increpare amantissimo affectu et optantis, ac dicere: *Absit a te, Domine*, quod verbum melius in Græco habetur Ἵλεώς σοι, Κύριε, hoc est, propitius tibi esto, Domine, vel propitiare tibi, Domine; et ut de beati Petri sensu addamus, quia non erit tibi hoc, nec potest fieri, nec recipiunt istud aures meæ, vel cor meum, ut Dei Filius occidendus sit. Nec enim revelatum fuerat ei oportere pati Filium Dei et occidi talem, tantum Christum Deum Filium, quia et hæc indigna Deo Patri videbantur. Unde et dicebat: Propitius tibi esto, Domine, quia si nolueris non erit tibi. Et verum. Attamen nesciebat, quod hunc posuerit Deus Pater *Propitiationem pro peccatis nostris* (*I Joan.* IV, 10) in sanguine ipsius; cujus quidem affectum suscipiens Christus, ignorantiam autem exprobrans dixit: *Vade post me, Satanas, quia non sapis ea quæ Dei sunt*, id est voluntatem et sacramentum Dei. Sed quia per ignorantiam destitisti ire post me, quia non recte sapis, vade retro me, post tergum et audi vocem monentis, ut recte sapias. Porro satanam quod eum vocat, increpantis vox est, quia nullus etsi per ignorantiam contrarius esse debet Deo. Nam satanas in lingua nostra *contrarius* appellatur. Prævaluerat enim in Petro etsi per ignorantiam satanas, ut desineret ire post Deum et sequi eum qui pro illo præcedere se optabat; idcirco jure adversarius vocatur, ut discat jam deinceps Filio Dei scandalum non esse. Ambulaverat prius Petrus a principio vocationis suæ post Dominum, antequam scandalum esse cœpit, et contraire ei, et ideo mox percutitur initio peccati, si peccatum dici fas est, et monetur ut impleat quod eis a Domino in principio vocationis eorum jussum fuerat. Dixerat enim: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Et notandum quod huic dicitur: *Vade post me, Satanas*, diabolo vero tantum, *Vade*, ac si dicatur, *in ignem æternum;* quia Petrum affectus amoris et ignorantia vicit. Unde hic error apostolicus de constantia fidei venit, magis quam ex incentivo diaboli; quamvis nec hoc satis negare

Introdusă în format electronic de Google

possimus, quod post prædicationem passionis in eo diabolus tentandi non acceperit facultatem; usque ad tempus enim ab eo secesserat. Sed sumens hanc infidelitatis humanæ **683** occasionem, et si per affectum amoris licet a foris Petro insinuavit objicere Christo, non quo mens ejus veneno infidelitatis esset infecta, sed quo inscientia fuerat obvoluta. Quod sciens Dominus, et illius fraudem, et istius ignorantiam increpat. Petro dixit, *Vade post me*, ac si diceret usque ad crucis passionem; et diabolo increpans ait, satanas, scandalum mihi es. Quia sicut Dei munus est Christum in spiritu Deum nosse; ita diaboli opus est Christum in homine nescire. Atque ejusdem periculi res est, vel corpus negare sine Deo, vel Deum negare sine corpore; quia verbum humanæ salutis causa, Christus in corpore quod assumpsit. Et ideo bene Petro dictum est ut sequeretur; ei vero a quo talis suggestio est erroris, reprobando, scandalum mihi es. Sed valde stupendum post tantam confessionem, post tantam beatitudinem et tam admirabilem gratiam, ut super eum et per eum ædificaretur Ecclesia Christi, post tantam sibi ligandi ac solvendi potestatem concessam. Quid est quod tam subito audit (qualitercunque vel cuicunque dicatur, tamen ei dicitur) *Vade retro me, satanas, scandalum es mihi?* Vel quæ est tam repentina conversio, ut post tanta præmia sibi divinitus collata, satanas appelletur? Sed si diligenter attendit prudens animus, hæc omnia non de præsenti, ut supra dixi, sed de repromissione futurorum sunt. Quia si statim ei tanta esset concessa gratia et beatitudo firmata, nunquam pravæ persuasionis error invenisset locum. Propterea, ut æstimo, Marcus et Lucas scripserunt Petrum respondentem dixisse, *Tu es Christus*, non adjicientes *quod* hic positum est in Matthæo, *Filius Dei vivi*. Et ideo nec dixerunt ad confessionem relatam istam beatitudinem, neque benedictionis gratiam, aut donum tantæ potestatis, seu cætera quæ illi concessa sunt. Hinc pro certo dicimus, quia hæc ei non impræsentiarum, sed in prædestinatione Dei, et in futuro præstita sunt et gratis concessa. Propterea et nunc hic error subrepsit, et locum habuit contradicendi, et in passione Christi, negandi. Sed utrum error aliquando sine peccato sit, aut officiosus, ut quidam volunt, eis relinquo disputandum, qui sciunt perplexos syllogismorum prætendere nodos, et animorum internos penetrare sensus, si forte possit aliquis errare, aut scandalum esse uni ex minoribus? Aut contrarium Deo quod ex adverso non sit. **684** Etsi ex adverso fuerit, contra ipsum est. Quoniam etsi errare aliquando alicui profuit, ut bonus error dicatur; potest fieri ut in via sæculi, sed non in via Dei. Unde sequitur, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Audiat, quæso, exercitus Christianæ religionis; audiant universi qui Christiano nomine censentur; audiant Regem Christum cœlestis militiæ populo concionantem, et suis allo-

quentem militibus. *Qui vult*, inquit, *post me venire*, dixerat enim supra suis quod passurus et occidendus esset, dixerat Petro, *Vade post me*, quia invenerat in eo quidpiam contrarietatis. Dicit nunc omnibus ut omnes eum sequantur ad militiam, non pro se, sed pro nobis præliantem. Omnes sequantur, et nemo antecedere velit, nemo contraire, nemo declinare, nemo retrorsum abire, sed omnes eum sequantur, quoniam ipse solus est qui pugnat, ipse solus qui vincit, ipse solus est qui coronat. Tamen liberum arbitrium in omnibus conservat. Regulam omnibus constituit, sed libertatem concedit. Et ideo Marcus ait: *Convocans populum una cum discipulis suis dixit eis* (*Marc.* VIII, 34). Et Lucas, *Dicebat*, inquit, *ad omnes* (*Luc.* IX, 23). Nam hæc omnium invitatio salus est credentium, quoniam non qualiscunque virtus est sequi Christum, et ire post eum. Cujus regula primum talis est, cui voluntas sequendi fuerit, ut abneget semetipsum; quia aliter ire post eum non potest, nisi abnegaverit semetipsum. Denegat autem semetipsum, qui carnalem vitam et malam bona conversatione innovat et commutat, et deinceps in novitate vitæ ambulat, id est ut vitia deserat, sectetur virtutes, quatenus per has Christum confiteatur, non minus fide, quam et operibus bonis; quia in his quisque aut denegat Christum, et confitetur semetipsum, aut confitetur rursus Christum, malis operibus per fidem abnegatis, ut totus vivat in confessione et laude Dei, bonis operibus adimplendo. Idcirco omnis cogitatio nostra, intellectus, et omnis sermo et actus, nostram abnegationem demonstrat, Christo confessionem ac testimonium in singulis virtutibus operatur.

Tollat, inquit, *crucem suam, et sequatur me.* Quia non satis est tollere crucem, nisi sequaris Christum. Nam et philosophi hujus sæculi sua omnia reliquerunt, etiam interdum et vitia, sectantes mores bonos, et multa passi sunt, sed quia fidem non habuerunt, neque **685** Christum sunt secuti: *Putantes se esse sapientes, stulti remanserunt, quia non glorificaverunt Deum, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I, 21), et oberraverunt a vero. Propterea unusquisque qui vult sequi Christum, tollat crucem suam, quia nisi in cruce Christi gloriatus fuerit, et in ea crediderit, crucemque Christi suam esse fecerit, et portaverit post Christum cum Simone, in angaria, eum sequi non potest, quia nemo vacuus Christum sequitur. Idcirco quicunque moritur peccato, non alio modo moriatur, quam secundum carnem, ut dicere possit cum Apostolo, *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini per quam mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14).

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam. O beatum damnum, et jactura felix, salvare nos vult cum detrimento animæ ac corporis, et esse sui similes nos hortatur. *Quia ipse in Dei forma cum esset* (*Philip.* II, 6), usque ad mortem humilis factus est et obediens, pro-

Introdusă în format electronic de Google

pter quod et mortem crucis pertulit, ut unusquisque per crucem in Domino glorietur, et per eam sæculo ac sibi moriatur. Quia quamvis videatur se aliquis abstinere a peccato, et sit mortuus quantum attinet ad peccatum, tamen nisi in crucem Christi crediderit, et in fide ejus qui crucifixus est, et propter eum se abstinuerit a peccato, ipse sibi et non Christo vivit, quia non est Christo crucifixus et mortuus, ut omnia hæc in eo Christus operetur; et ideo signanter ait, *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Quam sententiam ita possumus intelligere, qui amat animam suam, aut qui odit animam suam: ut dicamus, Si quis est amator vitæ præsentis plus quam æternæ, et putat hanc vitam præsentem optimam esse felicitatem, et parcit animæ, ut magis timeat mori, et putat animam suam per hanc mortem carnis perire, iste hoc modo volens animam suam salvare, perdet illam, dum alienam illam fecerit a vita æterna. Dicitur et eminentior pars animæ mens, qua tota regitur vita hominis; est et inferior, qua vivificatur corpus, quæ et vita animalis dicitur: sed anima a parte tota vocatur qua vegetatur corpus. Quam sane animam, id est præsentem hanc vitam, si quis plus amaverit, quam aut vivere secundum Deum, aut mori propter Deum, perdet totam vitam illam qua vivere debuit, secundum Deum, ita ut neutra pars animæ qua vivit **686** et regitur corpus, jam ultra vivat in illa æterna vita per Deum, qui noluit mori sibi ac sæculo ut bene viveret secundum Deum. Similiter et qui contempserit præsentem propter verbum, et confisus de vita æterna usque ad mortem pro veritate certaverit, aut vixerit impræsentiarum, non sibi sed secundum Deum perdet quidem animam suam, quantum ad præsentem attinet vitam, dum aut tradit eam pro pietate Christi in mortem, quæ abusive dicitur mors, aut totus mortuus sæculo sibi potest dicere cum Apostolo, *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II, 20). Iste igitur talis aut tantus, quoniam propter Christum perdidit animam suam, magis eam facit salvam in vita æterna; quia profecto abrenuntiat diabolo et omnibus operibus ejus, necnon et sæculo cum suis fallaciis et pompis ejus, ita ut sibi hic talis tollat crucem suam, et sequitur Christum. Hæc omnia in libero arbitrio proponuntur, et ideo quasi ad superiora reddit rationem, et dicit, *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*. Dicendo ergo, *qui voluerit*, præcedentem et sequentem unum esse sensum ostendit. Idcirco quod superius dixit, *Abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me*, si de morte sola dixit, et hoc quod dicit, *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam*; continuo et de morte sola intelligere debemus: si autem abnegare et tollere crucem non solum est mori pro Christo, sed etiam carnalem conversationem rejicere, sine dubio et perdere animam, non solum mori est pro Christo, verum etiam deponere carnales voluntates, ac mori sibi et sæculo. Nec dicit, qui salvaverit animam suam, perdet eam, sed qui voluerit eam salvam facere, perdet illam; et qui perdiderit prius propter me, hic salvam faciet eam. Quoniam sic consequens erat ratio, ut prius amitteremus quod jam male habebamus, deinde ut consequeremur quærere quod nunquam ex nobis habere potuimus. Itaque sic vivendum est ut consequamur salutem animarum nostrarum in conversatione vitæ melioris. Quæ nimirum varietas sententiarum, licet unus sit sensus, tamen amplius et perfectius aperitur intellectus, dum sententia ex alia prædicatur, et ornatior loquendi commendatur modus. Quisquis enim denegat se, et tollit crucem suam ipse est qui perdit animam suam propter Christum. Et perdens melius eam salvat, dum pro illo qui vita essentialiter **687** est, tota impenditur. Et qui perdit animam, quantum ad voluntates carnales pertinet, ipse est qui abnegat se, et tollens crucem suam sequitur Christum.

Quid autem proficit homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat? Puto quod mundum lucratur qui non abnegat semetipsum, nec tollit crucem suam, et sequitur Christum secundum ea quæ dicta sunt, nec perdit animam suam, ut salvet eam in spiritali amore, qui omnes in se carnales concupiscentias habuerit. Quia sicut omnia relinquit, ut Petrus insinuat, qui nihil concupiscit carnale: ita omnia lucratur, et tenet sibi, licet non possit assequi, dum in omnibus ejus concupiscentiis inhiat et versatur; et ideo cui non crucifigitur mundus, ipse detrimentum animæ suæ facit. Unde et nobis gemina proponitur electio, ut ex proposito maneat uniuscujusque retributio. Quod si voluerimus mundum lucrari, perdimus animas nostras; aut si animas nostras voluerimus lucrari, abnegemus et perdamus hunc mundum, ita ut omnes concupiscentias ejus abdicemus. Videat igitur fidelis anima, quid potius eligendum sit, quidve sectandum; quia unum horum aut perdet aut salvabit sibi, quamvis mundum retinere non possit, et sine se nihil habere.

Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quod si aliunde non nosti, homo, lege quid diabolus expetens manum mittere in Job, dixerit Deo; *Pellem pro pelle*, inquit, *et universa quæ habet homo, dabit pro anima sua* (*Job* II, 4). Nam ille non ut servare vellet animam hoc dixit, sed occasionem inde invenire ut eam læderet. Noverat tamen quod alia commutatio pro anima in hominis potestate nulla esset, quamvis et hoc ipsum parum sit, nisi pretioso Christi sanguine redimatur. Et pro hoc omnino qualiscunque reddenda est commutatio. Hinc quoque David ait (*Psal.* CXV, 12, 13): *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Ac si diceret, non invenio aliud quid retribuam, nisi, *Calicem salutaris accipiam*, hoc est crucem passionis Christi, *et nomen Domini invocabo*. Quia nec crux aut calix passionis, sine invocatione Domini, nec invocatio Dei sine cruce, de qua diximus supra, quæ tollenda est ad salutem aliquid valet. Commutatio autem

Introdusă în format electronic de Google

animæ, prima mundi substantia est, ut relinquat se homo et quæ mundi sunt **688**, in quantum de mundo est, et sequatur Christum, qui de mundo non est, ut per eum acquirat, perdito mundo, se, et quidquid ultra mundum est. Alias autem si lucratus fuerit hunc mundum se perdito, in detrimento animæ suæ, quid dabit pro se? Ecce quam mira Dei conclusio. Audiant, quæso, qui in suis gloriantur actibus, et Scripturarum sanctarum despiciunt simplicitatem, dum proponunt, syllogistice assumunt, et concludunt, sicque de verosimili sua connectunt ad capturam animarum fallacia. Nam hic Magister cœlestis non de verosimili argumentum, sed ipsam veritatem in argumentum proponit arbitrii libertatis, dum ait, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*, etc. Deinde assumit, cum ait, *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, seu reliqua. Quod si hoc quisque noluerit, et lucratus fuerit hunc mundum cum detrimento animæ suæ, quia perdidit eum mundum lucrando, quam dabit commutationem pro anima sua, cui mundus est lucrum, et sibi anima detrimentum? Ac per hoc non lege dialecticæ artis, sed lege divina, qua cuncta sapienter disponit, et sic omnes concludit, ut universi intelligant quod mundus homini aut in lucrum erit, et anima sibi in detrimentum; aut, quod magis optandum, anima Deo ac sibi in lucrum, mundus vero in detrimentum. Quia omnino nemo pariter cum mundo habet Christum, et sequitur eum, qui est ultra et extra mundum. Idcirco nulla est alia commutatio animæ, nisi ut relinquat mundum, et ea quæ mundi sunt, sicque tollat crucem suam, et sequatur eum qui vocat nos. Fortassis ergo aliquis dicturus est, quod non omnes possint relinquere mundum et ea quæ mundi sunt. Ego autem dico, quia nullum compellit sermo divinus, sed suo eos arbitrio derelinquit. Tamen Apostolus id hortatur, ut qui habent, sic sint quasi non habentes, *Et qui utuntur hoc mundo, quasi non utentes; et qui possident, tanquam non possidentes* (*I Cor.* VII, 31). Quoniam tales licet videantur esse, jam de mundo non sunt. Et ideo quia nulla est alia digna commutatio, quæ detur pro nobis, relicto mundo, sequamur Christum, qui venditus ac traditus est pro nobis; ne forte involvamur inter Ægyptios atque Æthiopes, qui dantur in commutationem juxta prophetam pro Israel. Quæ nimirum commutatio ruinosa est illis. Quapropter aut nulla est alia commutatio, aut ea est **689** vera et sola, ut omnia lucra mundi pereant, solaque salvetur anima. Nam filius hominis

Venturus est in majestate sua, et tunc reddet unicuique juxta opera sua. Ab eo loco ubi interrogantur discipuli, *Quem dicunt esse filium hominis*, et Petrus confessus est, *Tu es Christus filius Dei vivi*, totum ibidem et deinceps, de filio hominis agitur, ut ipse qui est Filius Dei vivi, a Patre, Petro declaratus, filius hominis intelligatur, quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), et filius hominis, verus Filius Dei, in una eademque persona, ipse occidendus ac flagellandus demonstratur. Propter quem crux tollenda est, et sequendum est usque ad mortem; propter quem, perdenda est anima, et amittenda præsens vita. Quod si vereris, o homo, talia tantaque sustinere propter filium hominis, aut si ipsum solum hominem esse putas, quia crucifigendum et moriturum se ostendit pro nobis, audi quia venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis. Non duæ, sed una persona unusque Christus. Grandis terror audientium præcesserat, in tantum ut, hoc audito, Petrus princeps apostolorum scandalizaretur, donec sententia Dei est increpatus. Et ideo tristibus læta succedunt, et firmatur confessio Petri, quamvis moriturum se dixerit, quod verus sit Filius Dei vivi, qui venturum se repromittit vivum post mortem, in gloria Patris sui cum angelis suis. *Quoniam etsi minoratus est paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII, 6), propter mortem carnis, major est angelis, quia ejus sunt, quos creavit, quorum ipse est Dominus non comparatione, sicut Ariani volunt, major est angelis, ut sit unus ex numero eorum, quamvis major sit illis, sed divinitate ac majestate, quam cum Patre habet coæqualem, et ideo venturus prædicitur in gloria Patris cum angelis suis. Et non alius, ipse idemque qui venturus est in gloria cum angelis suis, quam filius hominis. Nam per divinitatem nunquam venturus jure dicitur in gloria, de qua nunquam recessit. Hæc ideirco dixerim, lector, ut semper sollicitus sis propter hæreticam pravitatem, qui diversis modis de Christo male senserunt. *Et tunc reddet unicuique secundum opera sua* (*Psal.* LXI, 13). Hæc illis repromissa sunt, qui abnegaverint semetipsos, qui tulerint crucem suam, qui secuti fuerint Christum, qui perdiderint animam suam propter Christum, ut in nullo terreatur Christianus fidelis, neque scandalizetur in aliquo; neque in **690** morte ex passionibus Christi, quia venturus est in gloria Patris, cum angelis suis: neque in suis cruciatibus, aut amissione rerum, quia meliorem substantiam sibi repositam inveniet in cœlis, ac manentem, si hic amiserit perituram, necnon et vitam, sicut repromittit Veritas, quam qui hic perdiderit temporalem, ibi inveniet æternam et perpetuam, ubi Christus est in gloria Patris, sempiterna vita. Tangit etiam et eos qui aut nolunt credere, aut si credunt fidei opera, quia non operantur, nolunt habere. Sed quia poterat aut apostolorum aut eorum quos convocaverat ad audiendum, tacita cogitatio hujusmodi scandalum generare, et intus dicere in animo, Occisionem tuam et mortem nobis repromittis, nosque ad mortem et ad omnia toleranda hortaris, teque quia promittis adfuturum quandoque in gloria Patris cum angelis, insuper et quod reddere debeas unicuique secundum opera sua, astruis hoc in dies longos si forte erit, et in tempora differtur longa. Prævidens ergo talia, et hujusmodi tentamenta, benignissimus Jesus, qui est omnium occultorum cognitor, quæ possent in mentibus fragilium generari, et generata quæ possent

Introdusă în format electronic de Google

objicere, ad repellendum præsentem timorem vel cogitationem, præsenti credentibus recompensat præmio, ut de proximo consolentur promisso, qui de futuro gaudere desiderant visu. Dicit enim ita :

Sunt quiaam ae nic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Sermo itaque et promissio omnipotentis Dei, omni est repleta gaudio et consolatione in spe futurorum, eo quod sperare poterant omnes, qui prius promiserat universis de futuro ; dum hic licet paucis, se firmat ostensurum, venientem in regno suo, antequam de proximo mortem gustarent. Et hoc quidem quia in ea claritate se transformavit in monte coram discipulis, quos secum assumpsit, in qua venturum se promiserat in gloria Patris cum angelis suis. Et notandum quia regnum Christi, in quo venturus erat, ut eum viderent venientem in regno suo, ipse est gloria Patris; quia sicut regnum Christi, Patris est regnum : ita et gloria Patris Christi est gloria, quæ ostensa est in monte, licet paucis, ut et ipsi qui viderant; et cæteri qui audierant, illis repromissa se vidisse demum narrantibus, firmarentur ad fidem de filio hominis, quia visus est in gloria, **691** quod ipse esset verus Filius Dei qui et filius hominis. Sed tales eliguntur et assumuntur, qui congruere possint etiam adhuc in carne, ad eam visionem quæ altius conspicitur in mente; de qua latius quidam disputant. Quoniam ista quæ coram oculis refulsit, convenit eis qui tales sunt, quibus dicit Petrus, *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite rationabile sine dolo* (*I Petr.* II, 2). De quibus et Paulus loquebatur dicens, *Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim*, inquit, *poteratis*, *sed nec adhuc potestis* (*I Cor.* III, 2). Illa vero quæ cœlestis est visio et verbi intelligentia, solis convenit perfectioribus, qui ablactatos habent sensus, ut cum his tribus, qui assumuntur, intelligant quæ divina sunt. Hi ergo erant stantes, de quibus loquitur, qui fundatos habent gressus apud Jesum, et stabant cum eo, ubi stabat Jesus Verbum Dei. Sed non omnes æqualiter stabant. Est enim inter eos apud Dominum magna ad alterutrum differentia standi. Propterea non omnes qui stabant apud Jesum, sed quidam ex eis, quasi qui melius stabant, dicuntur non gustasse mortem, donec videant Verbum Dei, quod venit ad homines, et quod caro factum est. Verumtamen non nominatim eos, de quibus loquitur, exprimit, ne forte cæteri invidia moverentur, sed absolute dicit, quod *sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei*. Et ob hoc quippe docet rebus et verbis fidem spei nostræ, dum et illud quibusdam ex illis transfigurans se ostendit in monte, et resplenduit, quia tunc plebi loquebatur saltem in cordibus apostolorum, ita ut viderent et audirent intus, quod Paulus se vidisse et audisse protestatur, quando raptus est usque ad tertium cœlum, ubi audivit et vidit vere ineffabilia (*II Cor* XII, 4). Nequaquam igitur negare possumus vel debemus apostolos, antequam hinc exissent, tale aliquid vidisse, in quo intus regnum Dei conspicerent, et filium hominis venientem intelligerent in regno suo in virtute Spiritus sancti. Quæ visio clarior sole nonnunquam in sanctis emicat in intellectu, et refulget. Et inde est, quod aliquando primum per fidem, deinde per intelligentiam adhuc in carne invenitur a quærentibus, dum ingreditur cogitationes fidelium, ita ut videat aliquis, et comprehendat eminentiam verbi Dei, quod solvit et convincit omnes persuasiones mendaciorum, et ingerit confessionem veritatis, ita ut videat filium hominis **692** id est Verbum Dei, cum carne venientem in regno suo, fide et intellectu. Et qui sic videt Verbum Dei, id est Christum Deum et hominem, non solum solventem et convincentem adversariorum persuasiones, sed etiam suas evidentias mentis declarantem, hic talis videt non solum regnum, sed et gloriam Verbi Dei. Quod si tale aliquid interdum in electis Dei fit, quid putas in apostolis tunc quanta erat inspiratio, quantaque illustratio divinæ intelligentiæ ? Instruebantur procul dubio verbis, instruebantur et rebus; ac per hoc utrumque potest stare, ut et intus quidam de illic stantibus viderent eum venientem in regno suo in virtute Dei priusquam gustarent mortem, et foris in monte oculis carneis transfiguratum in gloria claritatis æternæ; sicque instruuntur intus atque foris. Grave enim onus infirmitati humanæ supra imposuerat, ut cum sensum vitæ homines ex vivendi affectu habere cœpissent, fructum vivendi (qui præsentialiter in sensibus corporis blandiebatur) amitterent, negarentque se sibi, id est quod esse cœpissent, esse se nollent, cum sensus hujus exordia ex affectu voluntatis habuissent. Alioquin apostoli, nisi ex omni parte firmarentur, ne incerti remanerent, ambiguitate spei remorati, ea quæ præsentis vitæ sunt blandimenta et gaudiorum oblectamenta, deserere non possent, neque ea quæ crucis et mortis sunt, appetere, et semetipsos abnegare. Propterea quolibet pacto ea viderunt apostoli, et perfecti quique in vita, ut non dubitarent deinceps pro his gustare mortem. Nam duæ mortes esse dicuntur (licet et tertia peccati animæ dicatur) prima et secunda; sed prima quæ est corporis, gustus mortis dicitur, secunda vero vera mors, qua in æternum damnantur homines, appellatur. Quod si de hac morte intelligendum est, quod non gustaverunt mortem illic stantes, donec viderent filium hominis venientem in regno suo, consequens est, ut postea gustaverint, absque ambiguo, mortis gustum, quia hac momentanea morte mortui sunt. Si autem de illa æterna morte repromissum est, quod hi qui juxta vitam quæ Christus est perstiterint, non possint mori, quia æternam vitam jam habent, cum Christum venientem in regno suo vident, quia intelligunt, credunt et confitentur, venerantur et adorant : et ideo dictum est, quia non gustabunt mortem hi tales, eo quod perfectius **693** stent apud eum qui est vita. Unde et

Introdusă în format electronic de Google

portæ inferorum non prævalebunt adversus eos, qui mortem gustaturi non sunt in æternum, nisi forte quod ait donec, quasi postea gustaturi sint, cum viderint filium hominis venientem in regno suo. Quod omnino credere de sanctis impiissimum est, quia non diffinit tempus, ut postquam transierit illud donec fiat, quod ante non fuerat factum, sed rem, quæ necessaria est, exponit. Simili modo alibi dicitur ad discipulos, *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXIV, 14). Quasi jam non sit cum illis futurus postquam consummatum fuerit sæculum, ita ut melius esset discipulis hoc tempus quod est ante consummationnem sæculi, *quam* illud futurum, in quo eos cum Christo regnaturos dicimus. Idcirco pernecessarium est cognoscere, si nos usque ad finem sæculi non est relicturus, ne nobiscum sit omnibus diebus sæculi, quod multo magis nobiscum erit post finem sæculi, quando plenissime mortalitate exuti, sancti regnabunt cum Domino. Et ideo hoc loco, donec, non pro finito ponitur termino, sed pro infinito. Quando qui semel viderit filium hominis venientem in regno suo et in gloria sua, et viderit venientem in regnum ejus, in virtute, jam nequaquam gustabit mortem in æternum. Quod si aliquis quærere voluerit quid sit inter mortem gustare et mortem videre? Quia Scriptura divina in his verbis variare videtur; dicit enim et mortem venire super aliquos, et mortem nonnullos sequi, seu mortem absorbere aliquos. Quærit autem harum Origenes differentias, ne forte gravius sit gustare mortem quam videre, et pejus sit sequi eam, quam gustare. Sed et ut veniat super eos quos sequebatur, et comprehendat, nihilominus gravius esse videtur; absorbi vero a morte, illi gravissimum esse videtur. Et ideo, ut supra dixeram, non gustare mortem, de hac temporali morte hoc loco magis dictum esse videtur.

(CAP. XVII.) *Post dies autem sex assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus: et duxit illos super montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.* Quare autem Petrus, et Jacobus, et Joannes, in quibusdam Evangeliorum locis, sequestrantur a cæteris, aut quid privilegii habeant, res in aperto est, si Petri dignitas meritorumque ejus, et firmitas virtutum compensatur; quoniam ipsi sunt qui videbantur columnæ esse, de quibus dixerat, *Sunt* **694** *de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo* (*Matth.* XVI). Interea quæso, lector, non parum tibi videatur stare cum Jesu; quia nisi prius stabilirentur ut starent firmiter supra petram, nequaquam eum sequi possent, præcedentem et ascendentem super excelsum ascensionis suæ montem, et contemplando introrsus divinam introspicere majestatem. Et ideo licet alii apostoli eadem vigeant in Christo firmitate, isti tamen ob dispensationis gratiam, eliguntur ab eo qui cor inspicit singulorum. Nam hi duo, Jacobus scilicet et Joannes, *filii tonitrui* dicuntur, quia nati sunt ex magniloquio Dei tonantis, et magnifice ad eos cœlitus clamantis, *Venite post me* (*Marc.* I, 17). Idcirco sequuntur eum. Quamvis et Andreæ hæc ipsa dicta videantur, tamen hic soli eliguntur, ut ducantur ad excelsa; non quod Andreas inferior censendus sit, qui et præponitur in catalogo apostolorum illis duobus, sed ob mysterium, ut intelligamus quod hi soli non gustabunt mortem, qui cum Petro firmantur in petra quæ Christus est, et solis datur ut stabiles permaneant. Ipsique sunt filii tonitrui, quia non aliunde perceperunt doctrinam, quam de cœlo, ex voce tonantis altissimi Dei. Quibus profecto clamat Jesus, et intonat quotidie, ita dicens, *Qui habet aures audiendi audiat* (*Matth.* XI, 15). Tres namque tantummodo ideo assumuntur in monte, quia in his regni cœlestis ordo, et numerus præfiguratur, quod ex origine trium filiorum Noe colligenda est omnis Ecclesia, et futura ex his omnis electio eorum, qui cum Christo in cœlis ascensuri sunt. Quorum firmitas et fortitudo Christus est, quorum doctrina in voce tonitrui de cœlo sonuit, et perterruit universos corusco prædicationis in rota, ita ut concussæ sint singulæ partes terrarum, quæ sub tribus describuntur nominibus, ne aut Asia sola credidisse dicatur, verum et Africa simul atque Europa Christi sanguine redempta, de imis ad superna perducitur. Et post sex dies, aut octo sicut Lucas testatur. Quia in hoc loco ubi Matthæus ait post sex dies, Lucas post octo dixisse legitur. Neutrum tamen eorum a vero juxta litteram discrepasse creditur, neque a veritate quisquam dissentit dum sibi ad invicem quasi neuter consentit. Sed sciendum quia Matthæus dierum facta mentione, a toto totum dixit, et Lucas a toto partem expressit; quia in ea die qua dictum est, *Sunt quidam de hic stantibus* **695** *qui non gustabunt mortem*. Jam pars præcesserat, et in ea die quando eos assumpserat, montemque ascenderat, pars quædam diei restabat. Propterea partes illas quas Matthæus omisit tangere, quasi duarum extremitatem partium, Lucas pro tota die utrasque computavit partes, ut octo fierent dies. Ubi tropus consuetæ locutionis intelligitur, qui Græce synecdoche appellatur, quod Latine dici potest, vel a parte totum, vel pars pro toto. Qui profecto tropus in Scripturis sacris quam sæpe invenitur. Et hic uterque evangelistarum eum non absque magno rerum mysterio significatarum posuit. Quoniam cum dixisset Jesus, *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, unus eorum post sex dies dixit, alter vero post octo. Quia unus evangelistarum, primum et novissimum, ut octo fierent, connumeravit, alter vero sex tantum in medio tenens, duos extremos prætermisit; ut finitis sex ætatibus sæculi, claritas Dei, quæ in septima, id est in finem vitæ apparebit, prædicaretur. Lucas vero, qui eos assumptos post dies octo dicit, insinuat, quicunque post Christum ierit, et crucem ejus tulerit, animamque suam propter eum perdiderit, persistens in fide, iste mortem non gustabit in æternum, donec gloriam octavæ resurrectionis videat, et glorietur cum Domino et

Introdusă în format electronic de Google

ipse assumptus in monte. Nam qui hic verba Christi audit de cœlo in voce tonitrui sonantia, et firmat gressus suos in petra quæ Christus est, ipse gloriam Christi videbit, quæ octavo die facta est per resurrectionis gratiam. Unde et plerique psalmi, pro octava, scribuntur. Quia is qui propter Dei verbum animam suam perdiderit, salvam faciet eam, cum Christus promissa sua in octava resurrectionis suæ die compleverit. Sicut et post sex dies, in quibus mundi opera sunt creata, ut per dies et tempora mundumque intelligamus finire. Quibus expletis resurrectio futura monstrabitur. Et qui fuerint cum his tribus educti de sæculo, ita ut supra mundum ascendant, et hujus sæculi volumina et momentanea vitæ curricula transcendant, velut in sublimi collocati, futuræ resurrectionis claritatem videbunt, et fructum percipient sempiternæ vitæ. Et hæc est evangelistarum varia sententiarum contextio, varia verborum commutatio, et nonnulla factorum interpositio, et quasi quædam, in quibusdam locis, recordatio. Quia varia conficitur vestis **696** Christi in Evangelio, et depingitur cœlesti textura, necnon et multiplici sententiarum intelligentia, atque ornatur quasi gemmarum insignita pretiosissimarum lapidibus, ita ut contexta desuper videatur per totum, quod una sit tunica de vellere Christi, quæ decoratur diversis atque innumeris virtutum et miraculorum floribus. Cujus in specie, quid primum admirari debeas, diligens lector, vix invenies. Et ideo longe, ut supra jam dixi, non syllabæ, non verborum, vel sententiarum ulla compositio in Evangelio, vel dictorum ulla permutatio in transitu legenda est; quia in his nihil vacat a mysterio, sed omnia plena sunt sacramentis. Maxime in hac transformatione, quæ facta est in monte sancto, ubi tres tantum sunt, qui viderent electi discipuli, *Quia in ore duorum vel trium testium, stat omne verbum* (*Matth.* XVIII, 16). Et duo ex omnibus patriarchis eliguntur, qui cum Domino ab eisdem tribus videantur in testimonium. Quorum uterque numerus et electio personarum, magnum est exhibitionis sacramentum. Tres siquidem, de quibus jam diximus, ob hoc etiam fortassis assumuntur, quia nemo potest resurrectionis videre gloriam, nisi qui integrum mysterium Trinitatis, incorrupta fidei sinceritate servaverit, ex omnibus tribus partibus mundi in hoc collegio fidei aggregatus. Quorum primus, nec immerito Petrus, quoniam ipse prior claves regni cœlorum accepit; deinde est Joannes cui mater Virgo committitur, ob privilegium virginitatis; Jacobus quoque qui primus ex collegio apostolorum solium sacerdotale proprio purpuratus sanguine, et dealbatus in Christo victor ascendit. Pro talibus igitur et hujusmodi causis, quas supra paucis enumeravi, hi tres ad sublimia ducuntur, quoniam et ipsi jam supra mundum erant, ut viderent Christum, non in forma servi, sed in forma claritatis Dei, quoniam qui deorsum sunt, non possunt eum videre in forma Dei, sed in forma servi. Propterea et ipse unicuique, secundum quod videt expedire, semetipsum ostendit. Sed post sex expletis diebus die octava, jam supra montem excelsum, et solium elevatum, non nisi in forma Dei clarificatus apparebit electis. Neque enim simpliciter dictum, quod transfiguratus est, quia *transfiguratus est ante eos*, utique qui ascenderunt cum eo super montem excelsum secreto, et seorsum, ab omni frequentia sæculi ac strepitu terrenæ perturbationis segregati. Quia **697** licet Jesus in valle humilitatis venerit, tamen recte, non nisi supra montem etiam crucifixus conspicitur. Nam et Isaac in figura Christi cum offertur, non nisi in monte oblatus legitur. Idcirco hoc loco quod gessit, et miraculum coram videntibus quod refulsit, ipsa res gesta longe altius quam ipsi viderant, multa designavit, ita ut locus et ipsa transfiguratio altitudinem insinuet Deitatis, ut ibi transformatio fieret, ubi altitudo judicii figuraretur, et contemplatio veritatis appareret. Quæritur tamen ista transformatio qualis sit, utrum pristinam formam amiserit et veritatem corporis, ab spiritale corpus fuerit quod apparuit, vel aerium? Quod neutrum horum credo, ut aut pristinam corporis formam seu faciem perdiderit, aut aerium corpus vel spiritale ad præsens illud commutaverit. Sed quomodo transformatus sit, Evangelista demonstrat dicens, quia *Resplenduit facies ejus sicut sol*, *vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Non enim ex his verbis aliud prædicatur, quam splendor faciei ejus et candor vestimentorum. Idcirco ubi splendor ostenditur faciei et candor describitur vestium, non substantia denegatur aut tollitur, sed gloria et claritas commendatur, augetur, quæ fulsit ac si de thesauris Dei; ita ut et veritas non subtraheretur corporis, et gloria quæ futura erat in Christo, non celaretur. Unde liquet quod claritas, quæ foris per vestimenta Christi manavit, ab illa ejus interiore luce processit, quam nullus humani generis corporeus oculus potest intueri, sicut scriptum est, *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12). Unde sic temperavit divina majestas hujus visionis formam, ut et mirabilis esset visio qua divinitas prædicaretur in Christo, et humanus eam mortalium ferre possit visus. Sed altera fuit figura in vestibus, altera species in vultu, utraque tamen mirabilis. Ideo, ut qui erat in carne conspicuus, subito appareret coram suis coruscus. Sed non immerito quæritur, cum de sanctis scriptum noverimus, quod *Tunc justi fulgebunt sicut sol in virtute sua* (*Matth.* XIII, 43), in regnum Patris eorum, cur hoc loco facies Christi solis claritati recte comparetur? Nunquid igitur tantam claritatem (quod nefas est credere) in regno Patris habebunt sancti, quantam is qui in se illos justificabit? Quis ergo hoc nisi hæreticus dixerit? Quapropter **698** quia divinum est et mirabile, quod in dispensatione salutis humanæ agitur, idcirco credendum quod non absque magno documento sic ostenditur. Quod mihi videtur inter cætera quatuor ex causis factum fuisse; videlicet, vel quia adhuc mortalis erat, et ipsa carnis mortalitas claritatem divinitatis ejus

Introdusă în format electronic de Google

ut erat, ostendere non sinebat, vel quia ante videntium oculos, ut intueri posset ipsam fulgoris sui magnitudinem, temperabat, ne septempliciter lux solis in eo, quam nunc est, appareret. Vel etiam et ideo lux claritatis ejus sic mo:ificata in eo tunc est, ut formam illam tantummodo prætenderet, quam in die judicii electis et reprobis ostensurum se esse præscielsat. Et ut amplius loquar atque commodius, ipsam figuram membrorum suorum, quali quantaque gloria in futuro ipsi fulgebunt sancti in sua claritate, jam præmonstrabat. Quia *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* (*Rom.* IV, 17), fecit ea in Christo apparere, quæ nondum erant, ut ex eo certius cognoscerentur ea quæ visa sunt in eo, et futura erant. Sicque transformatus est Dominus in eam gloriam qua venturus est postea in regno suo, quæ est Ecclesia. Et ideo isti tres non gustarunt mortem, donec filium hominis viderunt venientem in regno suo. Quia hoc ipsum ita conspexisse transfiguratum in formam claritatis, jam vidisse eum fuit venientem in regno gloriæ suæ. Ubi transformatio claritatem addidit ex majestate Divinitatis, sed faciem non subtraxit humanitatis. Ergo ubi splendor faciei ejus et candor vestimentorum ostenditur, ut dixi, nec facies nec vestimentum verum habuisse negatur, sed quorum sit splendor aut candor qui refulsit luce clarius declaratur. Unde quidam volunt astruere in resurrectione judicii æterni, non nos nuda corpora, quamvis incorruptibilia futura sint, habituros, sed lineamentis vestium circumtecta spiritaliter atque incorruptibiliter contextis. Idcirco vestimenta ejus candida facta fuisse leguntur ut nix. Et ut alius Evangelista dicit, *Qualia fullo super terram non potest facere* (*Marc.* IX, 2); quia quæ fullo facere potest super terram, corporale est, et tactui subjacet, *non* spiritale et aereum quod illudat oculis, et tantum in phantasmate conspiciatur, sicut nec illa quæ in futuro erunt tegumenta corporis si forte erunt, non alia quam spiritalia et vera erunt. Porro quod Marcus ait, *Et vestimenta ejus facta* **699** *sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo super terram, non potest candida facere*, spiritale loci hujus insinuat intelligentiam, seu moralem. Unde quia vestimenta Christi, quibus præclarissimus induitur Jesus, Evangeliorum credo esse documenta, quibus indutus secum ascendentibus in montem excelsum candida fiunt nimis, et splendentia. Sed quia vestimentorum multæ sunt differentiæ candidorum, illa quæ de Christo sunt in Evangelio documenta, quibus se indui dignatus est, fiunt divina contemplantibus, non qualitercunque, sed candida et splendentia sicut lumen. Quod si ita illustrata splendore conspicitur humanitas Christi in Divinitate sua cum ad altiora mens provehitur, quid putas quanta claritas refulget Divinitatis in humanitate carnis? Unde signanter uterque Evangelistarum ait, quia *Facies ejus sicut sol facta est, vestimenta vero candida sicut nix;* quoniam ipse est sol justitiæ qui illuxit et illuminavit ad justitiam credentes Sed talis tantusque non alibi quam in monte excelso conspicitur ab his, qui cum eo meruerint ascendere ad superna, et intelligere quæ divina sunt in Christo et humana. Quoniam utraque natura in eo candida est et præclara. Sed altera pars de cœlo splendidior sole cernitur ab his qui ea tantum sapiunt quæ sursum sunt; altera vero candidior nive quæ de terra est, dum cognoscitur ejus gloria et videtur unus idemque Christus unigenitus a Patre, *plenus gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Sed omnia in Evangelio vestimentorum ejus quæ de illo et per illum sunt, hunc habent splendorem in facie, hunc et candorem in omni verborum ac sententiarum contextu, quia hæc universa de eo tam candida sunt, tam splendida, *Qualia fullo nullus potest facere super terram*. Fullones ergo istos, ut Origenes dogmatizavit, qui talia non possunt facere vestimenta doctrinarum, salvo altiori intellectu, sapientes sæculi hujus possumus intelligere, qui philosophiæ et omnium liberalium artium habent diligentiam, et student in his quotidie et delectantur, ut sua facundia possint persuadere homines ad suam doctrinam, et inclinare animos singulorum ad sua fallacia, quæ multum jactitant esse præclara, ita ut videantur ea ornare suis dictis, ut possint introducere suæ artis ingenio homines ad **700** turpes eorum intellectus, et ad prava dogmata sua. Hinc conantur suos dealbare sermones, quasi arte fullonica, et candidos eos facere suo eloquio. Sed nullus illorum super terram tale aliquid potuit cudere vel fabricare, quia de terra erant, et ideo terrena solummodo et perpauca sapiebant. At vero Jesus noster benignissimus Salvator et peritissimus magister splendentia vestimenta sua ascendentibus secum supra montem ostendit non quibuscunque, sed dignis et gratissimis. Ostendit enim, licet a fastidientibus et indoctis despiciantur, splendidiora, quam illorum ars fullonica facere potuerit. Quapropter ut sæpe monui, et monere frequenter debeo, nemo Evangelium seu Scripturas divinas desidiose legat, nemo altiora philosophorum judicet eloquia, quorum nusquam vel unquam fuit, qui talia ut dictum est, aliquid facere seu dicere potuerit. Et ut mirabiliora monstrarentur, quæ fiebant in monte:

Ecce, inquit, *apparuit illis Moyses et Elias cum eo loquentes*. Quicunque ergo intelligit spiritalem esse legem, et per Moysen legem significari, necnon et per Eliam omnium prophetarum vaticinia demonstrari (quæ omnino fidelium nullus dubitat de Christo prænuntiare) hic plenissime cognoscit, quare hi duo tantum cum eo in monte et in gloria apparuerint. Quod satis Lucas evidentius ostendit, cum dicit quod hi duo cum eo visi sint colloquentes in gloria, *Et dicebant excessum ejus quem impleturus erat in Jerusalem*. Ubi ostendit, quod lex et prophetia semper cum Jesu sunt, et cum eo colloquuntur; et omnia quæcunque gessit in mundo, vel quæ passurus erat Hierosolymis, cuncta crebris vocibus denuntiant. Et ideo quam bene ut fides confirmaretur apostolo-

Introdusă în format electronic de Google

rum, et augeatur intelligentia, cum eo hic conspiciuntur in gloria ; quorum unus de cœlo venisse quo raptus fuerat mystice pertractatur, alter vero ab inferis exsurrexisse. De hoc quippe signo dictum fuerat ad Achaz per Isaiam prophetam, *Pete tibi signum de cœlo, aut de profundo inferni* (*Isa.* VII, 11), quod et Judæos signum supra petiisse legimus. Sed hic congruentius ratio poscebat, ut monstrarentur in quorum hinc inde medio Jesus visus est in gloria : quia lex et prophetia **701** semper eum prædicare non cessant, semperque ac si duo testes cum verbo loquuntur. Neque enim potest esse lex sine verbo, neque propheta vel prophetia, nisi quæ de Dei Filio prophetat. Hinc Petrus ac filii tonitrui corporali in gloria Moysen et Eliam cum Christo loquentes speculantur. Quos etiam et nos, quamvis indigni, quotidie cum eo confabulantes audimus, etiam clarificatos in Evangelio contemplamur ; quoniam lex et prophetia in eo completa sunt. Propterea et Jesus solus illis recedentibus remansit ; quia *Lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI, 16) fuerunt. Deinde evacuata est gloria vultus eorum, ut solus Jesus Christus, quem prædicarant, de quo omnia quæ futura erant prædixerant, videatur in gloria Dei Patris, et annuntietur in cunctis gentibus ab his qui eos possunt videre cum eo jugiter colloquentes. Quoniam hi duo tantum sunt qui docent de excessu ejus, et de omnibus quæ gessit universa mysteria. Qui licet videantur recessisse, quia jam novi nihil prædicant, tamen adhuc hodie Moyses docet nos de eo, et de illo Elias, id est prophetia loquitur. Hodie namque Moysen in majori gloria quam filii Israel, glorificatum cum Christo in monte conspicimus, non revelato vultu, sed revelata facie jam eum veneramur. Neque Moysen aut Eliam sine Christo invenimus, neque Christus sine his duobus testibus prædicatur. Quoniam etsi hi duo tantum Domino jejunio quadraginta dierum junguntur, Dominus tamen solus est, qui sine alterius suffragio jejunasse legitur, quamvis uterque eorum in eremo jejunaverit. Quibus profecto indiciis declaratur, quod lex et prophetia solum, quæ Christus adimplevit, dictis ac factis nuntiaverunt. Alioquin ubicunque sine Christo aliquis eorum videtur, ingloriosus utique probatur ; quoniam qui Moysen solum, aut Eliam videt, Dei verbum quod factum est ad prophetam illum, vel illum, simul cum illis videre non potest ; et ubicunque Dei Verbum non est, vere prophetia talis aut lex a vero vacua est ; quia Christus, Verbum Patris, vere veritas est.

Respondens autem Petrus dixit ad Jesum : Domine, bonum est nobis hic esse. Si vis, **702** *faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* O profunda humanæ ignorantiæ cæcitas, quæ tanta involvitur caligine obscuritatis, ita ut vix aut nunquam possit surgere, ut videat lumen claritatis Dei ! Ecce beatus Petrus quantis eruditur documentis, quantis attollitur præconiis, sed mox (quamvis ex affectu Christi amoris) considerandum, ut ita fatear, quam fatue loquitur, quantisque implicatur erroribus. Quia cum Deus in carne venit, *Tabernaculum Dei* factum est *cum hominibus* (*Apoc.* XXI, 3). Non tria siquidem, sed unum ; quia licet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres sint personæ, unum tamen est eorum tabernaculum lucidum et præclarum ; similiter, etsi tres visi sunt in gloria, Christus videlicet, Moyses et Elias, non nisi eos una nubes obumbrat, unumque ut protegat obvolvit et obumbrat tabernaculum. Quod tabernaculum, quia ipse est, nubes lucida sine peccato seipsum, et qui cum eo sunt, defendit ab omni æstu, et illuminat. Hoc quippe est proprium taberuaculi, ut aliquos obumbret sub se. Unde nubes lucida in qua erat Spiritus sanctus, obumbravit eos qui cum Christo unum erant in Evangelio, et tres istos, qui deorsum erant, ut unum fierent, non omisit. Omnibus tamen diviniorem et splendidiorem repausationis et requiei exemplo suo per nubem demonstravit æternæ quietis requiem, quæ protegeret eos simul et illuminaret omnes. Dum hæc aguntur, ecce Petrus in hac assertione trium tabernaculorum quatuor incurrit et eo amplius errores, quorum primus est dum fieri decrevit tria tabernacula, de quibus mox essent migraturi ; quia *non in manufactis habitat Deus* (*Act.* XVII, 24), neque sub foliorum schematibus, cum unum tabernaculum Evangelium, in quo lex et prophetia couiuntur et complentur. Alius error est, quod servos cum Domino coæquat. Tertius, quantum datur intelligi, quia non putavit jam judicii diem imminere, non interveniente morte, et ideo dicit : *Domine, bonum est nobis hic esse.* Et hoc ipsum, ut dixi, mendacium est ; quia si sic bonum esset, utique in eo permansissent loco, nec tamen aliis subvenisset, non dico **703** generi humano, sed nec ipsis coapostolis, qui cum eo ad eumdem locum non ascenderant. Nec enim de his aliquid cogitare videtur Petrus, in quibus charitas quam maxime commendabatur. Adhuc ex hoc error quartus commendatur, dum putat tabernacula fieri in regno Dei manufacta, ubi nec calor nec frigus, nec pluvia nec æstus, utique nec ulla inquietudo erit. Unde quamvis beatus apostolus Petrus, tanto claritatis lumine, tantaque circumvallatus gloria, et illectus dulcedine nimiæ suavitatis, nullus negare potest eum errasse, etsi nesciens loquebatur. Quapropter quæso, beate Petre, humillimus, si ideo in monte assumptus es cum Christo, ut fixis tabernaculis Dominum possideas solus cum paucis. Quod si tibi hoc placet, cur coæquas servos cum Domino ? Quid igitur de te aut de tuis cogitas coapostolis ? An forte binos per singula vis sociare tabernacula ? Fortassis ergo tanta videtur tibi hæc gloria, ut placeat tibi, ut illi sint Domini, vos in singulis tabernaculis, quos fabricare disponis, mavis ut sitis dominorum servi. Neque cogitas quod Moyses et Elias nunquam et nusquam velint esse sine Deo Domino. Sed jam, quia ita intendis, quis vestrum erit Do-

Introdusă în format electronic de Google

mini servus, quive Moysi, vel quis vestrum Eliæ? Tolerabilius ergo esset, si dixisses unum tabernaculum Domino fieri debere, cum quo quinque simul esse potuissetis. Nunc autem, ut cum venia loquar, videris mihi errare, quod et evangelista testatur, te nescisse quid diceres. Quapropter cum omni intentione mentis cogitandum per omnia quæ gesta dictave sunt coram apostolis, quam difficile pervenerint ad firmitatem fidei ac soliditatem doctrinæ, ita ut ante adventum sancti Spiritus parum virtutis habuerint. Hinc igitur est quod beatus Petrus tantis movetur impulsionibus, quamvis de amore Christi, et fidei magnificentia, videamus venire, error tamen in causa est quod tria se repromittit facere tabernacula, unum scilicet, ac si privatim, Jesu, alterum Moysi, et alium Eliæ, quasi non eos caperet unum tabernaculum, neque in uno simul omnes consistere possent. Et hoc, ut Origenes vult, instinctu diaboli malitiose fiebat, dum operabatur per eum, qui nesciebat sacramenta Dei, **704** neque quid loqueretur, volens non esse simul Jesum et Moysen atque Eliam, sed separatim eos ab invicem trium tabernaculorum obtentu, quod fieri non poterat. Nam si in unum sint Christus et lex ac prophetæ, tunc Christus vere Dei Filius comprobatur, sicque lex et prophetæ vera prophetasse inveniuntur. Quoniam lex et prophetæ testimonium dederunt de Christo, prædicentes ea quæ futura erant in Christo, et Christus testimonium legi et prophetis quod vera prophetaverint, dum prophetiam illorum ipsis rebus adimplevit. Neuter eorum sine altero vera dixisse probatur, continuo si ab invicem, quod non potest fieri, separentur; quod forte fieri cupiebat, ut prætatus doctor sensit, mala suggestione inimici, Petro dicente: *Faciamus hic tria tabernacula;* nesciens (evangelista teste) quid loquebatur. Tamen remedium est erroris, quod benignissimi Magistri, priusquam incipiat facere quod erroris est, devote requiritur voluntas. Sed falsum negari non potest, quod bonum Petrus esse testatur: *Domine, bonum est nobis,* inquit, *hic esse.* Quod si bonum fuisset illic eos esse, mansissent utique ibi, nec omisissent facere quod erat bonum. Sed quia non erat de veritate, ideo falsitas fuisse non negatur, sicut et illud quod ait: *Propitius tibi esto, Domine, non erit tibi hoc* (*Matth.* XVI, 22). Verumtamen quia secundum propositum hic Petrus jam a Domino beatus et sanctus erat vocatus, et filius gratiæ Dei, quid est quod oberrat? Ideo credere debemus et confiteri, quia *omnia* illi, juxta apostolum Paulum, *cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28), etiam etsi ab adversario stimulabatur in aliquo; quoniam proximum indulgentiæ est, quod de excessu venit pii amoris. Nam et ipse, ut Lucas ait (*Luc.* IX, 39), somnum patiebatur, et qui cum eo erant reliqui *gravati* dicuntur non somno siquidem carnis, sed somno mentis. Unde sicut in hoc dicto ignorantiam Petri non approbamus, sic præcipuum amorem illius erga Dominum veneremur, et fervorem fidei, quem sæpissime apertis indiciis idem validissimus dilectionis suæ exsecutor, intus celare non valebat, sed flagrabat foris ardor quem intus gerebat. Inde est quod supra interrogati discipuli quem eum esse dicerent, ipse primus pro **705** omnibus respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Inde, quod eum non vult pati, sed redarguit dicens: *Propitius esto tibi, Domine, non erit tibi hoc* (*Matth.* XVI, 22). Unde, quod imminente hora passionis suæ, dum ipse diceret: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.* Cum alii turbarentur, intrepidus iste respondit: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor* (*Matth.* XXVI, 31-33). Et iterum: *Domine, paratus sum tecum, et in carcerem, et in mortem ire* (*Luc.* XXII, 33). Rursusque: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI, 35). Inde, quod gladium educit, et auriculam servi Malchi abscidit. Hæc omnia et alia quamplura de fervore fidei et ardore pii amoris in Christo, veniebant, quamvis dispensative satis tentationibus exerceretur, quem, ut credimus, licet eis crederet, omnia illico operabantur in bonum, qui futurus erat pastor Ecclesiæ; ut ex suis infirmitatibus disceret non solum humiliari, verum etiam et alios tolerare. Tamen pium est cogitare, si visa Domini vultus claritate, vult deinceps in monte manere, et nec ad momentum descendere, respuit gloriam mundi et totum quod in mundo blanditur, sola ei claritas, quæ de Christi facie resplenduit, placet quid putare possumus quomodo placeret ei, si talem tunc posset intueri per corpus mortale, qualem nunc cernit exutus jam mortalitate! Ut vere fatear nemo qui edicere possit, quantum ei placeret ultra quam mens concipere posset. Verum etiam adeo non est Petrus arguendus, quia recesserat a se, quasi jam gratia resurrectionis futuræ illectus, si ait inter mystica admirationis sacramenta, *Domine, bonum est nos hic esse.* Cupiebat etenim beatus apostolus Paulus eodem ardore fidei *dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23). Fortassis ergo et iste quia prægravatus somno fuerat, ideo putabat quod resurrectionis speciem solutus carne, per exstasin jam videret. Quam sane gloriam bonam esse, nec laudasse sufficit, sed etiam devotione præstantior impiger operarius occurrit, et pollicetur communis obsequii ministerium. Qui quamvis nesciret quid diceret, offerebat tamen servitutis officium, quo non inconsulta petulantia, sed præmatura devotio fructum exhibebat, accumulare sibi cupiens mercedem laboris. Nam quod ignorabat **706** quid diceret, conditionis fuit humanæ; quod vero promittebat, devotionis obsequium. Et ideo Petrus a Domino non reprehenditur, quia et si displicuit ignorasse quid diceret, placuit tamen tanta devotio Deo. Et ideo inter hæc verba facta est nubes, quæ ipsos tegeret lucidissima, et eos obumbraret, ut sciret Petrus, quia non necesse erat tria tabernacula fieri, cum eos videret nube cœlesti obtectos, et quasi sub uno tabernaculo cooperiri. Unde consequenter ait evangelista:

Introdusă în format electronic de Google

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Nec dubium quin ipsa est illa nubes, quæ suscepit eum ab oculis omnium apostolorum, quando elevatus est in cœlum (*Act.* I, 9). Sed et in Veteri Testamento coram filiis Israel, columnam nubis, per diem : et columnam ignis, per noctem, præcessisse legimus (*Exod.* XIII, 21), sed quod lucidâ esset aliqua eorum, non habemus. Quinimo ante adventum Mediatoris (ut scriptum est) *Tenebrosa aqua in nubibus aeris fuit* (*Psal.* XVII, 12), hoc est, verborum scientia in lege atque prophetis occulta et obscura, quamvis multi quærant, ipsa nubes utrum corporea fuerit an non? Sed restat tamen intelligere, quidquid fuerit quod magnum sacramentum fuit. Quia Novi Testamenti doctrina, non jam in nube tenebrosa obtegitur, sed per nubem lucidam tonans paterna voce perspicue auditur. Ipsa siquidem nubes non ignea, non tenebrosa, sed lucida fuisse prædicatur. Quia non in igne terroris nunc venit, non in caligine cæcitatis, sed in lumine veritatis illustratus a patriarchis Christus, et a prophetis lumine claritatis illuminatus. Et notandum quod nubes lucida Moysen et Eliam tenet et obumbrat. Quomodo lucida est si obumbrat? Nam et *virtus Altissimi* obumbrat Mariam (*Luc.* I, 35). Idcirco intelligendum hæc nubes aliquid quod illuminat et lucet ad aliquid quod obumbrat. Aufert igitur Moysen et Eliam, et occultat; et cum eos teneat et occultet, non tamen jam Moyses et Elias de nube sonant in qua latent, sed solus Pater per nubem loquitur, solaque nubes lucida paternam vocem exprimit. Sicque nimirum Novi Testamenti gratia legem et prophetiam obumbrat et conservat, an tenet, occultat, et obumbrat in littera. Conservat **707** autem in spiritu, occultat in ænigmatibus et figuris, tenet in mysteriis. Sicque fit, ut quidquid lex et prophetia loquitur, quanquam spiritaliter observandum retineatur, non jam per Vetus Testamentum, sed per Novum audiatur, sicut per nubem lucidam solummodo Deus Pater loqui videtur. Jam deinceps Moyses tacet, Elias silet, et per solam nubem paterna vox sonat et auditur :

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Hic est, ac si dicat qui naturaliter meus est Filius, et hic est qui mihi a natura dilectus est. Ergo, hic, non adverbium loci, sed pronomen personam demonstrantis est, eo quod præter hunc nullus alius propius est. Et ecce ablata est cura figendorum tabernaculorum, quia recessit Moyses, recessit et Elias, qui servi erant et non domini. Recesserunt ergo, ne forte dubium esset, Pater de quo illorum diceret. Nunc autem, quia solus remansit, certum quia et lex et prophetia ad eum transiit, et vox Patris, non de alio ad discipulos quam de ipso fuit. Ac si diceret vox divina, Hic solus qui remansit est Dominus. Hic solus, quem estis secuti, dilectus et unicus est Filius. In hoc solo et non in Moyse vel Elia, mihi bene complacui. Et ideo præ omnibus et ante omnes ipsum audite.

Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas super terram, et timuerunt valde. Vox igitur illa quæ aures discipulorum percussit, sive per semetipsum, sive per angelicam creaturam, elementum, quæ lucida refulsit, Dominus commoverit, tamen per nubem sonuit. Quia vero de nube processit vox quæ discipulos ita in terram prostravit, in modum tonitrui facta fuit, sicut tunc quando imminente passione idem Filius ad Patrem dixit : *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora ; sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat et audiebat, dicebat tonitruum factum esse* (*Joan.* XII, 27, 28, 29). Sed quid est, quod ibi tonitruum audiens turba, non cadit? Hic autem audita voce discipuli, in faciem cadunt? Nisi quia ibi superbia tumet, hic autem humilitas pavet. Nec tamen sine causa mens pavet, quæ præmium tanti pavoris per gratiam jam habet, quam accepit. Multa siquidem occurrunt, cur discipuli super terram in faciem corruerint. Primum, quia non poterant sustinere gloriam tantæ vocis de nube, neque **708** claritatem ipsius nubis, qua obumbrabantur, Christus videlicet, Moyses, et Elias, quibus jam cum Christo unum erat tabernaculum, et non tria, quæ Petrus obtulit ut fabricarentur. Erat enim splendor vultus ejus qui fulgebat ut sol, et claritas vestimentorum, in quibus delectabatur Petrus admiratus. Sed inter hæc omnia, virtutem vocis non ferentes, ex eo et vocem a Patre per nubem delapsam, ferre non poterant, idcirco ac si supplicantis affectu, timore perculsi, cadentes ruunt in faciem suam. Valde enim perterriti erant spectaculi novitate, et testimonio vocis paternæ. De quo sane testimonio, quia supra jam me satis dixisse recolo, idipsum reinculcare distuli. Nisi quod quidam quærunt, utrum de nube hæc vox ad Moysen et Eliam facta sit, qui desiderabant Filium Dei in carne videre et audire, ut viderent et audirent jam completa quæ de illo ipsi crediderant, et prædixerant quandoque esse futura. Aut discipulos, quod magis congruit, Pater docebat de Filio, quod ejus proprius esset Filius, quem secuti fuerant, et quem jam transfiguratum cernebant in gloria, ut deinceps de illo jam nihil ulterius dubitarent. Unde et ipsa vox, quia talis tantaque fuit, ut eam ferre non possent, audientes ipsum esse Filium Dei Patris, qui visus est Moysi, et ei dixerat : *Non videbit homo faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Fortassis ergo videntes faciem Filii Dei factam sicut sol refulgentem, et audientes testimonium Dei Patris de ipso, non potuerunt non timere. Et ideo humiliantur mox sub manu Dei, quod et ipsum Moysen, necnon et Abraham patriarcham, fecisse legimus. Tunc benignus Magister.

Accessit et tetigit eos, dixitque eis : Surgite et nolite timere. Ac si aperte diceret : Timendum erat si Moysen

Introdusă în format electronic de Google

audiendum vox clamaret, aut Eliam imitandum tantum, quia nec ipsi sine me utique placent. Porro quod accedit post tantam gloriam clementia est, quod tangit, potentia reformantis : ut ea manu recrearentur ad fidem, qua creati erant ad vitam. Jubet ergo ut exsurgant a somno, et pellit jubendo timorem. Tangit vero ut debilia membra restituat sanitati, et quos manu sanat, sanat et imperio. *Nolite timere*, inquit, quia quos tam vehemens timor possidet, doctrinam recipere sanam non possunt, ideo prius timorem pellit, et sic eos ad seipsum erigit et elevat, **709** ut non alium requirant neque intendant, sed quem Pater signavit, atque unum et singularem demonstrat. Unde et illi : *Elevantes oculos, neminem alium viderunt nisi solum Jesum*, quia *in ipso sunt omnia*. In ipso quidem Pater et Filius, in ipso et Spiritus sanctus, in ipso Moyses et Elias, etiam cum recedunt, in ipso et ipsi discipuli. Propterea non opus est nisi unum tabernaculum fieri; quoniam cum ipse solus habetur, omnia possidentur. Sed non ante Jesus solus in monte monstratur, quam nubes clara eum obtexit, et de nube, in qua Spiritus sanctus erat vox Patris sonuit : *Hic est Filius meus*, etc. Tunc siquidem nube desuper clarescente, cum vox Patris intonuit per nubem, inventus est Jesus solus. Et cum tres essent, ut dixi, unus est factus. Tres siquidem in principio videntur, et unus in fine est solus Jesus Christus, qui omnia quæ perfecta sunt, unum facit. Nam et in eo regno, quod præfiguratur, Christus Deus omnia in omnibus erit unus, quando simul omnes in eo judicio quod futurum est tunc timebunt. Interea, quia et nobis bonum fuit cum Jesu diu demorari in monte, de his quæ conspeximus pauca sunt, etiam et ipsa incomptis verbis quæ detulimus. Ideirco nulli onera videantur ista, quoniam altiora sunt, dicere quæ omisimus; certe aut ipsi penetrare non potuimus.

Unde descendentibus illis de monte, præcepit eis benignissimus Salvator, dicens : Visionem quam vidistis nemini dixeritis, donec Filius hominis a mortuis resurgat. Hoc ergo fidei præmium reservare voluit in futurum, ut honor redderetur apostolis omnibus, apud quos non levis præceptorum auctoritas monstraretur suo in tempore. Quoniam futuri regni forma, et gloria triumphantis, demonstrata fuerat in monte sancto; nullo pacto congruebat, priusquam victoria expleta esset, ut prædicaretur per apostolos, ne et incredibile videretur præ rei magnitudine, et post tantam gloriam apud rudes animos crux sequens scandalum generaret. Ac per hoc quidquid supra exposuimus, de eo quod ait ut nulli dicerent, quod ipse esset Christus, hic totum intelligendum est, ne non suo in tempore prædicaretur crux passionis, et gloria simul triumphantis. Tunc ergo ad hæc interrogaverunt eum discipuli dicentes :

Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? Jam itaque apostoli in se reversi, conferunt quod viderant, **710** et interrogant quod audiverant. Audierant enim juxta Malachiam prophetam a Pharisæis traditum, quod Elias venturus esset ante adventum Salvatoris, ut restitueret corda patrum in filios, et omnia in antiquum statum (*Malach.* IV, 5). Ipsi vero discipuli æstimantes transformationem gloriæ, quam viderant in monte, hanc esse illius adventus consummationem, interrogant : ac si dicerent, si jam venisti in gloriam, quomodo præcursor tuus Elias, qui modo visus est, et recessit, prius non venit? Quid ergo Scribæ dicunt? Hæc ideo interrogant, quia visio quæ facta fuerat in monte, in qua etiam Elias est visus, videbatur eis non convenire cum traditione Scribarum; quia non ante Christum videbatur Elias venisse, sed cum Christo. Ideoque falsam æstimabant traditionem Scribarum, quia Christus manifeste venerat, antequam Elias in hoc monte appareret. Quibus quam prudenter responderit consideremus, non reprobans quæ a Scribis tradita fuerant de Elia, sed alium Eliæ adventum ante se indicabat jam factum, quem ignorabant Scribæ et Pharisæi. Et notandum quod dicunt, quia nisi prius venerit Elias secundum Scripturas, Salvatoris adventus esse non poterit secundus.

At ille respondens ait, Elias quidem venturus est, in secundo meo adventu juxta corporis veritatem. Nunc jam in primo venit per Joannem cum spiritu et virtute : quia Joannes in spiritu vere Elias fuit. *Sed non cognoverunt eum et fecerunt ei quæcunque voluerunt.* Hoc est spreverunt, afflixerunt carcere, et decollaverunt eum. *Sic*, inquit, *et Filius hominis passurus est ab eis.* Ex qua sententia utique insinuat, quod sicut Joannes voce præcurrit et verbo, ut Verbum Christum nuntiaret in mundo : ita passionem prænuntians, præcurrit injuriarum ac vexationis exemplo. Unde ait : *Et fecerunt in eum quæcunque voluerunt*, quia et sic facturi erant in Christum. De quo facto, nec immerito quæritur a quibus factum sit quod ait, et fecerunt in eum quæcunque voluerunt? Cum supra de Scribis facta sit mentio, et non de Herode vel Herodiade qui eum interfecerunt. Similiter et si de istis qui Joannem interfecerunt recte dixisse Christum accipimus, quomodo intelligemus, quod rursus ipsi Christum interfecerint? Dicit enim ita de Joanne : Et fecerunt in eum quæcunque voluerunt. Ac deinde : *Sic et Filius hominis passurus est ab eis.* Ubi **711** non personam discernit qui eos occiderit, sed una simul generatio persequentium sanctos colligitur. Alias autem nec Herodes Christum occidit, nec Scribæ et Pharisæi Joannem. Sed tamen hinc inde colligitur, quia fecerunt et isti in Christo et illi in Joanne, quæ voluerunt. Ac per hoc et isti qui in Joanne aliquid egerunt, et illi qui in Christo, unum corpus fuerunt, unaque progenies, et unius capitis membra. Unde patet quod isti et illi conscii sibi fuerunt, et complices in malum, ita ut indifferenter de his aut de illis loquitur Scriptura, quod aut in Joanne fecerint quæcunque voluerint, et Filius hominis passurus est ab

Introdusă în format electronic de Google

eis, id est ab eisdem persecutoribus justitiæ, a quibus passus est et Joannes. Quanquam vere dicere possimus, quod et in Joannis nece Pharisæorum factio consenserit, et in occisione Domini Herodes suam evidentissime junxerit voluntatem, qui illusum atque despectum remisit ad Pilatum, ut crucifigerent eum.

Et cum descendisset Jesus de monte ad turbas, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens : Domine miserere filio meo, quia lunaticus est et male patitur. Quod ergo magna sint opera Domini, siquidem nobis tacentibus, ipsa per se clamant. Et propheta testatur quia sunt magna et fortia, *Exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* cx, 2), et præparata. Idcirco ut sæpe dico, non ex eventu rerum proveniunt, sed ex providentia Dei et dispensatione salutis humanæ. Hinc ergo est quod longe jam supra ubi Jesus de monte descendit, cum docuisset discipulos suos octo beatitudines, occurrit ei primum leprosus, ut viso miraculo, corda discipulorum firmarentur ad fidem; sic et in hoc loco, quia turbæ et nonnulli discipulorum in montem cum Jesu non poterant ascendere, propterea ob dispensationem salutis humanæ descendit ad eos, quasi de monte excelso Divinitatis suæ, ubi se coram perfectioribus transformavit in gloriam suam. Et continuo : *Accessit ad eum homo genibus provolutus*, rogans pro filio suo, qui pessimo vexabatur dæmonio. Qui non accessisset ad eum, nisi cum discipulis suis ipse primum venisset ad turbam quæ deorsum multis patiebatur dæmonum vexationibus. Ex quo loco considerandum quod omnes a Christo curationes et sanitates morborum, et omnia infirmitatum genera in mysterio altius considerata docent animarum profundiora sacramenta, et curationum genera. **712** Idcirco qui possunt audire diligentius, vel intelligere, subtilius pertractanda sunt coram eis, ut ipsæ virtutes curationum corporum et animarum ad alterutrum comparatæ ac discussæ, multa eisdem conferant dogmata sanitatum, et demonstrent differentias morum ac qualitates infirmitatum. Quoniam longe aliud fuit illud ubi leprosus occurrit, et deprecatur pro sua salute, aliud istud, quanquam vicinum ei esse videatur, ubi homo provolutis genibus, non pro se, sed pro filio deprecatur lunatico. Quoniam alii sunt qui patiuntur, ac credunt, et rogant pro se : alii qui patiuntur, sed alii pro eis deprecantur, ut centurio pro servo, regulus pro filio, archisynagogus et Chananæa pro filiabus. Inter omnes venit quæ sanguinis fluxum patiebatur, nec pro ea aliqui, sed ipsa pro se, nec rogans voce, nec dicens, sed tantum cogitans : *Tetigit fimbriam vestimenti ejus* (*Matth.* IX, 20), et sanata est. Quarum omnium infirmitatum et curationum ista est ratio, ut omnes languores et infirmitates in populo, quas sanavit benignissimus Salvator, referantur ad infirmitates animarum secundum differentias passionum. Sed quoniam nunc non de omnibus infirmitatum et curationum generibus sermo mihi est, sed de proposita oblati viri sanitate, quid inde sentire oporteat, videamus. Nam lunaticus iste multis obvolvitur passionibus. Primum, quod pessime quam sæpe suis vexatur infirmitatibus, deinde ab ipso dæmonio, quia perpessus male affligitur et torquetur, ita ut arefactus in ignem se projiceret, et in aquas, seu quod deterius est, etiam ut ab ipsis apostolis nec curari posset. Ut reor, nec immerito, quoniam ipsi apostoli, cum turbis et cum ipso lunatico deorsum remanserant. Inter quas moras dum Dominus in monte perdurat, et operatur obstupenda nimium et admiranda virtutum sacramenta, discipuli remoti ab eo, in fide languescunt, et inde curationem fides eorum secundum promissa pii magistri non operatur. Unde increpat eos durissime una cum eisdem cum quibus interdum conversati fuerant.

Generatio, inquit, *incredula et perversa, quousque ero vobiscum, quousque vos patiar?* Ubi ostendit, absente se quod antiquæ infidelitatis consuetudo eos subrepserat. Ex quo dicto insinuat, quod nihil virtutis afferre potest discipulatus Christi, qui obtentus sui tempore, a fide, tanquam Domino absente, recesserit. **713** Si quis autem defendere voluerit, quod apostoli jam perfecti fuerint in fide, et nihil infidelitatis fuerit quod homo ab eis curari non potuit, multis se involvet quæstionibus, et convictus Christi auctoritate, cessabit astruere quod confirmare non potest. Unde pater cum obtulisset eum, volens benignissimum Jesum provocare ad clementiam :

Obtuli, inquit, *eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.* Quorum nulla potentia alia erat, quam fides quæ in Christo est. Sed obtuli eum, et ipsi non potuerunt curare eum. Forte ut sola omnipotentia Christi prædicaretur, et apostolorum commendaretur infirmitas. Qua sane infirmitate detenti, ut supra dictum est, ad altiora cum Domino ascendere adhuc non meruerunt, quinimo deorsum residentes cum turbis, infirmantur in fide. Verumtamen non adeo ut filii Israel, demorante Moysi in monte, infirmati sunt, quia mox recreantur auditu, cæteris narrantibus quæ viderant, recreantur etiam et miraculo. Insuper increpantur cum patre pueri et cum turbis quasi increduli, quia necdum illis tanta fides erat qua possit illud ejici. Et ideo illis mirantibus, quibus olim potestas fuerat attributa, infirmos curare, mundare leprosos, dæmonia effugare, etiam et mortuos suscitare, quid esset quod hunc curare minime potuissent? Quibus Dominus manifeste, *Propter incredulitatem*, inquit, *vestram*. Quapropter valde semper est imploranda fides, quia perrara est. Quod si apostolis dicitur : O generatio incredula, quid de nobis dicturus est, qui velut lunaticus ille, nunc sani in fide videmur, nunc infirmi, qui ad tempus credimus, et in tempore tentationis arescimus proclivi ad peccandum, ita ut, aut in ignem concupiscentiarum præcipitamur, quia omnes adulterantes velut clibanus ardens corda eorum : aut fluctibus mergimur maris, ubi rex omnium eorum qui sunt in aquis, draco cubat, et dejicit a libertate animæ, in

Introdusă în format electronic de Google

profundum maris, id est in malam et pessimam hujus vitæ consuetudinem, ita ut cooperiantur vitiorum fluctibus. De talibus ergo Sapientia dicit, dum constantiam justorum commendare videtur : *Sapiens sicut sol permanet, insipiens autem sicut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII, 12). Est quidem videre in talibus impetus quosdam quasi habeant opera justorum, ita ut subripere possint ab hominibus laudes qui nesciunt occultam conscientiam cordis **714** eorum. Quod si post modicum eos inspexeris, videbis hujuscemodi homines minui ac deficere sicut lunam a lumine justitiæ, et tenebris vitiorum obscurari. Tamen omnino cum videris, quid aliud eum quam lunaticum vocabis ? Non quid ex vitio lunæ descendat, ut quispiam ad insaniam peccati corruat ; sed quia sicut luna obscuratur, et in suis devolvitur delictorum menstruis. Et notandum quod evangelista eum etiam juxta patris vocem et æstimationem vulgi lunaticum vocat. Non quod a luna aliquid pateretur molestiæ, qui spiritu vexabatur immundo, sed quia callidus hostis sic suis operabatur ludibriis in homine, juxta lunarem cursum, ut ab ea pati æstimaretur a populo, quatenus per hoc Dei creatura, quæ bona creata est, atque hominibus perutilis et necessaria, infirmaretur, ejusque infamiam ad Creatoris injuriam retorquerent. Agit enim hoc arte sua diabolus, ut in nullo fides servetur. Unde de talibus loquuntur medici quodcunque volunt, qui nec eos immundum habere spiritum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem, propter humorem cerebri in lunæ cursu vitiatum, quia et luna humidam habet naturam. Nos tamen, quia Evangelio credimus, dicimus hanc passionem in hominibus immundum spiritum operari. Et ideo sic requirendi sunt medici a talibus, ut non negligatur Deus, a quo et per quem omnis medela est ; ne forte aliquis dum Dei creaturam culpabilem æstimat, aliquid contra Deum sentire videatur, quo magis offendat. Ecce in hoc miraculo tres simul culpantur personæ, pater quod obtulit filium, et latenter accusat apostolos, et ipsi apostoli, quorum incredulitas denotatur, ad ultimum ipse filius lunaticus, qui vexabatur dæmonio. Omnes tamen, licet diversi sint fide, uno Christi correptionis elogio denotantur. *O generatio*, inquit, *incredula et perversa, quousque ero vobiscum, quousque vos patiar ?* Sed non uno modo increpantur omnes ; quia etsi apostoli adhuc increduli erant, ut Magister eis veritatis denuntiat, non tamen perversos fuisse, quos semel sibi sanctificaverat, æstimandum. Denique in uno eodemque corpore diversa sunt membra, ideoque Christus sic loquitur, ut omnes videant quod unicuique congruat. Quoniam etsi apostoli ab incredulitate necdum purgati erant, ut ex toto divino illustrarentur lumine, longe tamen ab his tenebris erant, in quibus lunaticus **715** ille vexabatur ; etsi necdum illustrati erant a lumine solis, ex toto jam non erant in tenebris qui sequebantur solem justitiæ. Sed quia deorsum remanserunt, fervor luminis et caloris forte minor erat. Idcirco adhuc cum quibus fuerant, a quibus necdum expliciti erant, simul cum eis increpat ut purgentur. Cæterum et hi qui cum patre censentur, et qui cum lunatico connumerantur, merito una generatio, non solum incredula, verum etiam perversa increpatur. Quibus profecto plangentis affectu dicitur : *Quousque ero vobiscum, quousque vos patiar ?* Non quod tædio superior sit mitissimus Dominus, et mansuetissimus agnus, qui non aperuit *coram tondente se* os suum (*Act.* VIII, 32), neque in verba furoris erupit, sed quod in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta gerere, dicat : Quousque accedam ad domum tuam, quousque artis perdam industriam, dum me aliud jubente, et te aliud perpetrante semper ægrotaris ? Cœperat enim longe jam diu pati ab eis, cum quibus semper erat affectu pietatis ; idcirco non homini irascebatur, sed vitio. Ita ut per hunc unum hominem non solum apostoli et pater culparentur, qui vitio adhuc premebantur incredulitatis, verum etiam omnes Judæos tangit, et infideles, cum quibus laborat Verbum Dei impræsentiarum. Sed ipsi non festinant recipere sanitatem. Ac per hoc in uno isto lunatico magnum et evidens ostensum est Christi sacramentum, sicut et in leproso illo, quando de monte descendit, nisi quod ille sua sponte venit, hic autem nec venit, nec venire curavit, quoniam male a dæmonio premebatur ; sed nec ipsi qui curandi acceperant potestatem, nec pater qui pro illo deprecabatur, immunes sunt a culpa, quamvis impossibilitas curandi non semper imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt fidem referatur, dicente Domino : *Fiat tibi secundum fidem tuam* (*Matth.* XIX, 19). Verumtamen non omnis hæc increpatio, ut dixi, ad apostolos est referenda, quia illi etsi adhuc erant increduli, non tamen perversi. Lunaticus vero et Judæi, quorum tenet formam, utique simul increduli et perversi erant ; quoniam ex perversitate in eis malitia est introducta, ita ut extra naturam male paterentur a dæmonibus. Ubi et perversitas totius humani generis increpatur, quibus quasi gravatus eorum malitia et conversatione cum eis, dicit : *Usquequo ero vobiscum ? usquequo vos patiar ?* **716** Culpatur enim genus in specie, cum una generatio simul, propter perfidiam, omne humanum genus (nisi renascatur jugiter ad fidem) esse dicitur ; quia post perceptam fidei notitiam, multi, ut præmissum est, in fide, quæ per dilectionem operatur, tepescunt. Idcirco nec immerito lunatici vocantur donec firmi et stabiles fiant. Sed nisi Dominus de monte descendisset, et nos primum quæsisset in terris, nemo ad eum venisset, nemo nos curasset, nemo sanus fieret ; ac per hoc inter leprosum, quando de monte descendit, expositis vitæ documentis, et hunc lunaticum differentia peccatorum monstratur ; sed una esse curatio a solo Deo ostenditur. Qui ideo venit, ideo pati voluit, sed quousque ? non enim in longum tempus, ex eo loco, ut pateretur, differebatur passio Christi, licet longe jam retro cœperit, et adhuc hodie in membris suis compleatur. Quam sane passionem tunc in semetipso

Introdusă în format electronic de Google

jam per patientiam sustinebat, ut esset passio ante passionem, sicut et post passionem in membris ejus, donec quousque finiatur, adimplebitur. His ita dictis, ait benignissimus Salvator : *Afferte huc illum ad me.* Ubi ejusdem infirmi nimia vexatio monstratur, cum afferri jubetur, quia venire non poterat. Sed quibus jubet quantulacumque eis fides erat, et afferendi facultas, ubi apostoli et turbæ simul in loco ac cum eis pater erat. Inter quos, nec mirum si dicimus, quia fides patriarcharum erat, quæ offerret hunc dæmoniacum, quoniam sine fide salvari non poterat.

Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora potestate Christi. Cur autem increpaverit cum qui vexabatur a spiritu immundo, et non eum qui illum vexabat, cum potius spiritum increpare debuisset, manifesta ratio est ; quia propter peccata sua hic patiebatur et fuerat oppressus, ideo illum qui corrigendus erat potius debuit increpare, quam eum qui nunquam corrigi jam ultra potest. Sed in eo verbo percutitur, cum infirmus ab insania revocatur et sanus efficitur.

Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt ei : Quare nos non potuimus ejicere illum ? Qui dixit illis : propter incredulitatem vestram. Hoc est quod alibi dicit : *Quæcunque in nomine meo petieritis credentes, accipietis* (*Matth.* XXI, 22). Et ideo quotiescunque petentes non accipimus, non Salvatoris nostri est impossibilitas, sed culpa deprecantium, **717** dum aut male petunt, aut non cum integra fide petunt. Nam curato lunatico tunc accesserunt secreto more suo, ut interrogarent eum, et instruerentur secretius, quasi domestici. Quibus cum respondisset, quod propter incredulitatem eorum factum esset, docet et erudit eos quantam debeant habere fidem, et quid agendum sit in hoc opere cum fide.

Si habueritis, inquit, *fidem velut granum sinapis, et dixeritis monti huic : Transi hinc ; transibit.* Ubi cum dicit, si habueritis fidem velut granum sinapis, ostendit qui corda inspiciebat eorum, quod necdum tantam habebant fidem. Adhuc quippe fides eorum parturiebatur, nunc doctrinis, nunc miraculis, et instruebatur ut perfectam de illo haberent fidem. Nemo tamen modicam æstimet fidem, si fuerit tanta quantum est granum sinapis. De quo grano satis jam supra diximus, in ea parabola ubi regnum cœlorum grano sinapis simile esse dicitur. In quo profecto loco intelligere debemus, quod magnum est, cui regnum cœlorum comparatur. Et ideo non ad exiguitatem grani, sed ad eum qui similis ei esse dicitur intendere debemus; quoniam omnino hoc granum est fidei, quod seminatum vel plantatum in horto Ecclesiæ fructificavit. Id est humanitas incarnati Verbi, quæ crevit in arborem magnam, et dilati sunt rami ejus super universam orbem, ita ut volucres cœli, sancti scilicet, inhabitent et requiescant ab æstu in umbraculis ejus. Et notandum quod ait : Si *habueritis fidem sicut granum sinapis*, ut talis tantaque sit fides nostra, quantus et qualis est Christus. Quia si talis tantaque fuerit qualis est ipse et quantus de quo est, tunc utique integra et perfecta fides est. Sed non omnium talis aut tanta est. Idcirco cum fuit fides apostolorum grano sinapis coæquata, ut tanta esset fides eorum de Christo, et in Christo, noli putare quod parva esset, si non desipis quod Christus aut parum aut nihil esset; quia etsi minoratus est ab angelis, et comparatus est vermi, ut ipse per Prophetam de se ait : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal.* XXI, 7) : tamen major est angelis, quia coæqualis et consubstantialis est Deo Patri. Et ideo hæc fides, quæ tanta est ut granum sinapis, ipsa est integra, et incorrupta fides. Ipsa est et de qua Apostolus dicit : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam* (*I Cor.* XIII, 2) ; quia et transferre montes potest imperio suo, **718** sicut Dominus repromittit. Ipsa est omnis fides, et ideo magna fides, quam hæretici quia noluerunt habere, non fuit eorum vera fides; peccatores et falsi Christiani, quia violaverunt illam, non fuit incorrupta et incontaminata fides. Propterea nec semetipsos a vexatione plenilunii, nec a menstruis suis se liberaverunt. Interea quamvis omnis creatura quodammodo audiat Creatorem, ita ut in montibus fides imperare possit, hoc loco Christus non de istis montibus dicit, quos oculis carnis conspicimus, sed de illo qui a Domino translatus fuerat et ejectus a lunatico. De quo ac si digito eum ostenderet, si dixeritis, inquit, monti huic, transi hinc, et transibit. Alioquin nec ipsum Christum hoc fecisse legimus corporalibus aspectibus, in quo magis ostentatio monstraretur quam profectus. Ex quo arguendi sunt qui contendunt apostolos omnes fidem non habuisse, quia nullus eorum montes transtulerit, quod nec Dominus intendit, licet fieri potuisset per fidem. Sed omnis intentio et voluntas de salute humani generis est, ut apostoli per fidem ibi accipiant potestatem, ubi omnis contradictio fidei et corruptio boni est.

Et nihil, inquit, *impossibile erit vobis.* Ac si dicat : quidquid boni petieritis; quoniam omnia possibilia sunt credenti. Quam sententiam nonnulli dum subtilius legere conantur, suis extenuant syllogismis simplicem sensum, quasi id quod nihil est solummodo impossibile eis debeat esse, reliqua vero omnia quæ sunt possibilia. Ipsumque nihil volunt esse aliquid, aut forte, quia de nihilo aliquid facere, ut Deus, non potuerint. Sed ista interpretatio otiosorum est, sicut et illa, qua dicunt quod sine ipso factum est nihil, dum disputant quasi nihil aliquid sit quod a Deo non sit. Et dum hoc sibi fingunt, ipsi nec immerito sine Deo inveniuntur. Quæ nimirum disputatio vana est a vero; sed ideo dixerim ut tales, qui hoc solent movere, a tali se cohibeant eloquio : quoniam etsi exercitium in eo esse potest, fructus intelligentiæ nescio si ullus esse possit.

Hoc, inquit, *genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium.* Ergo dum docet quibus modis nequissimus dæmon possit expelli, omnes instituit ad vitam.

Introdusă în format electronic de Google

Unde de monachis, qui abrenuntiant sæculo. In locis, inquit canonica auctoritas, in quibus abrenuntiaverunt, jejuniis et orationibus serviant Domino: quoniam **719** in his duobus anima et corpus Domino commendantur, et ab omni integritate hominis diabolus excluditur, ita ut nec in animo possit astutia diaboli, quo vigent orationes, nec in carne, quam jejunia castigant, fraus inimici. Quia sic dictum est, hoc genus, cum ait, ut aut lunaticus tantum, aut omne genus dæmonum, in his vincere posse intelligas. Quia sicut valet oratio contra vitia animæ, et ad carnem usque pertingit, sic jejunia ad carnis vitia reprimenda, et ad animæ usque munditiam pervenire festinant.

Conversantibus illis in Galilæa dixit Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum, et die tertia resurget. Et contristati sunt valde. Magister eximius ut introducat animos discipulorum paulatim ad fidem; semper prosperis ac blandis tristia miscet, et miraculis contraria sociat, ut elevet animos ad divina, et præparet eos contra omnia adversa, ut cum repente venerint, non perterreant. Inde est ergo quod post fidem Petri contraria denuntiat; inde quod nunc post clarificationem in monte, post miraculum coram omnibus exhibitum, rursus denuntiat, quod tradendus sit filius hominis, etc. Quia in hoc laborat ut æque eum intelligant Filium Dei atque Filium hominis, unum tamen eumdemque Christum. Videtur autem eadem repetere de morte sua, quæ supra dixerat; sed non est ita per omnia, quoniam longe aliud est ostendere discipulis quia oportet illum ire in Jerusalem, et multa pati et occidi, et aliud cum esset in Galilæa, quod non didicimus supra. Futurum est, inquit, ut Filius hominis tradatur in manus hominum; quamvis reliqua omnia similiter dicat. Quia de morte ejus omne scandalum *futurum* erat, ideo multoties eadem replicat, et intromittit paulatim ea quæ nondum dixerat, ut eos ad fidem introducat. Tradendum eum, superius est dictum; hic autem non solum tradendum, sed etiam in manus hominum esse tradendum. Illic itaque didicimus a quibus patietur, et in quo loco patietur; hic autem discimus, quod multa passurus sit a supradictis, non ipsis tamen causam præbentibus, ut multa patiatur, quoniam ipse vel ipsi causam passionis ejus præstiterunt, qui eum tradiderunt in manus hominum. Sed ne forte Judam eum dicamus tradidisse in manus hominum, et ipse utique homo fuit, in cujus nimirum manus nescio a quo alio traditus **720** fuit. Traditum igitur Filium Apostolus narrat a Deo Patre, ita dicens: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32). Quid putas cui tradidit eum? Utrum primum principi hujus sæculi, qui immisit in cor Judæ ut traderet eum, et in Judæis ut eum occiderent, an eisdem Judæis Deus Pater eum tradidit, vel ipse Filius se tradidit oblationem Deo Patri in odorem suavitatis? Nam et Job, et universa quæ habere potuit, primum tradita sunt a Deo in potestate diaboli, deinde ab ipso adversario universa substantia et bona ipsius tradita sunt omnia in manus prædonum qui ea diriperent, accepta prius potestate a Deo: sic et aliqua forte dicimus operatione, princeps potestatis aeris hujus, qui operatur in filiis diffidentiæ, traditum sibi a Deo Patre accipiens, tradidit eum in manus hominum, in quibus et Judas erat, in quem post panem sanctum ingressus est Satanas. Considera tamen, quia aliter eum tradidit Deus Pater, aut ipse se Filius propter benignissimam misericordiam suam, ut salvaret genus humanum. Aliter contrariæ potestates, potestate accepta, tradiderunt Dominum in manus hominum, non pro salute aliquorum, sed quantum ad se, quia nescierunt sapientiam Dei absconditam in mysterio. Tradiderunt eum, non ut ipse moriendo mortem perimeret, sed ut eum inimica mors ejus subjiceret sibi sicut omnes homines qui moriebantur in Adam, per quem mors introivit in orbem terrarum. Similiter et illi omnes qui Christum occiderunt, quibus traditus est a diabolo, eo quod erant membra diaboli, non secundum voluntatem Dei, jam a Deo præordinatam, id fecerunt, sed secundum voluntatem potestatum qui Filium Dei volebant subditum morti fieri. Verum igitur quod non ab hominibus traditus est in manus hominum, sed a potestatibus quibus eum pro nobis omnibus tradidit Pater, ut in eo quod traditur, et fit sub eo cui traditur, destruat eum qui mortis habebat imperium. Non istius mortis dico imperium, qua morimur omnes in commune secundum carnem, sed mortis illius quæ contraria est et inimica ei qui dixit: *Ego sum vita. Et contristati sunt*, inquit, *discipuli vehementer* (*Joan.* XIV, 6). Quæ nimirum tristitia non de infidelitate venit, licet adhuc ignari essent, et nescirent sacramenta Dei, sed de dilectione pii Magistri. Alioquin sciebant Petrum correctum fuisse, quare non saperet *ea quæ Dei sunt, sed* **721** *quæ hominum* (*Matth.* XVI, 23). Unde nec Petrus jam quidquam respondit, nec cæteri aliquid dicunt, sed solummodo contristantur vehementer pro affectu ejus amoris; nec satis utique sapiunt, aut recogitant illud quod ait: *Et tertia die resurget*. Quia non tanta de morte debuerat evenire tristitia, quanta de resurrectione ejus debuerant esse gaudia. Nec igitur considerabant quanta esset ejus potentia, cui ad destruendam mortem dierum trium sufficiebat tempus.

Cum venissent autem Capharnaum, accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum et dixerunt ei. Magister vester non solvit didragma? Hæc sententia sive interrogative legatur, sive pronuntiative, unum est; quia insidiose fiebat, ut eum possent capere Judæis insidiantibus. Nam notum est omnibus, quod post Augustum Cæsarem, Judæa facta sit tributaria, et omnes censu capitis tenebantur devincti. Unde et Joseph cum Maria cognata sua, et conjuge profectus est in Bethleem. Hinc, quoniam nutritus erat in Nazareth, quod est oppidum Galilææ Capharnaum urbi subjacens, reposcuntur ab eo tributa; sed præ-

Introdusă în format electronic de Google

signorum magnitudine hi qui exigebant didragma, non audent ipsum repetere, sed discipulum conveniunt sive malitiose interrogant, utrum reddat tributa, aut contradicat Cæsaris voluntati, ne censum solvere velit. Juxta quod et in alio loco interrogant: *Licet censum dari an non?* (*Matth.* XXII, 17.) Ex quo patet, quia non sicut quidam volunt, de censu templi Dei et altaris accipiendum est, sed de censu Cæsaris, qui eis pro capite impositus erat. Unde Dominus: *Reddite*, inquit, *Cæsari quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei, Deo* (*Marc.* XII, 17). In lege autem siclus sanctuarii dabatur, viginti scilicet obolos habens. Hic autem didragma exigitur, in qua erat imago Cæsaris sculpta. Qui profecto census, numisma vocatur. Porro didragma dicitur eo quod duas in se habeat dragmas, et sunt scrupuli sex, siliquæ vero triginta et sex; quibus profecto horis pro nobis Dominus in morte fuisse creditur, ut nos a sæculi censu redimeret et sibi faceret tributarios.

Et cum intrasset Petrus in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis an ab alienis? Dicit ei Petrus: Ab alienis. Dicit ei Jesus: Ergo liberi sunt filii. Prævenit ergo Jesus antequam suggeret ei Petrus, et interrogat quæ absente se gesta vel dicta **722** sunt, ne scandalizarentur apostoli ad exactionem tributi, ut cum vidissent eum nosse quæ in secreto dicta sunt, crederent eum Deum esse, et consolarentur. Ac si diceret: Ego secundum carnem filius David regis, et secundum Divinitatem, Filius Dei vivi, liber sum ab omni censu, juxta leges humanas; et ideo tributum solvere non debeo. Quoniam in omni regno singularum gentium sciendum liberos esse filios, ne sint vectigales. Quod si ita est in conditione carnis humanæ, multo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno, filii regni illius sub quo sunt omnia regna terrena. Quia Christus et apostoli extra mundum erant, in quantum illius cœlestis regni iste Dominus, et illi filii erant. Sed quam infelices nos sumus, qui Christiano censemur nomine, cum ille pro nobis crucem sustinuit, et tributa reddidit, nos vero pro illius amore vota nec tributa reddimus, et quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus, nisi in quantum imaginem Cæsaris reassumimus, ut terrena concupiscamus. Alioquin si extra terram essemus, liberi utique essemus; si nos Ægyptus in servitutem non opprimeret, propter quos liberandos Filius Dei formam servi suscepit, quamvis nullum opus luteum fecerit vel servile, sed solummodo quia habuit formam servi, tributum et censum dedit non alium ab eo, quod dedit discipulis ejus. Ipse enim stater sufficiebat, et unum numisma, quod dabatur pro Jesu et pro discipulo ejus. Non quod eum deberet Jesus, sed ne scandalizaret eos, ne forte ante tempus præfinitum eum occiderent, et nobis daret exemplum quantum ex nobis est, ut nullum scandalizemus.

Tunc ait Petro: Vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui prius ascenderit, tolle, seu cætera. In quo miraculo mira Dei declaratur præscientia, et mira magnitudo potentiæ. Primum, quod potuit prænoscere, ut Deus, piscem talem tantumque esse in mari, et quod præcognoverit staterem in ore habere, seu quia præparavit, ut ipse primus occurreret. Unde nec dubium quod per ipsum stater in ore piscis creatus est, et quod futurum erat ipse loquendo fecit. Noluit enim de loculis Judæ tributum solvere, ne substantiam pauperum in suos usus proprios videretur convertere, sed de arte Petri. Et ideo ad suum studium eum **723** remittit, ut et humilitatem de se exhibeat, et in miraculo altiora declaret mysteria; quoniam piscis in mari erat, et stater in ore piscis marini. Quem piscem video divinitus præparatum ascendisse ad hamum Petri, qui hominum piscator fuerat jam factus. Unde quid primum admirandum sit, præscientia divinitatis, an potentia majestatis ejus, ut statim loquendo effecerit stater esset in ore piscis creatus, non invenio. Est autem stater juxta alios siclus sanctuarii, viginti in se habens obolos: alii semiunciam eum esse dicunt, quem nos duplicem didragma esse, interpretamur, ut pro duobus sufficere posset. Sed notandum, quod non ait Salvator, redde pro nobis; sed distincte, *redde illum pro me et te*, ut intelligatur inter Dominum et servum magnam esse discretionem; inter eum qui sine peccato erat, et inter eum qui multis obnoxius erat peccatis. Nec igitur admirari poterit quod ex tam convenienti loco maris imaginem Cæsaris accepit, ut det eam pro se et pro discipulo suo, ita ut demonstraret se debitorem non esse regni terreni, et tamen reddidit debitum, qui non suscepit ut deberet, neque acquisivit ut possideret, quia noluit aliquando ut imago Cæsaris apud imaginem invisibilis Dei versaretur in nobis. Porro secundum mysticos intellectus, videtur iste piscis esse primus, qui captus est; et in profundo maris versabatur, in salsis amarisque gurgitibus mundi, ille qui primogenitus surrexit a mortuis. Et stater qui in ore ejus inventus est, soliditas est fidei quæ in confessione est, ut pro Petro et pro Domino reddatur, id est pro Christo et Ecclesia; quia per Petrum Ecclesia designatur; pro quibus duæ solvuntur didragmæ, quatuor scilicet Evangelia quæ de ore Christi manarunt, quæ sunt quatuor dragmæ. Et ideo non in ventre piscis, sed in ore stater servatur, in quo diffusa est gratia; quia etsi *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10). Alias autem, nisi subesset præsentibus rebus interior ratio intelligendi, natura piscis non erat ut in littore maris fortuita reperiretur, in ore potius staterem teneret quam intra viscera mox conderet, et deglutiret quod ore absorbuerat. Ex quibus omnibus liquido colligitur, in his efficiendis rebus nihil ex eventu provenisse, sed divinitus scita et præparata, ut fidem res facti solidaret **724** in miraculo, et docerent singula virtutum documenta. Ita ut nec piscis primus captus a

Introdusă în format electronic de Google

Petro, quem sequuntur et alii, vacet a mysterio; nec stater in ore ejus repertus, sine magno doctrinæ miraculo. Quia Petrus piscator hominum jam factus erat, a Domino mittitur ut primum capiat, quem demum sequantur plures. Sed nullus eorum dignus est a Petro, jussu Christi, a fluctibus extrahi, nisi qui hoc numisma census in ore tulerit. Unde beatus Hilarius eximius doctor, hunc piscem, qui primus pro Christo a Petro capitur, dicit esse primum martyrem Stephanum, qui primus pro Christo martyrio est oblatus, in cujus ore stater est veræ confessionis inventus, et imago Christi expressa in superficie, atque insculpta intus et foris. Qui primus ut coronaretur martyrio, ascendit ad hamum Petri rationabilem, et comprehensus atque salvatus, primum reddidit, ne ultra haberet in suo ore staterem imaginis terreni regis, sed pro eo haberet didragma sanctuarii, id est imaginem Dei; quia *eloquia Domini eloquia casta* (*Psal.* XI, 7) in eo erant. Hinc mirabiliter satis stater unus, id est duo dragma in ore piscis inveniuntur, quoniam erat jam in censu salvationis humanæ; ut et census Cæsaris primum redderetur, deinde census sanctuarii Dei numisma quod erat sanctum. De quo dicitur juxta Septuaginta, Accipies quinque siclos secundum didragma sanctum, quod et pro omnibus filiis Israel dabatur juxta caput uniuscujusque. Sed quia non licet filiis regni cœlestis simul habere didragmas sanctuarii cum didrachmis hujus mundi, metallo, et pondere, ac charactismo coinquinatas, debent primum reddere, juxta Domini præceptum, Cæsari, qui est princeps hujus mundi, et abrenuntiare sæculo, deinde Deo reddere didragmum sanctum quod est in lege, ut ex ipso didragmo lex compleatur et Evangelium. Idcirco illis dicentibus : Magister vester non solvit didragma, præcepit Salvator dari staterem qui inventus est in ore piscis, in quo erant duo didragmata; ita ut unum didragma solvatur pro nobis relicto mundo, aliud vero solvatur Deo cœlesti, imagine in nobis reinduta. Alioquin nullus liber est a tributo, quoniam qui servit peccato, *servus est peccati* (*Joan.* XXI, 23); qui autem in verbis Jesu manent, liberi sunt libertate qua Christus eos liberavit. Et qui liberi sunt, **725** charitas vestra quam libere in omnibus advocatus noster libertatem nostram defendat, et immunes velit nos esse ab omni census sub hoc exemplo ut nihil aliud admodum debeamus, nisi ut invicem diligamus; quoniam hæc dilectio census est Dei et proximi. Unde Christus ne scandalum de se præbeat impiis, ad informationem doctrinæ nostræ præstat et solvit tributum. Sollicite quidem agit ipse cum sit liber, et sui, ne scandalizaret eos qui didragma exigunt, vel reges terræ, seu filios eorum. Rogat ob hoc Petro arte sua perquirere quomodo pretium exsolvat tributi, ut libera sit prædicatio Evangelii, et dat exemplum omnibus, ut dixi, quamvis sint iniqui, et avari, qui exigunt vectigalia, ne scandalizemus hujuscemodi homines pro peculiaribus rebus, ne forte amplius peccent scandalizati; aut si forte contingat beneficus, provocati, inspirante Deo, ut convertantur ad doctrinam Christi, et sanentur, quoniam talis exsolutio census libertas in Christo est. Et ideo cœlestis orator ostendit pro suis, quia omnes liberi sunt, tantum ne libertatem Christi vertant in scandalum.

(CAP. XVIII.) *In illa hora accesserunt ad Jesum discipuli ejus dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum?* Non sine causa additum est, in illa hora, vel in illa die juxta veritatem codicum. Et ideo quærendum æstimo, quid necesse fuerit Matthæo, cum tanta diligentia addere hanc adjectionem, qua ait : *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes, Quis, putas, major est in regno cœlorum?* Nequaquam igitur dixerim sine causa hoc fecisse. Sed quod sæpe monui, hoc est quod dictiones singularum rerum, et causæ plenæ sunt sensibus. Unde Marcus ait quod cum venissent Capharnaum, *et essent domi, interrogabat eos quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem inter se in via disputaverant, quis esset illorum major* (*Marc.* IX, 33, 34). Lucas vero narrat, quod intraverit cogitatio in eos, quis eorum major esset. Ex quibus perdocemur dictis, quia Evangelistæ in nullo inter se dissentiunt, sed unum explicant sensum, ut intelligere possimus quod apostoli adhuc inter se invidia movebantur. Quos Dominus volens a livore sanare invidiæ, insinuat se juxta Marcum et Lucam, ubique ut Deum esse præsentem, quem nulla cordis secreta latent. Idcirco eos interrogat in via quid **726** tractassent? Sed Matthæus volens ostendere unde hæc conquæstio orta esset, ait : *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum*, id est quando pro Petro et pro Domino idem tributum redditum vident. Arbitrati sunt enim per hoc maximum a Domino honorem Petro esse collatum, ut tam ex hac occasione quam et præ cæteris suis quam sæpe privilegiis inter se dijudicarent, eum cæteris discipulis in regno cœlorum, meliorem esse futurum. Unde suspicati sunt, si interrogarent Dominum, quod et fecerunt, licet jam convicti, quod hæc inter se confabularentur in via, ut possent caute deprehendere responsis Domini, utrum Petrus præcellere deberet gradu honoris, an et Joannes, qui magis a Domino amabatur, coæquari ei posset, seu Jacobus cum ipsis connumerari, quia et ipse cum eisdem in monte assumptus fuerat. Hoc ergo volens ostendere Matthæus, quod ista inter se discipuli retro molirentur, cum dixisset Jesus de statere numismatis Petro, Hunc accipiens redde pro me et te, *In illa hora*, inquit, vel in illa die, *accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum?* Fortassis ergo ideo iterum eos revocabat opinio, propter quod dixerat Jesus jam supra ad Petrum, quod aliis non dixerat discipulis : *Vade retro me, Satana : scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum* (*Matth.* XVI, 23), ne forte ob talem causam, vel hujuscemodi, non esset major Petrus, sed unus ex duobus fratribus, qui cum eo uno in multis utebantur privilegio honoris. Nec igitur ignorabant de Joanne Dominum

Introdusă în format electronic de Google

jam retro dixisse, *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* xi, 11). Et ideo in eo regno, quia multi magni erunt, quærunt quis major inter magnos esse debeat? Quæ nimirum quæstio, quia in via eos forte decoxerat ac si flamma zeli, convincuntur jam in domo recepti, talibus se invicem alloquiis ad invidiam commovisse. Tunc fecerunt, juxta Matthæum, quod primum facere debuerant. Accesserant jam domi cum essent et convicti, quasi discipuli ad Magistrum, proponentes præfatam interrogationem quis eorum esset major. Quorum imitatores et nos omnino esse debemus, si quando aliquid inter nos, quasi dubium evenerit, pro quo aliquod oriri posset scrupulum ad invicem. Sed pius inspector benignissimus Jesus videns cogitationes eorum et causas tanti erroris **727** intelligentes, voluit clementer desiderium gloriæ a cordibus eorum removere contentionesque sanare, antidoto humilitatis, ita ut sapienter cuncta eorum curaret vulnera.

Advocans unum parvulum statuit eum in medio eorum. Multi quidem de hoc puero quærunt, utrumne simpliciter accipiendum sit quod statuerit quemlibet unum de parvulis, an forte seipsum eis proposuit ad exemplum, vel certe Joannem, qui eorum ætate junior videbatur. Quia quibusdam de quolibet parvulo incongrua videtur propositionis comparatio, dum et parvulo nulla adhuc in talibus annis prudentia viget qua virtus operetur, neque sic alieni sunt a vitiis, ne sit in eis insita lex peccati, qua irascantur et moveantur usque ad fletus. Nec attendunt hi tales simplicitatem divini eloquii et puritatem verbi, præsertim cum omnis comparatio ad illud referenda est, ad quod sensus dirigitur comparantis, et non ad omnia quæ illi accidunt cui res aliqua comparatur, ut puta de serpentibus et columba, quod jam retro dictum est: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* x, 15), cum multa sint in his quæ cavenda sunt: et tamen est in serpente tanta prudentia, quæ sufficere possit ad exemplum, et in columba tanta simplicitas, ut ejus imitatio æque sufficiat ad salutem. Ita et hoc loco eleganter innocentia parvuli proponitur ad exemplum, ut revocet apostolos a vana gloria et invidia ad humilitatem et contemptum sæculi. Quod etiam ipse sermo Evangelicus magis sonare videtur, quam ullam aliam personam introducere, *Et advocans*, inquit, *Jesus unum parvulum, statuit in medio eorum*. Ubi non se neque Joannem aut Spiritum sanctum, quod alii volunt, advocasse dicitur, sed unum e parvulis, cujus innocentia atque humilitas naturalis, nec affectata, magisterium esse posset salutis. Unde sequitur:

Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et notandum, quamvis unum proposuerit in medio, non ait sicut parvulus iste, sed sicut parvuli, ut omnium eorum humilitas et innocentia comprobetur; ne videatur in illo, quem statuerat, aliquid ultra naturam fuisse suæ ætatis. Quod autem eum in medio eorum proponit, insinuat quod hæc virtus nulli **728** propius est, non Petro, non Joanni, quam cæteris, sed omnibus qui eam elegerint sequi communis est. Non ut ætatem habeant puerilem, sed humilitatem atque innocentiam, quam illi per ætatem annorum possident, isti per industriam, et virtutem habeant puritatis. Nequaquam igitur parum est virtutis talium imitatio. Quia si quis vir constitutus eo usque mortificaverit viriles concupiscentias suas in spiritu et corporales actus, ut semper mortem Jesu circumferat in corpore suo, ita ut puer qui muliebria nondum tentavit, nec sensit motus viriles, iste talis conversus factus est sicut puer, cujus necdum sunt oculi aperti; quos male apertos in Adam, adhuc hodie jam propter pœnam peccati, valde dolemus.

Et ideo talem, ut credo, in medio eorum statuit parvulum, in cujus innocentia et simplicitate cordis, illum Adam qui fuerat ante peccatum, sanctum repræsentaret, forte in seipso jam renatum; non ut totum insipientiæ, quod erat infra annos, sed totum innocentiæ et puritatis sequerentur, quod erat in natura pueri absque vitio. Ut quanta amplius ipsorum quisque appropinquaret veræ innocentiæ profectibus, recedens ab hujusmodi quæ postea accidunt, et accrescunt in nobis passionibus, tanto amplius cæteris continentibus, et ad perfectum ascendere non valentibus, major habeatur in regno cœlorum. Quam sane regulam unusquisque in se recompenset et videat in his adhuc in ipsa eadem ætate puerorum, quam sani sint in omnibus animæ passionibus et languoribus pueri, quas postea infirmitates in nosmetipsos contraximus. Ad quas primum puerorum nemo incurrit, quam incipiat absolutum linguæ proferre sermonem, quem prius nulla concupiscentia carnis tangit, non ira, non tristitia, non odium, non invidia, nec ulla cæterarum passionum prurigo. In tantum etiam ut in morte patris ac matris vel alicujus amici, ludat, et in suis delectatur crepundiis simplicius quam ullus inter epulas. Nescit enim extollere, nescit alta requirere, vilia non refugit, pretiosa et quæ superbiæ sunt, nulla requirit, ad omnium aspectus gaudet, omnes ut parentes diligit. Quid plura? Etiam nec ipsam mortem timet. Quod si voluero cunctas dinumerare innocentiæ ejus virtutes, longum erit, quas etiam natura virtutes quamvis vitiata, in propagine secum servavit et retinuit. Unde post perceptam gratiam, apostoli ad eam quam bene remittantur integritatem, ne deinceps ullis occupentur laqueis, et implicentur concupiscentiarum erroribus. Quod si perfectior est Jesu Christi forma, et ejus exempli imitatio, tamen ista est satis absoluta et perfectæ vitæ propositio, si observet gratiam quisque quam accepit, ita ut nec sibi, nec alteri noceat, dum tamen operetur quidquid postea sibi virtus collata per Christum dictat; quia etsi nec aliquid magnum sapere cadit in puerum, nulla tamen jactantia generis vel divitiarum,

Introdusă în format electronic de Google

vel aliarum rerum quæ æstimantur bona, ei delectatur in animo, et ideo sequitur :

Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et quicunque receperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Quoniam hæc omnia ad Christum referenda sunt, idcirco in fine conclusit, quicunque receperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit. Ac si diceret, me suscipit, quia in talibus ipse sum, qui seipsos ita dejiciunt, ut propter me ad tantam innocentiam redire velint; ut habitudinem quam habent pueri ex ætate, ipsi per rationem et fidem in se suscipiant. Quam altissime consideranda sunt hæc in pueris, si quis ad ea vult redire jam conversos. Quoniam nisi diligentissime scrutata fuerit eorum qualitas, vix sufficit ulla enarrandi facultas. Transit siquidem figura de imis ad summa, cum ait : *Quicunque receperit talem in nomine meo, me suscipit*. Non quod tales pueri hospitio suscipiendi sint, qui nesciunt adhuc quidquam quærere, quanquam ex benefactis quæ pro Christo in ipsis fiunt, nihil depereat. Sed qui talem susceperit pro nomine Christi, aut pro nomine discipuli, qualem vult pius magister fieri eum, quem ad tantam invitat pervenire innocentiam, ut propter Deum nihil timide refugiat, nihil honoris, nihil deliciarum, nihil voluptuose requirat; quia forma virtutis est, dum **729** puer sibi nihil vindicat, nihilque requirit.

Et qui scandalizaverit unum, inquit, *de pusillis istis qui credunt in me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et dimergatur in profundum maris.* Multa sunt quidem in his versibus quæ sibi dogmatizant plurimi, nos vero sicut et in reliquis locis, solam et simplicem intelligentiam sermonis requirentes ob brevitatis compendium eorum plurima prætermittimus, quæ utiliter dici poterant. Verumtamen quærendum est, quomodo pusilli dicantur apostoli, aut reliqui discipulorum Christi, qui ad hanc perfectionem venire potuerint, ad quam sicut ad spectaculum virtutum, tam circumspecte invitantur a Domino. Novimus ergo, quia de his parvulis non dicit qui adhuc nesciunt scandalizari, sed de his qui eorum innocentiam potuerunt imitari. Etsi semetipsum eisdem præponit (ut quidam volunt) parvulum, amplior perfectio in eisdem commendatur pusillis, et si pusilli dicendi sunt qui Christum fuerint imitati. Quod si tales magni sunt quales vult eos fieri, et ad exemplum puerorum festinat eos informari, et magni vocantur in regno cœlorum, hi tales quomodo possunt scandalizari? præsertim cum scriptum sit, *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII, 16). Quanquam cum hæc sententia, etsi generalis esse videatur, adversus omnes qui aliquem scandalizaverint de his qui in Christum credunt, maxime tamen juxta consequentiam sermonis etiam contra apostolos dictum intelligi potest, qui interrogando quis major esset in regno cœlorum, videbantur de dignitate inter se contendere. Etsi in hoc vitio permansissent, A poterant procul dubio eos quos ad fidem vocabant, suo scandalo perdere, dum viderent eos, adhuc infirmi fide, inter se de honore pugnare. Et ideo benignus magister revocat eos ad humilitatem et simplicitatem pueri, qui nescit de honoribus litigare. Ad cujus profecto exemplum nisi convertatur quis, huic quidem impossibile est *intrare in regnum cœlorum*. Hinc quoque patet sensus, quia multi convertuntur ut fiant quemadmodum puer, et suscipiunt habitum discipulatus Christi, sed non omnes qui convertuntur, jam perveniunt eo usque, ut fiant similes talibus pueris. Et unusquisque eorum tanto minus habet de similitudine puerorum, quanto longe est ab habitudine puerili, erga passiones carnales, **730** erga timores et erga oblectamenta vitiorum. In omni ergo credentium multitudine sunt quidam quasi nuper conversi, ut fiant quasi pueri, et nondum tamen sunt facti, quamvis videantur conversi. Pusilli habentur in Christo et parvuli, receptores scandali, quia possunt scandalizari, et ideo parvuli. Alioquin nisi pusilli et parvuli essent, scandalum non reciperent. Quibus omnino scandali occasionem non debemus præbere, quoniam et ipsi jam sunt in Christo. De quibus in Psalmo dicitur, *Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus* (*Psal.* CXIII, 13). De quibus pusillis, quia jam benedicti sunt a Domino, et renati in Christo, dicit : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus*, seu cætera. Testatur Hieronymus hoc loco, quod secundum ritum provinciæ loquatur Christus, quamvis alii doctores aliter hoc dogmatizent, quod ista fuerit consuetudo apud veteres Judæos pro majoribus criminibus, ut hac reus plecteretur pœna, judicio condemnatus; ligato siquidem saxo ad collum ejus, sicque in profundum dimergebatur cujusque abyssi. Quod saxum Dominus, juxta Matthæum et Marcum, molam asinariam vocat, licet Lucas tantummodo eam lapidem appellet. Nulli dubium quod molæ asinariæ apud Judæos fuerint, sicut et apud plurimas gentes. Idcirco quamvis lapide qualicunque plecteretur dimersus tamen quia tantus erat lapis ille, ut aiunt, quanta est asinaria mola, jure Dominus eamdem pœnam talibus commendat verbis; ut et reis denuntiet quid utilius sit eis ad medelam mali, et ex ipso usu molæ sensum evidentiorem commendat doctrinæ suæ cunctis legentibus. Tamen interdum ad litteram sic intelligendum est, quod melius sit ei, multoque utilius qui unum eorum scandalizaverit impræsentiarum brevem recipere pœnam etsi gravem, quam æternis servari cruciatibus, quia non judicat Deus bis in idipsum. Sed quia solent multi nostrorum ista extenuare sensibus, et nequaquam fieri debere, cum et mors tam gravis sola perficiat ad pœnam, et nescio quomodo id utile possit expetere, quod ultimum est omnium malorum ad pœnam. Quapropter quid ex hoc sentiendum sit, quærendum est, præsertim cum nec Dominus id jubendo percenseat, sed quid utilius

Introdusă în format electronic de Google

sit unicuique insinuat. Verumtamen tot tantæque res non **731** otiose dictæ creduntur a Domino, ut mola non qualiscunque, sed asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur, non alicubi quam in profundo maris. Quod si non esset hoc magnum delictum, nequaquam tam atrociter damnaretur. Deinde, cum et consuetudo scandalizandi pro parvis minimisque rebus perpenditur, videtur impossibile esse vel servari debere, non dico ad litteram, quæ hortantur, sed etiam nec ipsa scandala eorum qui scandalizantur, attendere. Quapropter sicut differentia est eorum qui scandalizantur, ita et propter quod scandalizantur, vel in quantum scandalizantur. Quoniam non omnes commotiones animi scandala esse admodum dicere debemus, licet scandalorum sint spinæ; quia etsi commovetur animus ad iram vel tristitiam, non tamen dividitur a compage charitatis vel unitate corporis. Quapropter pro talibus et hujuscemodi scandalis, quæ inter fratres etiam germanissimos accidere solent, quamvis vitanda sint et dolenda, si acciderint, nunquam dixerim quod talis tantaque pœna reis pro quorum evenerunt culpa adhibenda sit, quanquam sit pro his in alterutrum ingemiscendum. Quoniam etsi ille reus est qui intulit, nec ille tamen inculpabilis est, qui in tam parva re scandalizatur. Quod si non potuerit scandalizari in re parva seu magna frater, quia perfectus est, et dilexit multum legem Dei, nunquid ideo ille alter immunis est a culpa? Alioquin si ita esset, Alexander ærarius qui Paulo multa mala irrogavit, alienus a reatu esset. Sed quia non est ita, ideo Paulus ait, reddet illi Dominus; cui, ni fallor, melius esset si ad collum ejus hæc mola asinaria suspensa fuisset, et dimersus esset in profundum maris pro scelere suo, quam in talibus perseverasset. Quod cavens Apostolus ne ulli de se scandalum præberet, *Bonum est mihi*, inquit, *carnem non manducare et vinum non bibere in æternum, quam ut fratrem meum scandalizarem* (*Rom.* XIV, 21); quoniam malum est homini, qui per offendiculum manducat aut bibit. Similiter et in cæteris actibus, in quibus scandala generantur aut nutriuntur. Et ideo cavendum ne ulli præbeamus occasionem, quia scandalorum multa sunt genera, sed nulla, ut æstimo, graviora fiunt, quam in resistendo doctoribus, certe aut ipsi doctores si exemplo suo auditores suos male corrumpant. Est tamen in his et alius sensus de mola asinaria, nec prætereundus. Dicunt enim **732** quod molæ opus labor sit cæcitatis, nihilque tam cæcum quam stultitia, nihilque tam grave, quam avaritia. Unde congruit cupiditas seu avaritia rerum temporalium, quia colligata est in corde stulti ac cæci, ut eumdem stultum cum pondere suo deducat ad interitum. Dicunt enim quod molæ clausis jumentorum oculis aguntur in gyrum. Et sub asinæ quidem nomine frequenter gentilitas designatur. Nec immerito, quia gentes quid agant nesciunt, et in vitæ suæ opere detentæ ignorantia cæci laboris continentur. Judæis vero legis scientia credita est, et iter vitæ præstitum, quasi Christi apostolos, qui pusillus grex sunt vocati, scandalizaverint, tolerabilius alligata collo mola asinaria dimergerentur in profundum maris, id est gentium vertigine depressæ, si profundissima ignorantia sæculi traherentur, omnino quia illis levius fuisset nescisse Christum, quam prophetatum non recepisse. Utilius quidem ad medelam peccati est homini qui gravissimo trahitur onere peccatorum, ut sic dimergatur in profundum maris, quo draco habetur quem formavit Deus ad illudendum ei, et puniatur corpus quod tantum aggravat animam; quia postea extra dolores erit, qui pertulerit quasi in profundo maris longam pœnitudinem ad interitum carnis, tractus mola asinaria deorsum. Verum et molarum differentiæ ex hoc loco jure quæruntur, quia sunt et humanæ, sunt et asinariæ atque jumentorum. Humana siquidem mola illa est, de qua dicitur et erunt duæ molentes ad unam molam, *Una assumetur et una relinquetur* (*Matth.* XXIV, 41). Asinaria autem ista est, quæ imponitur scandalizanti unum de pusillis in Christum credentibus, ut demergatur in profundum maris; quoniam sicut multa differentia est peccatorum, ita et pœnarum. Unde non irrationabiliter dici potest, ut dixi, corpus grayissimum hominis mali, mola asinaria quam sibi alligavit ac si loro peccati, qua semper mola pressus trahatur deorsum. Propterea necesse est talis mittatur extra Ecclesiam, et redigatur ad pœnitentiam. Sed nemo hanc molam secum nisi cæcus trahit. Unde et Samson ille fortissimus, non prius ad molam ut molat, mittitur, quam ei oculi eruantur. Qua cæcitate quicunque percussus fuerit in circuitu ac si impius jugiter ambulat, curis sæculi et oneribus facinorum suorum usque ad ima inferni male depressus.

733 *Væ mundo*, inquit, *a scandalis. Necesse est ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Multa Dominus et Salvator noster de scandalis disputat; quia et scandalorum multa sunt genera, multæque occasiones per quas scandala oriuntur et veniunt. Verumtamen non nisi qui in mundo et de mundo sunt, unquam scandalizantur. Et ideo ait, *Væ mundo a scandalis*, quia qui de mundo sunt, omnia scandala eis afferunt væ, qui autem extra mundum sunt, arbitror quia jam scandalizari non possunt. Idcirco cum dicit, *Væ mundo a scandalis*, non credo quod de elementis dicat cœli ac terræ, sed secundum Scripturarum consuetudinem terrenos quosque ac carnales homines designat, qui radicem cordis in amore mundi fixerunt; de quo mundo alibi dicitur, quod *Mundus in maligno positus est* (*Joan.* V, 19). In quo mundo, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat*, inquit, *et mundus per eum factus est et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 9). Et quia eum non cognovit, ideo in maligno relictus est, quo priusquam veniret, vera lux in hunc mundum positus erat. Cui profecto mundo imminet væ a scandalis, quia in eo et ex eo oriun-

Introdusă în format electronic de Google

tur scandala et nutriuntur in universo orbe terrarum. De quo fateor mundo non erant jam discipuli Christi, sicut nec Magister eorum de hoc mundo erat. Et ideo nemini eorum væ a scandalis erat, in quantum unusquisque eorum jam mente extra mundum erat. Et ideo pius Magister ait ad Patrem : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo* (*Joan.* XVI, 6); et post pauca : *Ego*, inquit, *pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 9). Ubi manifeste ostendit, quod juxta prædestinationem Dei, jam isti de mundo non erant; et ideo pax multa illis erat potius quam væ, quia legem Dei ex corde jam diligebant. Siquidem et Christi discipulo quamvis in mundo undique scandala ferveant et crebrescant, nullum imminet væ, eo quod non tangant scandala eum si non fuerit de hoc mundo in quo væ abundat; quia ubique in eo exardescunt scandala. Quod si quilibet parvulus qui jam videtur esse Christi discipulus, scandala mundi in se receperit, aut propter inconstantiam fidei suæ, aut quia non ex toto corde credidit, vel quia non ex toto Deo obedire consensit, tanta siquidem eum scandala omnino comprehendent, quantis fuerit rebus obligatus **734** in mundo. Et notandum quod ait, quia *necesse est ut veniant scandala*. Quod si veniunt, quærendum unde veniunt et per quos et ad quos veniunt. Quia omnino, quamvis necesse sit ut veniant, nunquam nisi a malo et per malos ad imperfectos veniunt, quorum instinctor et propagator, per homines malos ad quos accedit, ac si ad vasa sua, non nisi diabolus intelligitur, qui principatur in filios diffidentiæ, et per eos exercet suas artes, ut ultra latenter nocere possit. Propterea multo pejus est illi qui scandalizat, quam qui scandalizatur. Et quia necesse est ut veniant scandala, tolerabilius est, ut per eos veniant, qui alieni sunt a Dei cultura, quam per eos qui videntur fideles esse. Quibus et majus incumbit væ per quos contingit, quam parvulis et mundo cui contingit. Quia remissius erat Tyro et Sidoni quam illis civitatibus quas Dominus suis virtutibus non potuit corrigere et convertere. Verumtamen etsi his væ est, qui de mundo et in mundo scandala seminant et nutriunt, nec immunes sunt a reatu et culpa quibus et væ dicitur, quia miscuerunt se mundo, cui est totum væ voluntate recepta ut scandalizarentur cum mundo. Tamen illis gravius væ restat per quos scandalum venit, quoniam præbuerunt se spiritibus immundis ad scandalizandum homines infirmos et mundiales, feceruntque se satanæ ministros. Etiam etsi magni fuerint in Ecclesia, quos non queant scandalizare, ut supra jam diximus de Paulo cui Alexander ærarius multa mala ingessit, ut scandalum fieret Evangelio ejus, non ideo tamen immunis fuit a reatu, quamvis minus potuerit implere quæ voluit. Sic et omnibus erit qui scandalis deserviunt et servos Dei in aliquo servitutis Christi officio scandalizare non metuunt; quoniam etsi non impræsentiarum talis eis infertur pœna, verum quia nihil minor sequetur vindicta quam quæ comminatur a Domino. Sed et qui præsunt hanc cavere debent sententiam, ne forte suis actibus scandalizent sibi subjectos, quia ab eis hæc omnia atrocius exiguntur a quibus non dico scandala tantum, si intulerint, verum nisi lucra reportaverint talentorum, pœnas luent pro sibi commissis. Porro quod ait, *Necesse est ut veniant scandala*, videtur eos immunes facere a culpa, qui aliis intulerint scandala, quia faciunt quod necesse est, juxta vocem pii Magistri, ut fiant. Sed non ita intelligendum, etsi Lucas adhuc **735** expressius dicat, *Impossibile est ut non veniant scandala* (*Luc.* XVII, 1) : quod si impossibile est, ut non veniant, est necesse ut veniant; quærendum quomodo intelligendum sit, quia infirmari non potest sententia Salvatoris. Nec se impugnant verba ipsius cum ait : *Qui scandalizaverit unum ex istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria*, etc. Unde quærendum est quod ait, quia Necesse est ut veniant scandala, quæ necessitas sit? Non credo dictum quod ita necesse sit, ut expediat ei qui infert scandala, vel etiam illi qui scandalizatur, sed ita, ut Lucas diligentius expressit, quia impossibile est ut non veniant scandala. Sic quippe multa dicuntur necessaria. Sicut homo, qui mortalis est, necesse est ut moriatur, et sicut qui ambulat necesse est ut se moveat, quoniam aliter esse non potest. Et ideo hæc necessitas ad mundum referenda est, cui væ est a scandalis, et non ad eum mundum qui redemptus est a malo, licet contra eum scandala moveat, instigatus is cui væ est a scandalis, quibus nulla necessitas est in eo mundo, ut veniant, sed magna libertas ex gratia Dei ut repellat et vincat. Cæterum in illo et ab illo mundo cum nonnisi væ esse potest, necesse est ut veniant scandala, quia ab his, qui in eo fixerunt corda, aliud venire non potest, etiam etsi pacem polliceantur, in quantum in eis principatur inimicus, a quo aliud nihil quam scandala venire possunt. Quod si hæc necessitas simpliciter intelligenda est, qua dicitur, quia necesse est ut veniant scandala, de passione Christi magis dictum intelligendum est, quia humilitas Christi et passio, mundo a quo scandala veniunt, utique scandalum est in hoc maxime quia ignorantia detinetur humana pressus, nec credit nec recipit quod sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominus potuerit se humiliare, ut ligno se voluerit suspendi. Et quod mundo in maligno posito tam periculosum, quam noluisse Christum crucifixum recipere. Verumtamen, sub unius nominis nuncupatione absolute Judaicum populum designat, per quem omne huic mundo scandalum venit, ut Christum in passione omnes abnegent, quem lex et prophetæ semper passibilem prædicarunt. Et propterea sicut ait, necesse erat venire scandala, ut omnis in passione Christi, lex et prophetia suis reformaretur figuris, omniaque sacramenta Redemptionis nostræ in ea humilitate complerentur. Idcirco etsi plurimi de morte Christi scandalizantur

Introdusă în format electronic de Google

736 necesse tamen et pernecessarium erat, non ut scandala fierent, sed ut passio Christi compleretur per crucem, per quam hæc scandala venirent. Quæso nemo pios, licet sensus diversos, qui a sanctis Patribus traduntur, neque aliquem eorum reprehendat, sed semper circumstantiam lectionis intendat, et sic de singulis elidat quid ad intelligentiam loci de quo agitur, magis congruat. Quia etsi in his dogmata doctrinarum amplissima, veneranda sunt, quibus delicietur animus, propria tamen investiganda est prius sententia scribentis; ne forte dum flores mavult eligere, fructum amittat.

Quod si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et projice abs te. Bonum est enim tibi in vitam introire æternam, claudum vel debilem, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Superius cum dixisset: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28, 29), post hæc verba statim subjunxit: *Si dexter oculus tuus, vel manus tua scandalizet te;* ostendens quid de illis membris scandalizantibus loquebatur, quæ sunt intra nos et in corpore nostro. Propterea ibi passiones animæ seu voluntates exposuimus esse scandalizantia membra; hic autem cum dixisset: *Væ mundo ab scandalis, necesse est ut veniant scandala, sed væ homini per quem scandalum venit,* mox subjungit: *Si manus tua vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizat te.* Ubi ostendit, quod non de membris scandalizantibus quæ sunt intra nos, loquitur, sed de hominibus qui sunt extra nos, tamen ad nos pertinentes ita ut manus vel pedes, seu oculi recte dici possint, tanta charitatis gratia et dilectionis nobis convincti. Propterea quia ab his nobis scandala venire possunt, jubet si aliquis eorum, qui talis esse videtur, scandalizaverit nos, et a via Christi retraxerit, abscindere eum et projicere a nobis; quoniam melius est capiti inhærere Christo, quam cum his putridis perire membris. Unde et Ecclesia consuevit auctoritate divina talia a se membra præcidere mucrone verbi, et projicere foras, *Ne modicum fermentum omnem massam corrumpat* (*1 Cor.* v, 6; *Gal.* v, 9). Ecce pius Magister et benignissimus medicus animarum, quam provide suos instruit, ne in ullo scandalizentur. Nam supra ut dixi, quia unusquisque tentatur juxta Apostolum a concupiscentiis suis, omnes affectiones noxias amputare jubet; hic autem, quia necesse ut veniant scandala ab his qui foris **737** sunt, ideo prænonet, quia aliter esse non potest, nisi ut veniant, ut caveamus ea antequam veniant, quoniam væ est illi per quem venit. Sed ne forte cogitaret aliquis, quid agendum esset de fratribus, qui infra Ecclesiam quam sæpe scandala faciunt, continuo de his dicit: *Si manus tua, vel pes tuus, seu oculus scandalizat te, projice eum abs te.* Si forte fuerit aliquis in Ecclesia manus bene operando, vel pes primum bene gradiens in via Dei, vel oculus qui doceat lumen vitæ, capiti suo inhærens Christo, si autem quilibet eorum conversus fuerit retrorsum non adhærens capiti suo, neque mandata vitæ custodiens scandalizaverit membra Christi sana, necesse est dicat caput hujusmodi oculo, vel pedi, seu manui, non est mihi necessarius, sed præcidens projiciat eum a se; melius est enim ut residuum corpus intret ad vitam æternam sine membro scandalizante, quam totum corpus Ecclesiæ, morbo scandali per omnia membra sæviente, mitti in gehennam. Debemus autem hoc uti testimonio contra domesticos nostros, qui quasi membra, ita nobis dilectione conjuncti sunt et compacti, sive contra parentes, sive amicos familiarissimos, quibus parcere non oportet animæ nostræ nocentibus; quos præcidere debemus a nobis etiamsi pater sit vel mater antequam a capite Christo scandalizati recedamus; ad hoc quippe venit Jesus gladium mittere in terram, ut eo præcidamus omnes passiones noxias a nobis, et omnia membra nobis scandala gignentia.

Videte, inquit, *ne contemnatis unum de pusillis istis qui in me credunt; dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Arctissimum vinculum mutui amoris imponit, ad eos præcipue qui vere credunt in Domino, quos contemnere non oportet. Sed considerandum quinam sint pusilli quos prohibet contemnere, et quorum *Angeli semper vident faciem Patris* (*Matth.* xviii, 10). Numquid de his parvulis vel pusillis dicit, ex quibus erat unus quem statuit in medio eorum, ad cujus innocentiam redire jubet apostolos? Numquid eisdem apostolis mandat, ne tales contemnere præsumant, cum nec sit in eisdem parvulis quid jubere debeant, neque apostoli quid contemnere? Nisi forte hoc velit dicere, ne contemnant eorum innocentiam. Sed melius arbitror generale hoc præceptum esse, ut omnes obediant apostolis, apostolicisque **738** viris, quos ad innocentiam provocarat puerorum, et transivit de specie, sicut quam sæpe consuevit Scriptura divina, ad genus, de forma ad formam; de his parvulis qui per ætatem adhuc innocentiam retinent, ad eos qui per gratiam innocentes facti ac pusilli, jam pro aliis laborant. Quos laborantes contemnere non oportet, ne et in his Christus contemnatur. Et nec mirari debemus, quia apostoli aut apostolici viri, pusilli vocantur, cum et ipsi in virtute Christi hoc facti sint, et ad eorum innocentiam, ad quam provocantur, redacti; unde ab ipso Domino et *pusillus grex* vocatur (*Luc.* xxii, 32). E contrario etsi multi dogmatizent, pusillos et alios parvulos esse intra Ecclesiam, qui adhuc lacte pascuntur, quod hæredes sint regni cœlestis; isti tamen præcipue parvuli dicuntur; et de his magis intelligendum est quos constituit doctores et magistros, ne ullus eorum contemnat, quia nulli humiliores esse possunt, et veri innocentes, quam ipsi esse debent. *Quorum,* inquit, *angeli semper vident faciem Patris mei.* Magna dignitas eorum qui ad hanc potuerunt pervenire innocentiam, vel qui tales sunt quorum non est contemnenda doctrina. Quoniam etsi minus adhuc sapiunt vel possunt,

Introdusă în format electronic de Google

angeli eorum multum sapiunt et possunt, qui semper Deum vident, et in eo multum possunt. Nulli dubium esse credo, et ex auctoritate divinarum Scripturarum firmatur, angelos in ministerio esse positos eorum qui hæreditatem accepturi sunt æternæ vitæ; ut singuli per singulas principentur provincias vel regna, in tantum ut etiam singuli suos habeant angelos, maxime qui a Deo prædestinati sunt, quorum hæreditas est æternæ vitæ promissio. Unde, ut dixi, absoluta auctoritas est, quod horum pusillorum angeli eorum orationes offerant Deo, ex quo incipiunt aliquid offerre quod dignum sit Deo; quia, ut dignum est, ministri constituti sunt Ecclesiarum Dei, *Et administratorii* vocantur *Spiritus* a Paulo apostolo (*Hebr.* I, 14), qui omnium vota orationesque offerunt Deo, sed per Christum quorum officio coram summo Deo quotidie credentium inferuntur preces et referuntur ad nos usque impetrata. Quapropter etsi terribile est eos contemnere pusillos, qui adhuc in fide parvi sunt, et in officio; terribilius est eos conculcare qui vota omnium offerre videntur, ad quorum officia, ut plures aiunt, super os constituti sunt principes, qui eorum **739** peragunt absque dubio officia, qui altaris esse probantur ministri. Et ideo periculosissime illi contemnuntur, quorum desideria ac postulationes angeli quotidie offerunt. Quia nemo mortalium adhuc in carne peccati per se dignus est; idcirco provisum est a clementissimo Deo ut per manus angelorum vota perferantur hominum et preces ad ipsum æternum invisibilem Deum ambitiose, ut quidquid minus est nobis in natura, fiat acceptum sacrificium nostrum ex angelico famulatu. In quibus profecto verbis et sententiis ac dictis, multa sunt quæ a multis proponuntur de his et quæruntur, sed nos utramque viam temperantes pauca de plurimis elegimus, in quibus vera doctrina commendetur. Cæterum qui volunt astruere de parvulis in Ecclesia hoc dictum esse, dicunt quod non habuit necessarium Christus mandare de magnis et perfectioribus fidelibus non contemnendis, sed simpliciter de pusillis in fide. Unde nec dixisse aiunt, non contemnatis unum de istis omnibus, sed unum de pusillis istis, quos ipse cognoscebat pusillos esse. Similiter et qui perfecti sunt ut Paulus apostolus, qui se *minimum* vocat *apostolorum* (*I Cor.* xv, 9), scandala recipere non possunt: quoniam *pax multa diligentibus legem, et non est illis scandalum* (*Psal.* cxviii, 16). Tamen juxta Ezechielem potest esse justus, qui operatus sit secundum omnia quæ operari solet justus, is si recesserit a mandatis Dei et fecerit ea quæ solet impius operari, priores justificationes ejus oblivioni traduntur. Qui nisi posset scandalizari et de bonis et sanctis operibus ad iniqua transire, sicut e contrario et de malis ad bona, nequaquam propheta talia proposuisset contra speculatorem a quo anima requirenda censetur. Tradunt autem et alium sensum, cum ait, *Ne contemnatis unum de pusillis istis.* Quod ideo dixerit, quia per manum et pedem se, non oculum, quoslibet caros et eximios in Ecclesia posi-

tos, si scandalizarint nos abjicere jubet, ne forte austeriores in his esse velimus quam expediat. Et temperat sententiam suam ne contemnamus eos ac si zelo Dei ducti, et non secundum scientiam seu charitatem Christi. Ac si diceret: Sic præcipio severitatem in membris tenere corporis, ut simul pietatem charitatis, et clementiam fraterni amoris doceam, ut per vestram salutem etiam illorum quæratis sanitatem. Quia *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Quorum officio et precibus **740** possunt reconciliari, ut sanentur in corpore Christi. Quapropter nec negandum, quod unusquisque renatus in Christo suum habeat angelum custodem, sed quomodo semper videant faciem Patris, *In quem desiderant prospicere*, teste apostolo, cum et Deus Trinitas invisibilis esse dicatur, non parva quæstio est, nisi quia sic est invisibilis ut nemo eum angelorum totum, prout est, videat. Vident eum tamen singuli eorum, prout eis datum est, secundum excellentem eorum naturam et gratiam, ita ut nec amor et desiderium eorum anxietatem generet negatæ visionis, sed satietatem, et tantum vident, quantum desiderant. Nec satietas visionis fastidium, quos replet ipsa visio claritatis, affert, quia tantum eum vident, quantum eorum natura videre potest, et ideo ad hoc desiderant, ut eum semper sine fastidio ament. Et amant quem vident, ita ut semper eum videndo, sine ulla anxietate ament ac desiderent. Quod si quæritur, quid agunt quando ad nos veniunt, utrumne eum videant? Credendum est, quod nunquam nisi in eo sunt, quia per eum currunt et veniunt qui ubique est, et ideo nunquam ab ejus visione recedunt. Faciem autem Patris quam vident, more humani eloquii appellat, non quod in Patre, aut in illa individua Trinitate aliquid corporeum sit, vel ulla lineamenta corporis, sed faciem Patris seipsum Christus vocat, quem semper vident angeli et per quem Patrem vident; quia sicut nemo venit ad Patrem, nisi per Filium, ita nemo videt Patrem, nisi per ipsum Filium; quia nemo novit ipsum nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Joan.* xiv; *Luc.* x).

Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. Quia dixerat, *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis*, ideo adjungit, quia, *Venit Filius hominis salvare quod perierat;* ac si diceret, venit quod pusillum est quærere et salvare; ideo magis jam quod salvatum est per fidem, nolite perdere. Sequitur:

Quid vobis videtur, si fuerint alicui centum oves, et si erraverit una ex eis, nonne relinquet nonaginta in montibus, et vadet quærere eam quæ erravit; et si contigerit ut inveniat eam, etc. Eadem replicat et reinculcat quæ supra dixerat, ut nemo eos contemnat quos venit Filius hominis quærere et salvare, et in humeris suis ac si pastor reportare ad gregem, ut ex hoc insinuaret quam periculosissimum sit eos contemnere quos Christus, pastor ovium, cum tanta **741** diligentia quæsivit in terris, ut eos propriis humeris reportaret ad cœlos et ad consortium supernorum civium, quorum *angeli semper vident faciem*

Introdusă în format electronic de Google

Patris, quos reliquit nonaginta et novem in montibus, aut in deserto, et venit unam quærere quæ erraverat. Ad hoc quippe tantum exaggerat dignitatem nostræ redemptionis, ne contemnantur male qui in Christo credunt, quorum est ipse pastor. Propter quos reliquit angelicam dignitatem in cœlestibus, quorum sunt ipsi consortes angeli; et in eorum obsequiis ut ministrent, a Deo, preces et vota in ministerio deputati. Unde Daniel ait in visione sua : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* v, 10). Quia etsi alii sunt qui assistunt, alii tamen qui ministrant in ministerio positi, et semper vident faciem Patris. Homo autem iste juxta Lucam, quem Matthæus indifferenter posuit, ipse Christus est, qui venit quærere quod perierat, per hoc quod, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Unam ergo ovem venit quærere, quæ omnino genere est una et non specie, eo quod per hanc unam ovem omne genus eorum designat, qui requisiti et inventi reportantur a Domino quotidie ad gregem. Et hoc est quod dixerat : *Venit Filius hominis salvare quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). De qua nimirum ove David plangens et dolens longe retro dicebat : *Erravi sicut ovis quæ perierat, quære servum tuum, Domine* (*Psal.* CXVIII, 176). Sed quid ille orabat evangelista probat et dicit, quia homo factus est jam implesse quæ Propheta gemens orabat : Quære servum tuum, Domine, quia erravi sicut ovis quæ perierat. Sentiebat se patriarcha David in Adam male errasse ac deperiisse, idcirco dicebat : *Erravi sicut ovis quæ periit.* Quia in illo ipso Adam se deperiisse sciebat et aberrasse; quia *In Adam omnes moriuntur* (*I Cor.* XV, 22), rogat ut per Christum omnes vivificentur. Unde et quidam codices Græcorum pro eo quod nos habemus, *quære*, ζῆσον habent, id est, vivifica. Ut sit sensus, vivifica servum tuum, quia mortuus jacet in Adam. Sed melius ζήτησον, quod est, *quære*, alii codices habent, quamvis unus sit sensus. Sed opportunior est huic loco *Quære servum tuum*. Quoniam ovis quæ erraverat quærenda erat a pastore, ne periret. Fatetur lapsum suum Propheta in eo in quo est ei cum omnibus commune consortium. Quia nemo qui in Adam non sit mortuus absque eo qui solus inventus est, *Inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6). Sed iste quia sicut ovis **742** perierat, quia in illo primo Adam aberraverat a via, ideo rogat ut requirat eum pastor bonus. Nemo enim perit, qui perfecte cognoscit errorem suum. Quid est ergo dicere, quære servum tuum, nisi quære lapsam et erroneam ovem tuam? Veni, pastor Domine Jesu, quære, sicut ovem Joseph, quia erravit ovis tua dum tu moraris in montibus. Relinque nonaginta et novem oves tuas securus, quia nullus est lupus quo tu eas relinquis, nullus malus operarius, nullus et mercenarius : veni per temetipsum, quære ovem quæ erravit, reporta confractam et debilem quæ perierat. Sicque factum est ut oravit, venit, quæsivit, invenit, et propriis humeris, sicut præsens parabola testatur, reportavit.

A Nam ovis illa quæ perdita est in Adam, inventa levatur a Christo, et propriis ejus humeris, ut dixi, imposita, quia languida ac lassa, multis vexata morbis per se redire non poterat, neque per liberum arbitrium, ut quidam male sentiunt. Ergo levatus in humeris ejus, in quibus factus est principatus etiam gloriosus. Qui profecto humeri crucis brachia sunt; illic nostra peccata sustulit et portavit; in illa nobili cervice pii pastoris, nobiles facti requiescimus et portamur, ubi quamvis una dicatur ovis, omnes fuimus, quia omnes unum corpus sumus, sed multa membra. Dives igitur pastor noster, cujus nos omnes centesima portio vix sumus. Habet namque nonaginta novem oves in supernis montibus, ubi amœna semper sunt pascua, semperque virentia. Et notandum, B quod et Angeli etiam ipsi oves vocantur, quorum Christus est pastor, et ipsi oves et agni. Non tamen a natura oves angeli sunt, sicut nec homines, sed figurate dicuntur, eo quod eorum omnium innocentia indefessa sequitur Christum agnum inter pascua vitæ, et deducit illos ipse ad fontes aquarum. Ubi si quæris, lector, cur nonaginta et novem oves dicuntur relictæ in montibus, cum innumerabiles sint greges in eo deserto quos reliquit, noveris quia ideo de plurimis quæ dicenda erant pauca carpsimus, eo quod hæc parabola præcedentium Patrum dictis famosissime explanata est, non minus Græcorum quam Latinorum tractatibus. Sed quia omnes dixerunt, quod hic finitus numerus pro infinito positus sit : quærendum, quare nonaginta et novem tantum relictæ dicuntur? Non igitur dubito, quod sententia C non vacat a mysterio. Sed quia novem sunt ordines angelorum **743** Scriptura testatur divina. Ideo hunc numerum posuisse credimus, quia tantum valent nonaginta et novem ad sacramentum præfigurationis, quantum soli novem, qui est tertius quadratus numerus; et quia sub isto numero novem angelorum dicuntur esse ordines; unum est ac si dicantur nonaginta et novem, ut soli novem intelligantur. Sed quia in singulis eorum ordinibus nullus præfiguratus est numerus, nec sciri potest ab ullo mortalium quantus sit, propterea non immerito finitus pro infinito ponitur, ita ut bene tertius quadratus accipiatur, ne aut Trinitas desit in numero, aut quadratura numeri desit in Trinitate firma et stabilis, D ac conquadrata, ne ullis unquam sæculis moveatur ac confundatur. Quos omnes in montibus justitiæ reliquit, de qua justitia Propheta ad Deum dicit : *Justitiæ tuæ sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV, 7). Et ideo quia eos in his montibus firmatos reliquit, ad nos securus venit, quia, *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Unde pro converso uno peccatore magis gaudium fit in cœlo, quam supra nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia ob conservatam justitiæ lætitiam in cœlestibus. Et si quidam eximius doctorum hunc numerum relictarum ovium de his dictum accipiat ovibus, quas reliquit in deserto, non de angelis quidem, sed de superbientibus

Introdusă în format electronic de Google

quibuslibet hominibus, quos superbos significat tanquam solitudinem gerentes in animo, dum solos se videri volunt, quibus ad perfectionem unitas deesse probatur. Cum enim, inquit, quisque a vera unitate divellitur, suæ potestatis esse cupiens, per superbiam utique divellitur. Non enim sequitur unum quod Deus est, ideoque ut ipse ait in nonaginta novem ovibus, ponit eorum significationem. Qui de se quidem præsumentes, peccatoribus ad salutem redeuntibus se anteponunt. Unum itaque deest, et ad novem, ut decem sint, et ad nonaginta novem, ut centum sint; et si per cæteros hujusmodi numeros hoc consideres, ita invenies. Variari namque per brevitatem et magnitudinem eorum numeri possunt, quibus unum deest ut perficiantur, ipsum vero *unum* sine varietate in sese manet. Qui cum acceserit nonaginta novem ovibus in solitudine suorum delictorum commorantibus, centenarius perfectus numerus redintegratur. Quia nisi per pœnitentiam omnes peccatores receperint hanc unitatem in se Deo reconciliati, **744** extra hunc numerum qui in dextris levatus coronam exprimit, remanebunt. Pia quidem intelligentia sanctissimi doctoris, sed illa verior commendatur in qua reliqui omnes tam Græcorum quam Latinorum doctores concordare videntur. Et omnis hæc parabola hoc insinuat, quod pius pastor inde ad nos venit, ubi eas oves reliquit, non imperfectas aut vitiatas, sed in minuto numero propter eos qui ceciderant. Qui profecto numerus ex unitate restauratur, ut centenarius perfectus in dextris inveniatur, et ideo non quinquaginta, non ducentas dixit, sed centum. Et ex his unam perdidit, ut ostenderet, non ex damno tantum fuisse dolorem in cœlo, verum etiam et ex numero. Namque amissio unius totum dissipaverat centenarium numerum; quia et dexteram redegerat ad sinistram, ut dispendio *unius* sinistra clauderetur omnis, et dextra nihil haberet. Nonagesimus et nonus numerus in sinistra latet clausus, et constrictus hæret, et tenetur conclusus. Qui tamen ubi unius perceperit et senserit augmentum, mox ad palmam dexteræ transit, mox centenarii numeri pervenit ad coronam, non quod angelorum illorum qui remanserant, quos reliquit, ulla esset imperfectio, sed imminutio numeri certa imperfectio erat, quia qui facit esse quæ non sunt, perdita sic requirit, ut teneat quæ reliquit; et amissa sic invenit, ut quæ servata sunt in cœlestibus, non amittat. Unde magis de angelis id dictum credimus, in quibus et pro quibus deinceps lætitia, sicut nec imminuta, ita nec aucta aut immutata est, sicut de hominibus quos quæsivit auctor salutis, et quæsitos invenit, inventos vero propriis revexit humeris ad gaudia æternæ vitæ. Unde convocat eosdem angelos amicos ac vicinos et dicit: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quam perdideram. Perdiderat autem eam, quæ cum prius in dextris creata esset, corruerat ad sinistram. Nec igitur poterat perfectio esse, quo centenarius numerus imminutus erat. Sed mox cum numerus de sinistra in dexteram transfertur, centenarius reformatur. Qui formatus, mox corona in eo exprimitur, unde et judex Christus in futuro oves quidem (quæ est tota Ecclesia) statuet in dextris, hædos autem in sinistris relinquet. Sed quomodo agmina in supernis montibus angelorum reliquerit, qui nunquam cœlos, sicut nec Patrem reliquit, quærendum æstimo; quatenus **745** quid sit reliquisse ejus intelligamus. Quia nunquam reliquisse recte dicitur cum quibus semper fuisse probatur. Unde fatendum, quod sicut iste in hoc Evangelio loquitur, quia reliquit Patrem et venit in mundum; ita reliquit et angelos in cœlestibus, et venit in terris. Reliquit autem cum *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip.* II, 7). In qua nimirum forma, quia illam nostram assumpsit naturam, venit in mundum ubi erat prius, non relinquens oves illas quodammodo cum quibus erat et prius. Hoc quippe reliquisse fuit semetipsum exinanisse, sicut et ovem hanc a gregibus oberrasse, quia in paradiso positus primus homo per culpam pascua vitæ perdidit. Sequitur:

Amen dico vobis, quia gaudebit super eam magis quam supra nonaginta novem quæ non erraverunt. Lucas vero concelebrationem in hujus gaudii mentione dedicat, cum ait quia convocat amicos et vicinos pastor hujus ovis, dicens illis: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat* (*Luc.* XV, 6). Quæ nimirum congratulatio, quamvis simul sit amicorum et pastoris, majus tamen pastoris videtur esse gaudium, cui congratulantur amici et vicini propter gaudium acquisitæ ovis. Qui profecto vicini et amici quoniam sunt rationabiles, non immerito hominum rationabilium redemptione lætantur, charitate repleti, quorum famulatu ac ministerio, quia provehuntur ad eorum consortia, nec immerito gaudent de tanto regis sui triumpho. Unde Dominus ut ad hanc ingentem lætitiam de pusillorum salute ostenderet, quos contemnere prohibebat, hujus comparationis proposuit exemplum, ut scirent se talibus qui scandala inferunt quod lædant Deum primum, deinde universa angelorum consortia, quorum hi pusilli tuentur præsidiis, et venerantur gaudio. Nec nobis tamen parvis, et exignis, modicum proficere debet ad incentiva probitatis, dum unusquisque nostrum gratam conversationem suam fore crediderit Deo et cœtibus angelorum, quorum aut implorare debemus patrocinia precibus ac laboribus affectata, aut vereri offensa. Quibus ita cœlestis orator ad sententiam præmissam divinitus deductis, concludit in finem cur hæc omnia proposuerit: *Sic enim est*, inquit, *voluntas ante Patrem nostrum qui in cœlis est, ne pereat unus de pusillis istis.* Et ideo referenda ad superiora, quæcunque parabolice **746** dicta sunt demonstrat, ubi ait: *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis.* Quia sic, ut declaratum est multis indiciis etiam com ait: *Non est voluntas coram Patre vestro qui in cœlis est, ut pereat unus ex istis.* Ad hoc dicit ut venerabilius ex affectu pietatis patri obtemperantes obedire cure-

Introdusă în format electronic de Google

nus, et fratrem, quamvis vilis videatur, quamvis exiguus, non contemnamus. Quapropter pro certo scire debemus, quoties aliquis perit, non ex prædestinatione Dei, ut quidam male sentiunt, neque ex voluntate patris perit, sed proprio suo peccato justoque Dei judicio. Respiciens Dominus Jesus discipulos suos dixit Simoni Petro :

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Quærendum igitur si adhuc pendeat iste sensus ad superiora, ne contemnamus aut scandalizemus unum de pusillis istis, qui in Deum credunt, et ideo dicat, si peccaverit eorum aliquis in nobis quid exinde agere debeamus. Quia si peccaverit in qualibet causa in nobis, aut læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem, qua præcipitur ut *debitoribus nostris* dimittamus debita, sicuti nobis a Domino dimitti volumus (*Matth.* VI, 12). Quod si in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii dimittendi. Unde dicit Scriptura divina, si peccaverit homo in hominem, orabit pro eo sacerdos. Si autem in Deum peccaverit, quis rogabit pro eo? Corripiendus est autem frater, primum seorsum, ne si semel pudorem aut verecundiam amiserit, deinceps jam impudicus factus, permaneat in peccato. Sed de his utique dicere videtur peccatis quæ ad nos pertinent, et non absolute sicut quidam codices habent, si peccaverit frater tuus. Unde et Origenes ex hoc loco, quia sic forte in Græcis legitur codicibus, plures proponit quæstiones. Sed quia in emendatioribus nostris, tantummodo, si peccaverit in te, habet, facilior sensus est, quamvis adhuc multa discretio in his necessaria sit peccatis, ut scire absolute possimus quæ sunt illa quæ solummodo in Deum committuntur, et quæ sunt illa quæ solummodo in nobis : quia profecto sunt talia quæ intra hos et in nobis fiunt, et tamen ad Dei injuriam referuntur. Idcirco diligentissime sic omnia discutere et prudenter discernere debemus, ut illa libenter indulgeamus proximis ac **747** fratribus, qui nobiscum uno Christianitatis participantur nomine, quæ nobis et ad nostram tantum injuriam facta pertinent. Quia etsi in omnibus quæ contra proximum mala fiunt offendatur Deus, dum ejus præcepta violantur, tamen remedium de his utrisque provisum est a pio Domino, ut per alterius salutem, nobis quoque et in eodem facto acquiratur salus et gratia. Sed nos quod pejus est e contrario in Dei injuria benigni sumus, et in nostris exercemus, in quantum possumus, vindictas et odia. Quod si contigerit, fratres mei, ut eum jam qui nos læsit corrigere velimus, attendendum est ne forte nostri causa, quia nos læsit, id facere velimus, cum omnino si amore nostro in magis quam proximi facimus, nihil est quod facimus; quod si pro amore illius hoc facimus, procul dubio magnum opus est quod facimus, sicut in eisdem verbis Dei monstratur.

Si *te audierit*, inquit, *lucratus es fratrem tuum.* Idcirco propter illum fac ut lucreris illum, quem nisi faciendo lucratus esses, perisset. Sed quia ad omne peccatum multi eximii doctores hoc pertinere tradunt, quia nihil est in quo proximus peccare possit, quod nos lædere non debeat, nascitur nimia difficultas interpretandi quomodo sub hac æstimatione eminentis misericordiæ Christi peccantibus adascius non amplior detur occasio peccandi, quia de omni peccato generaliter id pertinere dicunt, si ad tam modicam correptionem sceleratis ac reis venia præstatur. Si autem de minimis et humanis peccatis etiam et his quæ in nobis fiunt, peccantem arguimus, et post arguitionem testium vel Ecclesiæ fieri oportere diximus, sicut ethnicum et publicanum, maxime pro peccatis quæ non sunt ad mortem aliquid crudelitatis ne videamur inducere, omnino est cavendum. Quia non æstimo in Ecclesia cito inveniri de his aliquem qui sub disciplina sunt sollicitorum, qui non jam in eadem culpa argutus sit tertio aut eo amplius, ut puta ex detractione proximi, aut in inflatione superbiæ, aut in epulatione seu crapula vel potationibus, vel in verbo mendacii aut perjurii, si dixerit fratri suo Racha vel fatue, seu in cæteris levioribus quotidianis injuriarum delictis, quibus longa vel mala consuetudo vix carere potest. Propterea, ut dixi, prudentissime pertractandum est quæ commissa in nobis delicta secreto **748** proximis indulgere debeamus, quousque secreta sunt : *Non dico septies, sed usque*, juxta Domini vocem, *septuagies septies*, et quæ sunt quæ in Deum committuntur; quæ Dei judicio reservare debemus. Præ omnibus tamen circa proximum oportet vigilare sollicita charitate, si nullus alter scierit frater quia peccavit, te teste peccatum ad mortem in Deum, ut corripias eum et resuscites juxta vires inter te et ipsum solum, quia in te peccavit, cum te teste peccavit, et scis tu quia peccavit. Unde quia secretum fuit quando in te et in Deum peccavit, secreto quære omni diligentia, quomodo corrigas quod peccavit. Sed quærendum quid est quod Apostolus ait : *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant* (*I Tim.* v, 20). Numquid contrarie mandat Apostolus, in quo ipse Christus loquebatur? Quid ergo magis contrarium esse potest, quam quod Dominus : *Si peccavit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum.* Et Apostolus dicit, *peccantes coram omnibus argue.* Quod si recte perpendimus, utrumque verum est, et rectissime sic præcipitur, ut aliquando illud faciamus, et aliquando istud, ne forte confundatur disciplina Christi, ut fiat publicum quod debes emendare secreto, et secretum fiat quod est publicum. Nam tunc peccavit in te frater tuus, si tu solus nosti. Et ideo inter te et ipsum agendum est, quia nulli alii sunt testes ut secreto corripiatur. At vero si, aliis audientibus, vel videntibus tibi injuriam fecit, et in illis peccavit quos testes suæ iniquitatis effecit, quia forte nisi eis putasset placere quod fecit, coram ipsis non fecisset. Et ideo talia corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.

Introdusă în format electronic de Google

Quæ vero secretius peccantur, secretius et corripienda sunt. Sed talia hoc loco intelligenda sunt, peccata de quibus dicit quæ corripienda sunt, quæ nisi corripueris inter te et ipsum solum, frater pervire possit, et si te audierit, tunc eum lucratus sis. Quid ergo est quia lucratus es eum, nisi quia perierat, si non lucrareris eum? Et ideo quamvis pro omnibus delictis in invicem certare debeamus, tamen juxta hanc intelligentiam, tale æstimare debemus peccatum, pro quo, nisi corrigatur, frater perire possit. Et si coram Ecclesia Christi incorrigibilis apparuerit, pro quo ac si ethnicus et publicanus jure haberi possit. Ne forte et tu, cui facta est **749** injuria in quo ille peccavit, si contempseris ac neglexeris corrigere juxta vires, pejor fias tacendo, quam ille injuriando seu conviciando. Quia etsi gloriosum est injurias nostras oblivisci, verum oblivisci oportet injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Quod si ille contempserit te audire, et eos quos postea tecum adhibuisti, insuper et Ecclesiam cum qua deget, sicque peccatum suum ac si justitiam defenderit, talis deinceps non debet computari inter fratres, nec in Ecclesia conversari. Tamen et pro levioribus supra dinumeratis et hujuscemodi injuriis, nisi ad concordiam et satisfactionem se humiliare vel satisfacere quem læsit, noluerit correptus coram omnibus, a sanctis Patribus sancitum est, si contumax aut superbus apparuerit, a consortio congregationis alienum fieri debere. Nec enim præterit intellectus loci istius, qui hæc ad minima peccata asserunt pertinere, et propterea peccatorem, si fuerit bis vel tertio coargutus, elatus in superbia, nec emendaverit, sicut ethnicum et publicanum fieri debere, non quia primum peccavit tantum, sed quia permansit in contumacia sua elatus. Interea quam mira dispositione id divina pietas censuerit diligentius considerandum est, ut quod ipse primum implevit in populo quem elegit, unusquisque impleat in proximo sibi conjuncto, ut in ore duorum testium fides verbi ac veritas maneat incorrupta. Non ad insolentiam populi peccantis, primum lex correptionis missa est, et solus legislator cum eis corripiendo conflixit. Deinde prophetia et Joannes missus est ad eos cum ipsa eademque lege, et istis testibus conventus est idem populus ut peccare desineret. Tertio itaque ipso Domini adventu, tanquam coram omni Ecclesia inspectantis, admonitus est. Quibus frustratis objurgationibus ac si publicani deinceps vel ethnici jure reputati sunt ab apostolis, quia *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* XVIII, 16). Non quod in ore duorum hominum vel trium non inveniatur mendacium, sed quia in his tribus testibus, id est in lege ac prophetis, et in Evangelio, stat omne verbum doctrinæ, omnisque veritas. Stat autem in his omnis veritas, quod est omne verbum, quia nunquam cadit. Et ideo testes quorum assertione conveniendus est proximus, secundum hos tres testes debent corrigere ac reprobare eum qui eos audire noluerit, deinde Ecclesiæ notum facere, sicut et Christus de Judæis quos diu sustinuit, donec Ecclesia instrueretur. Quam quia **750** non audierunt, facti sunt sicut ethnici et publicani, eo quod multorum testimoniis jam convicti et correpti, in sua perfidia perdurantes, credere noluerunt.

Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis, erunt soluta et in cœlo. Juste enim ligatur qui toties coramque tot testibus, et coram Ecclesia ab omnibus increpatus et convictus est, si se noluerit emendare, nullumque jam ultra lædere. Propterea ille talis alligatus et condemnatus adhuc in carne, jure alligatus est apud omnes qui sunt in cœlo; ita tamen si se emendaverit quandoque ut satisfaciat Ecclesiæ quam læsit secundum correptionem trium testium, ut jam funiculis peccatorum suorum non sit alligatus, sed juste solutus, etiam ab eis qui sunt in cœlo. Nam hæc potestas solvendi atque ligandi de superioribus pendet. Cœpisti ergo habere fratrem tuum tanquam ethnicum et publicanum, ligasti illum in terra. Sed ut juste alliges, vide quia injusta vincula disrumpit justitia. Cum autem correxeris et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Quem cum solveris in terra, solutus erit et in cœlo. Multum ergo præstitisti, non tibi, sed illi, quia is multum nocuit, non tibi, sed sibi. Hæc namque potestas solvendi atque ligandi videtur eadem quæ Petro supra data est; sed non est ita per omnia, quoniam oportebat Petrum aliquod privilegium habere præ istis qui ter arguere jubentur. Ideo quidem illic dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum: et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis* (*Matth.* XVI, 19). Ubi non modica differentia esse sentitur, quia Petro datæ claves non unius cœli, sed claves regni cœlorum, ut quæcunque ligaverit super terram, sint ligata, non tantum in uno cœlo, verum et in omnibus cœlis: similiter et quæ soluta sunt in terra, soluta erunt et in omnibus cœlis. Quam perfectus est apostolatus Petri, quam communis nostra conversatio! et excelsior apostolorum auctoritas. Unde quicunque usque ad illam apostolorum exsolutionem perfectionis venerit, in omnibus absolutus erit; quia sicut *differt stella ab stella in claritate* (*I Cor.* V, 11): ita et differentia ab invicem sanctorum. Propterea etsi apostolorum auctoritas jure amplior prædicatur, non ideo contemnendus est consensus Ecclesiæ et potestas, quam nec apostoli, nec Ecclesia, aliunde perceperunt quam a Christo. Et ideo **751** quia poterat contemptoris nostri hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio, si me despicis et ego te despiciam: et si tu me condemnas, e contrario et tu in ea sententia condemnaberis. Potestatem tribuit ut sciant quia talibus condemnantur Deum judicem in medio eorum esse, ne aut isti injuste ligent, aut ille male contumax condemnetur. Idcirco dico vobis, ait, quodcunque ligatum fuerit in terra, ligatum pariter erit et in cœlo. Ac si diceret, quia in medio eorum sum qui ligant. Propter quod sequitur:

Introdusă în format electronic de Google

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. Et ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In tantum igitur studet concordiam, ut in unitatis merito, omnia quæ a Deo prædicanda sunt, impetranda esse confirmet. Et ubi duo vel tres, pari spiritu parique voluntate collecti sunt in Domino, ibi se medium eorum pollicetur futurum. Quia ipse est pax atque charitas, quæ facit corda multorum unum, et innumeras sanctorum animas, sibi ad invicem, ut una sit anima connectit ac convenit, inter quas medius sedem atque habitationem collocat. Totus namque hic sermo de superioribus pendet, ubi ad concordiam omnes provocarat, et nunc exponit, quem fructum exinde sint habituri, ita ut quidquid petierint, sint accepturi, Deumque medium semper in se habituri. Sed forsitan hoc tali consensu tantaque virtute, nec pauci sibi consentiunt per omnia, et ideo fortassis temperavit sententiam, si duo vel tres consenserint ex vobis, sicut Petrus et Jacobus ac Joannes. Quibus quasi consentientibus sibi per omnia ostendit in monte gloriam claritatis suæ, ita ut ex eo habitu quo non habebat speciem neque decorem, verteret se ad tantam gloriam, ita ut vestimenta sua fierent coram eis splendentia, sicut quidam codices habent, quasi lumen. Nam et in Veteri Testamento tres filii Chore in hac unitate consenserunt, et ideo evaserunt, ita ut formam teneant omnium eorum qui salvandi sunt ab illo incendio æterno. Qui profecto, quia consentiunt cum lege et prophetis, duo dicuntur. Deinde quia colliguntur in Evangelio, tres utique unanimes in unitate Christi inveniuntur. Præsertim quia lex et prophetiæ non sunt divisæ, sed quasi ex uno Spiritu et ex una anima, atque ex una voce consentiunt in Evangelio. Quorum **752** consensu operante in electis Dei, si duo vel tres simul in idipsum fuerint congregati, jure quidquid petierint impetrabunt, quia non nisi in unitate collecti unum petunt. De qua petitione David : *Unam petii*, inquit, *a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI, 4). Et ut ostenderet quia multi tales unum sunt, sicut unus dicebat pro multis : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Ps.* XLI, 2). Quam unitatem commendat Apostolus : Ut sitis, inquit, perfecti in eodem sensu et in eadem scientia (*Philip.* II, 7); quia sicut segregat dissensus a concordia charitatis, ita congregat consensus, et compaginem connectit in unum charitatis, ita ut Deus per hanc unitatem in medio eorum esse possit. Alioquin si unum corpus sumus, quamvis multa simus membra, unitatem tenemus, quia ad hoc posuit Deus singula membra in corpore, ut omnia idipsum sapiant, idipsum dicant, idipsumque consentiant, et sollicita sint invicem, ut si patitur unum membrorum, *compatiantur omnia membra* (*I Cor.* XII, 26), et glorificato uno membrorum, congaudeant omnia membra. Sic quippe debet esse in omnibus, sic et in uno homine, quatenus si jubilare cooperando volumus, unum musicum carmen servare possimus, ut servetur corpus et anima atque spiritus integer in una compage amoris Dei, et in uno vinculo pacis. Nostis enim in musicis, quia nisi fuerit consonantia vocum, ut unam ex diversis vocibus de se cantus harmoniam reddat, non delectatur audire, etiamsi una earum prior ruerit vox in concentu : sic et in Ecclesiis, certe aut in uno homine, nisi consensum habuerit chorus virtutum, et convenientiam charitatis, non delectatur Deus, nec audit voces eorum. Quoniam sicut Apostolus ait : *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Quapropter conversantibus nobis in unum, congregemur corpore et anima et spiritu in nomine Jesu, ut sit Jesus in medio nostrum, verbum scilicet Dei, et sapientia et virtus ipsius, quatenus nec in loco nec in tempore disjungamur a charitate unitatis, quia nec loca nec tempora dividunt, neque separant spatia terrarum, quos una charitas jungit. Unde si duo vel tres bene sibi consentientes in Christo impetrare possunt fiducialius de omni re quam secundum Jesum petierint in nomine ipsius a Patre, quanto magis ubi singulæ Ecclesiæ, aut omnis Ecclesia rogat? Sed quoties non exaudimur ea est causa quod non consentimus duo vel tres per omnia simul sensu vel scientia, nec **753** servamus unitatem Christi in vinculo pacis. Et ideo in istis sententiis perpendat prudens animus quam terribile sit contemnere quod duo vel tres consenserint, vel testificati fuerint, vel correxerint, et quibus tanta est fiducia impetrandi. Quia ad illa respondet ista sententia : *Si duo ex vobis, aut tres consenserint* (*Matth.* XVIII, 16), quia ait adhibe unum vel duos tecum, ne tam parvus numerus videretur contemptibilis; quia quidquid isti duo vel tres consenserint aut petierint super terram, consensa et impetrata erunt etiam et in cœlo. Magna igitur consolatio fidelium, quorum tam parvus numerus tanta corroboratur Domini virtute, ut qui dominatur *virga virtutis suæ in medio inimicorum suorum* (*Psal.* CIX, 2), ipse etiam in medio istorum esse se testatur. Et ideo dubitari non debet quod exaudiuntur in cœlo, quamvis adhuc sint super terram, qui habent in medio sui Dominum. Et notandum quod non dixit in medio eorum ero, sed *in medio eorum sum;* quia non medius futurus est talibus, neque medius esse tardabit, sed mox sinceriter ut consenserint invenitur Christus in eis medius. Quoniam et Christus ipse eorum consensus est, dum et ipsi in idipsum unum consentiunt cum eis, quorum *participatio in idipsum est* (*Psal.* CXXI, 3).

Tunc accedens Petrus dixit ei : Domine, quoties peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies? Dicit ei Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Nam Lucas hanc sententiam de indulgentia fratris, et illam qua corrigi mandatur, simul jungit, quas Dominus docendo disseruit. Quibus sententiis unam proposuit dicens : *Attendite vobis.* Quæ et harum duarum intelligen-

Introdusă în format electronic de Google

tiam clariorem redderet, et auditores suos solliciliores faceret. Non enim dixit, licet uni videatur loqui, attende tibi, sed *attendite vobis*. Quia quidquid in his duobus præceptis alicui attenderit homo, sibi quoque attendit, et quantum videbit ipse alteri, videbit alter et ipsi. Et ideo ista novitas locutionis, quantum mihi videtur, officiosissime præmissa est, et hæc admonitio præter usum loquendi facta; quoniam multa sunt quæ reprehendimus in fratribus qui in nos peccare videntur, et multa quæ dimittere debemus. Idcirco satis provide dictum est, *attendite vobis;* ne vagus oculus et passivus intuitus, atque improbus aspectus plus respiciat curiosus ruinas aliorum et culpas quam suas, ne forte dum sua cæcus non videt crimina, temere curat reprehendere aliena, et dum non considerat aliis quotidie **754** quas infert injurias, ipse sibi illatas ab aliquo gravius portet, propter quod benignissimus magister et clementissimus Dominus, paucis provide animos audientium præstruxit verbis ita dicens: *Attendite vobis;* quia quidquid est in his duobus præceptis quod agimus, nobis primum ut prosit attendere debemus, deinde proximo non minus quam nobis. Qui si peccat in nobis et eum corrigimus, ita ut lucratus sit per nos frater, duplicem mercedem habemus; unam quia ei libenter dimittimus, alteram quia eum lucrati sumus. Alias autem, nisi mandante Deo feceris homo quæ jubentur, nec tibi attendis nec proximo. Et ideo quia tibi providere non vales sine proximo, nec proximo priusquam tibi subvenire, recte dictum est, attendite vobis solliciti invicem *servare unitatem pacis in vinculo charitatis* (*Ephes.* IV, 3), quia quod donas et recipis, dum vices vobis et impenditis. Quia etsi ille hodie, tu quoque cras peccabis. Hinc forte erit tibi judex cras, qui erat hodie reus, etsi parvi pendere potueris ne *illi* pecces, Deum tamen non effugies, qui jubet ut agas, a quo tibi plura dimissa sunt, et cui innumera debes. Idcirco noveris, quia non in hoc numero pius judex veniam angustat, neque hoc lege constringit et fine concludit, sed hunc finitum numerum sub sacramento piæ significationis, pro infinito posuit. Tamen multi quærunt, cur Petrus usque ad hunc numerum peccata remittenda putaverit, et non amplius? Forte, quia sciebat ex lege hunc numerum remissionis esse seu requiei. Unde Dominus patratis omnibus die septima requiesse dicitur (*Gen.* II, 2), sicque legitur: *Septies cadit justus in die, et resurgit* (*Luc.* XVII, 4). Unde et Lucas signanter sic respondisse Dominum dicit: *Si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit in te, dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Nam et septimus annus requiei erat in lege, sicut et septies septem decursis jubilæus fiebat annus magnæ remissionis, seu quamplura quæ in lege per septem hujusmodi præfigurantur. Unde sibi quidam eorum finxerunt argumentum ejus interpretationis; nec non et quod septem sint dona Spiritus sancti, in quibus remissio omnium peccatorum; seu quod septem vitia principalia, quibus remissis remittuntur universa. Alii vero dicunt, quia septies vindicatum est de Cain, et ideo Dominus addiderit juxta quod de Lamech sacra vindicandum percensuit Historia, toties remittendum, ut in quantum amplior excrevit vindicta, amplior fieret indulgentia et **755** venia. Quapropter quia præfixus est a Domino remittendi terminus, nullus forte ultra audebit parcere delinquenti. Ultra ergo hunc limitem transilire nemo audebit. Sed hunc terminum remittendi parabola subsequens absolvit, cum inventus est qui decem millia talentorum erat debitor, et dimissa sunt ei omnia. Idcirco nemo dicat non ultra se dimittere debere fratribus peccata, quia Dominus amplius dimittere non jubet. Quia si hoc ita præfixum esse vellet, nequaquam quod ipse egerit subjungeret. Nam per decem millia talentorum signanter expressit peccata omnia, quæ in nobis invenit et donavit. Propterea et tu noli subducere misericordiam, sed poscamus pariter hujus numeri solutionem. Non enim sine causa Lamech prius hunc numerum in vindictam sui ita præmisit, neque Dominus rursus eum in remissionem omnium peccatorum sine causa præfixit. Sed quærendum de ipso numero prius censeo, quia aliter quidem eum calculando multiplicant, aliter vero alii ipsum eumdemque numerum ad mysterium et non ad calculationem tantum constringunt. Ut quid ait septuagies septies? Solummodo septuaginta et septem intelligantur, non tantum, ut dixi, secundum multiplicationem calculi, quantum secundum mysterium sacramenti. Nam septuagies septem quadringenti nonaginta fiunt, ut toties in die remittamus fratri peccanti, quo ille amplius peccare non possit. Quod si in die aut in tempore ultra aliquid in te peccaverit frater tuus, nunquid non ultra dimittes ei? Nam sicut continuo in sequenti parabola tractabitur, plus est decem millia talentorum quam septuagies septem, et plus centum denarii quam septuaginta septem. Quia forte centum denarii mille asses sunt, et ideo per decem millia talentorum seu per centum denarios omnia quæ in nos committuntur, insinuat, quia debemus ignoscere, sicuti et nobis oramus dimitti. Non enim ad numerum quotidie nos prostrati rogamus ignosci, sed precamur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Quæ debita rogamus? omnia, an aliquam partem eorum? Nulli dubium quod pro omnibus rogamus quæ quotidie innumera committimus, licet nobis in baptismo jam dimissa sint omnia. Unde quid sibi vult quod ait septuagies septies? Puto quod non lege calculandi hoc loco finiendus est numerus, sed **756** secundum magnum mysterium et admirabile sacramentum pertractandus. Nam Lucas evangelista, *cujus laus* (juxta Paulum [*II Cor.* VIII, 18]) *est in Evangelio*, ab eo loco quo baptizatus est Dominus, cœpit ascendendo numerare genealogiam Christi: et merito, quia ibi est initium ascensionis ad Deum. Quamvis Matthæus descendendo ab Abraham usque ad Christum, etiam

Introdusă în format electronic de Google

et ipse sub mystico expleverit sacramento, tamen iste, ut dixi, ascendendo cœpit numerare, et numerando complevit generationes septuaginta septem. Exorsus est itaque numerare a Christo in quo peccata omnia deleta sunt, et pervenit per omnes progenies numerando usque ad ipsum Adam, qui primus hominum peccavit, et nos omnes cum peccati obligatione generavit, quia omnes ac si in massa damnati sumus. Et ideo sub magno sacramento a Christo usque ad Adam per omnem lineam nascentium septuaginta septem generationes colliguntur, et ab Adam similiter usque ad Christum septuaginta septem. Si ergo nulla generatio prætermissa est, nulla culpa præteritur quæ non debeat ignosci. Et istæ vindictæ peccatorum quæ desævierunt per omnem progeniem usque ad Christum, quas Lamech connumerat, septuaginta sunt. Sed, ut obscurius tegeretur hoc sacramentum, non septuaginta et septem dixit easdem vindictas esse futuras, sed septuagies septies, quod et in idipsum intelligi debere nemo qui ambigat. Quem numerum Dominus in remissionem omnium peccatorum commendavit, quando a baptismo cœpit numerare, ubi omnia peccata solvuntur. Et sic ad Adam lineam genealogiæ Christi usque perduxit, ut monstraret quia sicut vindicatum est de Cain septies, quando septem vindictas, ut multi tradunt, exsolvit: ita et de Lamech septuagies septies, quas ipse prædixit et prophetavit, exsolutum est, ut septuaginta et septem usque ad Christum fiant, in quo omnis prævaricatio et peccatorum vindictæ finem accipiant. Quoniam sicut quidam tradunt, sciebat Christus extendere aliquos peccata sua etiam ultra hanc remissionem, propterea ad septem addidisse Christum septuaginta, ut dicat in eo tantum numero remissionem peccatorum fieri oportere in hoc mundo adhuc degentibus, et secundum res hujus mundi peccantibus; quoniam senarius numerus in quo factus est mundus, videtur operis ac laboris, septimus requiei et remissionis. **757** Unde si quis diligit mundum, et ea quæ sunt in mundo operatur, et sæcularia tantum intendit, dicit non incongrue sexies peccare, et finem peccatorum in septenario accipere numero, ut in eodem ad veniam possit pertingere. Quod sentiens forte Petrus, ideo interrogat, si debeat usque septies dimittere. Sed Dominus sciens in his quæ senario clauduntur numero, contra decem præcepta mandatorum Dei agendo, quotidie nos peccare, fixit limitem et finem peccandi, ut in eo numero qui remissionis est, unusquisque fratri ac proximo libenter indulgeat. Quod si aliquis supergrediens ea peccata quæ fieri solent in rebus mundialibus et sæcularibus ultra volendo peccare, si possibile esset, ut amplius viveret, quia in peccatis suis finem non fecit, nec de factis digne veniam quæsivit, jam ultra remissionem peccatorum suorum juste non habebit; quoniam quidquid in mundo contra Domini mandata contrahitur, ei venia præstatur, quia ut citius se converterit aut tardius, ita tamen si satisfecerit veniam poscendo (Luca teste) quem læserat, quia etsi non alter, in omnibus peccatis offenditur Deus. Fortass ergo, quia talis hujus numeri conditio est, ut pessim sint omnia peccata quæ sunt mystice supra septuaginta et septem, in quo numero remissio datur, et ideo benignissimus Jesus hortatur Petro suo ac præcipit usque ad hunc numerum fratribus peccata dimittere, quod sequens parabola etiam de hoc ipso latius pertractabit, ut dum hic vivitur petenti, venia nulli denegetur.

Ideo, inquit, *dico vobis : Simile est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Conclusio est hæc parabola sententiarum supradictarum, quæ de concordia et de indulgentia loquuntur fratribus exhibenda. Quia sicut periculosissimum est proximos scandalizare : ita et peccantibus in nobis veniam denegare. Et sicut de scandalizantibus concludit quid illis potius expediat : ita et abnegantibus indulgentiam, quale periculum immineat, prædixit. Sed quis iste homo sit rex, cui simile regnum esse possit cœlorum, aut quod hoc loco regnum cœlorum dicatur, videamus. Nam in hoc Evangelio regnum cœlorum aliquando præsens Ecclesia vocatur, aliquando virtutes et prædicatio Evangelii, aliquando ipse Christus, quoniam ipse est regnum cœlorum, sicut ipse est sapientia Patris, ipse **758** justitia, ipse est veritas et virtus. Sic quippe ipse est regnum. Regnum autem non alicujus eorum qui sunt deorsum, nec quorumdam eorum qui sursum in aere isto dominari dicuntur, sed omnium eorum qui sursum sunt, qui appellantur cœli et ad cœlestia tendunt. Secundum hoc igitur dicuntur cœli, quoniam ipsorum est Christus, secundum quod ipse est regnum regnans quotidie in cordibus eorum, sicut est justitia regnans, et sapientia et veritas, cæteræque virtutes in eo, qui factus est nobis cœlum, per hoc quod portavit ipse cœlestis imaginem. Hoc ergo regnum cœlorum factum est simile homini regi, quando *Verbum caro factum est* (*I Joan.* I), et quando venit *in similitudine carnis peccati* (*Rom.* VIII, 3), et de peccato damnavit peccatum. Tunc utique factum est similis homini regi, uniens eum sibi et per omnia, sine naturarum commistione, faciens eum sibi unum, ita ut Deus et homo unus sit Christus rex regum. Ac per hoc Deus homo Christus, quia rex est constitutus a Deo Patre *super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II, 6), voluit rationem ponere cum servis suis. Ad hoc quippe constitutus est rex, ut eos regat quos condidit, deinde et quos redemit. Sed ne forte hæc sententia obscurior tibi videatur qua ait, quia *voluit rationem ponere cum servis suis* : nimirum quia hoc factum necdum novimus, scias profecto, quia parabolice per anticipationem loquitur, sicque narrat, quia voluit ut quandoque implendum non dubites, quod quasi jam fecisse prædixit. Quod omnino recte dicitur, quia voluit, eo quod sic se suaque; præparavit omnia, sic cuncta disposuit sacramenta et singulis sua dona distribuit talentorum, donec redeat. Et tunc cœpit rationem ponere cum eis quibus sua

Introdusă în format electronic de Google

largitus est talenta, quando voluit, quandoque ipse discrevit. Et tunc finienda est hæc ratio, quando universa negotia præsentis vitæ finita erunt, ut tunc incipiat singulos discutere de apportato lucro, cum jam negotiandi tempus ultra non erit.

Et cum cœpisset, inquit, *rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta.* Audistis, fratres, quam sæpe in hoc ipso Evangelio, quoties Salvator in parabolis ad negotiandum suas pecunias suaque talenta suis commisit juxta mensuram singulorum, sicque abiit. Et unus plus accepit, alius vero minus. Itaque unusquisque secundum propriam virtutem. Quoniam ipse qui distribuit, singulorum vires solus novit et quantum unicuique **759** dare debuerit. *Alii* quidem *dedit quinque talenta*, forte quia tantum potuit tractare. *Alii autem duo*, quasi qui minus potuerit. *Alii vero unum*, juxta vires qualitatis suæ. Sic et in aliis locis, ubi plura suis divisit, pro quibus omnibus rationem habiturus cum eis, redit. Sed quis sit, cum cœpisset rationem ponere iste unus, qui *oblatus est ei*, non immerito quæritur. Quia etsi de illo ultimo examine, quando de singulis operibus singuli Deo rationem reddituri sunt, hoc dictum accipimus, ut tunc ei, cum cœperit rationem ponere, offerendus sit iste decem talentorum debitor, impossibile erit, ut hic talis deinceps suos conservos affligere possit, aut unum eorum, non dico suffocare, verum nec ab eo ut exigere pecuniam possit. Et ideo quærendum est quando hæc ratio esse cœpit, ut et post indulgentiam talentorum, rursus iste cum suo conservo disceptare queat pro debitis. Ac deinde Dominus cum audierit quæ relata sunt a conservis, quando pro his eum in judicium revocare possit. Alias autem, nisi post veniam sibi indultam aliquod tempus esset, quo tanta committere valeret, quod post judicium peractum, quod futurum est, omnino non erit, nequaquam ad tantum infelix discrimen forte pervenisset. Unde, quia aliter esse non potuit, forte signanter Evangelista, imo ipse Dominus, qui hanc nobis parabolam proposuit, ait :

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis. Qui miser nisi egressus esset, et post veniam indulgentiarum a Domino, et ab observantia mandatorum ejus, nunquam talia tam crudeliter perpetrasset. Sed quia hæc parabola obscurissima videtur, et in multis difficillima, qualitercunque requirendus est modus, ut sane intelligatur. Quia nonnulli fuerunt qui pro ejus difficultate in aliquibus locis erraverunt a vero, et ipsi interpretes, qui eorum dicta de Græco ad Latinas aures transtulerunt, non satis eorum errores purgarunt, ne offenderet in his simplex lector, neque os putei clauserunt. Quoniam talis tantaque difficultas est in his rebus quæ proponuntur, ut confiteatur Origenes in suis opusculis, neminem hujus parabolæ textum ad liquidum intelligere posse; et ut propriis ejus utar verbis, ait ita : Vere confiteor neminem hanc exponere posse, nisi solum Christum, qui discipulis suis omnia secrete solvit, veniens in sensum eorum et aperiens eis paraboke thesauros obscuros, et secretos **760** atque invisibiles, confirmans eos demonstrationibus indubitabilibus; deinde ne alios excluderet ab hac lectione doctores, adjecit dicens, aut forte eum quem voluerit illuminare lumine scientiæ suæ, ut intelligat omnia parabolæ hujus. Et cum proposuisset singulas personas, quinam esset rex iste, qui servus qui oblatus est, quive illi qui eum obtulerunt, quæ uxor et qui filii, et quæ omnia ejus, seu cætera quæ longum est enumerare. Est enim, inquit, sapientiæ Dei hoc opus, ut ita dicam, ea omnia disserere. Quapropter perpendat fidelis animus, quanta difficultas in his esse possit, ubi magister Ecclesiæ illius temporis tam divina sensit et eximia. Licet ille altius ea voluerit extollere, allegorizare quam fides catholica permittit, quia *qui fortius premit ubera*, teste Scriptura, *non eliciet lac, sed sanguinem* (*Prov.* XXX, 33). Et ideo nos ad nosmet redeamus, deinde ad finem parabolæ et ad conclusionem Salvatoris; quia non ad supernas et angelicas ruinas hæc parabola referenda est, sed ad nos quibus dicitur : *Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque de cordibus vestris.* Quapropter ipsa vis verborum consideranda est, si forte ex ipsius Domini dictis sensus nobis illucescat. Ait enim : *Cum cæpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta.* Quid ergo putas dixisse Dominum quando ait : *Cum cæpisset rationem ponere?* Non enim ait, oblatus est ei unus, ponente jam eo rationem in ipso judicio, sed cum cœpisset rationem ponere, ut subaudiatur judicii. Quoniam aliud tempus est futuri judicii, et aliud quando posita est ratio ejusdem judicii : rationem quippe judicii rex noster Jesus Christus, quia homo factus est, tum cœpit ponere, quando ipse pro nobis in primo adventu suo voluit judicari, et pro nobis pati, vel quando legem dedit, quando de cœlo : *Prospexit super filios hominum, ut videret si esset intelligens aut requirens Deum; quia omnes declinaverant, non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum* (*Psal.* XIII, 2, 3). Qui unus, quia omnes unum facti erant in massa peccati, propter prævaricationem primi hominis oblatus est ei totus, obligatus vinculis, et involutus criminibus, *qui debebat decem millia talenta*, quoniam in omni genere humano hæc iniquitas respersa erat. Quæ iniquitas juxta Zachariam prophetam sedet super talentum plumbi. Sed decem millia talenta ideo dicuntur, quia lex in decem præceptis commendatur. **761** Si enim diligentius scrutatus fueris ipsius numeri secreta, latebrasque ejus inquisieris, monstrabitur tibi justitia lege Dei constituta, quam quisque qui contempserit, quasi violator præceptorum Dei reus tenetur, dum nec naturalem legem insitam primo homini servaverit, nec datam per Moysen custodierit. Et ideo ille debebat decem millia talentorum, quoniam memorabilem illum decalogum, scriptum digito Dei, traditum populo Dei, corruperat. Debebat ergo decem millia talentorum,

Introdusă în format electronic de Google

propter numerum legis, quia criminosus omnia peccata contraxerat, quæ in lege damnantur. Debebat et ille ejus conservus centum denarios, nihil minus ab eodem numero; nam decies centum fiunt mille, sicut et decies mille decem millia, sic et decies deni centum fiunt. Nec in illo igitur decem millia talentorum debitore a legitimo numero recessum est, et perfecto, nec in illo qui decies denos debebat denarios. In quo utroque invenies utraque peccata. Uterque itaque debitor, et uterque veniæ implorator, pariterque etiam a Domino impetrator. Sed ille servus malus servusque iniquus et ingratus noluit conservo rependere quod ipse acceperat a Domino, noluit præstare quod illi indigno præstitum est. Nam ei relaxata sunt decem millia talenta. Et ne putes quia parum est forte centum, quia tot peccata sunt quibus reus tenebatur obnoxius, quot et per hæc decem milha, in quibus nihilominus omnia peccata sunt accipienda. Nolo enim dicere unum talentum, quod omnia peccata hoc loco concludat, sed decem millia talenta, quia nemo est qui ambigat cum qui oblatus est, omnia debuisse. Servus autem ille qui centum denarios debebat, etiam et ipse plusquam et septuaginta et septem debebat. Sed omnia illa decem millia talenta, nulli dubium quia dimissa sunt in baptismo, quando benignissimus Salvator nobis libertatem reddidit a culpa, qua rei tenebamur sub peccato. Sub quo peccato jam venditi eramus, et nos et uxor nostra, videlicet caro peccati, et filii atque omnia quæ sunt opera carnis, quæ pepererat nobis quasi filios ipsa carnalis affectio, seu voluptas carnis, quæ male adultera facta est spiritui nostro uxor de qua suscepimus eosdem plures et pessimos filios, quos rex simul cum matre venundari jubet, non quod suos nos imperio perdiderit, aut vendiderit, sed quia nos et omnia quæ **762** ad nos pertinere videbantur, jam venditos sub eisdem delictis parabolice ostendit, ac per hoc vendidisse est, cum venditos esse monstravit. Non enim omnia in parabolis sic possunt figurate coæquari rebus, ut historia videatur, sed sic ut hoc ad plenum insinuent ad quod propositæ probantur. Cujus plane causam propositionis Dominus demonstrat, cum ait:

Sic et Pater meus faciet vobis, si non remiseritis hominibus peccata eorum, de cordibus vestris. Ubi declarat quia a primo adventu suo multa nobis dimisit talenta peccatorum, unde et nos multa debemus dimittere quæ in nobis committantur. Namque primum reum exhibuit et absolvit gratis, talenta relaxavit, uxorem etiam ipsam, ne in servitutem veniens, permaneret, dimisit, filios ne semper venundati essent absolvit, et omnia ejus quæ servituti erant addicta justo Dei judicio sub diabolo, peccatis exigentibus, pius et clemens rex concessit. Quæ omnia ad pœnam hujus pessimi servi ideo jussa sunt venundari, quia ipse primum sua sponte se vendidit, et tradidit sub diabolo. Et hoc est jubere vendi, ut diximus pro certo, quod est venundatum ostendere. Qui profecto tropus in Scripturis divinis notissimus est et diversis formatur modis, sicut et hoc loco, per hoc quod jubet facere, factum jam justo suo judicio demonstrat. Necdum tamen in carcere jubet mitti, quod ad illud ultimum restat judicium. Porro de uxore et filiis, quidquid ille prædictus doctor senserit, non aliud intelligere oportet, quam quod ad ipsum eumdemque servum pertinere possit, id est caro, seu carnalis affectus. Sicut quam sæpe in Scripturis tropice, mens seu spiritus quæ Græce νοῦς dicitur, pro viro accipitur, caro vero pro uxore, ut sint *duo in carne una* (*Gen.* II, 24), sicut Christus et Ecclesia, ita ut mens regat corpus, et caro sit subdita ac si mulier viro suo. Quia tunc rectus ordo servatur si mens subdita Deo fuerit, et animæ seu spiritui caro digne obedierit. De quibus filii qui generantur, id est actiones bonæ operationis, perfecti ac digni Deo erunt. Sed quia iste malus servus necdum redemptus erat, ut dixi, neque libertate donatus, non poterat nisi venditus manere sub eo, cui in primo parente se tradiderat, et ideo non habebat unde redderet, quia tam ipse quam uxor et filii, seu quæ ad eum pertinere poterant, omnia erant vendita sub manu diaboli, nec poterat aliquid de se, **763** quod liberum esset generare, donec libertate recepta, quando cœpit rex rationem ponere cum servis suis, mensuram talentorum dispartiens singulis, in quibus negotiari rursus deberent ad lucrum Domini sui, ita ut omnia illa præcepta servare deberet hic malus servus, quæ ad Deum pertinent, et quæ ad proximum. Quia profecto illa decem millia talenta ad Deum sunt referenda, centum vero denarii ad debitum proximi. Sed iste tam immemor beneficiorum Dei, nec illa quæ ad Deum sunt servavit, nec ista quæ ad proximum, quinimo crudeliter exegit, quod ipse primum conservo impendere debuerat. Debitor namque fuit alteri facere, quod ipse voluit ut ipsi faceret et conservus. Neque conservo infligere pœnas oportuerat, quas omnino nollet ut alter ei inferret. Quibus rursus debitis male reinvolutus, accusatur. Qua crudelitate accusatus et convictus, jure condemnatur, qui non sibi nec ulli parcere voluit; insuper nec de talentis, rursus sibi, post indultam veniam commissis, cogitare. Quoniam pecuniam, quam primum in Adam perdiderat, demum in Christo concorporatus ad lucrum expendere debuisset. De quibus probabilibus pecuniis, jam plura supra diximus. Propter quod non ait ponente eo jam rationem oblatus est ei unus, sed *cum cœpisset rationem ponere*, id est cum omnia semina rationis futuræ vitæ proposuisset in se et in morte sua, per quam dimissa sunt omnia debita servitutis nostræ, et reddita est nobis perfecta libertas in Christo. Ut vir et uxor, spiritus videlicet atque caro, quia sunt duo in carne una; seu filii, scilicet fidei opera in Christo si permanserint in adoptione filiorum Dei servitus transeat, quoniam retro multa millia talentorum pertulimus damna, nec ullum Deo prius attulimus lucrum. Sed et quo-

Introdusă în format electronic de Google

tidie majora nobis coacervamus, et graviora peccata committimus, quia sequimur mulierem super talentum plumbi sedentem, cujus nomen est iniquitas. Quam nimirum rationem tunc cœpit Jesus, ut præmissum est, rex noster ponere, quando incarnatus venit in mundum, et adhuc hodie ipsa eademque ratio versatur in isto sæculo. Nam et quotidie offertur iste unus dum accedimus ad Christum per fidem, et venundati prius sub peccato, debitoresque talentorum convincimur. Sed quia non habuimus unde reddere, neque ullus mortalium habuisse creditur, flectimus **764** ergo ad ipsum eumdemque regem, et adoramus, rogantes clementer, ut nostra nobis dimittat debita. At ubi cum oblati, quorumlibet officio ministrorum, angelorum videlicet vel sacerdotum seu ministrorum descendimus in fontem, quo ablati et consecrati in sanguine Christi, omnia talentorum chirographa solvuntur, redditur universis mortalibus per Christi gratiam libertas, et de servitute transit hic unus oblatus, quod est omne corpus Ecclesiæ, in adoptionem filiorum Dei. Et ideo quam bene ait, quia *dimisit eum*. Dimisit autem eum gratis liberum, insuper et universa talentorum debita dimisit ei. Et cum hic factus est liber, nulla deinceps de uxore ac liberis facta est mentio, quia in ejus libertate donata est libertas integri corporis, ut anima et spiritus atque caro totus atque mundus, ab omni debito absolutus, liber sit homo. Sed hic egressus a fonte unus, *invenit unum de conservis suis*. Proh dolor! a fonte egressus est unus, et ecce jam facti sunt duo. Qui nisi rursus divisi essent, non nisi se unum invenisset; quia sicut prius omnes unum corpus diaboli erant, quamvis multa membra, ita et in Christo renati omnes in unitate corporis Christi sunt recepti, quorum ipse factus est caput, singuli autem alter alterius membra, unde et in eisdem omnibus unum corpus. Verumtamen etsi rursus hic qui factus est unus se dividat in duos, non eum unum dividit qui unus in Christo permansit, homo cujusque unum est caput, et multa sunt membra, adhuc unum est corpus. Quem unum invenit miser unus, qui egressus est a corpore, egressus unitate fraterna, egressus a gratia Dei, egressus a charitate, *invenit unum de conservis suis*. Ambo siquidem servi, et ideo ille conservus. Sed aliter ille servus, et aliter ille. Tamen eorum unus est Dominus. Sed infelix nimium atque miser Cain, quia exiit a facie Domini: beatus autem Abel et accepta hostia Deo, quia mansit intus cum Deo. Et ideo omnes homines, quamvis servi sint unius Domini, tamen aliter est factus servus Esau qui affligebat Jacob fratrem suum, et aliter ipse Jacob persecutionem patiens fratris, pro quo et fugam iniit exsulque est factus. Unde licet hæc ratio quam cœpit ponere cum servis suis, magis pertineat ad tempus baptismi, quando in eo donantur omnia debita tam quæ contraximus ab Adam, quam ea quæ postea ipsi commisimus. Tamen et in priori populo lex naturæ servanda fuit, **765** sicut et lex Moysi. Ac præterea in utraque charitas fraterna tenenda erat, sine qua nemo absolvitur, etiamsi corpus suum tradiderit ut ardeat, ita ut quibusdam martyr Dei videatur. Sed hæc summa totius parabolæ melius super baptismo interpretatur, quando plenius et perfectius omnia donantur nobis peccata, et charitas fraternitatis atque adoptio et libertas omnibus amplior relaxatur. Idcirco tempus quo accipitur indulgentia tanquam tempus est reddendæ rationis, ut omnia debita quæ et inventa fuerint dimittantur. Non tamen ille servus dicitur postea dedisse conservo suo mutuam pecuniam, quam cum ille non posset reddere, ut ejus misereretur, sed sic dicit quasi jam ei deberet ille conservus ejus, quando ipse rationem Domino suo reddens cogebatur tanti numeri debitum exsolvere. Nec enim dicit quod dimiserit conservo suo quod ei debebat, et sic demum accesserit ut ei dimitteret Dominus. Vere quia in hac exactione utrique debitores erant, quia utrique unum corpus de massa peccati, et utrisque dimissum est a pio Domino. Unde rectius fuerat, atque hoc potius congruebat, tanto debitori reddituro rationem, et exspectanti misericordiam Domini sui, ut prior ipse conservo dimitteret quidquid ei debebat, et sic ad rationem reddendam, ubi misericordia Domini imploranda erat rationabilius, et ad impetrandam veniam securior accederet. Nunc autem quod ei non dimiserit indicant verba conservi, simpliciter dicentis: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*. Alioquin diceret, jam hoc dimiseras, cur iterum repetis quæ donasti? et ideo forte videtur dicere, ut in baptismo dimittere debeamus, si quid nobis debetur, nec ultra quidquam de præteritis repetere. Hoc et ipsius Domini verba manifestius aperiunt. Ait enim: *Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios*, et non dixit, cui jam debitum dimiserat. Si enim dimisisset, non ei utique deberet; nunc autem quia dixit debebat, manifestum videtur quod non dimiserat, et ideo nihil de his forte cogimur intelligere, quæ postea sibi ad invicem homines contrahunt. Sed conclusio hujus parabolæ longe aliter se habet, cum ait: *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratribus vestris*, peccata eorum *de cordibus vestris*. Ubi ostendit et ea quæ ante baptisma commissa sunt, et ea quæ **766** demum postea ad invicem contrahuntur, benignissime condonanda. Quoniam nova nativitas et cordis immutatio id affert ut nihil demum aliud debeamus, nisi ut invicem diligamus. Verumtamen in hoc magnum ostenditur pietatis sacramentum, cum illud, quod nondum conservo dimiserat, neque quod cor durum hactenus etiam in fonte gerebat, nihil impedire potuit Domino, quominus illo in tempore incipiendæ rationis dimitteret ei omnia quæ debebat, si vellet accipere quæ dabantur. Sed quid profuit misero quod donatum est, quandoquidem in caput ejus propter duritiam cordis, et odiorum perseverantiam, rursus omnia continuo replicantur et exigantur ab eo universa præteritorum et præsentium debita? Unde

Introdusă în format electronic de Google

recte quæritur quomodo, si dimissa sunt, redeunt? Ne forte impediri possit baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittat, maxime si odium fraternum in ejus, cui dimittuntur, animo perseverat. Unde constat, et catholica confitetur Ecclesia, quod solvitur hesternus dies, et quidquid in eo contracta sunt vel supra, solvitur etiam et ipsa hora momentumque ante baptismum, et in baptismo. Porro deinceps continuo reus esse incipit, cum de libertate ruens servus esse peccati incipit. Ac propterea, non solum consequentium, verum etiam præteritorum dierum, horarum et momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt, tenetur reus et exigitur ab eo, ac si redivivum universum debitum, in tantum ut videantur in quibusdam peccata non dimissa, sicut in Simone Mago, et in quamplurimis qui ficte accesserunt, vel accedunt ad fontem, quoniam sanctus Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Ergo quia talis ficte accedit, ideo forte non ei dimittuntur debita sua, quod omnino falsum est. Unde Apostolus ait : *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27). Ergo quicunque Christum induit, in corpore Christi consecratur, et ideo non potest fieri, ut per sanctam vim tanti sacramenti peccata ei non dimittantur, saltem in ipsius temporis puncto. Sed per fictionem atque duritiam eo quod impœnitens cor ei maneat, redisse continuo probantur, propter perseverantiam lasciviæ, seu fictionis, quia sanctus Spiritus disciplinæ, ut dixi, effugiet fictum, eo quod ejus noluerit suscipere vel servare donum, jam baptizatus. Qui profecto spiritus cum effugerit, etsi dimissa sunt debita, redeunt, quoniam **767** oculi ejus ad tenebras in perpetuum diriguntur. Verumtamen sicut beatus Augustinus ait, Non potest eum lux nisi perfundere transeuntem, dum per ipsam transit lucem, etiamsi transeat ad destinationis suæ tenebras, continuo peccatis redeuntibus, quæ baptismi sanctitas in illo temporis puncto dimiserat, tanquam redeunte obscuritate, quam lux in transitu ab eo excusserat vel pepulerat. Quod et præsens locus demonstrat, cum propter fraternum odium, vel debiti exactionem peccata redire dimissa Dominus protestatur, cum exigere jubet ab eo universa prioris vitæ et sequentis debita. Quoniam omnis *qui non diligit, manet in morte*, et, *qui odit fratrem suum homicida est, et in tenebris ambulat, quia nescit quo eat* (*I Joan.* III, 14, 15). Hæc idcirco dixerim, ut intelligat unusquisque, quia nullus est, cui non dimittantur hæc debita, ubicunque in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatus fuerit. Sed nisi in unitate Ecclesiæ, et compagine charitatis Dei et proximi, non servatur hæc gratia libertatis, seu intus videatur esse seu foris. Unde hic servus, qui conservum suum tenens, suffocat, egressus et ipse dicitur, quia egressus est ab unitate charitatis, et a vinculo concordiæ et pacis. Idcirco licet intus sit numero et corpore, foris tamen est, et non est in unitate spiritus, et in vinculo pacis, quia spiritus disciplinæ recessit a ficto, vel ab eo qui in aperto factus est, vel permansit malus. Propterea per omne tempus vitæ nostræ cum timore et tremore salutem nostram operari oportet, ne in ullo contristemur Spiritui sancto in quo signati sumus; quia neque qui ficte accedit ad hanc gratiam remissionis, neque qui postea jam adultus in fide recesserit ab unitate charitatis, et a vinculo fraternæ dilectionis, potest salvari. Neque igitur intus aut foris reiteratur sacramentum donorum Dei, et consecratio, sed exspectatur ut redeat ad unitatem charitatis, et ad vinculum concordiæ atque pacis, ut discat et incipiat magis ignoscere et præstare aliis quam exigere ea quæ pietatis sunt ac dilectionis et gratiæ: sed quærendum si solum sit proximi odium quo nobis omnia jam indulta revocantur debita, an etiam et reliqua crimina quæ Apostolus dinumerat, si quis ea qui agunt (ut ipse testatur) regnum Dei non consequentur. Quod omnino nemo qui abneget ita esse. Sed solummodo odium et fraterna suffocatio vel crudelis exactio **768** hic in causa ponitur; quia omnis iniquitas sui est odium vel proximi, et de odio venit justitiæ et æquitatis. Unde David, *Omnis*, inquit, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 5). Ergo alterum nemo recte diligit qui semetipsum odit. Hinc quoque Scriptura revocat unumquemque nostrum ad semetipsum, *Miserere*, inquit, *animæ meæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Quia qui sui misereatur, ut oportet, nulli alteri crudelis erit exactor. Et qui in se diligit iniquitatem, in nullo perfecte amare potest æquitatem, quia æquissimum est, ut se primum quisque secundum Deum diligat, deinde proximum sicut seipsum. Alioquin sciat pro certo unusquisque dimissa redire peccata, ubi nec fraterna charitas est, nec sua secundum Deum dilectio. Quoniam si, *omnis qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III, 15), multo magis is qui se ita odit, ut nec sui misereatur nec alteri, quo Deo placere possit. Idcirco, fratres charissimi, considerandus est hujus parabolæ textus, consideranda æterni judicis criminatio; quia in Ecclesia Christi non nisi duo sunt populi duæque gentes, quamvis videantur esse gemini, sicuti etiam et in utero Rebeccæ, antequam nascerentur, duo luctabantur; ex quibus prophetia est, quod major serviet minori (*Gen.* XXV, 23). Non ea quidem conditione qua serviunt fideles Christi in Ecclesia Christi sub timore Dei, non ad oculum servientes, sed ea servitute qua servivit Esau Jacob fratri suo, affligens eum et excrucians, suisque odiis cogens peregrinari, quatenus ejus crudelitas fratri mansuetissimo proficeret ad probationem et ad profectum suæ salutis, et alteri sua infestatio ad cumulum suæ damnationis. Utrique tamen unius Domini sunt servi. Sed longe aliter serviunt electi, dum excruciantur fraterno odio et inimicitiis, aliter vero illi qui eos intus forisve persequuntur. Itaque serviunt boni, sed ad laudem Dei et justificationem suam: serviunt et mali, sed sibi ad detrimentum salutis, et pœnam damnationis, ut et justi illorum probentur cruciatibus, quibus eorum an-

Introdusă în format electronic de Google

geantur merita, et mali ac scelerati æterna non evadant sibi supplicia præparata. Siquidem serviunt omnes quos præscivit Christus, et prædestinavit ad vitam, serviunt et illi qui foris egressi, quamvis intus videantur, qui affligunt proximos. Sed eos quos falso fratres vocant, quibus et quantis modis affligant et teneant infra Ecclesiam Dei diri exactores membra Christi, longum est disserere, **769** quibusque modis suffocantur, et in carceribus clauduntur boni, puto quod nemo sit qui edicere ac dinumerare queat. Qui forte conservus debebat centum denarios; quos quia debebat noluit rependere conservo beneficia malus servus quæ acceperat gratissima, a præstantissimo domino. Utique quia malus servus et ingratus, durus et iniquus, noluit præstare conservo, quod illi præstitum fuerat. Quod si talis ideo reus tenetur, quia non indulsit debitori suo poscenti, quid putas de his qui etiam non debentibus mala pro bonis reddunt, et torquere eos quam sæpe gratis conantur. Hinc ergo est omnis afflictio in Ecclesia Dei, hinc omnis calamitas, et nimis dura oppressio; quia servus ille malus et crudelis conservum suum premere non cessat, nunc in rerum damnis, et in rebus exterioribus, nunc secundum interiorem hominem in multis vexationibus, dum non erubescunt hi tales conscientias percutere singulorum. Sed quia hæc parabola ad ea respicit quæ superius dixerat Petro quærenti si deberet peccanti in se fratri usque septies dimittere, et ille respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, debemus in fine quærere quomodo eisdem conveniat numerus, idcirco utrumque observa numerum, observa et peccatum unius talenti; nam numerus undenarius legis transgressio est, lex in denario constat numero, peccatum vero per undenarium exprimitur. Quare peccatum per undecim? Quia transgressio denarii est, ut venias ad undenarium. In lege autem modus fixus præceptorum, transgressio autem hujus limitis præceptorum, peccatum est. Et ideo in undenario numero magnum mysterium figuratum est, quando vela cilicina in tabernaculo undecim fabricari jussum est. Omnia enim peccata dixit nos dimittere debere, quando septuagies septies dixit, sicut et si septies dixisset, quia septuplum pro toto solet computari, quoniam septem diebus volvitur omne tempus, et finito septenario rursus ad caput redditur. Omnia enim peccata dixit quando septies dixit, quia illud undecim septies fiunt septuagies septies. Omnia ergo peccata dimitti voluit qui ea septuagesimo septimo numero præsignavit. Idcirco nemo contra se teneat non ignoscendo, ne contra illum teneatur quod **770** erat. Quia etsi centum denarios proximo remittere recusat, decem millia talenta ei, quæ dimiserat in faciem repræsentat. Ait enim: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* In quo declarat, quod sit decem millia talentorum. Quod si ista veniant in opprobrium, quæ dimisit bonus rex et pius, quanto magis ea quæ postea commisit servus ingratus et malus, cui nulla alia causa fuit ut dimitteret ei, nisi quia bonus Dominus erat, et quia rogavit adorans eum. Sed hic malus servus et ingratus, indulgentiam consecutus, exiens a rege suffocabat eum dicens: *Redde quod debes.* Suffocabat autem eum, et suffocat adhuc hodie, quoniam exierat a rege et a præceptis ejus, ut fratrem affligeret et probaret. Alias autem non suffocasset conservum suum, si non exisset a rege. Quapropter quæso, diligens lector, considera subtilitatem dictorum, quia servus multorum talentorum debitor, procidit et adorat regem, quoniam ipse est *Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16). Siquidem regem demonstrat eum, et ideo adorasse eum introducit; qui acceperat a Patre regnum, et venerat ad rationem ponendam. Quæ ratio, ut dixi, in omni isto tempore ponitur, quando et pecunia Dominica dispensatur, et servus de talento accepto lucrum pecuniæ negotiando sectatur. Quod si causatur aliquis talentum se non accepisse, negare non potest, quia saltem hoc accepit, quod dimissum est ei. Et si non amplius quod et ipse debitori debuit remittere gratiam quam accepit, et non debitum exigere ipse quod debebat. Non enim potest negare aliquis ut debitorem non habeat, qui ei centum debet denarios. Qui debitor, etsi non procidens adorat (quia nemo alter est adorandus quam rex Deus, cujus omnes sunt servi tam boni quam et alii), rogat tamen conservum ut patientiam habeat in se, donec ei sua omnia reddat. Qui si non habuisset unde redderet, debuerat cogitare malus servus, quantum ei dimissum fuisset gratis a communi Domino, et quia conservus esset is qui debebat quod et ipse debuerat, cui quia dimissa fuerant omnia, debuisset et ipse debitor universa debitori suo relaxare sub spe saltem æternæ retributionis. Sed miser tenens, suffocat eum. Quod utinam non nossemus fieri in hoc sæculo, in tantum ut non liceat miseros ad veniam respirare. **771** quos sæpe retrudunt in carcere, tam crudeliter ut eis totus mundus unus sit carcer. Et si ad delicta pertinuerit debitum, adhuc exactores atrociores fiunt, dum laborant in corde, ne veniam pro offensis suis quæ admiserunt, in eis invenire possint, quod est eos mittere in carcerem, dum eis non misereri, sed rependere cupiunt, etiam ultra quam retribuere vel evindicare, queant. Quod autem ait, quia *Misit eum in carcerem, donec redderet universum debitum*, non ita dicit quasi obliviscatur, quod boni servi in carcere non permanebunt, finito præsenti sæculo: maxime quia intervenit redhibitio pessimi exactoris; sed ideo sic dicit, quia *Misit eum in carcerem, donec universum debitum redderet.* Quia tanta crudelitas quorumdam exardescit eorum, in pœnas inimicorum suorum, ut nunquam eas finire velint. Propterea et ipse ac si ex reciproca sententia, juste mox a Domino condemnatur, ut quod sæviendo alteri pœnaliter intulit, ipse secundum crudelitatis suæ sententiam quam digne damnatus excipiat. Et notandum quod non ait, omne debitum dimisit, quo-

Introdusă în format electronic de Google

niam adorasti me, ne forte videretur ei indulsisse ob aliquod obsequium servitutis suæ, sed quia rogasti me. Voluit enim nos intelligere Christus, in hoc verbo, quia totum gratis nobis debitum indulsit, nullis intervenientibus actionum nostrarum meritis. O quam justa recompensatio! Noluit enim reminisci beneficiorum Dei, noluit misereri conservi sui, sicut ei misertus fuerat dominus suus, noluit spatium dare pœnitendi, noluit vindictam remittere et debitum relaxare.

Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde. Et venientes nuntiaverunt hæc domino suo. Dives ergo dominus, qui tales tantosque habet servos. Habet namque plurimos, qui diversa donorum talenta conservis suis in lucrum domini sui quotidie dispensant, et nummulariis ac negotiatoribus ad negotiandum ea committunt. Habet et alios, quos iste servus pessime flagellat. Habet et istum pessimum, in quo sunt omnes qui universam Dei Ecclesiam conturbant ac divellunt, et conscindere non metuunt. Habet et istos qui ejus injurias ferre nequeunt, qui contristantur pro talibus in Ecclesia quæ fiunt. Non quod tristitia pœnalis ulla cadat in angelos, sed quia eis non placent mala quæ fiunt. Propterea contristari valde dicuntur, nec immerito, cum et Dominus irasci dicatur **772** ac gaudere, reliquasque affectiones humanæ mentis habere. Porro quod ab angelis factori nostro atque judici quotidie nostra renuntiantur opera, seu bona fuerint, seu mala, multis in locis Scripturarum declaratur sanctarum, a multis quoque prædicatur doctoribus, quorum, ut supra jam dixi, officiis præsens regitur et adjuvatur Ecclesia. Quod enim si in terris nullus rex est, qui non suis fulciatur apparitoribus, cui non condignis serviatur, et non administretur ministris, quanto magis universorum Domino credendum est, quod angeli obsecundent, et ministrent in auxilio Ecclesiæ deputati, et in defensione sanctorum. Quos quia tales non timent, qui Dei, suisque vectigalibus et pressuris, coaretant et constringunt servos, velint nolint, sentient accusatores etiam et exactores; quoniam ipsi venturi dicuntur in hoc ipso Evangelio, ut colligant universa scandala de regno Christi, quæ isti pessimi servi et mali crudeliter intulerunt. Et notandum quia volentes adjuvare eum qui missus fuerat in carcerem, quod non dixit detraxerunt vel inflixerunt, sed narraverunt quæ fuerant acta, quasi rem gestam et non fictam vel falsam.

Et tunc vocans eum dominus suus ait. Non ut prius pro damno, sed atrocius pro conservo misso in carcere. Primum enim locutus est sicut pius rex et misericors, neque impr.peravit aliquid ut diceret ei serve nequam et male. Sed cum non haberet unde redderet, jussit eum pro debito vendere, ut dixeram, id est venditum denuntiare. Ac deinde cum precibus eum pulsasset, dimisit eum liberum, et omnia dimisit ei. Nunc autem improperat et obpurgat, quem jam tandem, *iratus*, *tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* De qua sententia qui volunt post exactionem culparum redire debere ad veniam, multam sibi dogmatizandi assumunt materiam. Quasi eo usque tradantur tortoribus quoadusque cruciatibus exsolutum sit universum debitum, sicque demum debeat homini libertas redire ad integrum, quod omnino catholica fides non recipit. De quo sane locutionis genere me recolo jam supra in hoc ipso Evangelio satis dixisse, ubi ait : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec* **773** *reddas novissimum quadrantem.* Nam tale est quod ait :

Tradidit eum tortoribus quousque redderet universum debitum. Quale et hoc judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris, nec exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Quia, donec, et quousque, unum sensum habere probantur in Scripturis divinis. Nam et Græcus indifferenter pro *donec*, et *quousque* ἕως tantum habet. Quæ partes quam sæpe pro infinito ponuntur, sicut hoc loco, eo quod pœnæ reproborum infinitæ credantur. Sed quod illic ait : *Novissimum quadrantem*, hoc hic *universum debitum dicit*; quia illic persolvet universa delictorum debita. Ita ut sicut hic suam nohuit finire crudelitatem, nec illic finiantur debitæ pœnæ. Manifestius tamen hic tortoribus traditur quam supra cum ait, Et judex tradet te ministro, quia per ministrum et possunt boni angeli intelligi, quorum officio illud administrabitur examen, cum separabuntur boni a malis, et mali exactores pœnarum, quibus tradendi sunt omnes reprobi, quando dicturus est judex his qui a sinistris erunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Servavit autem metaphoram suam a principio, ex quo regnum cœlorum simile esse dixit *homini regi, qui cœpit rationem ponere cum servis suis*, usque in finem, quando idem judex, qui et rex supra dictus est, consummabit rationem judicii quam in primo adventu suo cœpit ponere seu a principio sæculi, et complevit universa ut bonis restituat quæ gesserunt, quos iste malus afflixit servus, et huic pessimo servo sua adnumeret quæ sibi thesaurizavit, et conservis suis crudeliter agendo intulit mala. Idcirco sic accipiendum est, ut per omne tempus iste unus propter unitatem corporis quorum caput est, diabolus omne genus malorum intelligatur, quam ut ad aliam intelligentiam generalis hæc sententia, ut quidam volunt, derivetur, qui tortores etiam Romanum contra Judæos exercitum venisse quibus traditi sunt, interpretantur. Sed videant quomodo omnis hæc parabola huic sensui convenire possit, cum nec principium, nec finis, utique nec medium ejus, aliquid eisdem dictis consentit. Unde sequitur :

Sic Pater meus cœlestis faciet vobis si **774** *non remiseritis hominibus unusquisque de cordibus vestris.* Ubi apertissime declarat pius Dominus, ad quam

Introdusă în format electronic de Google

intelligentiam hanc proposuerit parabolam, ut tota de indulgentia et remissione, quam ipsi a Deo gratis percepimus, proposita credatur, ut quia nos fratribus et conservis devotissime eamdem gratiam præstare debeamus. Ex qua sententia duo notare debemus, unum quod ait : *Sic Pater meus cœlestis faciet vobis;* alterum vero : *Si non remiseritis* hominibus *de cordibus vestris.* Quoniam duabus istis sententiis terribile est quod ostendit, quando in uno eodemque servo, ac si in specie totum genus, et pœnas omnium malorum describit, non quod alius sit iste servus quem proponit, et alii qui ad ejus formam damnandi dicuntur, sed ipse erit iste servus quicunque de corde fratri suo non remiserit. Servatur autem arbitrii libertas inter innumeros servos qui voluerit imitari indulgentiam domini sui in se, et qui voluerit crudelitatem exercere in his pusillis quos Christus vocavit, sanavit, et propriis humeris ad gregem reportare suscepit. *Sic et Pater meus*, inquit, *faciet vobis, si non remiseritis hominibus unusquisque de cordibus vestris.* Nemo ista audiens, rogo, censuram sibi remittentis assumat et imponat sibi, aut delinquenti in se vanam præsumptionem persuadeat, quando aut cui ignoscere debeat; quoniam sic provisum est a pio medico, ut illius sanitas cui parcis ad tuam gloriam recurrat, illiusque venia tuum præmium fiat, sicut et tua correctio vel indulgentia, illius venia. Quapropter formidolosa sententia prolata est ab eo, qui corda inspicit singulorum, si non remiseritis hominibus de cordibus vestris, ut credamus quod juxta mentem nostram Dei sententia flectitur atque mutatur. Unde certi esse debemus, quod si parva hominibus non dimittimus, non dico voce et simulatione, verum etiam nisi ex toto corde et omni puritate mentis dimiserimus, quia violata charitate, rei tenemur. Idcirco nemo dicat ficte : nihil habeo contra eum, ut solent homines dicere; ipse novit, habet Deum judicem, non mihi cura est quid velit agere, ego ignovi ei; iste talis confundit sententiam suam et convincitur a conscientia sua. Quia ubi vera charitas **775** non regnat, falsa pax se colorat. Quapropter omnem fictæ pacis simulationem evertit dicens : *Sic faciet vobis Pater meus cœlestis, si non remiseritis* hominibus *unusquisque de cordibus vestris.* Et non dicit quoties, sicut Petrus interrogat, usque septies, neque sicut ipse respondit usque septuagies septies, sed, si non dimiseritis hominibus. Et quo liquet quia præscriptus numerus non angustat veniam, sed dilatat, eo quod præcepto finit obedientia, et sine fine relinquit arbitrium; ut si quantum jubet Deus remiseris, tantum sit obedientiæ retributio, sin amplius, ut mysticus demonstrat numerus, sit gratiæ præmium. Quia nec tantum a Deo quam sæpe præcipitur, ut ultra gratia non habeat locum; quamvis et gratiæ sit donum præceptis Dei omnibus obedire. Unde et ipse septimus numerus quem Petrus proposuit, quamvis numero videatur parvus, invenitur tamen amplissimus sacramento, sicut et ille, cum septuagies septies multiplicatur; quod si per omnem seriem Veteris Testamenti consideres, invenies hunc numerum hebdomadarum mysticum, seu currat per dies ut sabbatum faciat, seu per septimanas, ut Pentecosten nobis impleat; seu cum properat per menses, ut septimi mensis festa consecret, necnon et cum vadit per annuam septimanam facit annum qui requiem dat terræ. Deinde, nexus omnis fraternæ obligationis absolvit septimus numerus annorum, cum circum septimanas et annum quinquagesimum facit, qui annus Jubilæus, jam ut dixi vocatur, ipseque omnem plenitudinem veniæ, et remissiones omnium rerum adducit, ut tollatur servitus totaque libertas redeat, ut sopitis universis debitis et disruptis cautionibus resurgat debitor liber. Quo sane numero jurgia universa sepeliuntur, et cupiditas tota deperit, et de cupiditate omnis tractatus. Quapropter quoties septies multiplicatur, nihil aliud quam veniam et remissionem affert, si recte Christianus eum percenseat et advertat auditor. Quoniam cum finitus fuerit, tunc vere cessabit crediti contractus et debiti. Tunc vere abolebitur tota conditio servitutis, tunc illa veniet sine fine gloriosa libertas, tunc æternus ager, semper viridis ac floridus remeabit. Noverit charitas vestra, charissimi, quia sicut in terra latet aurum, ita divinus sensus verbis celatur humanis. **776** Et ideo quotiescunque Dominica tractantur eloquia, mens evigilet, animus intendat, ne intellectus vacuus recedat. Quinimo laboret cum omni cordis desiderio, ut ad cœlestis scientiæ possit intrare secretum. Et quidquid est quod nos minus penetrare potuimus in hac parabola, seu in cæteris dictis quæ in hoc libro difficillima pertractavimus, ipse a Spiritu sancto edoctus, fidelis accedat, ut fidem teneat perfectam, quam non caro, non sanguis, sed Pater cœlestis Petro revelavit. Deinde præcepta quæ præcepit implere festinet votis, ut ad visionis montem conscendere possit, quo simul semper cum Jesu, Moysi et Elia clare colloquentes audire queat, ut ovis quæ jam humeris Dei revecta est ad gregem, nunquam aberrare possit in fide, neque declinare a vero. Ad ultimum, quæso, cogitet devotio religiosa fidelium ex eo loco quo benignissimus Salvator unum de parvulis statuit in medio apostolorum, ut ex eo omnes exemplum perfectæ vitæ caperent, quod deinceps de unanimitate et concordia pacis pertractatum sit, quidve de singulis propositum, vel quid in fine in hac parabola conclusum sit; quoniam omnis ejus propositio, omnesque assumptiones, seu confirmationes sententiarum, et in fine talis tantaque conclusio, hoc nimirum agunt, ut unanimes unumque simus, ne ullum lædere velimus, neque negare ulli, quod nobis præstari optamus, quatenus ab eo quæcunque poscimus, pie impetrare possimus. Quia omnino veniet tunc illa remissio vera, illa absolutio perpetua, quando abolebitur, etiam Domino præstante, ipsa necessitas peccandi. Quando pereunte immunditia, mundus ille redemptus vere jam vocabitur mundus : quando redeunte vita mors jam non erit; quo nulla erunt, quando regnante Christo soli

Introdusă în format electronic de Google

boni gaudebunt, et mali omnes cum diabolo extra hos fines erunt. Quapropter orate, fratres, quia prolixitas libri finem postulat, ut et nobis et vobis Dominus fidem augeat, demonstret præclara cœlestis vitæ mysteria, propriis nos suis reportet humeris ad gregem, donec bona, quæ promittit, videre possimus in terra viventium, et sine fine tenere, ad quem tendimus.

779 PRÆFATIO LIBRI NONI.

Nunquam digne satis laudari philosophia potest, Fratres charissimi, cui qui paret, omne tempus ætatis suæ poterit sine molestia quodammodo conversari; quia quos nutrierit a puero, etiam in senectute non deserit. Hinc est quod me, licet ego deseruerim eam, non passa est in hac ætate longius a se amplius peregrinari. Sed mox ut redii ad eam, multum diuque male vexatus sæcularium rerum curis, recognovi veram non esse viam prioris vitæ, et lactare me cœpit quasi puerum, suisque recreare uberibus. Merito igitur quia puerorum et senum pene una est conditio, et coæqualis eorum mors mihi videtur. Et ideo eorum semper utrorumque lacte Scripturarum divinarum nutriendus est animus; puer siquidem ut crescat, senex vero ne deficiat, imo uterque eorum ut proficiat in melius, et vivat divinis lactatus uberibus. Quia sicut eorum unus est introitus ad vitam, ita et unus exitus post defectionem. Idcirco utrisque elaborandum, ut sciant singuli omnia quæ divinæ paginæ noscuntur pertinere. Quod si quisquam objicere voluerit seni, quod non in suo tempore laboravit; discat quia prius eum decet audire, ut doceat. Audiat etiam, quia melius est unquam quam nunquam laborare in verbo. Propterea nullum debet esse tempus senectutis otiosum, quod non prosit. Maxime quia in aliis meminimus proficere studia Scripturarum, divina verbi semina saltem juvenibus spargo. Erit forte incitamentum eorum affectus; quia pius labor omnia vincit. Idcirco ad sponsionem primæ promissionis, etsi exhausti macies ingenii jam arescit, promptus revertor, quia charissimis fratribus loquor. Non enim inter tam efficaces, clarissimos, ac sapientissimos, aliquid vel de minimo loqui auderem, nisi me charitas eorum coegisset. Sæpe namque puerorum meritis doctori copia dicendi tribuitur; et ideo nulla esse debet diffidentia in tractatu, dum plena dilectio exuberat in affectu; maxime mihi, quia filiis debitas una vobiscum impensas intelligendi paro. Nam sicut legistis in sæcularibus litteris, *Omnia fert ætas;* hinc quoque itatenus, mihimet ac **780** filio charissimo contigerit hoc proverbium inæstimabiliter, ut ita dicam, dum alterna proportio vitæ divino dispensante judicio, satis opportuno in tempore, congrua utrisque, quolibet pacto, intulit stipendia actionum. Mihi quidem, post innumeros actus sæculi, et molestos vitæ labores; post sollicitudines tanti regiminis, et longa vitæ præsentis dispendia, optabile satis tandem prudenti viro concessit otium. Adeo ut nihil illi profecerint, qui moliebantur aliud, et filio tunc mihi charissimo, vix expleto tyrocinio, valde negotiosissimum imposuit jugum, quia vigebat animo et corpore, ut opto etiam et merito sanctitatis. Cui quia divina virtus ampliavit gratiæ fastidium, discrimen coauxit regiminis magnum, et prægravavit rerum curis, occupavit officiis, et extulit honoribus. Nihil tamen omnipotens concessit perficere illis, qui nostris semper bene utitur malis ad effectum, sed nobis largitus est suæ gratiæ admodum munus prælationis in filio. Cui, dilectissimi, etsi vobis scribo pro munere dilectionis, et fratribus quoque meis censum servitutis persolvo. Non immerito impensas paro verbi, quibus non minus meo officio quam suo reddat ipse per se omnibus debitum servitutis, et obsequium prædicationis, in verbo, in doctrina, in omni religionis gratia. Unde et ipse cum oportuerit, forte aliud operis conficere possit. Ita tamen si hoc paternum, licet exiguum, quia non ignavi ponderis est donum, non negligat, sibi etiam eum omnibus oblatum. Quinimo, etsi vilescit, amplectatur charius; quia nobilitas filii ex honore et reverentia descendit patris. Nam omne patrimonium præparatum, quod a patre percipitur, pretiosius esse solet cunctis opibus, quas aliunde sibi contraxerit. Idcirco quæso propriolum paterni juris in verbo sic amplectatur, ut divina quæ revolvo, fructum vitæ illis intus afferant in animo; verum etiam eos ad ea extollat quæ divina sunt, et arcana secretorum Dei. Rogo autem ut et vobis placeant, quia tunc Deo accepta erunt qui in vobis inhabitat, cum vobis grata fuerint pro voto eatenus dilectissimis quæ offero. Quoniam etsi fratres debitores facti sunt, ut audiant et pecuniam verbi, non ad dispendium vitæ, sed ad lucrum sibi impensam, pertractent. Nihilominus et vos oportet considerare in charitate, talentum quod exsolvo. Quia etsi parentes debent thesaurizare filiis **781** juxta Apostolum, et non filii parentibus; decet tamen filios quod thesaurizatum est sollicitius custodire, atque diligenter excolere, ne in vacuum dispereat census laboris; qui non nisi ab ipso Domino, cujus est pecunia, cum usura exigitur meritorum, et cum lucro boni operis. Nam in hoc solido Evangelistarum quadrato numero, magni sunt sapientiæ et scientiæ thesauri, quos effodio. Unde quia totus quatuor mundus constat elementis; et orbis universus quatuor suis adunatur partibus, aptissime provisum est a summo opifice Deo, ut sicut per quatuor jugiter currit tempora: itatenus, quatuor istis divinis irri-

Introdusă în format electronic de Google

geter fontibus. Quia unus in quatuor se dividit capita, et fluunt ex paradiso Dei viventis, quorum imbribus verbi Christi irrigatur Ecclesia, ut queat universaliter dilatari sub ipsius materialis numeri sacramento. Et ideo quatuor eliguntur discipuli; duo videlicet qui Dominum sunt secuti, et duo qui apostolis prædicantibus crediderunt; ut nulla sit differentia inter illos ad prædicandum qui viderunt, et qui non viderunt Dominum, si recte credant. Veruntamen quærendus est ordo eorum, cur Marcus et Lucas, qui non ab ipso Domino didicerunt, neque in numero connumerantur apostolorum medii ponuntur, tanquam duobus vallati postibus; Matthæus vero et Joannes, hinc inde extremi, qui Dominum sunt secuti, qui ejus miracula viderunt, quos ipse suo erudivit magisterio, instituit disciplinis, monstravit exemplis, suæque confirmavit resurrectionis gloria. Reliqui vero duo postea didicerunt, et compleverunt, quod multi conati sunt; quos Spiritus sanctus medios posuit inter duos eximios, tanquam filios amplectendi, ne ulla imperfectio in corpore Evangelii videatur. Sed sit initium salutis nostræ Christus homo; finis autem ipse Deus et homo. Ut id sit principium, quod finis, et finis quod principium, hoc est α et ω. Interea licet quidam aliter voluerit eos ordinare, rectius tamen sic positi sunt, ut illi extremi ponantur, quorum est apostolatus gratia, et illi medii qui minoris sunt ordinis, et ab homine didicerunt, quod probatum est et confirmatum ab apostolis. Ideirco, ut vere fatear, jure, medii ponuntur tanquam filii, ut sint hinc inde vallati, quanto sunt firmiores (si dici fas est) duo extremi. Quia quod sunt duo extremi, in officio, in unitate verbi et in omni prædicatione sancti **782** Evangelii, hoc sunt et duo medii, ut per totum quadratum orbem ista discurrat durabilior cœlo, quadriga verbi, et unitas commendetur eorum omnium qui ante passionem, aut post passionem, in Evangelio crediderunt, et Dominum sunt secuti, in prædicatione verbi.

LIBER NONUS.

(Cap. XIX.) *Cum consummasset ergo Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem, et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos.* Reliquit benignissimus Dominus Galilæam, videlicet patriam suam, et venit in fines Judææ, quasi justus Dominus omnium, qui sic diligit domesticos suos, ut alios non relinquat; quia sicut omnes illi debent fidem servare, atque gloriam impendere quasi Domino: sic ille omnibus debet subvenire, et misericordiam præstare, quasi servis, ne semper eum juxta humanitatem unus teneat locus. Sed non prius reliquit Galilæos, quam consummasset sermones istos; id est, donec omnia quæ proposuerat coram eis, ad perfectam conclusionem pacis et concordiæ perduceret. Sicque venit in fines Judææ trans Jordanem, ubi baptismum dabatur hominibus. Et forsitan dicitur de turbis sequentibus, *Et sanavit eos ibi*; quia ad hoc provocabat eos ut sanarentur. Quoniam nemo perfecte sanatur, nisi renatus fuerit baptismo Christi, quod in Jordane præfiguratur; qui est ex duobus fontibus, secundum mysterium Christi conditus ut demonstret eumdem Christum Dominum nostrum ex duabus substantiis, quasi ex duobus fontibus copulatum, Divinitatis scilicet, atque humanitatis. Sicque unus factus est Christus, quem secutæ sunt turbæ, et sanavit eos omnes. Sed aliter secuti sunt eum Apostoli, aliter turbæ. Sic et hodie, aliter sequuntur eum, qui propter eum ipsum et propter vitam æternam sequuntur, aliter qui propter aliud aliquid, eum sequuntur ad tempus, etiam usque ad fines Judææ trans Jordanem ut renascantur fonte baptismatis. *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, et dicentes, si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?* Misera Pharisæorum cæcitas et **783** duritia cordis. Turbæ sequuntur eum quasi ad testimonium salutaris doctrinæ ejus, et quasi oves pastorem quem deducebant, quasi parvuli filii pium patrem, peregre seu longe proficiscentem: et isti, mox ut ad eos accessit, tentant eum callide, et quasi cornuto eum appetunt hinc inde syllogismo, ut quodcunque responderet, captione teneatur. Sed egregius Magister sic omnia dispensat, ut ipsi inexcusabiles sint, et ipse in nullo teneatur. Unde primum sanatis turbis, continuo dimisit eos, quia parati erant sequi eum in fines Judææ; ne forte detractores cæci Pharisæi dicerent quod ad divulgandam opinionis suæ famam, et ad testimonium virtutum suarum, causa jactantiæ, secum hanc trahit multitudinem, quos curavit. Et ideo mox sanatos dimisit eos. Deinde sic temperat responsionem ut et illi negare non possint quæ respondit, et in nullo eum tenere et involvere laqueo, quem pararant. Quia si dixisset quod liceret uxorem qualibet ex causa dimittere, pudicitiæ prædicator Dominus videretur sibi docere contraria. Sin autem respondisset, non omni ex causa eam debere dimitti, quasi sacrilegii reus teneretur, eo quod adversus Moysen diceret; ac Moysen contra Deum dixisse forte calumniaretur. Neque enim seipsos respiciunt, quam impudenter interrogent cum nullam assignant causam, ne seipsos infra angustias certarum causarum constringerent, sed aiunt *ex omnibus causis*, si ex una qualibet earum, quia modum nescit libido, dimittenda sit uxor? suaque interrogatione se primum ligant, et adulteros se convincunt. Quia ubi lex de solvendo matrimonio requiritur, jam ex odio prioris divortium quærit, et libido sequentis

Introdusă în format electronic de Google

adulterium parit. Unde vir, aut uxor, dum talia meditatur, et quærit quacunque ex causa resolvere quod Deus conjunxit, si vir fuerit, lascivus est, et adulter jam in corde. Si vero mulier, meretrix utique comprobatur. Et ideo quam bene Dominus Scripturam sacram adducit in testimonium, et non aliam quam ipse Moyses conscripserat, ut decipulam eorum illæsus transeat, et eosdem suis aliiget funibus, et convincat ab initio non sic fuisse, auctoritate divina. *Non legistis*, inquit, *quia qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos ? et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Quod sane capitulum aliter in Genesi habetur; quia illic, **784** si verbis Adæ, res omnis refertur; hic autem Dominus indicat ab eo qui hominem figuravit, et mulierem fecit de costa viri, omnia dicta hæc esse. Unde admonere curavi legentem, ut ipse se de hac quæstione consulat et quærat diligenter ubicunque tale aliquid in Scripturis invenitur divinis. Nos tamen de hac re, quidquid Adam probatur dixisse, in prophetia vere dictum accipimus. Et ideo per eum quidquid dictum est, Dominum, qui de ejus latere uxorem formavit, dixisse minime dubitamus. Quia ipse ædificavit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem ipsius; et sacramentum futurum erat qui tunc per Adam in mysterio loquebatur. Quod cognoscens Apostolus, *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 32); quia ipse est caput corporis, et omnis Ecclesia corpus et membra capitis, ac per hoc facti sunt duo in carne una. Quapropter, ut dixi, perpendat diligentissimus lector vim verborum, et quibus Dominus responderit, et quibus discipuli usi sint verbis. Consideret etiam Pauli apostoli de hac re affectum, vel silentis, vel interdum sub aliis locis tractantis; quomodo Dei occultum expendat sacramentum? Quomodo Christus Patrem reliquit, quando semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ac matrem Synagogam videlicet, et adhæsit uxori suæ, id est Ecclesiæ, quæ de latere Christi formata est, et ædificatur quotidie in mulierem, sicut et propagatur omnis ordo nascentium de uxore et viro. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Ecce benignissimus Jesus conscientiam ad testimonium provocat divinæ auctoritatis, ut convincat eos qui non ideo interrogant ut discant, et se contineant, sed ut calumnientur eum, et excusabiliter faciant, quod inexcusabiliter peccabant. *Masculum et feminam*, inquit, non masculum et multas feminas, ut uni liceat multas uxores ducere. Neque masculos et feminam, ut uni feminæ liceat multos viros accipere. Non enim duas vel tres costas aut eo amplius tulit Dominus de latere viri. Et ideo revocandus est animus ad continentiam, ut possis dicere uxori tuæ, quod Adam dixisse legimus, *Hoc*, inquit, *os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II, 23). Alioquin etsi costa est illa mulier quam ultra unam duxeris, de cujus sit costa, tua tamen non est. Et si dixeris, quia tua est, vide ne mentiaris; eo quod ex uno **785** Adam, non nisi una sumpta est, ut unius conjugis consortio necteretur. Quæ nimirum conjunctio, quia naturalis lex est, primam Dei sententiam approbat. Secundæ vero nuptiæ, non ob voluntatem Dei, sed secundum peccantium necessitatem concessæ sunt. Et ideo ostendit Dominus his verbis, quod secunda conjugia vitanda sunt, cum ait de libello repudii, *Quia ab initio non fuit sic*. Sed qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit. *Propterea*, inquit, *relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ubi cum dicit, *propter hoc*, causam exprimit propter quid. Quia ex viro est uxor, et quia ex una carne sunt ambo. Licet hoc, juxta Apostolum, magnum sit sacramentum in Christo et in Ecclesia, tamen secundum naturam carnis ita est, ut creatio docet. Et si alii velint dicere, quod major dilectio debet esse inter fratres et sorores, quia iidem ex eisdem parentibus exeunt, nunc autem interpretatur jam ex diversis, et non sicut ex illo uno Adam fuit. Ubi rogo, lector, diligentius paulisper intendas, quia et secundum hanc copulam conjugii magnum est nimis vinculum nuptiarum, et pietatis in Christo sacramentum. Quia etsi dicunt de fratribus nunc, quod ex una nascantur carne jam facta, tamen ipsa unitas fortior est a principio facta una, quæ manet. Quia fortior credenda est Dei constitutio ab initio quam deinceps virtus humanæ naturæ. Non enim præcepta Dei naturæ subjecta sunt, sed natura præceptis Dei obtemperet necesse est. Et ideo in singulis ita est sicut et in tribus; qui licet ex uno nascuntur conjugio, tamen deinceps et ipsi diversas vias petunt. Conjugium vero semper ad principium redit, ut sint duo in carne una. Qui quamvis ex diverso nascantur, tamen ex præcepto Dei, ut multiplicentur, ideo nascuntur ut in unum conveniant. Attende, quæso, legem divinam exquisitam secundum omnes voluntates Dei. Fratres quamvis sint ex uno et sorores, sic creati sunt a natura, ut non conveniant in unum. Masculos autem et femina quamvis non sint ex uno, tamen ita creati sunt ut redeant ad principium, qui sunt ex uno, quia ad hoc creati sunt ut sint unum. Idcirco omnis natura, non tam seipsam, quam ordinationem Dei sequitur. Et quia hæc copula conjugii, quamvis gratia Dei sit, cum legitime secundum Deum conjungitur et servatur; tamen vir et **786** uxor, quia carnaliter interdum se diligunt, *Et erunt duo in carne una*, recte dicitur. Sed Pharisæi, quia sanam doctrinam non recipiunt, et hanc reprehendere non possunt, redeunt ad duritiam cordis sui, et interrogant, *Quid ergo Moyses præcepit dare libellum repudii?* Ecce quantum displicet peccatoribus et lascivis doctrina justitiæ, quia gravis est fornicariis prædicatio castitatis. Sed quia contra rationem respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Proponunt patrocinium Moysis, cujus persona ac si Dei ab omnibus reverebatur, et timebant omnes ei in aliquo contraire.

Introdusă în format electronic de Google

Unde doctrinam Christi, quam ratione vincere non poterant, per auctoritatem ac si validioris personæ destruere moliebantur; ut dum Moyses irreprehensibilis censetur, et timetur reprehendi, veritatis interpretatio taceatur. Hinc quoque dicunt ei, Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Hæc eorum interrogatio de magno venit supercilio, et de multa arrogantia Moysen proferentes, in animo Christum quoque despicientes, ac si dicerent, Quid ergo tu contradicis, quod Moyses tantus præcepit in lege, et tam magnus? Qui fuit quasi visibilis lingua invisibilis Dei. Qui incorruptibilem gloriam Dei vidit, et testimonium divinitatis in vultu suo portavit ad populum. Tu autem homo vilissimus, fabri filius, quid ergo tu destruis quod ille constituit? Sed mitissimus Dominus ad hæc non cessat docere eos, et refellere. Moyses, inquit, propter duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras. Ac si diceret, Moyses quam sæpe vobis multa talia permisit propter duritiam cordis, et improbitatem mentis vestræ, quæ Deus non mandavit; sicut in eremo hostias Deo quas offerre præcepit, quas ipse per prophetas improperat, ac dicit se nolle, neque de his aliquid mandasse. Sed quia videbat eos Moyses necdum mente ab Ægypto exisse, neque hostias quas dæmonibus offerre consueverant, deseruisse : quinimo circa studia sacrificiorum carnaliter inclinatos; si mandasset eis recedere a sacrificiis et hostiis, nequaquam eum audirent. Quia tam diuturna passio, vel tam crudelis morbus difficile curatur, jussit eos sacrificare quidem, sed Deo, et non jam dæmonibus. Tali siquidem ratione **787** perdocet Auctor humanæ salutis factum fuisse et hoc, quod prætendunt scelestissimi de libello repudii. Quia levius judicavit propter duritiam cordis eorum, Moyses libellum dare repudii, et matrimonia solvi, quam in corde semper odia habere, et homicidia fieri. Non quod bona esset ista resolutio, sed permisit eis mala facere, ac si pius medicus, ne pejora incurrerent crimina, et morbi generarentur quotidie inter eos pessimi. *Ab initio*, inquit, *non fuit sic.* Ecce quam valide refellit, et quam fortiter repercutit, dum probat ex divina auctoritate, quod ab initio sic non fuerit. Ac si dicat, quia ab initio sic non fuit, nunquid potest Deus sibi esse contrarius, ut aliud ante jusserit ab initio, et rursus sententiam suam justissime prolatam, novo frangat imperio? Non ita sentiendum est de Deo, qui quod semel loquitur idipsum non repetit, eo quod incommutabiliter loquitur. Sed Moyses, ut diximus, in multis rebus suo utitur consilio, de quibus præceptum non perceperat a Domino, sicut et Paulus se fecisse testatur. Moyses tamen juxta duritiam cordis eorum, et secundum desiderium secundarum conjugum quæ vel ditiores in eo populo ardentissime quærebantur, ut vel pulchriores, vel juniores haberent, suo talia permisit

A consilio, et non ex divino imperio. Unde et Dominus non dixit, secundum duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses. *Dico autem vobis quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi causa fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ecce de tam lata occasione, qua Judæi male abutebantur in repudiendis conjugibus quam brevis et absoluta Domini sententia est, qua sola fornicatio esse dicitur, quæ uxoris vincat affectum, quoniam et ipsa est quæ carnem prius dividit in duos. De qua sententia quidam minus considerantes, quam male sentiunt, dicentes : Uxor si adulteratur in potestate viri est, si velit eam retinere adulteram, et cum ea jacere sicut est, et si velit eam dimittere. Tamen Dominus unum horum quod B liceat monstravit, id est, dimittere si fornicata fuit; retinere autem quod liceat, non dixit, sicut si fiat, nec interdixisse hoc loco aperte videtur, nisi ex aliis locis et ex circumstantia dictorum id consideretur; dicit enim, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Unde primum de lege conjugii quærendum, utrumne Deus sit in causa, et legitime secundum **788** Deum conjunctio. Sic demum de divortio disputandum; quia non omne conjugium a Deo est, neque per Deum, alioquin quomodo Apostolus diceret : *Infidelis si discedit, discedat?* (*I Cor.* VII, 15.) In quo nimirum ostendit, non omne conjugium a Deo esse, quod solvendum est. Quapropter etsi adulteratur uxor aut vir, non est conjunctio Dei, cum quibus Dei lex non est, neque lex naturæ servatur. Quicunque ergo seu quæcunque contra Dei mandatum C mœchus est, jam ipse a suo corpore et ab ea gratia quæ est in legitimo conjugio, divisus est. Maxime quia se tulit membrum Christi, et factus est membrum meretricis, cum qua meretricatus est. Idcirco non æstimo leve esse, si meretrix retineatur, et abutatur se male duabus in partibus; cum jam quia adultera est, nulli esse videtur legitima uxor. Unde sicut crudelis est et iniquus, qui castam dimittit qualibet ex causa uxorem : sic fatuus et injustus, qui retinet meretricem, aut flagitiosam; videtur namque patronus turpitudinis ejus esse, qui crimen celat et consentit uxori : sicut e contrario præmium possidet nuptiarum, e duabus cum unam fecerit castitas carnem. Quoniam juncta spiritui castitas unus D in eis efficitur spiritus, unaque caro, quod nequaquam fieri potest, si una eorum adulteratur caro. Idcirco cum unam carnem mulier in aliam diviserit, et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, quia mœchata est, ne forte virum, qui se servavit castum sub maledicto faciat venire, dicente Scriptura : qui adulteram tenet, stultus et impius est. Ubicunque ergo fornicatio est, libere uxor dimittitur. Sed quia poterat accidere ut aliquis calumniam, quolibet zelo ductus, faceret innocenti; et ob secundam copulam nuptiarum, suæ legitimæ uxori crimen impingeret adulterii, sic priorem dimittere jubet Dominus æquissimus judex, ut secundam prima vivente non habeat; quam nec occidere

Introdusă în format electronic de Google

Dominus, sicut Moyses in lege jubet, nec tenere. Et notandum quia ait, *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Non enim interdixit separari ubi causa contra Deum est, et Dei conjunctio non est, neque ut pro Dei causa, non separentur ex consensu, quia tempus breve est, ut deinceps liberi, vacent Domino sub sancto proposito continentes. Quia ubi Deus est in causa, ibi et legitima libertas. Verumtamen, quia jam aliam, vivente illa, quæ adultera est, non licet accipere, sicut nec **789** uxorem viro alii nubere, si fuerit prior adulter et repudiatus ab ea. Ubi nulla alia via restat eis salutis, quam aut post dignam satisfactionem Deo vel Ecclesiæ, in invicem se sibi reconcilientur, aut sub jugi continentia ambo se redigant, ne forte quod unus eorum deliquit, alterius culpa id contraxerit; sicut in multis quam sæpe contingit, ubi non jura servantur casti amoris, nec custodia impenditur vel disciplina legitimæ observationis. At discipuli Christi hæc omnia considerantes discrimina quæ contingere possunt, et solent evenire his qui versantur in sæculo cum uxoribus, ac si stupefacti, pro novitate dictorum et eventu rerum, dicunt : *Quod si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Non enim ex dubietate doctrinæ Magistri ista dicunt, *Quod si ita est,* sed ex periculorum magnitudine, quæ nubentibus contingere solent. Quia grave pondus uxor est, dum non licet eas dimittere viris; neque mulieribus viros suos, qualescunque fuerint in invicem, qualibet ex causa nisi causa fornicationis, et hoc ipsum cum multo discrimine judicii, ne forte, ut dixi, quod alter eorum peccavit, alterius culpæ fuerit. Unde necesse est, utrique cognoscant periculum suum. Et sicut egregius doctor Augustinus in libro de adulterinis Conjugiis definit, nullus eorum exhorreat alteri post pœnitentiam ignoscere; quod Christus adulteræ ignovit mulieri sibi oblatæ, in adulterio deprehensæ, ita ut ambo cogitent periculum suum, forte simili morbo laborantes, et ad ejusdem Salvatoris confugiant pietatem, ut deinceps uterque eorum continenter vivat. Aut si post pœnitentiam et satisfactionem dignam Deo, elegerint sibi ad invicem reconciliari; laudent in se Dei patientiam, et agant simul diebus vitæ suæ pœnitentiam, ut perfectam in futuro percipiant indulgentiam. Non ut alter eorum alteri lascivire consentiat, ut nunc temporis, quidam male et in aperto faciunt. Sed cogitent communem conditionem et commune periculum, etiamsi non est commune vulnus, ut sit eis communis salus fideliter atque humiliter implorata. Nam evangelista Matthæus, quia expressit unam speciem, et alteram prætermisit, forte facit ad intelligendum hoc difficile. Et videtur viris dare locum eligendi aliud quam verum, quia volunt male præsumere quod feminis non licet sibi licere; quasi quia tacuit licentiam eis dedisse videatur. **790** Unde alii evangelistæ hoc generaliter ita complexi sunt, ut de utroque vere dictum intelligi possit. Hinc quoque Marcus ait : *Quicunque dimiserit uxorem suam, et alteram duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur* (*Marc.* x, 11). Ecce de utroque una sententia est. Sed et Lucas ait : *Omnis qui dimittit uxorem, et duxerit alteram, mœchatur, et qui dimissam a viro ducit, mœchatur* (*Luc.* xvi, 18). Ergo quia vir ejus vivit, adulteratur, quamvis dimissa sit, quia ejus uxor est quandiu vivit vir ejus, et ideo legitime non potest esse cum alio viro, eo quod uxor aliena est. At vero ille cujus est non alienæ miscetur uxori, sed suæ, propterea non mœchatur. Reus tamen est si eam mœchantem consentit, et adulterium suæ celat uxoris. Hinc communis eorum quærenda est medicina salutis. Nam si propter causam fornicationis eam dimiserit, necdum tamen quæ demissa est, uxor demittentis esse cessavit; et quia non esse cessavit quod fuit, illius est cujus fuit, et non ejus quem duxit; quia non eum maritum dicit Scriptura divina, sed mœchum. Ideirco non erit turpis atque difficilis, etiam post perpetratum ab aliquo eorum atque purgatum adulterium, reconciliatio conjugii, ubi per claves regni cœlorum, non dubitatur fieri remissio peccatorum. Non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium, et reconciliationem adultera ipsa non vocetur. Nec igitur mirum si Apostolus, aut reconciliari eos ad invicem monet, aut continentiam pariter servare. Quia quanto tempore vir ejus vivit, alligata est uxor lege viri, ne liceat cum ullo alio commisceri; sicut nec viro, aliam sibi sociari, quia uterque eorum vivente alio, vinctus lege conjugii dum pariter in corpore sunt constituti. Quod si aliquis eorum discesserit a corpore, solutus alter est a lege conjugii, ita ut cui vult nubere possit, tantum in Domino, et esse cum alio viro. Magnum igitur præsignatur sacramentum, quod nullius viri posterioris mulier esse uxor potest quolibet pacto, nisi prior mortuus fuerit, et per hoc ejus esse desierit. Nam si fornicetur, non ideo desinit esse prioris viri uxor, nisi prius ille moriatur. Quamvis enim licite dimittatur uxor, ob causam fornicationis, seu a viro discedente uxore, manet tamen vinculum prioris conjugii. Propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis; aut vir dimissus si aliam acceperit **791**. Sicut enim manente in sacramento regenerationis, excommunicatus cujusque criminis reus, nec illo sacramento caret divino, etiamsi nunquam reconciliaretur Deo : ita manente fœdere conjugali, quando uxor dimittitur ob causam fornicationis, aut vir laxatur, nunquam ab invicem carebunt illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilientur sibi ad invicem; carebit autem, si mortuus fuerit alter eorum. At vero reus excommunicatus qualibet ex causa, ideo nunquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus, cui fuerat anima virginalis sociata, dote sponsalitatis, et jure spiritalis conjugii, quod sacramentum magnum evidens est in Christo et in Ecclesia. Ideirco monet Apostolus : *Viri, diligite uxores re-*

Introdusă în format electronic de Google

stras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Ergo si ad quod Christus diligit Ecclesiam, et quomodo diligit, diligenda est uxor, utique fœdera legitimi conjugii servanda sunt, atque pudicitia castitatis. Quod si contigerit aliqua ex parte corruptio divortii, quærenda est salus alterius potius quam mors : ita, aut ut caste se custodiant pariter abstinendo; aut post dignam Deo satisfactionem, reconcilientur sibi in pace, sicut Christus reconciliatur animabus post lapsum criminis digne se diligentibus; ita ut magis se gaudere dicat de conversis ac digne pœnitentibus quam de stantibus justis, qui forte nullius criminis egent pœnitentia. Hæc idcirco longius ab expositoris officio digressus sum, nec tamen latius quam oportuit, quia de his multæ occurrunt quæstiones, quas affluentissimus exsolutor omnium, ut ita dicam, Augustinus in præfato libro, quem ex hoc opere latius disputavit, prosecutus est. Quem qui voluerit legere, inveniet pauca, et vix necessaria, me de his dixisse. Cæterum eorum, de his vitiis, aliquis, quæ humana in se admittit natura, quicunque fuerit intus forisve contaminatus vel deturpatus; ut puta si quis fuerit temulentus, aut iracundus, vel ambo pessimis moribus enutriti; si fuerit illa luxuriosa, sive venefica, si interfectrix filiorum, si vaga, si qualicunque turpitudine corporis fœdata, vel infirmitate depressa, sive cæteris malis, quæ longum est enumerare, unus eorum aut ambo, perplexi vel vitiati, tamen tenenda eorum et servanda conjunctio, velint, nolint, et sustinenda est talis tantaque necessitudo. Quia cum **792** essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti; nisi forte aliquis contra Dei sententiam venire voluerit, aut aliter hunc locum interpretari, quod quidam conati sunt. Si pejora forte aliqua, eorum, commiserit crimina, quam sit mœchari, non sit uxor tenenda, eo quod videatur esse irrationabile. Sed definire contra Deum, et contra doctrinam ejus agere, impium esse videtur. Quamvis dicant quia non præcepit, vel mandavit, ut dimittat aliquis uxorem ex præcepto, causa fornicationis, sed quasi exponens rem, dixerit qui dimittit eam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, dimittens eam non mœchantem. Quod si vivente viro facta est adultera, si fuerit cum alio viro, sine dubio qui dimittit dat ei occasionem secundarum nuptiarum, et ob hoc facit eam mœchari. Quod si jam mœchata est et dimiserit, non facit eam mœchari, quia est jam adultera et a corpore castitatis aliena. Et ideo jure maritus jam nunc reus videtur si adulteram dimiserit, sicut est qualibet ex causa, castam corpore dimittens mœchari eam fecerit. Quod considerantes Apostoli diligentiori intuitu tam grave jugum proferunt motum animi sui ex gravitate ponderis, ac dicunt, *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Quia si mulier non nupserit ambo erunt liberi, vir et uxor. Si autem nupserit, et in Deum unus eorum peccavit ac corruperit torum suum, ambo ab invicem interitum sustinebunt. Quoniam est eorum ineffugibilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum; virtus mali, colore boni depicta, dum dimittere illam peccatum est, tenere vero tormentum, ita ut dimittentes eam, adulterium faciamus; aut tenentes, quotidianas pugnas et jurgia amaritudinis habeamus. Quæ omnia, quæ dici, quæ cogitari, quæ evenire possunt, apostoli perhorrescentes dixerunt : *Quod si ita est, non expedit nubere.* Quibus Dominus non respondit quia expedit, sed magis aliud dicendo, consensit quia non expedit. Verumtamen infirmitatem carnis aspiciens, dixit : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Neque dixit non possunt, sed non omnes capiunt. Ac si diceret : Omnes capere possunt, non tamen omnes volunt. Quia etsi proposita est palma, non omnes certant de victoria; quia etsi concupiscunt gloriam, non omnes desudant ad laborem, **793** sed quibus datum est, ut velint et intelligant, ac decertent et laborent. Ubi notandum est quod nunquam nisi ex gratia Dei, hæc virtus veræ castitatis vel perpetuæ virginitatis habetur. Neque fœdera nuptiarum legitime in Christo, nisi ex dono servantur; ubi non apprehendat nos stulta cogitatio, quasi ex hoc nos excusare possimus; quia non accepimus, ideo prævalere non possumus, sed solummodo illi quibus datum est. Quia etsi hæc gratia ex dono est, tamen ut percipiamus, cum fide et charitate labor impendendus est. Dictum est enim : *Petite et dabitur vobis;* et : *Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur* (*Matth.* VII, 7,8). Ubi declarat quod perfecte petentibus ac volentibus gratia non denegatur. Et ut ostenderet castitas quæ ex Deo est, qualis esse debeat, ait :

Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regna cælorum. Qui potest capere capiat. Ergo apostoli videntes diserimina conjugatorum, dixerunt quod non expedit nubere, si talis est causa connubii. Dominus vero mox insinuat quod non omnes habeant meredem continentiæ : quia perfecta virtus continentiæ tunc est, si voto et voluntate pro amore æternæ vitæ integre servatur, magis quam ex necessitate. Idcirco Dominus tria eunuchorum genera proponit, ut distinguat inter eos qui se magis ex necessitate continent, quam ex voluntate et desiderio castitatis; et inter eos qui seipsos sua sponte castraverunt propter regna cœlorum, ubi qui sunt, non nubunt neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei, permanentes in castitate. Ad quorum exemplum impræsentiarum eunuchi quos Isaias describit, seipsos Domino consecraverunt et castraverunt. Non ferro, ut quidam male tradit, sed verbo; illo utique verbo, quod est juxta Paulum apostolum, verbum Dei vivum et efficax, penetrabilius omni gladio bis acuto, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, omnia interius emundans, discretor quoque compagum et medullarum universa castificans. Quoniam magna

Introdusă în format electronic de Google

res est propter regnum cœlorum hominem se castrare, sic debet fieri amore Christi, ut nulla in eo veneries mentem aut corpus inficiat, et non sicut spado ille quo dicitur, quia complectens virginem suspirat; sed totus gladio Spiritus sancti præcisus, quod est verbum Dei : **794** atque circumcisus intus forisve, ne ulla in eo prurigo concupiscentiarum prævaleat. Imo sola castitas, vel pudicitia regnet. Quod verbum profecto quo isti sic castrantur, non omnes capiunt, quia nec petunt, nec quærunt, nec ut accipiant, sicut oportet pulsant; sed quibus datum est, quia nemo nostrum habet quod non acceperit. Cæterum reliqua duo eunuchorum genera, quia ut sic nascuntur ex utero matris, ut nihil possint, aut postea ferro, seu alio aliquo modo eunuchi fiant, tales non Dei eunuchi sunt. Quibus loquitur ipse per se in Isaia propheta; quorum non est præcisa voluntas, sed necessitas imposita; quorum necdum conscientia circumcisa, nec voluntas nova secundum Spiritum sanctum procreata, sed sunt aut deliciæ matronarum, aut alicujus rei causa plastes effeminatæ; quorum quia eis apud Deum nulla sunt vota castitatis, nulla et merces debetur : quia non propter regna cœlorum sunt castrati. Verumtamen non adeo immisericordem Deum dicimus, ut tales non remuneret qui aut sic nati sunt, aut postea facti sunt quolibet modo; si datum eis fuerit ut habeant jam ex voto et desiderio, quod prius habebant ex necessitate, ut mente et corpore casti permaneant; quia tales etsi corpore minus possunt, mente tamen semper corrumpi possunt. Et ideo quamvis leviorem pugnam habeant contra concupiscentias carnis, non tamen omnes affectiones animi absque certamine vincunt. Et omnia eis quæ contigerint, qualibet ex causa convertunt in votum, et gratias Deo referre non cessant, qui dedit eis ut caperent etsi inviti gratiam castitatis. Neque igitur audiendi sunt qui tradunt etiam hoc tertium genus eunuchizandi, quod fortissimum et sanctissimum est, ferro vel arte qualibet fieri debere; ut palmam victoriæ, non decertando multo sudore, sed uno mucrone, quod fieri non potest, omnes concupiscentias carnis, ut ipsi argumentantur ad litteram, præcidendas esse credamus, ut quamplures fecisse, etiam monachorum, comperimus. Quia etsi in semel voluntas bona fuit, ut se castraret ob æternam vitam, non secundum scientiam fuit ut agonem Christianæ religionis corrumperet, et deinceps ipse inofficiosus et iners jaceret. Ideo Auctor salutis nostræ tres quidem proposuit; unum qui secundum carnem, quasi natura, ita nascitur; **795** alterum qui facta qualibet necessitate, ac si ad oculum castificatur; tertium vero qui voto et voluntate pro Deo castus efficitur. Et est in uno eorum natura vitiata, qui ita nascitur : in altero vero necessitas facta, pro qua truncatur. Porro in tertio spes regni cœlestis fide genita propagatur in charitate, qua multos generare filios magis quam carne creditur. Cui similes effici nos, si tamen possumus, admonuit; quia hæc dicit Dominus eunuchis suis. Ne dicat aliquis eorum, secundum Isaiam, *Ego sum lignum aridum* (*Isa.* LVI,3); quia si custodierint mandata mea, et elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum electum et nominatum meliorem a filiis et filiabus. Auditis igitur præmiis, Dominus tamen sic temperat sententiam suam, ut nemini laqueum ruinæ injiciat. Ait enim : *Qui potest capere capiat;* quæ vox hortantis est Dei. Ac si diceret : Consideret autem unusquisque vires suas et gratiam quam percepit, utrumne possit virginalia implere præcepta; quoniam melius est per plana ire, quam ad altiora conscendere unde gravius ruat. Unde more regis suos exhortans milites ait : *Qui potest capere capiat;* id est, qui potest pugnare pugnet, et congrediatur cum hoste, ut superet ac triumphet.

Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret; discipuli autem increpabant eos. Tunc igitur, id est quando de castitate faciebat sermonem, et beatos esse dicebat eunuchos qui se castraverant propter regna cœlorum. Tunc siquidem audientes quidam, obtulerunt ei infantes ac pueros, virtute qua prædicabatur mundissimos. Forte putabant quod Dominus corpore tantum mundos laudaret; nescientes quia non illos beatificavit eunuchos, quos infantiæ necessitas facit esse castos, sed quos continentiæ virtus. Præsertim cum non ait, istorum est regnum cœlorum, sed talium; ut ostenderet non eos secundum ætatem regnare, sed secundum mores perfectæ disciplinæ, et secundum similem innocentiam ac simplicitatem; quibus regna cœlorum repromittit, non propter pueritiam corporis, sed propter puritatem cordis. Apostolo quoque **796** in eadem sententia congruente, *Fratres*, inquit, *nolite pueri fieri sensibus, sed malitia parvuli estote, sensu autem perfecti* (*I Cor.* XIV, 20). Quæ nimirum figura magna præcessit in pueris : eorum scilicet puerorum qui quotidie offeruntur Deo ab angelicis spiritibus, vel a ministris altaris. De quibus Salvator : *Ecce ego*, inquit, *et pueri mei, quos dedit mihi Dominus* (*Hebr.* II, 13). Quos sane pueros ipse quasi depositum suscepit a Deo Patre, ut salvet eos. Sed quia unus evangelistarum *parvulos* dixit, et alter *infantes*; tertius vero, *sinite pueros venire ad me*, non absque aliquo scientiæ sacramento variatum esse puto. Quoniam multa differentia est in his qui quotidie offeruntur, quorum isti formam tenent. Sunt enim pueri, sunt parvuli, sunt et lactantes, quos inferiores infantibus parvulos esse dicimus. Quos quia pueros sibi datos esse dicit, ex ore utrorumque perficit sibi laudem; ut cognoscentes beneficia ejus in pueris, dicamus : *Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem* (*Psal.* VIII, 3), ut nulla ætas excipiatur a Christo. Sed novum videtur discipulos prohibuisse infantes, ne ad Christum accederent; vel increpasse qui offerebantur, ut eis manum imponeret, et oraret pro eis. Non puto juxta litteram, quia nollent eos Salvatoris manu tangi, vel voce benedici; sed quia necdum habentes plenissimam fidem vel intelligen-

Introdusă în format electronic de Google

tiam de Christo, putabant eum, in similitudinem cæterorum hominum, offerentium importunitate lassari. Nec igitur satis reminiscuntur, quod paulo ante benignissimus Salvator accipiens parvulum statuit eum in medio eorum, ac dixit : Nisi effecti fueritis sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum; et ecce statim obliviscentes puerilis innocentiæ vetabant pueros ad Christum, quasi indignos accedere, vel quasi importunos, ad quorum innocentiam ipsi fuerant provocati, ut imitatores eorum fierent. Nec attendunt fidem eorum qui eos offerebant ut tangeret eos, quasi jam ex præcedentibus, virtutem ejus experti; quoniam per impositionem manuum et per orationem, non modo Christi, verum etiam et ministrorum ejus, repelluntur præstigia adversariorum, et præstatur gratia sanctificationis. Quod si apostoli jam ex fide credebant eos **797** esse sanctificandos, et in eis esse formam futurorum, evangelista effectum præsentis rei, futurorumque sic temperat, ut rationem utriusque rei, mediam et congruam aperiat; ut per ea quæ efficiebantur in pueris, prophetia futuri monstraretur. Nam infantes vere oblati sunt, vereque inhibiti, quia formam prætendunt gentium, quibus per tactum fidei et auditum salus parabatur. Sed more Jonæ prophetæ discipuli eos inhibent accedere, propter affectum sui generis : quia primum Israelitas salvandos esse decernunt. Alioquin prohibendi voluntas, ne ad Christum venirent pueri, liberalitati apostolicæ non conveniebat. Sed in typicam consummationem prohibendorum infantium surrepsit instinctus, pro quo Dominus ait non oportere prohiberi, quia talium est regnum cœlorum. Munus enim et donum Spiritus sancti per impositionem manus et per orationem, cessante legis opere, erat gentibus largiendum. Quapropter et nos tales efficiamur, ut etiam parvuli sensu salventur per nos; non solum non prohibeamus pueros venire ad Christum, sed etiam ipsi cum pueris effecti quasi pueri, in humilitate voluntatem Domini adimpleamus. Quia tales effecti sunt apostoli, hortante et docente Domino, utilitatibus puerorum consulentes facti sunt eisdem pueris quasi pueri, ut pueros lucrarentur. Et notandum quia Matthæus cum ob duas causas oblatos dicat eosdem pueros, non ad easdem duas intulit in finem quæ sequuntur. *Et cum imposuisset eis*, inquit, *manus*, *abiit inde;* et non addidit quod orasset. Poterat enim sic dicere, et imponens manus et orans, abiit inde; ubi forte aliquod latet sacramentum, quasi istis hoc tantum sufficeret, quia imposuit eis manus; majoribus autem servatur oratio Christi, qui possunt capere non solum impositionem manuum ejus super se, verum etiam orationem ejus ad Patrem, qua oravit pro se. Porro ut dixi, minoribus pueris forte sufficit impositio manuum, quibus eos tangere dignatur, dicens quod talium sit regnum cœlorum. In quo hortatur, ut nemo sit tam sapiens in Ecclesia Dei, qui gloriari debeat adversus parvulos Christi. Quoniam non eorum dicit esse qui sunt sine sensu regnum cœlorum, sed talium qui per humilitatem et veram innocentiam facti **798** sunt sicut pueri, cum sint sensu perfecti et intellectu. Quem sane sensum apertius commendat Lucas evangelista, dicens, Amen dico vobis, qui non receperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Quoniam perfectiores sunt etsi pueri dicantur, qui regnum Dei non ita recipiunt ut oportet. *Et ecce unus accedens dixit ei : Magister bone, quod boni faciam ut habeam vitam æternam?* Sæpe superius dixi et dicturus sum, fratres, quod omnes Evangeliorum sententiæ omniaque gesta plena sunt sacramentis; ita ut quæ futura sunt, de his quæ impræsentiarum geruntur, prænonstrentur. Sic quippe Christus plerumque solet, quando de mysterio alicujus rei locuturus ante introducit corporaliter aliquam actionem, vel sententiam, idipsum significantem, quod aut præteriti est operis aut futuri; ut ex eo occasionem inveniens corporalem narrationem mysterii, quam proposuit exæquatur; ut puta de compescenda Pharisæorum jactantia apud Lucam cum locuturus fuisset, introduxit primum hydropicum et sanavit, quatenus in corporali tumore hydropicæ infirmitatis Pharisæorum jactantia perpingeretur, et inflatio : sic et hic, sicut et in quam plurimis locis, hunc introducit adolescentem, cum de repulsione Judæorum et electione gentium, mysterium exponere voluisset, quod et retro jam prænonstravimus in parvulis. Unde et in fine hujus loci, cum ad Petrum sermonem concluisset, ait : *Multi erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Ac deinde ex hoc totam illam quæ sequitur parabolam componit. Quapropter et hic primum proponit hunc adolescentem divitem, ac levem, gloriantem, et amplius amantem bona sua carnalia, quam cœlestia Christi promissa, ut in persona hujus adolescentis tota Judaici populi forma exprimatur et passio, propter quam Christo credere noluerunt, id est propter sibi placentia, propter jactantiam, propter quæstus quos capiebant ex lege. Propterea quæcunque dicuntur de adolescentulo illo, sic sunt accipienda, quasi de populo Judaico dicta. Judaicus ergo populus erat adolescens non ætate, sed levitate : moribus immaturus, sed non annis. Sed et omnia carnalia vitia seu juvenilia gessit, de quibus **799** dicit Apostolus : *Juvenilia desideria fuge* (*II Tim.* II, 22). Superbissimum autem juvenile vitium est gloriatio vana, qua plus vult videri quam esse, sicut populum Judæorum fuisse cognoscimus. De quibus Dominus : *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, et diligunt primas cathedras in synagogis*, etc. (*Matth.* XXI, 25.) Propter quod ficui comparantur, habentes folia sine fructu. Et vide in exordio narrationis ipsius populi mores. Dicit enim : *Magister bone, quid boni faciam, quo vitam æternam possideam?* Quia semper gloriantes in lege, et per prævaricationem legis, Deum exhonorarunt. Adhuc considera quia nihil de cognitione Dei interrogat; nihil de fide; nihil ut Deum vere co-

Introdusă în format electronic de Google

gnoscere possit, sed hoc, quomodo ex faciendæ legis operibus vitam æternam possideat. Quia omnis spes salutis apud Judæos in operibus erat, et non in fide. Quia Israel sectando legis justitiam, in legem justitiæ non pervenit, quia non ex fide, sed ex operibus. At Christus interrogantibus illis alibi : *Quid faciemus ut operemur opus Dei?* respondit : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit* (*Joan.* VI, 29). Illi autem opus agnitionis Dei negligentes semper in operibus gloriabantur; et de operibus legis, quasi ex prærogativa patrum, justitiam Dei applaudebant. Et propterea Dei agnitionem perdiderunt, et opera justitiæ nunquam impleverunt : quia virtus faciendæ justitiæ agnitio est. Cui dicit Jesus : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus.* Arguta responsio : non quod non esset bonus ipse, cum esset Filius Dei, et ipse Deus. Sed ita Judæos revocat per istum, ut intelligant et ipsum Deum, cum sit ipse Deus, boni Dei Filius, et nihil aliud quam bonus Deus. Quia bonus Deus Pater, bonus Deus Filius, bonus Deus et Spiritus sanctus. Et non tres dii, sed unus bonus Deus. Ac per hoc non dixit, nemo bonus nisi solus Pater, sed nemo bonus, nisi solus Deus; eo quod istæ tres personæ non sunt nisi unus Deus. Verumtamen Judaicus populus unius Dei habens cognitionem, nec Filium Dei, nec Deum trinum in personis, unquam intelligere voluit. Hac ratione Christus laudem sibi oblatam ab eo repulit, quia non quasi Deum bonum veneratus est, sed quasi hominem, bonum eum dicebat. Unde quantum ad Judæos spectat, qui unum Deum cœli **800** colebant, et Christum Dei Filium non cognoscebant, nemo erat bonus nisi unus Deus. Apud fideles autem sicut unus Deus Pater est bonus, sic et Unigenitus Deus bonus, atque Spiritus sanctus unus Deus bonus; non tres siquidem boni, sed unus Deus bonus, sanctus et justus, et omnia illa quæ de Deo essentialiter dicuntur. Idcirco non a deitatis se natura exclusit, sed ipsam naturam bonam Dei utique laudavit. Bonitas ergo in natura est, et non in vitio mendacii; quia *omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 11). Natura vero Dei ipse Filius est, quia ex Deo Patre natus est, et hoc est quod Pater. Et ideo quod ille non credebat adolescens, Christus adjunxit, ut se Dei Filium, non solum bonum ex parte Magistrum, verum etiam Dominum bonum crederet ex toto. Quid igitur mirum si hic adolescens tantum desipit, ut eum verum et purum putet hominem, cum Felix hæreticus quidam, qui nuper damnatus est, dixerit eum nuncupativum esse, et non verum; adoptivum quoque Filium, et non proprium, juxta hominem; quasi in Christo duo sint filii. Ideo, inquit, non est passus se bonum dicere, quia nemo nisi solus et verus Deus est bonus. In tantum igitur a Dei solius societate, quia homo dignatus est fieri, conatur eum avellere, et ab omni bonitate naturæ : ita ut nec per id quod homo est, essentialiter sit bonus, sed nuncupative tanquam quilibet homo purus, qui non est una persona cum Deo Verbo. Et non attendit quod *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Quasi non sit naturaliter, etiam bonus homo Christus. Quasi de vitiata hominis natura, homo natus sit ipse, et de massa perditionis. Non considerat miser, quod natus est de sancta Virgine, et ex Spiritu sancto procreatus, nulla tamen ex concupiscentia carnis; et ideo etiam secundum carnem quod homo est, vere essentialiter est bonus. Propterea non dixit, quia non sum ego bonus, quasi diceret; falsum esset; sed, nemo bonus nisi solus Deus; volens se, quod vere erat, insinuare Deum. Quia in Christo, ex quo in utero Virginis conceptus est, nihil aliud quam Deus fuit; quia Deus et homo; sicut unus Christus, ita et unus Deus fuit, unusque mediator Dei et hominum, et ideo in utraque natura **801** totus bonus, quia totus Deus fuit. Ecce fratres in ipsa eademque sententia, de qua hæretici suam gaudent et conantur astruere pravitatem, quomodo prosternuntur. Tam Photinus quam et Arrius, necnon et reliqui, qui Christum solummodo hominem dicunt, aut adoptivum Dei Filium. Non enim in hac sententia se Christus negavit bonum, cum ait, nemo bonus nisi solus Deus, sed se cum Patre, et cum Spiritu sancto, salva proprietate trium personarum, ostendit unum Deum ipsumque in Trinitate perfectum et bonum. Et ideo non dixit, quia non sum ego bonus; neque dixit solus Pater est bonus, quod relativum est nomen, sed ait, nemo bonus nisi solus Deus. Quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus est Deus. Alias autem de seipso ait : *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* XI, 14). Et alibi : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (*Matth.* XX, 5.) Quapropter non se negavit Magistrum; quia Magister omnium, ut ipse ait de se, unus est Christus. Neque ut Felix, imo ut infelix mentitur, omnino se negavit bonum, sed docuit quod erat de se, ut totus ipse Christus Deus et homo intelligeretur unus Deus bonus, et amaretur in Trinitate perfectus Deus, non divisus in se Christus, ut hic male desipuit, ut alter esset Deus, et alter homo, alterque proprius Dei Filius, et alter adoptivus; sed unus idemque totus Deus, totus bonus, totusque proprius, quia unus idemque est Dei Filius. Et hoc non secundum sonum vocis Dominus et Salvator, quasi homo respondit, sed proprie secundum deitatem; quia solius Dei est corda conspicere singulorum, et cogitationes discernere omnium. Idcirco, non ad clamorem, neque ad favorem illius hypocritæ, audiens respondit, sed ad perfidiam non credentis. Et redarguit fraudis calliditatem, quia cordis tabulam intus ipse legebat, dolo conscriptam; et in ipso jam adolescente hunc damnabat hæreticum, qui Christum hominem extra Deum facit; et ideo dicit se negasse bonum. Præsertim cum Christus simplicis Magistri vocabulum non refugit, nec favorem tanti nominis; sed quia ipse adhuc cæcus corde non Deum et hominem simul eum esse credebat, sed purum tantum hominem sub Magistri nomine appellavit, qui debuerat

Introdusă în format electronic de Google

eum vere Dominum credere et confiteri. Tamen ergo dixit iste non essentialiter bonum, qualem ille adolescens, et Magistrum, **802** hoc est purum confessus est hominem; etiam non bonum, quia, sicut hic vult, non est ausus Christus se dicere bonum, quia nemo bonus nisi solus Deus. Nescit hic cæcus disputator quod increpantis est vox, vel improbantis, cum ait : *Cur me dicis bonum?* Ac si diceret, Cur me fingis aliud in corde tuo quam bonum? cum ego sum Deus homo bonus; talem ergo dico neminem essentialiter esse bonum, qualem me tu suspicaris hominem, tantummodo ficte quem dicis bonum. Unde et eum, si vellet vitam habere, ad legis præcepta recurrere jubet, quatenus ea legendo disceret, *quemadmodum* eum verum Deum in mysterio Trinitatis cognosceret; quod isti omnes hæretici nolunt confiteri qui Christum verum Deum negant, verumque Dei et hominis Filium; neque proprium eum credunt aut dicunt, sed adoptivum. Hæc idcirco prolixius exposui, fratres, ut intelligant Deo devoti auditores Christi vesania hæreticorum quanta sit; cum unde ipsi impie putant suas præstruere falsitates, inde magis detecti, facilius ex eisdem revincuntur sententiis, si fuerint ad liquidum fideliter introspectæ, et prudenter cum oportuerit et prout oportuerit prolatæ; quoniam ipsi nolunt scire vel sapere quæ ipsa sapientia sapit, sed quæ ipsi male sapiunt, quia in toto desipiunt : quod animadvertere in hac sententia quisque potest et probare. Quia nullo in loco magis Christus commendatur bonus, quam cum prædicatur Deus; et approbatur unus et verus Dei Filius, ac pro hoc ipse ad hoc invitat laudatorem suum ut intelligat, et revocat hunc hæreticum, ut essentialiter eum credat Deum, in utraque natura conjunctum personaliter, et bonum Dei Filium. Quoniam arbor bona bonos fructus facit, ut ipse Christus, quia bonus est in utraque natura essentialiter; atque unus Dei Filius nos bonos valde per gratiam adoptionis in se faciat sibi cohæredes ac fratres, et veros Dei vivi filios.

Attende igitur, lector, quærenti quomodo ad vitam æternam possit intrare? quam sapienter sapientia Dei respondit. *Si vis*, inquit, *ad vitam intrare, serva mandata*. Non enim dixit, disce mandata, quia Deus docuerat eum, factor naturæ rationabilis. In qua scientia, etsi oblitus esset quæ Moyses mandaverat, sciebat quidquid lex naturæ docuerat. Et ideo non ait, disce mandata quæ nosti, **803** sed serva; quia omnino non servabat, et ideo ei servare jubet. Quia ille bonus est admodum, qui servat et facit bonum, et non qui interrogat ut tentet. Et dicit ei : *Non occides, non adulterabis*, etc. Convenientia loquitur huic, quicunque fuerit ille, quæ satis congruunt personæ Judæorum; quia sciebat quasi Deus, facturum populum illum, vel in se, vel in discipulos. Et ideo quasi anticipans, in hoc adolescente, prænonet et dicit, *Ne occidas*, quod ipsi fecerunt, non solum Christum, verum etiam prophetas et apostolos. *Non adulterabis*. Adulterati sunt recedentes a Deo, cum immolarunt idolis. *Non furtum facies*. Furati sunt fidem divinitatis Christi, etiam et veritatem resurrectionis ejus, quando pecuniam dederunt copiosam militibus ut dicerent quia nobis dormientibus discipuli furati sunt eum. Similiter et contra eum multa testimonia dixerunt falsa; unde si diligenter perquiris, invenies omnia quæ huic dicuntur convenire Judæis; et ideo, sicut nec hic adolescens, intraverunt ad vitam. Et notandum quod ait : *Si vis intrare ad vitam;* non quod hic juvenis extra hanc vitam esset, sed quia in comparatione illius vitæ, quæ est æterna vita, vel beata, hæc potius mors dicenda est quam vita. Maxime tamen et in hac vita quodammodo extra vitam est, quæ est extra eum qui dixit : Ego sum vita. Alias autem, qui adhuc in carne est, quamvis justus videatur, in umbra vitæ est, quia necdum est in ipsa beata vita, cum sit in corpore mortis hujus, et sedeat in regione umbræ mortis, eo quod necdum venit in terra viventium. Idcirco unusquisque in quantum servat mandata, quia opera vitæ sunt, in tantum intrat ad vitam. Quia secundum observationem mandatorum Dei ingrediuntur in vitam. Et ut discamus saltem eorum principia illo interrogante, dinumerat ea quæ ad proximum pertinent : *Non occides, non adulterabis*, etc., quia qui unum præterierit mandatorum, nec initium vitæ intrabit. Et notandum quod et quæ vetat fieri, et quæ implere jubet mandata dicuntur; et sicut expellitur a vita, qui ea fecerit quæ prohibet, sic et si non fecerit ea quæ mandat ut fiant, id est, *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Deinde inducuntur a pio Domino, ad id quod majus atque utilius mandat implere : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Quoniam et Apostolus, cum dinumerasset non occides, non furtum facies, non adulterabis, **804** ait, et si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Quæ nimirum recapitulatio mandatorum *instauratio* ideo recte interpretatur, quia perfectio mandatorum Dei est; quod quid impleverit videtur perfectus esse. Quod si jam perfectus est qui illud impleverit, quærendum quomodo adolescenti respondeat Dominus, quasi adhuc nondum perfecto : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*. Cum ipse dicat, *Hæc omnia servavi a juventute mea*. Unde quidam suspicati sunt non a Domino hoc positum in isto loco, sed ab aliquo nescio, non satis intelligente, subtilitatem dictorum istorum, additum fuisse; quod ipsum locum Marcus et Lucas tangentes neuter eorum addidit, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Ideo nos putamus superfluo ista adjecta a non satis peritis emendatoribus esse; maxime quia testatur Origenes se in multis codicibus hoc non invenisse. Tamen et hoc considerandum quod ait : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me*. Quia non omnes qui sua vel vendunt, vel relinquunt, continuo perfecti inveniuntur. In tantum igitur non

Introdusă în format electronic de Google

inveniuntur perfecti in quantum non sequuntur Christum. Et ideo qui vult perfectus esse, utrumque festinet implere. Scilicet ut omnia sua perfecte dispenset; ac deinde, quod alibi dictum est, tollat crucem suam, et sequatur Christum; quem nemo sine stigmate crucis perfecte sequitur. Sed et Judæi, quorum, ut dixi, iste adolescens personam tenet, ideo quia ista non impleverunt, minime intraverunt ad vitam; licet jactanter dicant se omnia implevisse, sicut et in alia parabola de ipsis præfiguratur, quod dixerit senior filius ad patrem invidia motus, contra juniorem filium : Ego semper, inquit, tecum fui, *et mandatum tuum nunquam præterivi* (*Luc.* XIII, 20); quod omnino mendacium esse convincitur. Sicut et hic adolescens suis convincit factis, mentitum se esse. Quia si omnia quæ retro dicta sunt implevisset, nec tantas haberet divitias, nec pro his tristaretur si charitas proximi, qua diligere jubetur, in eo esset; nisi forte, ut dixi, quia a Domino ei dictum non fuerat, sed cætera quæ retro connumerantur servaverat. Quibus servatis, etiam dives esse poterat. Verumtamen populus Judæorum, qui et prophetas occiderat, et in **805** idolis semper adulteratus est, et furtum semper commisit, cum veritatem Scripturarum corrupit, sicut Dominus dicit de illis, quia *irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras* (*Matth.* XV, 6). Nam et falsa testimonia protulit contra Dominum. Ad ultimum quia dives erat, et gloriabatur in lege, noluit distrahere et relinquere in quibus gloriabatur victimas et sacrificia, seu cætera quæ longum est enumerare. Idcirco sicut beata virgo Maria cecinit : *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (*Luc.* I, 53). Sequitur :

Ille autem his auditis abiit tristis, erat enim habens possessiones multas. Miser animus qui tam difficile divellitur a bonis sæculi, vel a concupiscentia vanæ gloriæ. Magis enim volumus adipisci, quæ male desideramus, quam liberari a desideriis malis. Sed vide, quia non senior aliquis introducitur in hoc loco, neque vir qui evacuaverat quæ erant parvuli; sed adolescens qui audiens verbum abiit tristis. Adolescens enim erat secundum animam, et propterea, relicto Salvatore, tristis abiit. Ex quo liquet, sicut diximus, quod neque hic, neque populus Judæorum illa quæ superius sunt dicta egerat : et ideo mentiuntur quod omnia servaverint a juventute. Quia etsi adolescens vere dicitur, nescit considerare ætatem suam, quoniam adolescentia infra juventutem est, et posterior ætatis gradus non potest intra prioris vitæ terminos contineri. Sed hoc ideo ita ponitur, ut manifestius sit quod hic adolescens personam gerit Judæorum, qui se jactando in lege gloriantur a juventute, quasi longo jam tempore servisse; et ideo juvenem se vocat ut prolixum legis tempus ostendat, sub qua multo fortitudinis suæ sudore decertasse, ac servasse quæ in ea præcepta sunt gloriatur. Sicque in hoc ratio typicæ efficientiæ servata est, ut nihil ob aliud hunc adolescentem introductum videas, nisi ut insinuet gens Judæa quantam opulentiam habuerit in lege, quantamque divitiarum gloriam, quantamque superbiam. Et ideo quia semper carnalia ac terrena plus quam cœlestia quæsivit, tristis ac male offensus recessit a Christo; cui licet dixerit : *Et habebis thesaurum in cœlo*, propter spem æternæ felicitatis noluit aliud amare quam quæ videntur. Quia juxta quod retro dictum est, super spinas in eo seminatum est. Idcirco voluptas carnis et sollicitudo sæculi suffocarunt verbum, quo præceperat ut divitias suas venderet, et **806** eas de corde evelleret, sicque easdem sibi in thesauris cœlorum in futuro reponeret. Sed quia totus in terrenis positus erat, unde debuit haurire vitam, hausit mortem, et ideo tristis abcessit. Non illa utique tristitia, qua compungitur cor ad pœnitentiam, sed tristitia sæculi quæ mortem operatur; quia spinæ, ut dixi, suffocaverunt eum. Proh dolor! Ecce qui post tot labores, post tantam observantiam mandatorum Dei, cum adhuc requireret quid illi deesset, quam subito se dejecit in mortem; et unde dilatabatur foris in multis possessionibus, inde coangustantur intus, quibus male suffocatus periit. Ergo illo abeunte dixit Jesus : *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* Non dixit impossibile est divites intrare in regnum cœlorum, sed difficile. Ergo ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. Alioquin Abraham, Isaac, et Jacob, quomodo divites intrarunt in eum, nec non in Evangelio Matthæus atque Zachæus, qui relictis divitiis Domini testimonio prædicantur. Nequaquam igitur divitiæ excludunt homines a regno Dei, si bene utantur, ut qui habent eas sic sint quasi non habentes, et qui utuntur quasi non utentes. Ubi non divitiæ condemnantur, sed difficultas intrandi omnino prædicatur. Quia potest dives, licet cum difficultate, vincere passiones carnis ac mentis suæ, vitiis ac facinoribus resistere, et sua quæ possidet legitime dispensare. Quæ nimirum difficultas etiam et Judæis accidisse manifestum est, ut ea relinquerent in quibus gloriabantur. Et ideo tanta raritas Judæorum ad eum conversa est, quia multis tenebantur obnoxii criminibus multisque lucris carnalibus, quæ conferebat eis consuetudo legis. Et ideo spiritalia quæ Christus promittebat futura, propter præsentia respicere dedignati sunt. Quod si Christianis modo persuadere non possumus divitias sæculi oportere contemnere, dicunt enim si noluisset Deus homines divitiis uti, nunquam eas creasset in mundo, quanto magis difficile erat populo Judaico ditissimo secundum omnes divitias legis, persuadere ut relinquerent opulentiam legis, et culturam divinitus a Deo traditam, traditionesque patrum suorum et totius Judaicæ religionis instituta quæ a Deo susceperant. Dicebant enim, si Deus hanc voluisset legem unquam contemni, et templum quod augustius **807** tunc in toto mundo fulgebat, et illa omnia quæ in eo fiebant, nunquam cum tanta ratione et diligentia olim tradidisset, neque tot signis et prodigiis eam commendasset.

Introdusă în format electronic de Google

Quapropter Salvator rursus adjecit, dicens : *Iterum dico vobis, quia facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum intrare.* Hac siquidem sententia, non difficultas intrandi ostenditur, sed impossibilitas. Si enim quomodo camelus non potest intrare per foramen acus, sic dives non potest introire in regnum cœlorum, nullus divitum salvus erit : quanto magis qui dicit illud possibilius quam istud ? Unde quidam de hac sententia dubitare videntur, eo quod audiunt contra hanc sententiam, et divites venire ad regna cœlorum. Et hoc quia factum non legitur, impossibile permanere videtur, quod facilius prædicatur. Profecto non attendunt hi tales modos locutionum, quibus etiam sæculares viri, quam sæpe, qui philosophi dicuntur, in suis utuntur eloquiis. Et dicitur hic tropus, hyperbole. Cujus nimirum dictio frequenter fidem excedit, ut et isti sentiunt. Sed nos et divitibus sæculi, et de Judæis, quorum iste adolescens figuram tenet, veraciter accipimus, quod impossibile sit eos ad vitam intrare beatam, quandiu illi aut illi contra Christum superbe sapiunt, et in incerto divitiarum spem suam ponunt. Quod si primum ad Judæos manum vertimus, continuo probatur quod facilius est gentes, quæ in figuram cameli accipiuntur, et tortuosæ fuerant, multisque sarcinis peccatorum depressæ, per angustum foramen regnum intrare cœlorum, quam Judæos, qui divites videbantur in lege, in prophetis et patriarchis, in Scripturis divinis, in templo, in sacerdotibus, in Levitis, in sacrificiis et decimis, cæterisque dispositionibus legis. Porro divites de gentibus, aut de Judæis quomodo veniant aut intrent ad illam Hierusalem cœlestem, Isaias describit, dicens : *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madiam et Epha, omnes* quidem *de Saba venient, et aurum et thus deferentes* (*Isa.* LX, 6) : ita ut qui prius curvi erant, et gibbo premebantur, vitiorum pravitate distorti, ingrediantur per portas Hierusalem. Qui profecto ab omnibus orthodoxis divites intelliguntur, quod iste fuisse adolescens Evangelium declarat. Et ideo Dominus : *Facilius est*, inquit, *camelum per foramen acus intrare*, si deposuerit onera **808** sua quibus premebatur prius quam divitem superbum, et spem suam ponentem in divitiis suis, introire in regnum cœlorum. Pro cujus rei difficultate, nonnulli foramen acus dixerunt posterulam fuisse in Hierusalem, quæ ita vocabatur, de qua Dominus dixerit, per quam cameli onerati in Hierusalem intrare non possent. Alii dixerunt simpliciter quod de acu ista qua vestis consuitur dixerit. Sed et quidam ad spiritalem sensum refugientes, dixerunt foramen acus esse confessionem fidei, quæ in Christo est, vel pœnitentiam. Deinde alii passionem Christi volunt intelligi in qua ipse lancea perforatus est; et ideo jure ipsa eademque passio foramen acus dicitur : quæ omnia huic loco satis congruunt, cum aut dives, aut quilibet Judæus deposuerit gravem sarcinam vitiorum suorum, aut gravissima onera legis, necnon et superstitiones Judaicas, atque omnem perfidiam idolorum atque avaritiam rerum, sed et totius mentis ac corporis pravitates, ita ut intrare possint per angustam et arctam viam quæ ducit ad vitam. Quæ, si recte sapimus, ipsa est foramen acus, ipsa est vera confessio fidei, ipsa et vera pœnitentia per quam intratur ad regnum Hierusalem cœleste. Acus namque geminam formam habet : priorem acutissimam, per quam cuncta perforat ac penetrat, et aliam vero retro, quæ perforata est, et post se fila trahit. Unde nec immerito per acum ipse Christus intelligitur, perforatus in passione; per quod utique foramen omnia ad se et post se trahit. Cujus divinitas penetrat omnia et pertingit ad omnia. Cujus humanitas, quia passa est, trahit post se omnia. Per cujus vulnus passionis gentes ingressæ sunt in vitam æternam. Quo vulnere vulnera nostra omnia consuere, solus potens est, dum divinitas ejus, ac si prior pars, cuncta nostra penetrat et perlustrat interiora; a quo consuta est immortalitatis tunica, quæ olim conscissa erat per Adam. Ipsa est acus qua caro et spiritus consuuntur in unum, ut ulterius separari nequeant. Qua sane acu Judaicus populus atque gentium junctus est simul, et factus unus grex. Quoniam *ipse est pax nostra, quæ fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Quid plura ? omnia discissa et disrupta, per ipsum revocantur ad unum. *Auditis autem his discipuli mirabantur, dicentes : Quis poterit salvus esse ? Aspiciens ergo Jesus dixit illis : Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Ostendit autem quoniam, **809** sicut ex seipso, camelo impossibile est per foramen acus intrare, possibile autem quantum ad Deum : sic et divitem quantum ad ipsum attinet, impossibile est intrare in regnum cœlorum, possibile autem quantum ad Deum, qui potens est ineffabili sua virtute, grossitudinem camelorum extenuare, et tortitudinem dirigere. Stultitiam quoque bruti hominis minuere, et illustrare mentem; ita ut, aut angustiam introitus faciat eum esse capacem, aut ipsum hominem dignum Deo, et tanti honoris gloria. Quia propter difficultatem introitus, et non propter impossibilitatem, accepit Christus hoc exemplum foraminis et cameli. Quod etiam apostoli valde admirantes, dixerunt : *Quis poterit esse salvus?* Quibus Dominus : *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Possibile namque est apud Deum camelum per foramen acus intrare, non tamen apud homines. Quomodo autem sint hæc possibilia apud Deum, ipse scit, et cui revelatum est. Unum autem scimus quia subditur omnis natura divinis imperiis. Qui autem est sapientia et divino eloquio eruditus, audebit forsitan et de acu ejusque foramine locupletius exponere. Tamen loci hujus textus totus ad hoc tendit, ut inter homines alium quidem camelum constitutum, per foramen acus intrantem invenias; alium autem divitem impossibiliter quantum ad homines pertinet, possibiliter autem quantum ad Deum, intrantem in re

Introdusă în format electronic de Google

gnum cœlorum. Adeirco quicunque dicatur esse camelus, et quodcunque intelligatur foramen acus, etiamsi Christus per passionem suam dicatur intrare, per illum intrabit introitum gentium multitudo in regnum cœlorum. Quod volens Salvator ostendere faciliorem esse quam Judæorum, in suis gloriantibus divitiis, hanc introduxit similitudinem. Quia in quibus gentes dicebantur pauperes, in his Judæi se divites gloriabantur. Utrum autem fines aliquos in hac sententia sermo noster expleverit, secundum mysteria benignissimi Dei (per quas vias soli Deo possibile sit implere quæ promittit, etsi hominibus videatur impossibile), discutiat prudens lector; dum solummodo hoc intelligat, quod in magno sacramento hic adolescens provisus est a Domino, et non ex eventu, sed in sapientia Dei præordinatus, ut ex illo ostenderet quod futurum erat. Unde sequitur:

810 *Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Audiens Petrus quæ jusserat huic adolescenti, audiens quæ proposuerat, occasione accepta, ex his fiducialiter ad hæc respondit et interrogat. Respondit se suosque condiscipulos ea implevisse quæ jubentur, et interrogat quid pro his boni sint accepturi. Excitatur namque subito ut interroget, quasi testis potentiæ Dei factus, et confirmat de se suisque promissionem Dei. Quoniam et ipse Petrus et omnes coapostoli ejus, necnon et quam plurimi qui crediderunt ex Judæis, contra possibilitatem humanam per Dei gratiam crediderunt in Christum, ut ipse testatur ad Petrum: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17). Multa enim fiducia et magna ostenditur Petri virtus cum ait: *Ecce nos reliquimus omnia.* Qui cum audisset thesauros habituros in cœlo qui sua reliquerint, et considerasset tristitiam adolescentis, nec non et difficultatem divitum ingrediendi in regnum cœlorum, quasi qui non facilem rem consummaverint, in eo quod diversa reliquerant et secuti sunt Dominum, dixit granditer: *Ecce nos qui reliquimus omnia.* Non cogitat parum quod reliquit ipse et cæteri, sed omnia quæ reliquit, et ex quanto. Quia multa sunt quæ reliquit, qui seipsum et omnia quæ concupisci possunt in sæculo perfecte pro Christi amore deseruit. Nec dubium quod apostoli et apostolorum sequaces, licet parum habuerint, plus omnibus reliquerunt, quia perfectius omnia quæ concupisci possunt calcaverunt, qui non solum vitia universa, verum etiam et semetipsos pariter cum mundo contempserunt. Quod sentiens in virtute Christi factum, fiducialiter requirit: *Quid ergo erit nobis?* Ut virtus Christi amplior commendetur, et de repromissione certiores ipsi, et omnes in fide corroborentur. Et in hac ipsa nova interrogatione, multa sunt quæ non sinunt nos simplici intellectu dicta evangelica suscipere. Nam cum apostoli dicant se omnia reliquisse, et sequi se Christum, quomodo supra tristes esse dicuntur, aut mirari? vel quomodo metuunt, dicentes: *Neminem salvum esse posse*, præsertim cum et ab aliis fieri simili modo poterat, quod fecerant jam ipsi? Videtur enim sibi sensus iste contrarius, unde admonemur rationem cœlestis intelligentiæ altius requirere debere; unde susceptus **811** sit, iste metus, aut tristitia (sicuti nonnulli codices habent), vel admiratio, cum totum se fecisse gloriantur quæ difficillima prædicantur. Sed et Domini responsio est, quod hæc quæ apud homines impossibilia sunt, apud Deum possibilia fore. Aut nunquid impossibilia erant apud homines, quæ ipsi se gloriantur et exsultant fecisse? Sed et Dominus eosdem mox sic fecisse confirmat; et deinceps plures fuere, qui usque ad martyrii beatitudinem semetipsos et omnia sua feliciter reliquerunt. Quapropter omnis hic sermo spiritaliter est accipiendus. Quia, ut supra in paucis ostendi, satis dispensative est introductus a Domino sermo de adolescente ditissimo, ut Judæorum repulsionem, eorum exigentibus culpis, præmonstraret. Quod si apostoli intelligentes neminem ex lege posse salvari, cum ipsi etiam adhuc in lege essent: quia vehemens eos hactenus amor legis, seu favor detinebat. Præsertim quia necdum penitus Evangelii mysteria ad liquidum compererant, neque veritatem hujus sacramenti ex toto intelligebant, et ideireo metuunt et mirantur; nec non et tristes fiunt de rejectione sui generis: sicut et Paulus contristabatur, cui ob hoc et continuus dolor erat cordis. Quanto magis adhuc rudes apostoli, quibus necdum erant reserata ad plenum cœlestia sacramenta; qui omnem salutem suam in lege adhuc, atque spem vitæ in observantia mandatorum habebant; et ideo forte metuebant ne et ipsi sine lege salvi esse non possent. Quod eernens pius Magister ait: Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum. Quid enim Judæo tam sine effectu videtur, quam ut ab homine salutem magis exspectet quam a lege? Quid tam ei exsecrabile quam crucis scandalum? Ut pro cruce relinquatur legislatio, et testamentum, et adoptio, et hæreditas legis. E contrario Dei virtuti quid tam possibile est quam ut per fidem salvetur homo? ut per aquam regeneretur? ut per crucem vincat? ut per Evangelium et Christi gratiam adoptetur in filium? ut per resurrectionem Jesu Christi vivificetur? Quibus forte auditis, prætermisso mœrore de incredulis Judeis, cito requirunt de se solliciti, et confitentur jam per ejus obedientiam se omnia reliquisse. Quibus Dominus:

Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis **812** *suæ, sedebitis et vos super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Ecce omnis difficultas veniendi ad regnum soluta est, et omnis remuneratio laboris a Domino repromissa; ubi et confirmatur eos fecisse quæ professi sunt, et perfectionem exhibuisse. Quia non sufficeret si reliquissent omnia (quod et philosophi fecerunt, et multi alii) nisi secuti essent Dominum: non pedibus tantum, quod multi tunc faciebant qua-

Introdusă în format electronic de Google

libet ex causa, sed moribus, et imitatione. Quia qui dicit se in Christo manere, debet sicut Christus ambulavit obediens Deo Patri usque ad mortem, et ipse ambulare, ut obediens permaneat usque ad finem. Quod necdum apostoli usque in finem compleverant, licet jam in prædestinatione Dei esset quod futurum erat. Et ideo sic præmia in præsentiarum repromittit, ac si pro meritis, ut futura erant. Nam quod ait in regeneratione, amphibologia esse videtur, id est ambiguitas dictionis, quasi ad utramque partem possit applicari, sicut quidam tradunt, quod ita sit distinguendum: Quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me in regeneratione. Quia in eo tempore apostoli jam renati erant in Christo fonte baptismatis. Ac si diceret: Vos qui secuti estis me in regeneratione novæ nativitatis, et in lavacro fidei, in sanctificatione æternæ consecrationis, in adoptione perpetuæ hæreditatis, in resurrectione ex mortuis. Unde Apostolus ait: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite* (*Coloss.* III, 1). Hæc est illa regeneratio in quam apostoli sunt secuti Christum, quam lex dare non potuit, neque ex lege ita glorificari. Sed quamvis hæc distinctio ita accipienda sit, melius tamen ad sequentia in regeneratione applicatur; cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ; quando ex mortuis de corruptione et de terræ pulvere mortui evigilabunt et surgent incorrupti et immortales. Quæ nimirum regeneratio, nova quædam nativitas est a Deo constituta et recreatio: quando cœlum novum et terra nova creantur, his qui seipsos renovaverunt, per illam secundam regenerationem ex mortuis, quibus Novum traditur Testamentum, et calix ipsius Novi Testamenti; cujus profecto præmium est illa regeneratio: sicut et illius novitatis mysterium est hæc renovatio. Ubi considerandum quales nati sumus ex Adam, qualesque renati in Christo, et quales futuri simus in illa tertia nativitate æternæ regenerationis. Quoniam **813** in illa prima quæ est in Adam, omnes filii iræ sumus: in hac secunda per quam ad Christum transivimus, etsi mundi a sordibus renati sumus, adhuc tamen in infirmitatibus versamur. Unde David animæ suæ loquitur dicens: *Benedic, anima mea, Domino, qui propitiabitur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas* (*Psal.* CII, 3). Et ideo videtur mihi, ut quidam ait, hæc nativitas qua vere mundamur a sordibus, et renascimur in Christo, ac si per speculum fieri in ænigmate. In illam vero regenerationem qui pervenerit, in qua Christus est primogenitus ex mortuis, mundissimus erit deinceps a sordibus, et ab omni infirmitate seu corruptione sanus et incorruptus. In qua nimirum regeneratione conformes erunt sancto corpori glorioso Christi sedentis in sede gloriæ suæ. Tunc autem filius hominis ad plenum sedebit super sedem gloriæ suæ, cum nullus contemptibilis et inglorius fuerit in regno ejus. Tunc etiam et oratio ejus ad Patrem completa monstrabitur, qua orat: *Pater, clarifica me apud temetipsum claritate*, seu gloria, *quam habui priusquam mundus fieret* (*Joan.* XVII, 5). Verbum enim Græcum quod est δόξα utrumque significat, id est et gloriam et claritatem. Ac per hoc, quia alii codices habent *clarifica*, alii vero *glorifica*, unum esse intelligas. Sed et alii habent, *Clarifica me apud temetipsum*; alii vero in finem hoc habent, *Ea gloria quam habui apud temetipsum, priusquam mundus fieret*. Tamen unus est sensus, quia cum esset in forma Dei Patris, eamdem gloriam et claritatem habuit quam Pater. Et cum restituit et donat ei nomen quod est super omne nomen, clarificatur eadem claritate quam habuit priusquam mundus fieret, apud Patrem. Et hoc est quod hic nunc dicitur: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ.* Quia Deus Verbum quod caro factum est, in sede majestatis suæ sedebit et in gloria. Non alter Deus et alter homo, sed unus idemque Christus Deus et homo: Non adoptivus Dei Filius, non putativus hominis filius, ut multi hæreticorum male senserunt; sed verus et unus Dei Filius, verus et unus hominis filius. Ac per hoc quia homo commendatur, in Deum assumptus, et Deus homo factus. Egregie dicitur: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ;* ne ullus de homine Christo dubitet quod ipse sit Deus, in forma Dei, a Deo Patre constitutus in sede majestatis suæ. Et quia **814** conformes facti erant Christo apostoli, *Sedebitis et vos*, inquit, *super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel;* ut totam depingeret senatoriam dignitatem. Quia ipse in sede Rex et Dominus sedere dicitur, introducuntur throni apostolorum, id est sedes duodecim; quia Græce θρόνοι, Latine sedes dicuntur. Et duodecim thronos, ad judicandas duodecim tribus, in duodecim patriarcharum gloriam copulavit, ut in circuitu throni viginti et quatuor seniores sedere dicantur, qui adorant viventem in sæcula sæculorum. Sed soli duodecim hanc judiciariam accipiunt potestatem, condemnantes duodecim tribus Israel, qui apostolis credentibus ipsæ credere noluerunt, illisque prædicantibus verba vitæ recipere renuerunt. Insuper eos oderunt, ejecerunt tanquam malum propter filium hominis, et persecuti sunt. Ideoque ipsi merito eorum judices erunt, qui secuti sunt Dominum, quod proprium apostolorum fuit. Judæi vero tam Christum quam et eos injuste perimerunt. Adhuc autem quidam ex hoc subtiliorem sensum introducit, nescio an securiorem. Dicit enim quod non de futuri judicii tempore Christus ista loquitur, sed de vocatione gentium universarum. Nec enim, inquit, dixit: Cum venerit filius hominis sedens super sedem majestatis suæ; sed, cum sederit in sede majestatis suæ. In sede autem majestatis suæ, ex eo dicit Christum cœpisse sedere, ex quo gentes credere cœperunt in eum. Et ex quo Christus sedet super sedem sanctam suæ majestatis, ex eo apostoli sederunt super thronos duodecim, id est in omnibus Christianis secundum diversitates animarum. Exponit enim, quod sicut Judæorum populus in duodecim tribus fuit divisus: sic et universus populus Christi-

Introdusă în format electronic de Google

stianus divisus est, et collectus cum eisdem qui crediderunt ex Judæis, in duodecim tribus, secundum quasdam proprietates animarum, et diversitates cordium ; quas solus Deus, qui novit omnia abscondita cordis, cognoscere et discernere potest. Ut quædam animæ sint de tribu Ruben, quædam de tribu Simeon, vel Levi, vel Juda, seu cæterorum. Dicit enim quod sicut omnes sancti quinque virgines prudentes esse dicuntur, quamvis sint innumerabiles, propter quinque sensus spirituales : sic et omnes peccatores quinque virgines fatuæ accipiuntur, quamvis sint innumerabiles, propter quinque sensus carnis. **815** Deinde adjecit : Et sicut omnes Ecclesiæ Christi septem esse dicuntur Ecclesiæ, quamvis multæ sint, propter septiformem donorum gratiam ; ut puta omnes in quibus abundat Spiritus sapientiæ una habentur Ecclesia : sic et in cæteris virtutibus Spiritus sancti, una colligitur una generalis Ecclesia, propter unitatem ejusdem Spiritus sancti, quæ in septem dividitur propter distributionem donorum, ut septem tantum inveniantur. Similiter et propter dona seu gratias duodecim quas in persona duodecim virginum exponit angelus in libro Pastoris. Si cui tamen placeat Scripturam recipere, inveniuntur omnium Christianorum duodecim esse tribus secundum gratiam singulæ distinctæ, quas in eisdem virginibus angelus ille designat ; ita ut omnes animæ in quibus præ cæteris virtutibus præcellit virtus veritatis, una sit tribus, sicut in eisdem una præcellit virtus. Sic et in reliquis, quia non omnes gratiæ in omnibus æqualiter sunt ; sed unus quidem antecellit in ista virtute, alter vero in illa. Omnes tamen Christiani, in quibus habitat Christus, sedes sunt Christi. Et hinc est quod ait : *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, et vos sedebitis super thronos duodecim*. Ex quo promittit eis tempus Christianitatis futurum post suam ascensionem, quando omnes susceperint verbum apostolorum in se, sicut verbum Christi. Illud est autem tempus regenerationis, quando homines regenerati per baptismum facti sunt, et deinceps ex filiis hominum filii Dei. Ex quo tempore cœpit Christus sedere in sede majestatis suæ, sicut testatur Propheta de gentium unitate ac fide : *Regnabit Deus super gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam* (*Psal.* XLVI, 9). Quicunque ergo Christum in se credendo perfecte suscipiunt, sedes sunt majestatis ejus. Nam et apostolorum throni sunt, qui eorum susceperunt doctrinam, quod bene commendans Propheta : *Illic*, inquit, *sederunt sedes in judicio* (loquens de Hierusalem, quæ est Ecclesia Dei vivi), *sedes super domum David* (*Psal.* CXXI, 5) ; ad quam Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, ascenderunt tribus, tribus Domini de gentibus aggregata in testimonium Israel, quia credere noluerunt ad confitendum nomini Domini, et ad condemnationem perfidorum. Sedebunt ergo sedes in judicio ; quoniam ipsi apostoli super quos primum Christus sedet, sedebunt et ipsi super sedes suas, id est super **816** easdem duodecim tribus et thronos, quæ ascenderunt, et coædificantur in civitate illa Hierusalem, quæ est thronus Dei et templum. Ad quod quærendum si omnes electi apostolorum sunt sedes vel eorum consortibus, licet ad eorum numerum in duodecim sedibus dispositi, quid est quod ipsi omnes rursus simul cum apostolis in persona Christi una sedes seu thronus esse dicuntur ? Nec enim dixit : Cum sederit filius hominis in sedibus suis ; sed, cum sederit in sede majestatis suæ. Non enim plures esse leguntur, sed una ; quia non una Christi et apostolorum æqualitas prædicatur. Quoniam etsi omnes apostoli una virtutum genera habuerunt, non tamen omnia unusquisque eorum ad perfectum, sed unusquisque eorum in aliquo privato bono perfectior fuit quam alter ; et ideo nequaquam vel inter omnes habere potuerunt dona Spiritus sancti, quæ Christus in throno suo solus possidet. Quia ipsi omnes in circuitu throni sedisse leguntur, Christus autem super omnem Ecclesiam et super omnem sedem ad Patris elevatus dexteram ab omnibus adoratur. Verum quod Christus omnes virtutes æqualiter habuit, quæ forte in partes apostolis ad modum singularem, in singulis claruerunt : Christus vero in omni virtute et gratia æqualiter perfectus fuit, quia in ipso omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitasse creditur, omnique gratia. Et ideo ei una est sedes cum Patre, cum quo ab omnibus adoratur, et conglorificatur Deus. Sequitur :

Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Locus iste congruit cum ista sententia qua Salvator ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* x, 34). Veni enim hominem separare a patre suo, et matrem a filia, et nurum a socru sua, et inimici hominis domestici ejus, de quo jam supra dixi. Sed hic Petro interrogante in persona omnium apostolorum, quia responsum est, ne forte postea legentes hæc Christi promissa, æstimarent apostolis tantum ista promissa fuisse, consulte satis superaddidit dicens : *Et omnis qui reliquerit*, id est sive Judæus, sive gentilis, seu alius cujuslibet conditionis. Quamvis enim non ita perfecte ut apostoli, tamen quicunque et quantumcunque reliquerit, non ob aliud quam **817** propter nomen Christi, centuplum accipiet etiam impræsentiarum, et vitam æternam possidebit in futuro. De qua sane sententia multi carnales dubitant, dum non sentiunt impræsentiarum, quæ bona spiritales percipiant centuplicata. Ut puta, qui patrem reliquerit mortalem, cujuslibet conditionis, nonne magis sibi elegit, cum Deum sibi acquisivit in patrem ? Nonne in illo centuplicata paternitas constat ? ut illi obsequatur diebus ac noctibus, cujus hæreditatem cum perceperit, nunquam amissurus est. Qui postquam substantiam tradiderit suis, nunquam moritur, ut suos in posterum orphanos relinquat filios. Porro de fratribus quid dicam, vel sororibus, cum germanitas nulla felicior, neque verior

Introdusă în format electronic de Google

quam illa quæ in Christo invenitur. Sic et reliqua omnia, si vere matrem habuerit Ecclesiam Christi, cum qua et in quam quæ Christi sunt omnia, impræsentiarum habebit bona multiplicata. Hinc quoque apostolus Petrus gloriari jubet suos, tanquam nihil habentes et omnia possidentes. Ex quo loco quidam carnaliter sapientes introducunt mille annorum fabulam, dicentes post resurrectionem nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus et vitam æternam esse reddendam, non intelligentes nisi carnalia. Et quod si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus fœda apparet turpitudo; ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Cum Dominus dicat in hoc ipso Evangelio quod *in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlo* (*Matth.* XXII, 30). Idcirco talis est sensus, ut qui pro Domino carnalia dimiserit, spiritualia in hac Christi Ecclesia percipiet centuplicata, salvo suo thesauro in cœlestibus quo cuncta reposuit. Quæ nimirum bona, comparatione et merito sui ita erunt multiplicia, quasi si parvo numero, centenarius numerus qui perfectus coronatur in dextris comparetur. Sed si omnia quæcunque relinqui possunt in hoc sæculo, relinquimus, nisi vitia et peccata primum relinquamus et carnales concupiscentias, parum est quod agimus. Et ideo multum est, in quo Petrus gloriabatur dicens : Nos qui reliquimus **818** omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis ? Sequitur : *Multi enim erunt primi novissimi, et novissimi primi*. Longe jam retro figuras de vocatione gentium et repulsione Judæorum, Salvator introducit, ut instruat discipulos suos de tantis mysteriis, quod nunc apertius quasi concludit; miroque modo sic istam proponit sententiam, ut et quæ retro præfigurata sunt manifestius confirmet; et quæ dicturus est sequenti parabola, in hoc uno versiculo declaret. Quia Judæi, qui primi erant et gloriabantur in lege, facti sunt novissimi propter duritiam cordis sui et proditionem in Christo. Populus autem gentium, qui in novissima hora novissimi venerunt, et crediderunt in Christum, facti sunt primi. Sed considera quam provide Salvator loquitur. Non enim dixit : Omnes qui erant novissimi primi, sed, multi : quia sunt omnino ex Judæis qui primi fuerunt, et nihilominus quia crediderunt in Christum permanserunt primi ; sicut apostoli fuerunt, et multi Judæorum de semine Abrahæ secundum carnem ; qui etiam nunc primi inter primos connumerantur et habentur in fide. Sicut et multi ex gentibus sunt novissimi, nihilominus permanentes novissimi; quia aut nolunt credere, aut quia male se tractant, etsi videntur esse in Ecclesia cum non sint. Unde de utrisque dicit Apostolus, et quia ex Judæis reliquiæ salvæ factæ, et quia ex gentibus licet in radice bonæ olivæ inserti videantur multi pereunt Nam illi cum essent rami suæ olivæ, propter incredulitatem suam fracti sunt cum essent oleaster, ne et ipsi frangantur. Quia si naturalibus ramis non pepercit, ne forte non parcat et eis qui contra naturam in ea oliva inserti sunt. Ubi non audiendi sunt qui volunt accipere de angelis hoc dictum esse apostaticis et hominibus, quasi qui antiquiores sint creati hominibus et gloriosiores ac primi, nunc suis exigentibus culpis qui facti sunt novissimi ; et homines qui erant novissimi dudum facti sunt primi. Quia etsi ratio **819** videtur ulla esse, non tamen hic sensus circumstantiæ lectionis satis congruere videtur. Præsertim quia quæ retro dicta sunt, et quæ sequuntur in parabola de Judæis et gentibus, magis congruere videntur. Nec igitur apostatici angeli recte in hac parabola novissimi dicuntur, eo quod non sunt in ordine corporis, nec salvantur sicut Judæos salvandos esse dicimus. Quia cum venerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet. Neque recipere oportet eos qui dicunt primos debere intelligi, eos qui salvantur fide percepta Christi, propter observantiam mandatorum Dei; novissimos vero qui non sunt digni tali ordine, vel tanta gratia salvari, sed post pœnas et supplicia ; qui de gehenna salvandi sunt, cum fuerint completa et exsoluta quæ propriis meruerunt peccatis, et ideo novissimi dicantur. Qui profecto sensus, tam in hoc loco quam in aliis quibuslibet locis, damnandus est : ideo et in hac parabola quæ sequitur valde est præcavendus.

(CAP. XX.) *Simile*, inquit, *regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, conducere operarios in vineam suam*. Parabolarum obscuritas nimia est valde quæ a Christo Jesu prolatæ sunt, nec expositæ : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 3). Maxime tamen hæc obscurissima est, de qua quidam specialius propheta dixisse testatur : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio* (*Psal.* LXXVII, 2). Et : *Eructabo abcondita a constitutione mundi* (*Matth.* XIII, 35). Quapropter imploranda est gratia Salvatoris ut eo spiritu intelligatur quo prolata est de thesauro sapientiæ atque scientiæ Dei. Nam comparatio ejus omnis per se absoluta est, etsi personis est distinguenda, etsi discernenda temporibus. Unde paterfamilias nemo alius quam Dominus noster Jesus Christus recte accipitur; quia et homo est, et totius humani generis curam gerit; et in omni tempore universos ad culturam legis divinæ conducere nunquam cessat. Quæ nimirum figura ex his quæ præmissa sunt intelligitur, quod ait : *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi*. Ubi non temporis a Domino differentia prædicatur, sed fidei merita **820** distinguuntur. Propter quod omnis hæc parabola videtur esse assumpta, ut discamus quomodo Salvator noster universos in hoc mundo possidet subjectos, et quasi Dominus in domo sua disponit electos, qui profecto Dominus ac paterfamilias habet vineam, universam scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad illum ultimum electum qui in fine mundi venturus est colligitur. Ipse namque est paterfamilias Christus, qui de seipso in Evangelio dicit : *Ego sum vitis vera, et vos palmites* (*Joan.* XV

Introdusă în format electronic de Google

5). Ac per hoc quicunque ab initio mundi salvati sunt, in hac vere quasi palmites in vite manserunt. Quia sine fide Christi nullum ferre fructum potuerunt. Et ideo Abel primus in figura Christi ac si propheta justissimus, agnum Deo Patri obtulisse atque immolasse legitur; ostendens eum fide et operibus suis agnum esse venturum, qui offerendus erat pro salute totius mundi Deo Patri hostia in odorem suavitatis. Unde et ipse Abel quia mansit in fide Christi, ac si palmes in vite, occisus est in figura ipsius, et factus est propago ex vite, ac testis fidelis. Sicque deinceps Ecclesia Christi propagatur et excolitur, ac si vinea a suis cultoribus, quos ipse quasi paterfamilias pro mercede æternæ vitæ ad excolendam vineam conduxit operarios. Ac per hoc ab initio sæculi, quot sanctos, quasi tot palmites misit. Hic itaque paterfamilias, ad elaborandam vineam suam, primo mane et hora tertia, sexta, nonaque et undecima operarios conducit. Quia a mundi hujus initio usque in finem, ad erudiendam plebem fidelium, prædicatores congregare et advocare non destitit : non quod alii sint ipsi operatores ac mercenarii qui conducuntur, et alia ipsa vinea, sed omnes simul qui vocantur ad vineam una Ecclesia sunt, unaque vinea de vite, quæ Christus est, propaginata. In qua et ad quam qui intrat, vel qui conducitur, nemo otiosus, sed omnes operarii esse debent. Quia nemo est, etsi non alios, qui seipsum exercere et excolere non debeat, ut fructum ferat Christo, et in vite maneat. Novit ergo quicunque vere manet in Christo, quantus qualisve sit **821** hujus vineæ labor, qualisque cultura, ne palmes luxuriet, et ne vitia subrepant; quantave custodia mandatorum Dei, ne fructuosa vitis maneat.

Sed quid est quod ait : *Exiit primo mane ?* Nunquid non satis esset dicere : Exiit mane ? Sed quia addidit, primo mane, voluit aliquid innuere. Forte ut intelligeremus de initio sæculi dixisse, quando primum exiit et creavit hominem, ac posuit in paradi o, ut operaretur et custodiret eum ; quando dicebat per singula opera sua : Et factum est mane. Quod mane, licet jure primum intelligatur, forte ad comparationem cæterorum dierum primum dicitur. Quoniam per singula horarum spatia, in quibus paterfamilias ac si sol refulsit, et exiit ad conducendos operarios. Mane, cum eis lux diurna nova exorta est, donec sol justitiæ obscuratus in cordibus singulorum, quasi declinante die, ad occasum propter delictorum caliginem, verteretur in noctem. Et ideo per singulas horas quasi mane fuit : ita ut primo mane recte exisse dicatur, quando Adam, et Abel, et cæteros Patres ad operandam et excolendam vineam, id est justitiam, conduxit. Sed nemo eorum, nisi qui novissimi vocati sunt, respondit : Quia nemo nos conduxit ; quoniam omnes illi Veteris Testamenti Patres conducti fuerant, et habuerunt notitiam Dei, et scierunt Dei promissa, gentes vero neque Deum sciebant, neque promissa ejus ; et ideo excusabiliter responderunt : Quia *nemo nos conduxit*. Porro *sextam* et *nonam* ideo simul junxisse videtur, quia illo in tempore ab Abraham usque ad David, major Deo frequentia fuit cum sanctis Patribus, cum quibus decrevit disponere testamenta salutis humanæ, sicut, lector, diligentius potes enumerare. Quia post Noe ad neminem legimus Deum locutum fuisse, nisi primum ad Abraham, deinde ad Isaac et Jacob quam frequenter : ac non post multum temporis ad Moysen et Aaron quibus legem dedit ; sicque ad Jesum Nave usque, quam frequenter exivit conducere operarios ; ac deinceps ad Samuelem et David usque pervenit, quando chorus prophetarum, ac si nova lux, in mundo emicuit ; cum quibus nova rursus fœdera firmavit. Quibus **822** profecto spatiis, ac si in duabus horis simul junctis, cum singulis quibusque generationibus instantius testamentum composuit, seque venturum in carne apertissime repromisit. Unde si bene consideres, lector, totidem testamenta humano generi constituta, invenies per singulos, quotidem ad forum enumeratur egressus. Sed cum nullo horum ex denario convenit, nisi cum primis quos misit ; cum cæteris vero, tantum quod justum esset se daturum spopondit. Novissimis vero post increpationem otiositatis, solummodo, *Ite et vos in vineam meam*, dicit, quia gratuita Dei gratia est, quod eos, licet in undecima hora, de foro conducere dignatus est. Sed quia in hac parabola, omne præsens sæculum, ab initio mundi usque ad finem, voluit ac si unum diem intelligi, ideo ait, quia *exiit primo mane*, ut non ad ordinem tantum illud referas, quod ait, *primo*, verum etiam ad initium mundi ; quando, ut dixi, primum condidit atque instituit, ut servaret et custodiret quod ei primum commisit. Ubi moneo auditores de hac die, per quam omne tempus præsentis vitæ intelligimus, ne magnum aliquid seu impossibile perpendant ; quia quantum ad nos, forte magna dies, sed quantum ad Dei Patris, et Filii et Spiritus sancti æternitatem, modica atque exigua est dies totius temporis. Quia in illa æternitate non nisi una est dies, de qua dicitur : *Quia melior est dies una in atriis suis, super millia* (Psal. LXXXIII, 11). Et si illa æternitas una est dies, ne mireris si omne hoc præsens sæculum pro una posuit die ; in qua nimirum die paterfamilias quinquies dicitur exisse conducere operarios in vineam suam. Quod non absque dictum esse æstimo sacramento. Quæ curiosus lector forte potest quærere : quare quidam operarii mane conducti sunt ; et post hoc, non circa horam secundam, sed circa horam tertiam exiit, et conducti sunt alii ; post quorum conductionem, quare non circa horam quartam, vel quintam, sed circa horam sextam exiit, et alios misit in vineam ; ita neque circa septimam vel octavam, sed circa nonam. Et novissime non circa decimam, sed ad undecimam exiit, quando invenit stantes tota die otiosos, eo quod jam in novissima hora essent. Nequaquam **823** igitur absque ratione factum credo, ut inter illud mane et tertiam, modicum tempus, ac si una hora intercepta sit, et non secundum tempora

Introdusă în format electronic de Google

quæ posita sunt, inter tertiam et sextam, ubi duplam intervenit tempus medium, sicut ut inter sextam et nonam. Ad ultimum vero rursus inter nonam et undecimam una est hora, sicut et prius inter matutinam et tertiam. In quibus quinque ordinibus, nescio quid musicum videtur sonare; ut duæ extremitates mediæ simplum habeant numerum atque unum, duæ vero medietates mediæ duplum; ut singulæ medietates duplæ suo respondeant simplo et faciant quod diapason Græce vocatur. Unde quidam permoti doctores has quinque vocationes Christi ad quinque sensus retulerunt hominum, quibus impræsentiarum nos sentire cognoscimus. Et dixerunt in prima vocatione tactum instituisse; eo quod mulier dixerit serpenti quod Deus dixerit : Non manducabitis ex eo, neque tangatis eum. Odoratus autem in secundo a Domino consecratur; propter quod et Noe sacrificium boni odoris obtulit Domino : unde dictum est : *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis* (*Gen.* VIII, 21). Porro gustus fuit in Abraham gratissimus Deo; propter quod et pavit angelos, imo Deum in angelo : apposuit eis panes absconditos vel subcinericios de similagine; et vitulum tenerum qui occisus est ad epulum propter gaudium quia revixit et inventus est qui perierat et mortuus fuerat, prodigus filius. De quo sane gustu dictum est : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Auditus autem, ut quidam volunt, in Moyse a Domino dedicatur, quando de cœlo ab eo vox Dei audita est, facta a Domino. Quem alii sensum per David, et in David Deo consecratum accipiunt. Quia per eum, non minus quam per Moysen, Christus repromissus ad nos exivit de fructu ventris ejus. Et ipse in Euphrata hæc omnia completa audivit, et invenit sponsam ipsius in campis *silvæ*, quam Moyses prius Æthiopissam in figura Christi duxit uxorem. **824** Porro visus, qui supra omnes sensus honorabilior est, in adventu Christi totus illuminatur. De quibus oculis, quia viderunt Christum, dicebat ipse ad apostolos : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

Hæc idcirco dixerim, ut intelligat prudens auditor, quia opera Dei et verba plena sunt sacramentis. Nam sicut anima, cum sit in corpore, per hos quinque sensus corporis foras exit, et sentit corporea : ita Christus per has quinque ætates, ac si per totidem horas, exiit, cum sit ubique totus, dum seipsum manifestius innotuit, et legibus suis eos instituens, venit conducere operarios in vineam suam, qui nos per hos quinque sensus male ad exteriora diffusos, intus ad se benignissime revocaret, ne foras male prolapsæ animæ penitus deperirent. Hoc quippe *exisse* fuit, cum per aliquam efficientiam cum sanctis Patribus, nova instituit jura, et pacis fœdera repromisit; ita ut visibili forma eisdem sanctis, eo in tempore appareret. Nam *primo mane exiit*, quando cum Adam protoplasto suas leges instituit et præcepta dedit; quem posuit in paradiso ut operaretur et custodiret illum; cum quo tantum ex denario diurno conventionem fecit. Quia præsciebat omnino Deus quod prævaricaturus erat Adam, pactum vitæ cum haberet, posse non mori, et omnes postmodum in diluvio essent perituri; et ideo certum ad eum fecit pactum, quasi ex denario æternæ vitæ, nequando dicerent illius horæ operarii, propterea eos neglexisse Dei mandata, quia nesciebant quæ præmia fuerant repromissa bonis, quæve pœna impiis. Deinceps autem cum reliquis operariis nulla mentio facta est denarii, neque cum eis certum pactum iniit, neque taxatum præmium repromisit, sed *quod justum fuerit*, inquit, *dabo vobis*. Sciebat enim benignissimus paterfamilias largitatem suam et misericordiam, quia tantum paratus est illis retribuere quantum mercenarii nunquam sperabant recipere. Sicque conducti sunt operarii horæ illius usque ad diluvium, in quo nimirum tempore qui laboraverunt, cum Abel justo receperunt **825** jam eumdem denarium, quando Christus descendit ad inferos, et recepturi sunt adhuc plenum, cum tota eis immortalitas fuerit restituta in præmium. *Hora vero tertia* fuit, quando exit ad Noe innovato mundo, propter aquas diluvii, cum quo rursus pactum iniit novum, fœdera composuit, præcepta dedit, ipsi et semini ejus usque ad Abraham; quos quasi de foro ad vineam operarios misit, ubi eos quasi negotiantes et lucra præsentis sæculi sectantes, otiosos invenit. Otiosos quidem, quia nihil quod prodesset eis operantes invenit; quibus ait, *Ite et vos in vineam meam*. In foro quidem erant, et ideo extra vineam; id est, quia lucra mundi sectabantur, in negotiatione sæculi positi. Propterea in foro eos invenisse quam recte dicitur. Ubi juxta aliam parabolam uxor venalis ducitur, villa emitur, et juga boum quinque probantur. Idcirco dum in foro sunt tales, neque ad nuptias sponsi, neque in vineam Christi, temporalia tantum sectantes, venire et operari in ea possunt. Porro ad Abraham paterfamilias quasi, *hora sexta exit*, cum eum etiam hospitio suscepit, ac deinde nova præcepta dedit, et multis eum erudivit doctrinis, et instituit disciplinis, cum quo pactum testamenti fecit, et quod in semine ejus benedictio omnium gentium futura esset, etiam cum juramento firmavit. Sic quod eum, et omnes Patres et patriarchas, qui eo fuerunt in tempore usque ad Moysen, vel melius usque ad David, in vineam suam misit, non ut otio in ea locati torperent, sed ut laborarent et excolerent eam. Deinde a Moyse, vel a David, cujus de semine et de fructu ventris ejus repromissus est Christus, eos et omnes cultores fidei, ac si operarios, ipse in vineam suam conduxit. Quæ vinea, teste Propheta, domus Israel erat ex Ægypto translata et transplantata, quæ vinea vocabatur *Sorech*, id est *electa*. In qua plane vinea omnis ille antiquus et Hebraicus Dei populus laboravit; quos ipse paterfamilias, Christus videlicet, ab ipso mundi exordio elegit, atque instituit ad fidem. Et quasi erecta linea, per omnes Patres et patriarchas usque ad eumdem Christum, eorum genea-

Introdusă în format electronic de Google

logiam erudire et instituere ad fidem non destitit, et per eosdem laborare, excolere, eamdem **826** vineam minime cessavit. *Ad undecimam vero*, jam ad gentes secundum Scripturæ sanctæ repromissiones, incarnatus exiit, et venit in mundum, conducere operarios in eamdem vineam electam quam sibi acquisivit in brachio fortitudinis suæ, et ex Ægypto educere curavit, ut una esset vinea, sociique cultores in fide, et comparticipes præmii sicuti et laboris. Ad quos cum venisset Deus homo factus, invenit eos de gentibus stantes extra vineam. Quibus dicit : *Quid hic statis tota die otiosi ?* Nequaquam sectanda sunt deliramenta hæreticorum qui dicunt, quod ideo parati dicantur stare ad opus tota die otiosi, eo quod in cœlestibus animæ remotæ non fuerant conductæ in labore operis, sed paratæ ut ad corpora venirent. Unde ita, inquiunt, loquitur Evangelium, quasi plurimi essent qui conducerentur, non autem et qui conducerent. Multa quidem ex hoc parabola illi sic suis allegorizant sensibus, ut misceant suos errores divinis ænigmatibus. Sed nos eos tota die otiosos stetisse dicimus, quia non in labore legis fuerunt, non in aliqua Dei cultura, sed male stabant otiosi suis juribus decertantes, erecti contra Deum ne crederent. Stabant autem ac si lapides erecti, quos adorabant in deos, similes eis facti ; nec proficiscebantur, sed permanebant immobiles tota die, ac si ab initio sæculi usque in novissimum tempus adventus Christi. Unde et Joannes : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II, 18). In qua si quidem hora constanter interroganti vel increpanti dicunt, quia *nemo nos conduxit*. Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta venerat, nullusque doctor vitæ, nullus prædicator salutis. Quid ergo est dicere : *Nemo nos conduxit ?* nisi quia vitæ vias nemo nobis prædicavit. Et notandum quod unus paterfamilias est, qui per omne tempus sæculi quinquies est egressus, et in novissima vice totum se exhibuit ut fuerat repromissus Deus homo factus, ut inconfusibiles operarios doceret verbum veritatis, et mitteret in vineam suam, ipse vitis vera, pro mercede denarii mercenarios, ut per opera vineæ ipsi transirent in adoptionem filiorum Dei, et fierent per eum, qui verus ac proprius est filius, æterni Patris filii. Nec immerito **827** igitur per singulos dies, harum horarum, Ecclesia Christi, quasi in memoriam, laudes Deo concelebrat, ut se revocet ad ea quæ intus sunt, et ad Deum mens tota redeat. Unde *primo mane* tota colligitur in laudibus, quando matutinos dicere hymnos consuevit, cum eisdemque *primam* jungens, se totam Deo consecrat. Sicque *tertiam, et sextam, nonamque* peragens, passionis Christi recurrens vestigia, vespertinis laudibus, ac si in novissima hora diei, quinariam vocationis nostræ formam in laudibus explet; ut per hoc ad laudem ac gloriam Creatoris sui unusquisque se referat.

Cum sero autem factum esset, dixit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem suam, incipiens a novissimis usque ad primos. Considera quia *sero* dicitur, cum finis sit ipsius diei qua missi sunt operarii in vineam, et non in alio mane. Unde in ipso eademque fine temporis, antequam illa beata illucescat dies, judicium est futurum. Et discernendi sunt justi a peccatoribus, ut tollatur impius ne videat gloriam Dei. In quo profecto judicio, singuli sua recipient quæ gesserunt, scilicet operarii vineæ, vel singuli palmites fructum laboris qui manserunt in vite, quibus reddendus est denarius, id est illa æterna vita, quoniam ipsa est merces beatorum, quæ omnibus ac singulis una et sempiterna erit. Sed in ea diversi gradus meritorum, propter illud quod dicitur, quia reddet unicuique juxta opera sua. Procurator autem quis sit, cui dicit paterfamilias : *Voca operarios*, et reliqua, non immerito quæritur. Præsertim cum Ariani ex hoc loco laborent suum firmare errorem, dicentes alium procuratorem ipsius Spiritum sanctum ; eo quod non unius, inquiunt, substantiæ possunt esse, nec una persona, neque eis una est dignitas. Si autem, inquiunt, alter paterfamilias est, et alter procurator, non est eis æqualitas cum Patre, quibus nec una substantia est. Et ideo minor Filius quam Pater, minor etiam et Spiritus sanctus quam ipse Filius. Proh dolor ! quam parata est hæretica pravitas semper quæ recta sunt depravare, et veris venena falsitatis miscere. Et ideo diligentius perquirere oportet, iste quis sit procurator, quem Dominus vineæ ac si subjectum vocat, ne forte in Trinitate, quæ Deus est, gradus (quod absit) ut Ariani volunt, vel ulla differentia fingatur **828** inter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, cum sit una deitas, una substantia, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unaque æqualitas. Quapropter licet Spiritus sanctus jure dici possit procurator, sicut et consolator, tamen absolutius ille ordo angelicus procurator dicitur, qui curam gerit Ecclesiarum Dei. Quoniam, sicut ait Apostolus, quanto tempore hæres parvulus est, usque ad præfinitum tempus a patre sub tutoribus est et curatoribus, ita et Ecclesia Christi sub eisdem procuratoribus servatur spiritibus, qui constituti sunt a Christo in ministerio sanctorum, quos œconomos jure vocamus, propter eos qui hæreditatem accepturi sunt salutis. Nec mireris, si unus eorum pro multis introducitur procurator, quoniam et in sæcularibus litteris, quam sæpe unus pro multis tropice dicitur. Cui dicitur, *Voca operarios*, quoniam in tuba Dei, et in voce archangeli, mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, quod est sero vocare ad præmium. Quorum officio etiam et nunc, quando animæ sanctorum ad requiem deferuntur, denario æternæ vitæ remunerantur. Sed per eosdem angelos, jubente Domino, a novissimis hæc remuneratio incipitur ; quia priores facti sunt, qui sub gratia novissime venerunt ad vineam, quam qui sub lege onera legis portaverunt, et propriis desudarunt laboribus. Quoniam majora sunt dona Christi, quam merces legis ; et ideo ab Apostolo inæstimabiles divitiæ Christi dicuntur dona

Introdusă în format electronic de Google

misericordiæ et bonitatis ejus. Nam merces ex dono nulla est, quia debetur ex opere; sed gratuitam gratiam Deus omnibus ex fide, et justificationem dedit, et non ex mercede legis tantum. Et ideo quia credidit Abraham Deo, reputatum est ei ad justitiam. Attende, quæso, quam naturalis ratio prætexitur, cum ab his incipitur remuneratio, qui sub gratia versantur. Semper enim libentius damus aliquid eis quibus pro solo honore et bonitate nostra damus, quam his quibus cogente mercede quidpiam reddimus. Nam omnes qui ante adventum Christi fuerunt, quasi ex operibus legis, etiam in fide Christi justificantur. Gentes vero pro sola misericordia Dei lona perceperunt salutis. Unde ait Apostolus: *Gentes autem super misericordiam honorare Deum* (*Rom.* xv, 9). Et ideo quidem ad rem pertinet bonitatis Dei, ut novissimi gratuitam perciperent gratiam, dum nihil prioribus in **829** illo defraudatur, vel minuitur merces. Ergo ut ostenderet Deus inæstimabilem misericordiam suam, et divitias bonitatis suæ, ordinem non aspexit humanæ præsumptionis. Unde cum venissent primi, et vidissent eos qui circa undecimam venerant, accipere singulos denarios, *arbitrati sunt quod plus essent accepturi*, non recogitantes ex conventione de denario ad eos facta, cum vidissent bonitatem ejus, qui singulos quando voluit conduxerat. Nec enim considerant qua bonitate Dei, quave dispositione et potestate conducti sunt singuli; quia non in eorum fuit arbitrio ut primi nascerentur, sicut nec istorum ut novissimi. Et ideo non juste murmurant, quia et acceperunt ipsi singulos denarios. Alioquin si in hominis esset potestate quando nasceretur, vel quo ordine ad vineam Christi operarius veniret; fortassis exigere deberet ut priora acciperet, qui primus in opere vineæ venisset. Verumtamen etsi unus omnibus redditur denarius, in quo cunctis Christi imago ostenditur, et vita præstatur æterna; profecto in ipsa eademque vita æterna diversæ sunt mansiones, secundum merita singulorum. Et ideo attendere oportet quæ dixit Dominus vineæ procuratori suo, ut inciperet a novissimis, sicque ascendendo, quousque perveniret ad primos; ut primi quidem accipiant qui circa undecimam sunt conducti, sicut latro ille de cruce; secundi autem, qui circa nonam; tertii, qui circa sextam; quarti, qui circa tertiam; novissimi vero, qui mane. Hoc enim dederat ex eo quod dicit, *Redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos*, qui quanto proximiores gratiæ redemptionis nostræ, tanto priores accipiant per easdem lineas vocationis humanæ. Per quas sane lineas et horarum spatia, ut supra jam dixi, quasi nova lux exorta post tenebras cæcitatis humanæ ad nos exivit, ut conduceret operarios in vineam quam plantavit dextera sua. Sed non omnes portaverunt *pondus diei et æstus*, et ideo non omnes murmurant adversus patremfamilias. Non illi qui circa tertiam et sextam, neque illi qui circa nonam, quoniam hi non totius diei pondus sustinuerunt. Sed forte partem diei, æstus ac ponderis portaverunt, unusquisque prout vocatus est, secundum mensuram horarum et spatia temporis. Et ideo qui primi venerunt, cum quibus conventio facta est ex denario, murmurasse dicuntur; quamvis nullus **830** murmurans, aut invidus, regnum cœlorum accipere possit. Quia et ista itaque murmuratio, non de justitia, sed profecto ex invidia nascitur; eo quod novissimi coæquantur eis in præmio, qui prima hora conducti fuerant, licet ipsi acceperint denarium, de quo conventio facta fuerat. In quibus profecto rebus ac verbis, nimia obscuritas est, nisi diligentius hæc, ut parabola discutiatur. Quoniam non personarum acceptio, sed tota justitia est, cum uni reddidit quod debuit, et alteri donavit quod voluit; et hoc est juste facere quod volo. Utrosque tamen gratis vocavit, et in labore præfecit, ut mererentur accipere. Ubi tota Judaica natio, quæ vocata est per hos quinque gradus ad culturam vineæ, simul depingitur, ac si uno corpore, in quo et murmurantes fuisse, nulli dubium est, atque invidos. Qui quasi senior frater, ex alia parabola in agro positus et labore, semper se cum patre fuisse causatur, et nunquam mandatum ejus præterisse. Sed quia junior frater, cum iste foris esset, intus clementer a patre recipitur, eique convivium paratur, iste indignans intrare contemnit ac murmurat invidia permotus. Non quod pater nollet eum suscipere inter epulas et gaudia, sed quia junior frater, id est novissima gentilitas, coæquatur, intrare noluit. Propter quod et hoc loco idem populus, forte parabolice, murmurans introducitur, ex more magis eorum qui semper in lege gloriabantur, et arbitrabantur se meliores cunctis gentibus, non gratia Dei, sed suis operibus. Unde et hi ex eis qui salvantur non solum ex operibus legis, verum etiam ex fide justificati, cum fideli patriarcha Abraham, interdum etsi murmurasse dicuntur more generis notantur, non ideo tamen ita accipiendum est ut murmurans aut invidus, ut præmisi, aliquis regnum Dei introire debeat: sed murmurasse eorum fuit dilationem ad regnum usque ad Christi adventum, longe diuque multo cum desiderio sustinuisse.

Qua de causa quærendum, quare non ad omnes qui primi venerunt, et æstimaverunt quod plus essent accepturi, pater familias responderit, cum et murmurasse dicantur? Sed uni eorum dixit: *Amice, non facio tibi injuriam, eo quod ex denario convenisti mecum.* Ubi, quantum mihi videtur, etsi unus pro omnibus accipiatur, prior ordo designatur, licet omnes Judæi portaverint onera legis, et pondus omnesque **831** æstus concupiscentiarum suarum. Soli non injuriarum illi et denarium accipiunt repromissum pro laboribus suis justis, qui manserunt in unitate fidei Christi cum Patribus et patriarchis, quibus nulla illata est injustitiæ injuria, cum reciproco gradu et ipsis collata est gratia Christi, quia ex operibus legis, teste Apostolo, nemo justificabitur. Quod profecto pondus et æstus diei portasse, non deo dicuntur, quasi aliquis eorum per omne hoc tempus

Introdusă în format electronic de Google

legis jugum et concupiscentias pertulerit, quibus alternatim, *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat.* v, 17). Sed quia omnis illa natio, donec Christi gratia refrigeravit eorum ardores, et relevavit pondera delictorum, immensis fatigata est concupiscentiarum æstibus, et depressa peccatorum oneribus. Unde Salvator ad eos ait : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* xi, 18). Quoniam totius diei pondera graviter tulerant, quæ nec ipsi nec patres eorum portare poterant : ideo et ipsi grati esse debuerant magis quam ingrati, eo quod et ipsis gratia dabatur quæ et gentibus, ut omnes non de suis meritis, sed de bonitate Dei præsumerent. Unde ait ac si invido : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Semper namque invidus dolet, quasi totum sibi sit subtractum quidquid alteri est superadditum. Totum putat sibi minui cum viderit aliquem se fieri ditiorem; vel etiam si viderit quemlibet sibi coæquari. Et hoc totum ei ex vana gloria nascitur. Ac per hoc magis ex more et consuetudine eorum loquitur, qui carnaliter in lege gloriabantur, quam ex affectu illorum qui remunerantur, licet post longam dilationem. *Sic erunt*, inquit, *novissimi primi, et primi novissimi*. Repetit eamdem quam præmisit sententiam, de Judæis et gentibus; quia licet Judæi in primo loco sint vocati ante gentes, gentes tamen quibus est repromissus eum susceperunt, et facti sunt in gratia primi. Et cum plenitudo gentium introierit, tum demum Judæi novissimi salvabuntur, qui erant olim primi. Hæc quippe est totius parabolæ summa; hæc omnis ejus absolutio. Propter quod et novissimi acceperunt denarium, qui erant primi. Forte non ut novissimi sanctiores ac digniores credantur Patribus, sed ut coæquentur in una spe vocationis, quia nullam differentiam facit temporis causa, sed meritorum gratia. Unde omnes sancti quasi corona sunt in manu Dei; **832** eo quod sicut in corona, quæ quasi cyclus in gyro volvitur, nihil invenies quod inveniatur primum, aut habere initium vel finem : sic et inter sanctos, quantum ad tempus spectat in illo sæculo, et illa vita quæ per denarium figuratur, nemo novissimus dicitur, nemo primus. Et ideo quam decenter qui prius nati sunt et vocati, novissime remunerantur; et qui novissimi sunt renati in Christo primi, denario vitæ et ipsi remunerantur. Ut illi primam gratiam habentes, istis per hanc coæquentur, sicut et isti per ipsam eamdem Christi gratiam novissimi, ut primi fiant in Christo concorporantur. Sed quia tam priores operarii quam novissimi, omnes in vineam patrisfamilias, ad excolendam eam sunt conducti, non sunt audiendi hæretici, Jovinianus scilicet et cæteri, qui nullam inter eos differentiam volunt haberi, eo quod omnes in vineam sint transmissi et ad culturam conducti. Unde et sero unum omnes denarium, sine ulla exceptione accipiunt, et nemo eorum excluditur a præmio (ut ipsi volunt) quicunque vocati sunt. Quod valde hæc sententia contradicit, cum ait : *Quia multi sunt vocati, pauci vero electi*. Unde fatendum, quia non secundum electionis gratiam vocati sunt omnes; neque omnes, sed multi vocati sunt, et ex ipsis pauci electi. Quoniam et Judæi omnes ad culturam vineæ vocati sunt, et tamen quia non permanserunt in fide patriarcharum Abraham, Isaac et Jacob, neque in repromissione quæ ad eos facta est, ideo et ipsi repulsi sunt, et omnes qui non perseveraverint in culturam vineæ, ut permanerent in fide Christi quæ per dilectionem operatur. Idcirco non de solis gentibus id accipiendum est, ut ipsi volunt hæretici, sed de omni vocatione quinque horarum, ex quibus et reprobi inveniuntur, et fideles atque electi. Eo quod nemo mercenarium ad opus conducit tantum ut manducet et bibat atque torpeat otio, sed ut laboret et excolat quod ei injunctum est. Nam in foro, id est in negotiis hujus sæculi, a quo vocati sunt, multi aut mortui sunt, aut otio torpent. In cultura vero vineæ Christi nemo otiosus esse debet, si vult manere in vite. Alioquin et ipse excidetur, licet palmes esse videatur, et in ignem mittetur, quia negligit ferre fructum boni operis. Idcirco prima laus est Christiano alienum esse a foro, et negotiis hujus sæculi, ac fraudibus; nullam causam **833** habere cum ullo litigio, quia nullus in foro, nisi lucri causa, decertat, a quo omnes ut operemur vocati sumus. Sed quia omnis hæc parabola hæreticorum fraudibus est depravata, cavenda est eorum intelligentia qua dicunt; quotquot vocati sunt inter operarios vineæ, non numerabuntur ad præmium inter eos si prolapsi sint, et egressi de vinea, et rursus ad forum redierint lucra voluptatis suæ sectantes; nec posse rursus quasi pœnitentes ab initio vineam operari. Quia non possunt jam dicere patrifamilias, quia *nemo nos conduxit*. Conducti enim fuerant secundum tempus primum, quando sunt vocati ad fidem. Sed neque dicetur eis, inquiunt, *Quid hic statis tota die otiosi?* Præsertim quia in mortem prolapsi sunt, nolentes illud considerare, quod si regredi voluerint et surgere inde ubi corruerant, quod in Apocalypsi dictum legimus : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam, et priora opera tua fac* (*Apoc.* ii, 5). Seu et in quamplurimis aliis locis, ubi benignissimus Salvator post culpas ad veniam invitat. Quod si cui prolixa hæc expositio displicuerit, accipiat singulas ætates humanæ vitæ; et primæ horæ operarios intelligat Samuelem, Jeremiam, seu Joannem Baptistam, vel tales hujusmodi qui possunt dicere : *Ex utero matris meæ Deus meus es tu* (*Psal.* LXX, 7). Tertiæ vero horæ operarii erunt, qui a pubertate Deo servire cœperunt. Sextæ quoque horæ sunt hi qui, jam perfecta ætate, id est, in juventute, susceperunt jugum Christi. Porro nonæ horæ operarii nec immerito accipiuntur, qui cum jam declinare videntur ad senectutem, ad fidem veniunt. Sicque deinde horæ undecimæ operarii in re illa accipiuntur, qui valde senes sunt, quos Græci non presbyteros, sed gerondas vocant, id est multum decrepitos : et tamen omnes æternæ vitæ acci-

Introdusă în format electronic de Google

piunt præmium, quamvis harum horarum diversus sit labor. In qua nimirum vita et si una semper erit æternitas, diversa tamen meritorum claritas; et ideo remunerati, in nullo ingrati esse debent, sicut paterfamilias in omnibus clemens esse probatur, et in nullo injustus. Quod si in aliquo paterfamilias iniquus esset, non in uno, sed in omnibus iniquus esset. Unde recte probatur quod, non ulli ex merito operis, sed ex gratia Christi, cunctis vita præstatur æterna.

Ascendens autem Jesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis : Ecce ascendimus Hierosolymam et filius **834** *hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.* Tertio jam hoc ipsum discipulis replicat, quod et nos supra exposuisse meminimus; nisi quod illic, tantum occidendus dicitur, hic autem et species ipsa occisionis ejus manifestius declaratur, cum dicit se crucifigendum, ne ulla de morte sua dubitatio apostolis remaneret. Et ideo quia multis in medio disputatis, postea quod audierant, poterat a memoria recedere, iturus Hierosolymam, et secum ducturus apostolos, ad tentationem eos parat, et introducit ad mysterium crucis, ne cum venerit persecutio et crucis ignominia, scandalizentur subito pavore perculsi. Unde signanter ait : *Ecce ascendimus Hierosolymam;* nam *ecce*, hoc loco contestantis est sermo, ut memoriam præscientiæ hujus in cordibus suis reconderent; tanquam si diceret : Ecce jam nunc tertia vice, aut eo amplius, prædico vobis mysterium passionis meæ, testor vobis ut cognoscatis. Quid enim putatis, fratres, si in illa hora passionis Christi fides apostolorum defecit, et præparationem animæ absorbuit timor carnalis, ita ut relicto eo omnes fugerent; quid putatis quanta esset desperatio, nisi præscientia Dei, et voluntas passionis ejus, in causa esset? Et ideo tam sæpe prædicit in se quod futurum est, ut ex præscientia divinitatis ejus, plene intelligatur, et consideratio divinitatis fidem ipsorum amplius corroboret et confirmet in tempore passionis; ut totum quod patiebatur dispensationi voluntatis ejus applicent, non necessitatis naturæ. Propter quod, quia magnum erat sacramentum, cum plurima turba sequeretur eum, hos duodecim solos secreto tulit, et illis tantummodo solis plenius expressit mysterium passionis suæ; quia semper pretiosior thesaurus et sacratior, fidelioribus credendus est, et in vasis pretiosioribus recondendus. Sed miser Judas, qui adhuc etiam inter duodecim connumeratus, tantos de præscientia Dei haurit thesauros, quæ futura sunt per ipsum nesciens, non attendit, cum in nullo hactenus a Domino sit denotatus, sed in omnibus retro una cum cæteris apostolis annumeratus, et missus ad prædicandum. Nondum enim miserat diabolus in cor ejus ut traderet eum. Et ideo quia nescimus de nobis quid futura pariet dies, consideranda est illa sententia **835** semper, apostoli, ut cum timore et tremore nostram salutem jugiter operemur. Et notandum quod hac vice nemo apostolorum aliquid respondit; neque Petrus, qui supra eum increpaverat, neque aliquis eorum qui Dominum eum increpantem audierant. Quia consequens erat, ut recordarentur quæ Dominus Petro dixerat atque observarent, ne forte a pio et clementissimo Magistro acriora reprehensionis audirent verba.

Tunc accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Tunc, quod dicit, id est in via, quando dixit Jesus duodecim discipulis suis : *Ecce ascendimus Hierosolymam.* Sed Marcus non matrem accessisse et postulasse quæ Matthæus narrat, et adorasse, sed filios ejus quasi per se accessisse exponit. Unde manifestum est hanc eadem postulasse quæ a filiis suis ei persuasa sunt, et ideo quasi ipsi per se accesserunt; cum eorum suggestio fuit ut mater pro ipsis intercederet. Quod etiam ex Domini verbis intelligere possumus, quibus non quasi ad mulierem petentem respondit, sed quasi ad filios ea ipsa submittentes. *Nescitis,* inquit, *quid petatis.* Æstimo enim quod hi, cum audissent Dominum, de passione sua sæpius ac resurrectione sua prophetantem, et eum intelligerent sua sponte passurum, cœperunt cogitare intra se, cum essent jam in fide devoti. Ecce Rex cœlestis ascendit, ut regna mortis, regemque et regnum destruat inferorum. Quid aliud restat, cum victor ascenderit de bello, nisi ut regni gloria subsequatur. Præsertim eo quod audierant, jam supra pollicentem *In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Unde valde permoti ad gloriam, satis acute atque ingeniose submittunt matrem ad deprecandum pro se. Forte ne ulla suspicio quod ipsi hoc petierunt nasceretur; neque invidia inter condiscipulos quod ipsi hoc appeteret oriretur; et si reprehensio qualiscunque esse posset, femineus error levius ferretur. Nam ipse sexus, quia proclivis est, suum excusat errorem. Et si importunitas ultra quidpiam applauserit, blandius portatur. Magna siquidem vis amoris in matribus; et ideo forte credebat quod Dominus, qui maternos animos in amore filiorum impleverat, facilius ejus exaudiret affectus, quia non solum illi pro Christo reliquerant patrem, **836** verum etiam ipsa virum, et secuta fuerat Christum una cum filiis; et ideo forte promptior, quia vivum pro illo reliquerat virum, sicut evangelista demonstrat, ubi ait quod illi reliquerint patrem suum Zebedæum in navi cum mercenariis, et secuti sunt Jesum. Nisi forte quis dicat, quod interea mortuus fuerit ille, sicque illa demum secuta sit Christum. Tamen secuta est, nec eam vicit maritalis affectus. Quamvis aliquis dicat, quod hoc loco reverentiam spiritalem in Christo vicerit amor carnalis, cum spiritalia sint adhuc nesciens quæ deposcit, cui Jesus ait : *Quid vis?* Nequaquam ideo interrogat quasi nesciens, ut audiat quid velit; sed ut illa petente, manifestam faceret irrationabilem petitionem

Introdusă în format electronic de Google

eorum qui petebant, quasi religiosi et cœlestis gloriæ amatores, tamen non quasi scientiam habentes. Et ideo cum illa poposcit : *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam in regno tuo, et alius ad sinistram.* Quamvis eis cœlestia petiisset, cœlestis arbiter non ad verba mulieris, sed ad consilium et suggestionem filiorum respondit : *Nescitis*, inquit, *quid petatis.* Ac si diceret, Nunquid non audistis quod qui a sinistris erunt maledicti erunt et reprobi? Idcirco vos vocavi de sinistris ad dextram, ut semper in dextris permaneatis. Et quid est quod vos vestro consilio rursus recurrere vultis ad sinistram? Forte diabolus per mulierem ad consueta recurrit arma, ut per muliebres affectus locum inveniat error. Alias autem, quia proprium est unico Dei Filio Christo Jesu, ut sedeat ipse ad dextram Dei Patris, quomodo sederet aliquis eorum ad sinistram Filii, nisi medius sederet inter Patrem et Filium, quod nefas est dicere, ac proximior illo? Et ideo Salvator mox, *Nescitis*, inquit, *quid petatis.* Licet enim bonum videatur desiderium, sed inconsiderata est petitio, quamvis de amore Domini nata putatur, et propterea non voluntatem, non propositum, forte culpavit, sed ignorantiam petitionis. Unde non confunditur, nec exacerbatur mulier, sed revocatur error, et ignorantia reprehenditur. *Potestis*, inquit, *calicem bibere, quem ego bibiturus sum?* Ideo interrogat, ut ex ore confessionis eorum persequatur quod futurum erat; ac si diceret : Nisi eum parati sitis suscipere, et consummari martyrio, ad dextram meam minime sedere potestis. Quod omnibus concessum est generaliter ut in dextris sint, licet hoc vobis specialiter vindicare velitis, **837** ut in throno sedeatis soli, ubi in circuitu angeli astare dicuntur. *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Mirabilis responsio! Nunquid non habet potestatem præstare illud cui vult? Quid est quod dicit, *Non est meum?* Nunquid non Pater diligit Filium, ut alibi ait : Et omnia dedit in manu ejus? Sed et ipse de se Filius : Omnia Patris, inquit, mea sunt. Quod si omnia ejus sunt, quomodo non ejus est, ut det sedere in throno suo ad dextram suam vel sinistram cui vult? Nam etsi paratum est a Patre, ut sedeant ibi qui sessuri sunt, utique et ab ipso filio ipsa paratur sessio. Dicit enim alibi : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, et si quominus dixissem vobis; vado parare vobis locum* (*Joan.* XIV, 2). Quapropter ipse locus, vel sessio, seu mansio singulorum, est jam ab initio in præscientia Dei parata singulis, et paratur quotidie per fidem eorum qui credunt ut perveniant. Et ideo recte dicit quod non est suum dare, sed eorum est promereri per fidem, qui accepturi sunt, quod eis jam paratum est a Patre, et quotidie paratur etiam ab ipso Filio. Unde dicturus legitur in novissimo : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Non enim suam denegat Christus potestatem dandi, quamvis hæresis Feliciana gaudens hic assurgat contra fidem catholicam; quasi quia nuncupativus erat Dei Filius vel adoptivus secundum hominem : ideo dicat : *Non est meum dare vobis*, cum longe aliter ipse dicat : *Non est meum.* Ac si diceret : Mea forma in qua homo sum, ut vos creditis, non est meæ possibilitatis dare quæ poscitis. Ergo cum ita sit intelligendum, non attendit cæca præsumptio causam cur hoc dixerit Salvator, cui *omnia dedit Pater in manus* (*Joan.* XIII, 3). Non enim ideo non erat suum dare, eo quod non possit, sed quia ipsi male petebant. Hinc quoque protinus causam intulit manifestius. *Nescitis*, inquit, *quid petatis.* Hæc namque causa impossibilitatis fuit, et non illa quam iste miser in adoptionem Filii Dei retorsit de Christo, quod nusquam et nunquam legit. Nequaquam igitur cum dixisset : *Non est meum dare vobis*, continuo ut consequens erat, subjunxit : *Sed quibus Pater meus dabit illud, eorum erit.* Neque ita sic diceret, per adoptionem Filium Dei Patris esse se ostenderet, quanto magis nunc cum ait : *Sed quibus* **838** *paratum est a Patre meo;* ex quo insinuat nihil ei fuisse impossibile, neque in dando difficile, sed qualitas petitionis difficultatem genuit poscentibus. Idcirco quærendum prius est in omnibus, utrum recte an non recte quod salutis est petas. Alioquin nemo in nomine Salvatoris petit, ni qui quod salutis est, et quod oportet, et prout oportet, petit. Sin alias, non est ejus dare illi qui male petit. Et ideo Dominus non generaliter de omnibus dixit, qui quam frequenter recte satis prout oportet petunt, ut diceret : Non est meum dare cuilibet hominum, sed signanter vobis. Ac si patenter diceret : Vobis utique, qui nescitis quid petere vel quomodo petere debeatis; qui me adhuc nescitis prout oportet, apud quem petatis. Neque sic conclusit sententiam locutionis suæ, ut sibi abnegaret hanc potestatem, sed addidit : *Quibus paratum est a Patre meo.* Ac si diceret : Illis est meum dare, quibus est paratum a Patre, ut me credant et intelligant æqualem Deo Patri, quibus Pater meus revelat sicut Petro, ut confiteantur me Christum Dei vivi Filium, quia tunc erit meum et illis dare, sicut dedi et Petro beatitudinem æternam et claves regni cœlorum. Quibus ergo parat Pater mentes, ut perfecte credant et recte petant, illis est Filii dare regnum cœlorum. Quia nemo Patrem recte credit sine Filio, neque Filium sine Patre. Unde dicit ipse loquens ad Patrem : *Hæc est vita æterna, ut credant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Hoc quippe iste quia non credebat, male desipuit et condemnatus est. Nec ergo illi Christus ad Patrem ascenderat, sicut nec Mariæ; et ideo nuncupativum eum Dei Filium dicebat, vel adoptivum. Nec enim tetigerat eum (infelix) per fidem, quem nec vere Deum, nec omnipotentem credebat, sed dividebat unum Dei Filium in duos. Unum siquidem dicens proprium, et alterum adoptivum; ut jam non Trinitas Deus esset,

Introdusă în format electronic de Google

sed quaternitas; quod qui sapit, totus desipit.

Hæc idcirco prolixius dixerim, ut prudens lector, tam in hoc loco quam in aliis quamplurimis, hæreticorum venena fugiat; et quæ petenda sunt, vel quomodo, vel apud quem, petenda sunt, caste intelligat et devote quærat. Quia in hac duorum fratrum petitione, omnium fere non recte petentium summa consistit, et repercutitur præsumptio male petentium. **839** Celsitudo quoque divinitatis ejus monstratur, cum æqualem se Patri vult confiteri, dum istos repellit, qui quasi hominem tantummodo Deum sapiebant; quibus juxta cordis intentionem suæ responsionis, sapientia Dei Patris sic temperavit sermonem, ut ex hoc magis Deum intelligerent. Ac si diceret : Quia vos me hominem adhuc, et nondum perfecte creditis, non est meum, id est non est humanæ potestatis, neque humanæ naturæ solius, illud dare. Sed quia simul Deus et homo sum in una persona, meum est dare; sed quibus paratum a Patre, ut ita credant et recte petant. Sed quia pene in omnibus Scripturarum locis, hæretici sua venena diffundunt, maxime ubi de Filio loquuntur, semper observanda est catholica fides, quemadmodum ipsa Scriptura divina, sicut Paulus de se ac de suis dicebat : alius est *odor vitæ ad vitam*, et alius est *odor mortis ad mortem* (*II Cor.* II, 16); quia recte intelligentibus vitam præstat æternam, depravatoribus autem suis et male intelligentibus mortem infert perpetuam. In omnibus tamen sententiarum suarum dictis, bonum ex Deo, bonis et rectis corde, de se præbet odorem : et non sicut Ariani garriunt hoc loco Filius minor Patre prædicatur; sed sic temperavit benignissimus Magister sententiam suam, ut et stultitiam eorum retunderet, et eis quæ petierant, si operam impenderent fidei, non negaret. Et non solum cæteros etiam condiscipulos, verum et omnes quicunque per fidem salvantur, egregius Magister in hac responsione, ne ullus scandalizari posset de duobus fratribus, simul collegit, et docuit ne ullus eorum illud vanis appeteret ausibus. Si enim competitio eorum non est suscepta a Domino, quamvis bona sibi peterent, cæteri apostoli indignati sunt, quare vel hoc ipsi id petere ausi sunt, quanto magis fuerant conturbandi, si petitio eorum a Domino suscepta fuisset. Nam si eorum temeritas vel præsumptio audita esset, qui talia sine auxilio vel gratia Spiritus sancti poscebant, cæteri adhuc quia carnaliter sapiebant, poterant magis scandalizari, si duobus concederetur, quod omnibus debebatur, et omnes sperare debebant. Verum quod omnibus regni illius facultas, et gloria danda est communiter, et non a duobus subripienda. Idcirco sapientia quam sapienter illis respondeat, pium est cogitare. Sic enim sententiam temperat, ut nullum offendere possit. Non enim dixit : **840** Nunquam ibi sedebitis, ne duos confunderet; neque concessit ut diceret, sedebitis, ne cæteros irritaret ad scandalum. Sed quid dicit : *Non est meum dare vobis?* Sic namque benignissimus Magister provide omnia disponit, ut et ipsi ac cæteri erudiantur, et inter fratres unanimitas et germana charitas non corrumpatur. Ad hoc quippe etiam supra interrogat, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ut illis respondentibus quia *possumus*, audiant et cæteri ac conquiescant. Intelligentes quod si et ipsi parati sint mori pro Christo, nihilominus possunt et ipsi juxta Christum sedere, nequaquam exclusi pro duobus. Sed sicut repromissum est per Prophetam ex persona Domini : *Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum* (*Psal.* c, 6). Ubi quærendum quid sit quod Marcus cum dixisset : *Potestis bibere calicem quem ego bibo*, addidit : *Et baptismo quo ego baptizo, baptizari?* (*Marc.* x, 39.) Quod Matthæus omnino prætermisit. Et videndum ne forte uterque sensus in hac una sententia explicitus videatur, quem Marcus in duabus apertius explicuisse probatur. Nam calix non immerito dicitur, dolor vel passio quæ fit ante mortem; baptismus vero ipsa mors, per quam renascitur anima in salutem. Dicitur autem βάπτισμα Græce, Latine vero *tinctio*, secundum similitudinem lanæ tinctæ, ut puta naturalem habens colorem cum tingitur et vertitur in purpuram, vel alicujus coloris accipiens dignitatem : sic et cum homo cum Christo in mortem venerit, etsi fuerit aliquo infectus colore peccati vel corruptionis, totus ad Christum transit mundus, et innovatus, jam spiritalis effectus, sicut ait Apostolus : *Seminatur in infirmitate, surgit in virtute; seminatur in ignobilitate, surgit in gloria, seminatur corpus animale, surgit spiritale* (*I Cor.* XV, 43, 44). Omnis quidem mors, utique habet in se passionem, non et tamen habet mortem in se omnis passio. Multi siquidem fuerunt qui passi sunt, et non sunt occisi, quales fuerunt multi confessores Christi, qui omnes calicem Domini biberunt, baptismo autem ejus, id est mortis non baptizati sunt, nisi in eo quo prius renati sunt. Et ideo Joannes, licet non sit per mortem carnis martyrio consummatus, tamen calicem Domini bibit, cum in multis est passus. Sed et ipsa mors non immerito calix appellatur, de qua Dominus cum ad horam passionis venisset, ait : *Pater, si possibile est, transeat calix iste a me* (*Matth.* XXVI, 39), ut monstraret suis quia, etsi dolorem **841** habet passio, magnum tamen timorem affert tentatio mortis. Quem forte timorem adhuc inexperti erant isti, et ideo tam libere interrogati si possent bibere illum, responderunt *possumus*. Felix error, ut ita dicam, istorum, qui tantum a credentibus tollit errorem. Quia nisi isti errassent, non poteramus cognoscere quod non omne quod videtur bonum temere appetendum est. Quoniam aliud est opus bonum, aliud primatus honoris, quem concupiscere vanitas est. Unde Apostolus : *Qui episcopatum*, inquit, *desiderat, bonum opus desiderat* (*I Tim.* III, 1); quia vult ut non honorem, sed ut opus honoris quis ambiat. Quia hoc bonum implere nostræ voluntatis est a Deo concessæ, nostrique operis ac laboris; primatum autem consequi in Dei esse debet judicio, et non in nostro desiderio. Unde sequitur :

Introdusă în format electronic de Google

Et advocans Jesus duodecim discipulos, ait illis : Scitis quod principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, erit omnium minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Revocat autem eos ad humilitatis satisfactionem, cum fructum humilitatis posuit primatum cœlestem : sicut et in primatu terreni honoris fructum ostendit confusionem cœlestem. Ut quicunque desiderat dignitatem cœlestem, sequatur humilitatem : et quicunque magis quæsierit honores sæculi in terra, et dominari, inveniet confusionem in cœlo. Et ideo advocat simul omnes duodecim, ne aut illos duos solummodo arguendo confunderet pro desiderio et cupiditate, qua suam excesserant mensuram, ut soli appeterent quod omnibus parabatur; aut certe reliquos decem, pro indignatione et livore, durius arguere videbatur vel increpare. Unde benignissimus Magister tale proposuit exemplum, quo doceat illum esse majorem, qui pro humilitate minimus esse voluerit, et pro religione Christi non Dominus, sed omnium servus fuerit. Ac si diceret : Non hoc erit inter vos, quod inter principes gentium, quia illi nonnisi dominari gaudent, et potestatem exercere. Ideo frustra aut hi alta seu immoderata quærunt, aut vos sine causa pro his indignamini pro superbia duorum, quod ipsi sè majora petant, cum non ad summitatem virtutum, neque ad culmen veri honoris, per potentiam et dominium, sed per humilitatem et mansuetudinem pervenitur. Et ideo ne videretur **842** alicui mandatum hujusmodi humilitatis, inter eos, qui videntur esse rectores Ecclesiarum ac principes et magistri, impossibile, semetipsum proponit in exemplum : *Sicut filius hominis*, inquit, *non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis.* Ac per hoc qui vult magister esse in schola virtutum, prius appetat minister operis fieri et servus, in ea virtute quæ per dilectionem operatur : ut ea deinceps doceat de se, quæ Salvator per suum docuit magisterium. Ait namque : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Hanc quippe formam exhibere de se quisque debet, qui jam in Ecclesia Christi locum regiminis tenet, et antequam accedat ad gratiam, vocante Deo, eam plenius enutrire oportet. Alioquin primatum honoris in Ecclesia quærere vel concupiscere, nec ratio est, nec causa, si aliter quæritur; quia neque justum esse potest, nec utile. Quod forte principibus sæculi, et si ratio non est solummodo dominari, saltem illis causa est sola voluntas, etsi justum non est, vel utile illis videtur; quod nulli sapienti jure esse potest, se ultro periculis subjicere alienæ vitæ, qui suam nescit moderari; servituti sine fructu mercedis se addicere, laboribus et doloribus se miscere; et quod majus est, dispendium vitæ suæ quotidie sustinere, quasi pro omni Ecclesia, cum ipse reus habetur, quia recte non principatur, secundum formam veri magistri, unde in capite a vero judice condemnatur. Quapropter quis est qui velit sæculariter appetere quæ Dominus et judex, ultor omnium, prohibet, nisi qui judicium pro his futurum non credit? Idcirco nemo de se præsumat incaute, etsi sanctus videatur. Quia etsi differentiam inter sanctos negare non possumus et plebeios, tamen ut cognoscat se unusquisque, utrum melior sit an deterior apud Deum, nemini est concessum. Et ideo audiendus est benignissimus Dominus et Magister, qui non venit in forma servi ministrari (quamvis angeli ministraverunt ei), sed ministrare et servire suis; animam quoque suam dare pro multis in mortem, quod nemo alter fecit justus pro injustis. Neque enim dicit pro omnibus, sed pro multis; quia etsi pro omnibus passus est, ut omnibus daret veniam, non omnes eam receperunt perfecte, sicut nec Judas, qui inter eos, quando hæc loquebatur Jesus, unus ex duodecim **843** erat. Erat quidem in numero, sed non erat in merito. Sicut et hi qui in gradibus Ecclesiæ sunt, quia lucra magis sectantur et honores quam salutem animarum, magis mercenarii vocantur a pio judice, et lupi, quam pastores.

Egredientibus autem illis ab Jericho, secuta est turba multa. Et ecce duo cæci, sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret, et clamaverunt dicentes : Domine, miserere nostri, fili David. Quæso intendat diligens auditor, divina sapientia quam provide cuncta dispensat. Nam supra dixerat : *Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis*, ac reliqua, quæ non parum jam tertio animos discipulorum commovere poterant. Et ecce mox, quam divina, priusquam impleat quæ proponit, quamque deifica operatur salutis humanæ. Sicque futuram introducit mortem suam, ut se semper Deum declaret, et animos discipulorum ad sacramenta redemptionis humanæ introducat, et eos ipsos ad Deum erigat. Unde etsi prius formidanda de se promittit, mox divina ostendit, et mira conjungit; et superioribus posteriora, ut in cordibus apostolorum, Deus et homo, unus idemque formetur Christus, et firmetur fides alternis successibus, ut tota humanitas in Divinitate sua credatur quæ divina sunt operari, sicut et Divinitas in humanitate sua, quæ humana sunt pati. Verumtamen non commistionem passus, neque divisione sejunctus, sed in unitate personæ unus est Christus. Et ideo tota series Evangeliorum, et vicissitudo causarum, et contextus sententiarum, sic alternatim ponitur, ut tota Divinitas ejus, in uno eodemque Christo inconfusa credatur, sicut et tota humanitas in Divinitate sua catholice counita personaliter prædicatur. Sicque factum est ut sit *Mediator Dei et hominum* (*I Tim.* II, 5), jungatque simul in se quæ divina sunt humanis, et quæ humana sunt divinis. Unde quam provide cum egrederetur ab Jericho, duo ei in via isti occurrerunt cæci; quorum in specie monstrabatur quod futurum erat in omni genere, ut et fides firmaretur ex miraculo, et in specie prædica-

Introdusă în format electronic de Google

retur humani generis Christus, cum exiret de mundo, illuminatio. Et ideo ad hoc descendit in Jericho, ut multam turbam secum trahat. Nam multi latrones erant in ea, qui egredientes ad descendentes ab Hierosolymis, interficere et vulnerare consueverant. Idcirco Dominus cum discipulis suis venit in eam, ut liberet vulneratos, **844** et multam turbam trahat secum. Qui nisi illuc venisset, nec turbæ sequerentur eum, nec cæci lumen reciperent. Ibi enim venit Raab illa quæ cum multis amatoribus fornicata erat: Sed nec mirum si, relictis suis, turba secuta est Dominum, quoniam multus odor divinitatis fragabat in eo. Ipse namque est rosa illa in campis Jericho plantata, de qua Sapientia loquitur per Salomonem : *Sicut palma exaltata sum in Gades, et sicut plantatio rosæ in Jericho* (*Eccli.* XXIV, 18). Quoniam ipse est *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3), *candidus et rubicundus* (*Cant.* V, 10). Candidus sanctitate, justitia et virtutibus decoratus; proprio vero sanguine suo rubicundus. Cujus in eo divinitas sicut in rosa odor, antequam videretur, sentiebatur, et antequam inveniretur, fragrabat in odoribus virtutum suarum. Unde et turba eum sequebatur, et cæci a longe transeuntem, antequam viderent, divinitatis ejus odorem sentiebant. Unde non fortuito casu, neque ex eventu, sed ex præparatione Dei, qui cuncta disponit, ecce duo cæci secus viam sedentes audierunt et senserunt quia Jesus transiret. Nam *Ecce* cum dicit, opportunitatem rei gestæ declarat, quoniam satis opportunissime a providentia Dei oblati sunt ad doctrinam futurorum ante faciem Christi, ut apertis oculis, quasi testes virtutis ejus, ascenderent cum eo in Jerusalem, contra omnium contradicentium conspiramenta : et quod majus est, ut omnium formam tenerent credentium, qui volunt ascendere ad patriam paradisi. Unde quærendum (quia multi doctorum id diverse tradunt) quorum personam isti duo teneant cæci. Alii namque dicunt, quod duorum populorum, qui crediderunt ex Judæis et gentibus, et confessi sunt eum Dominum ac filium David. Qui non in via, sed secus viam sedisse dicuntur. Cæci, eo quod illi juxta litteram legis sedentes, necdum illuminati erant spiritu veritatis ; et gentes secus legem naturæ torpentes, cæcitate perculsi idola colebant. Alii vero dicunt per eosdem Pharisæos et Sadducæos melius designari. Et nonnulli, duos similiter ex Judæis populos, Judam videlicet et Israel, esse dicunt, qui omnes in Jericho cæci sedebant; quia necdum poterant dicere Deo Patri : *In lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10). Necdum enim noverant Filium Dei vivi, et ideo quasi communi vocabulo Dominum et Filium Dei vocant. Quem sane intellectum quidam refugientes, ambos ex gentibus significatos esse, **845** senserunt, ut unus eorum esset ex Cham, et alius ex Japhet. Ideo autem cæci sedebant, quia nondum eis apparuerat unigenita lux ex Deo Patre nata. Qui jam cum præterenntem Jesum audissent, secus viam, id est juxta veritatem, versabantur. Quod et de omnibus supradictis recte intelligi potest, quia omnes sine Christo, in defectione cæci sedebant, id est in Jericho. Jericho namque *luna* interpretatur; luna autem pro defectione carnis ponitur : in qua nimirum defectione utrosque populos cæcos sedisse nulli dubium est, donec Jesus descendit, et Jericho cum suis venit. De qua Hierosolymam, ex qua descenderat, repetens, audito quia præteriret, secundum humanitatem, cœperunt simul duo cæci clamare : *Domine, fili David, miserere nostri*. Et inde juxta viam sedent, quia ipsum, qui via est, jam prætereuntem sentiebant. Quem nisi sentirent, et se cæcos intelligerent, non clamarent : et nisi juxta viam, quæ Christus est (quia ad eos venerat) jam essent; quia tempus miserandi advenerat, nisi sentirent, nec sequi possent, quia in tenebris erant. Sed cum dies advenit lucis, et clamare incipiunt, et recepto lumine, sequi queunt, qui sedebant in tenebris et umbra mortis; eo quod olim omnes viam perdiderant : Judæi, quia justitiam suam statuere volentes, justitiæ Dei non sunt subjecti : gentes vero, quia relicto Deo, longius recesserant idola colentes. Qui utrique audientes quod Jesus præteriret in carnem Verbum factum, clamaverunt simul dicentes : *Miserere nostri, fili David*.

O quam mira et admirabilis Dei gemina operatio, ut et Deus homo transeat in humanitate, et homo Deus stet in Divinitate ! Quia transire humanitatis ejus est, stare vero Divinitatis, eo quod semper ubique et incommutabilis est. Ad cujus transitum gentes cum audissent currentium strepitum, et undique cæteris festinantibus, quia præ cunctis soli sedebant cæci, indissolubili caligine tenebrati et ligati, nihil solutum de toto corpore habentes præter vocem, ideo sequi eum non poterant. Vocem tantum habebant confessionis, et cor jam credulum, dicentes, *Miserere nostri, Domine, fili David*. Sed *qui præibant increpabant eos, ut tacerent*. Ergo qui præibant gentibus Judæi sunt, qui semper invidia moti, vetant adhuc hodie Christum invocare Dominum, et filium David confiteri. Increpabant **846** autem ut taceatur de Christo. Sed et quotidie in cordibus nostris antecedunt turbæ cogitationum nostrarum, maxime cum Jesus transit, nec stat in nobis; et cum incipimus ad eum clamare, increpant nos, et non sinunt libere clamare, quoniam obscuratum est insipiens cor nostrum, et non possumus obcæcati lumen, quod Christus est, videre. Sed si fide constanter insistimus, et clamamus intus perseveranter clamore cordis, continuo stat nobis Jesus, qui ante transibat, ita ut deinceps jam non talibus aliquando patiamur phantasmatibus. Non est enim honorare Christum, cum a precibus et clamoribus cordis cessare jubemur. Fatuus est namque iste honor, istaque sapientia, si putamus injuriam pati Christum, cum exercitatur intus precibus. Unde, fratres, cum a talibus prohibemur cogitationum phantasmatibus, magis magisque clamandum est, et dicendum : *Miserere nostri, Domine, fili David*. Talis

Introdusă în format electronic de Google

ergo est natura fidei; unde et in persecutionibus Ecclesiam Christi magis crevisse cognoscimus : quoniam quanto magis affligebatur, tanto amplius est intus semper accensa : et ideo in nullo est victa, sed inter ipsa pericula fidei calore corroborata. Dilatatur, nec vincitur terroribus. Quibus Jesus stans jussit eos venire ad se; quo jubente nullus prohibere poterat. Et ideo recte stetisse dicitur, ne turba eos prohibeat. Quia, ut dixi, stare ejus divinitatis est, cui nulla vis inimici potest resistere. *Et interrogabat quid vellent.* Nequaquam igitur dixerim, quod hæc interrogatio de ignorantia venerit, cum ipsa cæcitas in aperto erat, sed ex dispensatione mysterii, ut fides amplior prædicetur. Ubi jam non filium David, sed solummodo Dominum vocant. *Domine*, inquiunt, *ut aperiantur oculi nostri.* Quia cæcorum oculos aperire, solius Divinitatis est, et non sicut quidam garriunt, larvalis quædam curatio, sed plena sacramentis Dei et hominis Christi Jesu mystica et gemina operatio. Et ideo tangit oculos eorum quasi homo, et curat eos virtute sua quasi Deus. Neque enim homo Christus sine Deo aliquid operatur, neque Deus Christus sine homine. Ac per hoc Deus et homo unus est Christus; unus idemque est filius David et Dei Filius. Ac per hoc Dominus et filius David, non duo, sed unus est Christus, quem deprecantur cæci ut eorum misereatur. In hac quippe fide, omnes illuminati sunt qui sedebant **847** in tenebris, in umbra mortis. Ideo quippe illuminati, ut possint exire de Jericho, quo multæ foveæ sunt, multique laquei, et sequi Christum ad illam cœlestem Jerusalem ; non ad illam quam ipse mox ruituram deplorat, sed ad illam quæ sursum est et est mater omnium electorum. Quem sane locum Marcus et Lucas longe aliter posuerunt : ita ut secundum quosdam hanc videantur exponere historiam ; secundum alios vero, alteram texere : ita ut corporaliter diversitas gestorum intelligenda sit, dum alia vice duos istos cæcos sanatos dicunt a Christo. Alia autem unum illum quem Marcus posuit, exeunte Domino ab Jericho, in via solum sanasse; cujus et nomen dicit et patrem insinuat. Tertia vero vice, eum quem scribit Lucas, ita dicens : *Et factum est*, inquit, *cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* Ubi etsi diverso videtur curatus in tempore; uno tamen loco, id est secus viam, quo et in tribus res gesta videtur. Sed et Matthæus et Marcus egrediente Jesu de Jericho hoc factum dicunt, Lucas vero ingrediente. Unde potest fieri, quia Lucas dicit appropinquante Jesu Jericho cæcum curatum, et Marcus egrediente illo similiter alium esse curatum, ut duos istos cæcos Matthæus in una narratione, propter compendium brevitatis, simul colligeret, cum uterque eorum secus viam cæcus sedisse dicitur, et clamasse. Forte quod unus evangelista ait: *Domine*, alter, *Rabbi*, quod simul dici potest, Miserere Domine Rabboni, fili David; sicut quamsæpe faciunt, quod unus præmittit, ut alter illud describat. Neque discrepat a vero juxta modum locutionis, si Matthæus A de utrisque dicat, egrediente Jesu, quod eo in tempore ita in via factum est ut narratur. Quod si alicui hoc minus congruere videtur, nihil impedit si tot esse dicantur, tantum ut illuminatos eos esse concedat; cum in figura eorum et in specie, totum genus humanum a Domino sanatum esse credimus. Potest tamen recte æstimari, quamvis ille secundum Lucam alius fuerit, et alio in tempore, ut unus iste quem Marcus ponit; quod fuerit Timæi filius, Bartimæus nomine, ipse sit unus ex duobus quos Matthæus narrat. Sed Marcum ideo hunc solum posuisse, quoniam ipse notior erat et famosissimus, sicut ex **848** nomine declaratur, ut dicatur filius Timæi, quia *Bar* in Hebræo sermone vel Syro *filius* dicitur. Unde factum est satis decenter, ut hic composite Bar timæus a patre sit vocatus. Tamen et in mysterio nihil distat a vero, si per hunc unum figura totius humani generis accipiatur. Quia sicut huic præstitit Salvator, quæ natura non dederat, vel perdiderat debilitas : ita concessit omnibus per gratiam ampliora salutis, dum culpam remisit, dona præstitit. Tantum si, egrediente illo ab Jericho, una cum illis qui cum eo ad illam cœlestem Jerusalem quotidie comitantur, sequi volumus, ut ad eam cum laudibus feliciter pervenire possimus. Nam, ascendente eo de Jericho, id est de mundo, per resurrectionem et ascensionem ad cœlos, sequuntur eum turbæ multæ, quia crediderunt in eum mox populi et gentes. Et ideo Matthæus (quotquot fuerint) bene duos cæcos sedentes juxta viam narrat, significat de utroque populo quosdam jam cohærentes dispositioni temporali per fidem, secundum quam Christus nobis via est. Et inde est, quod desiderantes illuminari, id est aliquid de ejus æternitate et Verbi incarnatione intelligere, clamabant. Quia transeunte Jesu secundum humanitatem impetrare gaudebant, id est per meritum fidei, qua creditur Filius Dei factus homo, natus ex semine David, et passus propter nos, ascendit Jerosolymam, id est ad cœlos, per quam dispensationem quasi transit Jesus, quia talis actio temporalis fuit. Unde oportuit, et semper per necessarium est, ut tantum clamet unusquisque nostrum, donec resistentis sibi turbæ strepitum vincat, id est tam perseveranter intendat animo, orando, quærendo, et ad eum pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, quæ tanquam turba obstrepit intentionibus nostris et clamoribus, lucem veritatis æternæ videre conemur, ipsamque turbam, seu hominum carnalium, seu cogitationum, seu concupiscentiarum, fortissima intentione vincamus. Itaque benignissimus Jesus noster, qui ait : *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis*, venientes ad se, scilicet ardore desiderii, et pervenientes ad id quod intus recte desiderant, continuo stans, tangit oculos cordis nostri, et illuminat : non enim, ut dixi, sicut illa dispensatio temporalis transit, ita etiam **849** verbi æternitas, quæ in seipsa manens, innovat omnia. Quapropter quia fides incarnationis Christi temporalis ad æterna in-

Introdusă în format electronic de Google

telligenda nos præparat transeunte Jesu, et nos admoniti sumus ut illuminemur. Ac per hoc, quia temporalia cuncta transeunt, et æterna stant, sequamur Jesum usque ad Jerusalem quo festinat ascendere, ut a stante in via illuminemur, et cum eo illuc ascendendo, quantocius perveniamus.

(CAP. XXI.) *Et cum appropinquasset Hierosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos suos, et ait illis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea.* Post mirabilia Salvatoris et opera gloriosa, non absque magno est sacramento, quod Evangelistæ tam diligenter voluerunt describere de asina et pullo, seu de his quæ gesta sunt vel dicta Hierosolymis cum appropinquasset. Nam licet frequenter eam intrasset civitatem, nunquam tamen legimus vehiculo aliquo eguisse neque quæsisse, etsi lassus ex itinere, vel fatigatus sedisse super puteum legatur; qui semper pedibus omnia circuibat castella, sicut fecisse legimus, quando ab Hierosolymis transiens per Samariam ibat in Galilæam. Quid autem quod nunc ipse Jesus tam diligentissime asinam et pullum sibi exhibere jubet; etiam et ligatam eam solvere mandat? Numquid tam hebetes erant discipuli, cum ligatam eam cernerent, quia aliter non poterant adducere, ut non prius eam solverent? Insuper et jubet dicenti sibi, quare solvitis, ut dicant, *Quia Dominus his opus habet.* Patet profecto, quia talis tantaque res gesta, divinis plena est sacramentis, præsertim cum de hac re Zacharias longe ante prædixerit, *Gaude valde, filia Sion, jubila, filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ.* Ubi Septuaginta subjugalem dixerunt, et pullum ejus novellum. Sed Matthæus, nec secundum quod in Hebræo est, hoc exemplum posuit, nec sicut in Septuaginta. Quia non est idem dicere, Gaude valde, filia Sion, jubila, seu prædica, filia Jerusalem, quod est dicere, Dicite, filiæ Sion, vel, Noli timere, filia Sion, seu cætera, quæ longe aliter etiam et Joannes posuit, tantum mentionem hujus prophetiæ faciens; sicut et Matthæus, qui sensum solummodo collegit, **850** et ideo nec ipsum prophetam Zachariam prænotavit, sed tantum, quod dictum est per prophetam, dixit. Unde quærere oportet, quare gaudere valde filiam Sion propheta jubeat, et jubilare filiam Jerusalem propter eum qui sedit super asinam et pullum novellum, cum post modicum videns Jerusalem Dominus flevit et dixit ei : *Quia si cognovisses, et tu*, id est fleres; et alibi : *Jerusalem, Jerusalem*, plangentis affectu ait, *quæ occidis prophetas*, etc. (*Matth.* XXIII, 37.) In quibus profecto verbis, non gaudium, neque jubilatio, sed lamentum et luctus miseræ civitatis prædicatur. Quod sciens Evangelista, potius, *Dicite, filiæ Sion* maluit dicere, quam *Gaude*. Sciens procul dubio cum ei nuntiatum fuerit, et ipse advenerit, quod occisura sit Dominum. Unde propheta forte non ad illam quæ Dominum crucifixit, sermonem suum dirigit, sed ad illam cœlestem Jerusalem, quæ crucifixum Dominum venerabiliter gaudens suscepit. De qua dicit Apostolus ad Hebræos : *Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei vivi, Jerusalem cœlestem* (*Hebr.* XII, 22). Quia juxta eumdem Apostolum, *Illa quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra* (*Gal.* IV, 26), cui omnia congruunt hæc mysteria Salvatoris. Et ideo ante passionem Christi, duabus de causis talis non abs re, tantusque ejus celebratur triumphus. Quarum una est illa quæ deorsum est ancilla, et servit cum filiis suis (quia tempus passionis ejus imminebat) audiens tantam gloriam tantasque laudes ad ejus ingressum, ut amplius illorum adversus se, jam jamque excitaret invidiæ rabiem, quia jam tempus instabat passionis, ut perficerent quod ante multis moliebantur insidiis. Alias autem Jesus frequenter venerat in Jerusalem, ut dixi, nunquam sibi adhibuit ministeria jumentorum; nec virentium circa se ornamenta constituit, nec terribili laude divinitatis suæ animos excitavit concurrentium. Quod ideo non absurde creditur, ut diximus, factum, ut relaxaret noxios jam ad mortem suam, ut possent facere quod prius quam sæpe voluerant. Quibus nunc cum impletum est tempus, quando ab ipso, ut fieret, olim decretum est, datur facultas ut facerent; nec mutatur voluntas, nec impellitur ad facinus, nisi quantum a propria ipsi inflammantur invidia et odio pravitatis. Alia vero causa est, ascendente **851** illo de Jericho in Jerusalem, quod cum tanto ascendit triumpho, ac si cum palmis victoriæ et laudibus, ut illam declaret ascensionem, quando jam devicto mundo ad illam Jerusalem victor ascendit quæ sursum est. Et ideo quia passio Christi, triumphus victoriæ ejus erat, sic ascendit ad passionem, ut in ipsa ascensione omnia præmonstret signis, quæ futura erant post resurrectionem, quando jam victor gloriosissimus ascendit ad cœlos. Nam terreni reges devictis hostibus victoriarum suarum triumphos erigunt, suasque laudes concelebrare gaudent. At vero Christus, cujus victoria est in sua potestate; *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* (*Rom.* IV, 18), antequam monomachiam intrepidus pro omnibus suscipiat, quæ propheta Zacharias olim, ut dixi, prædixerat, rebus explere voluit; ut sui recognoscerent, quia sicut prædictum fuerat, et de rerum expletione ipse propheta Christus, ampliorem gloriæ suæ, et gloriosiorem triumphi sui prophetiam omnibus in futuro commendaret legentibus. Quamvis enim prophetalis sermo et ad illum ascensionis Christi triumphum se extendat, tamen ut Evangelista sensit, et de his accipiendum est, quæ nunc geruntur, ut ad litteram completa jam cernantur, et quæ futura sunt per Christum, altius in eisdem factis præfigurata intelligantur. Ac per hoc miro et ineffabili modo res quæ geritur utrasque amplectitur partes, ut et præteriti vaticinii teneat veritatem, et ipsa demum veritas vaticinium habeat et figuram futuru-

Introdusă în format electronic de Google

rum. Unde curramus per singula si quo modo intelligere possimus quam divina sint ac mystica quæ aguntur.

Cum appropinquasset Hierosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos suos, dicens: Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea, solvite, et adducite mihi. Egrediente igitur Jesu de Jericho, id est, ut dixi, de hoc mundo, turbis eductis inde quamplurimis, et cæcis jam reddita sanitate, cum appropinquasset Hierosolymis magnis ditatus mercibus ex salute credentium, vult redire et ingredi cupit jam jamque urbem pacis et locum visionis Dei, et arcem speculationis. Sed prius cum venisset Bethphage ad domum maxillarum, qui sacerdotum viculus erat, et confessionis portabat typum, et erat situs in monte Oliveti, ubi lumen scientiæ, ubi laborum et dolorum **852** est requies; inde misit duos discipulos suos, et jubet adduci illuc jam solutos asinam et pullum; quoniam ibi erat fons ille qui legitur in libro Judicum, ex maxilla asini largissime profluxisse, unde et vocatus est locus ille fons maxillæ, de quo bibit satis abundeque Samson ille fortissimus, quo et dedicata est domus, quæ domus jure vocatur maxillæ, ut inde fluat omnibus *fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). Sed et Marcus nihilominus significantius, ex Bethania eos missos commemorat, ut ipsi obediendo ad domum obedientiæ, eos qui crediderint et soluti fuerint a vinculis delictorum, perducant. Hoc quippe Bethania interpretatur. Ergo ad domum obedientiæ illi perducuntur, qui fuerint soluti a vinculis suorum delictorum, et recreati fonte salutis, qui jam favente Deo fluit ex maxilla asini, ipsi perveniunt ad domum sacerdotalem, quæ est domus maxillarum, vel patientiæ, ut inde ascendat Jesus super eos, quos secundum præceptum Domini et Salvatoris Dei, solverint discipuli ejus et perduxerint ad eum. Mons autem in quo sita sunt ea loca, est Christi Ecclesia, in qua fructificantes fideles, dicere possunt cum Propheta, *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Psal.* LI, 10). Quoniam illi qui primitus adducti sunt officio Apostolorum ad Christum, habentes initia fidei, fuerunt sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ Christi, cujus et filii sunt facti. Ad quos licet solvendos et adducendos, omnes Apostoli sint missi, duo tamen in hac figura introducuntur, vel propter geminam charitatem quam omnes prædicaverunt, vel propter θεωρητικὴν et πρακτικὴν, id est scientiam et opera. Quos mittit in castellum quod contra apostolos fuisse nemo dubitat, id est mundus, qui nec doctrinarum jugum volebat accipere, nec acquiescere virtutibus bonæ operationis. Sed melius duos illos discipulos inprimis forte qui mittuntur a Domino, quamvis et ista probabilis sit traditio, enarrare mysteria salutis, et solvere eos qui vincti erant compedibus, et congruentius accipere possumus in ministerio Petrum et Paulum, qui sibi dextras dederunt ad invicem societatis, ut Petrus quidem iret in circumcisionem, ad synagogam, quæ subjugalis ideo vocata est, quia sub jugo legis edomita erat; Paulus vero ad Gentes, quas Septuaginta vocant pullum novellum, eo quod indomitæ noviter **853** venerint ad Christum. Erant autem ambo, id est populus ex Judæis, et populus ex Gentibus, adhuc rurales et agrestes a fide; ideo in villa alligati erant peccatorum vinculis, et non in civitate Sion, vel Jerusalem, quæ est Ecclesia Dei vivi. Ad quos missi apostoli, solvunt utrosque, et ad Christum perducunt, ut ascendat super eos in domo obedientiæ, cum soluti fuerint a nexibus peccatorum, accipientes remissionem eorum; quia super alligatos adhuc, et vinculis peccatorum suorum compeditos, non sedet Jesus. Nec mireris, lector, quod dixi etiam pullum lascivientem nexibus alligatum, quia secundum Lucam et Marcum etiam ipse introducitur alligatus, super quem nemo hominum sederat. Qui propterea ligatus quam bene dicitur fuisse, quoniam ii quorum figuram tenet, diaboliris erant connexi funibus, et nemo hominum sederat super eos. Quia nemo prophetarum, neque aliquis hominum ad eos missus fuerat, et ideo nihil in eis rationale neque institutionis secundum disciplinam eruditionis Dei adhuc erat. Sed totum gratis a Deo sine suis meritis sunt consecuti, ut verbum Dei super eos, id est in cordibus eorum sederet; ut eo ducente, ac si præsidente in curru suo, ascendant feliciter, portantes Deum in corpore suo, in illam cœlestem Jerusalem. Nec mireris, si gentes dicantur ex Judæis, ac si pullus ex matre; quia Judæa secundum Deum, ex fide mater est gentium. Sic enim dicit Dominus per Isaiam prophetam de synagoga Judæorum: *Et constituam principes tuos, sicut prius, et consiliarios tuos sicut ab initio. Et tunc vocaberis civitas justitiæ, et mater civitatum* (*Isa.* I, 26), id est Ecclesiarum fidelis Sion. Propter quasdam igitur similitudines Judæi et Gentes assimilati sunt hujusmodi animalibus; quoniam et Judæi, et Gentes, nimis ante adventum Christi versabantur in mundo, multis oneribus prægravati et alligati vinculis. Est enim hoc animal præ cæteris pene jumentis irrationabile, et brutum nimis, ac stultum, et ignobile satis, oneriferum valde, et infirmum. Sic quoque fuerunt pene omnes homines ante notitiam Christi, etiam ipsi Judæi. Propterea quam sæpe in excelsis sacrificabant, et colebant idola, obliti opera legis, et Deum utique frequenter ignorantes. Et ideo nec mirum si jumenta dicantur homines; maxime cum Propheta dicat Domino: *Ut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXII, 23). **854** Nam quantum ad Deum, jumenta sumus non solum nos, verum etiam nobis multo prudentiores, quanto magis et ii, qui tam irrationabiliter conversabantur in carne, secundum carnem viventes. Hinc ergo est, quod secundum Lucam idem pullus frenorum impatiens, multos habebat dominos, non uno errori vel dogmati subditus; et tamen licet multi domini in eo potestatem

Introdusă în format electronic de Google

illicitam longe diu vindicassent, videntes verum Dominum et servos ejus venisse, qui ad solvendum missi fuerant, non audent resistere, sicut nec cujus erant, restitit. Unde Salvator dicit : *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet*, ad mysterium utique potius quam ad invitandum. Ita namque hoc dicit in figura, quasi nullus eis alius esset dominus, etsi illicite aliqui eorum dominabantur, qui alligati erant vinculis peccatorum, ut seipsum ostendat solum et verum Dominum. Et ideo, *confestim dimittet eos;* quia nullus resistere poterat potentiæ ejus, licet alii codices habeant, *Et confestim remittet eos.* Ut sit sensus, postquam venerint ad Christum, quia Dominus his opus habet, et fuerint meliorati per fidem, atque ejus disciplina ad plenum imbuti, rursus cum susceperint super se Christum sessorem, debeant remitti ad populum Judæorum, vel ad Gentes nondum credentes, ut reversi jam fideles prædicarent eis Dominum Jesum Christum, hinc et opus eorum Dominus habuisse dicitur. Sed non omnes evangelizandi gratiam habuere. Idcirco melius Dominus eorum habuisse opus intelligitur, ut faciant voluntatem Patris credendo et operando, sicut ipse ait, opus meum est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis est. Porro de testimonio prophetæ, quod Matthæus subjunxit : *Hoc factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam*, jam diximus ; et adhuc videamus quomodo ad utramque Christi pertineat ascensionem. Dominus quidem ascensurus ad mortem in Jerusalem, voluit olim prophetiam de hoc ascensu magnam præmittere, quam mundo universo quasi in testamento relinqueret pacis et concordiæ, dum viderent jam completa, quæ prædicta erant, et quæ completa erant, et quæ prædicta, rursus in ascensione sua generaliter, quæ in rebus prophetata præcesserant, omnia perfectius esse complenda, ut Judæos et Gentes simul, suo dignos judicaret obsequio. Sed quia Judæi contradicturi erant Christo ascendent **855** in templum, ideo præmissa est prophetia, quæ rebus tunc expleta est, et talis, ut nobis adhuc hodie sit in testimonium ; et quæ tunc expleta sunt in sapientia Dei secundum humanitatem, adhuc hodie expleantur in sacramento salutis. Unde ait propheta : *Dicite, filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi.* Nam *ecce*, ostendentis est verbum; ac si diceret : Videte, non carnali aspectu, sed spirituali intellectu, opera virtutum ejus, et non formam servi. Ante tempora namque dicta sunt, quæ modo complentur ; et quæ dicta sunt in Christo, jam propheta spiritali cernebat visu, quamvis necdum natus esset in carne. Et ideo dicebat *ecce*, ut ostenderet, quia ille, de quo loquebatur antequam nasceretur, jam erat. Quod si miseri intelligerent Judæi, nequaquam interrogarent, in qua potestate ista facis? Quia etsi magna videbantur quæ fiebant, majora tamen sunt et ista quæ in his præfigurabantur. Unde considerare oportet, fratres mei, quam perspicuus fuerit prophetarum aspectus, quam providus, quo in una eademque re tanta prævidebant, ut et ista cernerent ad liquidum fienda, et in istis quæ rursus futura erant, significanda. Et ideo ad illam in cœlos ascensionem superextendens oculum, addidit : Et exterminabit, inquit, currus ex Ephraim, et equum ex Jerusalem ; et exterminabitur arcus bellicus, et principabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad exitus terræ. Deinde propheta convertit sermonem ad ipsum regem humilem et mansuetum, atque salvantem ; Et tu, inquit, in sanguine testamenti dimisisti vinctos de lacu in quo non est aqua. Hæc idcirco dixerim ut intelligat prudens lector, quod ad utramque ascensionem prophetalis sermo pertineat ; sed totus illius ad cœlum, hic jam quasi victori, celebratur triumphus. Quærendum sane quomodo secundum litteram stare possit quod dicit : *Quia euntes discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus, et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.* Quia licet super utrumque animal vestimenta sua posuerint, omnino in tam parvo spatio itineris super eorum utrumque sedere non potuit, nec enim natura hoc sinit humana. Aut enim asinæ insedit, et pullus absque sessore fuit ; aut si pullo, qui magis indomitus erat ad sedendum, et lascivus, asina ducta est libera. Unde cum historia impossibilitatem habeat, etiam et **856** turpitudo si fieret ; scire oportet, quod ad altiora Evangelista nos transmittit intelligenda, sicut et de cæcis supra fecisse credimus ; ut asina ista, quæ subjugalis fuit et edomita, et jugum legis traxerat, ut dixi, synagoga intelligatur : pullus autem asinæ, lascivus et liber, Gentium populus, quibus utrisque feliciter sedit Dominus. Quos Apostoli nudos utrosque invenerunt, et sordidos, quia erant absque ullo operimento salutis, frigore infidelitatis congelati. Quamvis enim Judæi viderentur cooperti foliis fici, id est mandatis asperæ legis, nudi tamen erant a gratia, ipsaque nuditate deturpati, qua se vidit Adam in paradiso nudatum, et ideo seipsum mox ferre non potuit, sed obtexit se foliis ficus, unde et Judæi ac si naturaliter adhuc et ipsi in peccatis erant ; pro quo Paulus, *Fuimus et nos*, inquit, *natura filii iræ* (*Ephes.* II, 3), *ut cæteri.* Qui ergo exspoliantur a gratia, quod nudi sint ostendit Dominus, cum de synagoga loquitur per Osee prophetam, *Et auferam*, inquit, *vestimenta mea et linteamina, et ostendam gentibus turpitudinem ejus.* Hinc liquido patet, quod Apostoli imposuerunt vestimenta sua super eos in prophetia rerum futurarum, id est mandata, et gratiam, quam ipsi a Christo jam acceperant, et super Judæos et Gentes imposuerunt dum tradiderunt eis baptisma salutis, ut Christum induerent, et mandata ejus servarent. Sicque Christum Dominum desuper sedere fecerunt, id est habitare per fidem in cordibus eorum. Nec enim aliter requiescere, vel sedere in eis potuisset Christus, nisi expulsa vetustate, obtecti fide, mandata ejus et gratiam suscepissent. De cujus

Introdusă în format electronic de Google

equitatu olim Abacuc cecinerat, quod ascenderit super equos suos, *Et equitatio tua*, inquit, *salus*. Sed et Jacob, cum benediceret Judam filium suum, de his duobus animalibus figura Christi prophetavit dicens: *Alligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam* (*Gen.* XXIX, 11). Ergo quod ipse expressit vitis, testatur ipse de se in Evangelio, cum ait: *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV, 1). Ad quam vitem alligavit utique vineam, quæ translata est in Ægypto et transplantata est in Oriente. Ad quam rursus vineam alligavit pullum suum novellum, id est Ecclesiam de Gentibus, et fecit sicut Noe ait, habitare Japheth in tabernaculis Sem. Et hæc omnia non in virtute apostolorum, sed in verbo Christi facta sunt : ministerium quidem fuit illorum, ut irent ac **857** dicerent, *quia Dominus his opus habet*, ac solverent, deinde ut vestimentis eos vestirent. Virtus autem Christi fuit, ut solverentur, et auctoritas. Nec enim tollere potuissent jumenta aliena, ab eo domino qui eos non cognoscebat qui essent, nisi Dominus Christus et Spiritus ejus prævenisset in prophetia futurorum corda dominorum, et præparasset ad relaxandum. Ac per hoc quidquid apostoli potuerunt in mundo tam pauci et viles, totum virtus Christi fuit, et gratia Salvatoris Dei.

Plurima autem turba sternebant vestimenta sua in via; alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Multus ergo populus ascendebat cum Christo in Jerusalem : sed valde multiplicior est, qui per eos in spiritu prophetiæ figurabatur. Ubi tres provide satis introducuntur ordines; unus eorum qui ramos cædebant de arboribus, et aliquam præparabant itineris pulchritudinem, per quod proficiscebatur una cum plebibus in Jerusalem. Qui licet perfecti essent in fide, et sancti in virtute, ac docti, doctiores tamen sunt et sanctiores, atque perfectiores in alio ordine, qui habitu Christi induti, ornamenta doctrinarum suarum et virtutem vestes prosternebant in via, per quam asina et pullus, id est plebs fidelium transiret ad illam patriam cœlestem, quatenus mundissime incederent, ne in aspera incurrerent loca, laborarunt. Verum agunt hæc ut nec terram saltem contingant neque rerum terrenarum aliquid pulvereum; sed sint illis omnia plana viarum itinera et prava in directum fiant. Qui licet perfectiores sint et doctiores tales, qui eo aguntur spiritu, nemo tamen ad culmen eorum potest contingere, qui eos primum jussu Dei et solvunt et adducunt ad Christum, et sternunt ornamenta virtutum suarum super eos, eumque desuper sedere faciunt. Et quia omnis comparatio, etiam secundum sæcularem litteraturam, in tribus comparatur gradibus, jure omnis ordo apostolorum, eosque imitantium, perfectissimus vocatur atque sanctissimus. In quibus profecto tribus ordinibus, favente Deo, nemo nisi bonus et devotus in fide, Deo comparatur, ut Christi Ecclesia ad illam cœlestem Jerusalem, recto itinere, ipso præsidente, dirigatur. Hæc pro captu nostro de his dixisse sufficiat, licet alii longe aliter hunc locum edisseruerunt. Qui et vestimenta, et frondes de arboribus, quæ projecta sunt in via, mandata legis, et figuras atque diversas **858** species et cæremonias Judaicæ religionis volunt intelligi. Quæ omnia a Christianis fuerant conculcanda in via, id est in Christo : et ideo tunc eos sub pedibus jumentorum stravisse ea, ut intelligeremus quod mandatis apostolorum et doctrinis sternuntur Christiani, et exhortantur; legis autem mandata, et cæremoniæ, omnia sunt pedibus conculcanda. Non solum igitur mandata et cæremonias, verum etiam et omnem gloriam quam habebant ex lege, hi qui venerant ex circumcisione, projecerunt, ut Christo lucrifierent. Quam sane expositionem lectoris arbitrio derelinquo; tantum ut quæ gesta sunt, figuram totius Ecclesiæ esse intelligat, et prophetiam magnarum rerum. Unde et, *Qui præcedebant, et qui sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Turbæ quæ exierant cum eo de Jericho, et viderant mirabilia quæ ostendit eis, cæcos illuminatos, et Lazarum resurgentem, valde permoti miraculis, et sanitatibus quas præstitit eis, exsultando se forte transfundunt in laudes, ut impleatur ad litteram, quod per prophetam jam supra dixisse meminimus, Gaude valde, filia Sion, jubila, filia Jerusalem; quoniam non sine magna cordis exsultatione populus, et qui præibat, et qui sequebatur, forte talia clamabat. Nam in his uterque populus intelligitur, qui et ante Evangelium, et post in Christum crediderunt; ipsi namque sunt qui et præcedunt et sequuntur. Omnes tamen unum dicunt, neque aliud qui præcedunt, et aliud qui sequuntur : sed omnes simul clamabant consona voce. Humanam quidem Christi dispensationem laudantes, et divinam prædicabant, in eo quod prædicabant, *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Non enim aliter nisi Deus esset, in nomine Domini venire potuisset. Sed quia Deus homo factus est, mirabiliter restitutionem ejus prædicant, in illa cœlesti Jerusalem sancta; in eo quod dicitur *Hosanna in excelsis.* Quem sane versum turba de psalmo centesimo septimo decimo assumit, qui manifeste de Christo prophetatur, et in synagogis Judæorum celeberrime ac crebo legebatur : unde et illi populo notior erat. Et ideo assumunt eosdem versus, ex quibus ostendatur, quod ille, qui tam ibi, quam et alibi, repromittebatur de genere David venturus, jam venerit salvaturus Israel, dicente David in eodem psalmo : *Lapidem quem reprobaverunt* **859** *ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris*, etc. (*Psal.* XI, 22, 23.) Unde et evangelistarum scriptura commemorat, mox Pharisæos et Scribas ob hoc indignatos, quod viderunt populum, psalmi prophetiam super Christo intellexisse completam, et clamantes pueros, *Hosanna filio David*, et dixisse ei, *Audis quid isti dicunt?* et Jesum respondisse eis, *nunquam legistis, Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem.* Ecce ut cernis, lector, de asser-

Introdusă în format electronic de Google

tione quæ facile exprimi poterat, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, omnium Evangelistarum scriptura consentit; de verbo autem *Osanna*, quia in Græcum transferri non poterat, sicut nec *Alleluia*, nec *Amen* aliter interpretari, sicut et in plerisque factum videmus, ipsum verbum Hæbræum posuerunt dicentes *Osanna*. Lucas vero, qui inter eos Græci sermonis eruditissimus fuit, et in Græco Evangelium scripsit, quia se vidit proprietatem sermonis transferre non posse, melius arbitratus est tacere, teste Hieronymo, quam id ponere quod legenti faceret quæstionem. Nam Osanna, sicut idem ait, corrupte legitur Osanna propter ignorantiam, et interpretatur *salvifica*, sive *salvum fac*, sicut ex omnium interpretatione signatum est. Nam *anna*, interjectio est apud Hebræos deprecantis, sicut et apud nos est, *heu*, dolentis, atque, *papæ*, admirantis, et cætera hujusmodi. Unde et apud eos dicitur, *Anna Adonai*, quod nostri dixerunt, o Domine, *oti*. Igitur salvifica interpretatur, sive salvum fac. Porro, *anna*, interjectio est, ut dixi, deprecantis. Quod si ex his duobus volueris compositum verbum facere, dices *osianna*, sive ut jam consuetudo est *osanna*, media vocali littera, ut mos est metricis, intercepta. Quod et Græci faciunt quam frequenter, etiam et in prosa. Et ideo *anna*, quia deprecantis est, possumus hunc versum Hebraicum sensum ita legere, Obsecro, Domine, salvum me fac, Obsecro, Domine, prosperare: quia sic est gemina posita apud eos interjectio, *Anna Adonai*, *anna Adonai*, sicut et *o Domine*, *apud nos*. Nam salvum fac quod dicitur, sic est dictum ut subaudiamus, populum tuum Israel, sive generaliter mundum. Sed quod in nostris codicibus habetur *osanna filio David*, juxta hunc sensum quibusdam visum est esse latinius, ut dicatur, *osanna*, *fili David*, vocativo casu, et sit sensus, obsecro, Domine, fili David, salvum fac : quod et plures **860** in suis codicibus emendare jam ausi sunt. Quod non immerito temerarium esse videtur, cum et Græci codices et Latini, quoscunque inspicere potui, dativum habeant casum. Secundum quod et Matthæus, qui hoc Evangelium Hebræo sermone scripsit, hoc verbum in fine proposuit *osanna rania*, quod est, secundo dicere *salus in excelsis*. Eo quod Salvatore nascente in cœlum usque salus pervenerit, etiam ad excelsa, pace facta, non solum in terra, verum et in cœlo, ut jam aliquando cessaret dicere, inebriatus est gladius meus in cœlo. Ac per hoc cum dicitur prius, *osanna filio David*, repetunt turbæ idipsum gratulabundis vocibus, *osanna in excelsis*. Ubi si recte inspicitur, melius, *osanna filio David*, quam *fili David* vocativo casu, sonare videtur. Neque idipsum verbum *osanna*, ex duobus verbis Græco videlicet et Hebræo, ut quidam putarunt, compositum æstimare debemus; sed totum Hebræum esse et satis obscurissimum; quod, qui legerit epistolam beati Hieronymi ad Damasum papam missam, animadvertere poterit, et alia quam plura, quæ brevitatis causa omittimus.

A *Et cum introisset Hierosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?* Introeunte Jesu cum turbis et laudibus, non immerito de tam insolitis Hierosolymorum civitas commovetur clamoribus, mirans tantam populi frequentiam, et tam inauditam equitatus ipsius continentiam. Qui profecto nescientes veritatem rei, neque sacramenta salutis, dicunt *Quis est?* Quod quidem, sicut jam supra in paucis diximus, quia ista omnia parabolicis aguntur mysteriis, mirantur isti, et commovetur tota civitas, sicut et illam supernam Jerusalem fecisse, dicentibus angelis ascendente Christo, legimus : *Quis est iste Rex gloriæ?* (*Psal.* XXIII, 8.) Admirantes namque virtutes cœlorum et angeli, quæ vera est civitas Hierosolymorum, ista interrogant propter novum
B indumentum corporis ejus. Quibus cum diceretur (*Ibid.*, 10) : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales et introibit Rex gloriæ.* Non immerito, ac si obstupefacti, admirantes dicunt : *Quis est iste Rex gloriæ?* Sic et in Isaia : *Quis est iste qui venit ex Edom, tinctis vestibus de Bosor? Iste formosus in stola sua gradiens* (*Isa.* LXIII, 1, 2). Hæc idcirco repetens dixerim, ut ostenderem mysterium esse futurorum quæ aguntur et dicuntur. Unde et ascendente illo in Jerusalem dicitur, *Quis est hic?* Quoniam **861** commota est universa civitas. Quia in his gestorum effectibus species futurorum formatur, et divinitas prædicatur; et totum decoris quidquid plebs Judæorum habuit, ut alicujus sensu loquar, patriarcharum et prophetarum doctrinis est exornatum. Et ne offenderent in lapidem offensionis, via
C substrata est et exæquata mandatis præceptorum; deinde gentilitas apostolorum est Deo subjecta laboribus et disciplinis imbuta divinis. Quorum officiis rami qui cæduntur de arboribus, ad ingressum viæ cœlestis sternuntur per ordinem, in tantum ut etiam exuvias corporum devotissime prosternant in mortem, ut Christi Ecclesia secura, sine offensione, Deum in se portans, felix incedat. Alioquin hæc nisi mystica essent, quæ hujusmodi reverentiæ utilitas esset? Quæ magis impedire posset omnino, quam prodesse. Idcirco, ut dixi, omnis hic ratio in prophetia futuri formatur. Propterea etiam et interrogantibus, vilis plebecula respondens, confitetur, a minoribus incipiens, ut ad majora perveniat, et di-
D cit : *Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.* Quod enim dicunt, *Hic est Jesus propheta*, magis aliquid eum esse insinuant, quam prophetam : et ideo proprie apud Græcos cum articulo scribitur, sicut et nos hic, non loci adverbium, sed pronomen demonstrantis proponimus, ut intelligatur, hic est quem Moyses similem sibi dixit esse venturum. *A Nazareth* autem *Galilææ*, quia ibi fuerat educatus, ut flos campi nutriretur in flore virtutum. Nec igitur puto, quod qui eum tantis laudibus prosequuntur, et tam divina retexunt verbis, ipsos nescisse, quid dicerent, ut quidam volunt, vel quem laudarent; quem tam evidenter ac si ex lege, prophetam repromissum demonstrant. Quem, licet illi commoverentur indi-

Introdusă în format electronic de Google

gnantes, isti non tacent. Unde et illi magis magisque inde movebantur, audientes rem mirabilem, quod homo laudabatur a turbis, et Deus prædicabatur in homine. Poterat fieri ut Spiritus sanctus subito aspiraret in eos, nec intelligerent animo verba quæ fundebant veritatis. Sed non est credendum, ut eos omnes sic Spiritus sanctus intus afflaret, qui præcedebant, et qui sequebantur, ne intelligerent quid dicebant, neque scirent quid facerent. Quod etiam quidam Græcorum tam de istis, quam de prophetis dicere voluerunt. Profecto cum isti in sua loquuntur lingua, et ex auctoritate **862** Psalmi, ut dixi, ubi multa dicuntur de Christo, illud decantant. Et maxime cum eligunt versum, in quo adventus ejus ad eos prædicatur, et Divinitas atque humanitas ejus simul in una persona ostenditur. Et ut manifestior esset sensus, addunt divinitus inspirati, ac si de suo, illud juxta Marcum, *Benedictum quod venit regnum patris nostri David*, et repetunt, *osanna in excelsis*. Quod etiam interrogati, fideliter prosequuntur, et prædicant eum hunc esse Salvatorem et prophetam a Nazareth. Unde potest fieri, ut ea quæ agunt rebus nescirent quid futurorum in se præmonstrabant. Hoc tamen non oportet credere, ubi omnes apostoli et multi alii discipulorum, simul cum eo, qui jam crediderant, comitabantur. Necnon et mulieres quæ cum eo a Galilæa venerant, non intelligerent. Et turba quæ tot miracula viderat, omnino non ob aliud hæc omnia, nisi ad laudem et ejus gloriam agebant, cui consona voce tam mirificas decantabant laudes. Non dico, quod sine Spiritu sancto ista agerent, sed etiam quod agebant divinitus inspirati, totum devote ac satis religiose agebant, pro omnibus quæ ab eo gloriose nimis facta viderant vel audierant. Qua de causa Christi Ecclesia eadem gesta per singulos annos decenter ante festum diem Paschæ in memoriam eorum quæ gesta sunt, et in exemplum, concelebrat. Ferentes singuli ramos arborum virentes cum palmis et floribus, ac si victricia Christi signa, in manibus; gaudentes ejus digne glorificare passionis triumphum, et prædicare ad illam cœlestem Hierusalem valde mirabilem cum palmis victricibus ingressum. Sequitur :

Et introivit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. Primum est, ut admiremur rem gestam, quoniam supra naturam humanitatis est, id est secundum quod videbatur fabri et Mariæ pauperculæ mulieris ipse pauper filius, ut tanta uteretur fiducia, tantaque potestate, ejiciens omnes vendentes et ementes de templo, quod augustius renitebat et venerabatur in toto orbe terrarum ; quia nec princeps alicujus gentis, utens qualibet potestate, forte poterat facile explicare quod fecit Jesus. Et hoc quod memini supra jam dixisse, quia nisi aliquid in eo divinitus refulsisset in vultu, quando talia gerebantur, quod percelleret adversarios, **863** nequaquam dixerim quod humana virtute facere potuisset, ubi nescio ad diem festum, quot millia sacerdotum, quot Levitarum, quot hominum convenerant. Unde fateor plane quod, pro exiguitate sensus mei, non dico explicare verbis, verum nec admirari digne queo ea quæ dictis contexuntur, quæve facta narrantur, dum mira gestorum miris succedunt rebus. Neque enim effari queo, quomodo in uno eodemque Christo divina refulgent miracula, et cooperantur humanis actibus in una Christi persona ; et quæ humanitatis ejus sunt, sustollunt se et copulantur divinis : ita ut nec divina fiant sine humanitate Christi, nec humanitas operetur aliquid sine Divinitate sua. Quæ nimirum gemina operatio, sic in uno conjungitur Christo, ut totum intelligatur, quid Deo, quid homini, tribuere debeamus. Quæ tamen a principio Evangelii, sic sententiæ sententiis, et miracula miraculis copulantur, ut juxta Ezechielem, intus et foris plena sint oculis, neque sinant respirare lectorem, nisi et quæ Dei sunt, et quæ hominis in uno eodemque Christo simul jungantur. Idcirco quæ nunc aguntur in templo, etsi juxta humanitatem ejus facta videntur, quia mira sunt, divina tamen esse probantur, eaque ipsa quæ tunc gessit Deus, homo in specie quotidie divinitus operatur in genere. Unde primum videamus ad litteram quæ sunt ea quæ evertit, et qui sint quos ejecit, et non aliunde quam de templo. Nimis enim omnis religio templi ob avaritiam sacerdotum, violata erat, cum et boves et oves, seu cætera quæ in sacrificiis offerebantur divinis, in templo (sicut Joannes plenius insinuat) venalia introducebantur; ita ut in eo nihil aliud quam nundinæ viderentur, et forus venalium. Ubi cum intrasset primum, et vidisset, sicut Marcus narrat (*Marc.* xi, 11), *Circumspectis omnibus*, ne inconsiderate faceret, *jam vespere facto, exivit in Bethania*, unde mane regressus et ingressus in templo, cœpit ejicere facto flagello de restibus omnes vendentes et ementes. Nam eo in tempore de cunctis pene regionibus Judæorum, illuc populus confluxerat, innumerabilesque immolabantur hostiæ, maxime in diebus festis, taurorum scilicet, arietum et hircorum, cæterorumque animalium quæ munda in lege dicebantur. Invenerat ergo sacerdotum cupiditas, ut hæc omnia, ne ulli deesset quod offerret haberentur in templo venalia; et ne ullus ex pauperibus ea **864** die absque sacrificio esset. Erant et pulli columbarum venales, ac turtures seu passeres, et cætera, quæ in volatilibus offerebantur. Quia plerumque accidere solebat, ut qui de longe venerant victimas non haberent; idcirco excogitaverant quomodo sibi predam de populo facerent, et omnia quæ ad sacrificia opus erant, vendebantur, ut et pretium haberent rerum, et ipsi rursus empta reciperent. Hanc calliditatem eorum plerumque quorumdam inopia dissipabat, qui non solum hostias non habebant, verum ne unde emerent, saltem aves, seu vilia munuscula; unde inibi posuerunt et nummularios, qui mutuam sub cautione darent non habentibus pecuniam. Et, sicut Hieronymus testatur, qui eorum usus inter eos

Introdusă în format electronic de Google

conversatus, ad plenum didicerat; quia erat præceptum in lege, ut nemo eorum usuras acciperet, parum eis prodesse poterat pecunia fenerata, quæ commodi nil haberet, et interdum sortem perderet, excogitaverunt, ut ipse ait, et aliam technam, ut pro nummulariis collybistas facerent, cujus verbi proprietatem dicit latinam linguam non exprimere. Sed quod ibi *collyba* dicunt, nos, inquit, appellamus *tragemata* vel *vilia munuscula*, verbi gratia frixi ciceris uvarum passarum et poma diversi generis; ut quia usuras accipere non poterant collybistæ, qui pecuniam fenerati erant, pro usuris accipiebant varias species, ut quod in nummo non licebat in his rebus exigerent, quæ nummis coemuntur, quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicaverit, dicens: *Usuram et superabundantiam non accipietis* (*Ezech.* XVIII, 17). Quæ utinam et nos in hac Christi Ecclesia fieri non nossemus. Istiusmodi ergo Dominus cernens in domo Patris sui negotiationem ferre non potuit, quæ domus nimirum et ipsius erat, sicut præsens Evangelista Dominum dixisse testatur, quod dixerit, sicut scriptum est: *Domus mea, domus orationis vocabitur* (*Marc.* XI, 17). Et Joannes ait, quod dixerit: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* (*Joan.* II, 16). Ac per hoc utrumque dixisse Dominum nemo ambigat, quia omnia Patris ejus sunt, et ideo Patris domus ipsius est. *Vos autem*, inquit, *fecistis eam speluncam latronum.* Latro enim est qui templum Dei latrocinando convertit in specu, qui lucra sectatur de religione; cultusque ejus, non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. Hoc juxta historiam dixisse sufficiat. Cæterum hæc omnia in mysterio facta sunt, quia tunc fecit **865** visibiliter quæ semper in Ecclesia (quæ vere domus Dei est) agit. Ejicit namque vendentes quotidie et ementes de ea, maxime eos qui quæstum lucri æstimant pietatem, et omnia quæ in Ecclesiasticis aguntur rebus venalia ducunt, cum præceptum sit, *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 8). Alias autem periculi est, propter avaritiam sacerdotum altaria Dei nummulariorum mensas appellari, et templum Dei speluncam latronum fieri. Quia qui vendunt quæ Christi sunt dona, Spiritus sancti gratiam vendunt. Neque enim ad hoc constituti sunt clerici et ministri altaris, ut quasi pro religione, negotiationibus sæculi inserviant et lucris, ac si causa Dei, emptionibus et venditionibus; quia non illis congruit quibus non expedit, neque in loco fieri quo non competit, maxime in eo ubi non debent nisi orationibus vacare. Et hoc de templo diximus materialibus rebus Deo constructo, quo non debeant vendere, vel emere, vel aliquid agere quæ non deceant. Quanto magis arbitror cogitandum de templo Dei ex lapidibus vivis constructo, de quo ait Apostolus, *Templum Dei vivi estis vos* (*II Cor.* VI, 16), quia Spiritus sanctus habitat in vobis. Quapropter quicunque templum Spiritûs sancti est, videat ne ad forum redeat, unde ad vineam vocatus est et locatus; quia non oportet animam Christiani speluncam esse latronum, neque venalia exercere, lucri causa, quia vix aut nunquam sine peccato agitur. Multo magis igitur servis Dei, et divinis officiis Clericis mancipatis cavendum, ne hoc faciant in domo Dei, ut divitias sibi et multas possessiones acquirant; ne forte sub illis fiat Ecclesia in qua degunt, ipsi mercatores jam facti, spelunca latronum. Cæterum de venditione columbarum satis abundeque disputatum est a sanctis Patribus, multis in locis; maxime contra simoniacam hæresim, quæ multoties est propugnata in Galliis, sed nunquam expugnata; quia latrones facti sunt, et qui emunt quæ proprie Ecclesiæ sunt, et qui vendunt. Quæ nimirum hæresis, etsi damnari potuit, ideo non potuit hactenus expugnari: quia latro sicut a latendo dictus est, ita et isti quam sæpe **866** latenter faciunt, aut ita tamen audenter quamvis impudice, ut nullus audeat contraire. Quod factum hodie, ut ita fatear, tota Gallia sentit et dolet. Nec immerito, quia Jesus non sine causa flebat miseram illam Jerusalem, nec irrationabiliter. Quanto magis rationabilius esse videtur, quia in Ecclesia sua Christus pro talibus dolet, ut ipse dolentes et gementes faciat; quapropter turpia lucra et luxum quorumdam, secundum propriam voluntatem Ecclesias Christi illis committunt, qui non quæ Jesu Christi sunt, sed quæ sua sunt quærunt. Non enim dico isto in tempore, qui cathedras tenent Ecclesiarum, quod columbas vendant: sed quia quibus non oporteat, Ecclesiæ committuntur, non ad lucrum animarum, sed ad luxum et voluntates proprias. Hinc sane præcavendum valde arbitror, ne forte columbas sit eis vendere, qui tradunt Ecclesias Christo Domino consecratas flagitiosis et avaris hominibus, tyrannice, quibus non oportuerat, indisciplinatis et irreligiosis. Propter quod cathedras ac mensas nummulariorum tantummodo appellavit Evangelista eversas esse ab Jesu. Quod utinam audirent qui gloriantur in talibus, et vendunt Ecclesias, quas non immerito columbas dicimus, et committunt eas non pastoribus, sed mercenariis et raptoribus; pro quibus nunc magis deflere convenit, quam exponere mala quæ non latent. Nam esti nunc Jesus silere creditur, erit tempus quando introspecturus Ecclesiam suam, considerabit omnes, quod et tunc fecisse legitur; et ejiciet vel evertet quos invenerit non digne sedentes in loco reginninis.

Et accesserunt ad eum cæci, et claudi, in templo et sanavit eos. Ecce mysticis rebus et gestis miracula succedunt; ut in uno eodemque templo monstraret, quid in omni tempore ipse in sua facit Ecclesia. Fecit enim nova et inaudita prius, deinde mira sibique consueta, ut ex uno eorum terreantur reprobi, ex altero vero releventur infirmi: quoniam etsi justus est in flagello, pius et misericors est in subventu. Non enim desunt cæci et claudi in Ecclesia, et ideo operatur solita pietate ut se **867** Deum insinuet, sine cujus gratia nemo lucem videt, sine cujus ducatu, nemo in via nisi claudus ambulat. Tria sunt quæ condemnat et duo impræsentiarum quæ restaurat: cæci ut

Introdusă în format electronic de Google

lumen videant, et claudi ut rectis gressibus ad patriam, per viam quæ ipse est, feliciter incedant. Porro eos qui non solum ad forum redeunt, verum etiam intra Christi Ecclesiam, ac si cum essent in foro, vendentes et ementes, nundinas et turpia sectantur lucra, flagellatos peccatorum suorum funibus foras ejecit. Ob hoc igitur videtur flagellum fecisse, signanter de funiculis vel restibus, quia unusquisque funiculis peccatorum suorum, quibus constringitur, merito flagellatur et ejicitur. Deinde mensas nummulariorum et cathedras evertit, columbas vendentium, quia ubi panis propositionum offerebatur prius Deo, nihil ad aliud quam ad turpia lucra sectanda ponebantur, et cathedræ doctorum, de quibus lex et doctrina manare debuerat gratis, quia venalia sectabantur, evertuntur funditus, qui dona gratuita Christi gratis dare deberent. Sed quia cæci omnia profanabant, et tulerant clavem scientiæ, ne aut ipsi intrarent ad sancta, aut nec alii possent intrare. Et ideo quam pie tales subvertuntur, ut alii qui cæci sunt in templo, ex eorum corruptione queant recipere lumen. Alioquin nisi mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertisset Jesus, cæci et claudi lucem pristinam, et gressus concitos, non meruissent recipere. Non enim ob aliam causam solas columbas hoc loco Evangelista nominavit, cum de eversione sedium sacerdotum loqueretur; sed ideo hoc fecit, ut nemo dona sancti Spiritus in vacuum accipiat; ne forte (quod absit) cum Simone sententiam damnationis, si ea vendere vel emere tentaverit, hæreticus magis factus, quam doctor, damnatus excipiat.

Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo Osanna filio David, indignati sunt et dicebant ei, Audis quid isti dicunt? Mira cæcitas Pharisæorum, et nimia cordis duritia. Turbæ verbis eum Dominum clamant, et Christus se factis ostendit; fit enim vocibus illorum ipse testis, cum sanat cæcos ut videant, et claudos ut ambulent, ut ipsi qui cæci erant **868** principes et claudi, dirigerent gressus suos ad Dominum, et miraculis illuminarentur: ipsi vero unde sanari debuerunt, indignantur et pejores fiunt. Et non solum ista viderant, sed etiam majora atque innumera; nam et Lazarum quatriduanum nuper mortuum resurgentem viderant, et forte tunc ibi testis erat, unde et eum jam occidere, teste Evangelista, volebant, sed et cæcum ex utero matris suæ illuminatum viderant. Quod si altiora repetimus, in Jordane vocem Patris de cœlo super eum intonantem audierant, *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* XVII, 5). Hæc quidem magna sunt, et alia innumerabilia quæ fecit. Sed mihi, ut præmisi paulo superius, inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur esse mirabilius, quod unus homo, et illo in tempore vilis inter eos, et contemptibilis atque despectus, et in tantum vilis ac si cruce dignus, ut postea crucifigeretur; quandoquidem Scribis et Pharisæis contra se sævientibus, maxime eo quod vidissent lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera, tantam ejicere multitudinem mensasque eorum in templo subvertere, et cathedras dejicere ac conterere, et talia facere quæ infinitus non fecisset exercitus. Unde, sicut jam supra dixi, aliquid, igneum atque sidereum oportebat radiaret ex oculis ejus, et divinitatis majestas, sicut majores nostri dixerunt, relucebat in facie. Unde, quia manus in eum non audent injicere, quia tempus nondum erat, tamen operibus calumniantur, et testimonium reprehendunt populi, quod cum clamoribus a descensu montis Oliveti usque ad templum, et in templo, sine intermissione fortiter resonabant. Quas nimirum laudes in calumniam vertunt; eo quod intelligunt, quia non competit ut alicui dicatur, *Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*, nisi Filio Dei: et ideo dicunt ei, *Audis quid isti dicunt?* Ac si dicant, Tu homo cum sis, fabri filius, cur permittis, ut divinis laudibus te acclament? Quare non increpas eos ut taceant? *Jesus autem dicit eis, Utique.* Ac si diceret, Utique audio et approbo miraculis, quod ipsi voce proclamant. Et adjecit dicens: *Nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Mira siquidem, sicut in omnibus, et prudens responsio. Non enim dixit quod Scribæ **869** audire cupiebant, benefaciunt pueri ut mihi testimonium perhibeant; neque dixit errant, quia pueri sunt et insipientes, ideo debetis eis ignoscere, sed profert exemplum tam moderate de psalmo octavo, sicque temperat sententiam, ut ad utramque possit congruere partem, sine calumnia prolatoris, id est ut et insidiantes divina comprimat auctoritate, et testimonio Scripturarum, ipso tacente, puerorum seu plebis dicta firmaret, quia in Spiritu sancto olim prænuntiata erant quæ dicebant. Sicut et ipsi eodem tunc Spiritu afflati tacere non poterant, ne clamarent. Ipse enim sibi Deus in talibus perficit laudem; pro quibus gratias agens Patri Filius dicebat: *Confiteor tibi, Pater, Domine, cæli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea* parvulis (*Matth.* XI, 25). Non quod parvuli ac lactentes erant qui clamabant, cum paulo superius dictum sit quod, *Turbæ quæ præcedebant, et quæ sequebantur*, clamabant. Unde intelligimus, quia infantes dicebantur non ætate, sed simplicitate cordis. Alias autem, infantes nec intelligere aliquem, nec laudare queunt. Sed infantes jure dicuntur et lactentes, quia quasi lactis suavitate in animo excitati, ita miraculorum Dei, intus delectatione accensi, clamabant. Nec immerito igitur opus miraculorum Christi quasi lac vocatur; quia infideles et parvuli adhuc in fide, his egent, ut credant et firmentur. Doctrina vero, ac si solidus cibus, perfectorum est, quod necdum isti fuisse probantur. Ecce quomodo calumnia eorum qui culpabant Jesum, quod non increparet clamantes, compressa est auctoritate Scripturarum; tanquam si diceret: Etsi mea culpa est quod isti clamant, nunquid mea culpa est, quod ante tot millia annorum hoc futurum propheta prædixit? Forte in ea turba tunc tales erant, qui postea clamaturi erant, *Crucifige, Crucifige eum* (*Joan.* XIX, 6). Sed

Introdusă în format electronic de Google

miraculis, ut dixi, excitati, non poterant silere quod in Spiritu sancto agebatur. Et ideo Salvator secundum evangelistam aliud addidit, dicens : *Quod si isti tacuerint, lapides clamabunt* (*Luc.* XIX, 40). Nec mirum igitur, si laudes Domini isti decantant, permoti miraculis, quamvis scopulis sint ipsi duriores, cum contra naturam suam saxa respondeant, quæ et scissa dicuntur **870** in passione ipsius; quoniam omnis creatura, etsi insensibilis, sentit Creatorem, et ejus subditur imperiis, jussu dominante divino. Sequitur :

Et relictis illis, abiit ,oras extra civitatem in Bethaniam, et mansit ibi. Mane autem facto, revertens in civitatem, esuriit. Et videns ficus arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi : Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Facta factis succedunt, et miracula miraculis, quæ non omnia uno in loco ab evangelistis narrantur, ne videantur solummodo historiam texere Salvatoris; sed sic vicissim omnia ponunt, ut singuli sua exornent, et unusquisque eorum, quod intus mirabiliter conspicit congruere in mysterio, foris exornet et retexat in oraculo. Ita ut nesciat, quamvis prudens videatur esse doctor, quid primum mirari debeat : quod unus eorum in ordinem ponit, an quod immutat alius, et tamen divinitus sic sua contexit, ut verum unusquisque eorum dicat, nihil dissentiens ab aliis; et in significationibus suis ac figuris et rebus, pulchriora singuli, ac si lapillos gemmarum, ponentes in fabrica, ornatius construant sacramenta gestorum. Unde et hoc loco, quod Marcus secunda die mane factum dicit in ordine narrationis de ficu, et postea tertia die arefactam repetit, et addidit quod nondum erat tempus ficorum; Matthæus quidem tertia die simul narrat, quando discipuli mirati sunt eam subito aruisse; quia per singulas noctes, ut Evangelium declarat, relictis illis, exibat una cum suis ab Jerusalem, et manebat in Bethania, id est in domo obedientiæ, apud Lazarum, sororesque ejus : eorum quippe vicus Bethania erat. Jam tunc vocationem gentium præfigurabat, quia in Jerusalem permanere non potuit, sicut jam retro multis præmonstratum est indiciis. Nam et ficulnea hæc, nihil aliud quam ariditatem Judæorum declarat. Alioquin tanta virtus Christi, tantaque sapientia quid sibi vult quod esuriens venit ad ficulneam, quærens fructum in ea, cum evangelista dicat, quia *non erat tempus ficorum?* Nunquid qui omnia cognoscebat, occulta etiam antequam fierent, **871** nescire poterat quod cunctis in aperto erat? vel quomodo esurisse recte credatur, cum mane fuisse dicitur? Patet igitur, sicut quam sæpe me dixisse recolo, quia omnia quæ fiebant ab eo, licet mira essent ut fides corroboraretur, plena sunt sacramentis, plenaque oculis intus et foris. Quapropter discussis noctis tenebris, cum matutina lux jam radiaret, et vicina meridies jam adesset, in qua Dominus passione sua, seu resurrectione, illustraturus erat orbem, cum in civitatem reverteretur, esuriit, vel veritatem humanæ carnis ostendens, vel esuriens, quod magis fatendum est, salutem credentium, et æstuans zelo ad incredulitatem Israelis, in qua permanere non potuit. Mira siquidem infidelitas eorum, ut in urbe maxima, his diebus, nullum hospitem, nullamque mansionem invenerit. Unde cum vidisset arborem unam, per quam intelligi, ac si divino affatu, Synagoga poterat Judæorum, et omnia eorum conciliabula juxta viam, quia non erant in via quæ Christus est, sed juxta viam legis, secus quam sine fructu virides videbantur : quorum esuriens salutem venit ad Synagogam, et invenit eam infecundam, sine fructu, foliis tantummodo vestitam, id est, verbis inanibus gloriantem, et fructibus vacuam, operibus quidem bonis sterilem. Et quia pœnitendi tempus illi excesserat, in perpetuum sententia cœlestis judicis, ut ipsi cernimus, arefacta in testimonium manet. Nescio si evidentius aliquid inveniatur, quo persona Synagogæ in arboribus commendetur, quam si huic ficui ex ratione comparetur. Hæc namque arbor valde dissimiliter cæterarum arborum, et natura et conditione florere dicitur. Nam flos ejus primus in pomis est; sed non ea quæ primum emerserint, maturitatem consequuntur : grossa enim hæc, et communis usus, et prophetica auctoritas nuncupavit. Verum postea, ut cernimus, internæ fecunditatis virtute exuberante, in ejusdem speciem atque formam rursus poma prorumpunt, quibus prorumpentibus, ista truduntur, et dissolutis quibus continebantur caudis, decidunt, aliaque illa cuntia usque ad maturitatem proveniunt. Sed et de superioribus illis quam sæpe contingit, ut quædam maneant semper, et non sicut cætera decidant grossa : sed bærent tantum poma, quæ cætera maturitate præveniunt. **872** Et hos pulcherrimos fructus arbor illa ex se dat, qui cum grossis cæteris promergentes de medio utrarumque virgularum claviculi proferuntur. Quapropter ex conditione arboris hujus, propria et nimis competens synagogæ similitudo a Domino proposita est. Primos enim populi fructus, quos ab exordio synagoga protulerat, grossorum amisit exemplo; quia plebem ejus inutilem, fidelis emergens populus gentium, et pertinax in viriditate fidei, et usque ad consummationem temporum manens in fide patriarcharum, protrusit. Deinde credentes primi ex Israel apostoli, inter legem et evangelia, grossorum modo inhærentes, resurrectionis gloria et tempore anteibunt cæteros. Siquidem et in exordio Genesis, in hujus rei formam, Adam pudorem suum, atque Eva, hujus arboris foliis texerunt, cum seipsos ad adventum Domini vocantis occoluerunt. Quia Synagoga infidelis, legis mandata transgrediens, impudentiæ suæ fœditates et turpitudinum confusionem, infructuosis esset verborum velamentis, tanquam ficus foliis, contectura. Sed misericors Dominus mane revertens ad eam, esuriit, non quasi homo, sed quasi Deus, salutem eorum; nec quasi indigens nostra justitia, aut fide, sed quasi misericors desi-

Introdusă în format electronic de Google

derans ex nobis boni operis fructum. Si autem quasi homo esurisset, nunquam cibum esurisset humanum. Sed mane esuriit, quia semper nostram esuriit justitiam, et Judæorum salutem. Nam primo mane tunc eorum esurivit justitiam, et opus boni operis, quando ante tot millia annorum exivit conducere operarios in vineam suam. Et quia rarus fuit qui fructum ferret fidei, rursus post noctem infidelitatis, mane egressus est ad Noe, sic et ad Abraham, et ad cæteros, de quibus jam supra diximus. Quia singulæ istæ ætates sæculi suam habuerunt vesperam, suumque mane; in quibus temporibus semper ad eos esuriens venit eorum justitiam. Sed quia ipsi magis magisque suas coacervabant iniquitates, Christus; quasi lux a nocte, longe recessit ab eis. Quamvis quia Sol justitiæ iterum iterumque per singula tempora revertens, reduxit eis novum mane, donec ipse jam homo factus ad eos venit, ac si in hora undecima, et mane facto, nullum in eis fructum invenit. Et **873** ideo, quia per tot sæcula infructuosi fuerunt, occupantes terram, dixit in prophetia ad arborem, quod erat in gente Judæorum futurum: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Non quia maledixit arborem, ideo fructus non dedit Synagoga, sed quia non dabat, maledixit ei, ut nec folia ipsa proferret. Verum quia non ideo Judæi justitiam fidei perdiderunt, quia eos Deus dereliquit; sed ideo eos dereliquit Deus, quia justitiam non afferebant, ut nec ipsa species pietatis esset in eis, nec sermo. Nam vere, sicut melius est ut nec sit arbor, quam ut sit quidem in horto deliciarum, et fructum non ferat: sic melius est, ut nec sit homo Dei, quam ut sit quidem, et fructum vel conversionem nunquam habeat secundum Deum. *Et arefacta est ficulnea continuo.* Quam videntes discipuli, mirati sunt quomodo sic cito aruit. Mirati sunt, quia sermo ejus citius quam flamma ad radices illius descendit; quia sermo Jesu *penetrabilior* est *omni gladio bicipiti* (*Hebr.* XIV, 12), et fortior securi, quæ posita est ad radices arborum. Hoc ideirco in figura Synagogæ factum est, quia non invenit in illa nisi folia tantum, traditiones scilicet Pharisaicas et promissiones legis, strepitum quoque jactantiæ, et ornamenta verborum. Cui dixit: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Non itaque levitatis verba sunt hæc, quæ veniunt ex fellis commotione, sed severitas judicii, et diu suspensa sententia æquitate plena. Porro in sempiternum quod dicit, tale est ac si dicat in sæculum: utrumque εἰς τὸν αἰῶνα Græcum significat. Et dicit, ex parte reproborum, qui fidem Christi recipere noluerunt, ex quibus nullus nascetur fructus in hoc sæculo, donec plenitudo gentium introeat, et tunc Israel salvus fiat. Vel quia sempiternus Christus est, in Christo nullum fructum allaturi sunt, qui extra eum reprobi inveniuntur et steriles. Quapropter quisquis in ea permanserit Synagoga, quæ degeneravit a vite, et fecit spinas, fructus ex ea justitiæ nunquam erit. Sic autem aruerunt hujus arboris rami et folia, ut truncus ipse remaneret, sicut ait Apostolus; in quo quia fracti et arefacti sunt rami, tu inseraris in radice viriditatis. Ex qua rursus etsi et ipsi credere noluerint, saltem in novissimo tempore virgulta fidei pullulabunt, impleturque Scriptura dicens, Est arboris spes, quod ad odorem aquæ rursus **874** debeat germinare. Cæterum juxta litteram Dominus in proximo passurus, et bajulaturus scandalum crucis, debuit animos discipulorum multis confirmare et erudire indiciis, et signorum anticipatione solidare. Unde et ipsi mirantur dicentes, *Quomodo continuo aruit?* In quo forte miraculo intellexerunt Synagogam a Domino reprobatam, et inde poterant cogitare, quod eadem virtute, etiam inimicos siccare suos et interficere potuisset, nisi eorum per patientiam pœnitentiæ exspectasset salutem. Ecce ostendit illis in Lazaro, quod vivificandi habeat potestatem; ecce in ficulnea quod occidendi et ipse obtineat virtutem. Sed interfectio quam clementer defertur, etiam in hoc ipso monstratur exemplo, cum non homo, sed arbor damnatur; ut ex ipso facto homo rationabilis erudiatur, idcireo accelleratur ariditas arboris, et differtur in Judæis pœna mortis.

Respondens autem Jesus dixit eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tolle et jacta te in mare, fiet. Quanquam igitur juxta litteram hæc facta non legantur ab apostolis, sicut quidam paganorum calumniati sunt, et garriunt contra nos, etiam in suis scriptis asserentes Apostolos non habuisse fidem, quia montes non transtulerunt, neque ficulneas verbo exsiccarunt: contra tamen jam responsum est a majoribus nostris, multa facta esse signa a Domino juxta Joannis Evangelium, quæ si scripta essent, mundus capere non posset; non quod volumina mundus capere non posset, quæ potest, quamvis multiplicia sint, unum armariolum capere; sed quod magnitudinem signorum, pro miraculis et incredulitate perfidorum, ferre non posset. Igitur et hæc credimus ad litteram fecisse apostolos, seu majora: sed ideo scripta non esse, ne infidelibus contradicendi major daretur occasio. Alioquin interrogandi sunt, utrum credant signis quæ scripta narrantur, an non? Et cum incredulos viderimus, consequenter probabimus, nec majoribus eos credituros fuisse, qui minoribus non crediderint. Cæterum ficulnea illa ad quam hoc signum dirigitur, id est Synagoga, quomodo aruerit, discipuli Christi fideles, nihilque hæsitantes insinuant ipsi, cum dicunt ad eam, *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei; sed quia vos* **875** *indignos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46); et relinquentes eam siccam, cum viror gratiæ et vitalis virtus transfertur ab eis. Hoc quippe intellexerant apostoli in illa ficulnea, et hoc fecerunt ex fide nihil hæsitantes, quod et isti arescerent, ut cernimus, et gentes gratiam sancti Spiritus reciperent, quod gaudemus. Super illud autem quod fecerunt in ficulnea, adhuc eis et aliud repromittit, *Si habueritis*, inquit, *fidem*, nihil

Introdusă în format electronic de Google

hæsitantes, et dixeritis monti huic; quia ab ipso Christo videbatur, et manifestus erat, et ideo quasi digito monstrabatur. Quo translato de cordibus credentium, et foras misso in mare, major virtus probatur, atque salubrior hominibus, quam si montes volare fecissent. Ac per hoc mons iste, de quo dicit, contraria potestas jure intelligitur, qui se extollit etiam contra Deum. Cui dixerunt apostoli verbo, tolle te hinc a cordibus fidelium, et missus est satanas id est, altitudo illa totius malitiæ, in mare, id est in abyssum, gehennæ locum. De quo mari dicitur in Psalmo: *Hoc mare magnum et spatiosum: illic naves pertransibunt: ibi animalia pusilla cum magnis, et draco, qui formatus est, ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 25, 26, 27); et alibi: *Tu confregisti capita draconum in aquis, et dedisti eum in escam populis Æthiopum* (*Psal.* LXXIII, 14). Ipse igitur est, qui a propheta mons corruptus vocatur, eo quod superbiat semper, et erigat se contra factorem suum. Qui cum jubetur ab apostolis, vel a fidelibus sanctis, de cordibus credentium exire, et in mare ire, quo semper sævit tempestas, utique fit, et transfertur ad loca salsissima et fluctuantia, semperque amara, quæ nullam habent dulcedinem Dei. De quibus montibus in persona apostolorum, seu cæterorum fidelium in psalmo legitur: *Non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris* (*Psal.* XLIII, 3). Nonnulli volunt de Christo hoc dictum accipere in vertice omnium montium elevato, super quem civitas ædificata non potest latere. Quem sane montem, cum ficulnea arefacta est, apostoli transtulerunt a Judæis, et miserunt eum ac collocaverunt in cor maris, id est per fidem plantaverunt, et transposuerunt Christum in cordibus gentium, cum per verbum eorum de Judæis venit ad gentes. *Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Magna siquidem gratia fidei declaratur, magnum donum, magnumque sacramentum. Sed in parvo magna monstrantur, quæ non nisi magni capiunt, **876** quos fides (quæ per dilectionem operatur) magnos facit; quia non continuo perfecta sunt omnia, neque integra, vel robusta mox ut initium cœperint. Alioquin si nulla indigna gigneret vel proferret natura, et si omnia mox virtutum perfecta darentur, profecto aboleretur pietas, studia cessarent religionis. Et ideo imploranda et excolenda est fides, charitas nutrienda. Quoniam est et modica fides, est et magna nihil hæsitans, præsertim cum ipsa Veritas, nihil petentibus et pie cupientibus, prædixit esse negandum, dicendo: *Quia si duo ex vobis, vel tres, consenserint super terram de omni re, quæcunque petieritis a Patre meo, fiet vobis* (*Matth.* XVIII, 19). Idcirco meditandum omni Christiano, ut integra sit ei fides, et non qualiscunque, sed ea per quam Deus in mente totus intus inhabitat, et per quam possibilia sunt omnia recte petenti. Nemo Christianorum est qui fidem se non profiteatur habere, sed rarus qui talem tantamque habeat, tam eruditam, tamque spe et charitate plenam, ut primum bene roget, deinde quæ rogat spe certa jam contingat, charitate adhuc pulsans jam possideat, cum Deum totum in se habeat, quem rogat, non extra se, sed intra, ubi accedit ad eum fiducialiter devotus secundum Deum, ut percipiat ea perseverans quandoque, quæ digna Deo implorat.

Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? et quis dedit tibi hanc potestatem? Hæc tertia die dicta sunt, quando et discipuli juxta Marcum mirati sunt de ariditate ficulnea. Tunc accesserant, non animo ut crederent, sed corpore ut tentarent. Ubi ambiguum videtur de qua potestate interrogent, cum nulla est nisi a Deo; an de potestate Cæsaris, aut præsidis, aut sacerdotum, aut certe si in potestate alicujus prophetiæ dicere vellet, cum illi tamen non in alterius potestate ista fieri, quam in Beelzebub principis dæmoniorum calumniabantur. Multa igitur erant quæ fecerat, et grandia ac deifica, quod Lazarum suscitarat, quod cæcos illuminarat, quod cum tantis laudibus templum introierat, quod mensas et cathedras doctorum everterat, et rursus in templo cæcos et claudos curaverat, quod ficulneam verbo arefecerat. Sed cum talia tantaque sint, interrogant: Quis tibi dedit hanc potestatem? Ex quo manifestissime liquet, quia negant eum Dei Filium, dum putant **877** eum non sua virtute ista operari, sed aliena. Attamen licet dixerim dubium esse, de qua potestate interrogent, sic sonare eorum interrogatio videtur, quasi duas solas intelligerent potestates; unam quidem Dei, qui talia potest facere, aliam vero diaboli, a quo ista retorquebant facta; quod omnino non convenit ut ille hujusmodi signa faciat. Sed isti sua cæcati pravitate, non ob aliud interrogant, nisi ut ex Deo ea esse contradicant, et calumniam respondenti inferant. At Dominus non ad interrogata eorum respondit, sed pro duabus eorum interrogationibus respondens, dixit illis: *Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio: Baptismus Joannis unde erat? de cœlo, an ex hominibus?* Fecit ergo Salvator quod vulgo dicitur, quia malo arboris nodo malus clavus, vel durus cuneus infigendus est, et duo contra duo objicit, ut quidquid horum dixissent sua caperentur responso; quod ipsi non poterant Christum, si diceret non nisi in potestate Dei se facere, eo quod verum esse nemo fidelis dubitat. Alias non poterat fieri ut in potestate diaboli diceret; quod nec ipse homo peccati, qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut colitur, responderet quod esset verum, cum omnia signa et prodigia quibus seducat electos Dei, in eo facturus est. Quod si nec ille hoc diceret, quanto magis Dominus Salvator nequaquam aliud responderet si vellet, nisi in potestate Dei? Et ideo ad tam manifestam rationem, satis videtur talis interrogatio, nisi forte aliquis velit dicere, quod non interrogantis tantum affectu principes sacerdotum et seniores po-

Introdusă în format electronic de Google

puli ista quærebant, sed comminantis, vel deterrentis astu; sicut quam sæpe dicimus nostris, quando nobis non placent quæ facit aliquis. Dicimus itaque ei: Quis te jussit hoc facere? Non volentes responsum audire, sed eum deterrere, ut ille sciens, quia nemo ei jussit, recedat ab actu. Sic et isti forte interrogabant Dominum, non ut discerent, sed eum quasi hominem deterrerent, ne ulterius tam publice doceret in templo, vel quocunque in loco, neque talia ultra faceret. Sed si ita esset intelligenda ista interrogatio, ut quidam volunt, mihi videtur, nunquam sic eis respondisset; si vellent verum dicere, ut eis responsum redditurus esset. Sed magis hoc sentiendum quod supra jam dixi, quia duas generaliter potestates ex **878** traditionibus suorum tenebant; unam ex parte Dei, et alteram ex parte diaboli. In quibus, et ex quibus partibus, diversæ specialiter et plures accipiebant potestates; de quibus Apostolus loquitur, omnia a Deo creata, quæ in cœlis sunt, et quæ in terris, visibilia et invisibilia, sive sedes, *sive dominationes, sive principatus, et potestates* (*Colos.* I, 16). In quibus ordinibus, non unam earum dixit, sed multas potestates et dominationes, seu cætera. Similiter et ex parte diaboli, multi principatus dicuntur et potestates, sicut et ipse testatur Apostolus, quod non sit nobis *colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates* (*Ephes.* VI, 12). Talia igitur et alia quamplura, principes sacerdotum, et seniores cognoscentes de potestatibus et sacramentorum gradibus cœlestium, sive ex traditione majorum, sive de secretis quibusdam rationabiliter aut irrationabiliter excitati, quia videbant Jesum multa signa atque prodigia facientem; æstimabant forte, non sine aliqua potestate sibi subjecta ea fieri; et ideo potestatis illius speciem, et proprietatem volebant audire a Christo. Quod si de sola doctrina interrogant, qua docebat in templo populum, quando accedunt ad eum, quis ei dederit potestatem docendi, potest superior expositio congruere. Quorum calliditatem interrogando Dominus sic refellit, ut suo vel silentio vel sententia responsionis condemnentur. Quia si respondissent baptismum Joannis esse de cœlo, ut verum dicerent, quod ipsi astuti in malitia pertractarunt, consequens erat responsio: Quare ergo vos non credidistis ei, et quare non estis baptizati in eo? Et si dicere voluissent, humana deceptione compositum ab Joanne, et nihil habuisse divinum, seditionem populi formidabant. Omnis enim congregata multitudo Joannis baptisma receperat, et sic eum habebant quasi prophetam. Respondit autem impiissima factio, et quasi humilitatis verbis usa, dixerunt: *Nescimus.* Quibus ipse ait: *Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.* Sicque ex sua Christus interrogatione prudenter egit, ut et eos a se repelleret, et ne sanctum daret canibus, pandens eis divina mysteria. Nam in eo quod nescire responderunt, mentiti sunt: et consequens erat juxta responsionem eorum Dominum dicere, nec ego scio quæ quæsistis. Sed mentiri veritas non potest. Ex quo ostendit se nosse, quia non est potestas nisi a Deo, quam proprie habebat ut Deus, sed se eis respondere nolle; et **879** ideo non dicere, quia illi quod sciebant insidiose tacere decreverant. Unde non fortuitu hæc de Joanne interrogat, neque solummodo ut eos a se repellat, sed etiam ut eos convincat falsa sentire de Joanne, quod ejus baptismus ex hominibus esset. Propter quod respondens cogitationibus eorum, ut Deus qui cuncta novit, satis ad hoc mirabilem et consequentem parabolam introducit.

Quid vobis videtur, inquit: *Homo quidam habuit duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus abiit. Et accedens ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo, Domine; et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quod publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit autem Joannes ad vos in via justitiæ, et non credidistis ei. Publicani et meretrices crediderunt ei; vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea ut credaretis ei.* Totam hanc parabolam simul proposui ex integro, ut intelligant auditores quanta sit in respondendo, et in proponendo sapientia Salvatoris; qui cum, ut ipsi Judæi calumniantur, litteras non didicerit, vincit omnem eloquentiam philosophorum, et omnium eorum, quos rhetores vocant, facundiam, et in proponendo quæ suæ partis sunt, in revincendo quæ objecta sunt, in proterendo quæ adversariorum sunt, ita ut reos quos contra se proponit in causa, ipsos et judices petat. Mirabilius ergo agere videtur contra causidicos legis, et peritiam sacerdotum, quam ulla ars doceat juridica, dum sibi adversantes de suis a se objectis judicare compellit: quoniam ipsa se veritas propria defendit manu, et adversarios ut gloriose vincat, propriis alligat vinculis, et expugnat armis, ut sit judicii justa deliberatio quod a nullo mereantur absolvi, qui seipsos suo condemnant judicio. Ex quo patet quam magna sit fiducia justitiæ, ubi causa adversario ipsi committitur. Sed de re formidabili, ne veritas nuda primum adversarios deterreat æquitatis proferre judicium, utitur Magister bonus argumento rerum gestarum, et figurat in parabolis personas eorum, ut quo modo intelligunt, ac si de altero ipsi adversus se sententiam dictent sui reatus. Sic et David aliquando cum in peccatum corruisset fecisse legimus cum Nathan parabolarum retibus eum obligasset, ita ut ipse adversus **880** se judicium mortis proferret. Sed altera in eo conditio fuit, altera vero in istis; dum ille ad pœnitentiam evocator, et isti ad malitiam magis sunt excitati. Hæc enim proprietas bonorum hominum et malorum est, ut bonus deprehensus in peccato ingemiscat, quia peccavit; malus vero frendet et tabescit, non quia peccavit, sed quia deprehensus est in peccato. Homo qui habuit duos filios, Deus est, qui creavit omnes homines paterno affectu. Qui cum sit natura Domi-

Introdusă în format electronic de Google

nus, tamen magis vult se diligi quasi pater, quam timeri ut Dominus. Et propterea in lege non dicitur, timebis Dominum Deum tuum de toto corde tuo, sed diliges. Dilectionem enim exigere ab hominibus, non domini est, sed patris. Qui habuit duos filios, unum quidem gentium populum, alterum Judæorum. Quorum prior filius gentium erat populus, qui ex tempore Noe esse cœpit, minor vero, populus Judæorum, qui ex tempore Abraham per circumcisionem segregati sunt a gentibus, ut essent duo filii Dei, unus in præputio, et alter in circumcisione. Sed primo dixit, cum ei naturalem legem in mente instituit, *Fili, vade operari in vineam meam hodie*, id est in omni tempore hujus sæculi, sicut jam et in alia parabola vineæ monstratum est. Nequaquam in facie ut homo, his omnibus locutus est, sed in cordibus ut Deus, neque in auribus exterius, sed intus in intellectu mentis. *At ille dixit, Nolo.* Quomodo dixit, Nolo, nisi in cogitatu et voluntate? Quoniam a natura est homini cognoscere quid sit inter bonum et malum. Quod bonum cum relinquit homo, et sequitur malum, in mente et cogitatione atque studiis suis, contra Deum, qui naturalem legem instituit, respondere videtur : *Nolo.* Sicut in psalmo, *Dixit injustus ut delinquat in semetipso* (*Psal.* xxxv, 2). Unde gentes a principio relinquentes Deum, et omnia virtutum opera, noluerunt excolere fidem Christi, neque quæ ad culturam pertinent virtutum et salutem animarum. Tunc paterfamilias videns abolitam in cordibus eorum legem naturæ, dixit minori filio similiter, quando circumcisionem ei dedit, et legem per Moysen. Qui dixerunt Moyse interrogante et Jesu Nave, *Omnia quæcunque præcepit nobis Dominus, faciemus* (*Psal.* xvii, 46). Sed postea aversi mentiti sunt sicut dicit propheta ex persona Domini, *Filii alieni mentiti sunt mihi : Filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.* **881** *Et interrogavit eos quis eorum fecit voluntatem patris : at illi responderunt, Primus.* Ecce quomodo introducti sunt, ut supra jam diximus, parabolice et attracti, ut adversus se (veritati consentientes) sententiam protulerint dicentes, priorem filium fecisse voluntatem patris, et non eum qui in alia parabola dicit patri, Ego mandatum tuum nunquam præterivi. Quorum judicium, quia ipsi se obligaverant, abundanter confirmat, dicens : *Amen dico vobis, quod publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Ac si diceret : Non solum populus gentium melior est vobis Judæis, sicut judicastis, verum etiam et ipsi publicani et meretrices, qui sunt inter vos, quorum pessimam non ignoratis vitam. In quibus duabus personis omnium peccatorum genera comprehendit. In publicanis scilicet omnium virorum, qui per avaritiam et lucra diversa peccare probantur; per meretrices vero, omnium mulierum peccantium. Quoniam sicut in viris avaritia maxime abundat et lucra pecuniarum; ita in mulieribus fornicatio. Interea exponit causam continuo propter quam publicani et meretrices præcedant eos. *Venit ad vos*, inquit, *Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei ; publicani autem et meretrices crediderunt ei. Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis ut crederetis ei.* Considera quantum exaggerat officium et personam Joannis cum ait, *Quia venit ad eos in via justitiæ.* Quod si tantum prædicasset baptismum pœnitentiæ, ipsi quasi sacerdotes prudentes, et quasi judices non personarum, sed rerum, debueratis ei credere; etsi non quasi justo, tamen quasi justa et vera docenti. Quanto magis nunc, quia venit ad vos in via justitiæ. Et tam manifesta fuit ejus conversatio, et tam venerabilis et angelica vita, ut etiam publicanorum et meretricum corda concuteret, et concussa pavore flecteret ad pœnitentiam, et vestra quæ dicebat nec potuerunt contingere corda. Idcirco publicani et meretrices jure præcedent vos in regnum Dei. Considerate, quæso, quomodo conversatio sancta prædicatoris prædicationi suæ tantam præstat virtutem, ut aliquando etiam indomabilia sibi edomet corda. Et notandum, quia concludens Dominus parabolam suam, consequens erat ut diceret, *Amen dico vobis, quia gentes præcedent vos in regnum Dei.* Nunc autem dicit, quia publicani et meretrices præcedent vos. Ubi forte vulgi populi ostendit conditionem, **882** vel peccatorum magis quam gentium statum. Ut videant, quod etiam vulgus populus, et laicalis, eo in tempore, melior esset illis, nisi et ipsi, qui de gentibus venerunt, publicani et meretrices jure intelligantur, et si ista minus idonea videtur traditio, sufficit quod supra diximus, quod exaggerationis causa publicanos et meretrices introduxit eos præcedere in regnum Dei. Et ad eum autem filium qui dixit, Vado, Domine, et non abiit, hoc infert, *Venit ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei.* Iterum autem ad primum, quia publicani et meretrices crediderunt ei, et ideo pœnitentiam egerunt. Hanc itaque parabolam Hilarius doctor egregius longe aliter exposuit, forte falsitate codicum introductus. Quia in nonnullis codicibus, quando interrogavit quis ex duobus filiis fecerit voluntatem patris, illos respondisse non primum, sed novissimum, invenitur. Sciendum tamen, quod in pluribus et verioribus exemplaribus non novissimum habet, sed primum. Necnon et in Græco, non ἔσχατος, quod est novissimus, sed πρῶτος, quod est primus, habet. Sicque juxta consequentiam parabolæ et circumstantiam lectionis, melius esse puto : ut quia supra aridi sunt præmonstrati in ficu, dignum erat ut ipsi proprio suo se judicio condemnarent, sicut et sequenti parabola satis aperte faciunt. Nam etsi novissimum voluerit quis legere, manifesta erit interpretatio, ut intelligamus Judæos veritatem noluisse dicere, sed tergiversari; et noluisse respondere de so quod sentiebant, sicut et de baptismo Joannis, licet sentirent eum esse de cœlo, dicere noluerunt. Sequitur :

Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, etc. Prolixitas quidem libri poscebat jam finem : sed has duas dividere parabolas ratio non sinit, quæ simul principibus et Scribis in

Introdusă în format electronic de Google

responsionem sunt prolatæ. Quibus duabus in templo parabolis, sic duritiam cordis eorum miro modo fortiter percutit, ac si duobus malleis mens feriretur. Quapropter duritiam cordis eorum, ut proficerent mollire nequiverunt; tamen sic introducuntur duricordes in utraque parabola, ut ipsi se suo condemnent judicio. Ac per hoc licet diversas habeant figuras, una tamen est intentio introducentis. Unde etsi alia dicitur parabola, una est manus ferientis, ut sint inexcusabiles. Vult enim clementissimus Dominus, ut aliquando sentirent dolorem vulnerum suorum, et **883** ideo quasi pius medicus rursus aliud ei apponit vulnus asperæ concisionis. Expendit enim quasi omnem artis suæ peritiam Salvator in eis, ne videatur culpa, sed ut ostendatur in eis fuisse morbus insanabilis : quia tunc laudabilis est medicus, etsi non curat interdum, cum expleverit omnem peritiam artis suæ et diligentiam adhibuerit curandi. *Homo erat*, inquit, *paterfamilias*. Hominis siquidem nomine, ut in parabolis solet fieri, Deus pater accipitur, et non natura. Etsi aliqua in similitudine ob nostram exiguitatem Deus pater homo dicitur, non in veritate accipiendum, ut aliquid ei digne comparetur, vel ipse similis alicui esse dicatur. Sed ideo homo paterfamilias, cum sit invisibilis et incorporeus, dicitur; quia cœlum et terra et omnia quæcunque sunt creata, quasi una est domus; in qua nimirum domo angelorum et hominum, quia natura dominus est, regit et gubernat eos, cum omni benevolentia patris affectu. Qui ideo se patrem maluit dici, ut omnes bonitatem ejus considerantes non inviti serviant ei, ut mali servi, sed in voluntate libera, quasi boni filii amantissimo genitori. *Qui plantavit vineam.* Quoniam diversæ parabolæ sunt vineam nominantes, tam in Evangelio quam in prophetis, quærendum utrum secundum diversas res vinea intelligenda sit, an secundum unam eamdemque rem : præsertim cum in fine hujus parabolæ, dicat principibus sacerdotum et Scribis : *Amen dico vobis quia tolletur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus suos.* Quid putas regnum Dei dicatur, quod tollitur a pessimis doctoribus, nisi ipsa vinea, quæ locatur aliis agricolis, pessimis perditis. Fortassis ergo ipsa est vinea quæ colebatur, quod et regnum Dei, quod tollitur a prioribus colonis, et datur genti alteri, aut aliud æstimare debemus esse regnum Dei, et aliud vineam. Nam vineam quid intelligere debeamus esse, ostendit nobis Isaias propheta manifestius : *Cantabo*, inquit (*Isa.* v, 1, 2), *dilecto meo canticum dilectæ meæ vineæ : vinea facta est dilecto in cornu in loco uberi. Et sepe circumdedi eam et fodi, et plantavi vineam Sorech.* Et ut eamdem vineam istam esse insinuet ex Evangelio, *Et ædificavit*, inquit, *turrim in medio ejus, et torcular fodit in ea.* Et post pauca, *Vinea enim*, inquit, *Domini sabaoth, domus Israel est, et homo Juda novellum germen.* In qua nimirum parabola, seu cantico, quædam similia habentur, quæ et in hoc loco, quædam **884** autem dissimilia. Quapropter videamus dissimilia, ut ex dissimilibus discamus differentias dissimilium. Simile est ergo quod ait, quia plantavit vineam, et sepe circumdedit eam, seu maceria, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim. Dissimile vero, quod in Isaia ipsam vineam accusat plantator vineæ cum ait : Exspectavi ut faceret uvas, et fecit spinas. Porro in Evangelio non vinea accusatur, quasi quæ non fecerit fructum in tempore suo, sed coloni, qui susceperunt, et patrisfamilias servos diversis contumeliis affecerunt, novissime et ipsius patrisfamilias filium occiderunt. At vero rursus in Isaia ipsi vineæ comminatur, dicens : *Auferam sepem ejus, et erit in rapinam, et destruam maceriam ejus, et erit in conculcationem* (*Isa.* v, 5), etc. Sed et nubibus se promittit mandaturum, ne super vineam illam pluant imbrem, quæ fuit juxta eamdem prophetiam domus Israel, quia nullum fructum fecerunt. In hac vero parabola vineæ, non aliquid vineam invenimus patientem, sed magis consecutam, ut fructus possit ferre ampliores, Dei providentiam. Unde et aufertur ab impiis colonis, et datur genti meliori. Coloni autem pravi et pessimi omnem excipiunt iram, et ipsi contra se sententiam inferunt suæ damnationis, cum dicunt interrogati, *Malos male perdet*, etc. De eadem namque vinea Jeremias dicit ad populum, *Ego te plantavi vineam*, fructiferam, vel *electam, omne semen verum, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ ?* (*Jer.* II, 25.) Videtis quoniam in prophetis populus Judaicus vinea appellatur, et in eisdem comminatio patrisfamilias contra vineam fit. At vero in Evangelio vinea omnino non culpatur, sed coloni. Et ideo quidam eximii doctores, vineam hoc loco non ad populum, sed ad doctrinam legis, vel ad justitiam quæ ex lege est, transtulerunt; eo quod cultus et providentia Dei in eisdem Scripturis sacris insita est. Unde et Dominus, *Tolletur a vobis*, inquit, *regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Manifeste per mysterium regnum Dei voluit vineam intelligi, id est legem et prophetas, et omnes divinas Scripturas, quas tradidit Dominus vineæ. Primum quidem colonis, populo illi priori, quia primum eis credita sunt eloquia Dei : deinde illis abjectis, secundo tradidit ea gentibus, fructum Scripturarum facientibus. A qua sane vinea, jam ultra nec sepis aufertur, nec maceria destruitur, neque ultra in rapinam et conculcationem **885** Scripturarum venire creditur. Sicque deinceps ex eisdem Scripturis et torcularia traduntur, et turris in contemplatione, et repulsione hostium, ab eis satis decenter erigitur. Sed nos, quia et in alia parabola vineæ, ipsos cultores vineæ, et operarios qui missi sunt per diversa horarum spatia, ad operandum in ea, ipsam vineam esse diximus, eo quod palmites essent vitis veræ ; et quot sanctos ab initio sæculi usque in finem, in ea Christus conduxit, quasi tot palmites in se propagavit, ex quibus hæc vinea tota fructificat et crescit. Idcirco hanc, quam locavit agricolis, non aliam nos intelligere oportet, quam ipsam eamdemque, in

Introdusă în format electronic de Google

qua supra conduxit operarios, hora prima, et tertia, et sexta, nonaque. Et peregre profectus est, non loci mutatione, sed pro libertate arbitrii dicit, ut vinitoribus daretur facultas interdum operandi. Alioquin Deus unde abesse potest, qui complet et circumplectitur omnia, sicut ipse ait per Jeremiam : *Ego Deus appropinquans, et non de longe?* Sed hujus vineæ parabola ideo alia videtur quam illa superior, vel de qua prophetæ loquuntur, quia ut supra estendimus, longe aliter figura ipsius introducitur abumbrata. In qua non solum cultoribus vineæ nulla repromittuntur præmia; verum ipsi, ac si prophetali Spiritu, suo se condemnant judicio. Ad hoc quippe contra eos qui superbe Dominum in templo docentem sunt congressi, hæc parabola introducitur, ut eos revincat potius exterminatores vineæ fuisse, quam cultores. Unde quam provide satis, et quam bene præsens parabola vineæ variatur: sicut et, in quamplurimis locis Scripturarum consuetudo est, ut una eademque res varie figuretur in parabolis, et singulæ suis habeant singula locis ac personis, et temporibus, negotia causarum diligentius attributa. Unde prior parabola vineæ simul ab initio sæculi usque ad finem omne tempus concludit; operarios in vineam conduxit, nec ullum tamen a conventione denarii privat, sed omnes quoscunque conduxit, in fine mercede remunerat su laboris. Et ideo non nisi solos electos, quos præscivit et prædestinavit, in ea parabola jure vocatos accipimus : qui omnes novissimi ac primi, simul in unitate vineæ laborarunt, unaque æternitate beatæ immortalitatis glorificantur. In hac vero parabola ipsa eademque vinea commendatur, et cura amplior ac diligentia exprimitur, seu quidquid in illa **886** prætermissum est, tam hic, quam in prophetis, ad liquidum describitur. Insuper et reprobi operarii vel coloni, qui ad eam excolendam vocati erant, quos aliæ parabolæ prætermiserant, ista in persona Pharisæorum et Scribarum manifeste condemnant. Propter quod hæc parabola sic contexitur, quia boni et mali simul, olim ab initio legis, sicut et nunc, misti erant; ut ea pars vineæ, licet in paucis, quæ fidem Christi receptura erat, incontaminata ad excolendum aliis tradatur colonis; ea vero quæ non solum fructum ferre contempsit, verum etiam ac si operarii vineæ, qui ad se missi sunt servos peremerunt. Idcirco hæc parabola introducta non latior esse videtur, quam ex eo tempore quo Judæi translati sunt ex Ægypto, usque ad Christum : de qua David canit, dicens : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Psal.* LXXIX, 9). Quæ nimirum vinea non solum et in Ægypto jam erat, verum etiam ab initio sæculi propagabatur in sanctis patribus et patriarchis. Sed inde ac si in sexta hora diei translata, ejectis gentibus, quia infructuosæ erant, plantata est dextera Dei in terra olim patribus repromissa; cujus *umbra operuit montes, et arbusta ejus cedros Dei, et extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus* (*Ibid.* v. 11, 12). In qua nimirum vinea; aliæ fuerunt vites quæ conversæ sunt in amaritudinem, juxta Jeremiam, vitis alienæ, aliæ quæ placabilem Deo fructum tulerunt. Ex quibus utrisque partibus ipse testatur propheta David, quod alia pars ejus male perdenda esset, alia vero in melius perficienda, et super filium hominis, ac super montem collocanda. Unde ex una earum parte prophetans ac gemens dicit : *Ut quid defluxisti maceriam ejus*, vel sepem, *et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?* (*Ibid.*, 13) Quam sane vineam, quia pœnitere noluit, *exterminavit aper de silva, et ferus depastus est eam* (*Ibid.*, 14), id est exercitus Romanorum sub Tito et Vespasiano, qui missi sunt ad perdendos malos et pessimos vineæ colonos; qui non solum vineam sibi commissam excolere, ut fructum ferret Dei, noluerunt, verum etiam seipsos de propagine veræ vitis absciderunt, insuper et eos qui fructum in vite per fidem manentes ferre curabant, perimere semper gestiebant. De qua profecto vinea, quæ permansit in vite, orat præfatus Propheta dicens : *Deus virtutum, convertere, respice de cœlo et vide, et visita vineam* **887** *istam et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis*, inquit, *quem confirmasti tibi* (*Ibid.*, 15). Quia in eo et ipsi plantati erant, et confirmati fide, ideo permanserunt in radice suæ pinguedinis. Cæteri vero rami, vel palmites vineæ, quia confracti sunt, aruerunt. Isti autem dextera Dei introducti sunt, sicut Maria canit soror Aaron in Cantico, in monte hæreditatis Dei, et plantati in habitaculo firmissimo Dei, quod operatus est Deus, et non homo, et in sanctuario quod firmaverunt manus ejus. Quæ bene vinea, perditis et ejectis malis colonis, locata est et commissa apostolis, vel apostolicis viris. Ad quam omnis natio gentium, et in qua auctore Deo inserta est, et propagata de vite quæ Christus est, in qua Pater est agricola, et dilatatur quotidie per universum orbem. Nam regnum cœlorum sæpe præsens Ecclesia dicitur. Dicitur autem et Christus, qui in ea caput est, frequenter regnum cœlorum. Unde cum illi pessimi coloni indignos se judicaverunt æternæ vitæ, nolentes Christum recipere, aufertur ab eis Christus, aufertur et Ecclesia, auferuntur et omnia sacramenta salutis, et datur his qui credunt in Christo, tam Judæis quam et ex gentibus, ut reddant singuli fructum fidei temporibus suis. Ac per hoc non est necesse regnum Dei solas Scripturas divinas intelligere, sicut nonnulli volunt, ut ab eis liceat de ipsa vinea latius dogmatizare, et nonnulla introducere sui erroris. Porro vineam quam prophetæ degenerasse plangunt, quia non permanserat in vera vite, ideo in hoc loco Christus malos colonos vocat, et transformat parabolam suam ad ipsos, ut ipsi non vinea sed agricolæ dicantur, quatenus de se manifeste principes sacerdotum et scribæ dictum intelligant, seque proprio condemnent judicio, et alienos ab hac vinea se recognoscant; ut seniores populi qui interrogaverunt Dominum *In qua*

Introdusă în format electronic de Google

potestate hæc facis, et quis tibi dedit hanc potestatem, et volebant in verbo capere sapientiam ejus, superarentur verbis, et ipsi se suis alligent vinculis, ne ultra ei loqui audeant. Alias autem, quia sacras Scripturas dicunt pravi dogmatizatores, ipsam viam esse, vel regnum Dei quod aufertur a Judæis. Quomodo aufertur ab eis quod habent, nisi cum Christus, qui in eis prædicatur, aufertur, imo ne credatur repellitur; omnis intelligentia Scripturarum evacuatur et tollitur ab eis. Et cum igitur per apostolos **888** transfertur in gentibus, quibus Ecclesia commissa est, radicatur in cordibus eorum, et plantatur Christus vitis vera, ut omnes ex eo propagentur, et crescat in toto terrarum orbe vinea una, quam bonis et melioribus Christus commisit agricolis, qui reddant ei fructum multiplicem temporibus suis. Quibus ita dictis contra eos qui dicunt ex vinea neminem posse perire; et aiunt non solum in hac parabola nullam culpari vitem, verum etiam salva melioribus committitur colonis.

Tandem redeamus ad ordinem ipsius parabolæ, quoniam quidquid ædificatum dicitur in ea totum augustius hodie cernitur in Ecclesia. *Et sepe circumdedit eam*, inquit, id est muro Jerusalem, vel melius angelorum custodia. Angelos enim illis præfuisse ad custodiam nemo qui dubitet, cum in multis locis Scripturarum sit ostensum. Unde, ut ipse Josephus narrat, cum jam destruenda esset misera civitas, et populus obsessus, vocibus in ea clamasse, Transeamus ex his sedibus. *Et fodit in ea torcular*, altare scilicet in quo omnia eorum eliquabantur vota. Vel etiam hoc propter illa torcularia dicit, quæ in titulis trium psalmorum prænotantur; eo quod in his mysteria Dominicæ passionis et Ecclesiæ sacramenta prænonstrantur. Non enim fuit populus Judæorum sine pressura tentationum, neque ex toto Synagoga eorum sine fervore Spiritus sancti. Quæ torcularia cum in Ecclesia sint translata, repleverunt musto Spiritus sancti corda credentium; cujus fervore cum essent potati, ebrii dicebantur et pleni musto. Inde igitur est quod prophetæ et sancti omnes sancto ferventes Spiritu afficiebantur ardore charitatis, de quorum passionibus et pressuris bene dictum est, quod *vino torcularia redundabunt* (*Prov.* III, 10). Alioquin sancti omnes, nisi isto ebrii essent musto, nunquam talia tantaque ferrent sponte, quæ pertulerunt, quos Spiritus sanctus mundabat. Et bene dictum est, quia *fodit in ea torcular*, eo quod interior ubertas fructus gratiæ, nisi haberet latius in charitate corda defossa, non esset quod flueret tanta vini exuberantia. Ad hoc quippe defossum est torcular, ut ex pressura tribulationis ebrietas amoris et mustum æternæ dulcedinis copiosius ac latius fluat. *Et ædificavit turrim*. Haud dubium quin templum, de quo dicitur per Michæam. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion ad te veniat potestas prima* (*Mich.* IV, 8). Sed forte melius **889** verticem legis, et intelligentiam de Christo esse dicimus, quoniam omnis speculatio legis, et fortitudo contra hostes in ea est; unde bene ad eum oramus: *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis, a facie inimici* (*Psal.* LX, 4), quoniam de ipso, et in ipso, est omnis contemplatio nostra, ne capiamur ab hostibus, et ipse omnis fortitudo et refugium, et protectio nostra. Quem quia Judæi rejecerunt, capti sunt ab hostibus, et subversa sunt eorum torcularia, sepes quoque ab eis ablata. Quam sane sepem vineæ extrinsecus circumpositam, ipsas Scripturas juxta litteram esse quidam dixerunt, eo quod quasi murus aut sepis claudant a foris quæ intus sunt, ne videantur fructus vineæ, qui sunt in abscondito. Porro severitas legis, et grave jugum, torcular ab eis accipitur. De quo jugo vel pressura Apostolus dicit, quod nec nos potuimus portare, nec patres nostri. Turrim vero, ut dixi, ædificatam in ea, ascensum Scripturarum habentem, eminentiam et altitudinem intelligentiæ, super vineam ipsam, et super sepem, et super torcularia, quod est verbum de ipso Deo, et de dispensatione Christi, et templum divini sensus, quod construitur in eo; quia quicunque in Christi protectione subsistit, nunquam facile vulneratur, nunquam ab hoste incaute decipitur. Sed miseri sacerdotes et Scribæ, qui nec ex torcularibus prophetarum, in quibus gratia sancti Spiritus fluebat, mustum hauserunt defecatæ vindemiæ, neque ascenderunt altitudinem legis et prophetarum; ex qua velut speculatores Christum venturum prospicerent, et specularentur quæ ventura prænuntiabantur in eis.

Cum autem appropinquasset tempus fructuum, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Agricolæ autem apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Dederat enim eis præcepta operis, et instituerat culturam vineæ, ut fructum perceptum in se exhiberent. Ipsi vero nullum exhibentes fructum vineæ servos Domini sui peremerunt, et ideo bene *tempus fructuum* posuit, et non proventum. Nullus enim fructus justitiæ in eis exstitit, nullus in Christo, qui est vitis vera, profectus fidei. De qua profecto vinea ipse ait, Exspectavi ut faceret uvas, fecit autem spinas. Itaque non lætitiæ vino, non spiritali musto torcularia **890** eorum redundarunt, sed cruentum prophetarum sanguinem fuderunt. Et notandum quod patrisfamilias est solius, cognoscere vere tempus fructuum, quando uniuscujusque hominis appropinquare debeat, vel quando adhuc longius est tempus. Quod satis considerare oportet per singulas ætates, non solum temporum, verum etiam et hominis. Unde considerare oportet ex quo vocatus est unusquisque, et discutiendum est tempus fidei nostræ, ut possit videre quilibet nostrum, quantum vel qualem ferat fructum secundum tempus ætatis suæ, et incrementa fidei; ne forte cum debeat aliquis esse magister, secundum maturitatis tempus, iterum opus habeat doceri, qualia sint elementa principii eloquiorum Dei; et cum oportuerit iam quasi via

Introdusă în format electronic de Google

præcoqua maturescere mustumque proferre, et jucunditatem sancti Spiritus exhibere, tum primum turgescat in gemmam. Inde igitur est quod cum deberent quidam, quantum ad tempus dispensationis Dei, et secundum vocationem suam, jam fructus afferre ubertatis, ut omnino non habeant; aut cum deberent habere perfectos, habeant extra tempus florentes, et non in tempore suo acervos. Sed paterfamilias novit pro certo quando debeat esse tempus vindemiæ, et quando exigendus est fructus singulorum. Et ideo ait de illis : *Cum appropinquasset tempus fructuum;* quia longe diu erat, quando per Moysen legem acceperant, multisque Dei beneficiis eruditi, jam tempus erat ut fructum fidei de Christo et de Deo Patre saltem in tempore prophetarum redderent, quam et ipsi abundantius atque perfectius annuntiabant. Sed illi infidelitatis jugo depressi, alium ceciderunt, sicut Michæam, quando percussit eum Sedecias filius Chanaan in maxillam pseudoprophetæ, et jussit ne prophetaret; alium occiderunt, sicut Zachariam, inter templum et altare; alium lapidaverunt, sicut Nabuthan, cujus etsi nullam accepimus propheticum verbum, accepimus tamen in eum propheticum factum; quia multos pro hac vinea futuros martyres proprio sanguine prophetavit. Sed et Jeremiam multis excruciaverunt tormentis, quem demum in lacu miserunt. Isaiam quoque facilius per medium secarunt, a vertice capitis usque ad ima, quam ejus fidem, ejusque constantiam disrumperent. Eo **891** igitur factum est, quia tempus fructuum instabat, ut complures alios servos ad accipiendos fructus destinasset, ut acciperent fructus uniuscujusque vitis. Nemo igitur est, qui ambigat, servos prophetas dici, qui ad eos quam sæpe missi sunt. Sed forte dicit aliquis, quod prophetæ non ad accipiendos fructus missi sunt, quinimo ut operarentur ipsi, et excolerent vineam, operarii potius sunt dicendi. Videamus ergo si possumus dicere, quia spiritales fructus et divinas oblationes Deo Patri ac Filio, jam tempus erat, in lege edocti Judæi, ut persolverent in fide, maxime levitæ et sacerdotes, atque principes populi, qui coluerant vineam, et dominabantur eorum. Ad quos transmissi sunt prophetæ, ut acciperent perfectam intelligentiam eorum, de Patre et Filio, etiam et de Spiritu sancto; necnon et omnia rectæ fidei opera, quæ in lege, tam significandæ quam agendæ vitæ, tradita sunt, et offerrent ea, quasi sacerdotes, Deo. Et quia jam tempus vindemiæ permaturum erat, ut ab ipsis acciperent ubertatem spiritalium rerum fructus, et plenam notitiam Deitatis; missi sunt ita ut et ipsi operarii essent vineæ perfectissimi, et fructum ferrent uberrimum, ac si palmites veræ vitis. Deinde peremptis paucioribus, paterfamilias misit plures prioribus ad eosdem vineæ colonos, et fecerunt eis similiter. Plena est Scripturarum series Veteris Testamenti, quod innumeros occiderunt prophetas. Sed et Paulus eorum describit agones, quod per fidem viceruut regna, et cætera quæ in eo leguntur. Ergo quod plures rursus ad eos mittuntur, nimia bonitas est, et infatigabilis patientia. Qui cum post tanta beneficia, sine exactione Dei, et prophetarum admonitione, debuerant Domino justitiæ suæ, et fidei de Christo, tributa ac bonorum operum persolvere debita, reddiderunt mala pro bonis. Nec tamen sic credentibus illis, cum debuisset magis pro contumeliis servorum quæ intulerant, irasci, mittit adhuc plures; minores scilicet prophetas, simul cum majoribus, quos pene uno in tempore aggregavit pariter cum sacerdotibus et levitis. Quibus interfectis, ita ut Hierusalem, teste propheta, repleretur sanguine, propter bonitatem et nimiam patientiam suam, ut vel sic eos vinceret per clementiam, misit eis filium suum. Et hunc non quasi ad obnoxios, **892** sententiam pœnæ bajulantem, sed misericordiam veniæ post tot scelera, post omnia damna fructus, post insolentiam pravitatis, adhuc eis locum pœnitentiæ servans. Et dicit ita : *Forsitan verebuntur Filium meum.* Vult ergo eos magis confundi, ac revereri, quam punire. Alioquin pro tantis injuriis ultio culparum inferenda jam erat. Sed benignissimo Deo sufficit sola vindicta pudoris ad veniam, et sola perfecta conversio ad indulgentiam. Nam omnis injuria servis illata ad Domini respicit contumeliam. Tamen mittit Filium suum, non adoptivum; non aliunde quam ex se genitum, sed proprium, qui possidet quæ Patris sunt a natura, dicens : *Forsitan verebuntur Filium meum.* Hoc quippe dubitantis proverbium, non de ignorantia venit, neque ex ulla dubietate præscientiæ Dei. Quid enim nesciat paterfamilias, præsertim cum hoc loco Deus Pater intelligatur? Sed ideo ambigere dicitur, ut libera eis voluntas reservetur, et gratia offeratur. Unde arguendi sunt hæretici, qui dicunt Filium ignorare, eo quod ait diem novissimam neminem scire nisi Patrem. Dicit enim quod diem illam nemo novit nisi solus Pater, et cui ipse voluerit eam revelare, et tamen in nullo Filius minor Patre prædicatur, neque in potestate, neque in scientia, neque in ulla alia re. Idcirco sicut ibi ad aliquid se nescire dicit Filius; ita et hic ad aliquid Pater dubitare creditur. Propter quod et sententiam temperat, non ut ignoret quod futurum erat, sed ut introducat modum loquendi, sicque eos suo capiat judicio quibus loquitur, et præstet, ac si humano eloquio, locum convertendi. At vero hæretici quidquid hoc loco pro parte responderint, totum responsum intelligant et pro Filio, qui se dicit ignorare consummationis diem. Nisi forte alio sensu hæc quæstio ista solvatur, ut alii sint ex Judæis qui reveriti sint Filium Dei, et alii coloni illi, qui dixerunt : *Hic est hæres, venite, occidamus eum.* Et tamen quasi de omnibus dicit Judæis, quod occisuri sint eum, cum non omnes Judæi occiderint Christum, sed tantum qui secundum carnem fuerunt servi Judæi; ita et hic totum pro Patre forte ponitur, *reverebuntur Filium meum*, quasi omnes eum sint reverituri

Introdusă în format electronic de Google

cum non omnes eum receperunt, sed pauci qui **893** Spiritu sancto sunt illuminati, et crediderunt in eum. Et sic generaliter quasi de omnibus dicit, cum non omnes fuerint, sed pauci qui reverentiam fidei ei præstiterint. Utrumque ergo sensum ideo protulimus, ne alicui videatur Deus Pater nescisse. Quia juxta præsentem textum Evangelii nequaquam Judæi videntur eum reveriti. Sed et dicere aliud esse factum, quam quod præscitum est, aut non præscire Patrem potuisse, impium est sentire. Nam hoc quod dictum est, *Hic est hæres, venite, occidamus eum*, in illis impletum est, qui videntes Christum, et cognoscentes eum Filium Dei, nihilominus occiderunt eum. Non enim hoc dixerunt illi qui reveriti sunt, et crediderunt in eum, sed illi pessimi et obstinati. Non quod nescissent eum patrisfamilias Dei esse Filium, sicut quidam incaute affirmant, sed invidia cæcati, et fastu superbiæ; atque concupiscentia rerum obfirmaverunt faciem suam, sicut et fratres Joseph, ne eum fratrem agnoscerent. Agnoscunt quidem, sed somniatorem eum vocant, unde et eis livor natus fuerat, sicut et isti blasphematorem Christum, et quod Beelzebub omnia fecerit miracula, quæ Deifica nemo qui sanus est, negat. Unde et isti licet obcæcati furore sævirent, dicebant ad alterutrum: Nonne hic est Christus? Ad quos alii, veritati resistere gestientes, responderunt: Christus cum venerit, nemo sciet unde est. Hunc autem scimus unde sit. Hoc quippe magis ex negatione veritatis asseverabant mentientes, quam ex ignorantia prophetarum, qui omnia de illo quæ futura erant, et ubi nasceretur, et unde, vel quomodo, luce clarius prænoustrarunt. Sed signa et prodigia videntes, intellexerunt eum esse Christum, quem confiteri noluerunt, sed moliebantur magis eum occidere, quem credere detrectabant. Sicut Herodes impiissimus, cum didicisset a Magis natum esse regem Judæorum, inde acrius inflammatur, et molitur exstinguere, quem ex Dei oraculis didicit repromissum. Constat igitur principes sacerdotum et seniores populi Christum cognovisse, quia Filius Dei erat, et si sanctum nesciebant, sed nihilominus ausi sunt eum occidere, sicut et Herodes pueros. Alioquin si non credidisset, quia Christus erat rex Judæorum futurus, nequaquam omnes occidisset infantes, secundum tempus quod didicisset a Magis. Sicut et duricordes Judæi cognoverunt **894** quidem tam ex prophetia quam ex miraculis, sed quasi si non cognoscerent, obfirmaverunt se, et noluerunt divulgare in populo quod Dei Filius esset; neque ut sermo eorum vel assensus ad plebem pervenisset. Nec mirum, cum et adhuc hodie qui disparsi sunt et ejecti, duriores sint, ne veritatem de Christo secundum Scripturas possint recipere, quam lapides. Unde et illi nimio obfirmati odio; ejecerunt eum extra vineam, et occiderunt. Hinc itaque Apostolus ait, quod extra portam Dominus crucifixus sit, id est extra Jerusalem in monte Calvariæ. Quoniam quantum ex ipsis fuit, alienum eum esse judicaverunt coloni pessimi a vinea, id est, a populo Dei, quando sententiam mortis contra eum tulerunt. Sed bene ejectus est extra illam vineam, quæ fecit spinas; et ibi occisus, ut suscipientibus se gentibus, aliis vinea locaretur agricolis.

Cum ergo, inquit, *dominus venerit vineæ, quid faciet agricolis illis?* Interrogat eos Dominus, non quod ignoret quid responsuri sint, sed ut ipsi propria responsione damnentur. Verum ipsi cur eum occiderint, inter cætera testantur. *Hic est hæres*, inquiunt, *venite occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.* Hoc quippe etsi non voce, corde tamen dixerunt. Maxime tunc quando intravit in templum, et omnes vendentes animalia diversi generis, quæ ad sacrificium vendebantur, foras ejecit. In quibus sacerdotes avari lucri gratia inflammabantur. Tunc præcipue, quantum videtur, firmaverunt eum occidere, forte dicentes intra se: Si populus aut nos istum habuerimus in Deum, necesse est ut dimittatur omnis consuetudo hostiarum, quam ad præsens jam conatur destruere, et cessabit ista religio quæ ad nostrum pertinet lucrum, et humiliabitur ab isto gloria nostra; sed et cultus peribit templi, qui ad gloriam servatur Dei, et populus iste qui offerunt ea jam non erit in nostra subjectione, neque templum et hostiæ nostra possessio, sed hujus erit hæreditas universa. Unde occidamus ipsum, et omnia quæ ipse sua dicit esse, et Patris, erit nostra hæreditas, ut sicut hodie, ita et semper ad nostrum omnia pertineant lucrum et ad nostram pertineant gloriam. Hoc quippe est dicere, nostra erit hæreditas. Sed ipsi a sapientia Dei sapienter conclusi. longe aliter de se responderunt interrogati, **895** sua jam conscientia prædamnati. Aiunt enim illi: *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis.* Porro quod dixit aiunt *illi*, non pluralis est nominativus, ut ad illos referatur, sed singularis est dativus quod ex Græco aut ω manifestius intelligitur; nequaquam illorum est quod verum responderunt, sed Dei nutu factum est, ut ipsa Veritas violentiam eis inferret ne possint eam celare. Sicut nec Caiphas sacerdos qui non ex se dixit verum, sed *cum esset pontifex anni illius, prophetavit* (*Joan.* XI. 51): ita et isti, non sua sponte prophetaverunt contra se, sed Dei nutu, ut dixeram, quod tollenda ab eis essent omnia eloquia Dei, quæ de Christo erant, et in Gentibus Christus et omnis religio, et cultura servitutis Dei, illis abjectis transferenda: ut singulæ Gentes singulique homines faciant fructum boni operis in tempore suo. Interea quia longe aliter Lucas narrat, evidens quæstio generatur, quod sacerdotes hoc non dixerint, *Malos male perdet*, sed Dominus, et hoc cum dixisset, dicunt illi, Absit. Intellexerunt enim secundum Lucam quod contra eos diceret, idcirco mox contradicunt sententiæ Christi, et aiunt, Absit. Quæ nimirum quæstio duobus modis solvitur, ut uterque evangelista verum dicat, et singuli sensus eorum unam expleant controversiam sacerdotum. Una siquidem earum intelligentia perfacilis est, si respicias ad eos in plebe qui dicebant, *Quia bonus est*, et

Introdusă în format electronic de Google

ad eos qui dicebant, *Non, sed seducit turbas* (*Joan.* VII, 12). Quia in eisdem turbis duæ partes erant, una quæ favebat Christo, quibuslibet ex causis, alia quæ contradicebat. Et ideo hoc loco fuerunt, qui responderent interroganti, *Malos male perdet;* et si non alii forte illi qui clamaverant, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Iterum fuerant quidam, qui verbis Domini contradicentes, responderunt illud quod Lucas ait, Absit. Porro alio modo, quod nutu Dei, quamvis nollent, ut dixi, in prophetia dixerunt, Malos male perdet, corde vero contra dixerunt, Absit. Unde unus evangelistarum dixit illud quod in corde gesserunt. Sicut dicitur in Psalmis, *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant* (*Psal.* LXI, 5). Habet enim omnis homo scientiam boni et mali; et ideo isti, quidquid horum dixerunt, aliud contra dixerunt, unde et cogitationibus eorum secundum impietatem suam interrogatio erat. Quia etsi verbis diserunt, absit, conscientia confessi sunt, quia, *Malos male perdet.* Frequenter **896** autem Scriptura cogitationes cordis sic exponit quasi dicta sermonis. Unde Job, Dicit impius Deo, discede a me, vias tuas nosse nolo. Et alibi Propheta, *Dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob* (*Psal.* XCIII, 7). Sic et in aliis quamplurimis locis. Alioquin videtur esse contrarium, quia intellexerant contra se dictas esse parabolas; ita ut vellent eum mox tenere, ut corde et ore consentirent quæ dicebantur. Unde illis non acquiescentibus, aliud adhuc introducit Scripturæ testimonium dicens, *Nunquam legistis*, ac si diceret: Quod si parabolam meam non intelligitis, aut non valtis eam recipere, vel istam Scripturam, quæ in prophetia vobis data est revolvite, cui contradicere non potestis, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Nam si illi supra acquievissent, ut dicerent dignos se esse pœna, non videtur fuisse necesse istud proferre. Nunc autem eos quos dixerat agricolas ædificatores domus vocat; et bene, quia ipsa vinea, teste Propheta, domus Israel erat. Ac si diceret eis, Quia vos ædificatores estis domus quare non cogitatis in cujus ædificii angulo ponendus ille lapis sit, de quo Propheta dicit: Nam vos ædificatores domus, reprobatores inventi estis hujus lapidis. Nunquid in vestra ponendus est structura, qui reprobatur a vobis? Non utique, sed in alio ædificio, et in angulo duorum populorum, ut una sit domus, sicut et a vobis translata una est vinea, unaque Ecclesia. Quod si aliud ædificium futurum est, vestra ædificatio contemptibilis est. Quæ nimirum constructio versus, juxta litteram videtur solœcismus esse, sicut illud, urbem quam statuo vestra est, pro eo quod debuit dicere urbs. Sed hoc genus est locutionis in Scripturis divinis, eo quod oportuit dicere, Lapis quem reprobaverunt, ipse factus est in caput anguli, ut duas in se conjungat parietes. Quia illi, si essent ædificatores probabiles, nunquam hujusmodi lapidem reprobassent. De quo sane lapide Isaias dixerat: *Ecce pono in Sion lapidem in fundamentum, lapidem electum, pretiosum, angularem, et qui crediderit in eum non confundetur* (*Isa.* XXVIII, 16). Ipse namque est lapis adjutorii, lapis quem erexit Jacob in signum, et perfudit oleo; quoniam perunctus est oleo Spiritus sancti præ participibus suis. De quo lapide Petrus quoque loquitur confidenter ad Judæos: Iste lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, **897** qui factus est in caput anguli. Quoniam et angularis est lapis iste, et fundamentum Ecclesiæ. *A Domino*, inquit, *factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (*Psal.* CXVII, 22). Hæc vox est sanctorum confessio; quod ab homine, neque humana virtute factum est, sed potentia Dei et virtute Patris, et ideo est mirabile non in conspectu infidelium, sed in oculis omnium eorum qui credentes illuminati sunt per fidem. Quod mirabile præ omnibus miraculis mirabilius est, ut Deus homo fieret, et ipse lapis crescendo juxta prophetam, omnem terram impleret; qui cœlestia simul et terrena jungeret, duasque leges in se uno colligeret. Et ideo valde mirabile est in oculis sanctorum, quorum vox ista est, quia caput est cœlestis ædificii, et fundamentum domui donatum a Deo Patre. *Ideo*, inquit, *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus;* de quo jam supra satis diximus, nisi quod diligentius perscrutandum est quod ait, dabitur aliis agricolis qui reddunt ei fructum temporibus suis. Quia nemini datur regnum Dei, id est mysteria verbi Dei, nisi facientibus fructum in eo, et ex eo. Quod si ita est, nemini datur qui peccat. Hinc forte dicturus est aliquis: Si nemini datur regnum Dei, nisi facienti fructus ejus, quomodo illi populo datum est, a quo ablatum est, quia fructum ejus non fecit: Sed considerandum quia supra illi populo non est dictum, dedit eam colonis, sed, Locavit, vel sicut melius in Græco habetur, Tradidit eam agricolis. Hic autem aufertur, ait, et dabitur aliis agricolis. Quod si supra ita dixisset, dedit, quemadmodum locavit, vel tradidit, indissolubilis esset quæstio. Nunc autem dabitur dixit, quia quod datur gratis intelligitur datum, quod vero locatur vel traditur, non omnino gratis datur, neque quasi electis vel fidelibus tradidit vel locavit, sicut quibus gratis dedit cum judicio electionis, et non ex merito suæ virtutis, ut sint justitiæ Dei subjecti, et non suis operibus ex lege justificati. Quia talis justitia habet meritum, sed non ex Deo. Sequitur

Et qui cecidit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum. De seipso dicit, quia se vult intelligi positum in fundamentum totius Ecclesiæ. Quod aliud est offendere Christum per mala opera, et aliud negare Christum, et a se repellere. Unde qui peccator est, **898** et tamen in illo credit, cadit quidem, sed super lapidem, et ideo confringitur ad pœnitentiam, sed non omnino conteritur penitus ad interitum, quia servatur allisus contritione cordis, ad indulgentiam salutis. Super quem vero ille ceciderit, hoc est, quem lapis ipse repulsus a corde oppresserit, id est qui Christum negaverit, sic conteret eum ut nec testa quidem re-

Introdusă în format electronic de Google

maneat, qua hauriatur pusillum aquæ, vel in qua portetur igniculus de incendio. Quidam tamen volunt, eos qui super lapidem ceciderint, intelligi qui propter Christum corpora sua in mortem tradiderunt, id est, super ipsum occubuerit et confringatur caro et ossa eorum. Super quos vero Christus ceciderit, id est, qui eum penitus negaverint, ut dixi, veniet illis desuper in judicium, cum pœna perditionis. Et ideo dixit, conteret eos, ut sint impii tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Nonnulli vero textum sequentes et circumstantiam lectionis, dicunt gentes esse, quæ super Christum allisæ sunt, et bene de superbia sua ceciderunt super eum, et confractæ in humilitatem ut salvarentur. Quia cum sic ceciderit justus, non conteretur, quia Dominus supponit manum suam. Super quem vero ceciderit, id est, super Judæos, qui eum a se expulerunt, conteretur; et ideo sic contriti sunt et comminuti cum venerit ad judicium, ut nihil aliud superveniet eis, nisi repentinus interitus. Magnus est ergo iste lapis et fortis. Et ideo quicunque super eum cadit et percutit eum, ipse se collidit et confringit; lapidem vero Christum nemo lædit; se quidem corrumpit, quia super lapidem peccator cadit. Et non lapis eum tantum confringit quia benignus est, quantum ipse se allidit ad lapidem. Quia non secundum se quod lapis est fortis, frangitur aliquis, sed secundum quam fortiter ipse ceciderit. Fortiter autem cadit, quod cadit aut propter pondus proprii oneris, aut propter altitudinem, qua quisque altius fuerit sublimatus. Unde non omnis casus æqualiter ruentem confringit, sicut nec æqualiter omnes juxta Apostolum, super fundamentum quod Christus est, ædificant. Et ideo perpendat unusquisque quantum et unde cadit, et quod cadit. Quoniam aliter cadit per humilitatem, ut resurgat, et aliter ille ut confringatur, et male fractus jaceat. Tamen dum super fundamentum, id est **899** supra petram, quæ Christus est, quisque cadit non sic confringitur, ut non potens sit figulus luti de eisdem testulis vas rursus formare in honorem, nisi forte obduruerit aliquis, ne bitumen recipiat charitatis, et ne mollescere possit rursus ad ablutionem peccati. Cæterum super quem lapis cadit, non quæritur quam grave fuerit quod oppressum est subtus, aut quam leve, ne aut de alto, aut de humili, quia totus conteritur. Et ideo forte Christianus peccans non tantum perit, quantum potest eum perdere Christus, vel quantæ virtutis Christus est, sed quantum se ipse secundum opera sua perdiderit. Idcirco cogitet Christianus, dum tempus, et super petram est, quo pondere peccatorum premittur, vel quam de alto, id est de quo gradu cecidit; ut puta si clericus est aut continens, si sacerdos est, aut Levita vel Monachus, si vidua est vel virgo. Similiter et magnitudo peccati vel enormitas consideranda est. Quia, sicut dixi, tantum unusquisque confringitur, quanto amplius gravius peccaverit. Qui autem non de alto honoris gradu cecidit, neque de pondere gravioris peccati super Christum, neque arena delictorum gravatus fuerit, interdum talis non læditur, non multum læditur, quia quotidie in oratione precibus purgatur. Sed quia prolixitas libri finem postulat, orandus est Deus jugiter, ut qui nobis intelligere dedit periculum nostrum, ipse cavere concedat, ne aut de alto jam ultra ruamus, aut gravius peccemus deinceps, vel multiplicius minimis quotidie gravemur delictis. Imo ea quæ admisimus, jugiter deflendo tergamus; quatenus per ipsum Christum, qui est lapis vivus, renovemur, ac solidemur in melius, ut per ipsum et in ipso inter ejus membra connumeremur. Ut in Christo, de quo, et in quo, est finis libri, in ipso et per ipsum sit deinceps finis peccati, et origo totius boni.

PROLOGUS LIBRI DECIMI.

Nemo evangelistas cum legit æstimet eos de Christo aliquid falsum finxisse, ut multi Judæorum calumniantur; neque aliquid ei plus tribuisse, quam se veritas habet, ut quidam paganorum mentiuntur; neque quamvis inter se verbis discrepare videantur, sensu **900** in aliquo sibi contraria protulisse, ut plurimi veritatis inimici senserunt: quoniam unus in eis spiritus fuit, una et perfecta scientia de Christo, et una fides. Quod ut plenius possis cognoscere, prudens lector, quam concorditer dixerint, quam consone, licet in multis variando verbis, ob dispensationem sacramentorum Dei, nonnulla etiam prætermittendo, seu propria dicendo, vel postponendo aliqua, interdum anticipando vel recapitulando plurima, hæc omnia vicissim quæ contraria videntur indoctis vel ineruditis, velim legas beati Augustini libros quatuor, quos edidit de Concordia evangelistarum; in brevi forte, sensum eorum poteris dignoscere ad plenum, quanta unitas in eis sit, quantaque sententiarum concordia, quanta virtutum harmonia, et splendor varietatis; quantusque ornatus dictorum, necnon et multiplicatio sensuum, et claritas sermonum. Ita ut ex eo quod variant divinior sensus intelligatur inesse illis, et affluentia Spiritus sancti uberior. Quia etsi quatuor sunt Evangelia, unus est fons surgens de terra ex qua veritas orta est, qui omnem irrigat terram et paradisum a principio primæ creationis Dei. Ipseque dividit in quatuor fluminum capita, et inebriat totum quadratum orbem superfundens omnia. Et ideo non possunt, ut pravi homines conantur asserere, inter se esse diversi, quia ab uno fluunt fontis impetu, nec aliunde manare probantur quam de paradiso Dei, unde ista justitia cœlestis de cœlo prospexit, et ad nos usque venit,

Introdusă în format electronic de Google

quia justificamur omnes. Constat igitur, quia non potest esse diversum quod est unum. Nam et ipsi priusquam nati essent in carne, in paradiso, id est in cœlo, visi sunt; per quos ac si per vivos Christus huc illucque fluit. Unde et postea a Joanne, cum esset ipse unus ex eisdem, in cœlo visi sunt ac si quatuor animalia; ubi cum darent illi gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viginti et quatuor seniores procedunt mittentes coronas suas, et adorant viventem in sæcula sæculorum. Quod si in cœlo fratres mei visi sunt, et ad voces eorum dicitur surgere illius æternæ curiæ senatus, id est omnis ordo prædicatorum, et adorare viventem in sæcula sæculorum, quanto magis nos audire oportet et in eorum vocibus intendere, quia non sunt diversæ neque dissonæ, quoniam unus in eis spiritus unusque fons. Et ideo communiter unum dicunt; **901** unumque sapiunt, quia ipsi nihil aliud sunt quam organum Spiritus sancti. Verum quia rivus non aliunde fluit quam de fonte, idcirco non sunt audiendi, qui astruunt Christum potius sua per se scribere gesta debuisse, quam per tales qui nec inter seipsos sibi ad invicem conveniunt, cum illi nihil aliud scripserunt, quam quæ ille ostendit et dixit. Neque puto dicendum, quod ipse Christus de se scribere noluerit, et non fecit, quandoquidem membra ejus, id est manus et digiti corporis scripserunt, quod dictante capite Christo, ipsi intus audiebant. Nam certum est quod quidquid ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribere Spiritus Deus suis manibus imperavit. Quapropter hoc unitatis consortium, et in diversis officiis concorde membrorum sub uno capite Christo ministerium, quisquis recte intellexerit, non aliter accipiet, istis unum narrantibus, qui ad hoc ante mundi constitutionem præordinati sunt in Evangelio hoc quadripartito, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore suo gestabat, scribentem conspexerit. Et ideo ratio est ut sicut ante thronum Dei ad vocem eorum viginti et quatuor seniores procedunt et adorant: ita et nos consona voce demus honorem Deo et laudem ac gloriam, et adoremus viventem in sæcula sæculorum, qui resurrexit a mortuis, et venturus est ad judicium; in quorum vocibus, quia multa nobis de Deo, et ineffabilia reserata sunt sacramenta, nemo de his dubitet quæ Spiritus sanctus per eos Ecclesiis dictavit; nemo, etsi aperta videntur quæ dicunt, totum se intelligere præsumat, quod ab eis est promulgatum. Non vili quidem, ut quidam æstimant sermone, sed divino, in quo non eloquentia, sed virtus renitet sapientiæ. Interea tamen, quamvis et ego tanto indignus videar opere, nec intelligam, mallem suavis esse sententiis et efficax intellectu, quam facundus in verbis. Quia sicut Scriptura dicit divina: Qui suavis est eloquio, majora percipiet. Nam suavis Græce Χρίστος dicitur, quo verbo et bonus intelligitur, et suavis ac lenis et unctus. Quæ omnia bono congruunt viro, maxime ut Spiritu sancto sit delinitus, quo sapienter magis quam eloquenter possit dicere. Unde licet in nullo horum me sufficere credam, tamen utrorumque quia debitor sum, tam vobis quibus scribo charissimis, quam et fratribus quibus servitutis vota persolvo, precibus confido **902** et præsumo meritis, quod ipse dabit dicendi effectum, qui dedit ut facerem charitatis explendæ votum.

LIBER DECIMUS.

Cum audissent principes sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret, et quærentes eum tenere timuerunt turbas, quoniam, sicut prophetam eum habebant. Ecce propter duritiam cordis et incredulitatem atque impietatem, quam habebant in Filium Dei, audiunt auribus quæ corde credere noluerunt. Audiunt apertas propositiones a Christo, quas negare non poterant, et intelligunt omnes contra se Domini sententias esse quibus debuerant emoliri ad fidem. Sed unde converti debuerant ad veniam, inde potius convertuntur ad impietatem, ut videntes non videant, et intelligentes non intelligant. Et volentes tenere ut occiderent, timebant non Deum, sed turbas, quia sicut prophetam eum habebant. Quod volunt eum tenere et occidere, ut supra jam dixi, non modo de ignorantia venit, quod ipse sit Christus, sed de perfidia et contemptu. Quia juxta Salomonem, impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. Et ideo nec sibi parcunt, quia multis obruti malis ad lucem jam respicere nequeunt. Quicunque ergo ficte vel dolose seu insidiatorie Jesum tenere volunt, aut verbum veritatis apprehendere, nunquam eum tenere queunt, nec apprehendere. Multa denique differentia est inter eos qui eum amore tenere quærunt, et inter eos qui odio. Sicut isti eum aliter quærunt tenere, et aliter sponsa in Canticis, quæ surgens ibat per plateas circuiens civitatem et nundinas; quæ postquam pertransivit omnes vix inveniens, tenuit eum ac dixit: Tenebo eum, et non dimittam illum. Sicque tenuerunt pedes mulieres illæ, ex resurrectione, quæ illum adoraverunt; verumtamen non quæ eum suspicata est hortulanum, cui dictum est (quia necdum eum Verbum Patris esse credebat) *Noli me tangere* (*Joan.* xx, 17). Et ideo, ut dixi, nemo tenere Christum potest, nemo tangere, nisi is qui ex fide est, et cui permiserit ipse. Turbæ autem quas timebant principes populi et sacerdotes **903** ipsi huc illucque fluctibus trahebantur, quia imperfecti erant. Forte ipsi erant qui supra osanna canentes, dicebant: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sed quia miseri sacerdotes ab eis tulerant clavem

Introdusă în format electronic de Google

scientiæ, non poterant firmi stare in fide. Propterea quem nunc quasi prophetam venerantur, demum etsi non omnes, quidam eorum contra eum clamant ad favorem seniorum : *Crucifige, crucifige.* Sapiebant quidem turbæ multa de eo quæ vera erant, nec tamen magnitudinem ejus intelligebant, sicut nec vulgus noster. Erat enim Jesus et propheta quidem, sicut ait Moyses : *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus noster de fratribus vestris tanquam me ipsum, audietis eum secundum omnia quæcunque locutus fuerit* (*Deut.* XVIII, 15). Quicunque ergo non audierit prophetam illum interibit, sive exterminabitur, de populo suo. Tamen eminentia majestatis ejus non declaratur, quod vocatur propheta, sed in eo quia est Dei Filius primogenitus universæ creaturæ per quem creata sunt omnia quæ in cœlis sunt, et quæ in terra. Et ideo eminentia ejus est, quod : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1), etc. Sed hoc necdum sapiebant turbæ, licet parati essent pugnare pro eo ; quos tenebant principes sacerdotum et scribæ, ita ut non auderent eum tenere. Et si turbæ nihil magnum sapiebant de Christo, quia tantum sicut prophetam eum habebant, minus tamen sacerdotes et scribæ invidia cæcati et odio, qui neque vulgi scientiæ acquiescere volunt. Quia etsi ex parte eum sciebant Deum, nihil de illo dignum ulli declarare sinebant. Tales igitur sunt omnes hæretici, qui nec ipsi credere recte de Christo volunt, neque alios catholice fidem rectam confiteri permittunt.

(CAP. XXII.) *Et respondens Jesus iterum dixit eis in parabolis : Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo*, etc. Parabolam istam solus Matthæus videtur narrasse, verumtamen etiam Lucas magna ex parte quiddam simile et ipse suo in loco narrare probatur. Unde quidam contendunt, quod una eademque parabola sit in utrisque, licet unus eorum aliquid dixerit plus, sicut de homine non vestito veste nuptiali, quod alter prætermisit. Sed non est hoc ita, quia Lucas nullam nuptiarum facit mentionem. Sed hoc et quod Matthæus prandium dicit, Lucas cœnam vocat; neque si vellet ibi hominem non vestitum veste nuptiali, ac rejectum introducere, recte poterat. Quia per cœnam illam, **904** ultimum convivium quod habituri sunt sancti in regno Dei utique designatur : per prandium vero ei per has nuptias, ad quas boni et mali simul vocantur et intrant, præsens Ecclesia omnino intelligitur, quia post prandium cœna fit, post cœnam vero nullum restat convivium, nisi forte ipsa eademque cœna pro prandio ponatur, sicut apud antiquos mos fuit in vespere tantum prandere ; ac sic quodam modo per ipsam cœnam præsens intelligatur Ecclesia, et convivium Scripturarum ac mysteria, de quibus simul boni ac mali epulantur quotidie, quousque ad illud ultimum perveniatur. Non semper responsio ad interrogata refertur, verum etiam et ad merita, et ad ea quæ per responsionem jure tanguntur, sicuti hoc loco. Quia dixerat a Judæis regnum Dei auferendum seu cætera, et non sunt territi, neque permoti ad pœnitentiam, sed magis inflammati ad iracundiam volentes manus mittere in eum. Quod intelligens Dominus, nihilominus per aliam parabolam respondet, et tangit duritiam cordis eorum. Et quia noluerunt recipere antidotum salutis, post fomenta exhortationis et unguenta, inferret ferrum adustionis, et potiorem eis vindictam pronuntiat esse venturam. Ne forte benignissimus Salvator, quia illi magis exasperati sunt, videretur timuisse, et ideo tacuisse. Nam si et illos malitia faciebat audaces, Christum autem potestas immensa reddebat securum, et charitas perurgebat, ut eos infatigabiliter ad veniam invitaret. Terribilior est Rex ad ulciscendum, missis exercitibus suis ut perderet homicidas illos, quam paterfamilias, qui non nisi sua auferre videtur. Sed quærendum cur addiderit, *regnum cœlorum homini regi*, cum potuerit illud dicere sine additamento hominis. Unde non immerito quæritur quid necesse fuit addere *homini*. Sed et multa alia habemus exempla in Evangeliis, in quibus Deus Pater assimilatur homini, et in persona hominis licet parabolice figuratur. Et dicitur in eisdem parabolis Deus Pater, homo. Et sunt hæc exempla valde necessaria contra quosdam hæreticos, qui reprehendunt Deum Veteris Testamenti, cum hujus introducitur lineamentis, et dicitur passionibus subjacere ; unde legis Deum et prophetarum malum esse fingunt, crudelem et sanguinarium. Quapropter audiant ex Evangelio secundum parabolas, et non secundum naturam, Deum **905** Patrem, hominem vocari, et secundum consequentiam parabolarum, suscipere oportet iracundum Deum, sicut et in Veteri Testamento, et furorem ejus ac patientiam, aversionem quoque vultus, et sessionem, stationem Dei, et incessionem, et somnum : quæ omnia de Deo scripta sunt in lege et in prophetis, et ab initio ostenduntur. Quod si nihil Deus habet in se figurate, quod videatur humanum aut dicatur, cum ipse immensus sit et incomparabilis atque incorporeus, dicant hæretici utrum iste Deus, qui secundum parabolas Evangeliorum homo dicitur, et iratus proponitur secundum humanam naturam, ipse est pater Christi, an alius præter eum? Et necesse habent, aut alium aliquem extra hunc, patrem Christi dicere, quem parabolæ et patrem Christi demonstrant, et similem eum humanæ naturæ proponunt. Et si dixerint hunc ipsum esse patrem Christi, coguntur confiteri, quod multa in eo secundum passibilem naturam hominum dicantur ; non quod Pater passibilis sit, sed quia propter imbecillitatem nostram, secundum passibilem hominis naturam de Deo ista dicantur, ut capere de eo quippiam possit infantia nostra, saltem juxta mores humanos. Quia quandiu homines sumus, non possumus capere de Deo secundum se, neque multitudinem magnitudinis ejus intellectu apprehendere, et ideo necesse fuit addere, *Simile est regnum cœlorum homini regi*, ut hominibus quasi homo apud homines loqueretur. Quia si secundum se juxta quod

Introdusă în format electronic de Google

Deus est locuturus esset, nemo mortalium sustineret. Dispensat autem Deus homines non capientes dispensari se satis a Deo, quia omnino Deus est, et in eo quod dispensat homines; unde necesse habuit, *homini* addere. Quia non secundum se Deus Pater, sed secundum mores nostros nobis hominibus loquebatur; et adhuc more humano loquitur, donec dicatur nobis: *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6): et tunc, ut credo, cessabunt istæ similitudines, quando videbitur Deus ut est, et quando ipse Filius palam de Patre annuntiabit nobis, qui fecit nuptias filio suo. Jam quia in manifesto est persona Patris et Filii, cui factæ sunt nuptiæ, distinguenda est hæc parabola; quibus temporibus factæ sint; quoniam nuptias facere, et auctoris et temporis est. Legimus itaque in alia parabola tempus nuptiarum esse futurum, quando ex decem virginibus quinque **906** quæ paratæ erunt, intrabunt cum sponso Christo ad nuptias, cui factæ istæ creduntur. Unde si de his nuptiis nunc sermo est, nova ratio est sic invitasse ad easdem nuptias; etiam factas esse, dixisse. Verum quia hæ nuptiæ vitæ cœlestis est introitus, et ex resurrectione suscipiendum est æternæ gloriæ sacramentum. Unde nec immerito a Patre jam factæ dicuntur; quia æternitatis hujus societas, et novi corporis dispensatio, jam perfecta facta erat in Christo, et tunc facta est tam nova et inaudita conjunctio, quando in utero virginis: *Verbum caro factum est, et* per hoc *habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Quia sicut omnium electorum resurrectio in Christi est resurrectione: ita et hæ nuptiæ in ipso celebratæ sunt, et juncta est sponso Ecclesia jure sponsalitatis, quando dona Spiritus sancti ex integro homo Deus accepit, et tota corporaliter divinitas in illo mansit. Ex quibus profecto *donis*, ut dixi, sponsa jure sponsalitatis jam pro dote arrhas accepit, et dona ejusdem Spiritus sancti, qui totus in Christo mansit; ex quo homo factus est, et processit tanquam sponsus de utero Virginis, quia uterus ejus thalamus fuit. At vero Ecclesia in eodem renata spiritu ex aqua, unum corpus efficitur in Christo, ut sint duo in carne una, quod *magnum est sacramentum in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 32). Tenditur autem tempus nuptiarum ab exordio incarnationis Christi, quousque ipse redeat Christus ut omnia nuptiarum compleantur sacramenta; et tunc quæ servaverunt legitime jura tantæ sponsalitatis, et paratæ erunt, intrabunt officiosissime cum eo ad illas æternas nuptias. Interim etenim ducitur Christo viro, uxor et sponsa; et sponsatur quotidie in fide et misericordia donec redeat ipse. Et hinc est quod Paulus aiebat: *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (*I Cor.* XI, 2); ut cum venerit, simul collecta Ecclesia tam de Judæis quam de Gentibus, una amplectatur sponsa, conjux, et uxor. Omnes namque sancti Veteris Testamenti, qui ab initio sæculi fuerunt, ad has pertinent nuptias, quas per fidem, et si a longe conspexerunt, quicunque Christum pro salute humani generis venturum in carne crediderunt. Unde ait: *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Jam enim qui vocantur, invitati erant; quoniam omnes ab ipso Abel justo, hujus adventum, inspirati a Deo, exspectabant. Unde in figura Christi agnum obtulisse legitur; et ideo *Respexit* **907** ad eum *Dominus, et ad munera ejus* (*Gen.* IV, 4): respexit autem sicut alibi legimus, quia inflammavit. Idcirco recte dicimus, quia ad has nuptias omnis natio humani generis per legem naturæ invitata fuit. Nam alia exemplaria, hoc loco non servos pluraliter, sed servum suum, habent; per quem forte servum recte Moyses intelligitur. Quod si servos legerimus, ut et in Græco habetur, prophetas apertissime incarnationem Christi prædicantes, accipere debemus. Sed illi primum nolebant venire, quia credere noluerunt.

Iterum misit alios servos dicens: Dicite invitatis: ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias. Bis siquidem misit, quia primum prophetæ, deinde apostoli missi sunt; ut quæ prophetæ prius futura nuntiarunt, postea per apostolos exhibita, ministrarentur, atque operibus confirmata. Licet quidam ideo bis misisse dicant, eo quod prophetas secundi ordinis miserit. Sed melius hæc secunda invitatio, quia supra plures missi sunt, ad apostolos refertur, per quos jam manifeste dicitur: *Ecce prandium meum paravi*, etc. Quoniam per tauros bene Patres Veteris Testamenti accipiuntur, quibus virtute corporis ac si cornu ferire licitum erat, et ulcisci de inimicis suis, sicut dictum est: *Et odio habebis inimicum tuum.* Porro per altilia Patres Novi Testamenti designantur, eo quod fuerint amplius et perfectius Spiritus sancti gratia saginati. Nam in Græco non altilia, sed saginata habet, unde et altilia dicuntur alatilia, ab eo quod est alere. Et ideo apostolos atque apostolicos viros, recte vocamus altilia, qui dum gratia internæ pinguedinis saginantur, ad sublimiora contemplationis dona penna levantur. Quæ bene occisa et parata jam omnia dicuntur, et dicit, *Venite ad nuptias.* Ac si diceret: Patrum præcedentium pro fide, montes aspicite, sicque per eorum exempla instituti ad fidem, remedia vestræ vitæ cogitate, atque pabula æterni convivii quærite. Quam bene igitur priori invitatione nihil de tauris dicitur, in secunda vero, et tauri et altilia occisa, et omnia parata memorantur. Quia Deus omnipotens, cum verba audire volumus, exempla sæpissime jungit, ut convincat pravitatem humanam, et nemo de impossibilitate causetur. Verumtamen tauri et altilia, quæ occisa dicuntur, nunquam pro Christi nuptiis occiderentur ad epulas etiam convivantium, nisi et ipsi prius, **908** jam convivio verbi Dei pasti essent et enutriti. Quoniam qui ab hoc convivio Verbi est jejunus, utique non vivit; quia *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV, 4). Vere verba Dei æternæ vitæ prandium sunt, et qui his fuerit saginatus, spirituli convivio pinguescit; impletur Spiritu sancto, et dilatatur sensibus. nu-

Introdusă în format electronic de Google

tritur fide, crescit in charitate : et qui ab his jejunat evacuatur spiritu, languescit sensibus, et arescit fide. Interdum autem inedia victus, sicque ruit in mortem. Et quia omnes sunt invitati ab initio fidei ad hoc prandium nuptiarum, exire nos oportet cum fideli Abraham de terra carnis nostræ, et de cognatione vitiorum, cui dictum est : *Veni in terram, quam monstravero tibi* (*Gen.* II, 1). Quæ nimirum terra, terra viventium est, ad quam suspirat David, dicens : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI, 13). Et si quæris, lector, quando incœperit ista invitatio Judæorum? audi Dominum invitantem patrem nostrum Abraham, qui appellatus est pater multarum gentium, cui dictum est : Omnem terram quamcunque calcaverit pes tuus, tibi dabo et semini tuo post te in æternum ; terram utique fluentem lac et mel, quibus nutritur et pascitur omnis anima, quæ versatur in convivio Dei. Quod sane convivium Deus Pater instituit in Christo, et paravit prandium nuptiarum. Non enim est de terra hac, quoniam in eo æterna societas celebratur, neque de terra hujus sæculi, quoniam illa nunquam lac fluxit neque mel. Sed terra illa rationalis quam Christus suscepit, de qua nostra pascitur infantia, de qua omnis dulcedo manat ; et parantur epulæ nuptiarum. Quæ nuptiæ quando Christus hæc loquebatur, jam erant in ipso propter conjunctionem et susceptionem novi hominis, quod magnum est sacramentum in Christo et in Ecclesia. Forte igitur quærit aliquis, qui ante Abraham fuerunt, utrumne fuerint invitati? Quod jam in Abel ostendimus ; videat ipse per omnes Patres, et intelligat in cujus figura Noe arcam fabricaverit, ne periret aliquis ; et videre poterit quod ab initio ad has nuptias, et ad hoc convivium omnes sunt invitati, quamvis fide noluerint venire. Sicut et adhuc hodie multi sunt qui in hanc arcam, id est Christi Ecclesiam, nolunt intrare, neque fœdera nuptiarum nobiscum, vel convivium, suscipere. Quod sane prandium, sicut et nuptiæ, hic prægustatur, sed in illa æterna **909** satietate ad plenum perfruetur. Interim vero ac si regale convivium, multis deliciarum speciebus exornatur, et diversis Scripturarum, veluti ferculis, dapibus decoratur, ita ut illic invenies quidquid dulcedinis est, quidquid æternæ suavitatis. Sed cum ita essent omnia in Christo jam parata, abierunt, *Alius in villam suam, alius in negotiationem suam ; reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt*. Hæc tam ad primam vocationem Judæorum pertinere probantur, quam ad secundam. Quia non minus prophetas quam et apostolos contumeliis affecerunt, et occiderunt plurimos ex illis. Tamen non omnes Judæi hoc fecerunt, sed Scribæ ac Pharisæi, et seniores populi. Unde minoris criminis sunt qui occupati aliis rebus venire noluerunt, quam illi qui solum contempserunt vocantis imperium, verum etiam beneficia, et humanitatem pietatis, ac gratiam verterunt in injuriam et crudelitatem nimiam. Quoniam contumelia eorum qui missi sunt, despectio probatur esse mittentis. Quorum insolentia attingit etiam usque ad injuriam sponsi, et contumeliam nuptiarum. Et notandum in hac parabola, quod de immolatione sua tacuit, qui jam de se supra in alia parabola proposuerat, propter cujus odium et ista facta sunt. Duarum vero partium distinctio, quæ ad villam fit, et quæ ad negotiationem, omnes actus quos agunt homines in hoc mundo, vitæ necessarios, depingit. Quorum duplex actio, aut villam exercet, aut negotiationem. Ad villam ergo ire, est exercere terram, aut aliquod opus terrenum manibus operari, ut puta agrum vel vineam, vel opus ligni aut ferri, aut alicujus artificii. Quæ omnia dum manibus operantur, villam incolere est, id est terrena operari. Quod autem non in labore manuum nostrarum, sed aliunde lucra consequuntur, ut puta honores quærere, in militia permanere, vel alicujus mercimonii causa mercari, seu in aliqua intentione desudare, omnia hæc jure negotiatio appellantur. Istis ergo duobus verbis omne opus humanum conclusit. Sed hoc loco solummodo, quod inhoneste fit, et immoderate damnavit. Quod vero honeste potest fieri et moderate fit, non reprehendit, sicut ait Salomon, *Ne oderis rusticationem, quoniam ab Altissimo creata est* (*Eccli.* VII, 16). Et Apostolus die ac nocte manibus suis laborat, et laborare jubet. Rogo autem vos, fratres, inquit, studium habere quietis, **910** operantes manibus vestris, et nullius indigeatis ab his qui foris sunt. Nam omnis actio vel negotiatio quæ turpis lucri gratia fit, inhonesta jure censetur. Ad quod forte dicturus est aliquis, quid peccati est ad villam ire? Jam si negotiatio, aut militia, aut honoris sectatio, vix aut nunquam sine peccato est, villam vero excolere nullum peccatum est. Nec nos dicimus; nisi quidquid horum a fide te revocat, vel a religione Christi, et impedimentum est ne possis ire post Christum, peccatum est. Non ergo cultura villarum, peccatum, sed tu præferendo eam Deo, facis tibi esse peccatum ; quia quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituetur. Et ideo alia, sunt opera justitiæ, quæ attente facere debemus, alia quæ ad sustentationem nostram, et ea transitorie sine sollicitudine agere ; quia nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Hæc quippe gemina distinctio unam parit negligentiam, sed duas Judæorum designat personas. Quia per occupationem villæ vulgus, seu popularem demonstrat plebem, quos amor mundi sejunxit a Christo ; per negotiationem vero, sacerdotes et principes populi cæterosque ministros templi significat, quos quæstus lucri, vel favor honoris, seu avaritia et ambitio rerum retraxit a fide Christi. Ipsi enim a sollicitudinibus et divitiis suffocati, nullum tulerunt fructum. Et in istis ergo omnibus, alii sunt qui prius venire noluerunt ; aliqui neglexerunt mundi amoribus involuti ; alii qui contumaciter in servos regis manus miserunt, et occiderunt eos. Sed et in nuptiis, si bene perpendas juxta consuetudinem nuptiarum, alia est sponsa quæ nubit, alii invitatores diversi ordinis qui invitant ;

Introdusă în format electronic de Google

alii qui invitantur ad nuptias. Et licet diversa meritorum qualitas figuretur, una tamen est in his omnibus sponsa cui parantur nuptiæ; et in ea sunt et qui vocant et qui vocantur. Deus autem scit omnes istos ordines singulorum, earumque virtutes animarum et causas, quo modo singuli in complexione sponsæ accipiantur. Omnes tamen una Ecclesia esse debent, ita ut nemo sit in ea, qui non vocet se et alios ad convivium nuptiarum; nemo qui se non intelligat esse vocatum, et in corpore manere sponsi ac sponsæ, sicut et operarios vineæ unam diximus esse vineam, de vite quæ Christus est, fide renatam. Ac per hoc quicumque vocatus est juxta Apocalypsim Joannis, et audit, dicat et ipse : Veni, ut una sit actio **911** omnium, unaque spes vocationis singulorum.

Rex autem cum audisset, iratus est. Servat autem proprietatem parabolæ, sed non absque magno intelligentiæ documento. Etenim supra dixerat, *Simile est regnum cœlorum homini regi.* Hic autem non homo ponitur, sed solummodo *rex.* Quod non abs re factum dixerim, ut ubi Deus pater Domini nostri Jesu Christi rex et homo dicatur, ubi satis comparative parat nuptias filio suo; hic autem tantummodo rex, ubi et iratus introducitur, eo quod audierit servos suos in sua injuria contumeliis affectos, et occisos ab eis quibus sua disponebat beneficia præstare gratis. Et quia ultio justissime consequenda erat in eis, jure iratus figuratur, quoniam parabolice supra nisi homo figuraretur, intelligere nuptias filii minus potuissemus. Et ut posset de Deo intellectus noster has affectiones recipere, introducitur primum rex et homo, quando invitat ad nuptias et agit opera clementiæ. Tunc siquidem aperte appositum est nomen hominis; nunc quando ad ultionem sermo festinat, homo bene tacetur, et rex tantum dicitur, et iratus introducitur; quia ira regis nuntius mortis : non quod ira cadit in Deum, sed suam tropicam conservat rationem. *Qui, missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit igni.* Habet enim innumeros exercitus suos, et ideo Dominus sabaoth, id est Dominus aut rex exercituum jure vocatur. Exercitus autem quos misit, seu ultores angelos accipimus, vel pœnarum (de quibus in Psalmis dicitur) *immissionem per angelos malos* (*Psal.* LXXVII, 49), seu Romanum exercitum intelligimus, sub duce Vespasiano ac Tito, qui occisis in vindicta Dei Judææ populis, et distractis, prævaricatricem succendunt civitatem, et vastaverunt omnia. Sed antequam ista complerentur, lapidaverunt Stephanum, etiam et de morte Jacobi gavisi sunt; nec non et Jacobum Alphæi lapidarunt. Propter quæ omnia misera Jerusalem destructa est a Romanis. Et notandum quod Romanus exercitus Dei esse dicitur, ejusque ultores; quia nunquam ad eam venisset, nisi Dominus vocasset, sicut et in prophetis quam sæpe legimus.

Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ac si dicatur, Nec illi qui primum noluerunt venire, nec illi qui demum **912** neglexerunt, nec illi qui servos meos occiderunt : *Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, bonos ac malos, vocate ad nuptias.* Non enim apostoli primum ad exitus viarum ierunt, quam ipsi Judæi se æternæ vita indignos judicaverunt; et ejecerunt eos a se, tanquam malum. Tunc autem compulsi, jubente Deo, exierunt ad gentes, quas non in viis Dei, sed in exitibus diversarum viarum invenerunt. Quoniam, sicut sunt viæ Domini rectæ, ita et viæ sæculi diversæ atque innumeræ, secundum errores et adinventiones singulorum. Ut puta professio philosophiæ, quæ ad diversa tendit dogmata; vel professio culturæ multorum deorum, necnon et voluntas singulorum, juxta quod poeta canit, *Ducit sua quemque voluntas.* Quæ omnia viarum foris a via Dei, exitus viarum sæculi sunt; ubi etiam foris in capite omnium viarum sapientia clamitat, et in plateis dat vocem suam dicens : Si quis diligit sapientiam, ad me declinet et ad me veniat, et inveniet eam et cum eam invenerit, beatus erit si tenuerit eam. *Et egressi servi*, juxta præceptum Domini sui a Judæa, sive angeli pacis ab interioribus finibus Jerusalem, *congregaverunt quoscunque invenerunt bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Itaque non ideo vocantur mali, ut mali permaneant; neque ideo dicit bonos eos vocasse, ut bonitas illorum eis sufficeret ad vitam. Unde non immerito quæritur quomodo boni dicantur vocati, qui necdum donum gratiæ perceperant, sine qua nemo est bonus. Sed facile hæc quæstio solvitur, si verba Apostoli ad medium deducantur, ubi ait, etiam foris ex gentibus quodammodo, quod in comparatione Judæorum boni inveniantur. Ait enim ita (*Rom.* II, 14) : Gentes naturaliter facientes ea quæ legis sunt, ostendunt opus legis in cordibus suis, et cum legem non habeant, ipsi sibi sunt lex. Nec tamen ideo tam boni ut non egeant gratia Dei. Propterea et vocantur ipsi quodammodo boni cum malis, ut simul omnes boni ex dono et ex gratia Dei fiant, qua vitæ anterioris omnia donantur crimina, et præstantur dona. Atque ideo qui missi sunt ad exitus viarum jubentur exire; quia secundum finem temporis omnibus retroacta donantur culparum, cum defectus finierit actionum. Nec igitur bonos et malos abs re simul vocari jubet, quoniam vocatio Dei sancta et optima est, quæ simul omnes bonos facit, nisi per vitium aliquis inemendate voluptatis discrimen **913** maneat. Unde sequitur : *Intravit autem rex ut videret discumbentes.* Mira et ineffabilis ratio ut dicatur intrare regem, qui ubique est, et nusquam nec unquam abest, nec est ubi non sit qui omnia complet. Sed ejus intrare, est mentes singulorum discutere ac respicere, ad quas nemo alter potest intrare vel respicere. Nam ipse, ex usu Scripturarum ubi aspicit, seu per approbationem, seu per reprobationem, præsens esse dicitur; ubi vero nihil horum vult, absens videtur, dum suo quisque arbitrio relinquitur. Unde cum dies inspectionis seu judicii

Introdusă în format electronic de Google

a Jvenerit in resurrectione, tunc inspecturus omnium conscientias intrabit, et cœtum illius resurrectionis penetrabit, ut videat singulorum facta, et comprobet habitus omnium. *Ubi circumspiciens vidit*, inquit, *ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, non quod in illius examinis die solus iste unus non vestitus veste nuptiali inveniretur; sed unus more Scripturarum pro omnibus ponitur, quorum sors una et una interrogatio erit. Nec de corporeo habitu ista erit interrogatio, sed de habitu mentis et de indumento virtutum. Hinc que ait, *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Hæc est illa interrogatio, de qua dicitur, quia *in cogitationibus impii erit interrogatio* (*Sap.* I, 9). Nunquid rex invitando-rum habitum designaverat, cum invitari quoscunque bonos et malos jussisset? vel nunquid unus omnibus in eo cœtu poterat esse vestitus, aut animi habitus? Præsertim cum si certus ex consuetudine convivantium in nuptiis habitus esse debuisset exterius, poterat forte ab invitantibus ac ministris ne talis introiret inhiberi. Sed quia malos in conscientia intus intelligere non omnium est; quoniam humana simplicitas difficile fraudulentiam simulatæ mentis potest deprehendere, idcirco hunc malum cœtum peccantium, quorum non erunt remissa peccata nec obtecta, solus Deus terribilis et rex magnus, inveniet qui singulorum conspicit conscientias. Ed ideo quia hoc divinum est discernere, sine additamento hominis, sicut et supra, rex ponitur. Nam callidi et simulatores impræsentiarum in hoc convivio, inter concessa nobis divinitus sacramenta, etsi latere queunt, nunquid fallere possunt Deum, et ab oculis divinæ majestatis celari? Et ideo quia simul omnes ad has nuptias male vestiti veniunt, clamat nobis Apostolus quotidie: *Exuite veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum concupiscentias erroris. Et induite novum, qui secundum Deum creatus est in* **914** *justitia et sanctificatione veritatis* (*Ephes.* IV, 23, 24). Quod autem dicit, in justitia, ad omnem conversationem pertinet nostram, *ut candida sint*, sicut Salomon ait, *omni tempore vestimenta nostra* (*Eccle.* IX, 8). Quod autem, in sanctitate veritatis, ad puram fidei pertinet conscientiam. Quia sicut opera peccatorum sunt sordida et corruptibilia: ita opera justorum candida et decora, atque incorruptibilia et sancta, in quibus maxime regnat charitas. Quod autem eum amicum vocat, exprobrantis est magis quam blandientis. Ac si dicatur, *Amice*, per fidem et simulationem fidei et hypocrisin, et non amice per operationem, *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Non quod ullus eam ex sese ad has nuptias attulerit, sed quia quicunque baptizantur Christum induunt novum hominem, ut deinceps ambulent in novitate vitæ, in justitia, et sanctitate veritatis. Quam justitiam et sanctitatem nisi iste amisisset, nunquam interrogaretur tam atrociter, neque interrogatus semel sic obmutuisset; quia eorum ubi nulla est excusatio, non immerito invita est responsio, quos intus accusat, et contra quos clamat mala conscientia.

Tunc ait rex ministris, id est ministris pœnarum, *Ligatis pedibus ejus et manibus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Sicut ergo est differentia gloriæ, et claritas dispar sanctorum teste Apostolo, ita et supplicia tormentorum. Sunt enim interiores tenebræ, id est cordis; sunt et exteriores, de quibus jam supra diximus, quod non immerito in exteriores, jure mittitur, qui intus in animo, usque ad finem vitæ, peccatorum tenebris cæcatus fuerit. Nam ex eo quod non ait, ingressus est rex ut remuneret amicos, neque quod simul omnes congregaverit, quidam suspicantur non de futuro judicio dici. Præsertim cum non ait, Mittite eum in tenebras inferiores; ut eas tenebras, inferiora loca inferorum sentire possimus. Sicut est illud, *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV, 13). Quia sicut sunt interiores tenebræ, ita sunt et exteriores; et sicut inferiores, ita et novissimæ, quæ sunt in novissimis locis. Et ideo impræsentiarum, sicut et ipsi volunt, cum quidam accedunt ad convivium Scripturarum, vel ad corpus et sanguinem Christi, vitiis sordidati et criminibus, non vestiti veste nuptiali, justo Dei judicio cæcantur aliquando in pejus spiritu erroris, ita ut qui latebant intus, exterius manifesti fiant, et fiat illud, dum per abrupta graditur, quod Joannes in Apocalypsi **915** sua dicit, *Qui nocet*, ut *adhuc* magis *noceat*; *et qui in sordibus est*, *adhuc sordescat* (*Apoc.* XXII, 11), ita ut ultra, jam ligatis pedibus ac manibus, spiritu agatur immundo, ne se expedire unquam possit. Sed nos hæc omnia melius de futuro intelligenda censemus judicio, ne ulli desperatio nascatur, quando universitas malorum in unum collecta pelletur ab illo interno convivio æternæ satietatis ac dulcedinis, et mittetur foras, ligatis manibus ac pedibus, in tenebras exteriores; ne ultra possint operari bona vel mala, neque de malo ad bonum transire. Nam opera hominis, recte manus, sicut et motus, pedes accipiuntur. Quæ manus et pedes, tunc per districtionem sententiæ, jure ligantur; quoniam a pravis operibus noluerunt hic ligari, dum licuit per meliorationem vitæ, ut tunc eos pœna liget, quos modo a bonis operibus ligavit culpa. Cæterum ubi manus et pedes ligantur, et ubi fletus oculorum, et stridor dentium dicitur, ibi veritas resurrectionis omnino prædicatur. Et cum in exteriores tenebras mittuntur, non passim ubique erunt, sicut quidam nuper garrire cœperunt; neque indifferenter reprobi commisti cum bonis localiter erunt. Quia omnino, velint nolint, si corpora erunt, vere in loco, et non ubique erunt. Segregati quidem ab invicem, ut et justos, qui innovati erunt retineat cœlum novum et terra nova, sicut vox divina clamat, *Ecce facio omnia nova* (*Apoc.* XXI, V), illos loca pœnarum, extra hunc cœlum novum et terram novam. Et ideo in exteriores tenebras alieni a luce erunt, ubi est ignis paratus diabolo et angelis ejus, cum quibus et isti erunt. Pro-

Introdusă în format electronic de Google

pterea, ut isti volunt, non absque pœnis erunt flammarum, in quibus fletus et stridor dentium erit. *Erit* siquidem dixit, et non, *est*, quia ante resurrectionis diem, in inferno nulla hominum corpora erunt. Licet præfati, philocumphi magis quam philosophi, in hoc aere, quo secundum Apostolum dæmones interdum versantur, et animas ibidem pœnaliter conversari susurrent; et ubi eas potius, ex propria conscientia torqueri autumant, quam aliis pœnarum generibus. Nec considerant hi quod ita non diabolo et angelis ejus parata sunt a Domino, quæ ipsi sibi aut isti pararunt, sed ex præscientia Dei ea parata dicunt, quibus illi pro sua puniantur malitia, et isti pariter cum corpore in quibus peccaverunt, pro suis culpis justo Dei judicio agente, torqueantur inviti, in loco ubi, *Erit fletus et stridor dentium* (*Luc.* XIII, 38). Ex quo per metaphoram membrorum corporalium magnitudo ostenditur tormentorum. **916** *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Non igitur paucitas invitatorum narratur, sed paucitas electorum. Quia in invitatione absque ulla exceptione, immensæ bonitatis est magnitudo; in invitatis vero discretio est judicii, et probitatis electio. Quæ nimirum sententia omnes has parabolas comprehendit, et concludit de opere vineæ, et de ædificatione domus, necnon et istam; in quibus omnibus non initia quæruntur operum, sed finis.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Id est, tunc cum audissent principes sacerdotum has parabolas, et cognoverunt quod de ipsis diceret. Quia Marcus et Lucas, licet hanc parabolam de nuptiis, quæ in medio prolata est, prætermiserint, tamen nihilominus Salvator eo in loco, quo cognoscentes eum de se dicere, voluerunt tenere eum, hanc eis impingit parabolam nuptiarum. Et ideo quia tenere propter turbas non sunt ausi, tunc abierunt et inierunt consilium satis insidiose, *ut caperent eum in sermone.* Unde liquet, quia non de ignorantia, sed de proposito malo cæcati, peccant. Et ideo post omnia eis objecta non sunt compuncti ad pœnitentiam, sed abierunt cum dolo. Et quo abierunt? utique ad Herodianos, et cum eisdem consilium inierunt; mali cum pessimis. Vere non consilium, sed fraudem et dolum cum eis tractaverunt ipsi principes sacerdotum, et magistratus templi; quia non est consilium, non est scientia contra Deum. Sed quales consiliarii, tale et consilium acceperunt. Et ideo consilio maligno, cum eisdem jam initio, mittunt discipulos suos cum Herodianis, quasi adhuc minus cognitos et minus suspectos; ut aut absconditæ facilius eum deprehenderent, aut si non possent eum capere, ipsi minus erubescerent. Licet quam sæpe in consilio malo deprehensi, tanto minus fuerunt confusi, quantum animus eorum perfidia obturatus, deterior. Sed discipuli quos mittunt, quamvis gradu essent inferiores, malitia tamen erant pares, sicut sunt filii viperarum et serpentum; qui quamvis ætate sint minores, veneno sunt æquales. Qui dicunt ei, *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Magistrum eum vocant, sed callide, et veracem eum adulantur, ut honore vel laude sui captus, mysterium cordis sui simpliciter eis pandat. Ad hoc quippe istos cum Herodianis miserant, ut per istos, mulcendo deciperetur, ac per illos Cæsari contradicens censum dari debere, ac si reus in Cæsare teneretur. Erant enim Herodiani ministrarii Herodis regis, quem præposuerat nuper Cæsar Augustus in Judæam, regem. Nam non longe Judæa Romanis subjecta **917** erat, quando in toto orbe est celebrata descriptio, et facta est tributaria illis. Unde adhuc in populo Judæorum seditio magna erat, dicentibus aliis, quia Romani pro omnibus militabant, pro securitate et pace debere Judæos tributa, ut sancitum erat a senatu, persolvere. At vero Pharisæi, qui sibi plaudebant in justitia sua, e contrario renitentes dicebant non debere populum Dei, qui decimas solvebat, et primitias dabat, et cætera, quæ in lege jussa sunt, humanis legibus subjacere. Unde et quidam, sicut historia refert, exstitit Judas Galilæus, cujus memor est et Lucas in Actibus apostolorum, conducens secum multam Judæorum multitudinem, docebat Cæsari non oportere dare tributa, neque dominum, neque Cæsarem appellari, quod et armis conatus est defendere; sed milites regis tales subito contriverunt ausus. Et ideo isti mittunt cum Herodianis, id est cum militibus Herodis (vel cum his quos Pharisæi, illudentes ex Judæis qui tributa Romanis solvebant, Herodianos eos vocabant) magis quam divino cultui debitos; qui simul missi propterea dicebant, *Non est tibi cura de aliquo, neque respicis personam hominum. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari an non?* Blande quidem, sed astute ac fraudulenter illuc eum provocat ad respondendum, ut magis Deum quam Cæsarem se timere et venerari ostendat, et dicat non debere tributa persolvi; ut statim audientes Herodiani, ac si seditionis auctorem, contraque Cæsarem agentem, reum teneant, quod ipsi non sunt ausi ut perimant; sin alias, ut reus in Deum culpetur. *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ?* Hæc quippe virtus Deitatis est cognoscere, et introspicere cogitationes et conscientias eorum. Et ideo non ad blandimenta verborum respondit, sed ad ea quæ in cordibus male venenata congesserant; durisque cordibus dura remittit; quos non discipulos, sed tentatores appellat et hypocritas. Hypocritarum est ergo, aliud in corde tegere, et aliud operibus simulare, seu verbis exhibere. Unde Salvator ea quæ intus habebant, malleo verbi ferit, cum eos hypocritas vocat, ut apud semetipsos inveniant intus in corde, quod foris audiunt aure; et considerent Christum humanorum cordium cognitorem, ne perficere audeant, quod insidiose valde facere disponunt. *Ostendite*, inquit, *numisma census. At illi obtulerunt denarium.* Sapientia in omnibus semper **918** sapienter agit, et sic sua dispensat

Introdusă în format electronic de Google

responsa, ut suis propriis tentatores suos revincat verbis. Ostendite mihi numisma census, hoc est, denarium qui pro decem nummis imputabatur, et habebat imaginem Cæsaris. Et ait illis benignissimus Jesus : *Cujus est hæc imago, vel superscriptio?* Hæc interrogatio manifeste non de ignorantia venit, cum nemo esset qui hoc nesciret quod omnes observabant et cernebant in publico, sed ut ad sermonem eorum competenter respondeat. Quoniam et ipse in illis nihil magis quam suam quærebat imaginem. Et ideo quam bene ait et competenter : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Ac si diceret : Imago Dei non est in auro depicta, sed in corde intus sculpta et figurata, quam propter vestram malitiam video violatam; unde, rogo, quia numisma Cæsaris aurum est, reddite eum Cæsari, et quia numisma Dei totus homo est, ad imaginem Dei creatus, vosmetipsos reddite Deo. Quod omnino non potestis nisi vos primum exuatis a censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis. Et ideo primum reddite quod alienum est, ut possidere possitis quod vestrum est; ut sicut in nummo imago Cæsaris persolvitur, ita et in cordibus vestris Dei imago vera reformetur, ubi in conscientia thesaurus cœlestis servatur; quam sane imaginem divina manus decem præceptorum apicibus insignivit. Unde quamvis Deus ante omnia, et super omnia honorandus sit, oportet tamen in hoc facto rectus ordo servetur; non primum quod Dei est, Deo, sed quod Cæsaris est, Cæsari. Deinde his exuti rebus jam liberi, quæcunque sunt Dei, Deo, ne rursus vobis necesse sit talibus implicare negotiis. Alioquin primum vos offerre Deo, cum fenore alieno, perversus ordo est, si rursus redigamini prioris vitæ imperio. O quam provida in omnibus Dei sapientia, et quam efficax responsio, ne ullis possit calumniari fraudibus, jussit ordinatissime quod omnibus implere oportet, qui vult relinquere mundum, et venit ad Christum, ut quod Cæsaris est aurum, reddat Cæsari et mundo, et quæ Dei sunt, Deo. Potest autem simpliciter accipi, sicut jubet pecuniam et tributum Cæsari persolvere : ita jubeat etiam, et quæ sunt Dei, Deo, id est, decimas, primitias et oblationes atque victimas, et omnia quæ in lege habentur. Nam et ipse reddidit tributa pro se et Petro; ac Deo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens **919** in omnibus voluntatem. Et hanc quoque plenam divinis sacramentis responsionem, et perfectam dicti cœlestis absolutionem, tam mirabiliter, inter contemptum sæculi, et contumeliam Cæsari ne inferret, temperavit, ut curis omnibus et officiis humanis devotas Deo mentes absolveret, cum Cæsari quæ ejus essent reddenda decernit. Sed misera Galliarum consuetudo, quæ tantis in Ecclesiarum negotiis tenetur astricta debitis, et illicitæ redhibitionis fascibus. Quod si mundus nos tenere sua nescisset jura, nequaquam conditione servitutis indebite nos ei reddere quæ sua sunt cogeremur. Ideirco felix qui se ab his primum liberum fecit. Deinde felicior qui se Deo totum, id est corpus, animam, et voluntatem, quotidie in melius conuectam reddit, ut ei ex integro sponte serviat, a quo se recolit originem habere et profectum. Sequitur : *Et audientes mirati sunt; et relicto eo abierunt.* Ecce qui credere debuerant ad tantam doctrinam mirati sunt; ex quo et duritia cordis eorum monstratur, et deifica prædicatur doctrina. Quia licet malitiose venerint, commoventur in admirationem, quod calliditas eorum insidiandi nullum invenerit locum, et ultra eum interrogare non audent. Ideircor, elicto eo, abierunt, infidelitatem secum cum miraculo ferentes.

In illa die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse. In qua die? in illa siquidem quando Pharisæi recesserunt. Quia licet ab invicem divisi essent, in hoc uno, ac si scelerati, concordes erant ut Jesum odirent, suisque eum dolis caperent. Ad hoc quippe sibi vicissim succedunt, iterum, atque iterum, ut suis eum fatigent insidiis; certantes totius artis ingenio, quis eum ante deprehendere possit. Ita ut si ratione superare non possent, saltem per ipsam suæ calliditatis frequentiam, sensum ipsius subverterent, ne possit quid responderent, præcogitare. Volebant enim se ostendere prudentiores vicissim, si eum quivissent capere suis laqueis. Duæ siquidem hæreses erant in Judæis, una Pharisæorum, et altera Sadducæorum. Pharisæi traditiones et observationes habebant, quas illi Græce *deuteroses* vocant, quibus se præferebant justiores; unde et divisi vocabantur a populo. Sadducæi autem, qui interpretantur *justi*, et ipsi sua sibi applaudebant justitia, dicentes non esse resurrectionem corporis, nec animarum; neque angelos neque spiritum esse dicebant, **920** juxta Actus apostolorum. Et istæ sunt duæ domus, de quibus Isaias manifeste loquitur. Unde miror, pro quo justi vocabantur in populo, cum omnis agendi virtus, ut quisquis justus sit, spes futurorum est. Et ideo quis devotus adversus seipsum quotidie luctamina exercebit, nisi ob spem resurrectionis? Alias enim, soluta est tota observantia pietatis. Sed isti qui resurrectionem non credebant, quomodo conjugia poterant credere post mortem? Nequaquam hoc dixerim credidisse hoc posse fieri, quando ipsam resurrectionem negabant; ita ut nec animas post mortem esse crederent, nec corpora suscitari, sed utroque, sicut et Pharisæi, gestiunt ferire cornu, et inevitabiliter eum concludere ad defensionem sui erroris, et ad gloriam suæ laudis. Putabant enim eum ita concludere; sicut non est possibile ut ea mulier, quæ fuit septem virorum uxor, sit demum unius propria, vel omnium communis : sic non esse possibile, ut sit resurrectio mortuorum. Et ideo callide, cum vidissent Pharisæos jam victos siluisse, interrogant : *Magister, Moyses dixit, si quis moriuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, et primus, uxore ducta, defunctus est*, et reliqua. Fingunt ergo istiusmodi sordidissimam nuptiarum fabulam, seu fuerit ita apud eos, seu non

Introdusă în format electronic de Google

fuerit, ut quasi deliramenta arguant eorum qui resurrectionem asserunt mortuorum. Unde dicunt : *In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim eam habuerunt.* Turpitudinem fabulæ ideo opponunt, ut resurrectionis denegent veritatem. Quasi non sit ausus dicere quod ullus eorum debeat eam sibi jure legitimo vindicare conjugii. Quod si non potuerit eis honeste aliquid respondere, partibus eorum, velit nolit, debeat palmam victoriæ dare. Quasi unum diceret eam habiturum, difficile videbatur eis posse probare. Si autem diceret coæqualiter eam omnes habituros, rem turpissimam in illa beata vita culparetur docere; cum duo in carne una dicantur impræsentiarum, et non octo. Quibus respondens Jesus ait illis : *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Quæritur autem quid sit, quod benignus Salvator ait, *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Utrum in aliquibus positum sit Scripturis Veteris Testamenti, quod in resurrectione nuptiæ non sint, vel quod debeant homines fieri angelis similes, quoniam non in aperto est ubi scripta ea legantur · **921** et tamen sic dicit quasi in aliquibus scripturis positum sit. Sed manifeste, ut dixi, in Veteri Testamento hoc non legitur, nisi, ut quidam volunt, in allegoricis inveniatur figuris, ac si in mysterio, indicantibus hujusmodi intellectum. Ubi cum exponuntur nuptiæ Abraham, et concubinarum fit mentio, non principaliter de illis nuptiis intelligere dictum tantum volunt, sed de talibus quales nos de Christo et Ecclesia exposuimus; talesque fore in sæculo illo, in quibus angelorum æqualitas comparetur. Videant illi quid dicant, dum catholice dicant nos tamen dicimus, quia sapientia Dei sapienter arguit negligentiam eorum, cum et dicit : *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Quia non legebant, Deum ignorabant; ignorabant autem, quia Christum Deum in eisdem Scripturis non intelligebant. Alioquin, sicut ex diligentia lectionis nascitur scientia Dei : ita ignorantia negligentiæ filia est. Sed non omnes qui legunt, cognoscunt Deum; quia aut male legunt, aut digne Deo vivere nolunt. Et ideo legendo non Deum quærunt, imo scientiam Dei ad vanam gloriam quærunt; idcirco recte nunquam inveniunt, sicut philosophi cæterique sapientes sæculi. Nam Dominus cum dixisset : *Nescitis virtutem Dei*, ad hoc retulit, quod in resurrectione neque nubent, neque, sicut alii codices habent, uxores ducunt. Ad illud autem quod dicit, Erratis, quia nescitis Scripturas, exposuit ad resurrectionem mortuorum insinuandam, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob :* qui si moriendo perissent, ut isti male sentiebant, nunquam diceretur Deus eorum esse qui non erant. Geminas ergo, quia calumniabantur et interrogabant, reddidit benignissimus magister sententias. Siquidem contra calumnias eorum, auctoritatem sacræ Scripturæ opposuit, contra interrogationem vero, rationem. Sed prius rationem objecit, quia per ignorantiam putabant se aliquid scire; ut doceret eos clementer, quod *in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlo.* Deinde protulit, ut calumniam eorum contereret, Scripturæ auctoritatem, ita dicens : *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est, Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* Sic et nos interrogantibus nos, quocunque mentis proposito, prius rationem exponere debemus, **922** postea idipsum auctoritate firmare ut et si calumnia est, convincatur, sin autem simplex interrogatio, doceatur. Et notandum quod semper infirmior sit Judæorum congressio contra Jesum. Nam supra prima eorum interrogatio, cum terrore et potestate minaciter facta est cum dicunt : *In qua potestate facis ista?* Secunda cum dolo : nec enim terrent, sed circumveniunt, et decipere gestiunt eum laudibus. Contra quam acutissima occurrit sapientia, sicut et contra terrores eorum, invictissima fortitudo. Porro hoc tertio loco, neque cum terrore neque cum multo dolo, sed ex magna præsumptione, et ignorantia cæcitatis æstimantes se vincere Christum resurrectionem prædicantem. Quod autem nostri codices habent : neque nubent, Latina consuetudo Græco idiomati non respondet. Nubere enim proprie mulierum est, et virorum, sicut alius interpres posuit, uxores ducere. Sed nos simpliciter hoc dictum accipiamus, quod nubere de viris, nubi vero de uxoribus dictum est. Sed et ad comprobandam resurrectionis veritatem, multo aliis evidentioribus uti potuit testimoniis, e quibus est illud : Suscitabuntur mortui, et resurgent qui in monumentis sunt. Et in alio loco, Multi dormientium de terræ pulvere consurgent, alii in vitam, alii in opprobrium et in confusionem æternam. Propter quod jure quæritur, cur hoc Dominus proferre noluerit testimonium? Quod forte videtur ambiguum, vel non satis ad comprobandam resurrectionem idoneum. Unde et hoc prolato, quasi probaverit quod volebat, statim confirmat et concludit dicens : *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Cujus rei gratia, turbæ audientes mysterium, et cognoscentes admiratæ sunt in doctrina et responsione illius. Quoniam quæ nesciebant et in quibus errabant, ex auctoritate Dei, et Scripturæ testimonio, plenissime edocuit; et virtutem Dei ostendit, cum et resurrectionem prædicavit et consortium angelorum declaravit. Non quod corpora, seu membra corporis, et sexus uterque non debeat resurgere, sicut quidam hæreticorum senserunt, hoc dicit, sed quia immortales erunt homines, spiritalia erunt membra corporis. Nam in hoc sæculo, quia morimur ideo nascimur, et quia nascimur, ideo uxores ducimus. Tolle moriendi necessitatem, et nascendi utilitas nulla erit. Tolle rursus nascendi utilitatem, et nubendi causa soluta est. Et ideo erunt in sua natura homines, non in angelorum natura translati, sed in sua spiritales effecti, **923** sicut angeli in cœlo immortales et incorruptibiles, in eorum gloria sine nupta coæquales consociati. Verumtamen, ut proposueram, ideo Dominus de re-

Introdusă în format electronic de Google

surrectione hoc usus est testimonio, quia Sadducæi cum nec angelum esse credant, nec spiritum aliquem, nec carnis resurrectionem confitentur, animarum quoque interitum prædicant, non nisi quinque libros Moysi tantum recipiebant, prophetarum vaticinia respuentes. Idcirco stultum erat inde proferre testimonia, cujus auctoritatem non recipiebant, nec sequebantur doctrinam. Hinc quam provide ad comprobandam æternitatem animarum, de Moyse ponit exemplum : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, statimque infert : *Non est Deus mortuorum, sed viventium*, ut comprobaret animas permanere post mortem. Neque enim Deus veritas eorum se diceret Deum esse, qui nequaquam subsisterent ; ut cum de animabus ex eorum libris obtineret palmam victoriæ, consequenter licentius introduceretur corporum resurrectio, quæ cum animabus bona malave gesserunt. Nam Abraham cæterique patriarchæ, non Deum habere poterant, si non erant, quia in natura rei est, ut id esse necesse sit, cujus est alterum illud. Ac per hoc Deus viventium est, et non eorum qui non sunt. Nam et Deus æternitas est ; et non est eorum quæ aut mortua sunt, aut omnino non sunt. Quomodo ergo eorum negabitur Deus, quorum se esse profitetur Deum ipsa æternitas? Deus enim qui est, ipse de se dicit : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14), et hoc mihi nomen est in æternum. Unde et impossibile est, ut dicatur eorum Deus esse, qui non sunt. Et quia hoc impossibile est, ergo eorum est Deus qui sunt, et qui vivunt, et sentiant beneficia ejus, et intelligunt se Deum habere, cujus et ipsi sunt. Sed quærendum quid est quod per singulos dixit, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, cum posset dicere, ego sum Deus Abraham, Isaac, et Jacob? Sicut alio loco, in commune omnium se dixit esse, cum ait ad Moysen : *Vade et dic Pharaoni, Deus Hebræorum misit me.* Non enim abs re ita dixisse putandum est. Quoniam etsi omnium unus est, perfectissime tamen eorum est qui circa Deum, et apud Deum perfectiores cæteris hominibus inveniuntur, et ideo plenius totum Deum habent in se. Propterea istorum non communiter, sed totus unicuique eorum singulariter, jure Deus dicitur. Ut puta si dicatur, **924** ager ille illorum est, ostendimus quod unusquisque eorum partem possideat illius agri qualemcunque, et non eum habeat totum. Si autem dicimus, quia ager ille illius est, demonstramus quia totum ille eum possidet : sic et cum dixit : Ego sum Deus Abraham, ostendit quia totum habet eum Abraham ut perfectus patriarcha ; et totum habet eum Isaac, et totum Jacob. Et ideo non dicitur in commune Deus eorum, sed Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, quia singuli eorum totum habebant Deum. Sic et alibi dicitur : *Deus Elie* (*IV Reg.* II, 14) ; Christi autem longe aliter et Deus et pater est. Porro Deus Hebræorum quod dicitur, imperfectio demonstratur eorum, quoniam unusquisque eorum aliquid vel modicum habebat de Deo. Quod beneficium Christi pro magno munere apostolis indulsit cum ait : *Ascendo ad Patrem meum et patrem vestrum, ad Deum meum, et Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17).

Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset *Sadducæis*, *convenerunt in unum*, *et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum.* Quod de Herode et Pilato legimus in Domini passione, redisse eos in concordiam, hoc etiam nunc de Pharisæis ac Sadducæis cernimus ; qui prius ad invicem inimici erant, sed ad tentandum Deum pari mente consentiunt. Nam qui contra veritatem certat, licet malitia ejus vincatur, nunquam tamen placatur ; quia veritatem non quærit defendere, sed subvertere. Et ideo isti, licet siluerint, muti facti, non tamen sunt placati, ut consentirent : ex fide in omnibus a veritate devicti. Sed conveniunt pariter, qui ratione non poterant, multoties confutari, ut multitudine simul valeant decertare, et quia viderant factionem Sadducæorum tam subito corruisse, debuerant exemplo eorum moneri, ne ultra illi molirentur insidias. Sed malevolentia semper ac livor magis magisque impudentiam nutrit. Hinc se satis callide multitudine armarunt, quamvis unus loquatur pro omnibus, quia omnes illi decertant, et loquuntur per unum, ut si quidam vicerit omnes videantur vicisse ; si autem victus fuerit, solus videatur confusus. *Magister*, inquit, *quod mandatum magnum in lege?* Magistrum vocat, cujus forte non vult esse discipulus, quia sic interrogat de magno mandato, et non de maximo, ut quidquid ille responderit, quia quæ Deus jussit, omnia magna sunt, occasionem habeat **925** calumniandi aliud asserens magnum esse de pluribus. Nam qui ficte cum dolo interrogat, frater et particeps est hujus Pharisæi. Quia omnis discipulus magistri discipulus est, sicut et magister sui discipuli magister est. Propterea nemo dicit bene magister, nisi discipulus. Et ideo quia tentabat eum, jure false dixisse probatur, nisi forte intelligamus, quod hic non sua sponte Jesum tentare voluerit, ut Matthæus ait, sed quia persuasus a Pharisæis, quantum ex se fuit, non tentando, sed quærendo ac si minus doctus, accessit. Unde et Marcus de eo narrans, licet in multis distare videatur, tamen non illum tentantem, sicut Matthæus introducit, sed et in fine sermonis, Dominum dixisse ad eum ait : *Non es longe a regno Dei* (*Matth.* XII, 34). Quia et hoc modo fieri potest, quamvis tentans accesserit, aut etiam invitus, et quantum ex se erat, devote interrogans, ut Domini responsione vere ad fidem correctus sit. Vel certe ipsam tentationem, quam Matthæus posuit, non in malum proposuisse tanquam decipere vellet eum ut inimicum, sed curiose potius, quia de hoc diu quæsitum erat ; ut possit experiri utrum sciret Dominus, et discere an ignoraret, quod adhuc ab omnibus, ac si incertum, quærebatur. Lucas vero tale aliquid ex vicino videtur dicere, sed longe alibi illud interponit. Unde rectius videtur alium esse, de quo Lucas tale aliquid narrat ; non solum propter ordinis distantiam, verum etiam quia

Introdusă în format electronic de Google

cum interrogat Dominum : Quid faciendo vitam æternam possidebo? longe aliter Dominum respondisse narrat, et multa proposuisse quæ huic non videntur congruere loco. Iste vero, quem Matthæus et Marcus assumunt, accepto responso, siluisse bene quidem commendatur a Domino, cum ait ei : *Non es longe a regno Dei*. Et quia forte interrogat fideliter, quod mandatum magnum in lege sit, Dominus non solum quod sit magnum, verum etiam et quod primum respondit. Unde quærendum arbitror mandatorum differentiam; quia ubi est magnum et primum, ibi et sequentia, sicque per ordinem quærendum forte, donec pervenias ad illud minimum mandatum, quod qui solverit, et docuerit sic, minimus vocabitur in regno cœlorum. Unde constat, quia si est magnum, et minimum est utique, et medium, atque hinc inde multiplicia per ordinem. Interea Dominus respondens ei docet et nos quia non solum est magnum mandatum **926** diligere Deum, verum etiam et primum. Primum autem, non ordinem Scripturæ respicit, sed ad dignitatem virtutis intelligendam; et hoc quasi conveniens huic loco attendendum. Quia quasi multis præceptorum mandatis constitutis, sic nunc hoc magnum ac primum dixit mandatum. Secundum autem et simile priori, et propter similitudinem magnum; quod est : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Forte secundum hoc, intelligere possumus, et aliud esse, quod sit magnitudine et ordine tertium, sicque aliud quod quartum, et deinceps per ordinem legis mandata dinumerare. Sed hoc solius Dei est ordinare, ac percensere usque ad minimum. Quia nisi Christus hoc expleat, qui est Dei virtus et Dei sapientia, nemo alius sanctorum est, qui hoc audeat. Fortassis ergo a temporibus Moysi usque ad Christum quærebatur, in lege quod esset magnum mandatum in ea; nec tamen fuisse qui hoc ad liquidum definisset. Alioquin Pharisæus hoc non interrogasset, nisi diu multumque apud illos quæsitum esset, et non inventum, neque præfinitum; donec veniens Christus docuit, non solum quod esset magnum, verum etiam quod esset primum, deinde et quod esset secundum simile priori. Cujus et opus est, si vellet explere, vel invenire tertium et quartum, seu per ordinem reliqua. Est tamen et hoc mandatum alibi, quod primum dicitur, sed non simile, ut et magnum dicatur et primum. De quo Apostolus ait : *Honora patrem tuum, et matrem* (*Ephes.* VI, 2), quod est mandatum primum in promissione, seu in lege, quia in secunda tabula legis primum positum legebatur. Et ideo licet primum queat dici, non statim et magnum, sicut forte et aliud magnum quod non statim primum. Verumtamen considerandum quod ait Salvator : *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ*. Deinde quod ait Apostolus ad Romanos (*Rom.* XIII, 9) : *Non mœchaberis, non occides, non furtum facies*, et si quod est mandatum, in hoc verbo instauratur, vel sicut alii codices habent, recapitulatur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Quidquid igitur est quod in his duobus pendet, totum in hoc uno instauratur vel recapitulatur. Idcirco quærendum si aliud sit pendere in his duobus mandatis legem et prophetas, et aliud recapitulari omnia in hoc mandato. Unde quia unum jam prioribus Patribus visum est esse, necesse est intelligere, quod omnia mandata, seu lex et prophetæ, in **927** utroque pendent et recapitulantur, vel instaurantur mandato; quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo recte diligitur. Ac per hoc dilectio Dei ac proximi, unum mandatum est, unaque charitas integra, et vera dilectio. Unde, ut ita fatear, in eo quod ait Apostolus : *Etsi est aliud mandatum in hoc verbo instauratur*; etiam et istud : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*, in hoc secundo (ut verum sit quod Apostolus ait) omnino recapitulatur vel instauratur. Et si primum mandatum recapitulatur in secundo, necesse majus est et secundum in primo instaurari. Et ideo si omne mandatum recapitulatur in secundo, recapitulatur etiam hoc magnum et primum; et in his duobus, jure tota lex pendet et prophetæ. Nec immerito igitur magnum et primum mandatum in lege a Domino definitum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*. Cui si aliquid subtraxeris de magnitudine ejus et de primatu ipsius, de toto id subtrahis. Et qui de toto illo mandato aliquid subtrahit, id est, aut de eo quod est, ex toto corde, aut ex tota anima, aut ex tota mente, quod magnum et primum est, ni ex toto servetur corrumpitur. Propterea qui vult Dominum Deum suum diligere ex toto, exsequatur partes plenæ dilectionis, et impleat ex toto, ut non solum Dominum Deum totum ex toto diligat, verum etiam tria illa, ex quibus diligitur Deus ex toto exhibeat, id est ex toto corde suo, apud se Deum totum in corde ac si thesaurum recondat, in omni operatione et cogitatione sua; et ex tota anima sua, ita ut paratus sit ponere eam in morte, pro eo qui universa creavit, ne ulla pars animæ divellatur ab eo, qui illam dedit; et ex tota mente, ut nihil aliud intellectu nostro versetur, quam intelligere et cogitare de Deo. His tribus itaque partibus, totus et integer constare dicitur homo; non quod tribus, ut quidam volunt, substantiis sit compactus homo, sed duabus, id est anima et corpore. Licet Apostolus dicat : *Ut integer spiritus vester* (*II Thess.* III, 3-23), anima et corpus; quia anima utrumque est et anima et spiritus. Verumtamen pars ejus qua vivificatur corpus anima appellatur; eminentia vero pars ejus qua intelligimus et ratiocinamur, mens dicitur. Porro cor pro parte carnis accipitur; ut et caro Deum sitire, Deumque diligere possit, ex toto elaboremus. **928** Pro quo David Deo pollicebatur, *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* LXII, 2). Quibus profecto partibus, cum ad Dei dilectionem totus homo integer ex toto transfertur, maximum Dei mandatum complere jure creditur. Etsi diligere proximum magnum est, non tamen primum vocatur, sed simile.

Introdusă în format electronic de Google

Quia et proximus in Deum diligitur, et Deus in homine, cujus est imago, amatur. Nec immerito igitur simile, maxime propter mysterium Christi qui est proximus noster, suscipiens carnem nostram, et factus est, sicut ipse in alia ostendit parabola, proximus noster. Et ideo primum mandatum et maximum est Dominum Deum diligere; secundum autem simile per omnia, Filium Dei scilicet, quia Mediator Dei et hominum factus est, similiter ex toto et sine mensura diligere, cognoscere, et venerari. Deinde proximos in ipso Christo Jesu, cum mensura, sicut nosmetipsos amare et diligere, ut unum in omnibus per Christum compleatur mandatum. Alioquin, sicut ait Joannes: *Qui dicit se Deum diligere, et fratrem suum non diligit, mendax est* (*I Joan.* IV, 20). Et: *Omnis qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 5). Unde elaborandum cum Dei gratia, quia simile dicitur mandatum in dilectione proximi, ut eodem modo proximus ametur ex toto corde, sicuti amari præcipitur. Quis enim non toto corde, et non tota anima, et non tota mente se amari optasset, cum dicit: *Sicut teipsum?* Sed inter Deum et proximum quasi quædam discretio ponitur, ea ne quis proximum quem diligere tanquam seipsum jubetur, quasi Deum adorare velit, quem plus quam seipsum, et quam omnem hominem diligere oportet. Propterea cum ait: *Secundum simile est huic*, ac dilectionem Christi referenda est hæc similitudo; ut sicut Deus Pater, ita et Deus Christus Patris Filius, qui est noster proximus, diligatur. Et quia reliquos nos oportet diligere proximos, in ipsa eademque dilectione mensura ponitur, *sicut teipsum*. Propterea secundum simile est priori, ut diligatur Christus, nulla a hibeatur mensura, sed ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente. Et ut hæc dilectio vel charitas ordinata sit, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Et ideo quia in his duobus mandatis, sicut dictum est, tota lex pendet et prophetæ, melius ad Christum quia vere proximus noster est, refertur hoc secundum simile mandatum; quia lex et prophetæ omnes Christi præsignabant adventum, et ad **929** eum pendebant omnia legis ænigmata et figuræ. Et adventus ejus per supplementum eorum cognoscendi Deum intelligentiam præstavit. Alioquin si æque accipiendum est de dilectione Christi et proximi, quomodo patrem et matrem, cæterasque affectiones carnis Dei charitati præponere inhibemur in hoc ipso eodemque Evangelio? Quomodo dilectio proximi simile mandatum est dilectionis Dei, ut sit aliquid quod amori Dei possit æquari? Ideirco magis similitudo præcepti, parem charitatem diligendi patrem et filium, atque cognitionem similem ex lege et prophetis exigit, in quo mandato pendent omnia. Unde ut legis ipsius et prophetiæ argui possint verbis, et de proximo manifestior intelligentia panderetur,

Congregatis Pharisæis, interrogat dicens quid illis videretur, Christus cujusnam filius futurus esset? Qui dicunt ei, David. Et ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Hanc igitur quæstionem miseri Judæi quia videbant contra se venire, quamvis scirent forte ex prophetis quomodo Dominus, vel quomodo et filius esset David, noluerunt tamen respondere ei, sed tacuerunt. Negare igitur non poterant quod David olim in Psalmis de ipso prophetaverat, neque subterfugere aliter quam silendo; idcirco male in se confisi, ac si rei, tacent. Sed et Dominus Jesus, non eamdem eis exposuit, neque modum quæstionis absolvit, sed nobis Christianis per Paulum, in quo loquebatur ipse, plenissime reseravit. Dicit enim loquens ad Timotheum: *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum carnem, juxta Evangelium meum* (*I Tim.* II, 6). Ecce quomodo Christus filius est David, scilicet secundum carnem, quia de semine carnis ejus natus est. Quomodo autem sit Dominus David? ipsum Apostolum interrogemus, imo Christum qui per ipsum loquebatur. Dicit enim ita de ipso: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.* II, 6). Quoniam non per rapinam æqualis erat Deo Patri in forma Dei, sed per naturam sempiternæ nativitatis, in qua manens Deus genitus a Patre. Secundum quam formam rogo quia nascendo Deus exstitit a Patre, cognosce ipsum eumdemque Dominum David. Et si cognoveris eum vere Dominum David, cognosces utique Deum **930** et Dominum esse omnium creaturarum, etiam et angelorum; quia æqualis est Deo Patri Deus in forma Dei. Ecce unde filius David, et ecce ex quo Dominus David. Ergo filius David quia *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Domini omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philip.* II, 7, 8). Exinanivit ergo se, sicut dictum est. Quod si quæris quomodo vere sumenda carnem ex semine David, ita ut Verbum caro fieret, ac per hoc factus est quod non erat. Ergo Dominus qui erat David, factus est filius ipsius David. Et ideo in Spiritu sancto jure vocatus est ejus Dominus, qui factus est et filius; non alter Filius, et alter Dominus; sed unus idemque Christus simul Dominus et Filius. Quod si cæci Judæi forte ista nescientes, quia sciebant eum de semine David omnino venturum, debuerant ipsum interrogare, quem ficte magistrum vocabant, maxime quia ipsius David testimonium, in Spiritu sancto prædictum, adhibuerat. Sed nolebant miseri rescire propter vecordiam suam, nec requirere quod negare non poterant, et tamen contradicere gestiebant. Quod si vellent procul dubio credere in prophetis ubi legerant, quod filius David Christus futurus erat invenire poterant quod ipse esset qui loquebatur, et quia ipse Dominus David esset. Nam ubi le-

Introdusă în format electronic de Google

gebant, quod essent eum etiam et ipsi occisuri. Mira cæcitas, et nimia intus obstinatio mentis. Futurum eum sperabant, et prævidebant ubique de ipso interrogati, sed suum facinus crudelissimum sibi non videbant, quod explere longe diu moliebantur, et jam beneficiis deliniti. Alioquin nunquam eos quasi de cognito Christus manifeste sic interrogasset, cujus nomen antea in Scripturis sacris, vel in populo pronuntiatum nunquam audissent. Sed quia hoc notissimum erat in populo, et in divinis litteris ubique legebatur, celare non poterant, quod venturum eum nescissent, vel non sperarent; quod et adhuc hodie sperant, et ideo errant, quandoquidem et nos speramus eum venturum, sed non ad judicandum, quia jam judicatus est; quin potius judicem exspectamus, quia prophetæ utrumque prænuntiaverunt adventum, **931** et ideo cæci, quia erraverunt in tempore adventus ejus, sentient in novissimo judicem, quem injusto in primo suo adventu condemnaverunt. Facit ergo, prudens lector, hic locus, non solum contra Judæos duricordes, verum etiam et contra hæreticos, qui Deum negant in carne venisse, et non confitentur Deum hominem verum Dei Filium. Nam Photinus, qui negat hominem Christum, ex hoc loco condemnatur. Arius vero et Manichæi, seu quamplures, hinc debellantur hæretici, qui non confitentur Christum Deum æqualem Deo Patri, ut tota evacuetur redemptio Christiana, et fides eorum corrumpatur catholica. Et ideo ut eos omnes hinc inde fortiter revincere possimus, quæso tam præsentem locum, quam et alia ubicunque oportuerit loca de Christo diligentissime perscrutemur, ut intelligamus, et interrogemus eos omnes una cum Domino; si purus homo est, ut ipsi dicunt, et non Deus, *Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Ipsi de se Pharisæi occasionem præbuerunt confutationis suæ, qui ut Dominum caperent in aliquo, fuerant congregati. Et quia jam multa proposuerant dolose, dignum erat ut saltem semel eos interrogaret, et faceret eos cognoscere, quia non erat tantum homo qui tentabatur, sed et Deus, quem nemo potest fallere. Interea, quia dicere de se veritatem in aperto non poterat, insidiantibus Pharisæis, nec tacere, qui ad hoc venerat ut veritatem annuntiaret, seque ipsum Deum Dei Patris Filium monstraret, ideo talem eis proponit interrogationem, ut, eo tacente, divina declararet Scriptura, Spiritu sancto longe ante de Christo prolata. Unde primum interrogat : *Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est?* Quod omnibus notissimum erat, quia de David stirpe repromissio facta fuerat. Deinde illis respondentibus mox quod verum erat, *David*, rursus interrogat Sapientia Dei Patris valde sapienter, quomodo David vocet eum in spiritu Dominum, si pater jure creditur? Non ideo hoc interrogat, ut revincat eos non vera dixisse, sed ut se Dominum ostendat Dei Patris Filium. Non enim poterat Dominus

A ejus esse, qui ex eo fuerat nasciturus, nisi esset Altissimi Filius. Quæ nimirum interrogatio, adhuc hodie multum valet contra Judæos; et revincit de Christo, ut dixi, pene omnem hæreticam **932** pravitatem. Quod unus idemque Christus, et vere sit filius David secundum carnem, et Dominus David, secundum divinitatem, non simplex homo et purus, sicut illi tunc sapiebant Judæi, et adhuc hodie ita desipiunt, asserentes sanctum virum de genere David esse venturum. Sed ipse ab ipso David, qui filius ejus est, in Spiritu sancto Dominus ipsius prædicatur. Non quod duo essent filii, ut novella hæresis suspicatur, sed unus idemque Christus, et Dominus est, et filius, non alter Deus, alter homo, sed unus in utroque Deus et homo. Quæ
B fides non de incerto venit erroris, nec ex propria fingitur voluntate, sed in Spiritu sancto ab ipso Domino declarata ostenditur. Non enim se David filium denegat, quod Pharisæi confitentur, sed et Dominum se prophetarum insinuat. Et ideo sumit de centesimo nono psalmo testimonium, ut ex ipso omnes convincantur Judæi, qui fingunt sibi, ad eludendam interrogationis veritatem, multa inepta et vana; et dicunt vernaculum Abrahæ fuisse, cujus filius Damascus Eliezer fuit, et ex ipsius persona hunc Psalmum scriptum fuisse, ejusque esse vocem, quod post cædem quinque regum Dominus Deus Domino dixerit Abrahæ : *Sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quos omnino interrogare oportet, quomodo Deus dixerit
C Abrahæ quæ sequuntur : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ex utero, ante luciferum, genui te,* et cætera in eo psalmo quæ leguntur. Quæ omnia, sicut eo in die concluserunt ora Pharisæorum, ex illa hora, ut nemo sit eum amplius ausus interrogare : ita et nos omnem Judæum, omnemque hæreticum ex hoc convincere possumus, quod Christus Deus et homo sit verus, et ante luciferum ex utero, id est ex substantia Dei Patris in splendoribus sanctorum, ab ipso genitus, et in fine temporum sacerdos, sicut juraverat olim Deus Pater, secundum ordinem Melchisedech constitutus. Utrumque igitur videtur frivolum, ut aut servus ille propheta tanti mysterii dicatur fuisse, aut David de illo tale aliquid retexuisse, quod nec illi nec Abrahæ
D convenire suspicetur, sed magis similitudo nominis et æqualitas, qua Dominus Domino dicebat eum æqualem Patri, a dextris collocavit, cum ascendit ad cœlos, quo semper fuit. Quod omnino sicut Abrahæ non congruit, ut æqualitas Deo Patri dicatur, ita nec sedere **933** a dextris Dei potuit. Nam in Deo nihil sinistrum est, et ideo jure, pluraliter, Filius in dextris Dei Patris sedere jubetur : Et aperte post laborem passionis, ut sedeat in gloria victor ac si judex, quia in terris judicatus est, judiciaria potestate sublimatus, donec omnes inimicos subdat Pater sub pedibus ipsius scabellum; per quod significatur unitas substantiæ de consortio nominis, et de consedendi invitatione judicii potestas attributa, sicut de

Introdusă în format electronic de Google

universorum subjectione virtus declaratur manifesta. At vero quod dicit, *donec* pro *semper* accipiendum est et pro infinito. Non ut tunc desinat sedere in gloria, cum positi fuerint inimici ejus sub pedibus ejus, sed sempiterna sessio ei offertur et gloria, quam semper idem habuit cum Patre. Hæc quippe pars hoc loco sic pro infinito est, sicut et alibi ait : Donec senescatis ego, ac si dicatur : Tu semper sedebis, quia inimici tibi sub pedibus semper subjecti erunt. Noverat enim Christus, quia filium David futurum credebant, et hoc capere posse Scripturarum auctoritate, quod ex semine David ipse esset ; idcirco rursus eos interrogat, ut eum intelligant Deo Patri coæqualem, et qui ex David ortus erat semine, æternæ virtutis et potestatis, et originis substantiam, in se corporaliter continebat, propterea Deum in homine declarabat. Verumtamen ne aliquis cum Judæis hanc corporalem intelligat sessionem, perpendat quod et Pater ad dexteram Filii esse dicatur, quod in sequentibus manifestat : *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.* Et ideo non est necesse corporalem sessionem introducere in his quæ spiritualiter sunt intelligenda ; quia sicut Filius est in dextera Patris, ita et Pater in dextera Filii. Quomodo ergo inimici ponantur a Patre scabellum sub pedibus Salvatoris, non abs re quæritur, ubi magis benignitas Dei prædicatur, quam aliqua indignatio furoris. Pium namque et valde optabile subditum esse Deo. Propterea non æstimandum censeo, similiter Deum ponere inimicos Christi scabellum pedum ejus, quemadmodum ponuntur inimici sub pedibus regum terrenorum exterminantium eos. Quia illi sine misericordia proprios affligunt inimicos, Dominus autem non ad perditionem, sed ad salutem inimicorum Christi ponit eos scabellum pedum ejus, ut sint subditi Salvatori suo ac liberatori clementissimo. Scriptum namque in Lamentationibus Jeremiæ legimus, quomodo **934** contenebravit Dominus in ira sua filiam Sion, dejecit de cœlo in terram gloriam Israel ; non fuit memor scabellum pedum suorum. De quo in eodem opere quod in eisdem Lamentationibus edidimus, jam diximus, quod tunc occurrere potuit, et adhuc dicimus quia scabellum pedum Dei esse, immensa gloria est ; quia filia Sion quando scabellum pedum Dei erat, in cœlo erat gloriosa. Postquam autem dejecta est, ut non sit scabellum pedum ejus, desiit esse in cœlo. Quapropter attende diligenter quod ait : Dejecit de cœlo gloriam Israel, et fuit scabellum pedum suorum, quando repulit, et dejecit eos in terram, ut non in cœlo, sed in terra scribantur ; licet et terra aliquando in laudem ponatur, ut est illud : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI, 1), non ignominiam, sed gloriam terræ volens ostendere, quæ de Deo aliquam, vel modicam intelligit partem. Ideo et mulier illa pœnitentiam agens ad pedes deflebat benignissimi Jesu, quia peccatrix erat. Optabile quidem ei erat sensus pedes Domini sedere ac deflere, quia ad caput ejus pertingere necdum erat idonea, ut unguentum superfunderet. Quibus ita de Psalmo interrogatis : *Nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die illum amplius interrogare.* Quid putas si omnem textum Psalmi cogerentur exponere, qui manifestissime totus de Christo sonare videtur ? Credo quod omnium ora Judæorum ex hoc uno clauduntur Psalmo, si fuerit diligens perquisitor, qui possit ex his eorum suffugia aperte concludere.

(CAP. XXIII.) *Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos.* Id est, finita interrogatione, cum jam nemo eum auderet interrogare, locutus est libere ad turbas et ad discipulos suos. Hanc quoque distinctionem Matthæus facit, ut privilegium servet apostolorum, vel eorum qui fidelius adhærebant Christo, quoniam meliores erant præ cæteris turbis, discipuli Salvatoris, qui jam eum plenius per fidem sequebantur. Et ideo quamvis sæpius soli erudiantur, tamen quotiescunque cum turbis audiunt, distinguuntur ab eis, ut eorum dignitas commendetur. Nam et supra Matthæus cum dixisset : *Loquente Jesu ad turbas*, et dixisset aliquis : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant*, quærentes te videre, mox non ad turbas, sed ad discipulos suos, extendit manus suas ita dicens : *Ecce mater mea et fratres mei*, seu cætera. **935** Sic invenies, lector, et in reliquis locis, ut semper servetur honor discipulorum. Nihil enim Lucas dissentire videtur in hoc loco, cum ait, quod in domo cujusdam Pharisæi hæc proposuerit Dominus, quia Matthæus locum specialiter, quo dicta sunt hæc, non exprimit, sed ex quo venit a Galilæa in Jerusalem, etiam et superiora, usque ad sermones istos omnia gesta seu dicta, ibi jure ubi vel ubi accipiuntur. Sed hos sermones jam non ad Pharisæos loquitur, sed et ad turbas et ad discipulos quia indigni erant ; nec tamen penitus propter eos, sanam eorum doctrinam vult contemni, et ideo ait : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia quæcunque dixerint vobis servate et facite, quæ autem faciunt facere nolite.* Per cathedram namque ipsa lex Moysi et doctrina intelligenda est, super quam illi sederunt, qui aut eam recte interpretari se gloriabantur, aut qui supra ascendere, juxta traditiones suas se profitebantur ; et quia in proximo removenda erat, ne ad litteram sequeretur, videtur dixisse, sederunt : ac si diceret, usque ad præsens, et non sedebunt aut sedent. Servare autem jubet et facere quæ legis sunt, quoniam lex spiritalis est. Et ideo prætulit gloriam legis de se testantis, quæ imaginem futuræ veritatis expresserat in se, et præmonstrabat in suis decretis utraque præcepta, scilicet agendæ vitæ et significandæ ; in omnibus tamen Christo parebat, et ejus meditabatur adventum. Quidquid enim in ea continetur, ad profectum manifestandæ cognitionis Christi multum valet, et ideo jubet præceptis eorum obtemperari, qui super cathedram Moysi sedent, ut doceant quæ legis sunt. Neque si de suo vitiose aliquid docuerint, rogat et

Introdusă în format electronic de Google

obediatur eis, sed quia sedent super cathedram Moysi, jubet mystice in omnibus obedire mandatis legis, et a factis eorum atque operibus abstinere; ut tantum hominum pravitas atque infidelitas vitetur, et legis doctrina servetur. Tradunt quidam quod Scribæ dicantur, qui a littera legis non recedunt, et Pharisæi, qui majus aliquid in lege se nosse profitentur; et ideo seipsos quasi meliores ac doctiores a cæteris dividunt, unde et Pharisæi vocantur, quod interpretatur *divisi*, vel *segregati*. Nam cæteri, qui Moysi legem secundum spiritalem virtutem intelligunt et exponunt, sedent quidem super cathedram Moysi, tamen non sunt Scribæ et Pharisæi, sed meliores illis, et tales quales fuerunt apostolica **936** ac reliqui discipuli Christi. Hæc sessio recte usque ad passionem Domini dicitur exstitisse, deinceps vero super cathedram Ecclesiæ, quæ est cathedra Christi et thronus, catholici doctores quam gloriosius sedent, et docent verba vitæ. Et qui bene sederit aut docuerit, et non solverit ea, honorem et gratiam accipit per illam; qui autem bene docuerit, et male vixerit, de sacerdotio suo crimen acquirit potius quam dignitatem, quia indigne sedet; sed indignus ille qui nec bene docet, nec bene vivit. Dignitas siquidem doctorum diversa est, sed natura una. Sacerdos si bene vixerit, proprium habet lucrum; si bene docuerit, populi est instrumentum. Idcirco accipere debet populus doctrinam quæ ejus est, et non discutere quod alienum, quia doctrina Moysi secundum Deum est. Alia namque est cathedra pestilentiæ, et alia cathedra Moysi, quæ et lex Domini appellatur; in qua voluntas beati viri meditatur die ac nocte. Quoniam cathedras columbas vendentium, quæ pestilentiarum erant, Dominus evertit. Quorum omnium etsi doctrina est audienda ex lege Dei, non tamen conversatio imitanda. Alligant enim onera gravia et importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Qui alligant ea et imponunt in humeros hominum, nisi quia non ad litteram ista dicuntur, sed secundum tropicam intelligentiam, ut per onera gravia intelligantur legis præcepta, et importabilia, quæ ipsi nolebant, non dico manibus operari, et adimplere, verum nec in modico attingere. De quibus præceptorum oneribus dicit Apostolus, quæ nec nos potuimus portare, nec patres nostri. Quæ licet gravia essent et importabilia, adhuc ea Pharisæorum severitas graviora faciebat. Sed tamen propter sacerdotum et nominis dignitatem, quod in sacramento profecto est, hortatur benignissimus Salvator, ut eis subjiciatur populus. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite*, licet non faciant quæ dicunt; quoniam sequenda est veritas, cujuscunque ore fuerit prolata. Ad omnes denique Ecclesiarum sacerdotes pertinent hæc præcepta, quamvis ipsi nec minima compleant mandata dum majora jubent. Hoc quippe per digitum designatur; et cathedra, ut dixi, et onera, et humeri, et digitus, et vincula quibus alligantur onera, spiritaliter intelligenda sunt, et omnia a bonis et discretis viris misericorditer sunt tractanda, ne **937** reprehendantur a Domino cum hujuscemodi præceptoribus, ut primum ipsi majora compleant, et minora non omittant. Deinde secundum æstimationem virium uniuscujusque audientis, singula dispensent, et alligent, et imponant, quoniam tritici mensura non secundum magnitudinem præceptorum Dei metienda est, sed secundum possibilitatem et capacitatem uniuscujusque. Ne dum immoderate compellunt qui docent, et graviora verba super humeros imponunt, quam ferre possit auditor, cadere eum sub onere cogant, contra voluntatem Christi, qui ait: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30). Sequitur:

Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Constat igitur plerumque quod omnes illi tales sunt, qui amant primos discubitus in conviviis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi, vel aliquid tale quod huic simile videatur. Postquam supra sacerdotum et Pharisæorum insidiis vexatus est, et in suis responsionibus non est auditus, jure convertit se ad plebem, et ad discipulos, ac docuit tales doctores in lege Dei audiendos esse, et non imitandos. Ac deinde his verbis vult ostendere causam propter quam non poterant credere illi, scilicet quia omnia faciebant ob vanam gloriam, ut ab hominibus viderentur, et laudarentur ab eis. Impossible namque est, ut credat Christo cœlestia prædicanti, qui gloriam vanam quærit ab hominibus, et terrenas magis desiderat laudes, sicut ipse alibi dicit: *Quomodo potestis credere, gloriam quærentes ab invicem; et gloriam quæ a solo Deo est, non requiritis?* (*Joan.* V, 44.) Ex illa siquidem renascitur, quod exterminat ipsam rem; ut puta ex ligno nascitur vermis qui emolitur lignum. Et ex vestimento nascitur tinea, quæ comedit vestimentum. Similiter et ex oleribus vermes, qui olera universa corrumpunt. Sic et ex proposito singulorum nascuntur vitia impræsentiarum, quibus consumitur anima ne vivat Deo. Tolle ergo hoc vitium de clero, ne velint ab hominibus videri, mox et cætera resecantur vitia. Qui cum se dedignantur ad invicem, quam sæpe nolunt super se meliorem habere, sicut nec Judæi Christum. *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Ex quo loco beatus Hieronymus clericorum mala deplorans: Væ, inquit, nobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transierunt. Qui utique magis fleret nostra nunc flagitia, si hodie in carne esset, et sciret quanta inter nos, et qualia **938** jam sine pudore fiunt. Nata namque fuerat hæc Pharisæorum superstitio, quia Dominus cum dedisset mandata legis per Moysen, intulit ac conclusit ita dicens: *Et ligabis ea in manu tua, et erunt immota ante oculos tuos semper* (*Deut.* VI, 8). Quæ ideo in manu jussit ferri ut semper opere complerentur; et ante oculos habere, ut die ac nocte meditaremur in eis. Interea Pharisæi, ista male interpretantes, scribebant in membranis Decalogum Moysi, id est, decem verba legis, complicantes ea, et ligantes in fron-

Introdusă în format electronic de Google

te, et quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos lex conscripta, et mandatorum memoria verteretur; non vera fide, ut operibus complerent, sed ut ab hominibus viderentur, scribentes ea in duabus præcisuris membranarum; alteram quidem in domibus portabant, quasi coronam ponentes in capitibus suis, et scripturam gestantes in fronte, ac si ante oculos suos; alteram super brachium manus suæ, quas siquidem partes phylacteria vocabant. Quod adhuc hodie (sicut legimus) Iudi et Babylonii faciunt. Et qui hoc tulerint, quasi religiosi in populo judicantur. Similiter et fimbrias in palliis magnificabant, quas ex Deuteronomio assumpserunt in præcepto, ut ex ipsis se ostenderent magis servare legem. Quas ideo magnas in summitate quatuor angulorum in palliis ligabant, ut sanctitas eorum amplior videretur, quia jusserat hoc Dominus fieri, ut ex ipsis fimbriis hyacinthinis populus Israel discretus esset a reliquis gentibus; sicut in carne per circumcisionem, ita et in vestibus aliquam haberent differentiam. Sed illi superstitiosi magistri captantes auram popularem, ut Hieronymus refert, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant fimbrias grandes, et acutissimis eas spinis ligabant, videlicet ut ambulantes, vel sedentes interdum pungerentur, ut quasi sub hac commonitione retraherentur ad officia Dei, et ad ministeria servitutis ejus. Et ideo Dominus ait: *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus*. Quod utinam et nunc nostri non facerent, qui doctiores esse videntur in populo. Non enim intelligebant miseri, quod hæc in corde magis portanda essent quam in corpore. Verumtamen istiusmodi erat fimbria illa Domini, sed parva et brevis ex lege præcepta, quam et mulier illa, quæ sanguine fluebat, tetigit in pallio Domini, nec tamen est compuncta superstitiosis sentibus Pharisæorum, sed magis sanata **939** ad tactum ejus. Unde non ideo reprehenduntur a Domino, quia eas habebant in summitate palliorum, sed quia superflue grandes erant, et dilatatæ, ab hominibus gloriam quærentes, omnino arguuntur. Similiter et in reliquis omnibus sententiis, quas per partes distinguit, cur quærant primos accubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, gulam sectantes, et salutationes in foro. Non ideo vituperat eos, quia in primo loco recumbebant, aut salutationes in foro sectabantur; sed quia (sicut expressius ait) amabant ob vanam gloriam primos discubitus, et ob favorem laudis suæ salutationes in foro, ac primas cathedras in synagogis. Quorum quia mens depravata erat in voluntatibus et in studiis suis, in omnibus avaritiam et vanam gloriam sectantes, ideirco eorum culpantur mores, et ad eorum vitia vituperatio refertur, et non ad facta quando honeste fiunt. Quoniam et ordines servare suos in discubitu, et salutationes invicem exhibere officiosissimum est; atque honore alterutrum prævenire, honestum. Præterea hæc religiose observata ædificant mentes singulorum in charitate. Si autem carnaliter eamus, appetit et amat magis suam jactantiam quam honestatem morum, et probitatem humilitatis, talis Pharisæorum est imitator. Potest fieri ut discumbat aliquis in novissimo loco, qui non solum jactantiam cordis non amittit, verum etiam exinde magis eam intus nutrit, et quasi humilior cunctis vanam gloriam quærit, et vult videri justus et humilis, ut ab omnibus amplius honoretur. Quanti putas sunt qui aut primi humiles inveniantur, aut novissimi, intus a Domino (qui corda conspicit singulorum) superbia condemnantur? Spiritus est enim Deus, et ideo spiritaliter universos examinat, et non carnaliter, neque tantummodo perpendit quod quisque sedeat, vel qua voce illum salutet, utrumne venerabiliter submisso capite vel corpore, licet hæc omnia honeste oporteat fieri, et congrue satis unicuique, sed qua mente vel qua conscientia quisque faciat quodcunque facit. Unde, sicut dixi, ad amorem Pharisæorum culpam retorsit, et non ad officia quæ honeste possunt fieri.

Vos autem, inquit, *nolite vocari Rabbi*, et continuo reddit causam, *quia unus est magister vester*: vos enim *fratres estis*. Nam rabbi Hebræum est, quod Latine magister dicitur. *Et patrem nolite vobis* vocare **940** *super terram, unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia Magister vester unus est Christus*. Ecce unde fratres esse dicimur, quia nullus est alius pater noster quam Deus, qui nos condidit et creavit. Quamvis enim homo hominem generet, tamen unus est pater omnium, qui condidit et creavit omnes; unde et nos filii fratres sumus patrum nostrorum, quia, ut ita dicam, non ab ipsis quodammodo nati sumus, sed per ipsos; qui omnino non initium vitæ ex eis habemus, sed quasi transitum ad vitam per eos accepimus. Nam etsi arbor videatur ramos de se generare, vita ramorum et arboris, ut ita fatear, radix est: multo magis Deus pater omnium hominum auctor et creator est. Similiter et Christus, licet multi doceant, unus est magister omnium, qui omnes homines intus, non artificiose, sed naturaliter docet. Si enim homo hominem ex integro doceret et erudiret, omnes homines ab uno magistro æque discerent. Nunc autem, quia non homo docet, sed Deus, qui sensum et intellectum dat, ideo Paulus clamat, quod *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus* (*I Cor.* III, 7), non enim homini intellectum præstat docendo, sed a Deo præstatur, qui *Intellectum dat parvulis* (*Psal.* CXVIII, 130), et ait: *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris* (*Psal.* LXXIII, 130). Unde et David ait: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* XXXI, 8). Sed forte aliquis ad hæc dicturus est, quod efficacia sua et intelligibilitas mentis faciat hominem eruditum, cum nec ipsa quis dona, nisi ex dono Dei habeat ut erudiri possit. Et ideo quicunque se Christi discipulum profitetur, oportet eum vocet magistrum, qui non carnalem in nobis, sed spiritalem generat disciplinam; et patrem eum appellet, qui ex magisterio Christi et consortio hoc nomen nobis et gratiam clementer

Introdusă în format electronic de Google

induxit. Ut filii Dei simus per adoptionem potius quam terreni parentis; ex eo enim cœlestes nos esse profitemur, ex quo cum fide, qui renati sumus, cœpimus dicere corde atque ore : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Indignum itaque est patrem nos vocare super terram, qui et cœlestes sumus effecti, et patrem nos habere in cœlis non dubitamus. Quæritur autem, quare contra hæc præcepta et Paulus doctorem Gentium se vocat : aut quo modo, vulgato sermone, in monasteriis, ex usu omnium monachorum, et ex præcepto regulæ, se invicem monachi, non nos vocent, in quo paterna servatur reverentia. Quod **941** sic recte solvitur, cum dicimus aliud natura patrem esse, vel magistrum, et aliud indulgentia. Unde si patrem vocamus, honorem ætati deferimus, vel reverentiam meritorum; non auctorem eum, quem patrem vocamus, nostræ dicimus vitæ, sic magistrum jure non aliunde, quam ex usu et consortio veri magistri. Et ne ad infinitum pertendam sermonem, quomodo unus per naturam Deus et unus Filius, non præjudicat cæteris, ne nuncupative dii vocentur sancti, et filii per adoptionis gratiam dicantur dii : ita unus pater et magister non præjudicat aliis, ne abusive appellentur patres et magistri. Quoniam aliud est arte magistrum esse, et aliud potestate et natura. Quapropter in omnibus illis, tolle vanam ac propriam assumptionem, ne ametur favor vanæ gloriæ, sed servetur honor Dei et religio honestatis : invenies quod non prohibet, ut nunquam ab aliis ita vocentur aliqui, sed hoc introducere videtur, ne desiderent discipuli Christi ob vanam gloriam, his vocari nominibus, vel superstitiosius in aliquo honorari quam expediat. *Qui major est vestrum, erit vester minister. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur.* Quia dixerat : Ne vocemini magistri, et ne amarent primos accubitus, seu cætera, ideo seipsum proponit formam et exemplum humilitatis, qui magis ex natura magister vocatur, quam ex indulgentia, eo quod per ipsum constant omnia, et ex dispensatione carnis ejus omnes erudimur ad vitam, et reconciliamur Deo, per hoc quod major est nostrum. Ac si diceret : Nolite amare primatus honoris, nec vocari magistri, sicut *nec ego gloriam meam quæro, sed est qui quærat* (*Joan.* VIII, 50). Ita et vos intendite in me, quia *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis* (*Matth.* XX, 28). In hoc quippe loco non solum discipulos suos instruit, verum et magistros Ecclesiarum, ne aliquis honores per ambitionem quærat, sed qui voluerit major esse, sit primum, quod ipse factus est, omnium minister. Quod si aliquid de his desiderare libuerit, opus desideret, et non fastigium honoris; ministrare potius et servire omnibus, quam sibi serviri et ministrari ab omnibus. Quia unum eorum de supercilio venit Pharisæorum, alterum vero de doctrina et magisterio Christi. Nam qui ambiunt et requirunt sibi honores, ipsi sunt qui exaltant; et qui ministrare et servire gaudent, ipsi sunt qui se humiliant, ut exaltentur a Domino. Et notandum quia non ait, quem **942** Dominus, sed qui se exaltaverit, humiliabitur; utique a Domino, sicut nec quem Dominus, sed qui semetipsum sua sponte humiliaverit, exaltabitur versa vice a Domino. Quæ nimirum doctrina omnibus bonis congruit Christianis, sicut e contrario ista comminatio diabolo, Judæis et Gentibus, atque omnibus apostaticis, qui se sub jugo Christi nolunt humiliare; et ideo hi omnes justo Dei judicio humiliabuntur. Quod caventes apostoli et omnes boni viri, maluerunt se invicem mutuo prævenire honore, et omnes esse fratres, id est, unius parentis filios, gaudentes per novæ nativitatis regenerationem, terreni ortus excessisse primordia, et unum sibi præesse omnibus cœlestis doctrinæ magistrum. Unde quia hoc sibi Christus magisterium specialiter in se retinuit, mox formam doctrinæ adhibuit, ut qui vult major esse, sit omnium minister. Ac deinde continuo causam tantæ humilitatis duplicem subjecit, unam scilicet ad gloriam vitæ perpetuæ capescendam in Christo, alteram æternæ humilitatis confusionem superbientibus demonstrandam. Et quia sibi essentialiter nomen magistri vindicavit, licet aliis verbis, eamdemque formam proposuit, *Discite*, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Unde quicunque ejus discipulus vult esse, doctrinam quam se profitetur docere necesse est instanter discat; quia tunc perfectus quisque erit, si sit sicut magister ejus. Alias autem, non dico magister, verum nec discipulus erit, qui noluerit discere doctrinam quam magister docet.

Væ vobis, inquit, *Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Audiant si forte adhuc ulli sunt Manichæorum complices, qui dicunt Deum Veteris Testamenti, non bonum, propter maledictiones quas posuit in lege adversus peccatores ac delinquentes. Quod si eum crudelem vocant et sanguinarium, quid dicturi sunt in hoc loco de Christo quem benignum vocant? Et tamen consona voce ostendit se verum Dei Filium, illius qui legem dedit. Quinimo etiam et seipsum legislatorem insinuat, dum secundum similitudinem benedictionum quas posuit in lege, proposuit et ipse in Evangelio beatitudines eorum qui salvantur; necnon et similitudines maledictionum quas in lege proposuerat, proponit in hoc loco; sicut et in cæteris contra peccatores contraque delinquentes, ut resipiscant a malis **943** suis, ita dicens : Væ nobis, et vobis. Quibus cur hoc dicat, sicut et in lege, mox reddit causas. Unde tam hic quam in lege, ab uno Deo, id est, benignissimo Jesu Christo, satis benigne sunt dicta, sive maledictiones in lege, sive istud væ, quod pronuntiantis affectu recte dictum intelligitur; non quod ex pronuntiatione ista pronuntiantis unicuique contingant peccata, sed justæ condemnationis judicio unicuique, quia peccat. Et non dico tantum quia peccat, verum etiam et post talia interminata, quia secundum impœnitudinem

Introdusă în format electronic de Google

cordis peccat, et se præbet ad ea promerenda quæ Deus disciplinæ causa protulit adversus eos, ut converterentur ad bonum et se corrigerent. Nam impræsentiarum, sicut nulli vera beatitudo hactenus nisi in spe præstatur : ita nec maledictio, vel væ istùd futurum, jam terminatur. Sed sicut magna felicitas in cœlo, beatitudo nominatur, et ipsa vera beatitudo, in regno Dei completur : ita lamentum et fletus harum maledictionum in inferno concluditur, ibique infinita miseria et cruciatus væ secundum, in Apocalypsi Joannis, quia primum abiit dicitur. Et hoc est illud væ, quod non solum Scribis et Pharisæis, verum etiam omnibus reprobis impræsentiarum denuntiatur, ut in futuro inexcusabiles sint, et justo Dei judicio puniantur. Nec immerito ergo quæritur cur octo sint beatitudines; e contrario Salvator septies hoc loco væ intulerit? Non enim factum abs re crediderim. Siquidem de die octava quia legimus, *Hæc est dies quam fecit Dominus* (*Psal.* cxvii, 24), fortassis et septem beatudines quodammodo ex gratia Dei, hominibus ac si in spe suis, justisque operibus præstantur. Sed illa octava est quam solus Dominus fecit, et præstitit gratis suis dilectoribus, et quia in spe per septem cucurrerunt, curricula dierum, septem repleti donis Spiritus sancti, operati sunt has septem beatitudines. Quibus e contrario propter septem vitia principalia, hoc væ septies revolutum numero, comparatur; et non ultra processit, quia illud male completum infra se suos involvit. At vero electi impræsentiarum, septem donis Spiritus sancti enutriti ad illam perveverunt octavam beatitudinem, quam fecit Dominus. Isti autem septem male vexati criminibus æque per septem curricula dierum male ad supplicia currentes, hoc unum secum tulerunt væ, septies revolutum, quod ipsi sibi fabricaverunt. Unde et Dominus longe supra, cum ad Judæos loqueretur : *Cum immundus* **944** *spiritus*, inquit, *exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa quærens requiem et non inveniens. Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. Et tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et sunt novissima hominis illius pejora prioribus* (*Matth.* xii, 43-45). Hæc, quia Scribis et Pharisæis contigerat, de quibus jam supra dixerat, non excessit numerum vitiorum, nec numerum vindictæ, sed toties væ imminere illis pronuntiavit, quot erant dæmonibus oppressi, et vitiis implicati. Solet namque septenarius numerus pro universitate connumerari sicuti hoc loco, quoniam colluvionem scelerum in se contraxerant, et universæ vitiorum sordes ad eos defluxerant. Idcirco universitas dæmonum non immerito in eos regnabat. *Quia clauditis*, inquit, *regnum cælorum ante homines.* Et Lucas ait : *Quia tulistis clavem scientiæ, nec vos intratis, nec introeuntes sinitis introire* (*Luc.* xi, 52). Quærat qui vult, quid pejus esse possit inter homines, et inter ipsos dæmones, ut nec ipsi cessare a malo, nec redire ad Deum velint, nec alios permittant secum sequi factorem, neque de morte ad vitam transire. Quid ergo de talibus restat nisi, quorum una est scelerata impietas, una sit et pœna tormentorum? Reddit autem singulis vitiis, singulas clausulas vitiorum. Quia dilatabant phylacteria sua, simulantes se sanctos, et magnificabant fimbrias, justum fuit ut hypocritæ vocarentur. Claudebant vero regnum cœlorum ante se, et ante alios, quos introire non sinebant; quia alligabant onera gravia et importabilia super hominum humeros, quæ ipsi nec digito movere cupiebant, prædam captantes, et gloriam requirentes a populo. Certum namque habebant, a lege et prophetis, quod ipse esset Christus. Unde magis, non immerito, hypocritæ sunt vocati, quia dissimulabant se nescire verum Christum quem plenissime sciebant; quamvis causa avaritiæ suæ et honoris sui gratia, nollent confiteri. Et ideo perversa interpretatione claudebant ante conspectum populi januam legis et prophetarum, qui de adventu Christi manifestissime sunt locuti; ut a fide Christi universos deterrerent, non minus minis et seditionibus, quam et traditionibus suis. Quia timebant, si populus in eum crederet, quod omnia sacrificiorum munera, gloria, honor, et cultus, et votorum dona ad Christum transirent, in quibus non Deus, sed ipsi ditabantur et gloriabantur **945** honoribus. Regnum ergo cœlorum ipsæ dicuntur Scripturæ, in quibus Christus Dei Filius prædicabatur, quas ipsi ante se et ante alios claserant, cum Christum in eis, et ex eis, credi non sinebant. Et quia ipse Christus clavis est David, qui aperuit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, cum eum credi vel intelligi non sinebant, non solum scientiæ clavem abstulerant, verum etiam ipsum ostium, vel januam, ita obstruxerant, ut nec ipsi intrarent, ut easdem Scripturas de illo intelligerent, nec alios introire permitterent. Hæc itaque duo quasi naturaliter videntur ab invicem esse inseparabilia; quoniam qui in alterum ex istis peccat, ab altero se non potest cohibere, sicut econtra, qui ab uno eorum se abstinet, impossibile videtur, ut non etiam ab altero se abstineat. Ut puta fac aliquem feliciter ad Deum, et ad Scripturas sacras ingredientem, aut regna cœlorum penetrantem, mox invenies, non solum alios non prohibentem, verum exhortantem et contrahentem quoscunque potuerit. Quoniam qui alios vetat introire in regnum cœlorum, sufficit ei ad expulsionem suam, ne et ipse intrare possit hoc ipsum quod alios non permittit intrare. Quoniam qui scandalizaverit unum de pusillis Ecclesiæ, prohibens eum intrare male vivendo, patietur illud quod Dominus comminatur. Et ne dicat aliquis, Non prohibeo ulli, quia licet ego malus sim, omnes tamen bonos esse cupio et ingredi regna cœlorum; quod si humilitas est, et verum est, quod dicit, assentio. Quod si in aperto malus est, nescio cui bonus esse queat, qui sibi nequam probatur, nec quomodo bona possit velle, dum diligit iniquitatem, et exemplum est aliis peccandi. Quod si cla-

Introdusă în format electronic de Google

ritate quisquis fuerit repletus, ut et alios suo labore introire faciat, Deo agente, non video quomodo ipse primum non introeat. Quia etsi *charitas non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* XIII, 5), tamen cujus est charitas, non solum introire facit, verum etiam jam regnare cum Deo, inquantum charitate juvatur, omnino videtur; quia charitas ex Deo est, et cœleste est donum : sicut iniquitas ex diabolo etiam, interdum et pœna peccati, qua Scribæ et Pharisæi prægravati, nec ipsi introierunt, nec alios, quantum ex ipsis fuit, permiserunt intrare. Hoc quippe egerunt verbis, quando omnia opera Christi, quæ Deifica erant, in Beelzebub facta interpretabantur; hoc minis, hoc omnibus dolis, et fraudibus, ita ut Dominum, Dei Filium, licet sit impassibilis, crudeliter innocentem occiderent, ne ullus **946** eum Dominum ultra crederet. Ac per hoc ipsis clauserunt regnum ne introirent, et alios, inquantum eis possibile fuit, ne introirent, omnino prohibuerunt. Et notandum quia non dixit, væ vobis quia non aperitis regnum cœlorum, sed quia clauditis, aliud pro alio mentientes et agentes, ne Scripturæ de Christo recte intelligerentur. Quod et adhuc hodie isti faciunt qui remanserunt ac si titiones ex incendio, parati ad interitum. Quibus illud duplex imminet væ, de quo Joannes ait in Apocalypsi sua, quod viderit aquilam clamantem ac dicentem : *Væ, væ habitantibus in terra* (*Apoc.* VIII, 13); quoniam ipsi expulsi a terra sua et a civitate Jerusalem, nihil aliud inhiant, et quærunt quam terram. A quibus longe est illa prima beatitudo, de qua dicitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V, 3); quorum conversatio in cœlis est, et ideo non tanget eos illud væ secundum, quia non sunt de terra. Tangit etiam et eos præsens locus, qui rectores videntur esse Ecclesiarum, si aut male vivunt, aut certe utrumque, et male vivunt, et male docent, vel certe nihil docet boni locumque mercenariorum non relinquunt. Quos et Osee propheta arguit et increpat : Absconderunt, inquit, sacerdotes viam Domini, et interfecerunt siccennam. Alioquin nisi mali sacerdotes doctrinam Domini quolibet pacto depravassent per se in Scripturis divinis ipsa veritas de Christo, licet obscura sit, tamen abscondita non esset. Obscura vero ideo est, non ut non inveniant eam qui quærunt, sed ut non videant eam qui quærere nolunt, ad illorum gloriam pertineat, qui desideraverunt et quæsiverunt eam, et invenerunt. Sicut e contrario ad eorum confusionem et condemnationem, qui nec desiderant, nec quærunt, nec inveniunt eam. Quia non potest excusatio esse justæ damnationis, ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. Quod si veritas Christus salus est, et vita perfecte cognoscentium, quid putas quantum væ illis immineat, qui easdem Scripturas, aliud pro alio mentientes, claudunt? Quid enim apertius dici potuit de Christo, quam Isaias dicit? *Ipse Dominus*, inquit, *veniet et salvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient, et lingua mutorum diserta erit* (*Isa.* XXXV, 5), seu cætera. Hæc quidem signa fuerant adventus Christi, quæ omnia etiam et majora isti facta viderunt; sed omnia in Beelzebub principem dæmoniorum, ut dixi, ea, ut averterent populum a fide Christi, facta dicebant. Et non solum hoc, verum etiam **947** et decretum posuerunt, ut si quis diceret eum Filium Dei, fieret extra synagogam. Sequitur :

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo quam vos estis. Circuibant autem Judæi mare et aridam, causa negotiationis, et perlustrabant universas partes mundi, ita ut et per maria et per terras, per insulas, quoque et regiones irent, sicut adhuc hodie faciunt, et per plura loca. Inter quæ vitæ negotia, non propter gloriam Dei, ut Deus a cultoribus religiosius veneraretur, neque propter misericordiam et charitatem Dei et proximi, volentes eum salvare, quem docebant judaizare, sed aut propter avaritiam, ut adderetur eis sacrificiorum oblatio, aut propter vanam gloriam, ut viderentur gentiles ad cultum Dei convertere. Qui namque conversi de errore gentilium ad unius Dei cultum, relictis idolis, proselyti vocabantur, cum jam circumcisi, populo Dei in lege suscepti, miscebantur. Sed cum factus fuisset proselytus, videlicet circumcisus, et Domino consecratus, malis suis exemplis rursus perditus, fiebat filius gehennæ, dum cogebatur illos imitari, et affectum eorum sequi. Qui eo in tempore dixerunt de Christo : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 6). Quem non solum accusare, sed et blasphemare quotidie in synagogis suis dicebant; ne ullus fidem Christi reciperet, sicut et adhuc hodie faciunt. Sed quærendum quid sit quod ait : *Et facitis eum filium gehennæ, duplo quam vos estis.* Nunquid discipulus proselytus factus dupliciter Scribis et Pharisæis, poterat fieri miserabilior, ita ut non æqualiter esset eis filius gehennæ, sed dupliciter? Nunquid non in utroque omnis perfectus est discipulus, si sit sicut magister ejus, si forte in malo perfectus dici potest? Quod satis elucet quid velit significare, si prior gentilis damnatio, qui factus est proselytus, pensetur. Arbitror enim omnem hominem, qui ex conversatione gentilitatis factus est proselytus in lege, filium gehennæ prius fuisse, quod peccatum baptismus Christi absolvit. Sed circumcisio Judæorum, quia jam Christus venit, nihil prodest; et ideo jam gentilem a reatu non solvit, sed adhuc per transgressionem legis addit illi damnationis numerum. Ita ut etiam secundum Judaismum, fiat filius gehennæ. Et quia manet prior damnatio inabsoluta, cum factus fuerit proselytus, **948** dupliciter filius gehennæ per doctrinam doctoris mali efficitur, cum et Christum blasphemare incipit, et a lege nihil proficere. Sicque fit ille qui docuit ut causa secundi erroris fit, et fiat dupliciter filius gehennæ supra illum qui male docuit eum. Unusquisque enim usitatissime filius ejus dicitur, cujus opera facit; sicque dicuntur filii per-

Introdusă în format electronic de Google

ditionis, et filii hujus sæculi. Fit autem et aliter quisque proselytus dupliciter reus; quia prius erat transgressor in lege naturæ, factus autem proselytus, cum esset ethnicus, videns magistrorum vitia, transgrediendo legem, jure majori pœna, id est duplici, mulctatur, sicut et vos qui fidem et opera non habetis. Alii quidem volunt, ut *quam*, adverbialiter, pro *sicut*, accipiatur, et sit sensus : Facitis eum filium gehennæ dupliciter, sicut et vos estis; quia et fidem Christi respuitis, ex lege et prophetis prænuntiatam, et opera virtutum nulla habetis, sed vitiis pleni estis, quibus efferati omnem mansuetudinem cordis amisistis, et ideo jam ultra beati minime esse potestis; quia beati mites et mansueti possidebunt terram. Terram illam utique viventium, ad quam David suspirat dicens : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI, 13); quam vos, quia terrena sectamini, infeliciter amisistis. Et notandum quia cum duplo gravius delinquentibus gehenna repromittitur, differentia tormentorum monstratur. Quoniam aliter torquetur qui simpliciter fuerit filius gehennæ, et aliter qui dupliciter. Sicque et deinceps considerandum, si adhuc abundantius possit aliquis torqueri tripliciter, seu multipliciter secundum multitudinem peccatorum. Nec tamen audiendi sunt qui dicunt nulla loca esse pœnarum, neque pœnis torqueri aliis quos gehenna pervaserit, nisi propria conscientia delictorum. Quod multis Scripturarum in locis ostenditur, et loca esse pœnarum, et supplicia tormentorum jam parata, necnon et auctoritate sanctorum Patrum ita esse firmatur, licet per singulas species criminum dicatur quilibet fieri filius gehennæ. Ut puta qui fornicator est, fit gehennæ filius; qui autem adulter dupliciter torquetur, similiter et per cætera vitia. Nec injustum videtur, si secundum modum culparum adhibeatur unicuique supplicium tormentorum in una eademque pœna. Porro de nomine gehennæ jam supra satis diximus. Hoc tamen lectorem moneo, ut semper hinc inde hæreticorum caveat laqueos, ne falsorum **949** obvolvatur laqueis doctorum, qui non doctores, sed deceptores sunt animarum. Quia sicut illi vaniloqui, de quibus nunc diximus, ita sunt et alii qui volunt allegorizando introducere, quod gehenna, quæ vallis filiorum Ennon vocatur in Scripturis, et Jerusalem non longe sint ab invicem. Licet Jerusalem sita sit in monte, et gehenna vallis dicatur : tamen eorum locorum una sors est, et in una numerantur tribu, sicut et reliquæ electissimæ civitates. Quapropter dogmatizant, eos qui peccant, licet in gehenna mittantur, et valles sint appellati, quia peccaverunt, quandoque quod ad unam sortem sunt reversuri, et in una eademque tribu connumerabuntur, in qua Jerusalem illa cœlestis sortitur. Quod quam absurdum sit ita sentire, nobis tacentibus, omnis auctoritas Scripturarum, et catholica fides clamat. Hæc tamen, quia de Græcorum turbine ad nos mala translata venerunt, omittere non debui. Quia qui talia sentiunt, aut senserunt, jam male possessi ad illud væ ultimum quod restat, si non corrigantur, omnino festinant. De quo sequitur :

Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicunque juraverit in templo, nihil est; qui autem juraverit in aurum templi, debet. Stulti et cæci : quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicunque juraverit in altari, nihil est : quicunque juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci : quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt. Et qui juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in cælo, jurat in thronum Dei, et in eo qui sedet super eum. Arguuntur namque Scribæ et Pharisæi, cuncta pro lucro facere, et non pro timore Dei; sicut et supra in phylacteriis et fimbriis dilatatis, non aliud quam vanam gloriam requirebant, et per occasionem gloriæ, etiam et in his lucra sectabantur pecuniarum. Et ideo jure hypocritæ et duces cæci vocantur, licet super cathedram Moysi sederunt. Quoniam sub specie sanctitatis, non cultum Dei, non gloriam, non honorem requirebant, non observantiam mandatorum Dei, sicut jam supra de dono diximus, quando dicebant patri matrive : *Manus quodcunque est exme, tibi prodest* (*Matth.* XV, 5), ut in eorum lucrum cuncta venirent : sic et hi parvipendebant templum et altare, ac venerari jubebant aurum, et omnia legis donaria, quæ in his **950** offerebantur, ut omnia ad utilitatem et lucrum eorum proficerent. Et propterea quod ipsis delectabantur, aurum et dona, quibus suis utebantur usibus, sanctiora esse dicebant, quam ipsum templum et altare, ut offerentes promptiores fierent, multiplicia sponte ad offerendum rerum dona, quam ad preces fundendas coram sancto altari in templo. Unde, ut eorum dona, et vota magis Deo firmarent accepta, statuerunt stropham callidissime satis. Si quis in contentionem venisset, vel in aliquam controversiam, unde propter ambiguitatem jurgii, jurare deberet, non teneretur reus in templo si falsum jurasset; sed si in auro ex quo postea convictus falsum jurasse, criminis reus tenebatur : unde statim aurum, in quo juraverat, reus cogebatur exsolvere, ut universa eorum usibus cederent. Similiter et in altari si quis jurasset, perjurii nequaquam adjudicabatur reus, etiam convictus quod jurasset. Si autem perjurasset in donis, et oblationibus quæ offerebantur Deo, ad altare, in hostiis et victimis, seu in quibusque muneribus, hæc studiosissime repetentes, illud ab eo exigebant in quo falsum jurasset. Hinc quoque non immerito arguit eos Dominus, quod aurum templi et dona altaris in sacramentorum religionem venerarentur, cum honor deberet esse potior altaris et templi; quia futurorum in figura, et aurum templo, et donum dedicatur altari. Unde veniente Christo, hæc omnia legis jam inutilia erant offerentibus, quia non a lege Christus, sed lex sanctificabatur in Christo; in qua, veluti sedes ac thro-

Introdusă în format electronic de Google

nus Dei, prius positus erat, qui ex ea prædicabatur futurus. Ac per hoc duces cæci jure vocantur et hypocritæ, quia se legem venerari mentiebantur, et jurare per thronum Dei aut per cœlum consueverant, religiosius observantes ea quam eum qui in his sedere judicabatur. Sanctificantem quoque negligebant, et sanctificata, Christo prætermisso, venerabantur; et ideo quasi cœli quædam similitudo inducitur, ut ille qui sedet in eo, aut in lege, recognoscatur. Quoniam propter traditiones suas Judæi omnia legis mandata corruperant, et omnem intellectum de Christo evacuaverant. Propterea vult eos reducere, tam ad mandata agendæ vitæ, quam ad ea quæ sunt significandæ vitæ, ut ex uno eorum Christum jam venisse intelligant, ex altero, servando quæ præcepta sunt, in Christo proficiant. Sed quia illi obsessi a **951** dæmonibus, ista recipere noluerunt; nos quia *in multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2), sequamur, gementes pro his, Christum. Quia *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5). Et primum mundemus conscientias nostras, ut Scripturas sacras, quam sanctæ sint, quamque Deo plenæ, in quibus Deus inhabitat, et ex quibus nobis loquitur, intelligamus. Deinde nullum aurum credamus sanctum, nisi quod infra templo Dei dedicatum est, id est nihil extra divinas Scripturas aliquid, quamvis fulgeat, recipiamus. Quia omnis sensus qui extra resplendere videtur, etsi admirabilis sit, non continuo probatur sanctus. Quia solus Spiritus sanctus est dedicator Scripturarum sanctarum, quo sanctificatur, in eisdem, et ab eisdem Scripturis, omne aurum eloquiorum, ut inveniatur quod proferamus esse sanctum. Sed et si qua dona offerimus ad altare, prius mundum cor super quo, et in quo, ea offerimus. Agamus votis et precibus prius, ut sit illud sanctificatum, quod principale est in nobis; tunc demum dona et oblationes in illo quæ offerimus quotidie, sancta erunt. Et ideo lacrymis et precibus oportet instare, ut ista beatitudo nutriatur a Deo in nobis, et cor mundemus, ex quo, et in quo votum Deo offertur. Quoniam omne votum hominis ut acceptum Deo sit, cor facit, non suo munere, sed dono Dei. Et ideo honorabilius est cor hominis, ad quod primum Deus respicit, ex quo votum offertur, quam munus cordis; quod et Deus post cor respicit ex quo votum offertur.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anetum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. Væ autem illis, quia omnia opera sua liquabant, ut viderentur ab hominibus, et ideo hypocritæ jure vocantur. Sed quærendum quomodo decimabant sua Scribæ et Pharisæi, ad quos et de quibus loquebatur, præsertim cum ipsi sacerdotes erant et Levitæ, qui magis accipiebant decimas a populo quam darent; nisi quia ex ipsis quidam sacerdotes erant et Levitæ, quidam vero populares. Et propterea non incongruum est, si duplicem hujus loci dicimus habere differentiam, ut una quidem pertineat ad populares, qui decimas dabant, quamvis ficte, altera autem ad sacerdotes, qui decimas accipiebant. Etenim sermo ipse in dubium sonare videtur, cum ait, *Væ vobis qui decimatis*; nam et qui accipit decimas, et qui dat, recte **952** decimare dici potest. Fortassis Scribæ et Pharisæi, ex minimis suis oleribus decimas dabant, licet sacerdotes essent, ut per hoc justiores haberentur in populo, et videntes eos, dicerent: Putas quomodo omnium rerum suarum decimas isti offerre Deo non negligunt, qui etiam comtemptibilium olerum decimas dare non prætermittunt; putas quomodo secundum omnia Dei præcepta vita eorum servatur, ita ut nec in modicis rebus negligere videantur. Et ideo forte ac si religionis gratia, talia hujusmodi potius offerebant, ut et dispendio carerent, et gloria illis in populo favorabilior esset. Unde et Dominus ex omnibus tria elegit olera quæ dabant, quatenus ex ipsis ostenderet quid quærebant; quoniam odorifera valde sunt, ut per eorum odoramenta, monstraret famam vanæ laudis quam laribus ad se trahebant, et quibus delectabantur oblectamentis. Et reliquistis, inquit, judicium, et misericordiam, et fidem. Ecce tribus male oblatis, tria objecit pejus neglecta, quibus prætermissis, in Deum et in proximos omnis justitia frustratur; quia justitia Dei, ut justus quisque sit et vivat, ex fide servatur, quia justificatur impius. Et nisi in judicio probus inveniaris, justus nunquam esse poteris, neque in justitia justificatus, per quam recedit homo ab iniquitate. Idcirco præceptum est juste, quod justum est exsequi. Quod tunc recte fit, cum et Deo quæ Dei sunt, et proximo unicuique quæ sua sunt in judicio juste restituuntur. Ac per hoc judicandi virtus, non minus divina, quam et humana, ut justus inveniaris, comprehendit. Et ideo quam bene dictum est: In omnibus judiciis tuis Deum cogita semper. Sunt enim judicia sæcularia, sunt et ecclesiastica. Nec tamen sæculares licet præsumere de his quæ divina sunt; nec sacerdotes qui divina tenent in manibus ad ea quæ sæculi sunt transire, sed unusquisque eorum, sine acceptione personarum, juste quod justum est exsequatur. Cæterum inter fratres sine misericordia vivere, jam judicium incurrere divinum, quia judicium erit sine misericordia, qui inpræsentiarum non facit misericordiam. Sed misericordiæ principatum est, ut a semetipso incipiat homo, sicut scriptum est, *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24); deinde per omnes vadit proximos, quia solus ille jure proximus habetur, juxta Evangelium, qui facit misericordiam. Hæc sunt legis præcepta quæ graviora dicuntur a Domino, sicut **953** et alia quam plurima. Sed in his tribus omnis justitia conservatur, et charitas: non immerito, quia prætermiserant ea, Scribæ et Pharisæi a Domino corriguntur. Cur autem dicantur gravia, cum omne onus Christi leve sit, non inconvenienter quæritur. Quia si ista gravia sunt, et cætera levia esse non possunt; etsi levia sunt, quemadmodum Salva-

Introdusă în format electronic de Google

tor ait, quomodo hic gravia dicuntur? Attende, quæso, quia etsi levis dicatur præceptorum enormitas, onus tamen vocatur : quod si onus, quomodo leve? Nisi quod alia sunt onera vitiorum, quæ deprimunt hominem ad ima inferorum; alia onera mandatorum Dei, quæ servata, levant hominem ad excelsa cœlorum. Quæ duæ gravitates, diversas appetunt partes; scilicet quantum felicior illa quæ sursum trahit, tantum infelicior quæ deorsum mergit. Porro olerum decimas dare non reprehendit Dominus, sed quia præcipua quæque non curabant, utrum populus observaret an non, quæ nec ipsi digito volebant movere. Et ideo ait, *Illa oportuit facere, et ista non omittere*. O sapientia divina quam provide in omnibus loquitur! Dixerat enim supra quod nec unus apex iotæ præteribit a lege, idcirco et nunc, nec decimationem minimarum rerum relaxat, sed ut omnia integre compleantur. Mandaverat enim judicium verum, et justitiam servare, misericordiam facere, et habere fidem, propter gloriam nominis sui decimas autem offerre, licet et ipsæ ad honorem Dei datæ pertineant, tamen propter utilitatem sacerdotum dabantur, ut usibus eorum deservirent. Et ideo forte minima decimarum exigebant etiam oluscula, qui non solum non curabant majora, si aut ipsi aut populus negligeret, verum etiam nec si in Deum quisque atrociora deliquisset, corrigebatur ne peccaret. Unde et in fine sententiam quam bene concludit suam, *duces cæci, excolantes*, vel, sicut alii codices habent, *liquantes culicem, et camelum glutientes*. Ubi subaudiendum quod supra dixerat, Væ vobis. Quia minima quæque offerendo clarificabant, hoc quippe significantius excolare vel eliquare sonat, quod mentham, anetum, cyminum, seu quælibet parva, quæ per culicem denotantur, quod ita pompatice ac lucide parabant offerre parva, ut omnis diligentia in his commendaretur olusculis. Et ideo, quia ex vitio offerentium, etiam et ipsa immunda fiebant, nec immerito culici comparantur, quod et parvum et **954** immundum est animal, sicut et camelus magnum. Quod pessimi sacerdotes tunc glutiebant, cum maxima Dei mandata propter ventris ingluviem absorbebant, nec curabant quid aut ipsi, aut populus peccati in Deum committeret. Nec enim esuriebant et sitiebant justitiam, et ideo possessi a dæmone, tam grandia virtutum opera, ac si immunda et tortuosa, gibbo depressi avaritiæ glutiebant, ne implerentur opera quæ jussa erant. Omnes namque homines aut judices sunt aut rectores, spiritales videlicet aut mundiales, aut certe reliqui sub judicibus sunt et rectoribus. Quibus necessaria est, tam qui præsunt, quam et qui obsequuntur, fides vera et operatio bona, ut possint percipere has beatitudines, quæ huic loco contraria junguntur, *Quoniam beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* v, 6). Hic duæ beatitudines veniunt contra hoc unum væ, quæ nunquam ab invicem bene separantur; quia nec judicium in quo justitia servatur, sine misericordia esse debet, nec misericordia sine justitia coronatur. Quæ sic pariter junctæ, hinc inde certant contra vitia, ut sicut illa suos miseros faciunt sectatores, ita vero istæ beatos. Et quia Scribæ et Pharisæi minima quæque liquantes offerebant, judicium ex quo justitia nascitur, et misericordiam glutiebant, et quasi ad ingluviem stomachi demergebant. Unde nec immerito duabus istis beatitudinibus amissis, unum solum væ, et sempiternum contraxerant; eo quod in hoc uno, et fidem quæ in Deum est, calcaverant, et quæ maxime inter proximos sunt virtutes necessariæ, ne cum ullo communicarent, absorbuerant. Idcirco duplicata in omnibus, justo Dei judicio, pro sua iniquitate vitæ suæ dispendia reportabant.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Nam sub specie vasorum homines designat; et ex eo quod addit, ab intus pleni estis rapina et iniquitate, apertius illud manifestat. Verum Judæi quoties ingressuri erant templum sacrificia oblaturi, aut dies festos celebraturi, seu ex itinere venientes, seipsos a foris, et vestimenta sua, et omnia utensilia lavabant : cor autem suum, et conscientiam intus non lavabant, nec curabant mundare a sordibus pravitatis. Unde et apud Matthæum, calicis et paropsidis a foris mundatio figurate introducitur; apud Lucam vero calicis et catini lavatio commemoratur. **955** Calicem quidem ambo dicunt, quod vas ad potandum semper habetur. Ergo paropsidem non ambo dixerunt, sed ille quidem catinum, iste autem paropsidem. Utrumque tamen vas ad vescendum paratur. Et ideo per hæc duo non incongrue, corpus et anima integer homo accipitur; ut per ea vasa quibus nutrimur in cibo aut potu, totus figuretur homo, et moneatur, verbo intus lavari et pasci. Quia *non in solo pane vivit homo* (*Matth.* IV, 4), sed in spiritali cibo potuque, quibus interior recreatur. Et ut intelligas quia vasa hæc non propter se sunt assumpta, audi quid sequitur : *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis ut fiat et id, quod deforis est, mundum*. Non enim videtur congruere ut Judæi deforis lavarent vasa sua, et intus immunda essent, qui tantum studium in eorum baptismatibus, et purificationibus adhibebant. Neque putandum, quod ideo Dominus de lavando, aut non lavando, vasa sua, eos reprehendat, ut de his curam gereret; sed ideo de ablutione vasorum exemplum trahit, ut per hoc ipsi ad se redeant, et mundent se ab omnibus inquinamentis, tam intus quam deforis, ut sint sancti et mundi mente et corpore. Quod si audire vellent, essent utique beati, quia *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Quæ nimirum beatitudo contraria est væ quod eis ascribitur, quia in omnibus intus malis repleti erant. Siquidem ipsi erant calix et catinus; quia foris nitidos se jactabant, in habitu, in sermone, in vestibus et phylacteriis, et in omnibus simulatis operibus, sed mens eorum et conscientia omnibus inquinata spurcitiis et vitiorum sordibus. Nam quidquid fecerit homo,

Introdusă în format electronic de Google

non ex conscientia bona, neque secundum Deum, a foris quidem mundus videtur, ab intus autem plenus est dolo et hypocrisi. Tales quippe sunt omnes, qui magis gloriam mundi quærunt, quam Dei, et plus hominibus gestiunt placere quam Deo. Quibus, quidquid fecerint boni, dum non bono studio faciunt, nihil prodest; quinimo obest, quia unde foris renitescunt in opere, inde magis intus sordescunt in mente. Et si bona facere hujuscemodi homines videntur, peccatum est, quanto magis cum ipsa committunt crimina! Et ideo talis apta est comparatio, et vasorum exterius ablutio, quorum usus interior est. Quia si vas obsorduerit intus, quid proficiet si lavetur tantum exterius? Idcirco semper nitor virtutum requirendus **956** est interius, et puritas mentis. Quia beati mundo corde, ipsi Deum videbunt.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Videtur namque licet diversis verbis et sententiis idipsum repetere, dum semper eisdem unum væ replicat, unamque eorum hypocrisin damnat. Hinc est quod sequitur: *Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* Sed dum accumulantur peccata supra peccata, et bona quæ fiunt ficte transeunt ad crimina, multiplicatur illud unum væ toties cum augetur, ut illud ultimum unum in septem suis partibus compleatur. Nam hypocrisis et iniquitas, quibus repleti erant Scribæ et Pharisæi, ipsa sunt ossa mortuorum et immunditiæ universæ. Quia hypocrisis, quamvis sit aliqua simulatio boni, acsi os, mortua virtus est. Unde et virtutes in Scripturis sacris ossa dicuntur. Non tamen habent ossa illa quibus replentur sepulcra aliquid vitale, ex eo quod videntur bona esse dum simulate fiunt. Os sunt, ut ita dicam, virtutes quæ simulatæ sunt, mortua justitia est, et mortua castitas, aut virginitas, seu cætera, quæ ficte fiunt. Et hoc vult ostendere benignissimus Salvator, quod omnis virtus simulata mortua virtus est; quinino nec virtus, quia sine fide est. Et ideo talis virtus talisque justitia mortua est, quæ propter Deum facta non est; unde non justitia, non virtus, sed simulatio est. Nec immerito igitur corpora peccatorum, sepulcra dicuntur mortuorum, et dealbata, dum exterius renitent quibuslibet ornamentis, et anima intus mortua est, multis repleta vitiorum fetoribus. Nec itaque vivens putanda est, quæ nihil mundum aut spiritale agit in corpore peccati. Et sicut sepulcrum quandiu clausum est, a foris pulchrum videtur, et, si fuerit apertum, horribile: sic et simulatores bonorum, quandiu non cognoscuntur, laudabiles æstimantur; cum autem cogniti fuerint, abominabiles inveniuntur. Quibus ut pacifici sint, Deo aut sibi valde contrarium est; et ideo primum dum se perimunt, nec beati esse possunt, nec filii Dei vocari, quia pleni sunt mortuorum ossibus. Tanta quippe sunt ossa in eis spurcitiæ, quanta fuerint opera tenebrarum. Propterea et per exaggerationem dicuntur plena ossibus, et dealbata sepulcra hypocritarum. Quoniam cum **957** hypocrisi et iniquitate replentur homines, omnibus replentur malis. Quæ vitia nullum ecclesiastici ordinis gradum relinquunt intactum, dum et martyrii simulatores inveniuntur, et apostolos falsos fuisse probatur. Similiter et in universis invenies ordinibus personas ostentationem sectantes virtutum, nec tamen habentes. Et ideo tales earumdem virtutum, quas habere se simulant inimici probantur

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum, ac reliqua. Quantum ad superficiem verborum spectat, non satis juste neque rationabiliter comminari videtur adversus eos qui ædificabant sepulcra mortuorum, et ornabant monumenta justorum, sicut et nos nunc sanctorum facimus quorumlibet, qui apud nos requiescere probantur. Quinimo laudabile aliquid faciebant, dum et eorum ædificabant et ornabant sepulcra; etiam et operibus patrum suorum, qui ausi sunt in eos manum mittere, non consentiebant, dicentes: Et nos, *si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum*. Quomodo ergo si tales erant, dignum erat ut illis væ imminere prædiceret? Neque enim ideo culpabiles erant, quia filii eorum erant, quoniam non ex arbitrio alicujus venit cujus sit filius, boni viri an mali. Quod si in nullo horum delictum est, restat quia non ideo rei sunt eo quod boni erant, sed quia imitatores parentum suorum erant, quos culpabant. Propter quod patet bona virtutum quæ videntur fecisse, non propter Deum, sed ficte ut laudarentur apud homines, agebant. Unde ait: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*. Non enim imperat ut faciant quæ non oportet, sed prædicit quæ ipsi facturi erant, et jam in mente moliebantur. Ipsi namque sibi facinorum suorum testimonium reddebant, et esse filios eorum qui prophetas occiderant se monstrabant; quamvis sepulcra venerarentur, cum quidquid in dictis eorum erat de Christo, conculcabant. Et adhuc quod erat minus, supplentes ad interfectionem prophetarum atque justorum, Christi occisione compleverunt. Quapropter impia posteritas, licet parentum facta detestata sit, prophetarum libros veneretur, justorum memorias exornent, sepulcra instaurent, ut tali reverentia extra culpam paterni sceleris **958** se ostendant. Putas quod extra reatum sint, et extra piaculum gravissimi sceleris, qui Dominum prophetarum occiderunt, qui de illo omnia quæ gesta sunt prædixerunt? Et ideo Dominus, *Implete*, inquit, *mensuram patrum vestrorum*. Ac si dicat: Vos qui ea detestamini quæ a patribus vestris sunt perpetrata, multiplicato fenore criminis, adimplete mensuram. Quia tunc ad plenum fit persecutio membrorum, et totius corporis interfectio, cum præciditur caput, et omnia

Introdusă în format electronic de Google

hinc inde membra conquassantur. Nam patres Scribarum et Pharisæorum non ferentes increpationes prophetarum, persecuti sunt eos, et occiderunt. Similiter autem et filii increpationes Christi non ferentes propter peccata sua, cum scirent eum esse Christum et Deum, Dei filium, quia irrevocabiles erant e culpa, non timuerunt in eum manum mittere. Sic ergo, lector, invenies, per omnem progeniem Judæorum, quod semper filii coluerint quasi sanctos, quos patres occiderunt acsi malos; et prophetias eorum quas illi abjecerant isti venerabantur. Et hoc non ideo faciebant ut singuli suam innocentiam servarent, sed ut invicem domestico se judicio condemnarent. Quod vitium etiam inter Christianos cavendum est, quia semper unusquisque ante aliena reprehendit peccata quam sua. Et ideo Pharisæorum vitia septies repetita, si volumus intendere, nostras nunc in tempore apertissime tangunt conscientias. Sicut et hoc unum, quoniam multi sunt nunc mortuorum sanctorum cultores, et viventium hominum, quos diligere Deus jubet, persecutores. Quapropter attendat unusquisque, quia hæc non solum illis dicta sunt, sed omnibus nobis postmodum nascituris. Quod si ad illos solos dicta essent, illis quidem dicta manerent, et non scriberentur; nunc autem et dicta sunt et scripta. Dicta siquidem propter illos, scripta vero propter nos. Quoniam in his septem, ut ita loquar, maledictis, licet a quibusdam parva videantur quæ connumerat, omne corpus depingitur vitiorum, septem principalibus concretum criminibus, et propter hypocrisim duplicatum. Unde dum septies væ illis, ac si in prophetia futurum enuntiatur, integritas gehennæ describitur. In qua etsi unum est væ, multa tamen differentia tormentorum; sicut et in paradiso, quamvis una sit beatitudo, cum octo dinumerentur, multæ admodum mansiones, et diversus ordo meritorum. Similitudo **959** quædam est in hoc Evangelista, quod hinc inde, acsi a monte Garizin, septem beatitudines proponit a monte Hebal, quasi e regione tot maledictiones impiis et sceleratis Judæis, prophetice magis quam optantis affectu ostendit; ut singulæ generationes pro suis discernantur meritis. Et sicut illa quæ tunc prolata sunt jam completa videmus in Judæis: ita nunc Evangelista scribens more patrio insinuat pro certo Judæis et omnibus in Christo credentibus, quod et ista ex ore Domini quæ prolata sunt complebuntur in sanctis et peccatoribus. Unde et illa sicut ultima beatitudo est: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v, 10): ita et hoc ultimum væ, quia pleni erant ossibus mortuorum, et completuri mensuram patrum suorum, ut occiderent prophetas et sapientes, etiam ipsum Dominum. Pro quibus omnibus clamat vox sanctorum sub ara Dei: *Vindica, Domine, sanguinem nostrum qui effusus est* (*Apoc.* xvi, 10). Et per Prophetam: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum* (*Psal.* lxxviii, 12). Quæ multiplicatio numeri hic reddita est, sicut et in Cain ab initio præsignata, ut multitudo sceleratorum plenitudinem impræsentiarum intelligat tormentorum. Sequitur:

Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Verum quod serpentes præ omnibus animalibus astutiores sunt; sed astutia eorum non est in bono, sed in malo, semper enim aspiciunt ut noceant, et latere possint: ita omnis hypocrita et fraudulentus astutior vult esse cæteris hominibus, et cogitat quomodo alium decipiat astutia sua, et cum deceperit, sic se agit quasi neminem læserit. Genimina viperarum, quamvis de hoc capitulo supra jam dixerim, hoc loco ideo ita vocantur, quoniam per singulas generationes invicem sua facta condemnabant, et semper patres reprehendebantur a filiis, sicut et illi rursus a suis rescindebantur natis. Et talis quippe est viperarum natura. Quomodo, inquit, fugietis a judicio gehennæ? Acsi dicat: Nunquid quia ædificatis sepulcra prophetarum? Nunquid non Deus occulta cordis dijudicat? Nulla ergo sanctitas vel justitia est sanctos colere et venerari, et contemnere sanctitatem. Quia primus gradus est pietatis, justitiam et sanctitatem diligere, tum demum sanctos, quia sancti sunt quos sanctitas Domino consecravit. *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et Scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in synagogis vestris,* **960** et reliqua. Ubi considerandum est, quam reddat causam, cum ait: *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas.* Supra enim dixerat: Implete mensuram patrum vestrorum, omnino non ideo dixit ut imperaret, neque ut facerent quod jubere videtur. Sed nec hoc loco ideo eos mittit quod dinumerat prophetas et sapientes, ut occidant, aut flagellent, et crucifigant, sed quia dixerant: *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii in sanguine prophetarum,* volentes se coram hominibus justificare, et non coram Deo, qui corda conspicit singulorum, et discernit conscientias hypocritarum. Ait ideo: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes.* Ac si diceret: Ideo eos ad vos mitto, ut ipsa opera vestra quæ facturi estis homicidalia appareant, et convincamini quia filii estis patrum homicidarum, et intelligant universi quia Deus sum ego, qui corda conspicio et probo singulorum. Et ideo prædico vobis, quod occisuri estis eos, et flagellabitis in synagogis vestris, et tunc implebitis mensuram patrum vestrorum. Quia etsi illi eos occiderunt qui olim prænuntiabant de adventu Filii Dei, vos perimituri estis eos, qui jam advenisse testantur. Et hæc est mensura, quam non bene patres vestri impleverunt. Sed vos, quia prophetas occiderunt et sanctos, eamdem mensuram implebitis, et adhuc pejora facturi estis, qui etiam ipsum Dominum prophetarum occisuri estis. Nec tamen quantum ad verba exspectat Christi, de sua morte quidquam hoc loco loqui videtur, quia mors ejus, quam sponte suscepit, salus erat omnium, etiam eorum, si post perpetratum scelus ad eum redire vellent; unde et in cruce pro illis rogat. Sed magis nunc illis imputare videtur

Introdusă în format electronic de Google

mortem apostolorum, cæterorumque sanctorum, qui nolentes occisi sunt. Et ideo forte dicit : *Implete mensuram patrum vestrorum*, et non superimplete. Quod si diceret apertius de se, illis monstraret quod futurum erat. Nam benigni et justi judicis est, suas injurias magis contemnere, et aliorum vindicare. Idcirco Dominus quia justus est et rectus, videns corda eorum dolo ac fraude plena, et coacervata peccata parentum et eorum, ita quantum ad voluntatem eorum exspectat, et propositum cordis, jam mensura patrum impleta esset, non immerito ait : Ideo *ecce ego mitto ad vos prophetas ;* quia jam apud Deum, qui corda inspicit, quasi homicidæ erant, quorum malitia in proposito erat et voluntate. Hinc **961** quoque propheta ait : *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Prophetas autem et sapientes, ac Scribas, apostolos vocat, vel eos quos cum eis misit ad prædicandum. Quoniam sicut scribit Apostolus ad Corinthios, varia fuerunt dona in Ecclesia Christi, quos posuit Spiritus sanctus, alios quidem prophetas, qui futura prænuntiabant ; alios sapientes, qui plenissimam in Christo habebant scientiam, et noverunt quando deberent proferre sermonem ; alios Scribas in lege doctissimos, qui sciebant proferre de cordibus suis nova, etc. Et ex illis occidetis, sicut Paulus decollatus est, et multi alii ; et crucifigetis, sicut Petrus crucifixus est, et Andreas cruce in eadem suspensus ; nec non et Stephanus lapidatus, qui primus martyr Domino occurrit, olim ad hoc electus. Unde nec immerito nomen accepisse creditur, nam *Stephanus* Græce, Latine vero *corona* dicitur. Et ideo provide satis ex præsagio sicut ex nomine, designatus est ante alios coronam gestans in capite, minister gloriosus coronatus occurrit. Flagellati vero discipuli in Actibus leguntur apostolorum. Quæ omnia deinceps, qualia et quanta fuerint, ubi vel ubi passi, nemo est qui enumeret. Sed sicut isto trino numero omnes eos qui passi sunt, ab eis collegit : ita et quotquot passi sunt genera tormentorum connumeravit. Unde sequitur, *et persequemini de civitate in civitatem.* Hoc quippe quam frequenter fecerint, ipsa historia prodit, expellentes eos de Judæa, ut ad gentium solitudines, licet inviti, transirent.

Ut veniat, inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, quem occidistis inter templum et altare.* Et hæc est plena mensura peccati. Propter quod possibile non erat, qui talibus conclusi actibus detinebantur, ut effugerent judicium gehennæ. Quod denique ait, *super vos*, non sic accipiendum æstimo, quasi dicat super eos tantum qui impræsentiarum erant, cum quibus et de quibus longe jam diu loquebatur Sed cum dicit, *super vos*, tam simul patres, de quibus supra dixerat, quam et filios et omnes eorum complices, ac si in uno corpore, comprehendit quos simul malos mox unam generationem esse ostendit. Nam in tempore Abel Judæi necdum erant, sed complices Cain jam mali **962** et homicidæ erant. Unde licet, secundum usum humanum, multæ sint generationes juxta terrarum diversitates, juxta Scripturarum consuetudinem, non amplius quam duæ in fine colliguntur. De quibus ab initio duæ construuntur civitates, Babylon scilicet misera, et Hierusalem beata. Et sicut uni earum omnia repromittuntur bona, per omnes Scripturarum paginas, sic alteri, simul ac si uni, prophetice imprecantur omnia, et denuntiantur mala. *A sanguine*, inquit, *Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ*. De Abel autem nulla est ambiguitas, quin ipse sit quem Cain frater ejus occidit. Justus autem non solum nunc ex Dei sententia, verum ex Genesis testimonio comprobatur, ubi accepta ejus a Deo narrantur munera. Sed de Zacharia, quis sit, qui Barachiæ filius narratur, multa dubietas est, quia multos legimus Zacharias. Et ne libera daretur nobis facultas erroris, additum est, *quem occidistis inter templum et altare*. De quo beatus Hieronymus multa se legisse testatur in commentario suo. Sed Origenes astruere conatur, quod ille se facile refellere posse profitetur. Hunc Zachariam patrem fuisse Joannis, maxime quia ejus interfectionem Christus eisdem imputat Judæis, quibus loquebatur, et non patribus eorum. *Quem occidistis*, inquit, *inter templum et altare*. Sic quippe ad eos verbum dirigit, quasi et ipsi ita esse negare non possint. Sed quomodo fuerit filius Barachiæ fatetur, de Scripturis sanctis non posse probari, nisi forte, quia Barachias *benedictus Dei* ex Hebræo interpretatur, ipso teste Hieronymo, jure possit Zacharias benedictus Dei filius dici, eo quod ex genere sacerdotali pontificis filius fuerit ; qui si non benedictus Dei esset, sacerdos fore minime posset. Cæterum de occisione ejus dicit se talem percepisse traditionem, quasi fuerit aliquis locus in templo, quo virginibus solum erat licitum stare, non permittebatur ei eo in loco stare. Beata vero Maria postquam genuit Salvatorem, ingrediens templum ut oraret, stetit conscia sui pudoris illo in loco qui virginum erat. Prohibentibus autem Scribis et Pharisæis, qui noverant eam filium peperisse, Zacharias divini mysterii jam plene conscius, eis dicitur restitisse, atque dixisse contradicentibus ei : Nolite prohibere quoniam **963** digna est virginum loco stare, quoniam et ipsa virgo est. Qua de causa principes sacerdotum commoti, quia Christum prædicabat, quasi manifestissime contra legem agentem, et in loco virginum stare concedentem mulierem, de qua Christus natus non negabatur, occiderunt eum inter templum et altare, viri generationis illius temporis, vel forte cum quibus loquebatur. Quibus ita dictis, prosequitur idem Origenes et infert, quod si hujusmodi traditionem non credunt, exigamus ab eis rationem, quomodo quasi filios eorum qui occiderunt prophetas, exprobrat Jesus illos occidisse Zachariam, neque ad patres hoc retorquet, sed quasi ipsi eum filii occiderint inter templum et altare ; ad præsentes enim loquitur Pharisæos et

Introdusă în format electronic de Google

Scribas, quem vos occidistis. Quod si non fecissent, utique negare habebant, quod non fecerint, et eum infamare, quod falsa eis objiceret. Unde Christus tale aliquid vult introducere; quasi dicat : Vos qui a sanguine prophetarum vos excusatis et dicitis : *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum*, et ædificatis sepulcra eorum, per hoc quia ausi estis istum occidere, testimonium redditis vobis, quod homicidarum patrum vestrorum filii estis, et ideo mensuram eorum in omnibus adimpletis. Quod si aliquis objiciat, quare non dixerit usque ad sanguinem Joannis? quia Joannem illi non occiderunt, sed usque ad sanguinem Zachariæ, in quo finis fuit omnium prophetarum et legis, sicut ad Joannem. Alias autem, quid causæ exstitit, ut hos duos eligeret, a quo et ad quem usque omnium sanctorum sanguis, qui effusus est, exigendus esset? Nisi quia in Abel persecutio initium sumpsit, et de veteribus sanctis, qui occisi sunt ante passionem Christi (sicut præfatus vir tradit) hic ultimus fuit. Tamen beatissimus Hieronymus, sicut in commentario ejus legitur, hunc Zachariam filium Joiadæ sacerdotis fuisse affirmat, a Joas rege peremptum, licet idem Origenes de nomine longe aliter dicat. Unum, inquit, legimus Azariam lapidatum, filium Joiadæ sacerdotis, eo quod argueret populum. Sed ille et ex nomine, et ex loco quo occisus est probat eum fuisse Zachariam; et quod Joas patri ejus reddiderit mala pro bonis. Et ideo dicunt quod hos duos posuerit, ut magnitudo piaculi demonstraretur, et coæquaretur immanitas sceleris.

964 Quia Cain occidit fratrem suum, nulla existente causa, et Joas, Zachariam, filium Joiadæ sacerdotis, qui nutrierat eum, et eripuerat de morte, nec non in templo septem annis occultaverat, cum interficeretur omne semen regium, ac deinde postea eum in regno constituit, et instituit dum vixit. At ille, horum omnium beneficiorum oblitus, filium ejus (quod scelestius est) sibi collactaneum, occidit inter templum et altare, id est, ut quidam volunt, inter parietem templi et altare incensi, ut scelestius facti causa monstretur. Sed nos possumus inter templum et altare dicere eum occisum, ut genus est locutionis, inter sacerdotes et plebem, in quibus omnis summa colligitur; referentes templum ad populum, altare vero ad sacerdotes, inter quos etiam sanguis prophetarum effusus est reliquus. Alii vero inter ruinas templi et altare, exterius quod erat hostiarum. Et ideo hoc factum dicunt, quia cum esset propheta Dei, regem et populum non cessabat arguere eo quod obmitterent legem et immolarent diis. Ex quibus omnibus colligitur grande facinus in utrisque quos proposuit Salvator, commissum. Verumtamen quid horum verius sit, videat prudens lector. Ego autem nequaquam dixerim quod hos duos Salvator assumpserit sine causa; a quo et ad quem usque sanguis sanctorum requirendus sit, qui effusus est super terram. Et nequaquam dixit qui fundendus est super terram, ut eos deterreret a proposito, sed qui effusus est. Sequitur :

Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Diximus jam supra, generationes duas esse in Scripturis divinis, malorum scilicet et bonorum horum : de qua dicitur : *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob* (*Psal.* XXIII, 6). Et in alio Psalmo de omnibus sanctis : *Generatio rectorum benedicetur* (*Psal.* CXI, 2); sic et in quamplurimis locis. De malis vero, et in præsenti loco, generatio viperarum. Et requirentur hæc omnia a generatione ista. Et in Ezechiel (*cap.* XIV, 14, 20), cum peccata terræ descripsisset, Si Noe, et Job, et Daniel, inquit, ibi fuerint inventi, non dimittentur peccata terræ illius; omnes justos volens intelligi per hos tres, qui similes fuerint virtutibus eorum. Sic et isti, qui similia Cain aut Joas, aut cuilibet persecutorum gesserunt contra apostolos, aut contra quoscunque sanctos, una generatio simul referuntur. Quæ omnis generatio cum collecta fuerit in fine, venient **965** super eam profecto hæc omnia quæ gesserunt. Sicut e contrario ea bona, quæ per singulas generationes a constitutione mundi, omnes sancti operati sunt, novissime sunt recepturi, qui receperunt Christum. Itaque omnia mala, quæ per singulas generationes a constitutione mundi contraxerunt sibi omnes iniqui et sanctorum interfectores, super novissimos Judæos venerunt; qui non solum Christum repulerunt et sanctos, verum et interfecerunt. Quia sicut nunquam tanta gratia Dei donata est sanctis hominibus, qualis et quanta in Christo : ita nunquam talis et tantus interitus, qualis et quantus venit super miseros Judæos, qui et Christum peremerunt, et sanctos sunt persecuti sine ulla cordis pœnitentia. Et hæc extra illa omnia dico, quæ passi sunt a Romanis, et patiuntur quotidie captivi. Nequaquam igitur dico, quod omnium præcedentium impiorum peccata venient super eos qui tunc affuerunt, et fecerunt quæ narrantur; sed dicimus, sicut omnium sanctorum justitiæ, non tanta meruerunt pietatis Dei bona, quanta donata sunt per Christum : sic et super Judæos qui crucifixerunt Christum, et persecuti sunt discipulos ejus, tantum accrevit malum, quantum nulli alii pertulerunt prius. Attamen omnis sanguis, et omnia quæ gesserunt, venient super generationem istam, ut omnes simul in commune sustineant et recipiant singuli suas partes quas contraxerunt; quorum malitia, quia unita ab initio usque ad finem fuit, justum est ut et pœna una sit, ac si unius corporis. Alioquin legat prudens lector Josephum, et videat impræsentiarum, quanta venerunt super Judæos, ut corporalia paterentur, qualia passi sunt a Romanis; ita repulsi a Deo, ut adhuc hodie ludibrium sint universis gentibus. Tum demum poterit perpendere quanta et qualia restant impiis et sceleratis, cum Deus omnia judicare et singulis reddere sua veniet.

Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas et la

Introdusă în format electronic de Google

pidas eos qui ad te missi sunt. Hæc quippe vox plangentis est et dolentis, sicut et alibi dicitur : *Videns Jesus civitatem, flevit super illam* (*Luc.* XIX, 21). Non enim pius et clemens Dominus, tantum de nece sanctorum suorum habuit lamentum, neque de sanguine prophetarum omnium qui effusus est ab illis, quantum flevisse legimus de hac misera, et luxisse, sciens quod electis suis gloria per hæc parabatur. **966** Sed de illorum interitu plangebat, ac si benignus et justus Dominus, quos multum dilexerat. Flectebat enim eum nimia clementia ad lamentum, et revocabat justitia, ne tantum malum diutius pateretur abire inultum. Et ideo lacrymas fundebat pro impiis, volens eis clementiam præstare, sed prohibebat eorum impietas, et justitiæ virtus. Quia tunc est vera misericordia, si justitia non lædatur. Ac per hoc hæc vox qua dicitur *Hierusalem, Hierusalem*, non minus deterrentis est quam et plangentis; si forte terrore compuncti cessarent a reatu, et lamentis provocati, formarentur ad pœnitentiæ luctum. Ac per hoc patet sensus, quia impii et peccatores provocant sibi iram, ne mereantur ullam clementiam. *Quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* Rursus Origenes refricare videtur quæ supra dixerat, et quærit quomodo Salvator, coram Judæis loquens (inter quos erant Scribæ et Pharisæi, qui gloriabantur in legis scientia et prophetarum), qua ratione dixerit Hierusalem occidisse prophetas, et lapidasse ad se missos? quod non satis divina probat historia, quæ in Synagogis eorum quotidie legebatur, nisi unum Azariam filium Joiadæ, quem legimus lapidatum; et propterea, inquit, videndum, ne forte oporteat ex libris secretioribus (qui apud eos leguntur) hoc verbum Christi ostendere, et non solum Christi, sed etiam discipulorum ejus, Stephani videlicet protomartyris et apostoli Pauli. Stephanus namque dicit : *Quem prophetarum patres vestri non sunt persecuti? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu hujus, cujus nunc vos proditores estis et homicidæ* (*Act.* VII, 52). Et Paulus quoque Thessalonicensibus : *Vos*, inquit, *imitatores facti estis, et fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, Christo Jesu, quoniam eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis qui Dominum occiderunt et prophetas, et vos persequuntur* (*I Thess.* II, 14). Ad Hebræos quoque : *Lapidati sunt, serrati sunt, et gladio mortui sunt* (*Heb.* XI, 37), et cætera quæ dinumerat, de quibus omnibus longum est prosequi, quæ præfatus doctor replicat. Hoc solum scire debemus, quia nonnulla sunt in his quæ affirmare ex divinis libris non possumus, nisi auctoritatem sequamur Pauli et beatissimi Stephani protomartyris. Quoniam ipsi aliud non dixerunt coram eisdem Judæis, nisi quod omnibus notissimum erat. Ac per hoc de Zacharia si non potest approbari **967** ex libris authenticis, tamen similiter illud ex traditione se percepisse fatetur, sicut et docet quod solus Isaias serratus sit, et Azarias lapidatus tantummodo filius Joiadæ, et in occisione gladii solus mortuus sit Zacharias filius Barachiæ. Quam forte dissonantiam nominis, aut diversitas interpretum fecit, aut varietas codicum. Sed quomodo Hierusalem occiderit prophetas recte quæritur. Non enim ipsa murorum ædificia eos occidisse creduntur, sicut nec Dominus saxa et parietes plangere probatur. Sed sic dictum est, ut vulgo dici solet, Conclamavit tota civitas, et, Egressa est omnis civitas obviam ei, pro his qui sunt in civitate. Unde et ipsi quam bene concives dicuntur qui eosdem occiderunt, quorum causa dicitur, Hierusalem occidisse prophetas. Et notandum quia non dixit, quæ occidisti et lapidasti, sed quæ occidis et quæ lapidas. Ac si dicatur : Hoc proprium habes, et quasi jam naturalem consuetudinem, ut lapides sanctos et occidas. Non enim cessavit Christo perempto, deinceps occidere ad se missos, quæ prius prophetas non metuebat perimere, sed eadem fecit apostolis quæ prius fecerat ad se missis. Ac si diceret : Quomodo sanaberis quæ nullum ad te medicum venire permittis? quinimo omnem medicinam conculcas, idcirco quomodo tibi parcam, quæ meis non parcis ad te missis?

Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, et noluisti? Et quærendum quos dicat *filios*, vel cur dicat, *quoties volui*, quasi qui frequenter eos congregare voluerit, cum manifestum sit non nisi semel eos in corpore docuisse? Et si voluit, quid est, quod non fecit? *Cum omnia quæcunque voluit*, sicut Propheta canit : *Dominus in cœlo et in terra fecit* (*Psal.* CXXXIV, 6). De qua quæstione etsi satis jam supra tractavi, et nunc adhuc dicam, quia si noluisset eos ad se congregare, prophetas et apostolos, nunquam ad eos toties misisset; qui suis non pepercit, ut ei parceret peccatrici, et eorum vitam neglexit, ut istius mortem non videret, etiam et semetipsum in mortem tradidit. Sed quid est, quia non fecit quæ voluit, nisi quia justus est, et justitiam semper dilexit? Idcirco aliter non potuit, quia non debuit, quoniam insanabilis erat passio ejus, quia, ut **968** ita dicam, vicit artem divinam, et omnes medici spiritales, ad eam missi, defecerunt in omnibus quæ pro illa egerunt, et ideo non est curata. Quam si perdere voluisset, nunquam per se ad eam ipse venisset. Sed quid faceret ei, dum probatur modis omnibus ipsam vivere noluisse? Quoties autem quod dicit, non solum ad id respicit tempus dum carne in mundo fuit, verum et ad reliquum; quia substantialiter Christus cum eis præsens fuit in Moyse et prophetis, in patribus et patriarchis, etiam et in angelis ministrantibus auxilium humanæ salutis per singulas generationes, et sic adimpletum est quod dicit, *Quoties volui*. Per singulas enim successiones nati sunt ei filii, et eos omnes voluit congregare in unitatem fidei, ut perficeret voluntatem Patris, sed semper ejus pravitas vicit. Super eos in modum gallinæ expendit alas suas. Unde Moyses, in Cantico, expandit alas suas *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et assumpsit eos atque portavit in humeris suis* (*Deut.* XXXII, 11).

Introdusă în format electronic de Google

Quod sane opus proprium Christi est, congregare, et ad hoc *venit Filius hominis quærere quod perierat, et salvare* (*Luc.* XIX, 10). Et notandum quod in superiori semper tempore ipse idem fuit, qui eos congregare voluit, et non alter qui tunc quotiescunque voluit, et alter qui nunc. Unde non Deus recens est, neque alienus, quoniam qui tunc voluit, idem fuit ipse qui venit. Et non alicubi quam ubi erat, et non alter quam qui semper erat. Etsi hominem assumpsit in Deum, personam non mutavit, quia incommutabilis est, neque assumpsit alteram, quam semper habuit, ut quidam nuper male sensit, quod esset homo nuncupativus Deus in Christo, vel adoptivus, et verus Deus, Dei Verbum. Ita insipiens ut duos introduceret deos, duosque Dei filios, unum proprium, et alterum adoptivum. Sed Christus, qui tunc loquebatur Judæis in carne, seipsum ostendit esse unum eumdemque qui eos multoties, in Veteri Testamento, congregare sub alis suis voluit, et portare propter redemptionis gratiam in humeris suis. Quæ nimirum alæ Christi, non incongrue charitas gemina prædicatur propter geminam substantiam Christi in una eademque persona, sub quo congregamur et protegimur. Quamvis etenim quidam voluerint duas alas Moysen et Aaron interpretari, melius tamen virtutes accipimus divinæ majestatis, de quibus Propheta **969** canit : *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 8), spe videlicet et gratia. Quas sane alas licet isti non habuerint, divinum auxilium, dum Deo placuerunt, nunquam defuit. Et mira comparatio de gallina proponitur; nullum enim animal eo infirmatur modo, quemadmodum gallina, in fovendo et nutriendo pullos suos. Siquidem tota infirmatur, totaque fit hispida et rauca. Festinat jugiter, quasi quibusdam vocibus congregare pullos suos, et assiduis clamoribus ad se convocare non cessat, ne per diversa huc illucque milvorum, vagi, rapiantur unguibus. Sed frustra Christus hunc impendit affectum, et sine fructu, qui tanquam gallina infirmitatem assumpsit carnis, ut sub alis doctrinarum suarum eos confoveret calore charitatis, et recrearet ad vitam. Idcirco terrena quodammodo avis factus est et domestica, ut magno corporis sui operimento tanquam alarum protectione, pullis suis calorem superinfunderet, ut vitæ immortalitatem præstaret, et ad volatum quasi ex nova regeneratione proveheret. Pullorum enim alia nascendi ratio est, alia nutriendi. Nam primum ovorum testis, tanquam claustro corporis, continentur. Dehinc parentis sedulitate calefactis ovis nascuntur, et deinceps confoventur, donec exeant ad volatum. Hujus igitur avis more Christus congregare intra se voluit et enutrire; ut qui jam conditione nascendi fuissent editi, alterius rursus regenerationis ortu et calore confoventis Dei, ex aqua et Spiritu renati, in cœleste regnum tanquam pennatis corporibus evolarent. Unde quam bene, eo in loco ubi legitur : *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2), in Hebræo habetur *merephet*, quod interpretari dicitur *incubabat*, vel *confovebat;* ut ostenderet quod ex aquis suo calore et sanctificatione, novum crearetur genus, quod quia isti nec Christum, nec Spiritum sanctum voluerunt recipere, ait : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Ac si diceret : Quia noluistis congregari sub alis meis. Et notandum quod ait, *vestra*, quæ nimirum domus prius Dei fuerat, nunc jam non mea, neque Patris mei, sed *vestra*, et spelunca latronum facta est, quæ augustius in toto terrarum orbe fulgebat prius. Nunc et Synagoga deserta relinquetur a Deo, cum omnis religio transibit ad Ecclesiam, vel quia in vindictam crucis Christi etiam et **970** templum illud destruendum erat a Romanis.

Amodo non videbitis me, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini. Nam juxta Lucam facilior sensus est, quia necdum venerat in Hierusalem, neque hoc acclamatum erat a pueris, quod futurum prædicit. Verumtamen juxta utrumque Evangelistam, sic accipiendum est, quasi dixerit eis : Nisi pœnitentiam egeritis, et confessi me fueritis Filium Dei, meam faciem, quæ est cognitio vera de me, corde nunquam videbitis. Quoniam nec ego vos ultra docere veniam, quia amodo non congregandi erit tempus, sicut ante volui. Habent igitur Judæi tempus sibi indultum si velint, ut auferatur velamen de cordibus eorum, et possint videre faciem Christi, si dicant et confiteantur de eo : *Benedictus qui venit in nomine Domini* Dei Patris; quia nomen Patris ad Filium est, sicut et Filii ad Patrem. Quia nunquam Pater sine Filio dicitur, nec Filius sine Patre. Ac per hoc ipse in Patre est, sicut et Pater in Filio. Unde qui vult ejus faciem videre, dicat et confiteatur : *Benedictus qui venit in nomine Domini,* quoniam ipse, et Deus, et Dominus est. Possumus autem et per exemplum gallinæ Ecclesiam, quæ corpus Christi est, figurate accipere, quæ quotidie congregat pullos suos, id est filios suos, quos ipsa generat per aquam et Spiritum sanctum, in unitate fidei, sub remigio virtutum. Et sicut gallina etiam ova fovet et calefacit aliena : ita et mater nostra Ecclesia, ex omnibus gentibus collecta, educat ac nutrit filios alienos per gratiam sancti Spiritus, et facit suos; calefacit quoque eos jugiter, et fovet ac protegit sub alis. Quæ nimirum alæ doctores sunt ecclesiarum et rectores, qui quam bene, alis suis ad omnia virtutum dogmata extensis, nullis insidiarum fraudibus patere pullos permittunt, sed enutriunt eos suis doctrinis ad sublimia, quousque per seipsos ad cœlestia volare possint. Hæc idcirco dixerim, ut discat prudens animus, et alia quamplurima quæ omittimus, brevitatis compendio, multis in locis cogitare. Quoniam sermo divinus ac si arca Dei bicameratus vel tricameratus, pene ubique invenitur.

(CAP. XXIV.) *Et egressus Jesus de templo ibat, et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.* Hic Marcus et Lucas, antequam exiret de templo, ac si iturus ad gentes, **971** mulierem viduam in figura Ecclesiæ, ut Christum susciperet fide, duo detulisse minuta legis et Evangelii nar-

Introdusă în format electronic de Google

rant. Et ideo, istis plus omnibus misit. Quod autem ei ostendunt ædificationes templi, audierant enim quod dixerat : *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Quasi admirantes et dolentes, si talis tantaque templi structura ad nihilum redigenda sit, ut moverent eum ambitione tanti operis. Et propterea dicunt ad eum, sicut aliter manifestius dicit Evangelista : *Magister, vides quales lapides et qualis structura?* Videlicet ut flecterent benignissimum Jesum ad misericordiam loci illius, ne permitteret fieri quod futurum prædixerat. Vel ostendunt ei admirantes propter duritiam cordis eorum, quasi dicerent; Proh! dolor, quanta est adversitas populi hujus, vel cæcitas, qui non credunt, ut convertantur, ne tanta deperiret fabrica templi et civitatis, quibus Jesus respondens dixit : *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.* Verumtamen interdum cum egrederetur de templo, et iret, hæc dicta sunt. Sed mox ut complevit dicendo quod futurum erat, exivit de templi finibus, qui conservaverat eum ne vastaretur donec fuit in eo, quod postea factum est a Romanis. Quoniam Jesus aliud templum æternum jam suis parabat in cœlis. Quandiu enim verbum Dei fuit apud Judæos, non est ablatum regnum Dei ab eis. Nunc autem ablato eo, ipsi et civitas eorum relicta est vacua et vana : *Sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur* (*Isa.* I, 8), et dispersi sunt per omnes gentes. Quia Domino recedente a templo, omnia legis ædificia destructa sunt, et dispersi sunt lapides sanctuarii in omnem ventum, ac si cineres, ne ulla in eis ultra inveniatur religio salutaris. Qui profecto locus moraliter tanget auditores et magistros Ecclesiarum. Quia etsi illa admirabilis fuit structura, mirabilior valde est humanæ naturæ fabrica, quæ non ad cujuscunque exemplar constructa est, verum ad imaginem et similitudinem Dei facta est, ut templum esset ipsius, ad cujus imaginem formata est. Et hoc forte agunt apostoli, et ostendunt admiranda opera Dei erga figmentum humanum, quod proponunt ante conspectum Dei, et intercedunt ut provocent benignissimum Salvatorem, ne deserat genus humanum propter peccata ipsorum. Sed magis moneant eum ad indulgentiam, et ad opera ipsius Dei valde miranda, quam ad iracundiam, **972** propter iniquitates eorum, ut destruatur templum Dei vivi, et redigatur ad nihilum. Unde sollicite cogitare oportet templum illud, quod semel est ad solum usque dirutum, cur etiam secundo seu amplius; quia omnino pœnitentiæ semper dabatur locus, unde et ad formam pœnitentium, postquam incensum est, restauratur. Nunc vero secundum duritiam cordis eorum (quia noluerunt recipere verbum Dei) prolapsi sunt in pejus; ita ut omnis anima, quandiu in se suscipit Christum, templum est Spiritus sancti. Cum autem post peccatum ad plenum decidit a verbo Dei, nec curam sui gerit perfecte ut pœniteat, hic semper a fide prolabitur, et decurrit; qui licet paulatim a vita elongatur, dum Deum deserit, et minuitur quotidie, donec ad plenum corruat in peccatum. Quibus ita peractis tremendum est valde quod sequitur, quia *non relinquetur in ea lapis super lapidem qui non destruatur.* Quoniam etsi aliquid videbatur habere boni operis, non lapides erant sanctuarii, sed stipula et fenum incendio ad concremandum longe diu præparata. Quapropter dum vacat, inspicere nos sollicite oportet, ut omnis coædificatio pietatis in nobis integra servetur. Et si contigerit (quod absit) aliquis ut labatur, implorandus est auctor ædificii nostri, invocandus est Spiritus sanctus, ut recuperetur in nobis, et emundetur quod corruptum est, et commaculatum; innovetur quoque quod depravatum est, et destructum, ut per virtutem verbi, quia sacramenta manent redemptionis nostræ, in nobis restauret dum pœnitere licet quod deperiit, qui solo sermone suo restaurat universa; alias autem non relinquetur in ea lapis super lapidem, quando cogitationes pravorum et opera destruentur. Quia dum perversa mens perversæ cogitationi adhuc perversiorem superadjicit, nihil aliud quam lapidem super lapidem ponit. Sed in destructione miseræ civitatis, super lapidem lapis non relinquitur, quia cum ad ultionem divini examinis anima infelix ducitur, omnis ex ea malarum cogitationum structura dissipatur; et tota tunc vastabitur civitas mentis, ac si in vastitate hostili, cum misera suis destituta operibus in mortem ducetur ab hostibus, quibus in vita captiva male servivit. Unde quia Dominus ad montem Oliveti properat, et sermo prolixior est, quem in eo habiturus est cum suis, quia eum omnino rescindere non **973** oportet, sed simul quidquid in eo sacratissimo monte locutus est, pertractandum. Ideo tandem finiendus liber, ne aut iste extendatur et gravetur legentis animus, aut sermo ille, quod non congruit, dividatur.

PROLOGUS LIBRI UNDECIMI.

Inter alta silentia cordis, et negotiosissima monasticæ disciplinæ otia, nos qui divinis astringimur votis, ne sine fructu æternæ contemplationis otiosi inveniamur, optabile satis nobis esse debet illud Catonis exemplum, maxime mihi seni si forte unquam ac vere possim dicere, quod ipse jam senex de eo scripsit qui Africanus primus appellatus est; et ait quod solitus esset dicere, nunquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset. Quæ nimirum vox magnifica est, fratres mei, et viro magno ac sapienti digna; sed nulli magis quam nobis monachis decens

Introdusă în format electronic de Google

et pernecessaria. Quæ declarat talem tantumque virum, et in otio de negotiis bonæ vitæ cogitasse, et in solitudine secum loqui utilia solitum fuisse, neque cessasse unquam de bonis necessariisque rebus cogitare. Quanto magis nos, charissimi, oportet nunquam cessare, in otio, ne divina cogitemus, qui cœlestibus mancipamur disciplinis; nunquam nos solos esse in solitudine, qui semper et ubicunque coram Deo versamur : *In quo vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28) : coramque omni frequentia supernorum civium, ne forte derideant hostes nostri sabbata nostra, si aliqua hora, non solum inutiles simus nobis, verum etiam (quod sæpe contigisse dolendum est) perniciosi inveniamur et aliis. Idcirco inter confinia ultimæ vitæ, ut sæpe dictum est, decrevi, hortantibus vobis, et inter recessus interdum, solitudines silentii nostri, pertractare opus quod omiseram, vobisque illud consecrare devotus. Unde rogo diligentissime consideret unusquisque, ut jam supra monui, quomodo singuli evangelistarum summ temperant ordinem, ut omnes unum dicant, et unusquisque eorum aliquid proprium habeat, licet alius excellentius in aliquo loquatur, alius vero submissius, omnes tamen et propria A dicunt et cum aliis communia, quæ omnia quomodo sibi vicissim communicant, **974** ut dicat unus cum altero, vel cum duobus, seu cum tribus, pium est opus considerare et investigare singulorum proprietates, in quo non modicus est fructus laboris. Quia in his nihil invenies vacuum a mysterio, nihil superfluum nihilque prætermissum de doctrina Christi, quod Spiritus sanctus judicavit nobis necessarium scire; sed omnia ita sunt contexta, et ita figuris decorata gestorum atque dictorum, ut et una vestis inconsutilis, *desuper contexta per totum* (*Joan.* XIX, 23) videatur, et mira pulchritudo operum in singulis, ac multiplex variata sententiarum floribus cernatur. In quibus non historia tantum texitur, more eorum solummodo qui res gestas narrare probantur, sed divina rerum mysteria suis in B locis ordinantur, ac si gemmarum interpositiones, ubi vel ubi Spiritus sanctus eamdem vestem Christi exornare decrevit. Quæ ideo sunt ad plenum perscrutanda, ut et sensus singulorum suis intelligatur in locis, et unitas totius intelligentiæ per Spiritum sanctum, hinc inde, ac si ab uno fonte diffusa, non corrumpatur.

LIBER UNDECIMUS.

De sessione Christi in monte Oliveti primum tractandum est, sicque deinceps eumdem sermonem ibidem prolixius interrogantibus discipulis habitum per partes disserendum. Quem sermonem Matthæus et Marcus atque Lucas, nisi in paucis, uno prosequuntur tenore, quia in eo magna divinitus panduntur sacramenta. Et ideo (sicut quam sæpe dixi) nihil vacat a mysterio, non tempus, non ordo, non locus, non habitus, non situs, nec quæcunque in eo monte dicuntur. Quoniam sicut eximia sunt, quæ supra jam in alio monte docuit, atque ineffabilia : ita et ista, ut ita fatear, etiam et nonnulla obscura et incomprehensibilia. Ubi ipse mons non solum quia mons est, verum etiam quia mons Oliveti, id est luminis, dicitur, ad orientem illius civitatis, ineffabile continet sacramentum. Nam, egrediente Jesu D de templo, et de illa Hierusalem terrena, relictis Judæis et synagoga, ascendit super eumdem montem, in quo frugiferæ **975** oleæ plantatæ erant, et plantantur quotidie; in quibus noster, quia fracti sunt rami, insertus est oleaster. In quo sane monte et de quo veniens Dominus ad passionem, oravit ad Patrem; et inde rursus, expletis omnibus nostræ redemptionis sacramentis, ad cœlos ascendit, et ideo ibi plura de futuris prædicit, nec immerito quandoquidem, quia (sicut multi doctorum tradunt) ad futurum judicium peragendum, ibi descensurus est Dominus, quemadmodum ab angelis prædictum est apostolis et prædicatum. *Sic veniet*, inquiunt, *quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum* (*Act.* I, 11). C Quamvis enim de hoc alii aliter sentiant, nos tamen æstimamus quod sicut de terris ad cœlos ascendit, ita juxta vocem angelorum de cœlo ad terram venturus sit, ac judicium in terra peracturus. Et ideo non immerito putatur judicium eo in loco futurum, in quo actor vitæ adjudicatus est ad mortem, ut in eo loco excipiant impii et peccatores sententiam damnationis, qui semper maluerunt permanere in mortem. Unde ad litteram propheta fortassis dicit, quia *Egredietur Dominus, et prœliabitur contra gentes, et stabunt pedes ejus super montem Olivarum ad Orientem* (*Zach.* XIV, 3, 4); quia de illo, qui *lumen* interpretatur, monte venit ad passionem, de quo paulo post ascendit ad locum lucis et gloriæ, qui est vera lux mundi, et mons elevatus in verticem omnium montium. Ac per hoc non incongrue dicitur, quia venit in montem Oliveti, et ibi sedebat cum discipulis suis, quia cum ipso et ipsi in judicio sessuri leguntur, unde ascensuri sunt omnes electi ad locum requiei et quietis, per Christum, qui mons est, et vera requies animarum. Sed et deorsum vallis est, quæ forte ex præsagio futurorum, vallis Josaphat, dicitur et interpretatur *vallis judicii*. Nam per montem significatur Ecclesia, quæ sursum cum Christo ascensura est, et per vallem judicii societas perditorum, qui in judicio damnati, ad ima cum suo capite, diabolo, id est ad inferos, descensuri sunt. Nec immerito igitur, per hunc montem Ecclesia designatur, quæ thronus Dei est, in qua sedebit Dominus judicaturus orbem. Quoniam alii erunt,

Introdusă în format electronic de Google

qui non credunt, et jam judicati sunt, et alii cum quibus in judicio judicabit alios, et alii qui judicandi sunt, in quibus admisti erunt electi cum reprobis, sed electi ad suum colligentur caput, et transplantati ac si olivæ frugiferæ, radicabunt supra montem, quæ est Ecclesia, **976** et firmabitur radice charitatis, ne ultra moveri possit; quarum singulæ possint dicere : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Psal.* LI, 10). Nec dubium quin in hoc monte Olivarum qui est Christus, primum fuisse synagogam plantatam, ibique radicasse, de qua nimirum fracti sunt rami, et inserti sunt olea stri in loco ramorum, qui ex infidelitate sunt fracti. In cujus cacumine montis, ac si agricola residens Dominus, *Accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes.* Ubi considerandus accessus discipulorum ad Jesum, qui cum eo sedere dicuntur, ac si in judicio. Deinde quidam accedunt secretius, ut ex hoc majorem se habere ostendant fiduciam apud eum, quasi domestici, quod etiam supra ad interrogationem parabolarum fecisse manifestum est. Quidam vero non secreto, sed in manifesto communiter eum interrogant. Propterea observa, lector, differentiam eorum ubique, qui accedunt ad Christum. Quoniam aliter accedunt qui, sicut Pharisæi tentantes, accedunt, et interrogant quolibet modo, non ex fide, neque rogant aut orant ex fide. Aliter interdum alii discere cupientes quærunt et interrogant, nunquam tamen secreto, sed infra multitudinem. Aliter nunc isti præcipui apostolorum, Petrus scilicet, Jacobus et Joannes, quibus nunc etiam additur et Andreas. Et ideo quia magni sunt qui accedunt, magna et quæ interrogant non ficto corde, sed quia terrore perculsi ex verbis Domini, aliud pro alio æstimantes, dicunt ei : *Dic nobis quando hæc erunt. Quæ* sunt autem hæc, quæ quasi demonstrative interrogant? nisi ea de quibus supra coram omnibus dixerat, non stabit hic *Lapis supra lapidem, qui non destruatur.* Inde quippe occasionem sumpserunt interrogandi, et simul tria interrogant, quando Hierusalem destruenda sit, et omnia quæ in ea erant, vel quo in tempore ipse rursus venturus sit Christus, vel quando consummatio sæculi sit futura. Qui non solum hoc addiscere volunt, quando destruenda sit, verum etiam signum adventus ejus quærunt, et signum consummationis simul sæculi. Quia putabant, ut homines, quod non ante destruenda esset quam ipse rursus et finis sæculi veniret, et quærebant si forte templi destructio signum adventus ejus esset et consummationis sæculi. Quoniam hæc multi credebant, sed quando futura essent, penitus ignorabant omnes, et ignorant adhuc hodie. Quibus respondens Jesus dixit eis : *Videte ne quis vos* **977** *seducat*, quia signum quærebant adventus ejus, et multi pseudochristi in nomine ejus, venturi erant in mundo, qui signa facerent, ut Simon Magus, et alii : propterea præstruit eos, et dicit : *Videte ne quis eorum vos seducat* per signa et prodigia quæ requiritis. *Quoniam multi venient in nomine meo, dicentes quod ego sum Christus, et multos seducent.* Qui autem sint isti multi qui venturi dicuntur in nomine Christi, non satis apparet. Quoniam sicut historia lectionum manifestat, non multi fuerunt homines in tempore apostolorum, qui se christos esse dixerint, nisi forte Dosithæus Samaræus, et Simon Magus, de quo in Actibus apostolorum dicitur, quod se Dei virtutem magnam esse pronuntiabat. Tamen fuerunt multi hæretici, qui forte in nomine Christi ideo venerunt, quia doctrinam Christi se habere dicebant, et in ejus nomine asserebant multa, etiam se virtutes facere mirandas valde præmonstrabant et prædicabant, ac provocabant multos ad credendum ea quæ dicebantur; in tantum ut seducerent plurimos, et per varios dimergerent errores. De quibus Joannes in Epistola sua dicit, sicut audistis : *Antichristus veniet, nunc autem Antichristi facti sunt multi* (*I Joan.* II, 18); et Antichristus qui venturus dicitur, quem se alium esse quam Christum Deum dicturus est? Et ultra omne nomen quod dicitur vel nominatur, elevaturum se, Scriptura teste, pronuntiatur. Unde si multi jam sunt antichristi, quod aliud dici possunt cum suo capite, quam pseudochristi? quia contrarii sunt Christo, quia profecto omne verbum, quod a veritate extraneum est et alienum a fide, et asserit se esse verbum Dei, quid aliud eum dicimus quam antichristum esse? Et ideo quia hoc unum verbum est verum, si quod aliud est quod dicitur contra Christum, qui eum portat in corde suo, jure et ipse dicitur antichristus. Et ideo jam multi venerunt et venturi sunt pseudochristi, in Christi nomine, et multos seduxerunt a fide, et seducent. Propterea monet et dicit : *Videte ne quis vos seducat.* Ne quilibet fallax ignorantibus suggereret falsitatem, et ne fides recta pestifero mendacio detrahi posset, admonitio pii Magistri præcessit. Nec hoc quidem solis dicit apostolis, sed omnibus suis per eos quicunque futuri sunt membra Christi usque in finem sæculi. Verumtamen hæc signa et alia quæ sequuntur, ex illo jam tempore cœperunt **978** pene quo futura esse dicuntur. Et ideo quia tria quæsierunt apostoli, quando destruenda esset Hierusalem, unde orta est ipsius interrogationis occasio; et quando ipse venturus esset; vel finis sæculi. Propterea quærendum est, utrum ad hæc tria signa quæ dinumerat, pertineant, ac singula suis singulis reddenda sint partibus. Quoniam aliud est excidium illius miseræ civitatis, et aliud adventus ejus in corpore suo quod est Ecclesia; in quam ab initio fidei, usque ad finem, venire non cessat, et in suis ipse veniens agnoscitur, dum ejus quotidie membra et nascuntur, et colliguntur. De quo sane adventu ipse ait : *Amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus* (*Matth.* XXVI, 64). De quibus nubibus dictum est per prophetam : *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* V, 6), nec non et adventus ejus, de ipso fine; quando venturus est judicare vivos et mortuos, hoc loco interrogatus recte accipi-

Introdusă în format electronic de Google

tur, ut sic geminus distinguatur, ut aliud sit ei, venire in corpore suo, et aliud in capite Ecclesiæ, quod est ipse. Sed horum signorum, quid referendum sit ad horum trium, utrumne singula singulis respondeant, an omnia ad singula, diligenti examinatione considerandum est. Ne forte quod pertinet ad eversionem Hierusalem, ad finem sæculi referendum putemus; aut e contrario quod ad finem sæculi pertinet, ad excidium illius miseræ civitatis pertinere, firmemus; aut quod pertinet ad ejus adventum in corpore suo, quod est Ecclesia, dicamus pertinere ad adventum novissimum, quando venturus est ipse per se qui est caput Ecclesiæ. At vero e contrario quod pertinet ad adventum ejus novissimum per seipsum, asseveremus rursus ad eum pertinere adventum qui est per omnem Ecclesiam. In quibus omnibus sunt quædam manifesta, quædam vero sunt obscura, ut laboriosum sit ea vel temerarium dijudicare; et quandiu non intelliguntur præsumptuosum valde est, aliquid de his definire. Et ideo quia hæc signa in hoc Evangelio quæ futura narrantur, etiam Lucas et Marcus pene similia dicunt, non enim discrepant rebus, etsi alius aliquid quod alius taceat, aut alio modo dicit, magis ex collatione se juvant ad invicem, ut legentis intellectus et ipse juvetur. Quis enim non videat ad illam civitatem Hierusalem pertinere quod dictum est: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio ejus.* Item quis non videat ad adventum Domini **979** novissimum pertinere, quod dictum est: *Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Porro quod dictum est: *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus, et orate ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato, et erit tunc tribulatio magna*, seu cætera (*Marc.* XIII, 17, 18). Sic est positum in hoc Evangelio, et secundum Marcum, ut ad utrumque possint referri, et ad finem sæculi, et ad excidium illius civitatis. Quæ omnia suo in ordine explicabimus. Quæ idcirco de signis ista diximus, ut sciat prudens auditor ab exordio Ecclesiæ quædam tunc, quædam modo, semper tamen aliqua eorum contigisse. Et ideo ait apostolis, et per eos omnibus: *Videte ne quis vos seducat;* quia et seductores semper fuerunt ac corruptores sanæ doctrinæ seu nonnulla alia quæ sequuntur. Sicut et omnibus ait, quando dicit Apostolis: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam* (*Matth.* XXIV, 42). Cum itaque omnibus dicat, sic tamen dicit, quasi ad eos solos pertineant qui tunc erant, sicut et quam multa alia quæ in Scripturis leguntur. Et eo modo ad omnes pertinent quæ sic dicta sunt, quia tunc unicuique veniet dies ultimus, et finis sæculi quando hinc exit. Et ideo necesse est ut talis exeat hinc, qualis judicandus est illo die. Ac per hoc providere debet omnis homo, ne seducatur, et vigilare cesset ne imparatum inveniat eum dies adventus Domini. Quia imparatum eum inveniet illa dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ ultimus dies. Nequaquam igitur credo apostolis incertum fuisse, quod non in eorum diebus venturus esset Dominus ad judicium; et tamen quis dubitet eos et prævidisse ne seducerentur, et vigilasse, et servasse omnia, quæ omnibus dicta sunt, ut parati invenirentur? Et ideo semper duplex adventus Christi observandus est; unus quando veniet, et rationem reddituri sumus de omnibus quæcunque gessimus, alius vero quotidianus, quando conscientias jugiter visitat nostras, et ad nos venit, ut cum venerit nos paratos inveniat. Quid enim prodest mihi scire diem judicii tantorum conscio peccatorum? Si Dominus veniat; vel quando veniat, nisi prius veniat in animum meum, et redeat in meam mentem; nisi vivat in me Christus, et loquatur in me. Tunc quippe mihi bene venit, si prius in me vivat Christus, et ego in ipso. Et tunc mihi quasi jam secundus adventus venit, cum defectio mundi in me fuerit, si quomodo possum dicere: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Considera **980** etiam hoc ipsum quod dicit: *Quia multi venient in nomine meo.* Quod nomen licet falso solus antichristus suscipit, et corpus ejus sine opere Christi, et sine verbo veritatis, et sine sapientia ejus. Et nusquam invenies Dominum in Scripturis hoc ipso sermone usum, ut diceret, ego sum Christus. Sufficiebat enim suis ostendere doctrinis et miraculis quod ipse esset, quia opus Patris in eo erat, et sermo doctrinæ quem docebat, et virtus clamans, ego sum Christus, ultra quam si mille voces eum clamarent. Et ideo voce, nescio si invenies dixisse, sed per opera Patris se exhibuit, et per doctrinam pietatis; quam pseudochristi non habentes, repromittebant se vocibus esse, quod non erant. Sicut Manichæus se esse dixisse legitur Spiritum sanctum quod nunquam Spiritus sanctus fecit de se, neque in voce, neque in aliqua prophetia prænonstrans se in carne venturum. Sicut Simon, de quo supra dixi, qui non solum hoc dicebat, sed alia quamplura. De quo Hieronymus invenisse in libris suis dicit, quod dixerit: Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei. Quid enim non dicebat qui hoc et tot dicebat? Ita et cætera antichristi membra, nihil aliud quam se christos aut certe Christi fatebantur membra. Unde nec mirum si aliquos seducant, signis et prodigiis laborantes, cum Dominus dicat et multos seducent.

Audituri enim estis prælia, et opiniones prœliorum, *videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, et* non *statim finis.* Quod itaque signum, non est signum futuri sæculi, neque signum adventus Christi. Quia et ante adventum Christi et postea, mox fuerunt et audita sunt et visa innumera prœliorum genera, sicut et pseudochristi multi eo in tempore et deinceps venerunt. Qua de causa jure quæritur quod signum esse debeat futurorum, cum nunquam per diversa temporum intervalla et locorum cessaverint bella, quibus jam terra contrita est, et sanguine madefacta humano. Etsi in tempore adventus Christi

Introdusă în format electronic de Google

cessarunt, dispensante Dei providentia, sub Augusto Octaviano, et deinceps paulo post ut Evangelium per orbem liberius prædicaretur, tamen non multum longe, crebrius Romanas provincias, barbaræ nationes usquequaque pervaserunt, sicut et Romani prius sibi bellando, omnem orbem subjugarunt. Ac per hoc ista qualia futurorum sint signa, cum **981** fuerit finis sæculi, omnino non video. Si tamen hæc non ita prædicta sunt, ut in Ecclesia potius intelligenda sint. Duæ quippe gentes sunt, et duo regna; unum quippe Christi, et altera diaboli. De quibus forte dici potuit: *Et surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum* (*Luc.* XXI, 10). Quod non desinit fieri ex quo dictum est: *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Et inde quando dictum est, et ex illo tempore quot anni transierunt? Et tamen licet in novissima hora, quando Dominus in novissimis diebus ex virgine natus est, verissime dictum est. Et per hanc totam horam novissimam, fiunt ista omnia, quæ Dominus propinquante regno suo, futura prædixit; ut dum fiunt ea quæ terroris sunt et signa futurorum, semper unusquisque paratus inveniatur, dum pœna nostra confiteri nos compellit adesse jam finem, cum impletur jugiter quod pronuntiatum est. Quibus profecto verbis nulli magis testes esse queunt quam nos, quos mundi finis, ut ita dicam, invenit. Qui talia et tanta videmus quotidie inter fratres et propinquos civilia, et plus quam civilia bella; tanta a barbaris et paganis hostibus exterminia hominum, et desolationes civitatum jugiter sustinemus, qui nihil aliud quotidie quam finem nostrum cum gemitu exspectamus. Et tamen (sicut sermo divinus ait) nondum est finis. Licet insurgant barbari in nos, et nemo est qui auxilium ferat; quia civiles in invicem magis sæviunt insidiæ et strages, ita ut intus et foris, nihil aliud quam mors repercutiat aures nostras. Quibus omnibus fames ac lues præcesserunt, et omnis pestilentia rerum. Et quia in occasu sumus sæculi præcedunt tot ægritudines mundi, quales nescio si auditæ sunt a sæculo. Quæ omnia mala cupiditas genuit nobis et superbiæ luxus; ita ut nullus sit locus qui non affligatur ab hostibus, etiam et a suis tribuletur civibus. Quod si ista mala quæ cernimus et patimur, certa sunt indicia jam Dominum esse venturum; quid est quod ait apostolus: *Dum dixerint, pax et securitas, tunc eis repentinus superveniet interitus.* E contrario et Evangelium dicit: *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi* (*Luc.* XXI, 26). Ac deinde: *Et virtutes cœlorum, inquit, commovebuntur, et tunc videbunt Filium hominis venientem cum potestate magna et majestate.* Quapropter quærendum si talia sunt præconia adventus Christi, ut arescant homines præ timore et exspectatione **982** quæ futura dicuntur mala; quid est quod dicit: *Cum dixerint pax et securitas, tunc eis repentinus superveniet interitus?* (*I Thessal.* V, 3.) Ne forte duo introducere videantur tempora, quod omnino non credo, sed in uno eodemque tempore, sicut duo sunt populi, et duo diximus esse regna Christi et diaboli; ita et tunc erit Ecclesia Christi in universo orbe. Cui tunc talis tantaque superveniet tribulatio in temporibus Antichristi, qualis et quanta fuit ab initio, quæ tunc erit in universo orbe, id est in omni Ecclesia. Sed alii erunt a quibus tunc tribulabitur Ecclesia, et ipsi dicturi sunt pax et securitas, et repentinus eis superveniet interitus, cum adventus Domini ac si fur in nocte eos securos deprehenderit; et alii qui tribulabuntur, et tunc exsultabunt omnes et gaudebunt, quia non erunt in tenebris, ut dies illa tanquam fur, eos in nocte comprehendat, quia diei et lucis omnes filii erunt. Sed si nihil in Evangelio superfluum esse credimus, quærendum censeo, quid est quod ait: *Audituri estis prælia et opiniones prœliorum.* Quoniam aliud est audire prælia, et aliud audire opiniones prœliorum. Potest fieri ut filii pacis custodiant se ne videant bella, quia nolunt videre maligna, audiunt tamen prælia et opiniones prœliorum. Forte aliud de longe, et aliud de proximo non absque verborum differentia. Quia non est idipsum longe positum, audire opiniones prœliorum, quæ possunt esse vel non esse, et juxta prælium esse, vel etiam ipsas prœliantium voces audire. Habet ergo utraque sententia suam significationem, quoniam qui longe est a prœliis, audit de illis opiniones, et non ipsa prælia. Qui autem prope, audit ipsa prælia et voces prœliantium. In utroque ergo videtur alicujus differentiæ intellectus. Quia non omnes æque perfecti sunt in Ecclesia Christi, neque æque pacifici, et remoti ab omni strepitu et formidine bellorum. Alioquin non essent infra Ecclesiam Christi tot seditiones et scandala. A quibus omnibus alieni fuerunt discipuli Christi, et omnis illa primitiva Ecclesia, quibus erat cor unum et anima una. Confirmati enim erant in eodem sensu et in eadem sententia.

Hæc omnia, inquit, *initia sunt dolorum.* Quæ omnia? Bella scilicet et opiniones bellorum; surgere gentem contra gentem, et regnum adversus regnum, pestilentiæ et fames, et terræmotus per loca. Sicut enim, appropinquante morte, ægrotant corpora languentium, ut per infirmitatem membrorum **983** et viscerum separetur anima a corpore suo: sic talis et tanta creatura mundi corrumpitur, ita ut aer corruptus pestilentias inferat, et terra languida famem; quasi quoddam initium dolorum præbeat ante mortem. Et quia *cœli et terra transibunt* (*Marc*, XIII, 31), necesse est ante corruptionem, ut langueant, et terra suis motibus conquassetur, et aer plenus morbo trahatur, ut pestilentiæ nascantur, et terra suis defecta viribus, quæ in ea nascuntur, deficiat et marcescat, ut sit et ipsa sine fructu. Quæ omnia inde melius novimus, quia jam cuncta videmus. *Sed non statim finis.* Quia nec illa finiuntur, nec nos male in his enutriti ea finiri volumus. Et ideo sicut adventus Christi in plurimis gentibus fecit pacem, secundum quod dicit Propheta de illo: *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis* (*Psal.* LXXI, 7), donec extollatur luna, id est Ecclesia, et in mundo pax

Introdusă în format electronic de Google

multiplicetur, propter incrementa Ecclesiarum, ut ea pax fieret occasio salutis multorum, dum non cogebantur ut pridem exire ad bella et pugnare pro patriis : sic consequens est, propter abundantiam iniquitatum, quia refrigerata est charitas multorum, ut relinquat rursus Dei fieri bella et seditiones propter malitiam hominum supercrescentem, quæ omnium malorum accidentium causa est; et quia quotidie crescunt, in proximo est, ut veniat hoc pejus ultimum malum, quod futurum præsens sermo denuntiat: *Et tunc*, inquit, *tradent vos in tribulationem et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Tunc autem, quod dicit, expressius quidem videtur significare tempus, et ad illud referre, quando *Surget gens in gentem, et regnum adversus regnum*, seu cætera. Sed Apostoli mox ut testes exstiterunt veritatis, traditi sunt et occisi, quidam etiam antequam Hierusalem in vindictam Christi vastaretur à Romanis. Et ideo melius, ut dixi, quod gens contra gentem surgat, et regnum adversus regnum, de regno Christi accipimus et regno diaboli, ac de gente cujus perfidia sæviit, mox ut fides cœpit, contra Christi Ecclesiam. Antea quippe male pacatus orbis unius premebatur dominio, sed mox ut fides Christi venit, surrexit gens contra gentem; quia Jesus non venit *Pacem mittere in terra, sed gladium* (*Matth.* x, 34), et regnum adversus regnum. Quæ duo regna duæque gentes, nunquam ad invicem pacem habere possunt; et ideo pius Magister signanter ait: *Oportet hæc fieri, sed non statim finis.* **984** Oportet autem ut singuli hostes suis pugnent armis; illi scilicet armis carnalibus et diabolicis, electi vero, virtutibus et cœlestibus armis. Unde illi prœliabuntur in invicem, et contra sanctos; sancti vero audituri sunt bella et opiniones bellorum, nec tamen oculis sunt visuri; quia beati oculi qui vident ea quæ ipsi videre gaudent.

Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Seipsum Christus semper haberi vult in causam, dum dimicant electi contra reprobos, sancti contra vitia, boni contra malos; etiam et quod patiuntur ab iniquis, ut semper pro Christo agant et sustineant quæ inferuntur. Ad hoc quippe instruit et confirmat eos ad tolerantiam passionum; et denuntiat publicum omnium gentium odium contra eos sæviturum, propter nomen suum. Quibus itaque vexationibus afflicti scandalizabuntur multi. Quæ nimirum Scripturarum regula consideranda est; quia non de apostolis hoc solum dicit, sed de omnibus electis suis, ut hoc generale odium omnium gentium contra membra Christi generaliter venire intelligatur. Alioquin nec ipsi Apostoli in omnium gentium primum venerunt notitiam, quamvis dicatur quod, *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Rom*, x, 8). Exivit quidem, sed per successores eorum. Et ideo quod ait: *Eritis odio omnibus gentibus*, aut per exaggerationem dicit, multarum gentium, ut dicat omnibus pro multis, aut sicut dixi, omnis prædicatorum ordo in apostolorum colligitur unione. Quia sicut successit, et succedit adhuc ordo prædicatorum per omnes partes terræ; ita et odium eorum propter nomen Christi, per omnes gentes. Probant hæc martyria sanctorum, quæ pene per omnes gentes et regna hodie florent. Sed ista persecutio sanctorum et odium, a principio fidei orsa, usque in finem consummabitur: *Et tunc talis erit tribulatio qualis non fuit ab initio.* Et ideo ista omnia quæ hactenus fuere, *Initia sunt dolorum.* Et ideo ait: *Quia tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt, invicem*, etc. Quia licet a principio fidei quidam scandalizati fuerint, vel tradiderint alios, tamen non adeo multi fuerunt proditores fratrum, neque multi pseudoprophetæ, qui legantur multos fallentes ut seducerent. Sed tunc tam maxime tradent, *Quia refrigescet charitas multorum*, et tam plurimos seducent quemadmodum nunquam. Nam **985** necdum odio sumus omnibus gentibus ad quas necdum pervenit nomen Christi. Sicut ad Boream quædam sunt loca et gentes, quibus necdum est prædicatum Evangelium Christi. Verumtamen nescio si ulla earum sit natio; ad quam usque non pervenerit prædicatorum aliquis, licet eorum feritas non admiserit ex toto fidem Christi recipere. Cæterum reliquæ ad Occiduum etiam insulæ usque ad oceanum Britannicum jam omnes in toto orbe terrarum credunt. Et ne quis mihi objiciat Sarracenos, qui multa regna terrarum nutu Dei suis occuparunt armis, et dominantur pene ubique in Christianos, quasi ad eos Evangelium Christi necdum pervenerit; pervenit quidem et receperunt Dei notitiam, sed male seducti a quibusdam pseudoapostolis, ut ita loquar, Nicolai discipulis, propriam sibi, tam ex Veteri Testamento, quam ex Novo condiderunt legem, ac si sub unius Dei cultu, nec tamen nobiscum, nec cum Judæis quidpiam sentire volentes, omnia perverterunt. Qui dum cupiunt universa suo dominio subjugari, nec quærunt quem quisque Deum colat, sed ut eis tantummodo serviatur. A quibus forte, quia justo Dei judicio susceperunt spiritum erroris (ut multi putant) suscipiendus est antichristus. Quorum assensu atque dominio tanta poterit peragere, qualia et quanta in Apocalypsi Joannis manifeste leguntur. Hæc idcirco dixerim, ut sciat prudens lector quia mysterium jam operatur iniquitatis, sed necdum est finis: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Id est inter tot scandala, inter omnia sanæ fidei adversantia, inter tormenta et fallacia, inter signa dæmoniorum et prodigia, quicunque perseveraverit in Christo fidelis usque ad mortem, hic salvus erit.

Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio. Nam dicere ante finem venire sæculi, quam prædicetur hoc Evangelium in toto orbe, magnæ temeritatis est assertio, et hominis non intelligentis. Quia sicut ait Salvator: *Tunc veniet consummatio.* Et quid, quod dicit, *tunc veniet?* nisi quia ante non veniet. Quando ergo post veniat, incertum

Introdusă în format electronic de Google

utique nobis est, ante tamen venturum non esse, quoquomodo dubitare non oportet. Quia profecto sic promissum est Abrahæ patri nostro **986** a Deo etiam cum jurejurando, quod omnes gentes in semine ejus benedicentur. Ex qua promissione jam factum est, ut multæ nationes receperint Evangelium, et ex omnibus facta est una Ecclesia Christi, quæ fructificat adhuc hodie, et crescit in universo mundo. Sed tamen, ut supra dixi, habet adhuc quo crescat, donec fiat quod Christo repromissum est. *Et dominabitur*, inquit Propheta, *a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* (*Psal.* LXXI, 8). A flumine scilicet in quo baptizatus est; quia inde cœpit Evangelium prædicari. A mari autem usque ad mare totus est orbis cum omnibus gentibus; quia sic majori cingitur Oceano universus orbis. Aliter autem, quomodo implebitur illa prophetica : *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine?* (*Psal.* LXXXV, 9.) Non enim de locis migrando venient ad eum in quem non crediderunt, sed venient fide singulæ gentes in locis suis credendo. Unde propheta : *Et adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium* (*Soph.* II, 11). *Omnes insulæ* dixit, quasi omnes ecclesiæ. Hinc ostendit quod nulla relinquantur terrarum spatia ubi non sit futura Ecclesia. Quarum quamplurimæ insularum in Oceano constitutæ, jam pro certo Evangelium susceperunt. Et quæcunque non perceperunt, utique percipient, ut perveniat ad omnes, utcunque crescendo atque fructificando. *Et tunc*, inquit, *erit consummatio*. Nec sic tamen possumus definire, cum dicit, quia tunc erit, quantum post venturus sit finis sæculi, cum Dominus dicat apostolis : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7). Unde si jam nobis certissimum esset ad omnes gentes Evangelium pervenisse, nec tamen possumus dicere quantum temporis remaneret, licet dicere vere potuissemus jam jamque eum appropinquasse. Nec hoc ita dicimus, ut in omnibus gentibus omnes qui ibi fuerint, credere debeant, sed quod in universo orbe terrarum, in quibus gentibus nondum est Ecclesia, quod oporteat ut sit, sicut nuper in quibusdam gentibus Danorum constructas et fabricatas ecclesias, quosdamque in eisdem baptizatos novimus. Quia etsi omnes gentes promissæ sunt ad fidem venire, non omnes homines omnium gentium; quia non omnium est fides. Ac per hoc in omnibus gentibus erunt **987** et qui oderunt increduli, et quos oderint credentes maligni et pessimi. Alioquin, ut supra jam dixi, quomodo implebitur, *Et eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum*. Neque enim dicendum est, quod per apostolos hæc omnia completa sint in omnibus gentibus, licet dicat eis Veritas : *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ* (*Act.* I, 8). Quia non sic eis loquitur quasi ipsi soli tantum hoc munus deberent explere salutis; sed in ipsis et cum ipsis omnibus dicit verbi prædicatoribus. Et ita hoc dicit, ac si illud : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Non quod apostoli tam diu erant mansuri in carne, sed quia ipse semper Christus futurus erat et præsens ubique cum suis electis. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta stante in loco sancto, qui legit intelligat*. In hac igitur brevitate verbi nimia obscuritas generatur, et dum qui legit rogat ut intelligat, exercere nos vult et provocare ad mysticæ intelligentiæ sacramenta. Unde, quia ut supra ostendi, omnes tres Evangelistæ, de his rebus, aut similia dixerunt, aut prope similia, aut certe propria singuli, ideo collatio inter eos habenda est, ut ex omnibus, quod obscurum est valde intelligere possimus. Nam Matthæus cum præmisisset supradictam ex Daniele sententiam, dixit : *Tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes, et qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua, et qui in agro non revertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus*. Marcus vero ait ita : *Cum videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat. Tunc qui in Judæa sunt fugiant in montes, et qui supra tectum non descendat in domum, nec introeat ut tollat aliquid de domo sua, et qui in agro est non revertatur retro tollere vestimentum suum. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus* (*Marc.* XIII, 14, 15, 16, 17). Lucas vero apertius ut ostenderet tunc factam fuisse hanc abominationem desolationemque quæ a Daniele prædicta est, quando expugnata est Jerusalem a Romanis et possessa, hæc eodem loco Domini verba commemorat : *Cum videritis*, ait, *circumdari ab exercitu Hierusalem, scitote quia appropinquabit desolatio ejus* (*Luc.* XXI, 20). Apparet autem tunc ibi positam vel visam abominationem desolationis, de qua Matthæus et Marcus locuti sunt. Unde et **988** Lucas, ut ostenderet ad eumdem locum pertinere quæ dixerat, ea quæ et ipsi prosequitur : *Tunc*, inquit, *qui in Judæa sunt fugiant ad montes*. Quapropter sicut toti tres declarant, non ad antichristi tempora hæc prophetia Danielis referenda est, quando generalis erit in orbe terrarum omnium Christianorum, una et sæva persecutio, sicut quidam volunt, sed ad illud primum adventum Salvatoris, quando et numerus hebdomadarum completus est, et juge sacrificium sublatum est, et libatio. Quia jam unctus erat et venerat sanctus sanctorum, Christus, qui et ipse prædixerat adimplenda de Jerusalem, et Judæa tantum, et non de omni orbe terrarum. Alias autem, si quis prophetiam Danielis, de qua hic Dominus dicit : *Qui legit intelligat*, ad futurum antichristi tempus voluerit interpretari, multum a vero discrepare videtur. Et nescio si ullo modo, etiam mentiendo numerum hebdomadarum ad eum tempus facere potuerit convenire; in quo si false potuerit, eximia de Christi adventu prophetia, et nimis firmissima, detruncabitur, quod omnino nunquam poterit etiamsi ipsum annorum numerum aliter quam a majoribus nostris computatum est, subvertere voluerit. Quia si

Introdusă în format electronic de Google

circa tempora prima adventus Domini usque ad istum locum, ea completa non sunt, et in fine sæculi sunt complenda, certum apostolos hoc ignorasse, vel scisse quidem, sed docere prohibitos fuisse, quod non credo. Et si sciebant, superfluum est quod interrogant. Si autem reliqua omnia, quia unctus est Sanctus sanctorum, completa sunt quæ prædixit, completus est in Christo et numerus hebdomadarum, et ipsa desolatio templi. Quoniam ut Christus prædixit, sic et ipsa manifeste venit, quando circumdata est Jerusalem ab exercitu Romanorum, et ad solum usque omnis civitas diruta. Tunc quippe desolationis abominatio facta est super templum ab exercitu, quam dicit propheta, usque ad tempus consummationis manere, quia nunquam restaurabitur illud, donec consummatio fiat mundi. Unde idem propheta : *Consummatio*, inquit, *dabitur super desolationem Jerusalem* (*II Thess.* II, 4, 8). Quod si reædificabitur ibidem templum, ædificabitur ei, *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ut sedeat in templo*, hujusmodi ostendere se, *quasi sit Deus*. **989** *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Sed et in eodem civitatis loco nunc fanum Sarracenorum est in modum templi, in quo nullus Judæorum audet introire. Nam et in ipso loco quo Sancta sanctorum prius fuere, Adriana imperatoris equestris statua, usque in præsentem diem, dicitur erecta permanere. Cæterum abominatio secundum veterem Scripturam, idolum nuncupatur; et ideo additur desolationis, quia in desolato templo et destituto atque deserto, idolum absque dubio a Romanis repositum est. Neque enim ante passionem Domini (ut quidam putant) a Pilato, vel a quolibet alio, hoc impletum est, quando statuit imaginem Cæsaris in templo, licet et hoc abominatio esset. Alioquin quid est quod Dominus monet et dicit : *Cum videritis abominationem desolationis stantem*, et cætera, nisi quod Lucas testatur tunc fuisse factum, quando eversa est Hierusalem? Idcirco nec ante passionem factam fuisse credendum est, neque ad finem sæculi, vel circa finem, æstimare debemus futuram, quæ jam incompleta est. Et quanquam ipsa desolationis abominatio, propter obscuritatem dicti, alio quolibet modo queat intelligi; tunc tamen factam fuisse credendum est quando Dominus prædixit; et eamdem prophetiam tunc expletam esse, quando ipse eam explendam præscivit et præmonuit.

Tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes, et qui in tecto non descendat aliquid tollere de domo sua. In quibus tam iste quam alii duo, de festinatione fugæ Judæorum, magis fuisse præceptum, quam de temporibus Antichristi, quando nullus erit locus (ut in Apocalypsi legimus) quo crudelis non desæviat persecutio. Et ideo non de fuga illius temporis accipiendum, quando nescio si corpore ullus effugere queat malum, quod tunc in terris ubique erit. Idcirco planius ad obsidionem illius miseræ civitatis, quæ dicta sunt referimus, quando stare dicitur in loco sancto abominatio desolationis. Quæ profecto abominatio, quamvis aliter dixerim, ipse Vespasianus accipi potest, qui Hierusalem exercitu circumdedit ac vastavit, ipsumque templum violavit, per quem tam pessima contigerunt, ut qui in Judæa erant, non ad templum, non ad Sancta sanctorum, neque ad civitatem Dei, sed, ut dictum est, **990** vix fugient ad montes et ad latibula petrarum, quoniam talis tantaque erit persecutio in tempore illo, ut qui super tectum fuerit, non habebit tempus descendendi tollere aliquid de domo sua prius si posset quam fugam iniret, et qui in agro, quod nequiverit reverti in civitatem, et tollere vestimentum suum, quia nullum misericordiarum tempus erit, sed vindictæ, ita ut nec prægnantibus parcerent, nec lactantibus, et ideo utrisque væ futurum dicit. Sic quippe ac si ad ipsos Judæos loquitur Dominus, qui de Sabbato gloriabantur : *Orate ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato*, quando non oportet agere vel ambulare plus quam Sabbati est iter, et in hieme quando pessimum est per fugam salutem quærere. Est tamen quædam fuga hominum secundum præceptum Verbi Dei, quam semper sectari oportet. Unde et beatus Ambrosius de fuga sæculi duos optime condidit libros. Quam qui arripuerit fugam, melior est, quam qui non fugit, quia majora delinquit quisque, per hoc quod non fugit. Et ideo quia semper fugiendum est, Christus Dominus sex statuit civitates, ad quas qui deliquerit reus fugere debet, sed non in Sabbato quando jam requiescere debet in requie, neque in hieme quando non licet, quia frigus eos omnes infidelitatis jam tenet, quos modo Sol justitiæ non illustrat. Nam pro eo quod Matthæus et Marcus dixerunt : *Qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum*, apertius Lucas ait : *Et qui in regionibus, non intrent in eadem, quia dies sunt ultionis hi, ut impleantur omnia quæ scripta sunt* (*Luc.* XXI, 12). Hæc idcirco dixi, ut intelligat prudens lector, quod de una eademque re simul toti tres loquuntur. Et possunt congruenter satis intelligi spiritualiter, quod in omnibus tribulationibus est cavendum, ne quis devictus cupiditate, vel ullius genere celsitudinis, de sublimitate bonæ vitæ descendat ad carnalem vitam, aut qui profecerit in anteriora se extendens, deficiendo a bono proposito, in posteriora redeat. Quod si in omni tribulatione cavenda sunt, quanto magis in illa præcipi debuit, quæ talis et tanta futura denuntiatur illi civitati, qualis non fuit ab initio, neque fiet? Et si in ista speciali, quanto magis in illa generali tribulatione, quæ novissima futura est in Ecclesia sancta Dei in toto orbe diffusa? **991** Quia sic Lucas hæc duo capitula de tecto, et de agro, eo loco narrare videtur, ut possint magis ad illud ultimum antichristi tempus referri, quando Pharisæi quæsierunt a Domino, quando veniet regnum Dei? Nec mirum, præsertim cum hæc regula Scripturarum sit, ut de adventu Christi nonnunquam indifferenter loquatur, dum aliquando in una eademque sententia sic loquitur de primo adventu Christi.

Introdusă în format electronic de Google

ut quædam referenda sint ad illum ultimum, et de ultimo sic ut quædam sentienda sint de primo. Unde cavendum est in omnibus, ne forte quæ de primo dicuntur ad secundum referamus, et quæ de secundo ad primum, sicuti hoc loco fecerunt etiam docti viri. Verumtamen, ut dixi, quia præceptum est, qui in Judæa sunt, ut fugiant ad montes, seu cætera, et ad desolationem templi, et ad futurum tempus Antichristi, et ad omnem tribulationem, quæ fit in Ecclesia pertinere potest, et contra omnia hæreticorum dogmata perversa; quæ cum viderimus stare in loco sancto, hoc est in Ecclesia, et se ostendere ac si Deum, debemus de Judæa fugere ad montes, ex quibus veniat auxilium nobis. Hoc est, dimissa occidente littera et Judaica pravitate, et appropinquare montibus æternis, de quibus nos illuminet mirabiliter Dominus; et manere oportet in tecto atque in domate cœlestis intelligentiæ, quo non possint ignita diaboli jacula pervenire. Nec descendere convenit et tollere aliquid de domo conversationis antiquæ, nec quærere quæ retro sunt, sed magis serere in agro quem benedixit Dominus, ut fructum vitæ capiamus ex eo.

Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Quia non expedit fugientibus gravedo ventris, et onus liberorum parvissimorum. Neque enim ad eam fugam conveniunt ista quæ facta est tunc in Judæa, neque ad eos qui volunt effugere pericula tribulationis. Quia væ illis animalibus quæ non in perfectum virum, virtutum germina produxerunt; quæ non nisi initia habent fidei, ut lacte indigeant magistrorum. Et potest dici quod in persecutione Antichristi, sicut nec in Romana captivitate, prægnantes et nutrientes uteri et filiorum sarcina prægravati expeditam quiverunt fugam habere, et ideo sequitur: *Orate autem ut non fiat fuga* **992** *vestra hieme vel Sabbato.* Quia in hieme asperitas et duritia frigoris, ad solitudines velocius fugere, et in montibus desertisque locis latitare non permittit. In Sabbato vero, aut trangressio legis erit, si exire ad fugam voluerint, aut mors imminens, si remanserint. Quod præceptum et ad excidium Hierosolymorum pertinet, et ad Antichristi tempora, necnon et ad fugam sæculi omni Christiano; ne tunc incipiat velle fugere, quando jam non licet, vel quando nimia pressus asperitate ægritudinis et infidelitate, jam non possit. Constat igitur hæc præcepta magis proverbialiter dicta; quia nonnulla eorum ad litteram, nec rationem facti dictique recipiunt humanam, nec intelligentiam divinam. Quænam ratio est non descendere de tecto cum nec abire poterit nec effugere, si in tecto aut in domo persteterit, et si in Sabbato vel hieme fuga contigerit; non littera observanda, sed moralitas rerum semper in omnibus observanda. Ita et cum ait: *Væ prægnantibus*, considerandum quid conditio sexus et generationis ordo promeruerit. Nisi forte, quia sexus et ætas mulierum in tali inciderint tempore quo proprie sit earum maledictio, non ex culpa, quod absit, sed ex eventu. Et ideo quod dicit Dominus, *væ prægnantibus*, non de fetarum onere dicit, neque de gravedine liberorum, in quibus benedictio confirmatur, sed de gravedine peccatorum et ventris onere, cum flagitiis et sceleribus prægravantur animæ. Quibus imminet væ, eo quod noluerunt in viri formam transire, et virtutibus roborari, sed semper muliebria sectari; ac per hoc æque de utroque sexu accipiendum, cum partus peccati male nutritur, et totus homo intus forisve pessima delictorum vexatione confunditur et prægravatur. Porro de tribulatione quæ tunc futura erat in Judæa, et adhuc futura est in toto orbe, jam satis dictum est. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* Diximus jam supra quod Lucas patefaciat hoc loco, quod esset incertum utrumne ad sæculi finem, an ad expugnationem Hierusalem pertineret quod dictum est de abominatione desolationis, et quod dictum de abbreviatione dierum propter electos. Quia etsi ea **993** ipse non dixit, dixit tamen apertius alia de hoc ipso, quæ supra notare, atque ad ista pertinere monstravit. Idcirco quamvis secundum regulam præfatam, tam quædam pertinere queant ad Antichristi tempora, quædam ad eversionem Hierosolymorum, quædam ad utrumque, non tamen ambigere debemus quando eversa est Hierusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crediderant, sive fuerant credituri, electi ex præscientia Dei ante mundi constitutionem, propter quos breviarentur dies illi, ut tolerabilia mala fierent. Sicut et in temporibus Antichristi fiendum, nemo qui ambigat; quod et Joannes in Apocalypsi sua declarat. Sed quærendum quomodo breviandi dicantur ipsi dies; utrum numero breviati sunt aut breviabuntur (sicut quidam existimant), an sic breviabuntur suis spatiis ipsi dies, sicut facta est, orante Jesu Nave, longior dies? Nequaquam igitur hoc puto quod debeant momenta temporum mutari, eo quod scriptum legimus: *Ordinatione tua perseverat dies.* Propterea melius juxta temporum qualitatem sentire debemus, abbreviatos dies, non mensura horarum, sed numero; non quod de cursu temporis detracti sint, sed quia ex qualitate imminuti. Nam et Ezechiæ quindecim aucti dicuntur anni, non ad cursum temporis, sed ei, cui futuri erant anni ad vitam donati. Sic quippe et in benedictionibus dicitur: *Longitudine dierum adimplebo eum* (*Psal.* xc, 16); quia dum bona vita quisque adimpletur, plenus dierum esse dicitur. Et ideo cum mala dierum illorum breviantur, ipsi dies jure breviati dicuntur. Dicuntur enim et dies mali in Scripturis divinis, non quod per se ipsi dies mali sint, sed ea sunt mala quæ fiunt in eis. Ergo cum ipsa repromittuntur abbreviari, ut Deo donante, saltem per tolerantiam, minus sentiantur mali, non immerito breviati dicuntur, cum qualitas eorum immutatur, ut qui mali futuri erant, nisi a Deo breviarentur, boni et tranquilli fiant. Et, ut dixi, Lucas ista non dixit, sed Matthæus et Marcus: quos

Introdusă în format electronic de Google

qui solummodo sequitur, potest ad finem sæculi et ad Antichristi tempora hæc referre. Sed ipse dixit ex quibus docuit, quæ illi dixerunt obscurius, ad eversionem Hierosolymorum pertinere. Nam de tribulatione dierum istorum si quis vult nosse, Josephum legat, qui talia tunc dicit illi populo accidisse, ut vix credibilia videantur. **994** Unde nec immerito prædixit pius Dominus eidem populo, quod erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio sæculi, usque modo (ut intelligas quando hæc loquebatur), neque fiet. Sed et si in tempore Antichristi talis aut major forsitan erit in toto orbe terrarum; intelligendum est tantum de illo populo dictum, quod ei amplius talis futura non erit tribulatio in hoc sæculo. Quia ut fertur Antichristum illi primitus, et præcipue præ omnibus, cum omni cordis gaudio sunt suscepturi. Ac per hoc facturus est tunc idem populus Judæorum in Ecclesia Christi tribulationem potius quam passurus.

Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, ecce prædixi vobis. Ad hoc itaque ea prædixit mala quæ futura erant, ut caveantur. Et ideo tripliciter locus iste exponendus est, quia et in tribus temporibus hæc præcavenda monstrantur; scilicet tempore obsidionis Romanæ, quando obsessa est Hierusalem, et Judæa omnis regio vastata; necnon et in consummatione sæculi quando Antichristus, cum suo capite diabolo, etiam et cum omnibus membris suis, contra Christi pugnabit Ecclesiam. Deinde per omne tempus quod medium est, quando hæreticorum astutia semper sævire non cessat contra catholicam doctrinam et apostolica instituta. In quibus omnibus una fraus erit antichristorum, ut ita loquar, qui sub opinione scientiæ Christi, etsi false, dimicare acriter nunquam cessabunt. Nam in ipsa captivitatis obsidione, in populo Judæorum, multi exstiterunt hæresiarchæ, qui se Christos esse dicerent. In tantum ut obsidentibus Romanis a foris, tres intus fuerint factiones; quamvis et in consummatione sæculi majora credantur et plura esse futura. Verumtamen nescio, si signa majora sint futura diabolicis artibus, quam sunt jam ostensa in omnibus mendaciis hominum, et doctrinis falsissimis ex quorum forte magisterio repullulabitur virtus prodigiorum numerosior præcisis capitibus. Quoniam sicut dicta est una abominatio stare in loco sancto, ita et unus Antichristus futurus in fine sæculi, prædicatur. Sed quia abominatio desolationis statuta est in loco sancto, justo Dei judicio, exinde multi nascuntur pseudochristi, **995** et exsurgunt pseudoprophetæ; quorum omnium etsi unum est genus, species illius multæ sunt; etsi corpus unum, membra diversa. Tanquam si dicamus generaliter, mendacium unum est, sed secundum differentias falsorum dogmatum, et pravas hæreticorum doctrinas, mendacia multa sunt. Et sicut mendacium multum differt a mendacio, *ita et dogmata falsorum* prophetarum perversis quam sæpe impugnantur dogmatibus, et multi sunt qui exsurgunt etiam præcisis capitibus. Et quicunque surrexerunt post eos, omnes licet signa faciant miraculorum et prodigia ac si virtutum, membra sunt unius capitis. Quia sicut unus verus est Christus Dominus Jesus et innumera unius capitis membra, ita et multi pseudochristi, et antichristi quamplurimi. Quapropter ne mireris, quia sicut unius veri Christi facti sunt membra, qui a sæculo fuerunt sancti prophetæ prænuntiantes adventum Christi et passiones, et postmodum gloriam ejus futuram : sic, quæso, secundum unum Antichristum intelligere et pseudochristos multos, falsosque prophetas. Non ergo unius mendacii doctores, sed omnium. Qui profecto pseudoprophetæ sunt illius Antichristi, cujus falsos prædicant sermones, et docent quasi veros. Unde pro talibus dicit pius magister : *Si dixerint vobis : Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere.* Suis itaque dicit, ut se caveant ne decipiantur erroribus falsorum doctorum. aut certe diabolicis phantasiis. Quapropter valde considerandum in Scripturis divinis, ne hic aut illic falsus pingatur et formetur Christus, digitoque ostendatur, quod multos jam fecisse satis abundeque legimus. Et ideo tam firma debet esse fides Christianorum tamque erudita, ut a vero nunquam deviare possit, neque a Christi doctrina, quam sancta Mater a Christo didicit et tenet, universalis Ecclesia. Præter quam fidem, si quis docuerit, aut tenuerit, oportet ei dicere illud apostoli Pauli (*Galat.* 1, 8) : Si quis evangelizaverit aliud aut docuerit, seu angelus de cœlo, seu quilibet peritissimus, aut prævotens in Scripturis, etiam signa faciens et prodigia, præter id quod evangelizatum est a Christo Domino et a suis apostolis, anathema sit. Nam vera fides et stabilis, sicut nullam aliam recipit doctrinam quam Christus docuit, ita nec signa quærit, quia signa et prodigia non fidelibus vere, Paulo teste, sed pro infidelibus data sunt. **996** Hinc est quod fide Christi recepta, jam nisi ad reliquias sanctorum, qui testes exstiterunt veritatis, nulla fiunt talia. Porro quam multi sint jam decepti a falsis doctoribus, nec non signis et prodigiis in mortem curiosius illecti, puto quia nemo est qui edicat. Et ideo ne fieret in lectis benignissimus Salvator suis ait : *Ecce prædixi vobis*, quoniam jam talia facta sunt, et futura forte majora creduntur, *ita, si fieri potest, ut in errorem inducantur electi.* Non quod electi, qui perfecti sunt a Deo et prædestinati, possint induci ut seducantur in errorem, sed quia in talibus queunt tentari, etsi vinci nequeant. Ubi etsi libertas servatur arbitrii, magis tamen gratia, quia nequeunt oberrare, prædicanda est. Unde et Dominus sic suam temperat sententiam, ut et in tentatione auxilium gratiæ requiratur, et confidentia major de auxilio nascatur. Ergo quod ait, *Ecce prædixi vobis*, ad utrumque refertur; id est, quia scandalizabuntur multi, et quia sanctorum talis tantaque erit tentatio, nisi

Introdusă în format electronic de Google

electio Dei eos salvaret, ut et ipsi etiam in errorem inciderent.

Si ergo dixerint vobis : Ecce in desertum est, nolite exire ; ecce in penetralibus, nolite credere. De situ locorum manifestum, quia non sic se promisit esse venturum in Scripturis, sed sicut dictum est, quia *Deus noster manifeste veniet* (*Psal.* XLIX, 3). Quatuor namque differentias videtur introducere, cum dicit *hic, aut illic*, et cum dicit *in deserto*, aut *in penetralibus* ; duas si quidem hic aut illic, quia duo sunt Testamenta, extra quæ, non mihi videtur foras digitum extendere ; sed infra hic aut illic, id est in Novo, aut in Veteri Testamento. Non quod alicubi aut aliunde requirendus sit Christus, qui jam in eisdem libris prædicatus est longe diu, et ostensus, sed quia pseudochristi et pseudoprophetæ divinas aliter interpretantes Scripturas, dum volunt contra veritatem ex ipsis falsa sua defendere dogmata dicunt : Ecce hic Christus quem prædico in hoc exemplo sancti Evangelii, vel illic, in illo Veteris Testamenti. Sicque per omnia Scripturarum peragrans loca, ea quæ sui videntur mendacii defendere errorem elegit, et suum ex his format, prout placuerit, et depingit Antichristum, tam ex lege ac prophetis quam etiam ex Evangelio et apostolis. Quod multos jam fecisse scimus, et unusquisque eorum prout placuit, detulit pro veritate mendacium, et pro Christo Deo Antichristum. Et ideo præmonuit magister veritatis **997** : quicunque eorum vobis evangelizaverint præter id quod jam evangelizatum est, et ostenderint fictis verborum fallaciis, ecce hic Christus, aut illic, ac dicit nolite credere. Quod si dixerint : *Ecce in solitudine*, id est in doctrina philosophorum, nolite exire ad eos, quia extra fidem et extra Ecclesiam sunt. Quod si rursus protulerint : *Ecce in penetralibus domorum*, id est intra quædam Scripturarum secreta, vel apocrypha, quia dubia vel falsa sunt, nolite credere, quia non certa proferunt, nec vulgata, nec a sanctis Patribus edita, sed fabulosa et mendaciis suis congrua. Aut certe, si ex ipsa Scriptura divina quidpiam dogmatizaverint, ac si in domo, quod falsum sit, nolite credere, ne forte intus aut foris in ullo decipiamini. Etiam, si de cœlestibus, quod domus Dei est, novi aliquid repromiserint, nolite a regula catholicæ fidei exire, nolite credere quæ catholica non sunt, quia omnino vera non sunt. Nam veritas per se, licet lateat malos, bonis tamen, ac si fulgur splendida est. Unde sequitur : *Sicut enim fulgur exit ab Oriente et paret usque in Occidente, ita erit adventus filii hominis.* Et ideo nolite exire, nolite credere, quod filius hominis vel in deserto sit gentium vel in penetralibus, aut in ullis eorum dictorum arcanis, eo quod fulgur fidei de Christo ab Oriente usque in Occidentem per omnes ejus Ecclesias Catholicas fulgeat. At vero, juxta litteram secundus Salvatoris adventus, non in humilitate, ut prius, quando venit leniter, *Sicut pluvia in vellus* (*Psal.* LXXI, 6), et *Sicut ros super herbam* (*Prov.* XIX, 12) ; sed in claritate nimia, et gloria majestatis suæ demonstrandus est. Et ideo ab eo loco ubi quæsierunt apostoli signum adventus ejus, et signum consummationis sæculi, nullum horum datum est signum, sed ea dicta sunt quæ præcavenda erant per omne tempus sæculi ; quia talia tantaque futura erant antequam finis veniret mundi, ut terrere possent a fide, et seducere, si fieri posset, etiam electos. Idcirco quando Hierusalem destruenda foret aperte prænisit, et ad ultimum, qualis quantusque adventus ejus futurus sine ullo alio signo declaravit. Quoniam ipse per se talis erit ut omnibus pateat etiam plusquam fulgur, cui comparatur. Quæ minarum comparatio facta est a minore ad majorem, quia nihil inveniri potest in creaturis cui ex æquo dies adventus Domini coæquari queat. Et licet fulgur universa, quæ sub cœlo sunt, **998** penetret ac perterreat, penetrabilior tamen dies illa erit ac terribilior, quæ omnia cœlorum movebit arcana, et inferorum universa penetrabit jura, nec non et mundi cuncta turbabit elementa. De quo Juvencus presbyter mirum libri sui principium dedit. Quod

> Immortale nihil mundi compage tenetur,
> Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
> Non tellus, non iguea sidera cœli, etc.

Unde et prophetæ diem illam multis appellationibus explicare non valent. Et ideo benignissimus Jesus discipulis quærentibus tanti diei signum, necesse eis ostendere aliud non judicavit, nisi ea in medio quæ cavere deberent et prævidere singuli, ut parati essent, semper interposuit. Quia stultum valde est eum in parvo loco vel in abscondito quærere, qui omnia complet, et tunc universa commovebit, et perlustrabit singula. Propterea de his nemo curiosus, nemo dubius in fide : quia in primo adventu, propter confirmandam fidem, multa et deifica præcesserunt miracula, jam ultra, ac si infidelis, signa quærat. Quoniam his ab initio plena est omnis Ecclesia, plena fulgore fidei ab Oriente usque in Occidentem, et quæ plena est lumine vero ; ipsa facta est columna immobilis, et firmamentum veritatis. In qua tota totus est adventus filii hominis, qui ubique est totus, dicentis : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Hincque sequitur :

Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Mira valde ex vilissimo usu aquilarum facta est comparatio, et ideo significantius πτῶμα Græce, quod est cadaver, dicitur secundum dispositionem passionis Christi ; qui ideo occubuit in mortem, et cadaver factus est, ut erigeret eos qui ceciderant. Et quia quod ceciderat resurrexit, justum est, propter quos ceciderat, ut ubi fuerit corpus quod resurrexit, ibi congregentur et sancti. Et hoc est quod dicit absolute : *Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ.* Non qualescunque aves, sed aquilæ ; discipuli videlicet, de quibus propheta olim prædixerat : *Assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient* (*Isa.* XL, 3). Ex quibus una earum Paulus, dicebat de resurrectione, volens introdu-

Introdusă în format electronic de Google

cere fidem : *Nos qui vivimus, qui residui sumus, non præveniemus eos qui dormierunt, sed simul cum illis in nubibus obviam Domino rapiemur* (*I Thess.* IV, 16). Et ideo non dixit, ubicunque **999** fuerit corpus, illic congregabuntur vultures et corvi, sed volens ostendere electos suos, quorum juventus ut aquilæ fuerat innovata, eosque magnificos præmonstrans ultra omnes aves, eximios, quales vult esse omnes qui commortui et consepulti, resurrexerunt cum eo ad vitam. Quibus proprie recte dicit: *Ubi fuerit corpus illic congregabuntur et aquilæ*. Congregabuntur autem dicit, quia angelorum officiis deducentur forte ad locum passionis Christi, quo descensurus est ad terras, quia inde abiit, et ibi judicaturus est, ut jam supra dixi, quod et multi credunt. Inde si quidem et sanctus Hilarius ait: Claritatis ejus adventus illic exspectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis, operatus est. Nam et Lucas apertius hoc ita esse videtur ostendere, cum ait, quod interrogantes discipuli, *Ubi Domine?* quibus Dominus : *Ubi fuerit corpus illic congregabuntur aquilæ* (*Luc.* XVII, 37). Certum quippe est, quia apostoli de loco interrogant. Quod si ad ea quæ Lucas præmisit, dicunt : *Ubi Domine*, cum ait : *Erunt duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur*, Idem est. Quia hoc interrogant, quo assumendus sit ille unus, et Dominus : *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ*, quarum aquilarum unitas, universitas est sanctorum, qui remigio alarum suarum subvecti, in Christi corpore sociantur. Et ideo de irrationalibus avibus sumit exemplum, quæ nonnunquam etiam, trans maria odorantur et conspiciunt cadevera, ad quæ transvolare non piget, ut multitudo credentium multo magis festinare non dubitet ad eum, cujus fulgur exit ab Oriente, et coruscat per omnem Ecclesiam, in qua corpus ejus et sanguis immolatur et sumitur, usque in Occidentem. Scio tamen de hac expositione aliquos dubitare, et plura objicere, quæ facile refelluntur. Qui dum volunt sensus catholicos evacuare, suam ostendunt imperitiam. Sicque hoc accipiunt, quasi dicatur, ubi fuerint hostiæ Judæorum et sanguis victimarum, illic, ad cædem et vastationem miseræ civitatis, Romani velociores aquilis cœli congregabuntur. Sed nos melius dicimus de homine Christo : ubicunque fuerit, seu ubi passus est, et resurrexit, et unde ascendit in cœlum, quod illic in resurrectione carnis, debeant aquilæ, id est sancti, congregari a quatuor ventis cœli, deinceps et esse cum Domino. Nec hoc ita dico, ut ignorem quam diversæ opiniones ex hoc nascantur sensu. Et ideo nemo me præscribat **1000** de loco, ne mihi quidquam suspicari liceat, quod forte affirmare differo, nisi in quantum in talibus opinandi ratio nobis occasionem præbet; de quo etiam et in locis quibus oportuerit, quid sentire possit quisquam, tangam. Quia etsi se beatus Paulus apostolus in aere obviam Christo, amore ductus ejus, rapiendum affirmat, una cum suis consortibus, non tamen denegat quod in terris venturus sit ad judicium, ubi judicatus est, et unde abiit. Nescio itaque si ullus possit, aut velit astruere, si Paulus et cæteri summi sancti, rapiendi sunt sursum, obviam, quod omnes simili modo, ante judicium peractum, elevandi sint a terra, et debeant ire quocunque (ut quidam volunt) judicandi. Sed, ut Isaias ait : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui* (*Isa.* III, 14). Cæterum, quod alii dicunt ubi fuerint corpora in monumentis, aut in terra, illic animæ venturæ sint, et propria corpora recepturæ; quamvis verum sit ita esse, non tamen consequens est ut hoc loco inde istud dicatur.

Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur, et tunc parebit signum filii hominis in cœlo. Ubi ostendit post tribulationes Antichristi parvum tempus futurum, cum ait statim, quousque veniat dies judicii. Quamvis quidam velit intelligere post tribulationem apostolorum parvissimum intervallum futurum, donec in vindictam crucis Christi veniret desolatio templi, et dispersio Judæorum. Quod non est consequens, propter ea quæ sequuntur : *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum*, etc., quæ non puto ad diminutionem luminis pertinere, præsertim cum Isaias dicat : *Quia erit lux lunæ, sicut lux solis, et lux solis sicut lux septem dierum* (*Isa.* XXX, 26). Etsi hæc aliam interpretationem recipere possint, nequaquam stellæ de cœlo recte cadere creduntur; sed in comparatione veræ lucis, omnia cœlorum luminaria sic futura prophetantur a Domino, ac si tenebrosa. Non in sua natura, sed ad fulgorem æternæ lucis comparata valde obscura erunt. Quod si sol iste, qui nunc per totum orbem rutilat et resplendet, nec non et luna, quæ secundum est luminare, atquæ stellæ, quæ ad solatium noctis datæ sunt, seu et omnes virtutes cœlorum, quas angelorum multitudines intelligimus, in adventu Christi et ad fulgorem ejus, hæc omnia assimulata, **1001** quasi præ nimia claritate, in caliginem reputabuntur, quid putant qui supercilio erecto se sanctos arbitrantur, et præsentiam tanti judicis, ac si securi desua justitia, non formidant. Quoniam in eo tremendo judicio nemo securus erit. Et cum gloria claritatis ejus effulserit, nemo se aliquid esse putabit; eo quod tunc nemo aliud cogitare poterit, nec respicere, quam eum, qui tunc solus gloriosus apparebit. Ad cujus adventum solis obscuritas prædicatur, defectio lunæ, stellarum casus, virtutum cœlorum commotio, et salutaris signi ostensio, lamentatio et planctus omnium gentium; quando missurus est angelos suos cum tuba, et voce magna ad congregandos electos suos. In quibus profecto verbis, quamvis ita dixerim, tanta obscuritas est, ut nihil de his a quoquam aliquid temere debeat definiri. Nam quidam dicunt, quod sicut in passione Christi et in dispensatione crucis sole deficiente a lumine, tenebræ factæ sunt super omnem terram, sic et in adventu Christi, apparente in cœlo ipso eodemque

Introdusă în format electronic de Google

signo filii hominis, deficiet rursus solis lumen, ac deinde lunæ et stellarum, præ multa claritate et virtute signi illius. Et si sol obscuratus fuerit, vel defectum passus, quandiu fuerit, non mirum si luna et stellæ, quæ proprium lumen non habent, nullum poterint proferre splendorem luminis. Nec tamen sic casuræ stellæ de cœlo recte dicuntur, sed secundum defectus suos tenebrescere, et non apparere. Quod ex Isaia ad plenum, et Joele, et prophetis approbare conetur, quorum testimonia curiosus lector videat et perscrutetur, utrumne ad litteram sic intelligere oporteat, an sicut supra diximus, quia credendum non est, quod stellæ casuræ sint, quarum magnitudo a sapientibus sæculi etiam tanta dicitur esse quanta est terra. Ubi si tot ceciderint, ut alia omittam, quo cadant locus non erit. Rursus alii sunt qui dicunt, quod ex conflagratione incendii, quo mundus concremabitur, ac si ex multis ignibus fumus, ut assolet, ex igne plurimus condensabitur et extolletur usque ad summum cœlorum, ita ut tantæ sint tenebræ, ne sol aut luna, seu stellæ, lucere queant; quod omnino inconsequens videtur, quia quantum iste ignis præcedat ante adventum Domini non satis apparet. Licet et de hoc ipso igne nonnulli diverse sentiant. Quæ signa nisi Matthæus et **1002** Marcus post tribulationem dierum illorum addidissent, melius, sicut quidam volunt, spiritaliter de Ecclesia acciperemus : quod factum est in ipsa persecutione, ut tunc sol justitiæ in multorum cordibus sit obscuratus, qui antea in eis primum lucere consueverat. Quia tunc siquidem plurimi a regione deficient, et clara fides in eis obscurabitur nube perfidiæ obtecta. Nec mirum igitur, si post tribulationem dierum illorum, dicantur obscurari, et non transacta tota illa persecutione, accident ista, sed quia præcedet ut sequatur quorumdam defectio, antequam serenitas restituatur, et quia per omnes dies illos ita fiet, ideo post in eisdem diebus fiet, quando non aliud quam tenebræ erunt. Et ideo in eis, luna, quæ est Ecclesia, non habebit lumen suum, et stellæ de cœlo cadent, cum multi qui putabantur sancti, tentationibus victi, non in cœlo sed in terra scribentur. Et quia in persecutione eos amor vitæ hujus, a luce quæ Christus est, exclusit, ac si stellæ de cœlo cadere dicuntur. Siquidem Abrahæ dictum est : *Erit semen tuum sicut stellæ cœli* (*Gen.* XXII, 17; XXVI, 24). Sed quia acerbitas persecutionis et amor sæculi carnales quosque a fide evulsit, dure de cœlo in terram ruunt, sicut et ipse qui de supernis sedibus, ac fulgur, corruit. Unde Dominus : *Videbam*, inquit, *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18); et : *Virtutes cœlorum commovebuntur* (*Luc.* XXI, 26). Utique a gloria majestatis Christi, licet ei semper assistant et videant claritatem ejus; quia cum surrexerit percutere orbem, et disperdere peccatores ex eo, nescio si ullus angelorum in sua gloriabitur conscientia, suis confisus viribus. Vel movebuntur virtutes cœlorum ad ultionem inimicorum, cum viderint judicem omnium ad hoc paratum venire, ut ulciscatur se de inimicis suis. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. Quod profecto signum crucis est signum; non quod jam futurum aliquid significet, sed ut ipsum qui crucifixus est in cruce humilis gloriosum esse ostendat, quatenus ex hoc cum omni gratiarum actione electi gaudeant; impii autem et peccatores videant quem contempserunt humilem, quo magis doleant. Unde sequitur : *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Illæ namque tribus quæ magis amaverunt terram quam cœlum, et ideo in terra miseræ remanserunt. Diversæ siquidem tribus propter diversitatem meritorum; quia nec **1003** in inferno una omnium tormentorum qualitas erit; ubi se merito plangent, quia hic se male perdiderunt.

Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate. Tunc autem præfiniti temporis adverbium est, et non potest respicere nisi ad illud præfinitum tempus; et ideo diligentissime perquirendum ad quod hæc omnia respiciant. Nam et supra similiter positum est : *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Quod pene omnes magis ad finem sæculi quos et ego secutus sum retulerunt. Sed si omnis circumstantia lectionis consideretur, et evangelistarum collatio facta fuerit, nimia difficultas nascitur; utrumne ad illud excidii tempus hæc omnia referenda sint, an ad adventum Salvatoris. Quia si ad illum referantur, in multis sermo excedit divinus, et majora movet quam ad illud tempus pertinere videantur. Nam et paulo inferius ita dicit : *Cum videritis hæc omnia fieri.* Sic namque dicit quasi omnia hæc, quæ superius commemorantur, intelligi velit. Et tunc his ita dictis, ait post hæc : *Scitote quia prope est in januis.* Non quod finis sæculi jam sit, sicut ea sonare videntur quæ præmisit, sed quia *prope est* et *in januis*, ac si introitu, ut finiatur. Unde tunc forte sciemus quia prope est, cum viderimus non aliqua eorum, sed hæc omnia quæ supra dicta sunt. In quibus et hoc est, quia tunc virtutes cœlorum movebuntur, et tunc videbunt signum filii hominis. *Et* tunc *videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate.* Et tunc *mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum*, seu cætera. Quæ omnia profecto in hac hora novissima facit, veniens in suis membris tanquam in nube magna, fructificante Ecclesia atque crescente, donec Evangelium in universo mundo compleatur, et prædicetur in omnibus gentibus. Quod sane Evangelium cœpit ex quo prædicare voluit, et dicere : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV, 17). Idcirco ab exordio sermonis hujus, ita quædam ab his tribus evangelistis dicta sunt, ut de ejus adventu forte dicta inveniantur, si diligentius inter se collata discutiantur; et quædam pertinere ad illam eversionem Hierosolymorum : reliqua tamen, aut ad hoc pertinere probantur quod quotidie venit in corpore suo, quod est Ecclesia, de quo ad-

Introdusă în format electronic de Google

ventu suo **1004** ait : *A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli :* aut illum ultimum futuri judicii diem, ut dixi, quando in seipso est venturus, et judicaturus vivos et mortuos. Ideo prudentis viri erit intelligere, quæ sunt illa omnia quæ supra commemorata sunt. Forte sic intelligenda, ut nonnulla eorum dictorum excipiantur, quæ non nisi ad ejus adventum pertinere probantur, quando per seipsum venturus est ipse, sicut in illa ultima parabolarum minime dubitatur. Quando venturus est filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo : *Et tunc congregabuntur ante eum omnes gentes*, et reliqua. Sic forte et hæc quæ dicit, quod virtutes cœlorum movebuntur. *Et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, et* tunc *plangent se omnes tribus terræ, videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna*, seu cætera. Licet et super Ecclesiam interpretari queant, melius tamen de suo, per se, extremo adventu, sonare videntur. Quamvis dicere possimus, quod virtutes cœlorum a Judæa sint removendæ, ne ferant auxilium miseræ civitati, et tunc prædicanda sit crux in Ecclesia, et erigenda ob triumphum virtutis Christi, et tunc in illa obsidione plangent se omnes tribus Judæorum. Ac deinceps videbunt filium hominis in nubibus cœli, id est in sanctis prædicatoribus per Ecclesiam cum multa gloria et virtute verbi venientem. Hæc idcirco dixerim, ne irridear ab eis qui hæc pene omnia ad unum referunt tempus; seu ad eum adventum in quo Christus venit quotidie in sua Ecclesia, ac si in membris suis ; seu ad eum, quando ipse per seipsum venturus est in fine sæculi. Quod neutrum horum congruere satis æstimo, neque convenire. Unde prosequar, licet possint et in Ecclesiam interpretari, magis ut de adventu in corpore suo, in quo sedet ad dexteram Patris, intelligatur. In quo etiam mortuus est, et resurrexit, et ascendit ad cœlum, secundum quod scriptum est in Actibus apostolorum : *Et nubes suscepit eum*, inquit, *ab oculis eorum* (*Act.* I, 9) ; ubi et dictum est ab angelis : *Sic veniet quomodo eum vidistis euntem in cœlum.* Et ideo nec immerito credendus est, non solum in eodem corpore, verum etiam, ut hic dictum est, in nubibus venturus, quoniam sic veniet sicut abiit, et nubes eum abeuntem suscepit. Qui profecto sensus sine dubio promptior est, **1005** et absolutior, utquisque cum audierit vel legerit : *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate*, ut ipsum prorsus accipiat ejus adventum, non per Ecclesiam, sed per seipsum, quando ad vivos venturus est et ad mortuos. Et propterea Scripturæ sacræ scrutandæ sunt, nec temere aliquid definire oportet, si forte alter altius in his providere qualiacunque potest; quia nemo doctorum, non dico ego exiguus, unquam reserare omnia quivit. *Et tunc*, inquit, *videbunt filium hominis*, id est in finem sæculi, *venientem cum virtute multa et majestate.* Sed longe aliter videbunt eum electi, et aliter reprobi; electi si quidem ut gaudeant, et reprobi ut doleant. Ac propterea dictum est : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Quia licet eum boni ac mali visuri sint, sic tamen eum impii et peccatores videbunt ut confundantur, et sic justi ex eo glorificentur. Verumtamen, quia *Videbunt eum venientem in nubibus cœli*, quærendum est utrumne corporalibus oculis, an alio quolibet modo. Sed quia dictum est quod visuri sint filium hominis, non aliter accipiendum credo quam in specie humana in qua ascendit, videbunt in nubibus venientem supernis, ita ut omnes eum videant, qui eum crucifixerunt et rejecerunt. Et notandum, quando assumptus est ab oculis apostolorum, quia *nubes suscepit eum*, nunc autem dicitur venire in nubibus cum virtute multa et majestate, et tamen omnino sic veniet, quemadmodum ab angelis repromissum est. Quia in eodem schemate corporis et in ipsa carne vere venturus est, sed in nubibus cum multa virtute et multa gloria. Quapropter quia eum jam supra in magna gloria, et claritate transformatum legimus, quærendum utrumne in ipsa eademque claritate venturus sit, an cum potiori ? Nam tunc coram suis quos assumpsit, facies ejus sicut sol refulsit: *Et vestimenta facta sunt alba sicut nix*, et ut alii codices habent, *sicut lumen. Et ecce*, inquit, *nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube dicens, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5). Et ideo non abre quæritur (quia virtus et majestas magna futura prædicatur cum venerit), utrumne in illam speciem transformabitur gloriosam, sicut tunc tranformatus est coram illis tribus discipulis, an, quod magis sequens est, in majorem et manentem gloriam totus jam transformatus erit ultra quam fuit in **1006** monte. Manifestum namque est quod tunc coram tribus tantum transformatus est; in futuro vero et in consummatione totius mundi, apparebit procul dubio in multa gloria, ut videant eum omnes electi. Et fortassis ideo tunc, sicut et in ascensione sua nubes lucida obumbravit eos, in fine venturus ad judicium, multæ nubes portabunt Filium hominis, venientem cum tali tantoque apparatu, gloriæ suæ valde dignissimo. Non quia his egeat, et quia *Deus exaltavit illum, et donavit nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II, 9). Et non secundum divinitatem Verbi hoc accipere oportet eum, sed secundum quod *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), et *semetipsum exinanivit* (*Philip.* II, 7), ut per omnia quidquid est in Christo corpus et anima, totum sit Deus, totumque exaltatum. Decebat enim corpus, quod suscepit ex Virgine, et virtute altissimi Dei, taliter a Patre honorari, ut super talibus nubibus veniret, non aeris obfuscatus, sed super rationalibus et angelicis, ne irrationabile videatur, vehiculum filii hominis glorificati, quod omnino credere non oportet ; quia non decet alias intelligere nubes, nisi de quibus dicitur : *Et veritas tua usque ad nubes* (*Psal.* XXXV, 6). Nam et in illa trans-

Introdusă în format electronic de Google

figuratione, non æstimo illam lucidam nubem aeream solummodo fuisse, maxime quia sequitur : *Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit* (*Matth.* XVII, 5). Non enim nubes illa erat dilecti Filii Pater, neque per irrationabilem creaturam sonuit Pater, sed si ita dicam, Verbum Dei factum est ad eam nubem, sicut factum est ad prophetas ; ut puta ad Isaiam, quando dicit : *Filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2). Non Isaiam in hac voce, sed Deum Patrem in Isaiam loquentem audimus. Sed et in hac nube cum dicit : *Hic est Filius meus*, officium intelligimus angelicum, et personam Patris in eo testificantem gloriæ Filii sui. Quod si ante passionis dispensationem talis fuit nubes proclamans et adumbrans, quid hoc loco de nubibus cœli debemus sentire, super quibus venientem filium hominis videbunt cum virtute multa, et majestate, ac gloria, quicunque visuri sunt eum tunc non absque nimia claritate. Et ideo, licet jungatur sententia, plangentibus tribus terræ, non æstimo quod ipsi visuri sint eum intus in sua gloria, sed sic obtectum nubibus, ut satis appareat unde confundantur et doleant, quod talem tantumque non audierint Dominum. Quod si **1007** apostoli, quando Hierosolymam venit Dominus, diligentes eum, *straverunt vestimenta sua in via*, ne asellus in quo sedebat terram calcaret nudam, quid mirum si Pater et Deus omnium nubes substernat cœlestes corpori Filii sui descendentis ad opus consummationis? Nam et primum quando venit Jesus, plenus omni virtute venit, et ideo virtutes exibant de illo. Sed in comparationem virtutis illius qua venturus est rursus glorificatus in fine, modicæ videntur quæ factæ sunt, istæ virtutes. Quoniam restitutionis est gloria, cum qua veniet, in qua erat prius antequam mundus fieret, de qua nunquam recessit, etiam cum in cruce penderet. Sed et ab exordio prædicationis usque ad finem in nubibus quotidie venit, sicut jam supra dictum est, ut glorificetur et crescat Ecclesia, quæ est corpus Christi, quatenus et ipsa rursus glorificata per ipsum, ad eum ascendat. Unde sequitur :

Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos suos a quatuor ventis, a summis cœlorum, usque ad terminos eorum. Hæc quippe quidam, ut dixi, de Ecclesia, sicut et reliqua superius dicta, accipi debere sentiunt. Sed nos et ad futurum magis præsentem capitulum putamus sine præjudicio alterius, referendum. Quoniam pene in omnibus istis, quædam sic sonare videntur, ut ad præsentem Ecclesiam congruere possint; quædam vero sic superexcellant verbis et sensu, ut ad illum secundum Christi adventum in seipso pertinere jure dicantur. Et ideo forte sic ista concludit : *Quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant.* Quia sic dicta sunt, ut et facta monstrentur in Ecclesia, et quæ facta sunt in hac hora novissima, gloriosius exhibenda sunt. De quibus interrogaverunt apostoli in fine sæculi et in secundo suo adventu. Nam et de hoc loco consentit Apostolus, quod in voce archangeli, et in novissima tuba, mortui qui in Christo sunt resurgant primi. Similiter et in Apocalypsi Joannis, angeli se paraverunt ut tuba canerent. Necnon et Ezechieli dicitur : *Vaticinare, fili hominis, vaticinare et dices ad Spiritum : Hæc dicit Dominus Deus : A quatuor ventis cœli veni, Spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant* (*Ezec.* XXXVII, 9). Quæ licet propheta de Judæis juxta historiam dicat Spiritu prophetiali, ad illum tamen resurrectionis diem tendit oculum. Sicut et in hoc loco Evangelista, quamvis prædicatores sancti quotidie id adimplere in **1008** Ecclesia non cessent. Hinc quærendum, quos electos prænuntiet congregandos, utrumne illos tantum quos in carne dies illa invenerit, an eos qui ex adventu Christi erunt sancti, an forte omnes qui a constitutione mundi fuerunt, et sicut Abraham diem Domini viderunt, et crediderunt Christum in carne venturum. Unde, quia de ultima die agitur sermo, omnes Christi electos, præscitos et prædestinatos considerare est dignum. Sed quid interea ex hoc dicam, aut si in loco congregabuntur, licet jam supra de loco adventus ejus dixerim quid plurimi sentiant, ultra vires est exiguitatis meæ, aut superfluum quærere. Cum et congregare dici potest in unitatem prædestinationis colligere; eosque resuscitari in tuba Dei, et in voce archangeli ad vitam, ut omnes simul partem habeant in illa prima resurrectione. Quorum unitas et restitutio ad vitam, recte congregatio vocatur. Nec igitur impii et peccatores non resurgent, sed quia indigni erunt horum consortio, ideo non nominatur. Ipsi tamen non nisi, ubi vel ubi, in conspectu Dei erunt, et a sinistris quia reprobi erunt. Quid igitur mirum si omnes electi aut reprobi, quamvis differenter dicantur astare, cum et in Job legatur quod *quadam die, cum venissent filii Dei coram Domino, astitit inter eos et Satan* (*Job* I, 6); sic quippe et isti omnes venturi sunt ante Dominum, quamvis incomprehensibilis videatur multitudo. Sed illi qui congregandi dicuntur, sic tamen congregabuntur, repulsis paleis, non solum a quatuor ventis cœli, verum ut evangelista dicit : *A summis cœlorum et usque ad terminos eorum*, ut semper cum Domino sint, et ubi fuerit corpus Christi, ibi deinceps sint et aquilæ. Et notandum, ut dixi, quia in his dictis quædam sic excellunt, ut impræsentiarum fieri nequeant. Nemini autem super terram arbitror convenire quod ait : *Et congregabunt eos a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Nam a quatuor ventis cœli potest fieri, id est a quatuor plagis, ut sancti prædicatores Christi Ecclesiam congregent, sed nescio si a summis cœlorum queant, nisi forte tales inveniantur, inter homines interim, qui et apud angelos in cœlestibus commorentur. Quapropter quia non convenit ut auditores tales inveniantur, restat ut ex angelorum officiis jam per Christi gratiam, cœlestes facti, tales in resurrectione congregentur a summis cœli virtutibus usque ad terminos ejus, ne ullus **1009** extra terminos, cœlorum extorris invenia-

Introdusă în format electronic de Google

tur. Quoniam ipsi ut stellæ, imo ut sol, in illa perpetua æternitate lucebunt. Et ideo non immerito a summis cœlorum colliguntur, ut in firmamento cœli firmentur, et usque ad terminos eorum, ex his qui præsciti sunt et prædestinati, ne ullus alienus inveniatur. Legimus autem in Numerorum libro, quod duodecim tribus filiorum Israel cum exirent de terra Ægypti, circa sanctuarium Dei a quatuor plagis cœli castrametabantur. Et ideo nic quia illius figura adimpletur, non absque magno mysterio, a quatuor ventis cœli congregari dicuntur. Sicut et in Ezechiele a quatuor ventis Spiritus super interfectos morte insufflare jubetur. Et forte ideo sic jubetur, et sic facturi sunt angeli, ut sicut tunc a quatuor ventis castrametantes, in Judæam et in hæreditatem Domini per Jesum introducti sunt; sic et a quatuor ventis angeli congregabunt electos Dei. A ventis autem non terrenis, sed cœlestibus sancti Evangelii, id est a summis cœlorum usque ad terminos eorum; ut ab Jesu Christo Domino nostro congregati, percipiant divinam et veram hæreditatem in cœlis.

Ab arbore ficus discite parabolam; cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas: ita et vos cum videritis hæc omnia fieri, scitote quia prope est in januis. Ubi Lucas ait : *Videte ficulneam et omnes arbores : cum producunt ex se fructum , scitis quia prope est æstas* (*Luc.* XXI, 29). Quod utrumque dictum a Salvatore nemo ambigit. Et ideo quia futuri temporis parabola est, debemus investigare quid unus eorum per solam ficulneam velit ; quid alter per ficulneam et per omnes arbores. Nam ficus et omnes arbores, in tempore hiemis, ac si emortuæ videntur, quamvis vitalem virtutem habeant in se, sed valde absconditam. Postmodum vero, cum sol incaluerit et illustraverit illas suo aspectu, frigusque recesserit, mox vitalis virtus redit. Sicque calore solis, jam complutæ imbribus, intus parturire incipiunt et germinare, deinde in germen erumpere, ac turgescere in gemmam, jamque prætereunte verno, flante favonio, incipiunt in ramos gemmæ prodire, ex ipsa valetudine solis, et folia procreare, ita ut teneritudo ramorum extendatur, et fructus procreetur ; sicque fit paulatim ut ex ipso effectu arborum seu ficulnearum , proxima intelligatur æstas. Supra namque dixerat, prædicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo. **1010** Sed adhuc misera Synagoga Judæorum, quia hiems est, mortua jacet sine fructu, et sine ulla viriditate fidei. Sic et plurimæ gentes , quamvis Deo favente pluriores crediderint, frigore nimiæ infidelitatis hactenus premuntur; ad quas nimirum hæc parabola Salvatoris procul dubio respicit. Primum ut cum ipsa ficulnea Judæorum, calorem verbi Dei receperit, et sol justitiæ, Christus videlicet, eam illustraverit suo lumine, et cœlestibus irrigaverit aquis, ac si hieme transacta vitalem receperit Spiritum, jam tunc completo Evangelio in toto orbe, omnes arbores de se, id est omnes gentes, viriditate fidei recepta, parient justitiæ fructus. Verumtamen

A Matthæus, Hebræis qui crediderant hoc Evangelium scribens, ideo solam ficulneam, Synagogam scilicet, posuit proprietatis gratia, ne ipsam præteriret. Quia cum omnes arbores fructum protulerint, id est cum plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet. Antea vero quam hæc fiant, nemo hic, aut illic, dicat esse Christum, nemo nos perterreat quasi instet dies Domini. Quia nisi primum ista fiant, nequaquam veniet. Sed cum facta fuerint, *scitote*, inquit, *quia prope est regnum Dei.* Si quidem prope in hac ultima hora, sed nemo vere dicet quam prope; quia omnino non est alicujus *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* 1, 7). Sequitur :

B *Ita et vos cum videritis hæc omnia fieri, scitote quia prope est in januis.* Hoc est quod supra dicebam, ut intelligat prudens lector quæ omnia ; quia hæc omnia quæ prolata sunt a principio interrogationis, non ad apostolorum tempora pertinere probantur etiam nec ad nostra. Quia in hoc tempore, nulla alia sunt nisi seditiones et bella, clades et pestilentiæ utique, et inaudita. Quibus omnibus malis atrocius videtur hoc malum, quia refrigerata est charitas et abolita vera fides, ex quibus nascitur quotidie omnibus tribulatio, et omnis desolatio civium. Quapropter singula, ut sæpe dictum est, suis consideranda sunt temporibus, et distinguenda locis, ne forte omnia quæ per hæc unius ultimæ horæ spacia complenda sunt, ad unum aliquis velit redigere tempus.

C Quia quod ait : *Prope est in januis*, non simpliciter dictum est, sed argute nimis ut intelligas omnia hæc quæ fiunt ab initio prædicationis Jesu Christi in januis omnia esse, id est in introitu in quo intrat omnis Ecclesia eundo et portando semina sua; nunquam **1011** ire cessans, nunquam intrare. Et ideo hæc omnia quæ fiunt mala, præconia sunt et nuntii unius mali; quæ vero bona et Deo accepta, semina sunt et fructus unius boni. Tamen cum hæc fiunt, dies Domini prope est in januis, ne ullum recipias furem, et ne ullum rejiciat justum. Et ideo donec ista fiunt *prope in januis est*, ne ulli introitus vitæ longus videatur : *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Ecce quousque complenda sunt omnia quæ prædicta sunt. Hic, quæso, figat pius auditor mentem, et intelligat quia

D *non præteribit hæc generatio, donec omnia* hæc *fiant.* Videamus primum quæ sit generatio hæc; deinde quid sit, *non præteribit*, vel sicut alii codices habent, non transibit. Quia præterire vel transire, aut de loco ad locum est, aut de suo statu ad aliud transmutari. Quod si de generatione Judæorum dicitur, potest quilibet simplex æstimare præmissas dictorum sententias ad destructionem Hierosolymorum pertinere, et ad eos tantum Judæos, qui in tempore illo passionem Christi viderunt, quasi illa generatio non debuerit præterire, priusquam veniret destructio illius miseræ civitatis. Sed nescio si verbum ad verbum omnia hæc possint exponi de illa, ab eo scilicet loco, ubi ait, videtis hæc omnia, usque ad

Introdusă în format electronic de Google

illum, *prope est in janxis*. Forsitan ergo in quibusdam locis poterunt, in quibusdam omnino non poterunt. Quod si tentaverint, satis coangustati, nescio, si quod conveniat dicere, potuerint. Idcirco nos, aut unam generationem omnium hominum ab Adam usque ad illum ultimum hominem; aut ex duabus generationibus Judæorum scilicet et gentium, unam intelligimus Ecclesiam, de quibus Salomon ait: *Generatio vadit, et generatio venit* (*Eccle.* I, 4). Quia populus Judæorum qui fuit suo in tempore, jam abiit, et natio gentium, necnon et Judæorum plurima ex parte, ad fidem Christi venit, qui simul una voce dicunt: *Domine, refugium factus es nobis a generatione et generatione* (*Psal.* LXXXIX, 1). Quam simul unam generationem Deus unus est qui justificat; circumcisionem scilicet ex fide, et præputium per fidem Jesu Christi. Quæ generatio Novi Testamenti, quæ tunc erat in facie et in conspectu Salvatoris, non præteribit ad illas æternæ vitæ beatas promissiones, *donec* hæc *omnia fiant* quæ locutus est Dominus, id est antequam Christus veniat in nubibus; antequam signum ejus in cœlo appareat, antequam angeli mittantur cum tuba Dei, et mortui resurgant. Ne aut isti qui tunc in carne erunt, præveniant **1012** eos qui resurrecturi sunt, neque qui resurgent ad illam beatam vitam, prius præteribunt, *donec* hæc *omnia fiant*. Et ista est vera conclusio sententiarum Dei, ad quam universa concurrunt. Et hoc forte est in januis esse, cum hæc omnia facta fuerint; quia tunc, ac si in meditullio, id est, in januis positi, nec ad istam redire, nec ad illam pervenire, sine divino examine queunt. Quod si aliquis nos coarctare voluerit de solis Judæis hoc dictum, noverit quia et ipsa natio, ubi vel ubi, etsi dispersa, adhuc manebit. De qua quidam firmare conantur in prædicatione Eliæ et Enoch, quod centum quadraginta quatuor millia ex omnibus tribubus, signati signo crucis, et ex omnibus gentibus aggregati in Judæa, credere debeant. Sicque nec ipsa, nec successores eorum, nec qui in carne inventi fuerint, ad illum sæculum prius transibunt, quam hæc omnia fiant. Tunc si quidem, his ita explicitis, ut prædicta sunt, præteribunt singuli juxta meritorum suorum facta, ad sua olim sibi loca a Domino præparata. Unde sequitur:

Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transient. Consecrue satis dictum est, ut translatis habitatoribus, ad ultimum transferatur et ipsa domus. Sed prius forte judicium erit in quolibet spatio temporis vel momento; et tunc *cœlum et terra transibunt*, non ut non sint, sed ut sint in melius, cœlum novum, et terra nova, ut transferendi sint, qui immutati fuerint et incorrupti. Unde et Dominus in Apocalypsi Joannis: *Ecce facio*, inquit, *omnia nova* (*Apoc.* XXI, 5). Et ideo quam bene dicit, quia generatio hæc non pertransibit, priusquam hæc omnia fiant. Et cum expleta fuerint, tunc ipsi, ac si in januis positi pertransibunt ad alia. Et si ista omnia transibunt, quia mutabuntur, verba autem Domini non transient. Quia verba quæ Salvatoris sunt, non transibunt, quoniam ipsius propria sunt, quæ operantur nunc, et semper in ipso, in quo, ut ita loquar, ineffabilia et sempiterna sunt. Alias autem humana verba quousque imperfecta sunt, verba non sunt; cum vero perfecta fuerint, jam omnino sunt; verba autem Dei non possunt non esse. Nam humana ex conditione creationis suæ, quia de nihilo habent exordium in se, ideo redeunt in necessitudinis suæ appulsum, ut non sint. Christi autem verba, ex æternitate nata, id semper in se continent virtutis, ut maneant. Quam sententiam ad interrogationem discipulorum videtur inferre. Quia illi interrogaverunt de structura lapidum, **1013** proponit eis quod durabilius firmatum est cœlum transire, et ideo monet ne mira videatur eis templi destructio, cum et majora elementa transibunt, verba autem ejus, in quibus promiserat eis quæ futura sunt, firmat quod nunquam, ne fiant, transibunt. Sed divina in Christo semper idem sunt, neque evenire non possunt, quæ in ipso dicta et finita sunt. Ideo qui vult venire ad ea quæ manent, transeat ista quæ labuntur, et prætereat; quia nullus ad ea transire potest, donec illi hæc omnia fiant. *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi Pater solus.* Ubi multi codices habent quod neque Filius, et in Marco ita habetur. Nec tamen additum est in ullo, neque filius hominis, quod Feliciana hæresis in suo dogmate ideo addidit, hominis, ut doceret, secundum quod homo erat, non nosse diem illum et horam. Volens introducere fraude sua, quia non nosset quæ Deus Pater novit, ideo adoptivum seu nuncupativum potius Filium Dei, quam proprium. Ac per hoc cæcus, dum non videt quid dicat, duos vult in uno eodemque Christo ostendere filios. Quod nusquam in omni serie Scripturarum invenies, ut possis fingere aliquando verum Deum, aliquando non verum: et aliquando verum et proprium Filium Dei, et aliquando non verum, vel non proprium, sed semper verum Deum, et proprium Filium Dei, ante partum et post partum Virginis. Unde et Virgo Maria non duos, sed unum Dei Filium de se genuit incarnatum, licet et in hoc verbo insurgat Arius, gaudeat Eunomius, quasi, quia ignorat quæ Pater novit, non possit ei esse æqualis. Contra quos breviter respondendum, quia omnia quæ facta sunt per ipsum, vere (teste Evangelio) facta sunt; et in ipso vita erant antequam fierent. Idcirco per ipsum et tempora facta sunt, quia sempiterna non sunt; et si facta sunt per ipsum, et quod in ipso vita erat antequam fierent, non potest ignorare quod ipse fecit, et quod in ipso semper erat antequam fieret. Nam et inter omnia tempora quæ facta sunt, dies judicii est; quem diem procul dubio ipse constituit et fecit. Nec potest ignorare quæ novit Pater qui totus in Patre est, et Pater in eo; neque scire quæ habet Pater et sua sunt, quoniam omnia quæ Pater habet, habet et Filius, quia omnia ei à Patre tradita sunt. Quod si ultimum diem ignorasset Filius utique ignorasset et penul-

Introdusă în format electronic de Google

timum, seu reliquos omnes retrosum; sicut non potest fieri qui primum ignorat, ut secundum sciat. Verumtamen **1014** causa quærenda est cur ignorare dicatur etiam filius hominis, cum non alius sit Deus et homo quam unus Christus, quia ejus ignoratio ex causa est, præsertim quia clamat Apostolus, quod in Christo: *Omnes thesauri sint sapientiæ et scientiæ Dei* (*Coloss.* II, 2), absconditi et occulti. Ergo in quo omnes sunt thesauri sapientiæ, nulla est ignoratio. Sed quare absconditi? Ipse de hac die apostolis quærentibus apertissime respondit, quia *non est vestrum*, inquit, *nosse tempora et momenta quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7). Ac propterea quando dicit, *non est vestrum* scire, ostendit quod ipse sciat, sed non expedit nosse apostolis neque prædicari eum diem mortalibus ut semper incerti, singuli sic vivant quasi die crastina morituri et in judicium sint venturi. Quidquid enim est quod in Patre est, totum comprehendit sermo divinus, nosse Filium, cum ait, quia solus Pater novit; quia sicut nomen Filii Pater, ita et nomen Patris Filius est. Et ideo quidquid in uno eorum est, totum et in altero est. Et ideo non sunt audiendi qui dicunt, quod priusquam propriam dispensationem passionis et resurrectionis impleret Christus, ignorabat quod postea didicit; et ideo dicat Lucas, quia *puer Jesus proficiebat ætate, sapientia, et gratia coram Deo et hominibus* (*Luc* II, 52). Quia ab initio incarnationis, totus in eo Deus et homo, tota gratia, totaque sapientia et scientia Dei. Et ideo nihil in eo advenit quod jam erat in eo; quia integer Deus, et integer homo erat. Sed ad quod proficeret, ipse Lucas fideliter enarrat, *coram Deo et hominibus*, ut homini tribueret dispensative satis et ætati. Ipse namque modus locutionis, quare se nescire diem et horam illam dicat, considerandus est. Quia quam sæpe Scriptura divina ita loquitur, ut nescire se dicat eo quod ipsos apostolos nescientes reliquit. Et ad Abraham ita loquitur: *Num cognovi quod timeas Deum* (*Gen.* XXII, 12). Ac si dicat, quia cognoscere te feci. Nam et sæculares litteræ, triste lupinum dicunt, eo quod tristes faciant qui comederint eos. Qui modus loquendi ab omnibus usitatissimus est. Dicitur autem et aliter bene nescisse Jesum diem et horam illam qui occurrit ad finem, neque abbreviationem diei illius et horæ. Sicut dicimus medicum nescire morbum regium, etiam cum videat et intelligat eum in alio, quamvis eum in se nunquam sit expertus. Sic et de ipso dicitur, quod qui non cognovit peccatum, pro nobis peccatum factus est ipse. Et sicut experiendo peccatum nunquam cognovit, ita nec illius diei finem et horæ. **1015** Hæc ideirco dixerim, quia multi in hoc errant capitulo, ut pateat quam multos habeat exitus. Quia etsi aliud non occurreret quare se ignorasse dixisset, potuissemus dicere, quia Christus et Ecclesia unum corpus est, et donec ipsa (quia sic expedit) ignorat diem illum et horam, quæ est corpus ipsius, congrue satis quandiu ipsa nescierit eum diem et horam, ut ipse qui caput est ipsius, se ignorare fateatur in suis membris; ut tunc plene intelligatur illum diem scire, quando et ejus omnia membra scierint. Fuerunt autem et de hoc loco qui dicerent, quod ideo diem et horam dixerit, nec angelos, nec ullos mortalium scire, quia nemo potest mensuras temporum colligere et horarum spatia. Et possit forte scire post quot menses vel post quot annos, utrumne post mille annos, vel post centum, seu amplius minusve. Et ideo dixisse diem neque horam, quia in tot sæcula tanta exiguitas non valeat comprehendi. Unde fateor in hac hora novissima, in qua sumus, et in qua Christus venit, sicut Joannes ait: *Filioli mei, scitote quia novissima hora est* (*I Joan.* II, 18), sicut non potest deprehendi quam diu tendatur, ita nec per quot annos. Et propterea, non ideo dixit diem vel horam nescire, quia minutias horarum, cum sit una tam longa hora, colligere non posset, sed quia sic incertum voluit esse diem, tempus et horam novissmam, ut nemo hominum quando venturus sit scire queat. Et notandum quod ait, quia nec angeli cœlorum. Ex quo patet, quod angeli totum Deum non capiant (licet excellentem habeant naturam neque omnia quæ in Deo sunt intelligant quoniam et ipsi creatura sunt Dei. Cœlorum autem ideo addidit, ad distinctionem eorum angelorum, qui in hac Ecclesia Christi divina nuntiare quotidie satagunt; nam angelus officii nomen est, non naturæ. Ac per hoc, quando ipsi nesciunt, qui excellentiores sunt in natura, et proximiores Deo contenta esse debet humana fragilitas, ne id appetat curiosius scire quod plurimum prodesse potest sine dubio etiam nescire. Interim tamen Deo de nobis aliquid melius providente, nec ipsi angeli cœlorum sciunt diem et horam illam, ut omnia in nobis consummarentur. Præparat enim Filius Dei scientiam diei illius et horæ cohæredibus æternæ vitæ, ut simul omnes sciant, et instaurentur omna in Christo, quæ in cœlis sunt et quæ in terra.

Sicut autem in diebus Noe, sic erit adventus **1016** *filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes*, etc., *ita erit et adventus filii hominis*. Quærendum igitur quomodo supra dictum sit: *Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum*. Pestilentiæ et fames prænuntientur in adventu Christi, et terræmotus; quid est quod nunc ea commemorat magis quæ pacis sunt indicia? Unde existimandum juxta apostolum, quod post pugnas et dissensiones insidiantium, et cætera quibus semper genus vastatur humanum, brevis ad modicum subsequenda sit pax, quæ quietare permittit omnia ut fides credentium comprobetur, utrumne transactis malis, sperent judicem Deum esse venturum. Et hoc est quod in Paulo legimus: *Cum dixerint pax et securitas, tunc eis repentinus superveniet interitus* (*I Thess.* V, 3). Utrumne in subito sit futurus ipse repentinus interitus, an paulatim sicut et diluvium crevisse legimus per aliquot dies, jure quæritur. Quoniam omnia futurorum signa de quibus hactenus locuti sumus, quasi quædam ægrotationes mundi fuere ut manifestarent sæculi corruptionem futuram. Hoc enim ex eo præcipue demonstratur, quod ait similis erit adven-

Introdusă în format electronic de Google

tus filii hominis diebus Noe, quia tunc subito perierunt omnia, etsi quidam velint dicere, quod paulatim, eo quod consequens est, in his diebus primum perisse eos qui erant in depressioribus locis, deinde qui paulo in altioribus, et sic novissimos qui in altissimis morabantur montibus : sic quidam dicunt in consummatione sæculi cum descenderit ignis, incipiet quidem de sublimioribus locis, ut paulatim ad inferiora descendat. Hinc Lucas de igne Sodomorum dat nobis occasionem intelligendi, quod per ignem cremandus sit iste mundus, sed in subito. Similiter, inquit, factum est in diebus Lot, *edebant et bibebant*. Et post pauca : *Qua die autem exiit Lot a Sodomis pluit ignem et sulphur de cælo, et omnes perdidit. Secundum hæc erit qua die filius hominis revelabitur* (*Luc.* XVII, 29, 30). Quod beatus Petrus firmat in sua Epistola : *Cæli*, inquit, *magno impetu transient, elementa vero a calore solventur* (*II Petr.* III 10). Qui autem sint cœli qui transient, paulo superius idem Apostolus docet, dicens, cœli qui erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens verbo Dei. Per quæ ille tunc mundus periit. Cœli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati, in die judicii. Ubi non eos intelligere debemus cœlos, in quibus sidera sunt posita, et firmamentum vocatur; neque cœlum æthereum, **1017** sed cœlum hoc aerium terræ proximum, a quo aves cœli dicuntur, quod et aqua diluvii olim perdidit et superfudit, ipsumque ignis extremi judicii, ejusdem mensuræ spatio procrescens, occupando disperdet. Quæ omnia manifestissime docent in subito venire mundi corruptionem. Necnon et ex hoc, quod angelus dicit ad Lot : *Festina*, ergo, *et salvare illic, non enim potero facere quidquam, donec tu ingrediaris* Segor (*Gen.* XIX, 22). Unde et quidam suspicantur, secundum quod salvatus est Lot : ita tunc et ignis ille non prius obtineat mundum, quam salvati justi refulgeant sicut sol, in regno Patris sui, quando colligent angeli de regno Christi omnia zizaniorum scandala, *et mittent eos in caminum ignis* (*Matth.* XIII, 42). Quapropter licet supra dixerim de descensu Christi ad terras, secundum quod ascendit et unde ascendit, quod ibi sic debeat redire, ut judicet mundum, nimia obscuritas est, ibi an alibi, vel ubi, illud extremi et universalis judicii discrimen sit habendum, vel quomodo, vel quandiu, ubi nulla monstratur mora, ut ait Apostolus, quod *in ictu oculi, et in novissima tuba* mortui resurgent (*I Cor.* XV, 52). Et cum fuerit ipsa resurrectio celebrata sanctorum, sancti confestim rapientur, teste Apostolo, *obviam Christo in aera*. Utrum autem et tunc reprobi sublimius a terra elevandi sunt obviam judici venturo? An jam judicio peracto, eo modo quo supra dixeram, ignis præcedet. An etiam ipsi reprobi ascendentibus sanctis obviam ad sublimia, ita prægravati erunt oneribus peccatorum (quamvis immortalia corpora habeant) ut ad altiora nequeant elevari; unde præsidente Domino ad judicium, sancti a dextris ejus in sublimia elevati, gloriosius gaudebunt; impii autem et peccatores in inferioribus astantes, deorsum depressi, a sinistris erunt. Quid horum verius sit æstimandum, differre oportet, ne temere definiatur quod tunc manifestius apparebit. Quod si ignis ille universa in superficie terræ, etiam altissima concremabit et injusti nequaquam ad sublimia fuerint elevati, constat eos ut pote in terra positos. Judicis exspectare sententiam, aut etiam excepisse. Sed utrum illo urantur igne, qui æterno potius sunt igne damnandi, puto ne possit fieri, quod nemo præjudicare audeat, nisi qui dicunt, nullas pœnas esse futuras reproborum, alias quam singulorum proprias conscientias. Augustinus tamen in libro de Civitate Dei dicit, eo igne, quorumdam electorum Dei **1018** leviora peccata purgari, sicut et Gregorius papa in homeliis suis, ex eo quod dicitur : *Ignis ante ipsum* ardebit, *et inflammabit inimicos ejus* (*Psal.* XCVI, 3), *et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 3). Districtionem, inquit, tantæ justitiæ tempestas ignisque comitantur, quia tempestas examinat quod ignis exurat. Et si ignis iste aliquid poterit tunc in illis qui in eo tunc erunt igne, cogitet quisque quid ille æternus faciet, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Porro manducantes et bibentes eos dicit, qui in tribulatione dierum illorum in suis permanebunt concupiscentiis, nihil aliud quam de præsenti vita cogitantes, fornicantes, ac luxuriis servientes. Qui *cum dixerint pax et securitas, tunc eis repentinus superveniet interitus* (*I Thess.* V, 3), sanctis autem et justis beatitudo æterna erit, quoniam beati qui parati sunt occurrere illi.

Tunc duo erunt in agro, unus assumetur et unus relinquetur. Duæ molentes in mola, una assumetur et una relinquetur. Duo in lecto, unus assumetur et unus relinquetur. Similiter jam supra tria proposuerat. Qui in Judæa, et qui in tecto, et qui in agro. Quoniam ex his, ut quidam volunt, non amplius quam tres ordines erunt, conjugatorum in lecto, viduarum in molendino tribulationis et penuriarum, in agro virginitas tota florida, quæ candet ut lilium. Sed in assumendis et relinquendis alius ordo requirendus est, in quibus futurum discrimen ostenditur. Idcirco in agro, jure duo dicuntur, id est degentibus in hoc mundo, ordo fidelium et infidelium, qui in hoc sæculo, tanquam in opere hujus vitæ laborant; quos quando dies Domini sicut fur in nocte venerit, deprehendet illos bibentes et fornicantes; istos vero sic utentes quæ mundi sunt, et sic habentes ea, quasi non utentes, et non habentes; quorum alter assumetur, qui quærit ea quæ Dei sunt, et alter relinquetur in igne, qui quærit ea tantum quæ mundi sunt. De molentibus quoque par ratio est, ut per molam opus legis intelligatur, quæ est, ac si rota in rota, dum et ipsa lex volubiliter volvitur, et in ea rota Novi Testamenti formatur. Sed quia pars Judæorum per apostolos credidit, et adhuc per Eliam creditura est, et justificanda per fidem Jesu Christi, ideo una pars eorum salvata per eamdem fidem boni operis assumetur in gloriam, et ad corpus Ecclesiæ : altera vero

Introdusă în format electronic de Google

infructuosa legis opera sectando, relinquetur, molens et volvens incassum lapidea saxa. **1019** Et quia sine frumento quod Christus est, illam girando trahunt, nullam cœlestis cibi farinam faciunt. Porro duo in lecto, eamdem passionis Dominicæ requiem prædicant, circa quam fidem, una confessio est hæreticorum atque catholicorum; sed quia unitatem Patris et Filii, et communionem eorum Spiritum sanctum, hæretici unum Deum non credunt, idcirco, quia male credunt, et pejus vivunt; siquidem catholicus in fide et opere assumetur, et alter videlicet hæreticus, dum requiescere videtur in hac Christi requie, ac si in lecto, quia male vivit, ut dixi, et pejus docet, relinquetur in suis erroribus involutus. Probat igitur hoc de agricultura illud Geneseos, quando Cain et Noe introducuntur agricultores. Sed alter eorum, id est Noe operarius terræ, in agro hujus mundi constitutus, assumitur a Domino una cum suis cooperatoribus, qui ejus erunt similes; et relinquitur Cain operarius terræ, una cum suis sequacibus. Qui etsi male obtulit, pejus divisit; peccavit, nec quievit ut cessaret peccare. Sic et de animabus hominum intelligendum molentibus, qui gravi pondere premuntur, et in circuitu ambulant, corporis operibus obcæcatæ. Quarum una quæ bene verterit hanc molam ut panem comedat cœlestem, assumetur; altera vero quæ permanserit cæca ad molam relinquetur, girando in sua cæcitate. Alioquin ille Samson fortissimus nunquam ad hanc molam venisset, nisi prius gratiam Spiritus sancti, deinde oculos perdidisset. Ergo et duo in lecto dicuntur. In quo morbo infirmitatis omnes versamur. De quo sane lecto David gemens dicebat : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7). Et alibi cui voluerit : *Dominus* misereri, *opem ferat super lectum doloris ejus. Universum*, inquit, *stratum ejus versasti in infirmitate ejus* (*Psal.* XL, 41). De qua infirmitate, nisi per gratiam Christi nemo salvatur. In quo nimirum lecto, quia omne genus humanum jacet, unus assumetur, ut convalescat de infirmitate languoris, operante benignissimo Salvatore, et alter relinquetur justo Dei judicio, in mortis corruptione. Ac per hoc quidquid est in agro, excolat et elaboret agrum suum. Agrum, inquam, in quo non est thesaurus qui inventus emitur, quem benedixit Dominus; quem Isaac, ac si a longe ex odore sentiens aiebat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni* (*Gen.* XVII, 27); quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ, quem **1020** benedixit Dominus. Sed et agrum suum unusquisque exerceat, ne illi spinas vel tribulos ex ubertate carnis, luxurians, generet. Quia terra spinas vel tribulos generans, reproba est, et maledictio proxima. Porro anima, quæ ad molam posita est, debet sibi frumentum aggregare verbi, ut semper molat faciatque farinam, seu panem salutis, quo vivat et satietur quotidie interior homo. Mola autem ac si duobus saxis, timore scilicet vertatur et spe. Ita ut spes semper sursum agat, timor deorsum pressus omnia æquanimiter ferens, cuncta communiat; a timore concipiens anima ut spiritum salutis pariat. Quæ nimirum mola dum bene inferius superiusque firmatur, et recte vertitur, tantum ut Christum in se anima ruminet et terat, nunquam a fructu farinæ vacua manet, et ideo talis assumetur anima, non ubicunque, sed post labores ad requiem; altera vero quia in circuitu impii ambulant, licet videatur molere, dum sectatur quæ mundi sunt, sine fructu vacua relinquetur. Et ideo quia in lecto nimia infirmitate depressi omnes jacemus, dum vacat et tempus est, invocandus est medicus salutaris, ne diu mortui jaceamus. Invocandus, ut dicat nobis : *Surge et tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* (*Marc.* II, 9, 11). Quia impræsentiarum nemo sine infirmitate, nemo sine grabato vadit. Sed unus assumitur, cum miseretur medicus Jesus, et alter relinquitur Dei justo judicio; quia omnes in uno lecto et sub una infirmitate premimur.

Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est. Audiat Faustus Manichæus, quia calumniatur Moysen, quo aut ipse non sit locutus ea de se, quasi de alio, quæ loquitur; aut certe in persona Moysi alius nescio quis mendose ediderit, dixit Dominus ad Moysen, cum ipse profecto de se, quasi de alio loquatur. Et quia Evangelium recipit, audiat Dominum hoc loco de se loquentem ac si de alio. Nam, ut manifestum est, præsens erat coram discipulis cum loquebatur : *Quia nescitis quando Dominus vester venturus est.* Et non ait, quia nescitis quando ego venturus sim, cum de seipso loqueretur. Qui profecto modus loquendi in Scripturis sacris usitatissimus est. Quamvis aliquis altius hunc locum velis intelligere, quod ideo sic dixerit, quia adhuc absens erat prout erat Deus verbum a cordibus discipulorum. Idcirco significative dixerit futurum verbi adventum in intellectum **1021** discipulorum, quia nondum erat in sensu eorum, quemadmodum erat futurus. Quoniam sicut per hunc locum insinuat, quotidie in vigilantibus operatur diem adventus sui, dum in animabus eorum qui illuminantur a lumine veritatis, venit, et illuminat eas lumine claritatis suæ. Quidquid est, quod superius dixerat de adventu suo, quod docuerat; et cur celaverit diem et horam adventus sui, totum hic concludit, cum ait : *Vigilate, quia nescitis diem et horam.* Ac si dicat : Ideo volui vos nescire, ut semper vigiletis, et semper parati sitis, quando Dominus vester venturus est, ne tenebræ noctis vel torpor somni vos subrepat. Quod enim apostolis dicit, omnibus utique dicit; et nequaquam ait, quia nescimus ut se nescire confirmet (sicut hæretici occasione accepta garriunt), sed nescitis, ut se ab eis dissociet, et eum scire intelligant. Illud autem scitote, quia *si sciret paterfamilias, qua hora fur* veniret, *vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam.* Inducit igitur parabolam domus et furis, ut patremfamilias domus moneat vigilare et custodire sua quæ in domo sunt. Quæ profecto parabola omnes tangit qui fidei sacramenta percepe-

Introdusă în format electronic de Google

runt, maxime tamen præpositos et rectores Ecclesiarum, quibus non solum pro se, verum etiam et pro omnibus vigilare oportet et sollicitos esse. Quia ad ipsos respicit, quidquid justus judex in ovibus sibi creditis minus invenerit. Tamen quia omnibus dicit, oportet animo vigilare singulos, et sollicitius semper mente intendere, ne dum obtorpuerit fur veniat et subfodiat domum in caligine cæcitatis. Paterfamilias autem unusquisque est suæ domus. Domus vero nostra anima et corpus, in qua *portamus*, juxta Apostolum, *thesaurum* nostrum absconditum, *in vasis* istis *fictilibus*. Quam sane domum fur in nocte suffodit, cum aut corpus extrinsecus vitiis corrumpitur, aut animam interius, quæ vigilare debuit et custodire domum, semetipsa videlicet opprimit, diabolus exspoliat et perfodit. Quod si sciret quando fur veniret, ultima videlicet dies obitus sui, *vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam*. Quid ergo est : *Non sineret perfodi domum suam?* Nunquid aliquis diem mortis, quæ tanquam fur dicitur venire, poterit revocare ne veniat? Non utique. Sed aliud est pulsanti aperire ostium, aliud vero non per ostium bonæ vigilantiæ, sed per torporem et oppressionem delictorum, furem **1022** admittere. Hinc est, charissimi, quod aliquando, cum jam mors pulsat ad ostium ac si fur, quia prius adversarius bonis cœlestibus exspoliaverat nos, quod eam tam inviti suscipimus. At vero boni servi, Domini sui longe diu præstolantes adventum, læti cum pulsaverit ad ostium aperiunt, et suscipiunt eum. Suscipiunt autem quia parati erant. Unde aliud est, sic ultimum diem venientem excipere, eique, imo judici Christo ostium aperire, aliud velis nolisve, ac si hostem vel furem admittere. Nam Christus nisi per ostium etiam pulsans non venit ad animam; fur vero et latro diabolus, aliunde ascendens perfodit, et exspoliat eam. Sed et ipsa dies ultima languenti animæ fur est et latro, idcirco per ostium bonæ fidei, sed furtim malis obcæcatam effodit et evertit eam a corpore, et evellit. Nam et in alia parabola dicitur : *Qui non intrat per ostium*, quia *ille fur est et latro* (*Joan.* x, 1). Pastor est autem cui ostiarius aperit. Quia Dominus domus fiducialiter per januam intrat ipse sibi ostiarius et ostium, ut remuneret vigilantem, qui tam lætus ac pervigil suscipit venientem. Fur autem non per naturalem bonæ vitæ introitum, sed quasi qui jam effoderat eam primum, naturalia, seu fidei ædificii, destruens et subvertens fundamenta, ut per ipsas suffossionis aperturas, cum venerit ultima dies, ac si fur, ingrediatur. Quapropter quam longa vita hominis, tam longa esse debet et ista vigilia noctis. Sed quia rari sunt qui per totum tempus continuo vigilent, cavendum est tamen modis omnibus, ne ultimum tempus tanquam fur dormientes inveniat, quos prius forte quam sæpe tanquam tenebris obvolutos male deceperat. Ideoque, inquit, ***Estote parati, quia nescitis qua hora Dominus venturus est.*** Quia qui imparatus est non potest ut furem non patiatur diem adventus mortis suæ. Non enim

A apostolis ista sic dicit Dominus, quasi eos dies adventus ejus in carne sit inventurus, ut tunc parati inveniantur, sed quæ dicit omnibus dicit, et sic dicit, ut nemo securum se reddat. Quia sicut ignoratur ab omnibus quando venturus sit dies judicii : ita et singuli quando venturus sit adventus mortis suæ; et ideo ait : *Estote parati*. Hoc est dicere, vigilate adversus insidias diaboli per abstinentiam mali, et meditationem boni; ne forte fur tanquam in nocte vos comprehendat et subvertat. Imo vigilate solliciti, ut in quacunque hora venerit Dominus, et **1023** pulsaverit per quamcunque occasionem mortis, confestim singuli, sua in die et hora, gaudentes aperiant ei.

B *Quis putas est fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Supra videtur generaliter omnibus dixisse, nunc autem specialiter ad apostolos, seu ad rectores ecclesiarum, et ad apostolicos viros; quibus hæc parabola ideo specialius dirigitur, ut quanto plus cæteris se percepisse gaudent, tanto in reddenda ratione, pro se et aliis, sollicitiores semper existant. Quod Petrus sibi suisque cognoscens dixisse consortibus, apud Lucam ,,interrogat dicens : *Ad nos hanc parabolam dicis, an et ad alios?* (*Luc.* xii, 4.) Duo siquidem in dispensatore requirit, ut fidelis sit et prudens. Sed tamen licet parva videantur hæc duo temerariis, inter multos dispensatores difficile est invenire prudentem virum et fidelem. Et ideo, ac si dubitative, dixit : *Quis putas est fidelis servus et prudens?* Quia rarissime invenitur. Propter quod aiebat C Apostolus : *Ita nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (*I Cor.* iv, 1, 2). Multa sunt enim quæ in his duabus concurrunt virtutibus, quæ longum est enumerare. Idcirco eorum tanta raritas habetur, ut vix de multis unus inveniatur. Rari namque sunt qui magis velint servire conservis suis, quam dominari; magisque prodesse quam præesse. Qui nihil aliud quam lucra divina, commoda atque utilitates sibi commissi populi, ut nulli subtrahat cibum in tempore, qui omnium est. Quoniam quidquid habet episcopus non tam sibi habere debet, quam omnibus; quia omnium est ipse ut serviat universis. *Beatus ille servus quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem*, id est cibaria Domini sui conservis suis prudenter ac fideliter dispensantem. Et ne quasi libera utens potestate (Lucas addidit dicens : *Ut det illis tritici mensuram* [*Luc.* xii, 42]) ne aut illi det cui non oportet, et quantum non oportet, et ne illi subtrahat quod expedit, et quantum expedit, dare; sed omnibus (quod prudentis viri est) et singulis propriam distribuat mensuram, et universorum agnoscat qualitates morum, et capacitatem sensuum et meritorum. *Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum.* Audeant temerarii et superbissimi rectores; de quibus nuper dictum est quod unus eorum dixerit, etiam et in suis

Introdusă în format electronic de Google

libris scripta reliquerit, **1024** nihil prodesse ad beati Petri reliquias Deum orare, cæterorumque sanctorum, neque illuc deprecandi gratia, et devotionis obsequio, ire. Cum magis possit ille subvenire qui nunc Petri cæterorumque sanctorum utitur officio, vel sedet in sede, quam ille qui suo in tempore Christi dona dispensavit, quod iste qui nunc est, facere videtur. Temeraria quidem et cæca præsumptio. Nunquid non Petrus, non Paulus, non omnes reliqui sancti, nunc magis subvenire possunt, devictis hostibus, calcatis vitiis, quia cum Deo regnant, quam isti qui adhuc in agone desudant? Certe, aut male de se præsumentes, victi jacent. Dictum namque est: *Non æque glorietur accinctus, æque discinctus* (*III Reg.* xx, 11). Quia miles in acie adhuc positus vix sibi sufficit contra hostes; ille vero qui jam victor gloriatur, etiam discinctus, securus pausat. Nam et impræsentiarum quilibet sacerdos et doctor, quia prælatus est cæteris, et multa ei credita sunt ad usum conservorum, sed non omnia, neque super omnia constitutus est, ut possideat omnia bona Dei. Quapropter temerarium est valde asserere, quemlibet posse, pro suo officio, quod Petrus non possit merito suo. In cujus qui sedet sede, ejus auctoritate viget, potestate excellit, et fide firmatur ejus, quam ipse a Deo Patre didicit ac docuit, et quidquid est de Christo quod docuit, martyrio confirmavit. Idcirco pius Dominus fecit jam quod promisit, sicut et reliquos sanctos, quos constituit *super omnia bona sua*, id est in gloria collocavit Dei, qua nihil est ultra melius quod possideat.

Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, et cæperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis, veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora quam ignorat, etc. Ecce quare nemo episcoporum, nemo sacerdotum, nemo clericorum debet gloriari quod constitutus est in gradu, quia non solum fideles a Domino, et prudentes constituuntur super domum ejus, verum etiam et mali servi qui dicunt in cordibus suis: *Moram facit dominus meus venire*. Quorum unus servorum, quia fidelis fuit et sapiens, assumetur in gloriam; alter vero, quia infidelis et insipiens, relinquetur in contumeliam et confusionem ignominiæ suæ, ut percipiat opprobrium sempiternum. Attendant, quæso, rectores vel dispensatores ecclesiarum, gemmam sibi esse creditam. Et ideo secundum **1025** utramque dispensationem oportet eos esse fideles et prudentes valde, quod rarissimum invenies. Ut autem in tempore det cibum pecuniarium, et pabulum verbi divini, necessariam habet quis multam prudentiam, ut non adimat, nec fraudet, nec subtrahat cibos in tempore, verbi videlicet, atque panes indigentibus. Opus ergo est multa fide. Quoniam omnes redditus ecclesiarum in dispensatione sunt crediti pauperum, ut in nullis aliis defraudentur usibus quam ecclesiasticis. Similiter necessaria est valde prudentia, ut unicuique secundum uniuscujusque qualitatem et meritum ministremus. Nihil effusius, nihil restrictius quam oportet; nulli minus, et nulli amplius quam expediat. Neque illi detur cui non debet, neque aliter quam decet ac congruat. Cujus, quia multa diligentia est, multa et repromittitur gloria: *Amen dico vobis*, inquit, quia *super omnia bona sua constituet eum*. Da mihi aliquem regem, omne sublime regnum sub se habentem, cui sunt gentes multæ, et civitates multæ, atque regna seu loca diversa. Fac igitur ut dividat militibus suis seu principibus, qui aliquid clarissime gesserunt, regni sui amplitudinem, ita ut omnes constituat super omne regnum suum et provincias et civitates. Non singulos super omnia, sed unumquemque eorum super aliquam partem regni sui. Ut puta hunc super decem civitates, alium super decem civitas, alium super quinque, ut alius demonstrat Evangelista. Et sic omnes erunt *super omnia bona sua*, maxime in eo regno, ubi nullus habet, unde alter non gaudeat. Ipse vero Rex et Deus super omnes solus omnia tenet, et solus omnia regit. Hæc idcirco dixerim, ut nemo loquendi genus ignoret, quod dum nescierit, miremur quomodo dicatur de unoquoque quod constituet eum *super omnia bona sua*. Malum autem servum *dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic* enim *erit fletus et stridor dentium*. Et quare dividet eum? Quia infidelis fuit et imprudens, nescivit providere in posterum; præsertim voluptatem præponens bonis futuris. Et ideo ac si securus dicebat in corde suo, contemnens magis quam diligens Dominum suum, *Moram facit Dominus meus venire*. Hoc quippe magis ex voto suo dicit malus servus, volens hoc ita esse ut non cito veniat, vel nunquam veniat, quam ex ulla præscientia fidei. Ad hoc itaque longas protendit moras, volens **1026** semper manducare et bibere cum ebriosis, et ideo quasi somnians dicit, quia post multum temporis venturus est Dominus meus, fitque illud poeticum: *Qui amant ipsi sibi somnia fingunt*, itaque talis, moras faciente Domino, percutit conservos suos, manducat et bibit luxuriose, occasione accepta, ecclesiastici obsequii. Non ut egenos pauperesque et peregrinos introducat in domum suam, et pascat esurientes, sed epulatur quotidie splendide cum ebriosis et ambronibus. Quorum licet unus dicatur talis, multiplex est numerus, quos utinam non nossemus, quibus ecclesiastica cura commissa est. Quibus veniet Dominus eorum in die qua nesciunt, et hora qua non putant, et dividet eos ab electis suis, quos constituet super omnia bona sua. Procul dubio, qui a oderunt adventum Domini sui. Quibus remotis, constituamus ante oculos semper bonos et circumspectos servos, familiam ejus diligenter sobrieque tractantes. Quorum unus, præ desiderio et amore charitatis, tardius gemit et suspirat eum venire, alius vero præ multo ardore dilectionis, citius putat eum, et optat esse venturum. Porro tertius de hac re sollicitus, suam quotidie lacrymis et suspiriis ignorantiam refovet,

Introdusă în format electronic de Google

et confitetur, gemens quod nesciat quando sit venturus. Qui omnes diligunt manifestationem Domini sui desideranter, et vigilanter exspectant. Unde quidquid singuli dicant, ille optime dicit et gemit, qui dicit suis : Vigilemus et oremus, quia brevis et incerta est ista vita, et nescimus diem mortis, neque quando venturus est Dominus. Quod quia prævidere noluit malus servus, pars ejus cum hypocritis terminatur. Divisionem autem hujus Origenes aliter interpretatur, quasi dividat Dominus spiritum ejus ab eo, et revertatur ad Deum qui dedit eum, anima vero cum corpore suo eat in gehennam. Quam sane intelligentiam prudens lector caveat. Quia spiritus, anima, et caro, non nisi unus est homo, ut spiritus et anima, una sit substantia; anima pars qua vivificatur, spiritus seu mens pars quæ præeminet in homine, ex qua totus regitur homo. Quapropter iste malus servus, quia carnem dominari permisit, totus dividitur a bonis et locatur cum hypocritis, quia locum reginiinis simulate tenuit; quia adventum judicis desperavit; quia mandatis non obtemperavit; quia præsentibus magis studuit quam futuris; quia vita infidelium vixit; quia **1027** commissam sibi familiam fame, siti, cædeque vexavit, ita ut nec in divinis nec in humanis fidelis fuisse probetur. Et ideo jure cum hypocritis sociatur. *Illic erit fletus et stridor dentium*. Illic, in loco ubi pars ejus erit cum hypocritis; quia et ipsi in loco erunt, non passim et indifferenter, ut quidam temerarii disputatores male sentiunt, sed in eo igne qui paratus est diabolo et angelis ejus. Ex quo, licet qualiscunque sit ille ignis, etiam et corpora, quæ non nisi in loco erunt, torquebuntur, ita ut strideant dentibus, quæ de edacitate male gaudebant, et defleant oculi, qui hic semper concupiscibilibus pascebantur rebus insatiabiliter, et quæ præsentis vitæ sunt, visu rapiebant.

(Cap. XXV.) *Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ*. Hæc est igitur illa famosa similitudo parabolarum, de qua multi disputantes, pauci sunt qui eam suis partibus integram reddidissent, ut congruerent singuli sensus hujus parabolæ unitati. Et ideo nihil de hac temere censeo judicandum, ne forte cum efficacior sensu accesserit, gratia locupletior suis nos constringat sententiis, et concludat eloquiis. Verumtamen quid ex his interdum mihi videatur, quantum potero breviter ac diligenter exponam. Nam dixerat : *Vigilate, quia nescitis diem neque horam*. Cui loco post alia, ut confirmet ea quæ dixerat et ornet, subjungit hanc parabolam, quæ nihil aliud significare videtur quam quæ dicta sunt, de duobus in agro, et de duabus ad molam, et de duobus in lecto, necnon et quæ proposuit, de servo bono et malo. Quoniam ex his omnibus, unus intromittitur ad regnum, et unus repellitur. Sicut et in hac parabola quamvis latius et facundius, quia splendide satis ac decenter componitur, ut mentes instruat, animos suos relevet, disciplinam cœlestem locupletius exornet, tamen idipsum significare probatur, quod boni eligendi sint, et mali rejiciendi. Cur autem, *tunc*, proposuerit in principio, videamus. *Tunc*, inquit, *simile erit*. Ostendit quia de futuro suo adventu per se dicit, et non sicut quidam voluerunt, de isto quando quotidie venit in Ecclesia sua, et ipsa intrat per fidem ad eum ornata bonis operibus. Ubi si quædam sunt, quæ habeant hunc sensum, non tamen omnia, quia sensus parabolæ et intentio de fine concluditur. Regnum cœlorum, sancta Dei Ecclesia cur dicatur jam satis expositum **1028** est. Sed quare *decem virginibus* comparetur, omnino censeo requirendum. Quia sicut illa superius duos populos significant, forte Christianorum et Judæorum, sive electorum et reproborum, qui in hac Ecclesia Dei constituti videntur quidem et ipsi agriculturam Christi exercere, arare et molere. Sed cuncta in hypocrisin faciunt : sic et nunc decem virgines omnes homines infra Ecclesiam complectuntur; qui videntur Deo credere, et applaudunt sibi in Scripturis divinis, tam ecclesiastici, quam et Judæi atque hæretici. Qui omnes merito virgines appellantur, quia in unius Dei notitia sponsatos se gloriantur, sicut et ipse Dominus ait per prophetam : *Sponsabo te mihi in fide et misericordia* (*Ose.* II, 20). Quæ quia sponsæ sunt per fidem, jure virgines vocantur. Nec tamen incaute ut quidam fecerunt, omnes homines ex Adam virgines dicimus, sed solos eos qui fidem Dei percepisse videntur, et per eamdem fidem quolibet pacto, exierunt obviam sponso Christo Deo, vel sponsæ. Quia quibus nulla est fides exire obviam, nec norunt, nec incipiunt, sed constuprati idolis vel dæmonibus corrupti jacent. Quarum quia quinque sunt prudentes et quinque fatuæ, ideo decem virgines parabolitice connumerantur. Quinque autem prudentes, et quinque fatuæ, propter quinque sensus corporum introducuntur. Quia sunt quinque sensus in corpore exterius, ex quibus constat et vivit exterior homo : ita sunt quinque interius, quibus anima intus vivit, renovatur, et fruitur Deo. Quorum alii terrena concupiscentes, fomenta non habent veri luminis, quibus sua corda illuminent; alii cœlestia et superna semper intus desiderant, et quæ divina sunt requirunt. De quibus profecto sensibus, dicebat evangelista et apostolus, quod vidimus, quod audivimus, et manus nostræ palpaverunt de verbo vitæ. Porro de gustu David ait : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). De odore vero in Canticis sponsa dicit : *In odore unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I, 4); et Apostolus : *Christi bonus odor sumus Deo* (*I Cor.* II, 15). Quæ profecto virgines, quia per hos quinque sensus intus Christum senserunt, recte quinque et prudentes vocantur. Prudentes, quia de carne ad spiritalia transierunt, et de temporalibus ad æterna. Quinque autem, quia isto quinario numero sunt Deo conjunctæ, et in unitate corporis Christi consecratæ.

Introdusă în format electronic de Google

Nam et reliquas quinque irrationabiliter licet fatuas **1029** virgines dicimus, quia per hos quinque sensus, qualitercunque didicerunt divina, et utcunque receperunt verbum Dei sive occasione, sive veritate. Quia, ut ita dicam, virginificatæ sunt per verbum Dei, cui forte crediderunt, licet sine operibus, vel credere se dixerunt. Tale est enim verbum Dei, tantumque, ut ex sua munditia et virtute, accommodet omnibus, qui eum receperint, et recesserint ab idolorum cultura, vel elementorum, et accesserunt ac si per fidem, ad Deum vivum, quamvis non fuerint opera subsecuta pietatis, ut virgines dicantur ob unius Dei notitiam, vel fidem professionis Dei; quorum sensus non ad idola coinquinantur, neque ad culturam constuprantur falsorum Deorum, quamvis defraudati a verbo sapientiæ, intus infatuentur. Et notandum quod qui unum de quinque sensibus constupratum habuerit ab idolis, ne virgo dicatur, necesse est ut et in aliis sensibus, ne virgo sit, coinquinetur. Similiter et qui unum horum prudentem habuerit, ut operetur diligenter quæ prudentiæ sunt, omnes reliqui sensus prudentes erunt. Quia sicut irrecessibilis est Christus a seipso : sic et sensus omnes secundum interiorem hominem, imo in alterutrum se subsequuntur. Ideo si unum de sensibus introrsus habueris prudentem, ut virgo a Deo constituatur, necesse est et in aliis sensibus sapientiam Christus effundat. Propterea non est videre de quinque sensibus in aliquo, quemdam fatuum, quemdam autem prudentem; sed omnes quinque aut prudentes erunt virgines, aut vere fatuæ. Quia non in uno homine isti affectus sensuum ab invicem separantur. Et ideo bene, quæcunque ad unius Dei notitiam pervenerint, seu fidem relictis idolis, perceperunt, virgines appellantur; quia non fornicantur cum diis, neque polluuntur cum idolis. Sed quia (ut dixi) in homine gemini sunt isti sensus, jure, fide recepta, decem esse dicuntur virgines.

Quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. In hac parabola non solum semel, sed et secundo exire obviam sponso dicuntur. Et ideo intelligere debemus, quod aliud sit primum exire per fidem obviam Christo et Ecclesiæ, et aliud resurgere in consummationem sæculi, et properare obviam æterno judici, ut recipiat unusquisque prout gessit. Nam primum exire obviam ei, est in hac hora novissima, per omne tempus ab initio **1030** incarnationis Christi, quando sponsus et sponsa duo sunt in carne una; quando Dominus noster in corpore, Deus factus est homo. Ac per hoc ut spiritus carni sponsus, ita spiritui caro sponsa est. Cui obviam veniunt accipientes organa sua naturalia, decem virgines, id est omnes animæ cum primum receperunt tubam salutarem insonantem verbi Dei præconium, per fidem. Egrediuntur quidem de mundo et de erroribus deorum multorum, sicque veniunt sponso obviam et sponsæ, per gratiam novæ regenerationis, ut omnis ingrediantur ad spem primum beatæ immortalitatis. Quoniam ut primum occurrerit ei anima quælibet per fidem, paratus est sponsus venire obviam ad virginem, eamque suscipere in corpore suo (quæ est Ecclesia) dulcibus amplexibus. (Unde omnis hæc parabola de his melius accipitur virginibus, quæ obviam Christo veniunt, ut suscipiantur infra Ecclesiam. Quoniam nemo digne sponso sine sponsa occurrit, neque ad sponsam (beatam scilicet Ecclesiam) sine Christo ingreditur. Et ideo bene dictum est, quia *exierunt obviam sponso et sponsæ acceptis lampadibus suis* (*Matth.* XXV). Hæc namque egressio celebratur in hac hora novissima, donec occurrent omnes *in unitatem fidei.* Et dum hæc mora tenditur, post perceptam fidem, luceat necesse est lumen fidelium coram hominibus, ut videntes bona opera eorum, glorificent Patrem Deum, qui est in cœlis. Hoc quippe est oleum accipere in vasis suis, ad nutrimentum æterni luminis, ut semper anima et corpus, dum hic vivitur, infundatur bonis actibus, ut habeat jugiter secum oleum lætitiæ, et gaudium sancti Spiritus. Quod oleum post perceptam gratiam, reliquæ virgines, secum sumere et enutrire quia noluerunt, fatuæ dicuntur. Unde dicitur quia ex his quinque erant fatuæ, et quinque prudentes, omnes tamen virgines, propter perceptam fidei gratiam; ex qua uno nomine omnis Ecclesia virgo est appellata; de qua Apostolus ait : Desponsavi vos *uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2). Adjunxit etiam et ait : *Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestri sensus corrumpantur* (*Ibid.*, 3) a castitate quæ est in Christo. Et ideo non de solis virginibus, quas sanctimoniales vocamus, hac parabola figuratur, sed de omni Ecclesia; nam in corpore virginitatem pauci habent, in corde autem omnes habere debent. Et ideo per omnes quinque sensus **1031** corporis abstinentia bona est, ut ab omnibus se illicitis abstineat mens humana. Unde virginitas nomen accepit, et per hanc incorruptionem omnis Ecclesia Christi virgo dicitur et sponsa. Et non qualiscunque virgo, sed prudens; ita tamen si ejus abstinentia a vitiis in laudem Dei reniteat. Alioquin si propter aliud, quæcunque videtur bona agere, inter fatuas deputabitur, eo quod salem sapientiæ non habeat. Ob quam causam fatua invenitur, quia plures videntur habere fidem sine operibus; nonnullæ vero etiam abstinentiam ab illicitis et ipsa opera bona, sed non propter Deum sinceriter, quamvis laudabilia censeantur. Unde et quinque admittuntur, quia prudentes fuerant, et quinque repelluntur, quia fatuæ. *Fatuæ autem*, quia *acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis cum lampadibus.* Oleum namque fructus est spiritus. Vasa vero licet fictilia, nostra sunt corpora, intra quorum viscera recondendus est idem fructus boni operis. Porro lampades animarum splendentium lumen est, quæ sacramento baptismatis indutæ, splenduerunt. Ecce fatuæ et virgines dicuntur, et lampades accepisse, et *exierunt obviam sponso et sponsæ*, cum prudenti

Introdusă în format electronic de Google

bus. Quid ergo amplius requirendum judicas, nisi quod oleum non sumpserunt secum, ne deficeret lumen lampadarum accensum? Ob quam causam solummodo fatuæ dicuntur. Et ideo sciendum, quia magnum aliquid significat hoc oleum, et valde magnum. Oleo namque perungimur in baptismate, ut Christiani dicamur. Oleo et perunctus est Salvator noster Christus. De qua unctione canimus in Psalmo : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hoc quippe oleum, oleum exsultationis est, et lætitiæ, pro quo David, quia peccaverat, orat dicens : *Redde mihi lætitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me* (*Psal.* L, 14). Forte ergo hoc oleum exsultationis et lætitiæ Spiritus sanctus est; quem qui non habet hic non est Christi, neque charitatem Christi habet. Quoniam, *Charitas Dei diffusa est in* B *cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Sine qua, sicut Apostolus ait (*I Cor.* XIII, 3), quidquid habuerit homo, nihil ei prodest. Quæ nimirum charitas merito per oleum significatur. Quia sicut oleum omnibus supereminet liquoribus : ita et charitas universis virtutibus. Et ideo de illa dicit idem Apostolus Paulus, supereminentiorem **1032** *viam demonstro vobis.* Quæ profecto via per charitatem hic impræsentiarum paratur et præsternitur, ut prudens virgo ferat oleum secum, et lumen quod luceat in perpetuum. Quapropter bene per oleum quo charitas enutritur et diffunditur, Spiritus sanctus significatur, quo exhilarantur corda credentium, et omnia virtutum opera pinguescunt. Et ideo charitas, quæ Spiritus sancti pinguedo est, C nunquam excidit; quam qui amiserit, post perceptam gratiam, licet videatur exiisse per fidem obviam sponso ac sponsæ, tamen inter fatuas deputabitur. In fide namque omnes decem junguntur virgines, quæ per sponsionem fidei omnes conantur exire obviam sponso, et quasi corde exspectare adventum ejus; sed quia negligunt servare perceptam gratiam, et enutrire ac sumere secum intus in animo, ad gloriam Dei Patris, oleum charitatis, infatuantur. Prudentes vero non solum servarunt perceptam gratiam in corporibus suis, verum etiam jugiter sumpserunt oleum, et coacervaverunt sibi ex dono charitatis fructum Spiritus, et ideo computruit jugum peccati a facie olei. Quia in Spiritu sancto, non solum remissionem quam perceperant servaverunt, verum D etiam egregia virtutum sibi opera, ut lucerent ac si lampades ardentes, suis in vasis condiderunt. Quæ nimirum vasa etiam ipsi quinque sensus corporis accipi possunt, in quibus condiderunt largitatem olei, quam de firma petra suxerant; ita ut et ipsi sensus, oleo perfusi, ad spiritalia transirent. Nec projecerunt intima sua exterius, sed intus sibi in conscientia absconderunt æternæ vitæ munera. De quibus profecto muneribus, quia hic doluerunt, *Exsultabunt in gloria et lætabuntur in cubilibus suis* (*Psal.* CXLIX, 5), id est unusquisque eorum de propria conscientia. Et notandum quod dicitur quia *prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis, cum lampadibus.* Acceperunt, ex dono gratiæ, et recondiderunt in vasis suis usque ad tempus suæ inspectionis. Et ideo prudentes dicuntur, quia porro præviderunt in posterum, quod ex dono gratiæ rationem sunt reddituræ. At vero non sic fatuæ, quia juxta Salomonem (*Eccle.* X, 1), *Muscæ morientes* exterminant suavitatem olei, id est unctionem qua perunctæ sunt a Spiritu sancto. Nam χρηστότητα Græcus sermo, et suavitatem significat et unctionem, necnon bonitatem et lenitatem, quæ omnia per Spiritum sanctum tribuuntur. Quem quia noluerunt **1033** accipere, neque acceptum servare, sed projecerunt intima sua post vanas laudes hominum, favoresque vulgi, vacuæ remanserunt ab omni claritate luminis, et ab omni virore charitatis.

Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. Quid est quod dicit *omnes?* Sapientes scilicet et fatuæ. Et quid est dicere, *Dormitaverunt et dormierunt?* Nunquid dormitaverunt est, ut quidam ait, ante mortem languescere? Vel qualis est somnus iste? Ne forte tardante sponso (quia abundat iniquitas) refrigescit charitas eorum omnium. Sicne intellecturi sumus somnum istum? Et hoc sit, quia elanguerunt prius vel dormitaverunt, in mortem ire, quod est dicere dormierunt. Absit, ut ita intelligatur quia sunt ibi prudentes. Nam quando dixit Dominus : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12), quod est dicere defecit oleum multorum, continuo subjecit et ait : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic* C *salvus erit.* Quapropter prudentes fuerunt istæ virgines, quæ acceperunt oleum in vasis suis, et servaverunt, ac permanserunt usque in finem; et ideo prorsus admittuntur intro, quia paratæ fuerunt. Non ergo eis obrepsit frigus torporis, neque refriguit in eis charitas, sed efferbuit usque in finem; et ideo sponsi januæ, ut introirent, libere patuerunt. Et dictum est eis, sicut illi optimo servo, *Intra in gaudium Domini tui.* Quid est ergo per hanc moram, donec tardat sponsus venire, quia dormitaverunt omnes et dormierunt? Moram autem a principio vocationis Ecclesiæ usque ad finem sæculi recte accipimus, donec hora novissima peragitur, in qua omnes mortis somno sopiuntur, quam nemo evadit; nemo doctus, nemo indoctus; non prudens neque D fatuus, sed omnes interim donec veniat sponsus uno fine mortis claudentur. Quare autem dormientes vocantur? Quia omnes in die suo novissimo resuscitabuntur quasi a somno quotidiano, et vivæ omnes invenientur. Licet prudens sit virgo, sit fatua, omnes tamen mortis somnum patientur; sed oleum prudentium in vasis quod acceptum est et servatum, in morte non peribit. Quod autem dicit, *Dormitaverunt omnes et dormierunt*, more nostro loquitur; quia sicut nemo nisi somno prægravatus, dormit : ita nemo nisi ex infirmitate occupatus moritur, et hoc sit dormitare, quod est infirmitate deprimi. Sed melius mihi videtur, quia dixerat, *dormitaverunt omnes*, ut intelligeremus, quia de mortis somno

Introdusă în format electronic de Google

1034 loquebatur, ideo reperisse dormierunt. Ac si diceret, ideo dormierunt quia mox, ut clamor factus est, surrexerunt omnes ac de somno. Et hæc est causa quare dixerit, dormitaverunt; quia post mortis somnum, omnes surrexerunt ad vocem Dei viventis, et ad tubam archangeli; ubi manifeste insinuat quod nemo est qui vivat, qui non videat mortem. Et ideo ait : *Dormitaverunt omnes, et dormierunt.* Prudentes scilicet et fatuæ, omnes dormierunt. *Ecce media nocte clamor factus est.* Quid est media nocte? Improvide quando non speratur, quando omnino non creditur. Noctem ergo posuit pro ignorantia, quia subito erit, et quasi intempesta nocte, quando gravissimus sopor est securis omnibus, ut jam supra dictum est. Tunc per angelorum clamorem et tubas præcedentium virtutum Christi resonabat adventus. Hoc namque loco beatus Hieronymus esse traditionem Judæorum dicit Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando tunc Pascha celebratum est, et exterminator omnia percussit primogenita Ægyptiorum, et pertransit Dominus tabernacula quæ agni sanguine fuerant consecrata. Unde æstimat idem doctor eximius, ex traditione apostolica descendisse ac permansisse die vigiliarum Paschæ, ut non ante noctis medium populum dimittere liceat, exspectantes adventum Christi, ut postquam illud tempus transierit, securius cuncti præsumant diem festum peragere. Unde et Psalmista dicebat : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII, 62).

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Lampades autem a Græco dicuntur, quod est, λάμψαι, id est, est a splendore vel fulgore. Unde Apostolus (*II Cor.* IV). Ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι, id est fulgere. Omnes quidem surrexerunt, sed illæ tantum *ornaverunt* fulgore suo lampades suas, quæ oleum secum antequam dormirent acceperant in vasis. Ex quo nitore gratiæ ornaverunt singulæ quæque sensus suos, in quibus oleum scientiæ Dei, et opera charitatis reconderant, ut haberent opera virtutum in manibus suis, quibus ante æternum judicem refulgerent; quinimo ab eo perceperunt splendorem gloriæ, cui commendaverat bona facta sua. Et ideo singulorum deposita tunc restituet verus Judex, apud quem non est exinanitum oleum eorum, qui ei commiserant virtutum ornamenta. Ex quibus receptis a Domino cum resurgent ornabunt se intus in conscientia sensusque animæ sustollent ad illa æterna gaudia, quia videbunt gestorum opera, quæ a Domino olim commiserant antequam in mortem irent. *At vero fatuæ* **1035** *sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.* Porro quæ lampades suas queruntur exstingui, ostendunt eas accensas habuisse, et illuminatas, et ex parte eas luxisse. Sed quia non habuerunt opera perpetua, id est opera charitatis æternæ, nec indeficiens lumen, ideo exstinguuntur, quia temporaliter egerunt, et resplenduerunt in sæculo operibus infructuosis. Et ideo implebitur tunc illud propheticum, *Quia turbati sunt omnes insipientes corde* (*Psal.* LXXV, 6). Et si quæreres quare? quia *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Ibid.*), quia nullas horum operum lucernas in manibus habuerunt. Unde Dominus : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus* (*Luc.* XII, 35). Quapropter si quis habet animam virginalem, et amator est æternæ vitæ, non mediocribus sit contentus, quæ cito exolescant operibus, ne forte quæ videntur bona præ caumate arescant. Et cum cœperit judex singulorum discutere conscientias, lampades quæ videbantur lucere, subito exstinguantur. Quia post resurrectionis diem, nulla erit jam promerendi facultas, nisi quodcunque seminaverit homo in hac vita, tunc et metet in illa. Et ideo responderunt prudentes et dixerunt : *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.* Nequaquam igitur virgines istæ mediocriter prudentes æstimandæ sunt; quoniam hæ sunt quæ opportunum tempus operandi in semetipsis servaverunt, quando in primo occursu Dominici adventus, multum sibi oleum charitatis coacervaverunt in corporibus suis, et præparaverunt secum semper, quæ sempiterna sunt, et cœlestia amaverunt; et non, sicut fatuæ, dissolute et negligentes vixerunt, quæ tantum præsentium sollicitudinem habuerunt et curam, immemores promissorum Dei, in nullam se resurrectionis spem extenderunt. Et tamen nec adeo imprudentes erant, licet et fatuæ essent, ut non intelligerent quoniam cum lumine bonorum operum debebant ire obviam sponso, et omnes lampades suas habere illuminatas. Videbant enim quoniam minus habebant oleum boni operis, quia ex his non curarent dum tempus fuit. Et ideo jam propinquantibus tenebris, lampades quæ lucere prius videbantur, suis ad tempus gaudiis illustratæ, obscurabantur, quia deficiebat oleum jucunditatis et lætitiæ; oleumque peccatoris non permulcebat eas, neque alienis laudibus mentes eorum **1036** impinguebantur. Sed prudentes quia prudentes erant, etiam prudenter dant responsum : *Ne forte non sufficiat nobis et vobis.* Quia in illo tremendo examine nemo gloriabitur se castum cor habere, nec suis sibi sufficere meritis, quanto magis aliis dare debeat, quia non erit forte quod omnibus satisfiat. Intelligunt namque in illo examine alienis operibus ac meritis neminem adjuvandum; quia unicuique lampadis suæ oleum habere necesse est. Quas hortantur ut eant ad emendum, si vel sero majorum meritis sanctorum, qui consueverant pecunias Domini distribuere, ad lucra animarum possint impetrare, deinceps præceptis Dei obsequendo, ut cum lampadum luce sponsi dignæ efficiantur occursui. Alias autem illarum virginum lampades, non exstinguebantur antequam dormirent, quia non deerant laudes hominum. Sed quia cum surrexerint, nemo est qui laudet eas, omnis enim homo causam suam solummodo tunc pertractabit. Nemo itaque erit, qui tunc de se non cogitet, nemo qui oleum adulando

Introdusă în format electronic de Google

vendat. Et ideo cœperunt lampades deficere ne lucerent. Tuncque fatuæ convertunt se ad quinque prudentes : *Date nobis de oleo vestro.* Hoc quærunt, quod consueverant alieno oleo lucere, et non sua propria conscientia, alienasque laudes quærere. *Ite potius*, inquiunt, *ad vendentes, et emite vobis.* Non consulentium forte vox est ista, sed irridentium est. Quia sapientia erat in illis virginibus, et ideo in eisdem ipsa loquebatur sapientia, quæ aliubi de stultis fatetur, *Ego in interitu vestro ridebo* (*Prov.* I, 26). Quid igitur mirum si sapientes irrideant fatuas, cum et ipsa sapientia subsannare eas fatetur? Quid est ergo dicere, *Ite ad vendentes?* nisi, quia sic facere consuevistis, et ideo non damus, *ne forte non sufficiat nobis et vobis.* Verumtamen et si in parte de istis dici possunt ista, quæ semper laudes adulatorie magis quam vere habere hominum maluerunt, multa alia sunt præsentis vitæ commoda, curæ ac sollicitudines, pro quibus negliguntur æternæ vitæ præmia, ad quas nonnunquam interveniunt torpor et ignavia. Unde credo, quod non de adulatoribus solum dicat, verum etiam et de omnibus, qui aliud sectati sunt. Quibus dicitur, ite potius ad vestra humanæ vitæ consueta negotia, in quibus vivere assuevistis, ideirco vobiscum oleum Spiritus sancti non tulistis. Quamobrem non damus, ne forte non sufficiat nobis et vobis, jam quando tempus non est præstandi nec emendi ulli. Et ideo dum eunt emere, **1037** emendi ulli. Et ideo dum eunt emere, venit sponsus ; id est, dum quærunt sero emere quod prius parare neglexerant ; cum quærunt a quibus laudentur, vel a quibus consolentur, et non inveniunt, venit sponsus, et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, quia eis aperta est janua. Et notandum quod ait, quia *venit sponsus.* Nam supra, decem virgines exierunt obviam sponso et sponsæ, hic autem solus venit sponsus. Quid ergo est? vel quo abiit sponsa, quæ prius in decem istis occurrit cum sponso? Nequaquam vacat a mysterio, quod tunc venit cum eo, et nunc sermo divinus tacet de ea. Non utique tacet, sed aperte loquitur de illa dicens : *Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias*, quoniam ipsa est sponsa, quæ intrat cum eo, quoniam parata erat, et præ nimio amore charitatis pervigil semper, et pernoctans in orationibus sollicita quando veniret sponsus, quæ toto desiderio anhelans, ad eum amabat venire. Nam prius ut filios generaret ipsa cum sponso venit, ut eos genitos infra uterum susciperet, pareret et nutriret. Nunc autem resurgens a mortuis, dum ei janua vitæ aperta est, festinat læta occurrere sponso, et cum eo ad nuptias, quo longe diu invitata fuerat, intrare. At vero illa quæ minus amaverat, quæ aliud plus dilexerat, quæ oleum charitatis non habuerat, quæ in multis sollicita, unum prætermiserat, dum sero quærit in se frigida remansit. Et ideo non dicitur quod emerint aut acceperint oleum perfectæ charitatis ; quia nec ipsa inquisitio procul dubio ex affectu castæ dilectionis fuit. Ergo difficile et a paucis cognoscitur, A quomodo Christus sponsus, et Ecclesia uxor et sponsa vocetur. Quia etsi vocari possumus fratres Christi, atque filii Dei, seu in invicem et ipsi fratres ex Deo Patre. Nemo tamen alter sponsus Ecclesiæ quam Jesus Christus. Unde et Joannes licet amicus sponsi sit, non tamen sponsus, nec ullus sanctorum. Et ideo valde occultum est, et difficile ad intelligendum quomodo anima humana verbo Dei copuletur ut sponsa sit, vel quomodo commisceatur. Et tamen ad has nuptias nemo nisi sponsa ingreditur. Quid enim mirabilius cum sit illud Deus, quidquid est Christus ; sit ille Creator et illa creatura, et secundum hoc ille sponsus et illa sponsa ; vel vir et uxor Christus et Ecclesia. Unde Apostolus ait : Et *erunt duo in carne una* (*I Cor.* VI, 16) ; *hoc*, inquit, B *magnum est sacramentum, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 32). Hoc quippe magnum sacramentum, magnus dicit Apostolus, et ideo **1038** non quisque continuo novit, quam magnum sit quod dicit. Nam qua cognatione sint fratres Christi omnes sancti, novimus quia non consanguinitate terrena, sed ex gratia divina, quia Patrem Deum habemus unum in cœlis. Quamvis enim ille sit proprius Dei Filius, tamen per gratiam adoptionis, omnes sancti fratres sunt, quia ipsi sunt filii. Unde per eamdem gratiam ad invicem sunt et ipsi fratres ; sponsus autem cæterorum illius societatis, nullus illorum est, neque dici potest. Proinde Christum quam excellentissime justitiæ atque sapientiæ sponsum cognoscat et confiteatur Ecclesia, altissimum est scire. C Et ideo Jeremias dicebat, et homo est, et quis cognoscet eum? Ergo homo est, et inde ostenditur quia frater est ac cognoscitur. Sed quid est quod dicit, et quis cognoscet eum? Cognoscitur vere quia homo est, et quia frater, et quia Deus est, sed occultum est valde quomodo sponsus est, quia magnum est sacramentum ; et tamen ille sponsus, et illa uxor. Unde Joannes in Apocalypsi sua dicit : *Quia venerunt nuptiæ agni* (*Apoc.* XIX, 7), de quibus nunc dicitur : *Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias* ; quoniam in his omnibus erat una Ecclesia electa, una columba speciosa, sponsa una formosa, in sanguine sponsi sui dealbata. Quæ dum fatuæ oleum ut luceant lampades earum, jam sero eunt emere, ipsa cum universis suis membris intrat ad nuptias. Quia supra quando veniebat cum sponso, cui occurrerunt obviam istæ decem virgines, miro modo jam sponsa erat et virgo, jam dotem sponsalitatis suæ, et pignus acceperat Spiritum sanctum. Tunc quidem divinis subarrhata muneribus, nunc vero jam, dono immortalitatis perceptο, quod prius non poterat, gaudens ad immortales ingreditur nuptias. *Et clausa est janua.* O si sapere possimus cordis palato, quale quantumve gaudium erit, quam jucundum et quam beatum, quia intrant, et quam amarum foris remanentibus, quia dicit, *Et clausa est janua*, ubi deinceps nemo intrabit miser, ut beatus fiat : de qua nemo exibit ulterius jam, ut extra inveniatur. *Quoniam confortavit seras* D

Introdusă în format electronic de Google

portarum (*Psal.* CXLVII, 13) illius civitatis, benedixit omnes in ea, et posuit per omnes fines ejus; in qua nemo esuriet ultra, satiatus ex adipe frumenti, et omnis beatitudo æternæ vitæ circumplectitur eos.

Novissime autem veniunt, et reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. **1039** Ecce, ut dixeram, fatuæ virgines quæ transmissæ fuerant ad oleum comparandum, non referuntur emisse vel accepisse. Verum hoc sub silentio prætermisso, quia jam nullum erat tempus emendi, dictum est, quia post veniunt, cum potuisset dicere, postea venerunt accepto oleo, vel comparato. Sed quia non invenerant, convenienter illud siluit, ne habentibus oleum, vel in extremo ornantibus lampades suas, diceret: *Nescio vos*, quæ estis. Nec enim scribitur quod cum ornatis lampadibus venerint; quia nescio si fieri posset, ut unquam diceret: *Nescio vos*, quia charitas Deus plenas charitate virgines nunquam repudiasset, neque se ignorare dixisset. Novit enim Dominus eos tantum qui sunt ejus; eos autem quos reprobat utique ignorat; quia et ipsi noluerunt ut decuit, cognoscere Deum. Et ideo dictum est, si quis ignorat ignorabitur. Nescit enim Dominus operarios iniquitatis, nec approbat reprobos. Idcirco licet virgines sint, etiam secundum carnem, ita ut de corporis puritate, nec non et fidei confessione glorientur, tamen quia oleum non habent scientiæ Dei et charitatis, sufficit eis ad pœnam quod ignorantur ab sponso. Et ideo in hac parabola, finis verbi iste est, *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Hoc est quod supra jam dixerat, ut paratus sit semper unusquisque. Quia ad hoc nos nescire voluit diem exitus nostri, ut vigilemus animo, et parati simus antequam claudatur janua. Ecce de fine sæculi, quam diversæ introducuntur parabolæ. Nam supra angeli mittuntur qui colligant zizaniam ex agro præsentis Ecclesiæ, et tradant igni ad comburendum, triticum quoque congregent in horreum Domini. Hic vero sub alia figura decem proponuntur virgines, quinque fatuæ et quinque prudentes. Sed sub alia specie, quinque clamantes, Domine, Domine, repelluntur, et quinque ornatis lampadibus admittuntur. Sicut et in aliis tribus parabolis retro, licet brevius, nihil tamen sensus futurarum rerum inæqualius variatur. Deinde in hac parabola, quam paulo post exposituri sumus, longe alia formatur et adumbratur figura, quamvis manifestior videatur. In quibus omnibus, non diversa introducuntur judicia, sed unus ex omnibus vix exprimitur terroris dies, et tanti discriminis causa. Et ideo adhuc alia quasi de prælatis, quibus credita sunt eloquia Dei, proponitur comparatio; ut simul omnes tam rectores quam plebs, quia ignoratur **1040** judicii dies, sollicite nobis lumen et lucrum bonorum operum præparemus, necdum nescimus judex veniat. Unde sequitur: *Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.* Nova quidem et inusitata locutio. Nec enim reddita videtur sermonis ratio, ut consuete diceret; sicut homo proficiscens vocavit servos suos: ita et filius nominis, aut certe, ita et ego, quoniam ipse est homo paterfamilias, qui ad Patrem post resurrectionem victor ascendit, qui vocatis servis suis, id est apostolis, tradidit illis doctrinam evangelicam, et pecuniam verbi divini. Alia vero exemplaria habent, sicut enim homo peregre futurus, vocavit servos suos. Peregre autem, quia captivitatem nostram sua duxit virtute, ac si peregrinando, captivam. Sed quærendum quomodo quasi peregrinus abiit? Cum ipse de se suis repromittit discipulis, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XVIII, 20). Et illud: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.* Et illud Joannis: *Medius vestrum stat quem vos nescitis* (*Joan.* I, 26). Quod si semper omnibus suis est præsens, quomodo introducunt eum parabolæ proficiscentem vel peregrinantem? Nisi quia secundum quod unigenitus est Dei Filius ex natura Patris Verbum et Sapientia, non corporeo ambitu circumcluditur, sed ubique totus et præsens, in qua nunquam peregrinatur natura. Peregrinatur autem secundum dispensationem corporis et proficiscitur, cum Deus homo in cœlis ad dexteram Patris collocatur. Nec sic introducimus duas personas, ut Feliciana hæresis vult, neque duos Christos, aut duos filios, sed unum Jesum Christum, unumque Dei et hominis filium, secundum divinitatem suam, ubique præsentem, et secundum humanitatem ad Patrem ascendentem. Nec itaque solvimus hominem a Deo, neque Verbum a carne. Quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), quoniam scriptum est apud Joannem: *Omnis spiritus qui solvit Jesum, non est ex Deo* (*I Joan.* IV, 3); et ideo Deus et homo unus est Christus. Unitas autem divisionem non recipit neque solutionem, ideoque in Christo magnum est sacramentum. Quia et unitas in eo, personæ, veneranda est, et unicuique substantiæ proprietas conservanda. Si autem omnis homo qui conjungitur Domino, unus spiritus est, quanto magis homo ille, quem secundum dispensationem carnis Christus suscepit, non est solvendus ab eo qui suscepit eum, nec alter dicendus? Quoniam *Verbum caro factum est*, uniendo sibi eam virtute sua, **1041** et ideo unus est Christus, unusque Dei Filius, unus et hominis filius. Qui profecto, secundum quod hominis filius, peregre proficiscens, uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique autem secundum propriam virtutem, et profectus est statim. Hæc est probata pecunia Verbi, de qua dicitur in Psalmis: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum* (*Psal.* XI, 7). Quoniam quidquid in eo est de Spiritu sancto, est conflagratum, et ideo omnia in eo pretiosa sunt et præclara. Unicuique autem, qui vires conspicit singulorum, secundum propriam mensuram dispertivit pecuniam talentorum, et non secundum merita, ut nullus se possit excusare a lucro, quasi non habeat operandi mate

Introdusă în format electronic de Google

riam. Quoniam qui sensus præstitit, ipse et talenta juxta vires commisit, non pro largitate, aut parcitate, alteri plus tribuens, alteri vero minus, sed pro accipientium virtute, gratis omnibus commisit. Quod et Apostolum fecisse legimus cum quibusdam lac dedit, qui solidum cibum capere necdum poterant. Et notandum quod in Græco pro pecunia quam dedit unicuique, ἀργύριον habet, ut ipsa eloquia Dei pro argento significantius intelligantur. Quia argentum Græce ἀργύριον vocatur. Unde qui acceperunt a Christo dispensationem Dei eloquiorum, videbis alios amplius ac divinius accepisse, alios autem minus, et ut ita dicam, neque in dimidio eos intelligere rerum negotia; alios autem adhuc minus habere capacitatis. Quorum si differentias consideres, qui pecuniam domini susceperunt ad dispensandam, videbis quod alia fuit virtus eorum, et efficacia mentis, quibus data sunt quinque talenta, et alia quibus duo, alia vero quibus solummodo unum, eo quod alter alterius non capiebat mensuram. Et qui unum accepit talentum, non contemptibile accepit donum. Multum est enim vel unum tanti domini talentum accepisse; et ideo cavendum ne in vacuum accipiatur. Sed considerandum de tam innumeris servis ejus qui profectus est, quasi homo paterfamilias, ac patrem, quid est quod tria genera eorum solummodo proponit, quibus bona sua distribuit? Facit itaque hoc forte, ad exemplum bonæ terræ, de qua jam supra dixerat in parabolis, quod seminaverit in ea, fructumque fecerit, alium centesimum, et alium sexagesimum, et alium trigesimum. Sed supra qui trigesimum fecit fructum salvatur; **1042** hic autem arguitur qui unum acceperat talentum, et abscondit illud in terra. Ac propterea, licet una sit figura in numero, diversa est tamen in facto. Una siquidem terra in qua seminatur, sed cultura diversa, et inæqualitas laboris eorum, qui manum mittunt in aratro. Propterea dum varias, satis dispensative depingit parabolarum formas, et splendorem reddit causarum, et specialius negotia desi-
A
B
C
gnat singulorum. Unde hoc loco, quia de commissis agitur talentis, ad unum usque pervenit. Quia nemo est, qui aut quinque non accepit, aut duo, aut unum. Sicut nemo est, qui aut quinque sensus corporis non habeat, aut intellectum et operationem, certe aut rationem qua discernatur a bestiis, ut cognoscat se rationalem. Nemo tamen sine aliquo invenitur talento, de quo rationem, quia rationabilis creatus est, reddat Domino. Sed sicut beati sunt, qui duplicant in lucrum quod acceperunt: ita miseri et infelices, qui in terrenis actibus se demergunt, et abscondunt in terram talentum quod acceperunt. Neque igitur miser eo quod unum acceperit, sed ideo, quia quod accepit, terrenis prægravatus oneribus præfocavit illud in terra, et in carnalibus præsentis vitæ operibus defodit, ne ullum cœlestis vitæ afferret lucrum. Unde multi quærunt quinam illorum plus acceperit, utrum qui quinque talenta acceperit, an qui duo? Nam et talentorum genera tria esse dicuntur. Et
D
ideo non immerito perfectiores illi intelliguntur, qui diviniorem et sublimiorem Scripturarum de Deo acceperunt intellectum et operationem, ut queant se et alios in divinis erudire. Idcirco non ad numerum referenda est ratio talentorum tantum, verum etiam et ad pondus, et ad qualitatem; quoniam plus est accipere duo talenta auri, quam quinque argenti. Novit enim qui distribuit sua servis suis, virtutes singulorum, et ideo cogitandum unicuique quid vel quantum acceperit. Ante omnia hoc scire primum convenit, quod nihil habet homo in omni facultate rerum interius exteriusve, quod non acceperit. Et quidquid est in quinque, aut duobus, vel in uno quod accepit, nihil est amplius quod quæratur, si duplicatum illud retulerit. Quoniam multum est, juxta quod nos exigui æstimare possumus, si omnia quidem sensibilia rerum, quæ quinque subjacent sensibus. explicare potuerimus, vel commutare ad æterna et divina, ut ipsi sensus flagrent in nobis diviniores, exercitati ad ea quæ **1043** semper idem sunt, quatenus de transitoriis et temporalibus sempiterna lucremur. Hoc quippe est de quinque talentis alia quinque lucrari, cum in eisdem temporaliter operamur, ut per eosdem nosmetipsos exercitantes, et alios instruentes, ad majorum virtutum culmina erigamus, sicque duplicata omnia reportemus, tam in nobis quam in proximis, ut de temporalibus æterna, et de caducis et transitoriis rebus, semper manentia acquiramus. Et notandum quod ait: *Quia operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.* Profecto, quia nemo facile lucrum virtutis accepit alterius, nisi ex dono gratiæ cujus percepit semina, ut puta fidelis in fide, et sapiens in sapientia, dives in dispensatione rerum suarum. Sic et in reliquis omnibus quæ percepit. Et ideo videat unusquisque, ut dixi, quid et quantum accepit; in arte, in intellectu, in quolibet ingenio.

Similiter et qui duo talenta acceperat, operatus est in eis, et lucratus est alia duo. Similiter ergo abiit, ut et ille qui quinque. Sed quo abiit? Nunquid in regionem longinquam, ut puta ille adolescentior filius? Non utique. Sed quo abiit? Abiit autem ad semetipsum percepta gratia, ubi et ille minor filius reversus dicitur. Quia male extra se diffusus abierat, et perdiderat omne patrimonium a Patre quod acceperat. Hic autem abiit in semetipsum, et commissa sibi dona exercuit, ne in vacuum gratiam sibi collatam retineret. Unde Paulus gloriabatur dicens: *Et gratia ejus in me vacua non fuit* (*I Cor.* xv, 16). Hæc est namque gratia fidei et operationis, quam universo generi humano largitus est gratis; et sanctis doctoribus potestas evangelicæ prædicationis. Quam sane gratiam unusquisque ac si duo talenta, secundum mensuram fidei suæ, quod est secundum propriam virtutem percepit. Hæc enim est a Patre incorrupta æterna substantia, hoc Christi patrimonium æternis hæredibus reservatum. Unde quia duos populos ad hanc gratiam vocavit, non inconvenienter uni dicitur quinque dedisse talenta, scilicet ei primum qui ex lege credidit. A qua proficiscens, ut dixi,

Introdusă în format electronic de Google

abiit in semetipsum, et ad gratiam evangelicæ prædicationis quam percepit. In qua recte, juxta quod supra dixi, omnia quæ subjacent quinque sensibus duplicavit; cum et ista quæ impræsentiarum sentiuntur, ad Dei Patris retulit gloriam; et ex istis lucratus est alia quinque interius, ut totus interior homo istis quinque sensibus **1044** conversus ad Deum, perfruatur æternis. Cui quia fuerunt quinque commissa domino redeunte de quinque decem obtulit, quia quæ legis sunt duplicavit, dum et quinque verba Novi Testamenti, juxta Paulum apostolum, spiritalia, secundum interiorem hominem extra hos quinque sensus, spiritaliter magis, quam decem millia verborum, loqui in Ecclesia didicit; et quinque librorum Moysi oracula, obediendo per gratiam evangelicæ justificationis adimplevit. Similiter et per eum qui duo acceperat, gentium populus designatur, qui quod corde credidit ad justitiam, ore confessus est in salutem. Ipse igitur populus Jesum Christum Deum et hominem confitetur; unum mediatorem, cui sunt in fidei confessione duo talenta commissa, ut habeat in Deum quod intelligat, et in homine imitando quod operetur. Ac per hoc quidquid actualiter operatur per dilectionem transfert in theoriam. Et quidquid contemplatur per fidem, intellectualiter totum referat ad eum in se, quem ex toto diligere oportet. Unde nec immerito, per duo hæc talenta intellectus et operatio designatur, et hæc duo veniunt in lucrum, et proximus perfecte, ut præceptum est diligitur. Ac per hoc, ipsas easdemque virtutes, quas habuerit quilibet in se, alterum docendo, acquirit et duplicat in altero, faciens eum habere una cum gratia Dei quæ et ipse virtutem habuerit in se. Et propterea juxta utramque intelligentiam, qui quinque habuit, aut qui duo, non amplius quam duplum acquisisse dicitur. Quoniam nihil amplius præstare potest vel docere, quam quæ novit, et ipse habet. Et ideo quilibet doctor debet in mente habere talenta quæ accepit, maxime quia misit manum in aratro, id est ad docendum doctrinam Christi, ne forte convertatur retrorsum, aut piger inveniatur ad docendum, qui verbo doctrinæ animas exarare debet instanter, opportune, importune; ut post hoc suscepto semine verbi, et ipsi fructum ferant; ita ut de terrenis sensibus, cœlestium sibi duplicent scientiam, et ex creaturis intelligant Creatorem, et ex corporalibus acquirant incorporalia, et ex visibilibus invisibilia apprehendant, et ex temporalibus æterna. *At vero qui unum acceperat, abiens fodit in terra, et abscondit pecuniam domini sui.* Quidam hunc servum volunt esse populum Judæorum, in lege permanentem, carnaliter stolidum, et nihil spiritale intelligentem. Qui virtutem **1045** evangelicæ prædicationis noluit accipere, sed propter invidiam in terra talentum abscondit notitiæ Scripturarum, ne Christus in eis agnosceretur; neque ipse utens, neque ad utendum aliis dispensavit. Veruntamen licet hic evidens videatur sensus, melius tamen de omnibus intelligitur qui rationabiles creati sunt, et nolunt ratione uti, neque ad lucrum distribuere, ut aut ipsi aut cæteri intelligant, ad quod creati sunt. Unde dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit* (*Psal.* XLVIII, 13); quia talento rationis non dispensatorie usus est, ut sciret quod ad Dei creatus esset imaginem, sed abscondit totum quod acceperat in terrenis actibus, et voluptate carnis, semetipsum carnaliter servans, dum Dei præcepta implere neglexit. Hinc alius evangelista ait, quod in sudario pecuniam domini sui religavèrat, quia doctrinam patrisfamilias, molliter et delicate vivendo, timide satis enervavit. Et omnia quæ didicit, ac si in sudario religavit, cum omnem rationem suam ac prudentiam in carnalibus actibus implicavit; de qua dicitur, quia *prudentia carnis mors est* (*Rom.* VIII, 6).

Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Multum ergo tempus est ab ascensione Christi usque ad adventum ejus, quando venturus est ad judicium. Utitur enim more Scripturarum sanctarum præteritum pro futuro, quando in ratione ponenda judicii examen demonstratur; quoniam cœlestis verbi negotiatio reposcenda, et redditus dispensati talenti lucrum reposcit. *Tunc accessit qui quinque talenta acceperat domino reverso, et obtulit alia quinque.* Pro eo quod futurum est, jam fecisse dicitur. Quia apud dominum immutabile est quidquid prædicitur, et ideo jure quasi factum jam creditur. *Et accedens,* inquit, *qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Accessit ergo primus cum multa fiducia, et quasi sua sponte, eo quod fideliter operatus est et lucratus. Nam ipsa lucri fiducia, ac si bonæ spei confidentia fecit eum audere ut ad dominum suum quasi gaudens ac devotus accederet, faceret sermonem de commisso talento. Ad quem dominus mox deprompsit vocem omnibus bonis dispensatoribus valde optabilem, *Euge,* inquit, *serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Fortassis igitur vox ista, vel sensus iste talis **1046** est, qualis et de Abraham dicitur, quod *credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gal.* III, 6). Sic quippe fides servorum istorum ad justitiam reputata est eis, quia in modico fuere fideles. Modica autem sunt omnia vitæ istius ad comparationem futurorum, seu sit doctrina verbi, seu scientia Scripturarum, seu facultas rerum, seu quidquid in lucrum venire potest. Quoniam superat æternitas omnium præsentiarum bona, et mysterium resurrectionis ad immortalitatem. quidquid est quod finiri poterit. Quod si scire possemus quanta et qualia sunt quæ dicit, cum ait: *Intra in gaudium domini tui,* sciremus utique quam panca sunt omnia quæ impræsentiarum habere vel possidere videmur. In quibus quia commissa sunt nobis, et ad lucrum commendata, quisquis fidelis fuerit, percipiet quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit* (*1 Cor.* II, 9), quæ præ-

Introdusă în format electronic de Google

parata sunt fidelibus et diligentibus Deum. Sed quærendum quid sit quod una repromissio est et eis qui quinque in decem offerunt, et eis qui duo in quatuor. Uterque eorum et qui duo et qui quinque acceperat, duplicatam reportant pecuniam. Uterque fiducialiter devotus accedit, cum transit de hoc mundo ad Deum. Utrisque enim una vox a domino profertur, una laus, unaque merces redditur. Ergo utrique eorum dicitur : *Euge, serve bone et fidelis, quia in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium domini tui.* Una igitur vox exsultantis est cum dicitur *euge*, una laus, quia bonus et fidelis uterque vocatur. Idcirco, quia eadem dicta sunt ambobus, recte quæritur, ne forte qui minorem habuit virtutem, et totam illam quam habuit secundum quod oportuit, eam exercuit, nihil minus habiturus sit apud Deum, quam ille qui majus accepit, et plus in majori virtute constitutus, acquisivit. Nequaquam igitur hoc dixerim; quia unusquisque, licet unum sit gaudium quod percipiunt, unaque vita et æternitas, tamen in eodem gaudio et in eadem vita, secundum proprium laborem sua singuli recipient stipendia meritorum. Et non sicut quidam volunt, ut una sit claritas, et una gloria omnibus, juxta illud qui modicum non minoravit, et qui multum non abundavit. Volunt enim dogmatizare et ostendere ex eo quod dictum est. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*, quod talem dilectionis habeat mercedem, qui minorem **1047** animæ capacitatem habuerit, quam et ille qui majorem habuerit cordis virtutem et eminentiorem animam. Unde aiunt hoc solum quærendum, ut quidquid habuerit homo vel acceperit ex Deo, toto utatur eo ad gloriam et laudem Dei. Bona quidem exhortatio et locuples virtus animi, sed qui plus omnibus, juxta Pauli vocem, laboraverit, fatendum fide est, quod mercedem recipiet unusquisque juxta laborem suum: Et notandum quia fidelis servus etiam et bonus appellatur. Quod si bonus dicitur quilibet fidelis servus, ex dono gratiæ et participatione boni, multo magis Christus Deus bonus est, qui essentialiter est bonus. Et non, sicut Feliciana hæresis calumniatur, quod non sit passus se bonum vocari, quia nemo bonus nisi solus Deus. Ac per hoc secundum hominem, ideo non sit verus, sed adoptivus, seu nuncupativus Deus; cum inde potius se velit Deum ostendere, quia Magister vocabatur bonus, et dicit : Quid me dicis, bone, cum *nemo bonus nisi unus Deus?* (*Marc.* x, 18). Non enim sic se bonum vult intelligi, ut boni dicuntur isti servi, ex accidente bono, sed quia essentialiter ipse bonitas, quia Deus est. Et ideo non se timuit bonum dici, quod iste garrit; sed per hoc se insinuat esse quod Deus est, quia in comparatione ejus, nemo bonus est.

Accedens autem, et qui unum talentum acceperat, ait : Domine scio quia homo durus es, metis ubi non seminas, et congregas ubi non sparsisti, et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est. Accedit autem, per resurrectionem, sicut et abiit prius per libertatem arbitrii; non ut secum cum gratia quam perceperat, laboraret, sed ut in sua ignavia et torpore quiesceret, suis abutens rebus. Unde et nunc accedit non devotus et supplex pro venia, sed ingratus calumniator exprobrans eum quem benignum confiteri deberet, ut qui in sordibus erat peccati, adhuc sordesceret, juxta illud propheticum, *ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL, 4). Qui enim debuit suam ignaviam et inertiam confiteri, et orare patremfamilias, e contrario, durum eum vocat dominum, calumniando. Seque prudenti consilio fecisse, ne dum lucra quæreret pecuniarum, etiam de talento forte sibi commisso periclitaretur. Nam rerum præsentium natura non habet quod ei inferi, et dicit : *Metis ubi non seminasti*, nunquam enim messem sine semine invenies, neque congregari posse quæ sparsa **1048** non fuerint. Sed quia hic sermo totus parabolicus est, debemus figurate eum accipere. Diximus quosdam intelligere hunc servum, populum de lege non ignorantem Domini adventum, et gentium salutem invidentem, in infidelitate quoque permanentem, quippe cum sciat metendos illic justitiæ fructus, ubi lex sata non sit, et colligendos exigentibus qui non ex Abrahæ stirpe sint dispersi. Et idcirco durum eum vocat, quia aliud exigit ex lege, quam eum sensum carnalem, qui juxta litteram ab eis, ac si in terra defossus, male servatur; cum sit in gentibus sine dispersione collecturus, et sine satione messurus. Unde et magis dum excusare nititur, sine venia reus monstratur, cur prædicationem sibi commissam occultaverit, vel talentum suffoderit sub litteræ tegumentis, et rerum figuris obscuratum. Sed quamvis iste sensus planior videatur, melius ut dixi, ad omnes hic sermo pertinere probatur, qui rationem perceperunt humanam, ut positi in honore rationabilitatis, intelligerent, et ad consortium angelorum ex ratione se transferrent; ne talento male servato rationis, jumentis compararentur insipientibus, et similes fierent eis. Verumtamen etsi de omnibus ita accipiendum est, qui rationem perceperunt humanam, maxime tamen cavendum, qui pecuniam verbi habent et locum reginiinis, quia væ illis imminet juxta Apostolum, nisi prædicaverint et erogaverint pecuniam domini sui conservis suis, quæ commissa est eis ad erogandum. Unde et inter credentes iste servus non immerito connumeratur. Quia nemo crĕdentium invenitur, qui talentum sibi creditum a Domino non perceperit, licet non fideliter omnes agant in fide. Quia aut in suis volunt versari et delitescere voluptatibus, aut certe latere, ut non cognoscantur quid perceperint. Idcirco licet servare videatur talentum quod habent, nihil tamen addunt operis, neque negotiantur ad lucrum domini sui, neque fiducialiter agunt in eo quod acceperunt; ita ut nec sibi, nec aliis prosint, ut vitam acquirant sempiternam. Ergo qui hujusmodi sunt, ob suam

Introdusă în format electronic de Google

perniciem quamvis videantur timorem Domini habere, et sapere de eo quia severus est peccantibus et implacabilis, tamen quia multa premuntur socordia, torpent ignaviter, et quasi talentum servant non ad lucrum, sed sibi, ut totum quod vivunt eis tantum prosit impræsentiarum.

1049 *Respondens autem dominus ejus dixit ei : Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi, et congrego non sparsa*, etc. Quædam quæ objecerat hic malus servus, replicat bonus dominus, quædam vero tacet. Non enim confitetur se durum esse, sicut ille arbitrans calumniabatur. Quia non ex sua natura est ut severus aut durus dicatur, sed quia ille misericordia Dei abusus est, ad negligentiam, et non ad conversionem suam, sicut Apostolus ait : *Vide bonitatem Dei, et severitatem* (*Rom.* XI, 22); in eos qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem. Et ideo nemo securus sit et dicat, quod non curat, non dico de peccatis delinquentium, verum etiam de commissa gratia, si non operatus fuerit in ea. Porro de reliquis verbis, quasi consensit quod metat ubi non seminavit, et congregat ubi non sparsit. Sed quærendum quomodo intelligatur juxta hunc sensum. Quia sicut nemo habet quod non acceperit; ita nemo operatur, nisi in eo quod percepit. In eo forte operatur fructum justitiæ impræsentiarum, quem fructum metet justus in vitam æternam. Quia seminavit in spiritu, de quo majora recipiat lucra. Quæ lucra cum metuntur a justo, metit ea cujus est possessio ipse justus. Justus autem disposuit ac dedit, et seminavit in pauperibus, et egenis forte substantiam suam, seu verbi pecuniam. Dominus autem in suis membris, ac si in se colligit, et congregat universa, dum sibi computat, et sibi arbitratur esse collata, quæcunque pauperibus suis fideliter sunt impartita. Unde dicturus est, et in alia parabola : *Quandiu fecistis de istis meis minimis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Verumtamen cur eum vocet malum in propatulo est, quia de sua culpa calumniam domino facit. Piger vero, quia talentum sibi creditum noluit duplicare; ut in altero superbiæ, in altero negligentiæ condemnetur. Unde congruam sibi accipit responsionem; ac si diceret : Quia crudelem et durum me noveras, et alia sectari quæ non dederam, ibique metere ubi non severim, quare non tibi istiusmodi mentis cogitatio incussit timorem? Quia sciebas me non solum ea diligentius requisiturum, ut dares pecuniam meam sive argentum nummulariis. Utrumque enim, ut dixi, ἀργύριον Græcus sermo significat. Et ideo tota hæc parabola de pecunia divini verbi, et doctrina prædicationis accipitur; quæ est Evangelii dispensatio, et sermo eloquiorum Dei, qui dari debuit **1050** nummulariis et trapezitis, id est sanctis doctoribus per singulas ecclesias, sicut fecerunt apostoli per singulas provincias presbyteros et episcopos ordinantes; vel cunctis credentibus divina tradentes mysteria, qui possent Domini sui pecuniam duplicare, et imaginem summi Regis in cordibus singulorum, ac si in nummis, bene insculpere, et cum usuris omnia reddere; ut quidquid in sermone didicerant, opere complerent, et de terrenis ac caducis cœlestia et æterna, sibi atque aliis lucrarentur. *Tollite*, inquit, *talentum ab eo, et date ei qui decem talenta fecerat.* Secundum priorem intelligentiam facilis est sensus. Quia ablata sunt omnia a Judæis divini verbi mysteria, qui Christum non receperunt, et commissa sunt apostolis et apostolicis viris qui ex Judæis crediderunt, et his qui maxime in verbo laboraverunt : ut intelligamus, licet in utriusque labore æquale sit domini gaudium fidelibus et bonis quod donatur omnibus, qui decem seu qui quatuor de quinque et duobus retulerunt talenta, tamen majus deberi præmium ei qui plus in domini pecunia laboraverit, sicut Scriptura divina docet, et non sicut quidam volunt, ut nihil plus habeat qui majus, neque minus qui parum laboraverit, tantum ut ex toto diligat et duplicet quod percepit. Quamvis enim metat in gentibus, ubi non seminavit verba legis, et congreget eos ad fidem ubi non sparsit, non tamen sine merito fidei præmium præstatur. Quia sicut non aliunde quam ex dono Dei et talento sibi credito, quisque laborat, sic non remuneratur nisi secundum laborem suum et gratiæ largitatem.

Omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Quoniam quicunque rectam et integram non habet fidem, etiam reliquas virtutes, quas videbatur habere perdet. Eleganter itaque ait quod videbatur habere; quia quidquid sine fide est, non virtus sed peccatum est. Aufertur ergo ab eo quod videbatur habere, cum declaratur in examine judicii Dei, quia non fuit ex fide quod habuit, qua justificatur impius, et in qua justus vivit. Et hoc est dicere, *auferetur ab eo*, cum ei non imputatur opus ad justitiam, neque merces justitiæ in retributionem. Nam et cum multi naturaliter multam habeant efficaciam mentis, et acumen prudentis ingenii, si negligenter bonum naturæ per desidiam corruperint, perdunt hi tales **1051** bonum naturæ præmium, quod eis fuerat repromissum, et vident nonnunquam transire ad alios qui multo labore et industria compensant, quod minus eis fuerat a natura. Hæc sententia quamvis non satis clara videatur, quo modo tollatur quolibet pacto a malo servo talentum quod perceperat, vel quomodo detur alteri qui decem plus minusve habuerat, ut habeat etiam et hoc super illa quæ acquisierat, tamen possibile est in remunerantis officio, ut possit habens impræsentiarum abundare, quia facile est per incrementum posse ditescere fidelem et bonum servum, vel per incrementum munificentiæ, vel per laboris opulentiam; sed non video quomodo a non habente, qui videbatur habere, auferetur ab eo quod non habebat; neque quomodo detur alicui quod non est, quia in eo qui habuit illud exinanitum est. Nisi forte ita intelligendum sit, quod habentibus Evangelii gratiam, etiam legis honor pro fide Christi, et lucro Evangelii ad-

Introdusă în format electronic de Google

datur; et hinc inutili servo, non habenti fidem Christi, neque legis mysteria, quæ videbatur habere auferantur; auferatur et littera quæ occidit, quam gloriabatur se habere; auferatur et honor legis, et omnia ejus observatio superstitiosa. Cæterum torpentibus in fide Christi generaliter et negligentibus, quomodo conveniat hæc sententia, quoniam ipsi omnes in servo isto accipiuntur, diligentiori est inquisitione perscrutandum. Interdum vero fateor quod potens est Deus, et efficax ejus divinitas, *penetrabilior omni gladio* (*Hebr.* IV, 12), præcidere ab eo, et auferre sufficientiam quam habet, qua se simulat, dum ignaviter vivit et versatur in voluptatibus carnis, et dare gratiam et meritorum præmia ei, qui etiam ut Paulus et multi sanctorum plusquam acceperant, sub labore et industria, ultra præceptorum Dei sibi attributa talenta, supererogarunt, quia et hoc ipsum ut facerent gratis acceperunt. *Tollite*, inquit, *ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta*; ut puta fidem ab habente quam videbatur habere, sed non erat fides, quia *sine operibus* (*Jac.* XX, 26) mortua erat in semetipso. Quæ nimirum fides et gratia fidei datur habenti, et abundabit in eadem fidei gratia, quotidie operando, et firmior invenitur in eo quod habet, atque abundantior. Similiter et qui habuerit a natura, ut dixeram, efficaciam mentis, et ingenium, cum exercuerit eum in fide Christi, accipit idipsum dupliciter, et ex gratia Dei fit abundantior **1052** et fortior, in eo ipso quod habebat. Quod si fuerit quis perfectus in sensu juxta Salomonem, inter filios hominum, si abfuerit ab eo gratia Dei et sapientia, ut nihilum reputabitur. Similiter et de omni ingenio, et de arte, atque virtute accipiendum est. Unde si volumus nostrum esse quod habemus ex Deo, agamus ut detur nobis virtus perfectior, et abundet in nobis quod perfectus est ex gratia Dei, ne forte auferatur a nobis et detur alteri, et accipiat alius, juxta Apocalypsim, locum nostrum, si permotum fuerit candelabrum nostrum de loco suo. Idcirco per diligentiam omni instantiâ agamus, ut et id tenere possimus, quod accipimus, et ex eo aliud acquirere quo abundemus. *Inutilem autem servum projicite in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium.* De qua sententia jam supra diximus; verumtamen quia formidolosa est valde, cogitandum est quid in eo culpatur, cui non dicitur quod mali aliquid fecerit, licet malus dicatur, sed quia piger et inutilis fuit. Sicut et supra quinque virgines fatuæ, non ob aliud repelluntur, nisi quia oleum secum non tulerunt. Nam et iste servus ideo inutilis vocatur, quia de talento lucrum non obtulit domino suo, quod totum in sudario, id est in carne reposuit. Et ideo a tortoribus missus est *in tenebras exteriores*, quoniam et ipse lumen in se Deum non habuit: Deus autem lumen æternum est; et quia ab eo non illuminatur, extra ipsum est, non localiter quidem, sed pœnaliter; nam in Deo tenebræ non sunt ullæ, quoniam ipse totus lux est. Et ideo hic malus servus, cum ab eo repellitur, in tenebras exteriores mittitur. Quia et ipsæ tenebræ, nisi exterius a Deo essent, utique tenebræ nusquam et nunquam essent.

Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, etc. Hæc namque parabola, nisi diligentius excussa fuerit et pertractata, videtur esse valde manifesta, simplex quoque historia et aperta, quasi exhortans homines ad beneficia humanitatis præstanda, ad dandam eleemosynam, et ad largiendam gratiam. Omnem inhumanitatem in paucis condemnans, et omnem parcitatem pii operis reprehendens. Quapropter quia a multis simplex videtur esse historia, et a multis præ cunctis, quanto terribilior, tanto obscurior, quærere oportet quid in se sacramentorum **1053** habeat difficultatis? Maxime propter eos qui nihil aliud in hoc sermone existimant quærendum, quam exhortationem humanitatis, et largitatis gratiam. Sicut et in parabola quam modo tractavimus, nihil aliud quam dispensationem verbi, et talentum prædicationis. Nam quod de adventu novissimo loquatur, nemo qui ambigat. Quando filius hominis, qui et Filius Dei, qui assumptus est in gloriam Patris quo prius et semper erat, revertetur huc sic quomodo abiit, ad judicium, in specie et pulchritudine sua; ita ut corpus ejus sit, et appareat in claritate incorruptionis æternæ. Non transformatus tantum coram tribus discipulis, sicut in monte monstratus est, sed glorificatus in gloria Dei Patris coram universis gentibus congregatis ante eum jam per resurrectionem carnis, quando apparebit, quia judicatus est in mundo, ut judicet et ipse mundum. Et sedebit judex super sedem majestatis suæ, et tunc segregabit oves ab hædis, id est bonos a malis. Attende tibi, lector, omnes retro parabolas, et intellige quam mystice sunt prolatæ. Nam retro angeli jam zizaniam universam collegerunt, et segregaverunt a tritico. Jam pisces boni collecti sunt in vasis, malos foras miserunt. Jam virgines fatuæ repulsæ sunt. Jam servus inutilis et malus missus in tenebras exteriores, seu cætera quæ longum est enumerare. Et quid est quod nunc ad extremum ipse per se, ac si judex, in sede majestatis suæ introducitur, et collocantur ante eum omnes gentes, quas ipse per se dijudicat, et segregat ac si pastor, et dividit oves ab hædis? Ipse namque est pastor bonus, qui ait: *Cognosce meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* X, 14). Et ipsas quas ipse per se suas esse cognoverit statuet in dextris, reliquas vero omnes inter hædos in sinistris reprobando in judicio, deputabit. Et ideo in hoc novissimo examine, et in hac ultima omnium parabolarum, non aliam quam seipsum introducit personam, ut monstraret seipsum qui pro omnibus judicandus erat, quam potens, quam discretus ipse per se rursus judicaturus adveniet. Unde et hanc parabolam ultimam proposuit, ut continua esset passioni ejus; ut omnes simul hæc duo intenderent judicia. Quam juste et quam debite ipse potens ad-

Introdusă în format electronic de Google

veniet filius hominis ad judicium, qui tam humilis tamque despectus judicatus est injuste pro omnibus. Et quia pro omnibus indebitam mortem pertulit, **1054** potenter insinuat, quia voluit. Et ostendit se regem esse et judicem omnium sæculorum, antequam congregabuntur omnes gentes, ut judicentur de universis pro quibus tanta ipse sustinuit. Sed quærendum utrum omnes gentes, quæ fuerunt in omnibus sæculi generationibus; aut illæ tantum, quæ in consummatione sæculi fuerint adhuc in carne; aut illæ tantum quæ crediderunt Evangelio Christi, et ex ipsis omnibus segregabuntur oves ab hædis. Quia sicut canitur in Psalmo : *Impii non resurgent in judicio* (*Psal.* I, 5); sed et de ipsis qui fidem Christi receperunt? Quantum ad simplicem textum pertinet narrationis, ambiguum videtur utrum de omnibus, an non de omnibus dicat; præsertim cum in his qui a dextris erunt, nulla alia causa laudatur, neque ob aliud in præparatum olim regnum introducuntur, nisi propter solam humanitatis gratiam, et eleemosynarum largitatem. Neque in his qui a sinistris erunt alia damnatur causa, et deputantur in ignem, nisi propter inhumanitatem, et quia membra Christi non suis refoverunt beneficiis. Quid ergo, si qui humani fuerunt, et largi in suis habitis rebus? Nunquid si circa reliquas virtutes, negligentes fuerunt, aut forte crimina commiserunt, hæc talia mox consequentur promissa? Aut illi forte qui non fuerunt hujusmodi officiis dediti, si alias et majores impleverint virtutes, nunquid continuo maledicti erunt? et omnino in ignem sunt condemnandi æternum cum diabolo? Quantum ergo exspectat ad sanam intelligentiam et doctrinam veritatis, cum prudenti consideratione hic locus pertractandus est, ut catholicis respondeat documentis. Quia nec aliter accipi potest, quam Veritas Christus prædixit, nec ipse autem prædicare vel docere, quam ut conveniat Scripturarum sanctarum in omnibus ad integrum institutis. Et ideo humanitas eorum non ideo laudatur tantum, quia larga fuit, sed quia pro Christo fuit, atque ut ipse ait, talis tantaque fuit ex fide et charitate Christi, ut non alio aliquo quam ipsi Christo videatur exhibita, quia pro ejus amore fuit. Alioquin juxta Apostolum (*I Cor.* XIII, 3) si distribuatur in cibos pauperum omnis facultas rerum, et tradatur corpus ita ut ardeas, charitatem autem non habueris, nihil tibi prodest. Quapropter ista humanitas et benignitas tantæ devotionis, quæ sic remuneratur, charitatis fuit adimpletio; charitas autem Spiritus sancti est infusio. Idcirco isti etsi omnia sua in sæculo **1055** non reliquerunt propter charitatem semetipsos, et sua Domino devote obtulerunt. Unde tantum non remuneratur censûs dati, quantum fructus. Fructus autem dati juxta apostolum, charitas est. *et charitas operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* V, 20). Ergo ubi charitas Dei, diffusa per Spiritum sanctum, liberaliter operatur, virtutum integritas servatur. Porro de sede gloriæ Christi, quando sederit in sede majestatis suæ, quamvis ipse filius hominis sedere dicatur, non corporale aliquod subsellium ibi erit, quoniam et throni positi in eo judicio leguntur, et libri aperti a Daniele cernuntur. In quibus nimirum libris, omnia gesta mortalium conscripta tenentur, et eorum omnium nomina qui in baptismo ad militiam Christi dederunt, ea recitantur, et qualiter in agone decertarunt, ac si in annalibus summi Regis, universa tenentur. Unde et in Apocalypsi legimus, quod in throno visus est sedere sedens, *et in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor* (*Apoc.* IV, 4) posita, ubi cum senatoribus suis rex ad judicium veniens sedebit. Idcirco qui vult omnia hæc diligenter intelligere, necesse est (quia spiritalia sunt) ut Spiritus sancti gratia repleatur; quia nemo spiritualia, nisi in spiritu capit. Legimus namque thronos et dominationes angelorum esse agmina. Legimus et Ecclesiam Christi, sedem majestatis ejus vocari. Proptorea aut ipsi angeli sedes hoc loco dicuntur, quibus præsidere filium hominis, nemo fidelium ambigit : aut certe perfectiores sancti, de quibus in Psalmo canitur. *Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David* (Psal. CXXI, 5). Ergo rex sæculorum, Deus *Verbum*, quod *caro factum est* (*Joan.* I, 14), filius hominis, sedebit super hujusmodi sedem gloriæ, cum universis sanctis suis, quibus promisit dicens : *Quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis super thronos duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (Luc. XXII, 30).

Et tunc congregabuntur ante eum omnes gentes. Dixeram jam supra de adventu Christi ad terras, quasi in loco quo judicatus est secundum carnem, quod ibi descensurus sit ad judicium, non adeo ignorans ullum locum esse, qui sub uno aspectu hominis capiat, non dico omnium angelorum agmina, qui cum eo venturi sunt ad judicium, verum nec omnes gentes ante sedem majestatis ejus congregandas. Et tamen vere dictum est, quia congregabuntur ante eum, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, omnes gentes. Nec dubium quod idem ipse filius **1056** hominis in loco erit. Et si in loco erit uno, quomodo ante eum congregabuntur quos locus non capiet unus? Nam et ipsæ gentes quæcunque congregabuntur, vere locales erunt, et ante faciem filii hominis, utique, et Evangelium dicit, congregabuntur. Congregabuntur autem per resurrectionem carnis a quatuor ventis cœli, exoccupati omnes ab omni officio mundi, et ab omni actione carnis. Et ideo vere congregati dicuntur, quia jam ultra non per diversa distenti erunt, neque quasi libero arbitrio vagi, sed omnes sub uno judice præsentes erunt. Hæc idcirco dico, fratres, propter eos qui moventur in talibus. Ne forte ex toto si tacuero, difficultas loquendi difficiliores de tali tantoque examine generet quæstiones. Quapropter primum obsecro sic cogitetur filius hominis ad judicium venturus, ut intelligatur et credatur Deus, neque triplicetur aut duplicetur in duos, sed sentiamus omnes, quia Deus et homo unus est Christus. Ac per hoc ubicunque fue-

Introdusă în format electronic de Google

rit Deus homo, quia ubique est, totus ubique putetur esse Christus, quo possint ante filium hominis congregari omnes gentes, qui descendit de cœlo; quia filius hominis cum hæc loqueretur, juxta ipsius vocem, jam erat in cœlis. Idcirco quia sic indivisa est persona Christi, nec absurdum est credere, quod coram ipso congregandæ sint omnes gentes. Quia nusquam abest, neque est ubi non sit Christus, et ideo omnes ante eum erunt. Non igitur est solvendus ipse. Quia qui solvit Jesum, hic autem antichristus est. Tum in adventu ejus tanta manifestatio secundum hominem erit, ut non solum nullus justorum, verum etiam nec aliquis peccatorum ignoret Christum ad judicium venisse; quando exiet sicut fulgur ab Oriente, et parebit usque in Occidentem. Quando cognoscent omnes peccatores terræ sua delicta, et justi manifeste videbunt semina virtutum suarum, ad qualem eos perduxerunt finem. Et hoc est quod dicit forte : *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Si enim modo quando nec omnes cognoscunt Christum secundum quod est, nec ipsi electi palam, nisi quia tantum in fide cognoscunt eum; et tamen intrant ad eum et ante conspectum ejus, quando cognitionem ejus habent, et illuminantur saltem per fidem. Sicut canimus in Psalmo : *Intrate in conspectu ejus in exsultatione* (*Psal.* XCIX, 2); quanto magis recte dicuntur omnes gentes ante eum congregandæ et constituendæ, **1057** quando palam omnibus erit, tam bonis quam malis, tam fidelibus quam infidelibus. Factus erit ante oculos mentis eorum, jam non fidei, aut diligentiæ alicujus inquisitione repertus, sed in carnis suæ ostensione tam manifeste prolatus, ut nemo ignoret quod ipse sit Christus, et nemo dubitet quod ipse sit Deus. Ac per hoc forte, juxta hunc modum, non in aliquo quidem loco apparebit Filius Dei et hominis, cum venerit in gloria sua, et in aliquo non apparebit, sed sicut ipse de fulgore apparitionis suæ monstrare dignatus est, visibilis erit. Propter quod ubique omnibus manifestus, et ipse in conspectu omnium erit, et omnes ubique ante ipsum erunt, et in conspectu ejus singuli manifesti erunt. Verumtamen apparitio ejus corporaliter quolibet modo nota erit et manifesta; vel secundum quod in monte resplenduit, vel juxta quod post resurrectionem visibilis fuit, et videbunt mali quem pupugerunt, et plangent super se omnes tribus terræ. Tunc e contrario justi gaudebunt de tanto splendore piissimi judicis interdum, et de tanta gloria majestatis ejus, quia illa visio necdum in forma Dei erit, neque regni perceptio. Sed quia in tanti judicis examine nemo gloriabitur se castum cor habere, in ipsa apparitionis suæ gloria, illustrabit corda eorum, qui sibi ministraverunt, ut intelligant singuli opera sua bona, ut habeant sua quæ gesserunt etiam et mali in conscientia sua, et hoc sit segregare bonos a malis, libros-que apertos esse, quando singulorum conscientiæ nudæ erunt et manifestæ. Hinc quoque ipse per Prophetam ait : *Ecce venio cogitationes eorum ut congregem.* Et Paulus apostolus cogitationes accusantium dicit, aut excusantium, adesse singulorum, in die cum judicaverit Deus occulta hominum. Quia profecto boni Pastoris est suarum ovium cognitionem habere, ut eruat eas de medio malorum, juxta quod Ezechiel ait : Hæc dicit Dominus Deus : *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo illas sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum; sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant, in die nubis et caliginis* (*Ezech.* XXXIV, 12), hoc est impræsentiarum, quando vix ulla discretio est inter bonos et malos, donec ipse pastor veniat, quando sessurus est in sede majestatis suæ, et tunc implebitur quod nunc per prophetam dicitur, et segregabit eas de populis et nationibus, et congregabit eas, vel collocabit in dextris suis. Et ideo sanctus evangelista hanc ultimam **1058** omnium parabolarum, non in alterius personam posuit (ut supra ubi ait, quod *Exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum*), sed solius in ejus persona qui ait : *Ego sum pastor bonus, qui cognosco meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* X, 14). Angeli siquidem colligent malos de medio justorum; ipse vero per se Christus, quia bonus pastor est, requirit et visitat oves suas, quoniam nullius alterius est discutere conscientias singulorum. *Et statuet quidem oves a dextris, hædos autem a sinistris.* Provide satis post biduum Pascha facturus; deinde tradendus cruci, et illudendus ab hominibus, aceto quoque et felle potandus, recte præmittit gloriam triumphantis, et judicium æternæ remunerationis, ut secutura scandala pollicitationis præmio compensaret, et relevaret animos discipulorum a mœrore tantæ tentationis. Quod autem dicitur oves statuere in dextris, hædos vero in sinistris juxta illud intellige : *Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius* (*Eccle.* X, 2), cum nemo qui alibi habeat cor, quam in parte qua naturaliter omnibus collocatum est. Sed quia sapientes fuerunt oves Christi, elegerunt cor ponere in dextris; quia vias quæ a dextris sunt novit Dominus. Stultæ autem seu fatuæ sinistras tenuerunt, in quibus posuerunt cor. Et ideo merito singuli greges ad has deputantur partes, quas in suis elegerunt tenere operibus. Hinc ergo est quod monet Dominus in hoc eodem Evangelio : *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Et notandum quod oves statuet in dexteris suis, hædos autem tantum in sinistris. Non in sinistris suis, quia sinistrorum viæ et opera non sunt ejus, qui nihil habet sinistrum. Et ideo pluraliter dicit in dextris vel sinistris, quia multæ sunt actiones utrarumque partium. Quapropter non quasi ad locum, oculum debemus intendere, sed ad merita et differentias singularum partium. Alias autem juxta humanitatis dexteram vel sinistram, non spatium est quod capere possit singulas ovium vel hædorum partes. Et ideo altius hæc omnia consideranda sunt juxta mentis intuitum. Oves itaque electi, propter innocentiam vocantur. Unde datur intelligi, non sicut quidam volunt, propter solam humanitatem, ju-

Introdusă în format electronic de Google

stos remunerat, verumetiam et propter immaculatam vitam, ut oves jure dicantur. Quia hæc est vitæ humanæ perfectio, ut propheta docet, declinare a malo et facere bonum. Quorum opera, quia bona fecerunt, et non cuicunque, sed quia Christo ministraverunt, jure laudantur et quia innocenter vixerunt, nec immerito oves dicuntur. Porro reprobi non **1059** oves, non capræ quæ offeruntur in sacrificiis et fetos nutriunt, quæ tonsæ ascenderunt de lavacro; inter quas nulla sterilis invenitur, sed hædi sunt appellati, quod animal valde lascivum est et petulcum semper ruens ad coitum. Et ideo reprobi, quia semper luxum et voluptatem carnis sunt sectati, non immerito vocantur hædi, quorum sterilitas boni operis condemnatur. Et quia luxuriose sæculi oblectamenta sunt secuti, neque suis se redimere voluerunt bonis justisque operibus, justo Dei judicio ex utroque condemnantur. Unde sequitur.

Tunc dicet Rex his qui a dextris suis erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete vobis paratum regnum a constitutione mundi. Miro igitur modo forma regnantis introducitur, ut nemo discipulorum de ignominia crucis erubescat. Et vocat eos benedictos Patris sui, ob eminentiam divinæ benedictionis qua condonatur eis immensa gloria, qui benedicti dicuntur, *a Domino qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* cxiii, 15), qua nulla major est benedictio quam ea, qua per Filium benedicuntur a Patre. Quam regulam fidei apostolus Paulus secutus aiebat : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi qui benedixit nos omni benedictione spiritali in Christo Jesu in cœlestibus.* (*Ephes.* I, 3). Unde quia Pater benedicit electos suos non qualicunque benedictione, sed omni benedictione spiritali in Christo, jure ipse benedictos Patris sui eos vocat, quos elegit ipse et ad regnum invitat percipiendum. Vocat autem eos qui per fidem et charitatem eum sunt secuti, ut transeant ad speciem æternæ visionis, ut quia cum Deo vixerunt in sæculo, proximiores et cohæredes fiant in regno per contemplationem totius Trinitatis. Cave, quæso, lector, semper hæreticorum insidias, qui dicunt quod benedictos Dei Patris ideo hoc loco eos vocarit, ad distinctionem eorum qui benedicti quidem sunt, sed longe inferius, per Christum; quasi remaneant ulli extra hanc benedictionem, qui benedicti dicantur (quod omnino catholica fides non recipit), sicut nec ullus extra illam maledictionem, quam reprobi sunt audituri. Ac propterea non nisi duæ partes erunt, duæque civitates, quæ ab initio sæculi colliguntur. Quarum una, non nisi filios benedictionis receptura est, altera vero maledictionis. *Percipite*, inquit, *regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Porro, quod in Latino *a constitutione mundi*, in **1060** Græco habet, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, id est a depositione mundi. Non enim hoc verbum constitutionem sonat, sed significantius id quod deorsum jacitur in fundamentis significatur, et in inferiorem locum mittitur de sublimi, seu cum aliqua res exordium sumit. Unde et qui domorum prima jaciunt fundamenta dicuntur καταβεβληκέναι, id est deorsum initia jecisse dicuntur, quia, sicut quidam ait Græcorum, sermo latior est, et lingua felicior. Unde hoc verbum καταβολὴ recte initium fundamenti sonare videtur; et nec in angelorum, neque archangelorum creatione, seu cæterorum spiritualium, invenies hoc verbum, nisi de mundi initio, vel constitutione rerum corporalium. Porro *a constitutione mundi*, seu ab origine paratum regnum sanctorum prædicatur; nec mirum, cum et ipsi sancti ante mundi constitutionem præsciti a Domino et prædestinati ab Apostolo dicuntur, in quo regno jam paratæ mansiones multæ sunt. Paratum siquidem regnum ab origine mundi paratas in se jam habet mansiones, quas Dominus Jesus cum ascendit ad cœlos ivit parare, et non aliter quam paratæ erant. Quia non nisi per fidem ad eas venitur. Ideo sic parandæ sunt in fide prædestinatorum, ut sunt jam in illo regno cœlorum. *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Magna igitur unitas in hoc loco commendatur Christi et Ecclesiæ magnumque sacramentum, de quo dicit Apostolus, quia *erunt duo in carne una* (*Gen.* XI, 24), id est Christus et Ecclesia, ita ut ipse sit caput, et omnes electi in corpore uno unius capitis membra : ac per hoc ubi tam magnum commendatur sacramentum, evigilare debet animus, ut sic vivat in uno corpore Christi, quatenus se sentiat esse membrum Christi. Et sicut ædificavit singula membra corpus, ita coædificetur unusquisque suo in loco honeste, quomodo suo congruat capiti, et ut vivat in corpore Christi, regatur spiritu Dei. Quia quicunque spiritu Dei aguntur, hi tantum sunt filii Dei, fratres Christi, et vivunt in corpore Christi. In quibus tanta unitas, ut dixi, hoc loco commendatur a Domino, ut qui quid uni eorum feceris, miro modo totum sibi fecisse testetur. Super exaltantem munus operis in se quod feceris, ut factum illud gloriosius commendet. Unde ait : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Sitivi, *et dedistis mihi potum*, seu cætera, quæ omnia humanitatis videntur esse officia. Sed, ut dixi, non sic accipere oportet, quasi prætermissis cæteris virtutibus, **1061** et admissis criminibus, unius justitiæ species in eis remuneratur, sicut nonnulli æstimant. Absurdum est enim nihil aliud intelligere virtutis illis fuisse ad præmium, qui ita remunerantur, nisi tantum communicationem humanitatis. Sed quia, ut dixi, eorum persona introducitur, qui, rebus habitis, nec ex toto quæ mundi sunt reliquerunt, rectum fuit ut in his amplius laudarentur officiosissime Domino deseruisse, in quibus adhuc quasi in sæculo obnoxii tenebantur. Quod et Apostolus in Epistola sua commendat ad Corinthios his qui suis utebantur rebus, *Vestra*, inquit, *abundantia illorum inopiam supplet* (*II Cor.* VIII, 14, 15); id est eorum qui pro Christo sua reliquerant, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat et æqualitas, sicut scriptum est : *Qui multum non abundavit, et qui modicum non minoravit.* Non enim hoc dicit, nisi fidelibus et devotis, quos in multis laudat locupletes

Introdusă în format electronic de Google

esse virtutibus. Propterea studendum in omnibus ut et ista habentes studeant, et cætera virtutum fundamenta non omittant, sine quibus nihil aut parum proficiunt ista. Unde sciendum quod sicut ad consequendam hæreditatem æternam sola non sufficiunt ista : ita non est possibile omnia illa implere, sicut quidam male præsumunt, ut non contingat nos agere aliquid contra Dei mandatum; quia *in multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Unde et ista quæ numerantur, sic agenda sunt, ut et cætera etiam corporalia, quibuscunque beneficia non negligantur, id est insuper et spiritalia, modis omnibus quibus possumus et quantum possumus non omittamus; quia sive hoc, sive illo modo, quisque impleat bonum, ut aut corpus carnalibus, aut anima reficiatur spiritualibus cibis, Deum utique pascit, et reficit in membris suis. Quia sicut Christi cibus est ut faciat voluntatem Patris, ita et ejus cibus et potus est, ut se in voluntate Dei ad invicem foveant, et enutriant pro ejus amore membra Christi, idcirco in his negotiis sibi ad invicem necesse est serviant membra Christi, ut et eorum abundantia qui habent quæ mundi sunt, sanctorum inopiam suppleat, ut eorum divitiæ, qui spiritalem Verbi substantiam habent, et meritorum istorum sit supplementum. Unde pro certo, quisque necesse est credat, quoniam *quæcunque seminaverit homo, hæc et metet* (*Galat.* VI, 7). Quibus enumeratis,

Tunc respondebunt justi : Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus te; sitientem, **1062** *et dedimus tibi potum. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te,* seu cætera. Quod si ulla ratiocinatio in eodem judicio voce intelligenda esset; non utique justi eorum oblivisci poterant forte impræsentiarum quæ legerant, seu quæ pro ejus amore in electis Dei gesserant. Sicut hodie nemo est qui ignoret Deo se præstare quidquid in pauperibus Christi tribuit. Sed iste effectus vocis, aut nimiæ humilitatis est causa, aut magnæ admirationis est stupor, cur quem in tanta majestatis gloria conspiciunt et claritatem, si eum aliquando esurientem vel sitientem videre potuissent; aut etiam, ut ita dicam, pro eodem nimio stupore et admiratione incredulitatis, quod hunc unquam ægrotum viderint, aut huic tali tantoque in carcere posito vel infirmo, digne ministrare potuerint, aut ad eum venire. Unde, ut dixi, si causa humilitatis indignos se proclamant, magis affectu mentis, quam clamore vocis. Ipse autem, ac si pius et clemens relevat eos, blandit palpans, aspirat in eis, volens eis ostendere compassionem suæ germanitatis, et dicit : *Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis.* In suis profecto se pronuntiat fuisse, imo sibi omnia magis quam illis ministrasse, et ut ita fatear, tanta cum eo in unitate fuisse, ut simul dicat in uno eodemque facto sibi et illis omnia fecisse. Hinc quoque evidenter ait : *Quandiu fecistis uni de his minimis istis, mihi fecistis;* se nimirum pavisse, seque potasse, et sibi fecisse et ad se venisse testatur. Verumtamen

A in ea forma qua proprie filius hominis est, et ipsa una eademque persona, æque Filius Dei et filius hominis. Non quia singulariter veritas est, mentiri non potest. Et ideo credendum quod hæc omnia in membris suis, ac si in se, ipse suscipiat, quod in multis locis Scripturarum apertissime monstratur, sicut est illud : *Qui vos audit, me audit; et qui vos recipit, me* utique *recipit* (*Luc.* X, 16). Necnon et Saulo ait de cœlo : *Saule, Saule, cur me persequeris?* (*Act.* 9.) Seu et alia quamplura. In quibus omnibus cum dicit, mihi, aut me, se procul dubio sibique fecisse, et ad se venisse, pro membris suis, intelligi vult. Verumtamen considerandum est quia cum his loquitur, qui in dextris aut sinistris erunt, qui sunt de quibus loquitur, minimis, quibus isti bona fecerunt qui in dextris erunt, vel illi non fecerunt, qui a sinistris, et ideo Christo filio hominis non **1063** fecerunt. Quinam sint qui et minimi dicantur; et tamen quia fratres sunt, magni erunt, et pro Christo accipi possunt, omnino non ab re quæritur. Profecto cum in eodem judicio nulli alii erunt quam qui in dextris aut sinistris erunt, et illi fecerunt quæ facta laudantur, vel quæ non facta condemnantur. Et tamen demonstrative dicit, quandiu fecistis, vel non fecistis uni de his minimis fratribus meis. Unde patet sensus, quia præsentes erunt, et hi de quibus loquitur, et ad quos quasi digitum demonstrative porrigere videtur. Idcirco et ipsi in eodem judicio erunt cum Domino. Ergo non ut judicentur, ut reor, sed ut judicent, qui sua omnia etiam et semetipsos, pro Christo reliquerunt. Hi namque pro Christo, in mundo judicati sunt, et ideo ipsi, sicut repromissum est in hoc ipso Evangelio, de aliis judicabunt. Ipsi *in fame et siti*, fuerunt, sicut Paulus enumerat (*II Cor.* XI, 17). *In frigore et nuditate*, quos isti paverunt de suis justis laboribus, et nudos cooperuerunt. Ad quos pro Christi nomine, in carceribus positos, venerunt et ministraverunt, necnon et in infirmitate, eos foverunt. Quapropter non mihi videtur generaliter dictum de omnibus pauperibus, sed de his quos pauperes Christi Apostolus nominat, qui et beati dicuntur, quia pauperes sunt, ad quos jam supra extendens manum, dicebat : *Hi sunt fratres mei, et mater mea, qui faciunt voluntatem Patris mei* (*Marc.* III, 33, 34). Ergo voluntas Patris cibus Christi est, et potus. Alioquin libera nobis esset intelligentia, quod in omni paupere Christus pasceretur esuriens, et sitiens potaretur, hospes quoque induceretur in tectum, nudus vestiretur, sed et infirmus visitaretur, clausus in carcere haberet solatium consolantium se, nisi tam evidens eorum esset demonstratio, de quibus dicat, ut alicubi nos respicere non sinat, nisi ad eos quos quasi proximiores digito demonstrat, quos fratres suos, licet minimos, vocat; non ad comparationem eorum quos pro ipsis remunerat, ut minimi eorum dicantur, sed ad comparationem sui. Vel etiam ideo minimi, quia tales mitissimi et humiles erunt : quorum numerus, quia eximii erunt, ideo forte in comparatione omnium, et ipse minimus erit. Unde et ipse aliubi · *Confitebor*

Introdusă în format electronic de Google

tibi, Domine Pater, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* x, 21). Nec tamen ista ideo replicamus, ut negemus quodcunque boni, vel cuicunque in nomine justi, quisque fecerit, quod mercedem justi non debeat perdere. Sed propterea, **1064** ut domestici magis semper in fide eligantur, et qui laborant in verbo Dei et disciplinam Christi exhibent in se, amplius honorentur omni obsequio humanitatis. Quia pro talibus major merces acquiritur, et religio Christi veneratur.

Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, seu cætera quæ sequuntur. Nequaquam igitur invenies dixisse, a sinistris ejus, aut a sinistris suis stetisse hædos, sed solummodo in sinistris. Primum in Deo, ut dixi, quia nihil sinistrum est. Deinde quia nec Dei est quod a sinistris sunt, sed ipsorum qui se in sinistris malitiæ suæ collocaverunt, nolentes dexterorum sequi vestigia. Quod autem primum eos qua dextris sunt, remunerat, benignitas est Salvatoris Dei, quia semper mavult beneficia gratis præstare, quam vindictam peccatorum, etiam debitam, rependere. Imitator ergo est Patris; nam Pater eos quos in dextris constituit benedicere mavult, quam maledicere quos a sinistris iniquitas ipsorum stare fecit. Propterea non ait : Discedite a me, maledicti Patris mei, quoniam benedictionis est potius largitor Pater, maledictionis autem unusquisque sibi est auctor, cum maledictionibus digna operatur. Et notandum quod ait, *discedite a me*. A se quidem jubet discedere, cui, quia *mediator Dei et hominum* (*I Tim.* II, 5) est, videbantur per sacramenta novæ nativitatis conjuncti. Sed quia ipsi recesserant prius ne ei inhærerent fide et operibus, decernit justo suo judicio eos ire in ignem æternum. Quia prius ipsi in eum deciderant ignem, cum in sæculo sine pœnitentia, sæculum magis amaverint quam Deum. Nec enim sola inhumanitas in eis damnata creditur, sicut nec sola largitas in his qui a dextris erunt remunerata. Sed quia mundi rebus male abusi sunt in superbia, semetipsos tradiderunt concupiscentiis suis, suisque inservierunt luxuriis et voluptatibus, nec voluerunt Deo præstare quibus se redimerent; et ideo valde rationabiliter, ac si in radice tota damnatur iniquitas, cum sola culpatur inhumanitas, et rerum benignitas fratribus denegata condemnatur. Ignem autem æternum quem dicit, nulli dubium quod alterius generis est ignis, quam iste quem nunc temporis habemus in usu. Quia nullus ignis præsentis sæculi æternus. Nescio enim utrum sol, quia ignis se esse dicitur, æternus debeat vocari necne, quia mutabilis est, etsi in melius commutabitur. Ille **1065** autem ignis de quo hic dicitur, utique æternus esse firmatur; quia veritas est qui eum diabolo paratum esse repromittit. Et ideo non aliter credere oportet, nisi ut ipsa Veritas ait. Quamvis quidam novi assertores falsitatis, ut decipiant male incautos, velint astruere nulla alia esse genera pœnarum, neque loca tormentorum quod proprias conscientias hominum, cum Deus veritas jam eum et paratum dicat, et æternum esse testetur. De quo igne profecto Isaias dicit, quod *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24). Qui denique ignis forsitan talis tantæque substantiæ est, ut etiam incorporalia et invisibilia comburat. Unde et multorum opinio est, quod ipse etiam invisibilis sit constitutus. Quoniam juxta quod ait Apostolus : *Temporalia sunt quæ videntur, et quæ non videntur, æterna* (*II Cor.* IV, 18). Sed forte de his qui impræsentiarum sunt dicit. Alioquin si sola quæ non videntur æterna sunt, ut quæ videntur temporalia, invisibilis est ille ignis, ne temporalis credatur, qui æternus dicitur. Si autem diabolus et ipse etiam æternus est, vere et ipse ignis qui ei paratus est, æternus recte credendus est, quia nulli alteri quam diabolo paratus dicitur. Forte iste ignis quando paratus est diabolo a justo judice, ipse homo necdum erat. Et ideo illi paratur qui corruerat antequam homo esset. Et ipse cui paratur, licet spiritale, tamen corpus habere non negatur. Quod si diabolus, quamvis spiritale corpus habere creditur, quid mirum, si et ipse ignis qui ei paratus est, spiritalis atque corporeus esse credatur? Unde et ipsa corpora humana in resurrectione, quia spiritalia erunt non ab re creditur eo igni posse cremari utrumque, corpus scilicet et animam in gehenna. Gehenna quippe, duplex pœna dicitur. Forte quia corpus et anima eo crematur incendio; ut quia dupliciter homo deliquit, dupliciter puniatur. Nec igitur mireris, si dicatur ignis ille visibilis aut invisibilis, quia non secundum hanc visionem nostram, qua nunc videmus, illa visibilitas erit, sicut nec corporea spiritalia talia, qualia nunc sunt erunt. Et ipse ignis a sapiente judice Deo, nec mirum si talis est prævisus et præparatus, qui et angelicam illam spiritalem queat torquere naturam, et humanam jam spiritalem resuscitatam concremare. Nam regnum non aliis præparatum dicitur a constitutione mundi, quam justis et sanctis; et ideo quibus paratum est datur eis, ut sint **1066** cum suo Rege Christo. Ignis vero æternus, non illis quibus dicitur : *Discedite a me, maledicti*, paratus est, sicut regnum justis, sed diabolo et angelis ejus. Quia quantum ad Deum exspectat, homines non ad perditionem creavit, sed ad vitam et gaudium, ut restauretur numerus eorum, qui in diabolo et angelis ejus male deperierat. Ipsi vero peccantes junxerunt se, inobediendo angelo tenebrarum. Unde justum fuit, ut sicut illi qui salvantur sanctis angelis coæquantur in resurrectione, et fiunt filii Dei; sic qui perierunt diabolicis coæquantur angelis, et fiunt consortes eorum. Quibus dicitur : *Esurivi et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi potum*. Mira Domini Jesu Christi unitas prædicatur cum suo corpore, ut intelligas caput suis compati, vel congratulari membris, sicut anima in corpore humano compatitur ei, quamvis non esuriat, quantum ad suam exspectat naturam, esuriit tamen corporis cibum, in eo quod copulata es cor-

Introdusă în format electronic de Google

pori suo, et pascitur. Sic et Christus esurit, et patitur in corpore suo quæ est Ecclesia, pascitur quoque et reficitur, cum sit ipse impassibilis et nullis egeat alimentis. Sed in unoquoque sanctorum alitur cibis et reficitur potu, vestitur nudus et colligitur hospes, in carcere consolatur et visitatur infirmus, quæ nemo nisi vere fidelis intelligit, et Spiritu sancto illuminatus. Quod si Paulus vere cum infirmantibus infirmatur, et cum omnibus patitur fratribus, quanto magis caput totius Ecclesiæ Christus, qui dicit unicuique patienti, cum ipso sum in tribulatione? Quæso, prudens lector, considera quam diligenter justis dinumerans bona sua, immoratur in unoquoque verbo, per singula laudans eos, et extollens benefacta eorum. Porro his qui a sinistris erunt, vide quam compendiose præcidit singula, et colligit in brevi neglecta, juxta quosdam codices, quæ supra latius revolvit benefacta. Quoniam misericordissimi judicis est talia locupletius prædicare et ampliare laudibus, malefacta vero eorum transitorie ac breviter, quasi dolens memorari. Sed et justi ad favorem judicis sui respondentes, immorantur in unoquoque verbo, et sua eo tenore quo et judex dinumerant, sed cum nimia, ut dixi, admirationis et humilitatis forma; quoniam proprium justorum est benefacta sua in facie relata, humiliter suscipere, interdum etiam et denegare, causa humilitatis. **1067** Unde quod replicant singula sic est, tanquam dicerent: Nec hoc nec bona quæ laudas digne nos fecisse cognoscimus. At vero injusti, quasi nimio pudore vel mœrore, pro tanto opprobrio perfusi, cursim ac breviter dicunt: *Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem, aut nudum, aut infirmum, et in carcere, et non ministravimus tibi?* Quæ forte omnia quasi terrore perculsi, sic dicunt, negando, ut consuetudo est delinquentium. Quasi velint excusare, quod nunquam eum viderint esurientem vel sitientem, seu cætera. Unum itaque verbum ministravimus tibi ad omnia referentes. Faciunt enim hoc quasi extenuantes crimina sua, ne graviora viderentur sigillatim, et diligenter enumerata; quod prorium semper malorum est culpas suas excusationis causa, vel nullas, aut leves ostendere, vel etiam paucas. Quod et responsio Christi ad utrosque facta videtur significare, cum dicit ad justos: *Quod uni ex minimis istis fratribus meis fecistis, mihi fecistis.* Ad injustos autem sic: *Quando non fecistis uni ex minimis, nec mihi fecistis.* Nec itaque addidit fratribus meis, quemadmodum fecit cum loqueretur ad justos, volens justorum benefacta, grandia et præcipua ostendere, et reorum culpas in nullo exaggerare. Quoniam gratiosius videtur opus bonum, quod fit in sanctioribus et præcipuis Christi discipulis, qui possunt dicere cum Paulo apostolo: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI, 1), quam fit in minus sanctis. Quoniam hic præcipue fratres dicuntur Christi, qui magis faciunt voluntatem Patris. Verumtamen, etsi ita loquar, in nullo excusabiles erunt qui nec fratribus Christi bona fecerunt, et A præcipuis in Ecclesia membris, nec minimis quibuslibet, dinumerata sunt præstiterunt. Minimos autem quoslibet eorum ideo vocat, vel quia in mundo minimi sunt æstimati, vel quia apud semetipsos minimos judicaverunt, eo quod deessent in oculis suis humiles, ut apud Deum invenirentur magni si sequerentur eum, qui dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29).

Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Audiant qui volunt extenuare tormenta inferorum, et omnes quandoque redire ad veniam. Nam et ignis æternus a Domino probatur, et in supplicium æternum isti mittuntur. Quod si vita æterna sanctorum et perpetua, nullaque deinceps sancti passuri ruinas: ita fatendum quod et B supplicia perditorum hominum, **1068** et angelorum, æterna credenda sunt. Tres siquidem narrationes istæ, seu parabolæ, quas Salvator simul junxisse videtur, ad invicem collatæ, unam probantur habere intelligentiam, unoque in singulis suis partibus clauduntur fine. Quarum partes geminæ sunt, in bonos scilicet et malos. Nam quinque prudentes, quæ dicuntur virgines, ipsæ sunt oves quæ statuuntur in dextris; ipsi et duo boni servi sua quæ acceperunt talenta, duplicantes ad lucrum; quorum unus duo accipit, alter vero quinque. Porro fatuæ quæ vocantur, ipsi sunt hædi qui a sinistris sequestrantur; ipse et malus ille servus, qui noluit lucrum quærere de talento. Interea lucra talentorum, ipsa sunt oleum, quod paratur et reconditur C quotidie in vasis misericordiæ; ipsa sunt et stipendia bonorum operum, quibus pascuntur qui esuriunt, et potantur qui sitiunt, et vestiuntur nudi. Quando hæc omnia agantur, tempus est præsentis vitæ; et quando hæc omnia adimpleta repræsentantur, tempus ultimæ resurrectionis, quando et quinque prudentes virgines venient obviam Christo, et duo isti servi sua secum deportant lucra, et tunc connumerabuntur eisdem ipsis jam in dextris bona omnia quæ gesserunt. A quo enim dinumerentur, manifestum est, ab ipso utique rege, qui et sponsus Ecclesiæ est, et paterfamilias (quia de servis agitur) utique appellatur. Et ideo, ut dixi, totus hic sermo mirabiliter editus de futuro, cum duobus comparandus est superioribus, ut et intellectus uniuscujusque eorum D ex illis augeatur, et ornatior sermo introducatur, si quomodo aliquid de tanta majestate digne intelligatur. Quoniam ipse est filius hominis, qui venit in sede majestatis suæ; ipse Dominus servorum illorum, qui venit rationem ponere, quando et angelorum clamor media nocte factus dicitur. Et tunc ante sedem majestatis suæ more judicis congregabuntur omnes gentes; et quæ oleum secum detulerunt in vasis suis, et qui talenta dupla fecerunt, et in dextris ipsi oves erunt. Quibus omnibus profecto supra dictum fuerat: *Vigilate quia nescitis diem neque horam.* Unum est ergo quod dicit: *Congregabuntur*; et *accessit qui quinque talenta fecerat*; necnon et quod ait: *Tunc surrexerunt omnes.* Similiter et quod hic

Introdusă în format electronic de Google

separantur oves ab hædis, et illic fatuæ eunt emere; necnon et quod servus inutilis judicatur. Quia donec ad judicium causa veniat, omnes misti sunt. Sed cum **1069** dixerit qui a dextris erunt, *venite*, tunc et quæ paratæ erunt, quoniam ipsæ sunt quibus jubet, intrabunt cum eo ad nuptias. Quid erit dicere et servo bono : *Euge, intra in gaudium Domini tui.* Porro qui a sinistris erunt, quod est dicere illis : *Quandiu non fecistis uni de his, nec mihi fecistis, ite in ignem æternum ;* hoc est improperare servo inutili, et dicere : *Tollite talentum ab eo, et mittite eum in tenebras exteriores ;* atque virginibus fatuis respondere dum pulsant quia clausa est janua, *nescio vos.* Quia vias quæ a dextris sunt novit Dominus, quæ autem a sinistris sunt perversæ erunt. Hæc idcirco parva intuli, ut ex paucis cognoscat prudens lector cogitare quam profunda sunt eloquiorum Dei mysteria, et adumbrata dictorum sacramenta. Quam varia et florida sententiarum ænigmata ; ut et exerceant animum lectoris, et fastidium detergant exornatæ rerum causarum figuræ. Ipsaque veritas in eisdem obtecta excitet aviditatem legentis, et auditorum intelligentiam, cum fuerit reserata, ut semper in obscuris veritas avidius requiratur.

(Cap. XXVI.) *Et factum est cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dicit discipulis suis.* Quinquies enim invenies in hoc Evangelio hanc consummationem verbi, et semper perfectionem insinuat rerum. Quia nihil est quod Jesus cœperit, nisi et consummationem perfectionis habeat. Sed potest videri alicui contrarium, quod Matthæus et Marcus, posteaquam dixerint Pascha post biduum fieri, commemoraverunt quod erat Jesus in Bethania, ubi de unguento illo pretioso narratur. Et Joannes, *ante sex dies Paschæ*, dicit Jesum venisse in Bethaniam, de eodem unguento narraturus. Unde quæritur, quomodo secundum hos duos post biduum Pascha futurum erat? Cum postea quam id dixerunt inveniantur cum Joanne in Bethania, illud quod ipse de unguento commemorat narrantes, quando ipse Joannes post sex dies futurum Pascha prædicit. Sed qui de talibus moventur, non intelligunt quam dispensative inter se evangelistæ hoc faciunt, ut et veritatem rei non taceant, et nonnulla quamsæpe, more gemmarum, ut pulchrius dicta resplendeant, aliis in locis posita exornent, prout consequens ratio dictat, sicut hoc loco Matthæum et Marcum fecisse cernimus, qui illud quod factum jam erat de unguento in Bethania, potius recapitulando posuerunt ; et ideo non post illud biduum, sed **1070** ante factum est, cum adhuc sex dies essent usque ad Pascha. Idcirco nemo illorum cum dixisset post biduum Pascha futurum, continuo adjecit ut diceret, post hæc, *cum esset in Bethania*, sed consulte ambo tantum, cum esset in Bethania. Quod utique intelligitur factum, antequam illud de Pascha diceretur, seu cætera quæ dicta dicuntur. Quia *ante sex dies Pascha* venerat illuc Jesus juxta Joannem, et ibi tunc factum est illud convivium, ubi de unguento facta est mira commemoratio. Hæc ideo dixerim, ut ex hoc intelligat unusquisque per singula concordiam evangelistarum, et quæ quamplurimis locis causa brevitatis omisi, diligenter colligere ac sentire quæ ipsi non dicunt, studeat. Quia nemo qui hæc omnia litteris comprehendere possit. Quoniam in his omissis, variatis, ac transpositis, nihil dictorum, ubi vel ubi, vacat a mysterio. Unde et supra volens ostendere evangelista quod omnia in mensura et pondere, et numero constituit Deus, præmisit consummationem perfectionis ; et cœpit monstrare quam proxima erat hora, de qua Matri suæ alibi dixerat : *Quia nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Et ideo ait discipulis suis, ut ostenderet quæ dico : *Scitis quia post biduum pascha fiet.* Ipsa est namque hora præscita et præordinata ante mundi constitutionem. De qua hora dicit Patri suo : *Pater, salva me ex hac hora* (*Joan.* XII, 27), et clarius appareat quam evidenter sit ab ipso præscita, *Ideo veni*, inquit, in *hanc horam.* Sed et cum orat ad Patrem, clamat dicens : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*, ut *Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1). Quod si ergo horam passionis suæ a longe tam evidenter præscivit filius, non possumus dubitare, sicut hæretici volunt, quod ignoraverit diem adventus sui, et quando finis sit sæculi, dum horam et diem constituit ac dinumeravit passionis suæ. Propterea quoties insidias a Judæis passus est, quoties quæsitus, non potuit prius pati donec veniret hora et tempus. Et cum esset quotidie docens eos in templo, non potuit teneri, donec consummaret omnes sermones istos, quos proposuerat suis intimare discipulis. Et postquam consummavit omnes sermones istos, tunc dixit discipulis suis jam in Bethania : *Scitis quia post biduum pascha fiet.* Et notandum, quia non dixit tantum omnes sermones, sed addidit, hos omnes, id est quos locutus fuerat coram eis in monte Oliveti ; non quos adhuc locuturus erat in cœna cum discipulis, aut in domo Simonis leprosi, **1071** de muliere accedente ad se, seu et alia quamplura, quæ potest diligens lector considerare, et videre in his, quod nihil vacat, sed omnia plena sunt sacramentis. *Scitis*, inquit, *quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis tradetur ad crucifigendum.* Longe supra jam ista frequenter prædixerat, sed nunc ut dixi, et horam et diem declarat. Et ideo priores præmiserat sermones de gloria et claritate adventus sui, quos in hoc uno conclusit, in quo permaxime se venturum in regno cum angelis suis, et in sede majestatis suæ sessurum se declarat, et continuo satis dispensative se passurum in proximo, ut discipuli sacramentum crucis admistum esse gloriæ æternitatis, fidelissime cognoscant, et in nullo formident de eventu, qui audiunt gloriam et majestatem regnantis. Porro post biduum pascha fieri propterea pronuntiat, ut scirent horam præscitam jam venisse ; secundum quod ostendimus eum non posse mori, antequam omnia doctrinæ suæ expleret sacramenta. Oportebat ergo ut primum dissolveret illud

Introdusă în format electronic de Google

typicum pascha, tum demum traderet discipulis testamentum novum, quando instabat definita dies altera, ut pascha nostrum immolaretur Christus, et illud fit in vespere, deinde Christus, his expletis, eadem mox traditur nocte. Et ipsa est hora passionis quæ prius nondum venerat antequam explerentur omnia hæc typica. Venerat autem annus et dies de quibus propheta, prædicare annum Domini acceptabilem misit me, et diem placabilem, quæ est dies salutis nostræ, in qua oblata est hostia pro salute totius mundi. Et ipse est mensis Paschæ primus a sæculo in mensibus anni. In qua prædicit discipulis suis, præmuniens eos priusquam incipient fieri, ut præfigant in cordibus suis, et intelligant quæ mox ventura erant, ne subito cum cœperint, et viderint tradi eum ad crucem, qui talia dixerat et monstraverat ut Deus crederetur, obstupescant, et præ pavore nimio deterreantur ultra redire ad fidem. Et ideo ait : *Scitis quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. Non autem, sicut quidam putant, solum de illo dicit typico sacramento, quod omnibus notissimum erat. Quia si diceret magis utique debuerat dicere : *Scitis quia post biduum pascha* veniet, aut pascha erit, vel pascha ex more celebrabitur; sed longe aliter dicit, *Pascha fiet*, quia novum est quod fiebat, hoc est, quale nunquam factum est ut per **1072** hoc novum pascha senescat i lud antiquum. Et ideo jure Vetus dicitur Testamentum, quia post biduum successit Novum ; et hoc erat ipsum biduum : quia post duos dies ac si clarissimi luminis, Veteris ac Novi Testamenti, verum pro mundo pascha, non in sanguine pecudis, sed in sanguine verissimi Agni, celebrandum erat. Propter quod addidit : *Et Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. Post duos autem dies factum est pascha, sicut fuerat prophetatum ab eo, quando traditus est in nocte quartadecima jam luna. Hinc que manifestum est, sicut egregius doctor Augustinus ait, quarta feria fuisse, quando hoc prænuntiatum est, aut certe, sicut alii volunt, prius ista prædixit; et ut Judæi a luna suos terminant dies, undecima erat luna, quando et parabolas supradictas consummaverat. Sicque congruit ut post biduum dicatur more Scripturarum, duobus integris diebus in medio devolutis, et quartadecima luna ad vesperum, celebrato jam pascha, Christus hora diei quasi sexta, ac si ipsa die, immoletur. Quia peritissimi Judæorum ab accensione lunæ, quando sole, ut aiunt, iluminatur, usque ad alterius accensionem diem lunæ determinant. Ac per hoc sacramentum paschæ, in fine diei quinti, ac si ad vesperum, plenius commendatur. Verumtamen quid horum verius sit non multum abest, quia unus est sensus. Quod autem dicit, quia *filius hominis tradetur*, recte quæritur a quo traditus sit, quia hic non dicitur. Et tamen de Patre dictum est quod proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Necnon et de ipso legimus, quia semetipsum tradidit pro nobis. Verum et Judas tradidit eum, unde et traditor usque hodie vocatur; sed et diabolus qui misit in cor Judæ ut traderet eum ; nihilominus et principes sacerdotum et seniores populi tradiderunt eum in damnationem mortis. Et ideo fortassis hic impersonaliter positum est, *tradetur*, non dicens a quo vel per quem, ut hoc verbum ad omnes respicere possit personas, licet non uno voto, neque eadem voluntate omnes tradiderunt eum. Quibus vero traditus sit ipse jam supra prædixerat.

Tradetur enim, inquit, *gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum*, id est militibus Romanorum, qui eum susceperunt de manu omnium eorum qui eum tradiderunt in mortem. Intelligant quæso et erubescant qui affirmare **1073** conantur Salvatorem timuisse mortem, et passionis pavore dixisse : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, de quo suo loco dicemus, cur hoc oraverit. Nam post biduum pascha futurus, tradendum se novit ut crucifigatur. Quod et ab initio semper noverat qui ideo venit, et tamen non declinat insidias, neque territus refugit; in tantum ut etiam cæteris formidantibus et ire nolentibus, pergat ipse ultroneus atque intrepidus. Unde et in Psalmis ex sua persona : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII, 8), inquit; et : *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui* (*Psal.* XXXIX, 9). Quod si nollet omnino non pateretur, et ideo quia volens venit, ut finem umbræ jamjamque a carnali festivitate imponeret, aiebat : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar* (*Luc.* XXII, 15) ; sed pati non poterat prius, quia nondum venerat hora ejus. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum et Scribæ, et seniores populi, in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiphas*. Tunc siquidem, quando consummavit Jesus omnes sermones istos, et finivit quod diu tractavimus. Tunc congregati sunt et consilium fecerunt, *ut Jesum dolo tenerent et occiderent*. Vere miro et ineffabili modo isti consilium Dei agunt contra consilium suum, ut eum, qui vita erat, innocentem occidant, et ideo non semper quod consilium esse potest; neque ubicunque principes sacerdotum et sapientes sæculi, seu principes populi congregantur, semper quæ consilii sunt tractantur; et ideo in hoc consilio quatuor jure culpantur, quod congregantur in *dolo*, non qualescunque de vulgo, sed *principes sacerdotum*, quod *Scribæ*, id est sapientes legis, quod et principes populi, et quod in eo tempore Christum Dei Filium occidere meditantur ; quando debuerant jam pascha vicino, victimas parare et sacrificia, levigare parietes templi, pavimenta vertere, et mundare vasa, et omnia secundum legis ritum purificare, ut esui agni ipsi digni fierent, et cultus religionis eorum Deo acceptior esset. At vero ipsi congregantur non ubicunque, nec cum quocunque, sed *in atrio principis sacerdotum*, ut cum ipso consilium inirent quomodo Dominum occiderent, non timentes Deum, neque diei festi reverentiam habentes, neque de seditione populi, in eodem die si fieret, curantes, sicut simplex sermo demon-

Introdusă în format electronic de Google

strat; sed hoc solum omni astutia cavere se adhortantur, ne populi auxilio de illorum manibus tolleretur. **1074** Imitantur etenim Cain, cujus prophetiam expiere cupiunt, ut libere Abel fratrem suum cum dolo interficiant. Et ideo ille ait: *Egrediamur in campum* (*Gen.* IV, 8), ut eum perimere posset ne evaderet. Sed Judas, imo diabolus per eum prævenit ex die festo consilium eorum, cum quæsivit sponsionem, quid ei vellent dare. Et exinde quæsivit opportunitatem, ut eum eis traderet. Ideirco gavisi de tanto eventu, non curant jam qua fiat die; et ideo in nocte qua debebant pascha comedere, satagunt et meditantur pariter cum ipso traditore, ut cum opportunum invenerint locum, mox eum capiant. Sed quia jam venerat dies, et hora a sæculo nota Domino, ultra differri non potuit, sicut nec anticipari. Sed inito consilio, ut aiunt, quarta feria ante diem paschæ in crastino ad vesperum, mox agnus legalis occiditur, continuo noster Agnus pro salute totius mundi, ac si ipso plenilunio, mactatur. Sicque fit ut non in die festo eorum occidatur, sed in alio die differtur, ut pascha nostrum, his expletis omnibus quæ umbræ erant, jam in clara luce immolaretur Christus: ut relinquentes azymam Judæorum, festivent omnes ac si nova conspersio, celebrare novum pascha in azymis sinceritatis et veritatis, et non cum Judæis in vetustate litteræ permanere. Sed quia benignus Salvator, jam *ante sex dies Paschæ*, venit in Bethania, unde et altera die cum triumpho et ramis palmarum, acsi jam victor, celebravit, reascendens Hierosolymam, gloriam monomachiæ suæ, quam expleturus erat in proximo. Qua de causa et ipsi principes commoti, congregantur in atrium principis sacerdotum, ut impleretur illud quod dictum est in Psalmo, quia *populi meditati sunt inania, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (Psal. II, 1, 2). Quos, quia in dolo consilium inire laborant contra Dominum, relinquamus, et festinemus opportune satis finire librum, ut Salvatori nostro rursus in Bethaniam occurrere possimus. Quoniam Bethania *domus obedientiæ* interpretatur, ut ibidem cum discipulis, quæ gesta sunt a Domino, videre mentis oculo et intelligere valeamus, quia valde mystica sunt et admiranda. Orantes ut cum Lazaro, solutis criminibus, etsi ultimi in convivio, quo cum Domino convivatur, digne interesse mereamur.

1075 PROLOGUS LIBRI DUODECIMI.

Quondam adhuc puer cum essem et ingens transnatare pelagus vellem paulo antequam littus attingerem, conspicio. Et ecce eminus videtur nimia surgere altitudo, et inaccessibilis fluvii portus crescere. Quo terrore perculsus, cœpi jam multo labore fatigatus dispicere, quod nec retrorsum redire possem, nec in tanta immensitate pelagi boni portus exitum invenire. Ita et nunc mihi, charissimi, occurrit, tandem explicitis in Matthæo undecim explanationum libris, in hoc ultimo laboris mei opere, ut tanta sacramentorum Dei profunditas, tantaque divinorum eloquiorum obscuritas restare videatur, ut nec omittere queam quæ dudum exhortatus hinc inde a vobis inchoaveram, nec explere me posse confidam pauca quæ restant. Quoniam flebilis, et diu jam jejuna oratio, sæcularium rerum curis retro fatigata, multum formidat, etiam ea, quæ sentit loqui, ubi se videt nec sensu, nec ingenio posse sufficere. Sed quia divina recte quærentibus, semper indeficiens verbi census adesse promittitur. Unde ait perdives Dominus oratori suo: *Aperi os tuum et ego adimplebo illud* (*Psal.* LXXX, 11). Et ideo exigam a meipso, quod vestris intervenientibus meritis ex dono largitoris præsumo. Agam ut cœperam, si quomodo, saltem juvenibus, de pleno passionis Christi sacramento, vel pauca digne quærentibus, exponam. Credo quod non aberit in tractatu dicendi facultas, cum fuerit in perficiendo prompta et devota voluntas. Quoniam vix esse potest ut bonæ voluntatis animum possibilitas deserat virtutum. Sicut e contrario difficillimum, ut sequatur abundantia sensus hominem, qui nulli vult alteri impartiri pecuniam verbi: unde quamvis vilis videatur oratio, prolixitas reprehendatur superflua, et temeritas a quibusdam culpetur ignara; erit mihi clypeus defensionis ipsa bona voluntas, et lorica justitiæ intercessio vestra et induta veritas. Quia si nemo qui docendi officium tenet securus esse potest de talento sibi commisso, nec me ullus jure reprehendere potest, si ea vobis poscentibus, quibuscunque verbis supplere cupio otiosus quæ male diu neglexi occupatus **1076** laboribus alienis. Quoniam sicut debitor fui in absolvendo, quidquid tunc minus licuit ut redderem, ita et nunc vos et ipsi quibus laboro debitores sunt ut audiant quæ fideliter nunc utrisque offero. Quoniam obnoxii erunt culpæ, si non perceperint gratanter ex obsequio, quæ vobis simul et illis, devotus vel quam sero reddo

LIBER DUODECIMUS.

Cum esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. Multi doctorum de hoc loco dubitant, utrum

Introdusă în format electronic de Google

ne de hac una eademque muliere quatuor evangelistæ sunt locuti singuli, suis in locis ; quia pene aut eadem de illa dixerunt, aut vicina : an certe plures fuerint de quibus ac si una, facta sit narratio. Non ut una esse crederetur, sed ex omnibus ut una Christi commendaretur diversis expressura figuris et concorporata membris. Idcirco quid singuli evangelistarum commune dicant, vel in quo dissentiant, omnino considerandum est, ut ex his intelligamus utrumne de una omnes narrent, an de tribus seu amplius, ne forte aliquid temere præsumamus. Quia impossibile est ut de una eademque muliere hi quatuor loquentes cum essent perfecti in eodem intellectu et in eodem spiritu, in eademque sententia consummati, qui erant ministraturi salutem verbi Ecclesiis, ut contraria sibi sentirent. Nam de loco et de persona, domus, et apud quem hæc gesta sunt, multa similitudo est, multaque vicinitas narrandi etiam et de muliere, cum Matthæus et Marcus, necnon et Joannes, in Bethania ista facta loquantur, in domo Simonis leprosi. Licet Joannes in Bethania quidem dixerit, sed *Cœnam ei fecerunt*, inquit, *et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu* (*Joan.* XII, 3). Ex quibus apparet quia ipsæ fecerunt ei cœnam qualibet in domo, Simonis aut suæ. Lucas autem quamvis non leprosum hunc dicat Simonem, tamen eum nomine ex verbis Domini, et Pharisæum **1077** fuisse declarat, qui eum vocavit ut cum illo manducaret in domo sua; nec tamen Bethaniam, sed quoddam castellum nominat. At vero de alabastro unguenti simul omnes dicunt, præter quod Joannes, *Libram unguenti nardi pistici* dicit, nec tamen Lucas pretiosum eum fuisse narrat, sicut Matthæus et Marcus. Quod sane unguentum super caput Jesu effusum narrant, *fractoque alabastro*, solus Marcus indicat. Porro Lucas longe aliter pedes Domini perunxisse, ac retro præ verecundia humiliter stetisse commemorat, et lacrymis rigasse, capillisque suis detersisse, et quia peccatrix erat exaggerat. Veruntamen Joannes et Mariam eam nominat sororem Lazari et Marthæ, ac pedes Domini unxisse et capillis detersisse, non ad ea lacrymasse commemorat, sed quia *impleta est domus ex odore unguenti*. Quapropter quidam dicunt, non unam fuisse, sed tres, ut dixi, vel quatuor. Quia non videtur una esse quæ effudit super caput Jesu, juxta Matthæum et Marcum, et quæ unxit pedes ipsius, quemadmodum Lucas et Joannes exponunt. Dicunt autem non esse possibile, neque continuo dignam fuisse, accedere ad caput Domini, quæ ad pedes accedere digna vix probatur; et ideo retro stetisse ac flevisse, quia peccatrix erat. Nec enim credibile esse volunt ut Mariam quam diligebat Jesus soror Marthæ ac Lazari, quæ meliorem partem elegerat, ut peccatrix in civitate (sicut assolent meretrices) esse dicatur. Apud quas Jesus quam sæpe hospitasse probatur. Unde Origenes magis consentit tres fuisse; unam A videlicet de qua scripserunt Matthæus et Marcus consona voce, nullam differentiam narrationis suæ facientes; alteram autem fuisse de qua scripsit Lucas; tertiam vero de qua Joannes scripsit, quoniam differt plurimum ab aliis, non solum in his quæ dicuntur de unguento, verum et quia diligebat Jesus illam, quam præfert etiam sorori suæ Marthæ, eo quod *optimam partem elegerit, quæ non auferetur ab ea*. Quamvis et ipsa in Bethania fuisse dicatur, sicut et alia, de qua narrant Matthæus et Marcus : multum tamen differt, quia in domo Simonis illam accessisse dicunt, ibique caput unxisse, quando et post biduum pascha futurum erat. Porro Joannes, ut dixi, narrat quod *ante sex dies Paschæ* venerat Jesus Bethaniam, ubi erat Lazarus quem suscitaverat, quando fecerunt ei cœnam magnam Maria et Martha. Quod si totidem dixerimus unam **1078** eamdemque Mariam hoc fecisse, semel scilicet et secundo in domo Simonis, tertio vero in domo sua, videtur mira narratio unius facti, et multa varietas dictorum; ita ut tanta diversitas, et hujus facti repetitio signare probetur arcana mysteria. Tamen, seu sit una totiens introducta, seu duæ vel tres, non evangelistarum vacillat fides, nec infirmatur auctoritas, nec dissentit in intellectu sententiarum vel personarum proprietas, sed œconomica subministratur magni sacramenti narratio, cum in una earum domo Lazarus resuscitatus introducitur, convescens cum eo, nec illa peccatrix nominatur; sicut nec in domo Simonis, quia leprosus fuisse ille commemoratur. At vero in domo cujusdam principis, nec tamen leprosi, mulier illa quæ accessit prius peccatrix dicitur; deinde flevisse, pedesque Domini lacrymis rigasse; nec tamen in Bethania facta, quæ gessit, narrantur. Unde in tribus istis pœnitentiæ virtus magna monstratur, et Dei in peccatoribus clementia prædicatur. Quia sicut in Lazaro eorum qui labuntur in mortem peccati resuscitatio declaratur, ita et in Simone leproso omnium scelerum emundatio commendatur. Sed et in muliere quia peccatrix dicitur, omnium criminum ablatio. Et mira in omnibus omnipotentis Dei benignitas prædicatur, qui non refugit leprosum, non devitat peccatricem, non abhorret immundum, ut maculas humanæ mentis ac corporis possit abluere. Domus leprosi hujus erat in Bethania. Porro Bethania interpretatur *domus obedientiæ*, per quam intelligitur totus hic mundus. Et ideo jure domus obedientiæ vocatur, quia in eo ad hoc positi sumus; ac si in agone ut obedientes Deo simus, quatenus per hanc obedientiam ad illam cœlestem Hierusalem, quæ proxima est ei, conscendere valeamus. Quod si omnis præsentis sæculi locus Bethania intelligitur, jure portio totius loci domus est Simonis leprosi; quia per ejus domum Ecclesia catholica designatur, quæ in mundo est. In qua domo Jesus esse creditur, et convivatur cum quotidie debitum ei servitutis obsequium præstamus. Dicitur autem domus Simonis leprosi duabus ob causis : vel quia olim leprosus

Introdusă în format electronic de Google

fuerat, ut et nos omnes fuimus, et nunc adhuc ex antiquo vitio jam curatus, a Domino ita vocatur; vel quia adhuc omnes sub peccato versamur. Quia *si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). In **1079** quam nimirum domum, quia Jesus introivit et convivatur, accessit mulier, id est Ecclesia. Accessit, sed non vacua, quia attulit *alabastrum unguenti pretiosi;* et, ut Joannes ait, *unguentum nardi pistici*, quia fidelis venit. Nam pistis Græce *fides* vel *fidelis* dicitur; eo quod hæc mulier plenam fidem detulit, alioquin ad Jesum accedere non posset, neque domum obedientiæ intrare, nisi unguentum fidei pretiosum afferret et bene olentem. De quo unguento sponsa Christi, quæ est Ecclesia, dicit in Canticis : *Nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I, 12). Et ideo quam signanter Joannes, *Unguentum nardi pistici*, ait, nam et nomen sponsi unguentum effusum est. Multa siquidem genera unguentorum sunt, et ideo hic multa varietas est. Quoniam aliud est illud quo pedes Domini unguntur, nec tamen effunditur, neque multum odoriferum dicitur, quia peccatrix mulier accusatur, et aliud quod hic super caput Jesu effusum commemoratur, et aliud quo in Joanne pedes Domini unguntur, et nardi pistici esse dicitur cujus odore tota repletur domus. Et omnia hæc odoramenta de nomine veniunt Salvatoris, quod effusum est super mentes credentium, et ideo adolescentulæ diligunt eum; et ungit una earum pedes Domini cum fletibus et lacrymis; alia vero quæ optimam partem elegit, semper sedere ad pedes ejus novit ut audiat verbum salutis. Unguento quidem ungit eosdem pedes, sed tam miro et mystico, ut ejus odore tota repleatur domus. Porro tertia, de qua hic narratur, aliud detulit unguentum, et effudit super caput ejus, quod pretiosum fuisse prædicatur; pretiosum utique quia divinum. Alioquin nisi divinum esset, super caput Christi effundi non posset; quia in caput Christi Deus, et in Deum nihil aliud præter id quod divinum est cadit. Ac per hoc quidquid est quo humanitas Christi ungitur, quæ deorsum est, purum et fidelissimum esse debet, cujus odore tota adimpleatur domus sicuti, per Ezechielem narratur quod viderit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant replebant templum, non minus odore quam claritate virtutis. Unde per has differentias rerum, seu sit una mulier quæ hoc iterato gerit (quod non credo), seu sint duæ vel tres, omnino fidelium differentia in his demonstratur. Et ideo multum juvat evangelistarum diversitas, ut ostendant in **1080** domo Simonis, quod quidam effundant super caput Jesu pretiosum unguentum; quidam autem ungunt tantummodo pedes cum lacrymis; quidam vero effundunt largiter, ita ut omnis domus Ecclesiæ adimpleatur ex odore divinitatis Christi. Et nota quod etiam et ipse, cujus est domus, Simon appellatur. Simón namque *obediens* et ipse interpretatur, quia in domo obedientiæ nemo nisi obediens digne inhabitat, in cujus domo benignissimus Salvator ex illis supernis montibus descendit, quia de cœlis in mundum venit. Non enim ille visibilis erat prius in hoc mundo, sed obedientiæ pietate missus a Patre, venit in hunc mundum, ut ipse ait: *Sicut misisti me veni in mundum.* Cum ergo audivit mulier ista venisse Christum, et esse in domo Simonis, accessit et ipsa, quæ sanari non posset, nisi venisset Christus in terram. Sed sicut dictum est, quærenda est consonantia evangelistarum, et proprietas dictorum. Nam Lucas quamvis similiter aliquid dicat, nomenque conveniat apud quem convivatus est Dominus, ut Simon sicut et iste dicatur, non tamen leprosus. Unde non est contra consuetudinem, vel contra rationem, ut duo fuisse credantur unius nominis. Quia etsi potest unus homo habere duo nomina, multo magis possunt unum nomen habere duo homines seu plures. Idcirco potius credibile est alium fuisse illum Simonem non leprosum, in cujus domum illa, quæ peccatrix dicitur, intravit; seu fuerit in Bethania illa domus, seu non. Quia nec Lucas Bethaniam nominat, nec civitatem aliquam, vel castellum; neque ejusdem rei narratio in eodem loco videtur versari. Quapropter potest fieri, juxta quod eximii patres Ambrosius et Augustinus sentiunt, unam eamdemque mulierem fuisse quæ peccatrix in civitate esse narratur, cui (quia juxta paradigma, Deum dilexit multum) dimissa sunt peccata multa. Sed eamdem Mariam constat bis hoc fecisse, quia diligebat plurimum. Unde et accessit primum cum multa humanitate et pudore nimio; sicque meruit ex ubertate lacrymarum, et dilectione maxima, remissionem peccatorum. Et quia acceptum Deo fuerat, quidquid devote primum obtulerat, et laudatum a Domino, non dubitavit iterare in facto, et pretiosius offerre, quo repleretur tota domus *ex odore unguenti.* Nec igitur mirum si et ex gratia intus divinitus inspirata, non solum iterare præsumpsit, verum **1081** etiam et quæ divina sunt in Christo plenius meruit intelligere. Et ideo non mirum si ipsa quam Dominus plurimum diligebat, meretrix fuisse dicatur, et soror Lazari et Marthæ; quia non ipsa prius Dominum, sed Dominus eam prius elegit ac dilexit, ita ut deinceps ipsa multum diligeret Dominum. Ac propterea præ nimio amore, ipsa optimam partem, quam electa elegerat, ardenter tenebat, et ideo a vestigiis Domini indefessa non recedebat. Nam hoc et Joannes, quod ipsa sit, insinuat.

Erat autem, inquit, *quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ et Marthæ, sororum ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur* (*Joan.* XI, 1, 2). Hoc dicens Joannes, confirmat quod Lucas in domo Simonis cujusdam factum fuisse narravit. Jam itaque Maria hoc fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecisse dicitur, aliud est quod ad narrationem Lucæ non pertinet. Sed quod in Bethania gestum a tribus pariter narratur, Joanne scilicet, et Matthæo, et Marco, sicut beatus Hieronymus et præfatus Origenes sentiunt, non in

Introdusă în format electronic de Google

semel, ab una eademque gestum est, sed a duabus. Unde quemadmodum aliter conveniat considerandum est. Quia in Joanne non in domo Simonis res acta narratur, sed tantum, quia *Venit Jesus in Bethania ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei*, inquit, *cœnam ibi;* et non dicit ubi, nisi ut intelligas in Bethania; neque quis ei fecerat cœnam, nisi tantum quia *Martha ministrabat, et Lazarus unus erat ex discumbentibus* (*Joan.* XII, 1, 2), seu cætera. Porro Matthæus et Marcus tam in Bethania quam et in domo Simonis leprosi, quæ narrant, gesta fuisse commemorant. Unde aut duæ fuerunt, sicut supradicti volunt eximii tractatores; aut si unam fuisse volumus, et in semel rem gestam, ut Pater Augustinus magis arbitratus est, nihil aliud intelligere possumus, nisi quia Simon ille leprosus, et duæ sorores istæ ac Lazarus concives erant et vicini, seu contigui domibus, ac familiarissimi quasi in domo una versabantur. Unde et dicitur, quia *fecerunt ei cœnam ibi*, et non fecit ille, aut ille. Ut intelligas, quia tam ex assiduitate sua, seu in vicinitate, una erat domus illorum, quam et ex frequentatione Salvatoris, qui et Simonem a lepra sua curarat, et Lazarum in ea domo mortuum resuscitaverat, et Mariæ peccatrici peccata multa, *quia dilexit multum* (*Luc.* VII, 47), indulserat. Quibus ex causis informari nos oportet unam fuisse Mariam, quæ et pedes Domini jam supra unxerat, et laverat lacrymis, ac capillis suis deterserat, **1082** et quæ nunc tam pedes unxisse secundum Joannem, quam et caput perfudisse dicitur juxta Matthæum et Marcum. Quorum narratio licet diversa videatur, non sunt contrarii sibi evangelistæ, in una eademque muliere diversa narrantes. Quod et ex illa regula ostenditur non esse contrarium, qua sæpe fit quod unus partem pro toto ponat, alter vero explicat, et totum dicit quod gestum est, vel quod dictum. Interdum etiam unus eorum unam commemorat facti partem, alter vero aliam; sicque fit ut simul ambo unum et verum dicant. Ut puta, cum de quinque panibus narrarent jam supra, ubi unus eorum quinquagenos et centenos discubuisse dixit, alter vero solummodo quinquagenos; et tamen nihil horum potest videri contrarium, sicut nec hic. Proinde non solum pedes unxisse Domini, hanc unam eamdemque Mariam hoc in loco iterum, verum etiam nunc et caput; aut forte prius caput, deinde pedes: nisi quia Marcus fracto alabastro perfusum caput narrat. Forte aliquis tam infestus calumniator erit, ut neget nihil remansisse in vase fracto, agens contra veritatem Evangelii. Sed melius ac religiosius e contra contendit alius, non fuisse ita fractum, ut totum effuderit, nitens pro veritate Evangelii. Quod si adhuc ille tam cæcus perstiterit vel tam vehemens impugnator veritatis, ut evangelistarum concordiam, propter hoc alabastrum, voluerit rescindere prius ordinate satis accipiat, perfusos vel perunctos pedes, antequam illud frangeretur, ut in integro superfuerit abunde satis unde caput perfunderet; ita ut fractura illa de qua Marcus tam diligenter narrat, totum supereffunderet, in tantum ut tota domus illa repleretur *ex odore unguenti* (*Joan.* XII, 3). Nec igitur sine causa evangelista hoc factum commemorat, verum quia per hanc mulierem omnis Ecclesia Christi designatur, quæ multa ex dono gratiæ secum fert unguenta boni odoris, quæ percepit a Domino, in quibus plurimum delectatur et frequenter, ut unguentum quod descendit a capite supereffusum in membra, forte usque ad pedes, rursus a pedibus ordinate satis refundatur ad caput. Quoniam ex ipso, et per ipsum ad nos usque, qui pedes sumus, omnis unctio venit. Habet enim Jesus plurima et pretiosissima unguenta, unde sponsa canit in Canticis sponso suo Domino: *In odore unguentorum tuorum currimus, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis* (*Cant.* I, 4). Sed quia multi sanctorum propter hanc effusionem pretiosissimi unguenti in corpora sua mortem pro Domino tradiderunt, jure unus evangelistarum de fracto alabastro mentionem facit, quod alii tacuerunt. Quia **1083** etsi omnes unctionem gratiæ, et effusionem unguenti, et actionem boni odoris ad Christum retulere, maxime tamen martyres, quorum corpora pro Christo fracta sunt et attrita in mortem; quibus peremptis tota repleta est Ecclesia ex odore nominis Christi; quod unguentum effusum, ut dixi, in Canticis jure vocatur. Et ideo hoc loco pretiosum esse dicitur; pro quo indignati sunt discipuli et doluerunt, maxime Judas, quare hoc unguentum non est venundatum trecentis denariis, ut daretur pauperibus. Forte discipuli, quia necdum intelligebant sacramenta Dei; Judas autem, quia fur erat et latro. Alioquin unguentum quod decurrebat a capite Christi usque ad reliquum corpus, quid decoris vel honestatis habebat ut effunderetur super caput tanti magistri, nisi res gesta magnum ostenderet sacramentum? Unde etsi poterat venundari multo pretio darique pauperibus, tamen non oportebat fieri; quia magis conveniens erat ut super caput Christi effunderetur, sancta et admirabili effusione. Non enim erat unguentum illud pauperum, nec conveniens ut divideretur inter multos; sed ut integrum ac pretiosissimum funderetur, etiam, *fracto alabastro* (*Marc.* XIV, 3), tantummodo super caput Jesu. Propter quod, et tam prudentem mulieris gratanter suscepit effectum Jesus, et indignantibus discipulis dicit: Sinite eam et nolite ei molesti esse, quoniam *Opus bonum operata est in me.* Usque adeo est ergo efficax hujusmodi operatio et laus tam boni operis, ut exhortentur omnes tali tantoque exemplo, et prædicetur *hæc mulier ubique per orbem terrarum ubicunque prædicatum* fuerit Evangelium, et quod hæc fecit in memoriam Christi. Alias autem qui juxta simplicem intelligentiam volunt hoc factum accipere mulieris, dicant hoc effusum unguentum super caput Jesu tam laudabiliter quid utilitatis habuerit, vel qualem habeat juxta textum narrationis profectum et decorem; nisi quia in mysterio bonum opus fecit, et in sacra-

Introdusă în format electronic de Google

mento hujus facti devotio multa præfiguravit. Unde et dixit : *Quia pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Ac si diceret, Pauperes semper habebitis in quibus opera misericordiæ exhibeatis, me autem corporaliter non semper habere potestis, et ideo semel agendum est in me, quo tota domus repleatur ex odore boni odoris, et omnia capitis perunguantur **1084** membra. Quia nisi a capite unguentum hoc defluxerit, nihil in corpore prodesse potest. Si autem omnia quæcunque gerimus ad laudem Dei proficiunt, et ad Christi gloriam quodlibet opus refertur, tunc unguento pretioso unguimus caput Christi, et exinde per totum corpus ejus, id est per totam decurrit Ecclesiam, et hoc est unguentum valde pretiosum, ex cujus odore tota repletur domus, scilicet Ecclesia Dei. Ex hoc quippe loco quidam calumnias movent, quare unus evangelistarum solum Judam dixerit contristatum, eo quod loculos habuerit, et fur ab initio fuerit, et nunc Matthæus scribit omnes indignatos fuisse apostolos, nescientes tropum qui vocatur synclepsis, ubi unus pro multis dicitur, vel multi pro uno. Potest et aliter dici, quod Apostoli vere nescientes adhuc sacramenta Dei, propter pauperes indignati sunt, Judas autem solummodo propter lucra. Unde et mussitatio ejus ab evangelista cum crimine ponitur, quod non curam pauperum habuerit, sed quia *fur erat et latro.* Ideirco Joannes ex hac occasione, ejus furandi consuetudinem voluit demonstrare, et quantum esset cupidus pecuniarum exprimere. Quæritur autem cur dixerit : *Me autem non semper habebitis,* cum post resurrectionem dicat eis : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Hoc quippe de præsentia, ut dixi, sui corporis loquitur; quod nequaquam post resurrectionem cum eis ita futurus sit, quomodo tunc in omni convictu et familiaritate. Cujus rei memor et Apostolus ait, Et noveramus Christum secundum carnem, jam non novimus eum. Quod autem Deus Verbum ubique sit, et cum suis semper futurus sit, novit vera fides.

Mittens, inquit, *hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Audiant hæretici, qui dicunt Christum corpus non habuisse; audiant et qui eum rescindunt, volentes in Christo duas introducere personas, nuncupativum Dei Filium, et proprium, sicut duas constat vere habuisse naturas. Audiant, ex utraque natura, quod unus idemque est Christus, et ideo unus qui loquitur, idemque cujus ungitur corpus; qui non ait, ad sepeliendum corpus meum hoc fecit, sed *ad sepeliendum me fecit.* Unde et in symbolo, jure, Christum Dei Filium passum confitemur et crucifixum, mortuum, et sepultum, cum sola caro sit passa, solaque crucifixa, mortua, et sepulta. **1085** Unde et hic, *ad sepeliendum*, inquit, *me fecit.* Quis est namque qui hoc dicit? Vere Christus, Dei *Verbum caro factum.* Ac per hoc, quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), recte in unitate personæ dicit, *ad sepeliendum me fecit,* dum A Verbi caro ad sepeliendum paratur. Ipse igitur et ad inferna descendit qui in sepulcro jacuit, unus idemque Christus indivisus; ita ut nec caro jacuerit in sepulcro sine Deo Verbo, quod caro factum est : nec anima descenderit ad inferna sine ipso; eo quod in omnibus unus et ipse est Christus, Deus et homo, verus Dei et hominis Filius. Deus itaque nec mortuus est, nec sepultus, et tamen ab eo dictum est : *Hæc enim mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Quod ergo in corpus suum missum est, ad sepeliendum eum factum est; et non idem est, se esse, suumque esse. Et non unum est, ad sepeliendum se fieri, suumque corpus ungi : neque enim convenit corpus suum esse, seque sepeliri. Sed sacramenti istud divini, id est intelligen- B tia pietatis, non ignorare Deum, quem scias hominem, nec nescire hominem, quem non ignoras Deum, et hoc est Jesum Christum non dividere; quia *Verbum caro factum est.* Ideo recta fides est, non sepultum non putare quem resuscitatum esse intelligas, et resuscitatum non ambigere quem negare non andeas non sepultum. Sepultus est autem Jesus Christus, quia et mortuus est. Quapropter non oportet eum tripartiri, neque dividi Christum in tres personas, ut dicas Verbum et animam atque corpus, ubi vel ubi, separari. Sed quia unus est, ideo et sepultus, sicut ad sepeliendum se confitetur esse perunctum. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur quod et hæc fecit in memoriam ejus.* Quæ nimirum ambiguitas dictionis, ut quidam volunt, nullum generat scrupulum C dubietatis. Quia seu distinguas, ita ut dicas, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, quod consequentius est, seu distinguas, quia in toto mundo dicetur, non alicubi tamen, quam ubicunque fuerit hoc Evangelium; dicetur et quia hoc fecit in memoriam ejus. Neque enim Evangelium sine memoria hujus mulieris, quæ est Ecclesia, prædicabitur, neque memoria ipsius sine Evangelio prædicanda pronuntiatur. Quia memoria hujus mulieris, præsentis est Ecclesiæ demonstratio, quod susceperit Dominum, quod **1086** sepelierit in fide sua Salvatorem, quod unxerit caput ejus unguento pretiosissimo ac pedes; cum eum Deum et hominem veraciter credit corde, et confitetur ore, una cum bono opere. Attende, quæso, notitiam futurorum. Prædixit enim post biduum se passurum, et die tertia resurrecturum, eo quod esset moriturus. Deinde dicit, Evangelium in toto terrarum orbe prædicandum, cum quo memoriam mulieris habendam, quod hæc fecit ad sepulturam Jesu Christi.

D *Et tunc abiit unus ex duodecim qui dicitur Judas Scharioth, ad principes sacerdotum, et ait illis.* Tunc utique cum esset in Bethania, et dixisset : *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Vel quando : *Congregati sunt principes populi et scribæ, in atrio principis sacerdotum.* Quia veniente vero Pascha, tenebræ fugerunt, et Judas in nocte ad tenebras pertransivit, quando præsentia recessit, et ad Judæos usque, ut traderet

Introdusă în format electronic de Google

Dominum, pervenit. *Unus ex duodecim.* Unus numero, et non merito; specie, non virtute; conjunctione ad tempus corporis, et non vinculo charitatis. Non ergo vacat a mysterio, duos fuisse inter apostolos hoc nomine vocitatos; ut unus dicatur Judas Jacobi, alter vero Scharioth, quia Judas *confessio* interpretatur. Et ideo duos istos fuisse inter discipulos, ut unus eorum teneret formam vere confitentium, quorum pars fideliter permanet cum Domino; alter vero eorum partem exprimit, *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 26). Propterea omnes transeunt cum isto ad avaritiam, ad dolos et fraudes, et admiscent se falsis fratribus. Legi Scharioth, juxta Hebraicam interpretationem a quodam exsuffocatam vocari debere. Quod si ita est, magna convenientia sui nominis, ac si ex prophetia, invenitur habere cum exitu suæ mortis, quoniam laqueo se suspendit, et suffocatus interiit. Cæterum de patria vel de vico unde fuit, jam supra, quod inde agnomen traxerit et quid interpretetur diximus. Iste ergo *abiit ad principes sacerdotum,* adversus eum qui vere in æternum constitutus est *sacerdos secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4), et factus est princeps sacerdotum. *Quid,* inquit, *mihi vultis dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt triginta argenteos.* Tradunt nostri, infelix Judas damnum quod ex effusione unguenti se pertulisse credebat, voluerit Magistri pretio compensare; qui miser nec certam postulat pretii summam, ut saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi **1087** vilissimum tradens mancipium, pretium in potestate posuit mentium, quantum vellent ei dare. Non enim poterat, quod promittit, *Et ego vobis eum tradam,* nisi ipse permitteret; sed sua impudentia facit, quod non curat si mentiatur. Loquitur enim jam membrum diaboli, qui supra, ipse cum Domino loquebatur: *Hæc omnia tibi dabo* (*Matth.* IV, 9); ubi aggressus est caput, quatenus deinceps facilius membra dissiparet. Constituunt ergo ei pretium servi, quia Christus formam servi susceperat; in cujus figura olim Joseph cum esset liber a fratribus, *Venundatus est in servum* (*Psal.* CIV, 17), ut tempore famis erogaret frumenta fratribus suis. Venundatus est autem, non juxta Septuaginta, viginti aureis, sed sicut Hebraica veritas se habet, quia non poterat pretiosior esse servus domino suo, tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus est in hoc mundo, usque ad baptismum. Nam et Joseph in figura Christi tot annorum fuisse legitur, quando stetit in conspectu Pharaonis, quot et Christus baptizatus est, quando et cœpit Evangelium prædicare. *Et exinde,* inquit, *quærebat opportunitatem, ut eum traderet;* id est, ex quo locutus est cum principibus sacerdotum, et ipsi pacti sunt ei dare triginta argenteos. Quibus ita male illectus, quærebat opportunitatem, quomodo eum inveniret solum cum discipulis, ut eum ac si libere traderet sine turbis. Quod et Lucas declarat manifestius. Idcirco ac si diligens insidiator, post cœnam, jam in noctis silentio, cum esset secretius cum suis in prædio Gethsemani, occurrerunt ei cum gladiis et fustibus, ut eum latenter quasi furem deprehenderent. *Prima autem azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Prima ergo dies azymorum ipsa est, quando agnus apud Judæos immolabatur quarta decima luna ad vesperum, jamque fermento abjecto, sicut in Exodo monstratur. *Septem,* inquit, *diebus azyma comedetis, die prima non erit fermentum in domibus vestris* (*Exod.* XII, 15). Porro azymorum dies septem erant, Paschæ autem una tantum, de qua Anatolius ait: a fine, inquit, tertiodecimæ lunæ computa, quod est initium quartodecimæ, sicque usque in fine vigesimæ lunæ, septem diebus azyma celebratur; in quibus diebus nunc quacunque die quarta decima luna occurrerit, (quia illi septem dies in figura erant) verissimum Pascha celebratur. Quod autem Apostoli dicunt, *Ubi vis paremus tibi comedere* **1088** *Pascha?* magna sollicitudo est et obedientiæ devotio, ut omnia in voluntate ejus fiant, sicut et miser Judas in voluntate diaboli Judæorum pretium hujus sanguinis reliquit. Ergo Pascha quod dicunt, ipse vocabatur agnus apud Judæos, qui immolabatur in vesperum. Quod oportebat comedere, quia factus de muliere Christus, factus sub lege erat; non, ut Obionitæ male sentiunt, ideo hoc Pascha cum Judæis celebravit Dominus, ut deinceps more Judaico servaretur, sed ut transferret suos de vetustate litteræ ad spiritalia sacramenta, et eos qui erant sub lege redimeret. Quod si eos expellere de sub jugo legis venit, qui erant sub lege: multo magis non convenit illos introducere sub lege, qui prius inventi sunt extra legem. Quibus Dominus ait:

Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei, Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Quem locum Marcus et Lucas planius exsequuntur, cum patremfamilias vel dominum domus quibusdam judiciis insinuatum ostendunt. Qui eis cœnaculum magnum demonstraturus erat, stratum atque mundatum ubi pararent Pascha. Sed Matthæus, cum dicit dixisse Dominum, *Ite in civitatem ad quemdam,* videtur tanquam ex persona sua studio brevitatis, illud *ad quemdam* addidisse, volens eum insinuare aliquo modo. Quia nemo sic loquitur qui vult integre loqui, ut dicat suis, *Ite ad quemdam;* magis enim stare potest, si dicat: Ite ad quemcunque, aut Ite ad quemlibet; nec tamen ita certus demonstratur homo ad quem mittatur. Sed Marcus et Lucas certum eum ostendunt insinuasse Dominum, quamvis tacito nomine. Sciebat namque Dominus ad quem mitteret, etiam et illi quos mittebat, qualiter eum invenire possent, quibuslibet indiciis, quia sciebant, non ideo sic integre posset dici, Ite ad quemlibet. Quod etiam ipsa integritas locutionis admittit, sed non hoc loco; quanto minus tam absolute dici potuit, *Ite ad quemdam.* Manifestum est ad certum aliquem eos misisse,

Introdusă în format electronic de Google

quod ex persona sua poterat Evangelista nobis dicere, misit eos ad quemdam ut dicerent ei : *Apud te facio Pascha*. Aut certe ita, misit eos ad quemdam dicens : Ite, dicite ei, apud te facio Pascha. Ac per hoc, ut doctissimus Pater Augustinus vult, cum evangelista verba Domini posuisset, *Ite in civitatem*, interposuit ipse de suo, *ad quemdam*. Non quia hoc Dominus dixerit, sed ut ipse insinuaret tacito nomine fuisse quemdam in civitate ad quem suos Dominus mittebat, ut præpararent ei Pascha. Sed, seu sint verba Domini, **1089** seu evangelista hoc addiderit de suo, minus quidem nunc temporis usitata locutio est. Et ideo egregius doctor Hieronymus ait, quod hoc loco more veterum nova Scriptura conservat. Frequenter legimus, inquit, dixit ille illi, et illo in loco et illo, quod Hebraice dicitur *Phelmoni*, et *Helmoni*, nec tamen personarum locorumque ponitur manifestatio. Et ideo certum est aliqua ex causa Dominum personam ex nomine non indicasse; forte ut omnibus facta viis libera festivitati occasio præberetur. Verumtamen quod reliqui de homine portante lagenam cum aqua, et de cœnaculo magno, seu strato dixerunt, Domini Salvatoris sunt verba, et magna in se continent sacramenta, quæ suis in locis exponenda sunt. Porro quod ait : *Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis*, videtur quidem de tempore solemnitatis Paschæ dicere; quod tempus non suum tantum, sed omnium erat Judæorum. Et ideo potius nobis quamvis latenter illud insinuat tempus quod suum proprium esse recognoscit, jamque proximum, quando ad hoc venerat ut pateretur. Et hoc est tempus ejus et hora quæ venerat : *Ut transiret de hoc mundo ad Patrem*, quod est verissimum Pascha facere. Hoc celebraturus erat cum eo ad quem mittebat suos quoniam in eo omnium erat figura eorum qui ad illam cœlestem Jerusalem sunt ascensuri. Ad quem iste intrans, non tamen sine aqua refectionis, neque sine aqua baptismi, quia jam de fonte vitæ sibi hauserat salutem, festinans introire in civitatem, ubi Christo magnum paraverat cœnaculum stratum, ubi accumberet Magister veritatis. Magistrum ergo se vocat ex consuetudine illius forte ad quem mittebat; apud quem etiam et Pascha illud Novi Testamenti celebraturus erat cum discipulis suis. Quod forte tempus suum jam in sacramento dicebat adesse, quod eadem die expleturus erat quando transivit ad illud typicum Pascha. Et ideo domus illa non deorsum erat, sed in superiori cœnaculo. Et magna erat, ut caperet Jesum Verbum Dei Patris et sapientiam ac veritatem; quæ omnia non capit nisi magna domus. Et ut digna sit tanto mansore, necesse est ut sit mundata, nullas in se habens malitiæ sordes. Quæ domus in civitate Jerusalem esse probatur, id est in Ecclesia. Et ideo homo ille, scilicet dominus illius domus, sine nomine monstratur, ut commune **1090** sit omnibus hoc mysterium, quicunque Christo parare volunt hospitium, quo Pascha a Domino digne celebretur. Hinc est quod ait : Ite ad quemdam, ut illi dicant, qui Christo parare desiderat Pascha.

Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. Id est in ipsa prima die azymorum, quando miserat eos, ut pararent Pascha ad vesperum. Inter quos erat et Judas quando miserat eos, et quando discubuit in cœna : Erat autem sicut lupus insidians inter agnos, quia jam in cor ejus miserat diabolus, ut traderet eum. Quibus edentibus dixit: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Solito more Veritas, quia falli non potest, cum juramento loquitur. *Ipse enim sciebat quid esset in homine;* idcirco non erat opus, *ut testimonium ei quis perhiberet de homine* (*Joan.* II, 25). Poterat itaque proditorem suum mox specialius demonstrare, nec tamen fecit, sed crimen mittit in numero, ut et affectus probaretur singulorum, et misero proditori locus daretur pœnitentiæ. Æquum namque erat, quia prædixerat passionem suam, ut et proditorem prædiceret. Ex utroque, ultroneum ut monstraretur venisse se ad eamdem passionem. Nec tamen manifeste arguit eum, cujus consilia in corde latentia occulte deprehendit, si forte in conscientia deprehensus eum crederet scire ut Deum, quæ putabat latere quasi hominem. Sed miser postquam vidit conscientiam suam latere non posse, nimia infidelitate cæcatur; idcirco ultra præsumpsit, vel nimia impudentia, occulte deprehensus, non erubuit. *Et contristati valde cœperunt singuli dicere : Nunquid ego sum, Domine?* Hoc quippe virtus est apostolorum, qui plus credebant verbis Domini sui, quam conscientiæ suæ. Sciebant jam singuli ex doctrina Domini, licet bonæ conscientiæ essent, et mundi ab omni proditione Magistri, quod mortalitas humana nunquam in eodem statu permanet. Et ideo singuli formidantes de se, considerabat unusquisque eorum ne forte ipse esset, qui præcognitus erat ac si proditor. Quod si illi sibi bene conscii timent et formidant quasi infirmi, quid de nobis agendum est, qui nunquam conscientiam perfectæ puritatis, neque charitatem circa Deum perfectam accepimus? Quod si Apostolus corpus suum servituti subjicit, ne forte reprobus inveniatur, cum aliis prædicat verbum salutis : quanto magis timere nos oportet, et in omnibus nos Deo committere? Qui quos præscit, et **1091** vocat; et quos vocaverit, illos et sanctificat; quos vero sanctificaverit, illos et justificat. *Qui intingit*, inquit, *mecum manum in paropsidem, hic me tradet; Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo.* Hoc quippe ex indicio propheticæ vocis dicit, quasi diceret : Qui manducat panem meum *Ampliabit adversum me supplantationem* (*Psal.* XL, 10). Nec igitur discrepat hic sensus ab hoc quod ait : *Qui intingit manum mecum in paropsidem, hic me tradet.* Quibus verbis discipulos quasi liberos relaxat, dum solum proditorem declarat. Qui quod alii fecerunt, non potuit manum retrahere a paropside, jam semel et secundo secreto prænonitus.

Introdusă în format electronic de Google

Ubi Dominus sua in eo manifestat beneficia, et Judas suam non celat impudentiam. Et quia a Domino tantis complectitur honoribus, ut esset unus ex duodecim, atque œconomus eorum quæ collata erant pauperibus; neque salis, neque ejusdem mensæ, neque panis, neque carnium agni quas comederat, memor factus, impudenter festinat tradere largitorem bonorum operum. Cum dinumerare nemo potest omnia ab eo facta mira et deifica, quæ viderat vel audierat. *Filius autem hominis vadit, sicut scriptum est de eo.* Vadit autem ad passionem, quia filius hominis est, ut prædictum erat a prophetis, passurus per crucem. Manet autem cum discipulis in mundo, secundum quod verbum est, custodiens eos in fide. Alias autem non permanerent in fide ipsius, præcipue cum eum in cruce pendentem, deinde mortuum vidissent. Et notandum, quia non dixit, *Væ homini illi* a quo tradetur, sed, *per quem tradetur*, volens alium ostendere a quo tradebatur, id est diabolum, Judam vero ministrum fuisse diaboli, per quem ipsa traditio ministrabatur passionis. Tertio jam eum tangit, ut quem conscientia et pudor non traxerat, saltem denuntiata sero, corrigant supplicia. *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Multi in hoc verbo acuunt sillogysmorum suorum acumina, et argumentantur, quasi nullo modo posset ei bonum esse, qui non esset omnino, si natus non fuisset, et ideo prius fuisse eum antequam male nasceretur, ut talis esset. Dicunt enim, id quod est potest aliquid habere præter quam quod ipsum est. Idcirco habere posset aliquod bonum, etiamsi natus non esset; quoniam diversum est tantum aliquid esse, et esse aliquid in eo quod est. Sicut omne quod participat eo quod est esse ut sit, alio **1092** aliquo participat, ut aliquid sit. Ac per hoc forte Judas, quia participabat eo quod est esse, ut esset illi bonum, erat antequam nasceretur, ut melius illi esse posset. Sed quia ista philosophorum sunt, ut possint de verisimilibus sua extollere argumenta, et nonnulla introducere falsa, redeamus ad simplicitatem divini eloquii, quo dicitur, quia *illi bonum erat si natus non fuisset;* quia nec hoc bono erat dignus cum jam esset, et nasceretur prius cum non esset. Sed quia ex arbitrio suo venit, ut hoc officium proditionis consummaret per eum Dominus, ideo natus est malo suo, ut in malum, quod secundum propositum erat, ipse corrueret, ad hoc ex præscientia Dei justissime ordinatus. Unde non dicitur, quia bonum erat ut non esset, sed ei, ne natus esset. Quoniam etsi malum contigit ei, ex accidenti vitio fuit; bonum tamen non negatur eum fuisse, licet præ culpa melius esset ei non esse, justo Dei judicio, quia ad pœnam præscitus erat. Non quod essent antea, ut quidam volunt animæ in cœlestibus, quo illi bonum esset; neque in eo ullum ei esse poterat bonum, quia non erat cui esset ullum bonum, sed juxta simplicem intelligentiam Scripturarum sanctarum, bonum esset ei qui jam erat si non subsisteret, quam tam male subsisteret, ut et male illi esset; quod omnino non esset si natus ipse non fuisset

Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi, Tu dixisti. Etiam hic non expressum est, utrum ipse esset; sed forte sic temperatum ne omnes adverterent, ut ei adhuc daretur de se, cujus in conscientia crimen erat. Unde magis in contumaciam videtur sonare, quam quod dubium non erat, ei requirere; et ideo non tristem eum fuisse ut cæteri sermo declarat, non religiosum ac devotum in fide, ut eum Dominum mitissime cum cæteris appellaret. Sed efferatus animo, sine ulla cordis pudicitia, quasi excusantis affectu dicit. Nunquid ego sum, Rabbi? Et hoc ideo ne tacendo videretur crimen cordis prodere, jungit quasi plaudientis affectum, quod dolus in corde non latebat. Unde et Rabbi eum vocat, quod est infidelitatis signum, quia Deum et Dominum eum esse, post tot signa et miracula non credebat. Sed nescio, vel si talem eum quasi unum de doctoribus accipiebat, qui tam crudeliter sine ulla pœnitentia cordis, tradere sic impudenter eum dolo festinabat. **1093** Cui Dominus, *Tu dixisti.* Eadem igitur responsione confutatur proditor, qua et Pilatus, ut ex ore proprio condemnaret eum, qui non dubitans de conscientia interrogat, sed fingens se de hoc dubitare, quasi timens simulat. Non quod curaret impudicus jam excusabilis esse, sed ut consilium suæ proditionis interdum celaret. *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Audiant qui volunt extenuare hoc verbum corporis, quod non sit vera caro Christi, quæ nunc in sacramento celebratur in Ecclesia Christi, neque verus sanguis ejus: nescio quid volentes plaudere vel fingere, quasi virtus sit carnis et sanguinis in eo admodum sacramento, ut Dominus mentiatur, et non sit vera caro ejus, neque verus sanguis, in quibus vera mors Christi annuntiatur, cum ipsa Veritas dicat: *Hoc est corpus meum.* Similiter et de calice: *Bibite,* inquit, *ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus Novi Testamenti,* non qualiscunque, sed quod *pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Neque itaque dixit cum fregit et dedit eis panem, hoc est, vel in hoc mysterio est virtus vel figura corporis mei, sed ait non ficte, *Hoc est corpus meum.* Ubi Lucas addidit, *Quod pro vobis tradetur,* vel sicut alii codices habent, datur. Sed et Joannes ex persona Domini, *Panis,* inquit, *quem ego dabo caro mea est,* non alia quam, *pro mundi vita* (*Joan.* VI, 52). Ac deinde, *Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo* (*Ibid.*, 57). Unde miror quid velint nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi vel sanguinis; sed in sacramento virtutem carnis et non carnem, virtutem sanguinis et non sanguinem; figuram et non veritatem, umbram et non corpus, cum hic species accipit veritatem et figuram, veterum hostiarum corpus. Unde Veritas

Introdusă în format electronic de Google

ait, cum porrigeret discipulis panem, *Hoc est corpus meum*, et non aliud quam, *quod pro vobis tradetur;* et cum calicem, *Hic est calix Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Necdum itaque erat fusus, et tamen ipse porrigetur in calice sanguis, qui fundendus erat. Erat quidem jam in calice, qui adhuc tamen fundendus erat in pretium; et ideo ipse idemque sanguis jam erat in calice, qui et in corpore, sicut et corpus vel caro in pane. Erat autem integer Christus et corpus Christi coram oculis omnium positum; necnon et sanguis in corpore, sicut et adhuc hodie integerrimum **1094** est et manet, qui vere dabatur eis ad comedendum, et ad bibendum, *in remissionem peccatorum.* Dicat qui vult, si in alio aliquo remissio est peccatorum, quam in Christo. Constat ergo, quia non est; et quia in hoc corpore ac sanguine remissio est peccatorum, vere Christi caro est et sanguis. Unde qui digne manducant et bibunt, vere vitam æternam manducant et bibunt, et integra manet vita. Et tunc erit unicuique corpus Christi et sanguis, vita, si quod in sacramento sumitur, in ipsa veritate (sicut aliquando dixisse me memini) spiritaliter manducetur, et spiritaliter bibatur. Quia sicut dicit Apostolus, caro nihil prodest, quanto magis panis sine spiritu, qui cernitur, sed *Spiritus est qui vivificat* (*II Cor.* III, 6). Hæc idcirco prolixius dixerim, et expressius, quia audivi quosdam me reprehendere quasi ego in eo libro quem de Sacramentis edideram Christi, aliquid his dictis plus tribuere voluerim, quam ipsa repromittit Veritas, timentes forte, quod ipsi tunc timuerunt quibus loquebatur, partes facere voluerim, et ejus per singulos membra dividere concisa, vel dispertita, sicuti illi tunc putarunt qui scandalizati dicuntur, et abierunt retrorsum. Quibus Salvator ait: *Hoc vos scandalizat? Si videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius* (*Joan.* VI, 62, 63). Ac si diceret: Si hoc intelligere possetis, sciretis utique, quod qui integer ascendere potest ubi erat prius, unus idemque Christus, consumi non potest per partes, nec dividi dentibus. Hoc quippe videre multum est, quia in spiritu est; hoc cognoscere vel credere, quomodo unus Christus ascenderit filius hominis, *ubi erat prius;* quis hoc sensu explicat? Et quod descendit de cœlo, *filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13), quæ hoc ratio capit? Necnon et quod, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), quæ hoc verba eloquuntur, ut quod incommutabile est, factum dicatur. Vel, quo modo, qui homo erat, filius hominis, in terram coram oculis eorum positus, in cœlis esse dicatur? Quomodo ergo de cœlis venit, unde nunquam abfuit? Ascendit descendens, quia in nullo resolvitur Christus. Est qui erat, et quod est non erat. In omnibus ergo istis, et in aliis quamplurimis locis excedit humanas mentes divina potestas; nec subjacet humanis sensibus ratio cœlestis et divina. Quia natura inferior causam et rationem naturæ potioris et immensæ non capit nec intelligit. Et ideo de talibus rebus, quæ divina virtus operatur, dubietas anferenda est, et cunctatio removenda. **1095** Quia scientia earum in fide est; ratio in virtute; effectus in rebus est, ex potestate; causa in voluntate. Ita ut nihil habeat homo quid conqueratur de singulis quæ Deus dixit et voluit: *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5), ut voluit. Simillima quidem sunt et divina in hujusmodi rebus sacramenta, quæ salute humani generis aguntur, et quotidie mystice in hoc mysterio ut tradita sunt apostolis celebrantur. Et ideo in cœnaculo hoc pascha agitur, quia nisi qui ascenderint, ista non capiunt, ut bibant et comedant quod effusum est, *in remissionem peccatorum*, et tamen integrum manet. Hinc quoque ipsa Veritas: *Bibite*, inquit, quia *hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* omnium. Quod si effusus est jam, quomodo nunc rursus effunditur? Et si caro consumpta est, quomodo adhuc manet integra et vorator? Ecce quod bibitur quotidie et effunditur; et quod semel immolatum est, adhuc hodie immolatur; non ergo immolatur, nisi quod vivum est. Bibitur quidem in remissionem peccatorum, et effunditur. Si autem quæris quomodo effunditur, ut maneat quod effusum est? Intellige quomodo *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (*Rom.* V, 5), et manet: sic forte poteris cognoscere, quod ineffabile est quidquid Spiritus sanctus operatur. Et si charitas Dei diffusa est in se manens, vere sanguis Novi Testamenti Dei diffunditur admodum in cordibus nostris, in remissionem peccatorum; quo effuso, remittuntur in eo peccata nostra. Quoniam ipse pontifex Christus est qui porrigit nobis hunc panem, suumque corpus, et effundit hunc calicem; non enim discedit ab officio suo. Et si manet in nobis, bibit eum etiam ipse nobiscum novum; et quod est in toto corpore suo, et in omnibus nobis, quia sine eo ipsum sumere non possumus, neque de pane illo manducare, vel calice bibere. Nec mireris frater, qui forte ista non credis, quia non nostra sunt quæ dicimus. Omnipotens est enim Dei verbum et efficax ad omnia quæ vult, secundum multitudinem virtutum suarum, cum sit ipse unus, omnium virtutum virtus. Cujus verba non alicujus, quam unius verbi, quod ipse est, sunt verba. Et ideo plena sunt veritate, quia *Spiritus et vita sunt* (*Joan.* LIII, 63), nec habent aliud in se præter quod ipsa per se profitetur Veritas, *Accipite*, inquit, *hoc est corpus meum.* Et de calice: *Hic est* enim *sanguis meus.* Poterant enim **1096** apostoli, tunc si non crederent verba vitæ et veritatis, respondere, vel quærere quomodo panis ille et calix vini corpus et sanguis essent Christi, cum ipse integer Christus in corpore suo coram oculis eorum erat. Sed quia crediderunt quod dixerat silentio confitentur, et accipiunt ab ipso quæ nobis postea tradiderunt. Tradiderunt autem non aliam, quam ipsam eamdemque cœnam, quam ipsi tunc manducaverunt et biberunt. Unde volo per-

Introdusă în format electronic de Google

pendat fidelis animus, quid intersit inter illud typicum pascha, quo agnus immolatus est in eadem cœna et comestus, necnon et inter istud, quod secundum ordinem Melchisedech in pane et vino continuo celebratur. De quo sane Pascha dixit eadem hora omnibus suis : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar* (*Luc.* XXII, 15). Quod si nil amplius habet hoc mysterium, præter figuram corporis et sanguinis Christi, et non hoc est quod ipse dixit, quid necesse habuit iterare in facto, quia jam hoc totum præfiguratum erat in agno? Unde et Lucas duos calices datos esse discipulis in eadem cœna, commemorat; unum prius post agni comestionem, antequam panem acciperet, aliam vero postquam benedixit ipsum panem, ac fregit et dedit discipulis suis.

Similiter, inquit, *postquam cœnavit dicens : Hic calix novum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ubi datur intelligi, quia agnus ille legalis, cum suo calice in figura præcessit passionis Christi. Deinde corpus et sanguis in calice, ad expletionem factum est veritatis, ut quod in Melchisedech, præcesserat, totum compleretur in Christo. Nam quod calix passionem Christi demonstret, nemo qui hoc Evangelium legit, ambigit; ideo aliquos monet, utrumne duos calices Lucas voluerit significare Jesum accepisse, an unum eumdemque, quia anticipaverat de eo dicere, rursus recapitulando bis eum commemorat; ita quidem nonnulli sentiunt non duos esse calices, sed unum, qui et ante dividendus, et postea bibendus commemoratur datus esse discipulis. Sed alii melius, ut præmisi, duos porrectos affirmant discipulis; ut in uno eorum, id est in primo, passionem suam voluerit exprimere, in alio vero fidelium suorum passionem præfigurare. Rursus alii contendunt in utroque calice illud ostendere, quod in Veteri Testamento præceptum est, ut qui pascha, primo mense agnum comedendo, non ageret, **1097** in secundo mense Medi comestione perageret, ac propterea duos calices discipulis Dominum tradi isse. Et astruunt vere in utroque calice, quod utrumque intelligi debeat Testamentum, ac per hoc unum eorum pertineat ad agnum, aliud vero ad mysterium corporis. Sed sive hoc, sive illud, quisque sentiat, nullus tamen eorum a vera fide invenitur extraneus, tantum ut intelligat in hoc facto, quod de figura et umbra veritatis benignissimus Jesus accipiens panem et calicem ad verum transeat paschæ sacramentum, ne apex iotæ detruncaretur a lege; imo, quia lapis angularis est utrasque tenens et adimplens leges, ac si verus Melchisedech, panem offert et vinum, quod erat sacramentum sui corporis præfiguratum, ac sanguinis. Et notandum quod ait, *Benedixit et fregit*. In qua nimirum benedictione ac fractione nova creatura efficitur, ut panis in commemoratione mortis Christi Deo fide oblatus, caro ejus vere dicatur; similiter et sanguis in eadem gratiarum actione, quando patri gratias egit, creatur ut verus sanguis credatur, *Qui effusus est pro multis in remissionem peccatorum*. Pro multis quidem, sed non pro omnibus, quia non omnes obediunt Evangelio, neque credunt in eum. Verumtamen a multis quæritur, qui non simplicem sequuntur intelligentiam, à quo Jesus acceperit hunc panem, vel hunc calicem? Quia dicitur accepisse. Non enim æstimant sic accipi oportere quasi carnaliter dicatur, sed altius illud exponere conantur, ac si a Deo Patre, a quo habet omnia. Quod ante accipit, gratias agens, dat eis, qui digni sunt a Deo accipere panem hunc et calicem. Unde Joannes ait in suo Evangelio dixisse Dominum, non *Moyses dedit vobis panem, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum* (*Joan.* VI, 32); quem profecto panem accipiens Salvator a Patre, dat eis qui secum pariter cœnam agunt digne, ut sit juxta Paulum apostolum, nobis, *Dominicam manducare cœnam* (*1 Cor.* XI, 20, 26), et non alterius. Et ideo illum panem, quia a Patre accepit, gratias egit Deo Patri, ac benedicit, ut pontifex, et frangit. Quia ut Jeremias plangit, nemo inventus est prius alius, qui parvulis frangeret panem petentibus, nisi solus Jesus; quia a Patre illum accipiens, dat discipulis et membris suis, secundum quod unusquisque eorum fide capit, et potest accipere. Unde mandat apostolus; *Quotiescunque*, inquiens, *panem hunc manducabitis, et calicem hunc bibetis, mortem Domini* **1098** *annuntiabitis donec veniat* (*1 Cor.* XI, 26). *Donec veniat*, inquit, non mors quæ annuntiatur in hac immolatione, sed ipse ut veniat ad judicium, quando jam ultra non erunt hæc mystica sacramenta in fide, sed ipsa veritas, quæ adhuc recte agitur in mysterio, luce clarius reseretur, et erit omnibus palam in fruitione, quod nunc sumimus in mysterio. Hinc quoque suis ipse ait : *Et ego de Patre palam annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI, 25). Hoc quippe habet hoc mysterium mortis Christi, in commemoratione, quod habuit caro Christi et sanguis semel in passione, ut ipsa sit una caro et sanguis in sacramento, qua pascatur homo, membrum Christi, et fundatur sanguis in ablutione peccati impræsentiarum, sine quo justus nemo vivit homo. Quoniam hic est sanguis Novi Testamenti, in cujus figura quia fundendus erat olim Moyses, dicebat populo : *Hic est sanguis testamenti*. Et non ait novi; sed *quod mandavit* ad vos *Dominus*. Hic autem Novi Testamenti est, quia non agni illius, non vituli, non taurorum neque hircorum, sed proprius sanguis Christi, cum quo introiit in sancta semel, offerendo se pro nobis Deo, qui et quotidie in hoc sacramento offertur, quia quotidie peccamus, ut sine peccato simus. Alioquin quomodo hostia vocatur, nisi immoletur Christus in eo? Non enim immolatio recte dicitur, juxta proprietatem nominis, aut verbi, nisi et mactatio victimæ consequatur. Attamen in pane isto et vino sacerdos recte immolare dicitur, quoniam in eo Christus, ut ita fatear, Deo Patri in hac oblatione, ac si hostia pro peccatis nostris, seu in cibo salutis nostræ, victimatur.

Amen dico vobis, inquit, *non bibam amodo de hoc*

Introdusă în format electronic de Google

genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Sed et de pane similiter Lucas dicit, non manducabo illud, nisi impletum in regno Dei. Ecce, ut dixeram, de carnalibus transit ad spiritalia. Idcirco spiritaliter accipienda sunt hæc omnia quæ traduntur in sacramento. Quia si caro nihil prodest, nisi Spiritu vivificetur, multo minus panis iste et vinum, quod sanguis et caro esse creditur, prodesse potest, nisi totum fieri in Spiritu intelligatur. Alioquin ex his in nobis quod digeritur; vel in palato oris sentitur, quid prodesse poterit? Nisi quia sacramenta sunt donec ipse veniat Christus, et palam se exhibeat et Patrem ostendat nobis. Interim vero mens Deo denota et fides integra, intelligibiliter **1099** vere sumit in his, quod novum creatum est, scilicet corpus et sanguinem, et si corpus digerat quod extra est, quia sic in sacramento nobis a Domino traditum est. Interea, seu legamus, *de hoc genimine vitis*, seu de hac creatura vitis, ut alii codices habent, recte quæritur utrum pius Magister, ad panem et calicem ac si digitum demonstrando extenderit, antequam caro esset et sanguis, an ad ea quæ prius legaliter gessit, certe ut ipsam Synagogam ostenderet; quæ vinea Domini erat Sabaoth, quam ipse de Ægypto transtulit, quia utrumque congruere videtur. Verum si ad panem respicimus, et calicem, utique ex his ultra non manducavit, neque bibit, donec post resurrectionem, cum eisdem discipulis, jam incorruptibilis et immortalis manducavit et bibit. Si autem de his quæ legaliter gesta sunt, dicit verum, quia de hostiis Judæorum et victimis nulla demum gustavit, donec omnia in Ecclesia translata sunt sacramenta, et innovata. Quod si de ipsa Synagoga sermo est, a quo calicem passionis illatum sua sponte suscepit, neminem eorum per fidem intra suum corpus, quod est Ecclesia, trajecit, donec post resurrectionem, per Spiritus sancti gratiam, innovatos quamplurimos suscepit. Quod vinea de Ægypto transplantata, synagoga Judæorum sit, Jeremias ex persona Domini ostendit, cum quasi deplorans Dominus dicit: *Ego te plantavi vineam meam electam, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ?* (*Hier.* II, 21.) Similiter et Isaias in Cantico, et reliqua Scriptura in quamplurimis locis. De qua sane vinea Dominus dicit, nequaquam se bibiturum poculum suavitatis, nisi in regno Patris sui. Quod regnum jure Ecclesia Dei accipitur, seu fides credentium, de qua dicit Apostolus credentibus, *Regnum Dei intra vos est.* Ergo quidquid horum genimen vitis acceperis, de quo non se bibiturum dicit, donec illud bibat novum in regno Patris sui: considerandum est quanta unitas commendatur corporis cum suo capite, cum ait, *Donec illud bibam vobiscum.* Quia cum repromittit se bibiturum in regno, non tamen sine ipsis, sed cum ipsis se novum utique bibere in regno Patris sui ostendit. Quia novum utique vinum, nonnisi innovati possunt bibere, veteres autem nova non capiunt, necnon et ipsi novi nisi cum Christo, sicut nec Christus sine ipsis. Qui ergo suos non segregavit a consortio regni, neque a consortio suæ potationis et dulcedinis, nullo pacto **1100** credendum est a sua eos sequestrasse præsentia dignitatis et gloriæ. Et notandum quod ait, *in regno Patris mei.* Non enim dixit in regno Dei, sed *in regno Patris mei.* Quia omnis pater nomen est filii. Et nemo venit ad Patrem, nisi per Filium, sicut nec ad Filium, nisi Pater attraxerit eum. Et cum Pater adduxerit suos ad Filium, tunc de vino lætitiæ et jocunditatis eorum bibet Dominus Christus cum eis in regno Patris sui; et inebriabuntur omnes vino charitatis Dei, sicut in similitudinem inebriatus est Joseph meridie cum fratribus suis. Attendite, quæso, fratres mei, quomodo bibere vos oporteat impræsentiarum, vel manducare in mensa Dei, et in regno Patris Christi; quia non alicubi bibit ille illud vobiscum novum, nec alio in tempore quam in regno Patris sui. Attendite quod ait Apostolus, quia *Regnum Dei non est esca et potus* (*Rom.* XIV, 17), neque quod corporaliter carne sumitur, sed esca et potus iste quem de altari sumimus, angelorum est cibus. Unde Scriptura dicit: *Beatus homo qui manducaverit panem in regno Dei* (*Luc.* XIV, 15); quia alicubi nunquam panis veræ vitæ comeditur. Hinc quippe jam in regno Dei Patris, sed adhuc in sacramento; illuc vero cum impletum fuerit hoc regnum in nobis, evacuabitur istud quod est ex parte, tuncque fruemur facie ad faciem, cum venerit ipse, et quod perfectum est. Eia fratres, ut cum venia loquar, ideo in hac cœna Christi prolixius elaboravi quam brevitas poscat tractatoris, quia in his mysticis rebus plures aliud sapiunt, et cæcutiunt multi, dum panis iste et calix nihil aliud eis esse videtur, quam quod oculis cernitur, et ore sentitur. Idcirco ut manifestius cognoscant, quanta est unitas corporis, intelligant quibus modis dicitur corpus Christi, quia est illud Dominicum corpus in quo passus est Deus, sed non secundum quod Deus est. Et est hoc corpus in hoc mysterio quod creatur in spiritu et virtute verbi ut Christi sit corpus, et non aliud quam id quod passum est, et proprium corpus. Est et corpus Christi, omnis sancta Dei Ecclesia, de carne et de ossibus ejus, in carne una formata, et in unitate corporis ejus sociata. Quapropter veritas est in utroque et unitas corporis, et ideo hoc corpus quod medium est quo pascimur in via, non dividitur ab unitate corporis Christi. Neque quia caput est Christus Ecclesiæ, recte a suis præciditur membris, sicut nec membra dividuntur a capite, ut membra et caput, unum sint corpus quod **1101** sacramentum juxta Apostolum magnum est in Christo et Ecclesia. Et ideo qui vult vivere in unitate corporis, hæc tria, mystice, unum sentiat esse corpus; quoniam testamentum Dei æternum de his firmatum est in sanguine Christi. Et ideo jure non ait, hic est panis aut corpus Novi Testamenti, sed hic est calix Novi Testamenti in sanguine meo qui pro vobis fundetur. Nec immerito igitur hoc mysterium jure dicit testamentum, quod morte testatoris firma-

Introdusă în format electronic de Google

tur. Nam juxta Apostolum, ubi testamentum firmatur, ibi profecto necesse est, et mors testatoris interveniat, quia secundum ipsum omne testamentum in mortuis confirmatur. Nam et hoc more suo Apostolus cum Hebræis ipse Hebræus in Christo commendaret, astruit testamentum nihil valere hæredibus, si mors non intercedat testatoris. Alioquin nondum valet, dum vivit is qui testatur. Hinc, fratres, testamentum quod disposuit ab Abraham, et illud fœdus quod pepigit cum Israel, in monte Sina, quia per mortem nequaquam fuit ejus qui testabatur, ideo infirmum fuit, donec Domini nostri Jesu Christi qui testabatur, unica morte et singulari firmaretur. Quæ nimirum mors, vere mortis exstitit mors. Et ideo quam pulchre et quam pernecessarium, hoc sacramentum in memoriam mortis Christi immolatur, ut sit corpus redemptionis nostræ, et alimentum vitæ in nobis, necnon et sanguis Novi Testamenti in morte ipsius testatoris. Alias autem Testamentum Vetus, quamvis habeat universa solemniter testamentorum jura servata, tamen quia per mortem mediatoris non erat roboratum, infirmabatur per carnem, sicut Apostolus docet. Hoc autem Testamentum Novum, quia imminente jam morte testatoris confectum est ad viaticum, in hæreditatem salutis, idcirco firmum est ratumque in perpetuum, et permanebit in ævum. Non enim nisi unius noctis tantummodo spatium interfuit, inter promulgatam hanc seriem testamenti, et mortem piissimi testatoris Christi. Unde et in eadem nocte specialiter quos hæredes in hujus testamenti pagina indidit, sicut de singulis edocuit quæ servare deberent : ita et de hoc sacramento calicis, id est passionis suæ, instituit, ut in memoriam mortis ejus hæc agerent; ac per hoc carnis ejus atque sanguinis participes facti, unum manerent corpus. Et quia mortalitas nostra quotidie prolabitur in mortem **1102** peccati, quotidie necesse est reparetur homo in vitam justitiæ. Quibus omnibus in eadem cœna rite expletis, mox evangelista :

Et hymno dicto, inquit, *exierunt in montem Oliveti.* Hoc namque est quod in Psalmo legimus, *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ* ; quoniam nemo hujus adipe frumenti satiatus, neque hujus dulcedine sanguinis Christi ebrius, jam repletus, cessat a laude Dei. Sed qualis hymnus iste fuerit, quibusque verbis editus, non satis monstratur ab ullo evangelistarum. Hinc et multi religiosi viri quærunt, si forte tantæ dulcedinis laus, saltem obscure in Evangelio alicubi conscriptus, vel ab ullo apostolorum traditus inveniatur ; certe aut ab omnibus tantæ suavitatis tantæque dulcedinis hymnus sit prætermissus curiose satis ac sollicite scire desiderant, nolentes acquiescere quod evangelistæ omnes hoc prætermiserint. Unde quidam volunt, hanc, illum esse hymnum, orationem mirabilem quam Joannes commemorat, quando elevato vultu ad cœlum orat ad Patrem, ita incipiens post multa quæ in cœna locutus est discipulis. *Et sublevatis in cœlum oculis*, *inquit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1), usque ad id cum ait : *Hæc cum dixisset egressus est trans torrentem Cedron* (*Joan.* XVIII, 1). Quod si ibi, inquiunt, scriptus non est, nec alicubi in Evangelio scriptus omnino est. Sed illa ineffabilis, ut ita dicam, oratio vel gratiarum actio, non ad eumdem locum pertinere videtur, neque hymnus ille quem post cibum solitus erat benignissimus Magister dicere, jure esse creditur. Quoniam quidquid per carnis dispensationem agere dignatus est Salvator, aut mysterium fuit, aut exemplum. In eo namque quod oravit, magna sunt sacramenta ; in hoc vero hymno, exemplum est, sicut ipse ait : *Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis* (*Joan.* XIII, 15). Magnum est itaque pietatis exemplum, quod et adhuc hodie non minus ante cibum quam post cibum, Ecclesia a Deo instituta, agere non prætermittit. Sed quæ fuerint verba illa quibus benignus Dominus Deo Patri tunc hymnum decantaverit, non satis apparet. Sicut nec quando clamavit de cruce iterum, *Voce magna*, *et emisit spiritum* (*Matth.* XXVII, 18). Ubi quid dixerit manifestum non est. Nam et quando accepit panem et gratias egit, utrumne corde tantum sine verbis, an voce, non evidenter elucet, sicut nec de calice ; **1103** in quibus et in hujuscemodi causis, vix ulla leguntur verba composita. Sed tamen quamvis non legantur, quia ipsa agendarum non est series explicata gratiarum, nulli dubium, quia verbis, saltem propter exemplum, dictus est tunc hymnus laudis Dei, sicut et gratiarum actio, quamvis non sint evangelistis, ubi vel ubi, hujusmodi verba tam diligenter expressa. Scimus tamen Dominum nostrum Jesum Christum, et ante hanc mysticam et singularem cœnam in domo Matthæi convivasse, similiter et in domo Simonis leprosi benignius recubuisse, sed et in domo Mariæ et Marthæ cum eisdem discipulis cœnasse. In quibus nimirum conviviis, quis nesciat auctorem vitæ, et Magistrum salutis nostræ, priusquam cibum sumeret, pro eo quod homo erat, Deo Patri gratias retulisse, deinde post cibum ex more decantasse hymnum ? Qui nimirum hymnus jam ex consuetudine omnibus notus erat et manifestus. Idcirco ad alia properant evangelista, superfluum duxit eum scriptis retexere. Hymnus proprie laus Dei est ; nec enim est hymnus nisi in quo Deus laudatur, et voce in laudem Dei cantatur. Et ideo hymnus iste fuit, qui cantabatur Deo in omnibus conviviis, in quibus quotidie consuetus erat Deo Patri gratias agere, et hymnum dicere. Et ideo forte, quod tam creberrime agebatur scribere postposuit, ut dixi, evangelista ; quoniam in omnium eorum ore semper erat. Quo dicto, *Exierunt in montem Oliveti*. De alto enim ad altiora conscendunt, quia de virtute ad virtutes eos semper transducit benignissimus Dominus. Sed longe ante non dico quam hymnus, verum etiam quam præmissa oratio, vel gratiarum actio funderetur ad Patrem, miser Judas possessus a dæmone, exivit a consortio apostolorum omnium alienus antequam de sanguine

Introdusă în format electronic de Google

Christi communicaret, ut gratiarum actio, et laus pro ipsis esset et in ipsis dicta qui cum Domino permansuri erant jam in vita beati ; quasi hi soli beati creduntur qui cum eo ascensuri sunt in montem Oliveti, ubi laborum est refectio, doloris est requies, et veri luminis notitia.

Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Prævidebat autem omnia ut Deus, et prædicit quod passuri erant in proximo, sicut providus Magister, ut cum passi fuerint ne desperent salutem, sed redeant per pœnitentiam, ut liberentur a scandalo infidelitatis, **1104** et ideo mox addidit testimonium prophetiæ; quod evenire non poterat, ne fierent et complerentur omnia, ut prædicta erant. Quibus, ut consolarentur, saltem post fugam et scandalum tanti pavoris, et dispersionem nimiæ trepidationis, continuo subjecit : *Cum autem surrexero, præcedam vos in Galilæam.* Si quis autem quærat post tanta et talia virtutum signa, et prodigia miraculorum, post tot documenta, et innumera prædicationis Christi sacramenta, deitatisque opera et exempla, quomodo discipuli tam subito scandalizantur sine ulla mentis constantia, sine ullius vigore fortitudinis ? Sciat quia, *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* : sic nemo potest sine scandalo tanta et hujusmodi sustinere, nisi Spiritus sancti gratia. Necdum enim erat Spiritus sanctus datus, quia Jesus necdum erat glorificatus. Et ideo providus dispensator Christus, sic universa disponit, ut ipse unus pro omnibus appareat passus, et nemo de se præsumat; quia solummodo, qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt tantum Dei filii, et permanent in fide. Et notandum quod addidit Salvator , *In ista nocte*, ut scires, sicut quam sæpe dixi in his, quod nihil vacat a mysterio, non tempus, non locus, non ordo, non ulla sancti Evangelii narratio. Quia sicut qui inebriantur, teste Scriptura, nocte inebriantur : ita et qui scandala patiuntur, nocte scandalizantur, qui in tenebris sunt et ignorantia noctis. At vero qui diei sunt et luminis, non offendunt, eo quod nox illis præcessit, dies autem appropinquavit. Unde Salvator ait : *Qui ambulat in die, non offendit.* Quod autem scriptum dicit esse, *Percutiam pastorem* (*Joan.* XI, 9), et non dicit ubi, videtur sensum accepisse de Zacharia propheta, et non proprietatem dictorum, quia ibi ex persona prophetæ ad Deum dicitur, percute pastorem, hic autem ipsius Dei Patris persona introducitur dixisse : *Percutiam pastorem*, de quo in Psalmo dicitur : *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt* (*Psal.* LXVIII, 27). Nec igitur mirum si dicat Deus Pater percutere se pastorem, id est Filium suum in mortem, qui pro nobis omnibus tradidit eum in passionem. Neque mirum si dispergantur oves gregis pro sua infirmitate admodum passi scandalum timoris, ut demum congregentur in unum resurgente Christo, et sequantur eum in Galilæam gentium, ubi, quia in tenebris fugerunt omnes juxta Prophetam, videat lumen magnum. Et quia in regione umbræ mortis scandalum **1105** perpessi sunt formidinis, lux eis oriatur de morte Christi in transmigratione.

Respondens autem Petrus, dixit ei : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor, Hoc quippe de ardore fidei magis, quam ex temeritate vel mendacio, quantum in sua fuit conscientia, omnino dicit. Facit enim hoc circa Deum impatiens affectus, et non levitas mentis. *Et ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Dominus quidem loquitur, ut Deus, qui novit omnia antequam fiant; Petrus autem ut homo, quia *omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 1). Et ideo ait : *Si me oportuerit mori tecum, non te negabo, similiter et omnes discipuli dixerunt.* Nec tamen ideo negat Petrus, quia Dominus illud prædicit, sed ideo Veritas aft quod futurum erat, quia Veritas est et falli non potest. Sicut nec ideo *omnis homo mendax*, quia Propheta hoc ait, et non præcipit omnem hominem esse mendacem, sed pronuntiat quod verum est, et dicit universaliter, *Omnis homo mendax.* Ubi demonstrat Christum plusquam hominem esse, ut ipse solus, quia Deus est, sit verax. Sed Petrus nimio fervore fidei, et amore succensus, non satis considerat, quia qui dixit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6), mentiri non potest. Propter quod, ut æstimo, quia reliqui discipuli non tantum contra veritatem ire præsumunt, scandalizati sunt tantum in Jesum : Petrus autem quia parum duxit si mentiretur Christus, cogitabat forte eum magis mentiri posse, quam sibi aliter evenire, quam hoc quod in corde gerebat. Idcirco, quia incaute de se præsumit, et cæteris in fide se anteponit, nec intendit satis quod Veritas est qui ei ista dicit, non solum scandalizatus est, ut cæteri, verum etiam derelictus propter temeritatis audaciam, ut ter negaret Dominum. Et si diligenter perspexeris omnium quatuor evangelistarum de hac re sententias, forte invenies tertio permotum Petrum ex Domini verbis, ut hanc proferret cum Domino, vel pro Domino moriendi præsumptionem. Nam Matthæus et Marcus uno tenore de hoc dicunt; Lucas vero et Joannes diversis in locis magis cogunt intelligi debere, ter eum hanc præsumptionem protulisse, et ter a Domino illi responsum esse, quod eum, antequam gallus cantaret, esset ter negaturus. Neque enim incredibile debet videri, distinctis quantisper temporum intervallis, Petrum commotum fuisse **1106** ad præsumendum ex Domini verbis, sicut et ad negandum, quibuslibet ex dictis. Neque absurdum videtur ei Dominum sic ter respondisse, quandoquidem etiam contextim, nullis aliis interpositis rebus, aut verbis post resurrectionem, ter illum interrogasse legimus, utrum eum amet, terque Petrum respondisse; ac deinde, ter de pascendis ovibus ei præceptum esse. Quapropter et patri Augustino credibilius hoc ita esse videtur, ter eum incaute præsumpsisse, et ideo de trina sua negatione ter a Domino audisse, sicut ex ipsis evangelistarum verbis, lector, et de his quæ

Introdusă în format electronic de Google

a Domino dicta commemorantur, ipse ad plenum poteris cognoscere. Et ut paucis id ostendam, habes in Joanne, cum dixisset Salvator : *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum : quæretis me et sicut dixi Judæis, quo ego vado vos non potestis venire* (*Joan.* XIII, 33, 36, 37). Quibus profecto Petrus verbis commotus, dixit ei : *Domine, quo vadis?* Cui Dominus : *Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea.* Tunc Petrus : *Quare non possum*, inquit, *sequi te modo? Animam meam pro te ponam.* Huic ergo præsumptioni mox respondit Dominus futuram ejus negationem. Lucas autem cum dixisset : *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua, et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 31, 32, 33, 34). Cui Petrus : *Domine*, inquit, *paratus sum, et in carcerem et in mortem tecum ire.* Et Dominus ad eum : Dico tibi, Petre, *non cantabit hodie gallus, donec ter neges nosse me.* Quis non videat in tribus istis evangelistarum locis, quibus ad præsumendum Petrus Domini commotus sit verbis. Puto quod nemo qui non aliud illud dicat esse, et aliud illud in his omnibus locis unde origo sumpta est talia præsumendi. Porro Marcus eodem in loco, quo et Matthæus, ista dicit pene, eisdemque verbis. Sed reliqui duo, quia longe aliter narrant, cogunt nos intelligere, trinam Domini de hac re prophetiam fuisse, quia trina Petri præsumptio præcessit, et impulsio ad præsumendum ex tribus verborum variisque locis. Et ideo ut corrigeretur doctor et magister totius Ecclesiæ, provide satis judicio Dei justo permissum est, ut ter negaret Dominum, qui tertio Domini firmissimis noluit acquiescere dictis. Alias autem nescio, si tantus talisque a Domino ire in tentationem abundantius permitteretur, quam cæteri apostoli, nisi quia nec Domini considerabat majestatem, nec suam fragilem lubricamque vitam. Et ideo ut arguatur audacia incautæ promissionis, permittitur ire, juxta numerum **1107** suæ sponsionis in tentationem negationis. Ut quia ter illud inconsiderate promiserat, ter etiam timide cum juramento negaret. Unde instruimur, ut nunquam sine consultu virium aliquid stulte promittamus supra habitudinem possibilitatis nostræ. Debuerat enim Petrus postquam audivit a Domino se negaturum, potius deprecari ne id permitteret pius Dominus, quam de se ita præsumere. Neque enim ille idoneus cum Domino, vel pro Domino prius mori, quam Salvator pro omnibus mortem gustaret. Unde, quia ultra omnes de se incaute præsumpsit, ultra omnes, tertio satis fragiliter negavit. Licet quidam defendere velint Petrum, quod tantum voce, et non corde negaverit, potius simulate quam vere. Sed una est eorum assertio, quem prodant lacrymæ de corde prolatæ, qui ad se reversus amarissime flevit, dum videt se graviter deliquisse. Pii defensores Petri, qui sic eum defendere conantur, ut Dominum mentitum fuisse probent. Sed cæca eorum defensio, non intelligit quam dispensative non solum Petrus, verum etiam et reliqui apostoli permissi sunt ire in tentationem; inter cætera, ut qui magistri futuri erant ecclesiarum Dei, ex se discerent, de se jam ultra nunquam præsumere, ut scirent quomodo alios deberent tolerare in culpa, qui suos recognoscerent casus, et si aliquis corruisset, sicut quam sæpe mortalis infirmitas se habet, disceret nunquam desperare de venia, dum videt magistros ecclesiarum in subito cecidisse. Porro quod Matthæus ait dixisse Dominum, *Antequam gallus cantet, ter me negabis*, similiter Lucas et Joannes dixerunt. Solus etenim Marcus discrepare videtur ab illis, qui ait dixisse Jesum : *Hodie in hac nocte priusquam gallus vocem bis dederit, ter me negaturus es* (*Marc.* XIV, 72). Alioquin si non Marcus aliquid expressius innueret, nunquam bis addidisset, quod cæteri absolute dixerunt. Non enim in aliquo dissentire possunt, qui uno loquuntur spiritu. Sed hoc intelligere oportet, quod trina illa Petri negatio, ante primum galli cantum concepta est, quod tres illi intendunt, non quando eam totam vocibus expleturus erat, sicut Marcus evidentius intendit, sed quando quæ futura erat per intervalla temporis, tota simul concepta esset, et præfinita in animo, præ nimio timore et pavore mortis. Sicque omnes verum et unum sentiunt, quia trina illa negatio ante galli cantum tota concepta est in corde, et præ terrore **1108** nimio deliberata, et ante secundum galli cantum, voce peracta, sicut jam concepta erat. Quoniam vis animi atque affectus mentis totus in eo jam confusus erat, ob magnitudinem mœroris et tristitiæ, ob formidinem tanti discriminis, et nihil in eo jam virium remanserat, quem totum angustia et terror pervaserat.

Tunc venit Jesus cum illis in villam Gethsemani et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illuc et orem. Gethsemani namque interpretatur *vallis pinguissima*, vel *pinguium*, supra cujus vallis verticem templum Domini situm erat. De qua valle Isaias : *Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim, qui erant in vertice vallis pinguissimæ* (*Isa.* XXVIII, 1), significans sacerdotes et Scribas vino erroris ebrios, qui ibi Dominum comprehenderunt et occiderunt. Quam Lucas, non expresse nominato prædio, villam vocat, cum ait : *Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum* (*Luc.* XXII 39). Secuti sunt autem illum et discipuli ejus. *Et cum pervenisset*, inquit, *ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem.* Iste est ergo locus cujus nomen illi duo Gethsemani esse dixerunt, ubi nimirum illum fuisse intelligimus hortum, *trans torrentem Cedron*, quem Joannes commemorat. Quem locum sciebat Judas, quia Jesus in eum cum discipulis suis frequenter introibat. Mira omnipotentis Dei dispositio, qui sic omnia dispensat, sicque prævidet, ut universa plena sint sacramentis. Nec enim conveniebat ut Jesus eo in loco traderetur, ubi cum discipulis pascha manducaverat, sed talis eligitur locus per quem iste mundus significetur, in quo Dominus traditus est. Unde prælatus propheta : *Væ flori decidenti gloriæ*

Introdusă în format electronic de Google

exsultationis (*Isa.* xxviii, 1). Cum locum exprimeret passionis, florentem ait. Et in eo hortus esse dicitur, quia Ecclesia Dei floridis consita odoramentorum virtutibus in mundo est, ad quam sæpe Jesus ingreditur, ut videat si floreant mala punica, et areolæ divinis rigentur fontibus, quæ consitæ sunt bene a pigmentariis; de quibus David areolis juxta Hebraicum : Sicut areolæ, inquit, desiderant aquarum fontem, ita et anima mea Deum vivum. Sed iste hortus deliciarum non prius florere ad fructum potuit, vel germinare, antequam Jesus *torrentem* pertransierit *Cedron*. *De* quo *torrente* et ipse *in via bibit* (*Psal.* cix, 7). Sed prinsquam traderetur, conveniebat orare eum, et non alicubi quam in monte Olivarum, ubi erat et hortus in valle situs; pro quo, et in quo oportuit orare, quia Christi **1109** Ecclesia vere domus orationis dicitur. Non ergo sine causa a Domino eligitur locus orationis mundissimus ac remotus. Vult enim ex eo, ut orantis oratio sit mundior et magis acceptior, juxta quod scriptum est, *Domus mea, domus orationis vocabitur* (*Matth.* xxi, 13). De quo loco et alibi dictum legimus, *Terra in qua stas, terra sancta est*. Unde quærendum puto, si forte locus eligendus est quo religiosius ores? Utrumne eligendi sunt, sicut Dominum fecisse cernimus, cum quibus ores? Nam Dominus longe jam supra oraturus pro filia Jairi, omnes ejecit foras, tres tantum elegit secum, quos et supra in montem secum decrevit abducere, ut testes essent ejus transfigurationis. Fortassis ergo et propter hoc Ecclesiæ Christi talis est consuetudo ab apostolis divinitus tradita, ut qui manifestis sunt criminibus deprehensi ejiciantur ab oratione communi; quia non propter locum oratio differre videtur, quamvis opportunitas et religio semper quærenda sit, sed hoc sciendum, quia melius est solos nos orare, quam cum malis consentiendo ut mali sint, orare. Nec hoc ideo dicimus, ut temere de aliquo debeat quis judicare, neque aliis se præponere. Sed neque de apostolis aliquid sinistrum suspicari convenit, sed considerare quod solus est qui novit cur eis dixerit, nisi ad formam secretæ orationis : *Sedete hic donec vadam illuc et orem*. Ineffabilis Dei dispensatio, oraturus pro omnibus, residere jubet apostolos, et assumit tres tantum secum. Nec tamen ante cœpit contristari, quam eos assumat, et relinquat cæteros. Omnis ergo mœror exinde illi esse cœpit. Unde non de se orta videtur hæc tristitia, sed de illis quos sedere permisit, vel pro illis quos secum assumpsit. Hinc forte nata omnis mœstitudo ejus creditur, nam quos secum ducit ipsi sunt quibus se, qualis venturus est in regno suo, in monte positus ostendit.

Et assumpto Petro, inquit, *et duobus filiis Zebedæi cœpit contristari et mœstus esse*. Hos ipsos assumit quos supra et in montem et ad filiam Jairi. Cur autem eos tantum, ipse solus novit qui est cognitor omnium secretorum. Quamvis aliquis dicat, quia deo assumpserit eos speciali honore, sicut et supra, ut tres essent testes, in quibus stare dicitur omne verbum. Et sicut supra eliguntur ut testes sint ejus gloriæ, ita et hoc loco ad veram comprobandam humanitatem ejus, assumuntur in testimonium, quod omnem in se, sine peccato, **1110** nostræ suscepit naturæ infirmitatem. Unde ait : Tunc *cœpit contristari et mœstus esse*. Jam supra dixeram de passione et propassione ; quod propassio sit infirmitas passionis, quæ ante passionem in animo infirmantis cadit. Idcirco evangelista signanter ait : *Cœpit contristari et mœstus esse*, ut ostenderet propassionem infirmitatis in eo fuisse ac cœpisse. Non ut passio in animo illius dominaretur, sed ut ex propassione verus homo, qui et patiebatur, monstraretur. Aliud est enim contristari et mœstum esse, et aliud incipere contristari. Quod si aliquis defendere voluerit ex se pro morte sua, vel ob aliud, eum ex toto mœstum fuisse, audiat Apostolum, quia per omnia tentatus est secundum similitudinem, præter quod in se peccatum nullum admisit, et compassus est infirmitatibus nostris; quia per omnia similitudinem carnis peccati habuit. Unde factus est secundum naturam humanitatis, tristis ac mœtus, et non secundum quod in eo erat thesaurus sapientiæ, ac scientiæ salutis; ideoque ait quia *cœpit contristari*, multis ex causis, *et mœstus esse*. Attendat, quæso, catholicus quisque animam Christi, et quæ sint in anima Christi, ut intelligat mediatorem Deum et hominem. Quoniam secundum humanitatem eam suscepit naturam, quæ hominis est : secundum Deum autem, ea est in ipso Christo natura, quæ Deus est. Cum autem de anima Christi loquimur, de illo utique loquimur rationali spiritu, ad quem non solum Deus per gratiam venit, sed quem ipsa divinitas in unitate personæ suscepit. Anima quippe illa cum verbo unus est Christus, anima illa cum verbo unus est unigenitus Deus. Et quia unigenitus Deus æqualis est Patri, non potest totum non habere quæ Patris sunt et nosse et velle. Et quia hominis est filius, constat totum suscepisse quod hominis est a natura. Et quia in ea totus Spiritus sanctus mansit, cui *non mensuram dedit Deus spiritum*, omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in eo fuerunt, et ideo non potuit infirmari, licet in eo natura infirmitatis esset, nisi quantum et in quibuscunque naturaliter rebus, ipse voluit. Unde quia mœstus et tristis fuit, scire oportet, quia non pro se, sed multis ex causis valde pro nobis doluit. Primum, quia post Adæ lapsum, transitu tali, nobis ex hoc sæculo recedendum erat, ut mori necesse esset. Deus enim mortem non fecerat, nec lætatur in perditione viventium. Et ideo jure fastidivit in se suscipere quod **1111** ipse non fecit. Videbat enim et chorum apostolorum, quos tanta enutrierat diligentia in subito dispergendum; inter quos etiam et infelicissimi Judæ causa erat dolendum. Quapropter non immerito quæritur, licet ista sit causa tristitiæ, cur eo in tempore, et cum ad eum pervenerit locum ut oraret ad Patrem, in quo quam sæpe convenire solitus erat : quid est quod nunc

Introdusă în format electronic de Google

tam tristis et mœstus esse dicitur? Nisi forte ut causam orationis nostræ exprimeret, quando eo in tempore contristari oportet, maxime duabus pro causis : vel quia versamur in malis, vel quia adhuc privamur bonis. Sed quia ipse immolandus erat, pro salute totius mundi, vidit astare reges, et principes convenire *adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 2). Ea omnia forte mala in momento vidit, secundum humanitatem, quæ semper coram eo sunt secundum divinitatem, quæ imminent generi humano, et mundus per partes admittit. Forsitan ergo in articulo mortis suæ conspexit, ut dixi, easdem assistentes in unum aereas potestates contra se, contraque genus humanum : pro quibus omnibus, non sibi, sed pro nobis gemuit, et oravit; non qualitercunque, sed prolixius in agonia, ita ut gutta sanguinis ab eo, præ sudore laboris, in terram deciderit, ut omnia nobis adversantia, pro nobis oblata, sua prece depelleret. Tristabatur etiam et pro Judæis, quos specialiter sibi elegerat in populum, et enutrierat quam dulciter; quoniam cernebat eos omnes in ejus concurrere mortem. Nec igitur mirum, si pro his tristis est, quem pro his supra flevisse legimus. Hoc quippe, fratres, magnum est sacramentum, quod flevit, quod tristis et mœstus fuit, ac doluit. Unde non solum defendere, hæc omnia pro nobis non egisse, non debemus, sicut quidam fecerunt, verum etiam confiteri et dicere, quod pro nobis doluit et contristatus est, qui pro se non habuit quod doleret, neque ullo, ex quo contristaretur affectu, qui pro omnibus etiam mori voluit. Cur ergo non confidenter tristitiam ejus, seu mœstitiam, et dolorem non prædico, qui lacrymas ejus et mortem lego? Nam quamvis lacrymarum officium in corpore sit, animi tamen eas in ministerio corporis fundere est; quia quasi quidam animi mœror eas foris exsudat. Idcirco ubi lacrymæ prædicantur, dolor et mœstitia, fuisse omnino, non dico defendenda, verum etiam prædicanda est. Ergo qui crucem et mortem prædicat, **1112** stultum est ut dolorem et mœrores neget. Quia Christus non speciem incarnationis, vel imaginis suscepit, sed veritatem, non ut pro se doleret, qui nullam in se suscepit causam doloris, sed ut pro me pateretur, mihique doleret et non sibi. Sicut et mihi mortuus est, et pro me, ut me de morte ad vitam repararet. Et ideo Deus totum suscepit hominem, ut in eo hæc omnia perferret, quæ in se pati non poterat; quia ex toto immortalis et impassibilis erat. Et ideo non tristis sum, sed *tristis est anima mea*. Ac per hoc, fidelis auditor, discerne singula, et intellige prudenter, ne in aliquo divina confundas sacramenta. Quia etsi unus est Christus, in eo plura sunt divina mysteria. Ecce regnans moritur, et mortuus regnat. Ecce qui ante tribunal judicis inique damnatur, in cœlo Rex et gloriosus sedere creditur. Et qui patitur, in sacramento, filius hominis, ipse est Filius Dei, qui in eo patitur, et non in se, quia Deus et homo unus est Christus.

A Quapropter ne timeas confiteri, quod in sacramento nostræ salutis est, et ne confundas, quod in proprietate uniuscujusque naturæ est. Quia ad hoc venit Christus Jesus, Deus homo factus, ut sciret juxta prophetam in plaga positus, nostras ferre infirmitates, nostrosque sustinere dolores. Et ideo non sunt audiendi qui magis stuporem vulnerum ejus prædicant quam dolorem, et animi magis simulationem quam mœrorem.

Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. Illis namque dicit, quos secum ex omnibus assumpserat. Ac si diceret : Nolo vos ulterius progredi : satis sit vobis vidisse et audisse me tristem pro vobis, quia ad hoc vos usque huc venire permisi, ut testes sitis eorum B quæ auditis ex me, et in meipso conspicitis. Nam quia cœperat contristari et mœstus esse (verba Matthæi sunt) quæ ipsi tres oculis conspexerant: et quod de se ultra protulit, *tristis est anima mea usque ad mortem*, ipsi auribus ab eo audierant. Et ideo non sine causa eos eousque adduxerat quasi firmiores in agone certaminis, sed ut cum eo, licet a longe, laborarent vigiliis et orationibus. Illis quidem supra juxta Matthæum, sedere tantum jubet, istis autem vigilare et orare cum eo, ac si participes tanti discriminis. Jubet tamen et eos manere in suo gradu, ut unusquisque in loco et sorte vocationis suæ consistere discat, ne altiora se quærat. Quoniam eorum et omnium gratia licet sit magna, semper **1113** Christus omnibus est major, cujus singu- C laritas, quia Deus est, excellit universos. Unde sequitur : *Et progressus pusillum procidit in faciem suam, adorans et dicens.* Ecce cur eduxerit eos, ostendit, ut discant non de se incaute præsumere, sed vigiliis et orationibus prius impetrare, ut videant et intelligant ubi est, et quousque posse hominis sit, vel quomodo impetrare debeant. Videant quidem cadentem et adorantem in faciem suam, et audiant dicentem : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* O cœleste magisterium, et medicina salutis ! Ecce contra tantæ audaciæ morbum quale antidotum, ut discant non de se magna sapere, sed humana æstimare, nec veloces esse ad promissa, sed solliciti ad impetranda. Et ideo forte prudentioribus, vel fortioribus in fide ista ostendere voluit, ut nemo D mortalium ultra de se præsumere possit. *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem;* quod monstrabatur in vultu quando cœpit contristari, testatur in voce cum ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et si anima ejus tristitiam recepit, utique et caro dolorem sensit, quia vere vulnera et plagas suscepit. Primum audiant Apollinaristæ, qui dicunt animam non habuisse Jesum; deinde cæteri hæretici, qui suspicantur irrationabilem sumpsisse animam, quomodo potuerit contristari. Quia quamvis et bruta videantur mœstitiam recipere animalia, non sciunt tamen tempus tristitiæ suæ, et causam doloris. Hic autem usque ad quod debeat contristari, testatur, et causam mœstitiæ suæ multis declarat indiciis.

Introdusă în format electronic de Google

Non enim ait, tristis est anima mea propter mortem, sed *usque ad mortem*. Unde quidam eximius doctor, si de morte erat, inquit, ista tristitia, qui ad hoc venerat ut mortem pateretur, nec aliunde, debuit utique causam ad eamdem referre mortem, per quam erat passurus, et non, usque ad eam, dicere se tristari. Quoniam aliud est, inquit, usque ad id, et aliud ob id mœstum esse; quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est : ubi vero usque ad mortem est, ibi mors non jam causa, sed finis est. Quia quod in fine est, causam mortis non facit. Non est ergo elaborandum forte quod non doluerit, quod non fuerit tristis, seu mœstus, vel cætera hujusmodi, sed quia non propter mortem. Ad hoc quippe venerat, suaque sponte suscipere eam paratus erat, ad quam suos exhortabatur obviam ire, et ipse intrepidus ibat; sicut enim aliæ multæ causæ de quibus jam dixi, pro quibus vere **1114** tristis et mœstus erat. Nec tamen abhorret a vero, quia homo erat, et omnia nostri corporis infirma susceperat, si etiam timorem mortis in se admiserit; non ut timor vinceret, sed ut ipse fortitudine virtutis suæ mortis timorem perimeret, quoniam aculeus mortis in eo non erat. Et ideo solus *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6), et usque ad mortem tristis; quia mors ejus destructio mortis erat, et restitutio vitæ. Alias autem, qui dicunt quod nulla tristitia mortis nisi ex metu venit, dicant quod volunt; nos autem dicimus, quia etsi omnes infirmitatis nostræ affectiones in se habuit, nulla earum fuit ut pati posset, nisi qua voluit, et in quantum voluit, et in se admisit. Et progressus pusillum, cecidit non retrorsum, sed in faciem suam, quod sanctorum est, orans et dicens : *Pater mi, si possibile est, transeat calix iste a me.* Quantum ergo progressus sit Lucas insinuat, et dicit, *quantum jactus est lapidis* (*Luc.* XXII, 41). Nolebat enim benignissimus Salvator longe fieri ab eis, sed ut discerent, in conspectu eorum constitutus, orare. Nec igitur mirum, si ruit in faciem suam; humiliter orans, qui factus est Deo Patri *obediens usque ad mortem* (*Philip.* II, 6), et discere jubet quod *mitis* est, *et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Quid autem orans dicat in aperto est : *Mi pater, si possibile est, transeat calix iste a me.* Blandientis quidem affectu, et deprecantis postulat, ut si possibile est transeat ab eo, non tantum calix, sed calix iste. Et hoc non secundum substantiam divinam et impassibilem, sed secundum naturam humanitatis infirmam et passibilem. Postulat autem non timore patiendi, neque, non ut patiatur, qui ideo venerat, et de se futurum quam sæpe ipse suis prædixerat. Sciebat enim procul dubio, quod aliter evenire non poterat, sed misericordia prioris populi, ne ab illis biberet calicem passionis, ante sæculi constitutionem, sibi præscitum et prædestinatum. Unde et signanter ait, *Calix iste.* Non quod calicem mortis refugiat, sed istum, qui a Judæis ei intendebatur, ne per eos, qui nullam excusationem habituri sunt, fieret. Neque enim dixit : Transeat me calix iste, sed *a me.* Quoniam aliud esse videtur, si se transeat, ut ipse a molestiis transeuntis calicis excipiatur, et aliud ut a se transeat ne sit. Non ut ipse prætereatur ne illum bibat in quem devenit, etiam in eo erat, sed ut a se, ne in Judæos cadat. Seu aliter, ut a me transeat in eos, id est quomodo a me bibitur, sic et ab his, cum omni **1115** spe veniæ et cum omni fiducia salutis. Alioquin impossibile erat non pati Christum. Nunquid ergo pati nolebat, qui paulo superius sanguinem corporis sui fundendum in remissionem peccatorum, consecrarat? Quod si aliquis ultra contentiosus esse voluerit, quod oraverit, ne mortem gustaret, quamvis præscita fuerit ab ipso et pronuntiata, sciat quod nec nos id multum negamus. Quia nec mirum si quasi homo mortem recusat, qui quasi Deus sententiam suam et voluntatem unam simul cum Patre servat. Nam proprium est semper hominis, nolle pati aliquid doloris. Et ideo forte ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem*, quoniam *mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Etsi supra dixerim usque ad terminum, antequam mors inciperet, potest tamen intelligi etiam, usque ad terminum finitæ mortis, in quo finis fuit ejus tristitiæ et doloris, et hoc sit dicere, *Usque ad mortem*, id est usque ad finitæ mortis finem. Sic itaque consuetudo loquendi est quamsæpe, cum dicimus, usque ad terminum loci; vel quando dicimus, usque ad tertiam, vel sextam, quando volumus intelligi, usque ad plenam illam, vel illam horam. Ex qua quippe locutione solvitur et illud quod Apostolus ait, quia *regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt* (*Rom.* V, 14). Non quod solutum fuerit regnum mortis, quod est peccatum, per Moysen, aut per legem, sed quia Moyses, vel lex, fuit usque ad Christum. Et hoc est dicere usque ad Moysen, quod est, donec Moyses legitur et finitur : sic et in mortem Christi, quia omnis gemitus et mœror omnium aboletur, et omnis corruptio sanatur, non inconvenienter tristem se esse testatur pro omnibus, *usque ad mortem*, donec per mortem ejus omnis mors et mœror solvatur. Quapropter sicut duas operationes in Christo semper considerare debemus, per quas operatur unus idemque Christus quæ divina sunt, in humanitate sua, et quæ humana nihilominus in divinitate. Agit enim utraque forma, cum alterius communione quod proprium est sibi : sic et duas voluntates in eo non abnegare, quas, sicut ubique simul in Christo, sic utrasque hoc loco intelligimus. Vult enim et orat, quod humanitatis est, cum ait : Pater mi, transfer a me calicem istum, si fieri potest. Deinde, quia non potest, revertitur in voluntate sua, quam habet cum Patre, quorum semper una est, et indivisa voluntas, et ait **1116** quod divinitatis est, *fiat voluntas tua.* Non quod alia fuerit ejus voluntas unquam, et alia Patris, sed quia homo erat, humanitatis oravit affectu, et quia Deus erat, in idipsum redit voluntas ejus quo semper fuit. Et hoc magnum sacramentum in Christo ad informandos discipulorum animos, ut si aliquando quisque

Introdusă în format electronic de Google

voluerit quod homo, non ut sua voluntas fiat, sed Dei, orandum est semper.

Postquam reversus ad discipulos invenit eos dormientes, et dixit Petro : Sic non potuisti una hora vigilare mecum? Ista vox increpantis vel coarguentis. Et ideo soli Petro dicitur, cur vel una hora secum non potuerit vigilare, quia præ cæteris non se scandalizaturum fuerat gloriatus, et repromiserat se, contra Domini vocem, non negaturum. Non enim præceperat eis vigilare a somno corporis, cujus tempus non erat imminente discrimine passionis, sed a somno infidelitatis et sopore mentis. Forte qui jam operabatur in animo Petri, et ideò præ tristitiæ magnitudine somnum vincere non poterat infidelitatis. Nec adeo igitur defendimus, ut non premeretur sopore corporis, qui jam a fide elongabatur mœrore mentis. Quibus dicitur : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Considerate, quæso, Christi mysteria. Quandiu cum illis adfuit Jesus, nullo gravantur somno discipuli. Progrediente ergo pusillum eo ab eis, nec una hora potuerunt vigilare, illo absente; propter quod semper orandum, ut maneat nobiscum, quemadmodum ipse est pollicitus. Duo quidem jubet, vigilare, et orare; quia nec oratio valet sine vigilia mentis, nec mens recte vigilare potest sine instantia precis. Vigilat ergo qui sollicite bona opera jugiter ait, et intente meditatur, ne unquam peccati caligine opprimatur. Quia qui sic vigilat, illius exaudietur oratio. Idcirco ut exaudiaris vigilandum est prius; deinde ut vigilare bene possis, semper orandum. Quia neutrum horum sine altero valet. Et quid orare debeas ipse salutis auctor docet. Quoniam vita humanitatis tentatio est super terram, jubet orare ne intremus in tentationem. Neque enim dicit, Orate ne tentemini, sed *ne intretis in tentationem*, id est ne tentatio vos vincat, sed ut victores eam superare possitis. Ipsi enim tentandi erant fortiter, et ideo præmonet ut victores esse decertent. Unde Apostolus : *Omne gaudium existimate, fratres mei,* inquit, *cum in variis tentationibus incideritis* (*Jac.* I, 12), quoniam tentatio lucrum **1117** habet gaudii. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Multi quod de se Salvator hoc dixerit, volunt astruere quod utique non videtur consequens, sed ad eos totus hic sermo est, quibus loquebatur. Alioquin quomodo nunc Spiritus Christi vel anima prompta esse dicitur, quæ paulo superius tristis usque ad mortem proclamatur? Sed forte adhuc in his tangitur Petrus, quasi dicatur ei, o Petre, quid est quod spiritus tuus tam promptus fuit ad promittendum mori pro me, et nunc caro tua tam infirma probatur ut nec una hora potueris vigilare? Quod si de omnium spiritu vel carne Salvator ista loquitur, considerandum si congruat, an solummodo de spiritu sanctorum. Quia licet omnium caro infirma sit, nescio si spiritus omnium promptus esse possit; quia infidelium semper spiritus segnis est ad bonum, etiam et eorum qui tepidi probantur. Et ideo forte de Spiritu apostolorum accipiendum est, vel sanctorum omnium; quorum etsi semper spiritus fervens, et promptus est, quia concupiscit et luctatur contra vitia carnis, caro tamen semper infirma est, quamvis tota videatur a spiritu edomita, vel possessa. Tamen ut vera sit sententia Salvatoris, sanctorum *virtus in infirmitate perficitur.* Unde unus eorum, *Cum infirmor,* inquit, *tunc potens sum* (*II Cor.* XII, 9, 10). Et ideo quia sic sanctorum virtus perficitur, dicit : *Vigilate et orate*, quia etsi spiritus vester promptus est pro me multa pati et sustinere, caro tamen infirma est; intendite idcirco precibus et opere, *ne intretis in tentationem*, id est ne infirmitas carnis vos vincat, quia *deprimit terrena habitatio spiritum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15).

Iterum secundo abiit et oravit dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Patrem autem vocat suum non secundum adoptionem, sed secundum proprietatem naturæ in qua natus est de Patre. Et repetit eumdem sermonem, sciens quod non posset transire. Tamen ista possibilitas Patris et Filii non de impotentia venit, quia subest eis omne posse, unaque illis potestas est, sicut et una voluntas. Idcirco magis, quia misericors est et justus Pater omnipotens Deus, impossibilitas ista de justitia venit et bonitate Dei. Quia sic est omnipotens ut et justus sic, ac bonus et misericors. Et ideo quantum ad utramque naturam exspectat, impossibile erat, ne nos bonitate sua, suaque justitia et misericordia salvaret **1118** quos crearat. Petit autem ut transeat signanter calix iste ab eo. Et si non sicut vult ipse, rogat voluntas fiat Patris, ut cum biberit eum, id est cum gustaverit mortem, transeat ab eo et ab universis pro quibus biberit eum. Quia si non biberet eum, ab ipso quidem transisset, quia non tangeret eum, sed ab hominibus non transiret, sed maneret quæ regnabat in eis mors ab Adam usque ad Moysen, id est usque ad finem legis, quam Christus non venit solvere, sed adimplere, donec omnes secum pertraheret et consummaret in mortem. Hunc ergo calicem passionis et mortis volebat se transire et a suis; sic forte ut non gustaret poculum tantæ amaritudinis, si tamen possibile esset quod omnino non erat, quia justum non erat. Et ideo ut omnis in eo justitia compleatur, fiat voluntas Patris. Quoniam eo sola possibilia sunt quæ justa sunt, quoniam ipse solus bonus et justus ac potens. *Et venit iterum, et invenit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati.* Necdum enim gravamen ab oculis eorum erat ablatum, quo premebantur, cæcitate cordis. Necdum erat spiritus sanctus datus, quia Jesus necdum glorificatus. Et ideo jam vicina negatione prægravati, vigilare non poterant, nimia mœstitia cordis oppressi. Unde non eos reprehendit, ut prius; sed vadens iterum tertia vice erat. Nam primum reversus eos objurgat, secundo, quando magis increpandi videbantur, silet, nec eos amovet a somno : tertio, jam quiescere jubet. Non puto absque ratione fecisse, qui se viam esse testatur, quoniam omnia ejus opera, aut mysteria sunt rerum præfigu-

Introdusă în format electronic de Google

ratarum, aut exempla virtutum. Quod si omnia quæcunque gessit, multo magis hæc, in quibus triumphus gloriæ Deo Patri precibus commendatur. Nemo qui ambigat quod omnia infirma nostri corporis tunc in se exibuit; nemo qui ignoret quod cruci universa delicta nostra pro quibus infirmabatur et doluit, affixit; insuper et quomodo nobis sit et in quibus decertandum ostendit. Quod adversus aereas potestates, et legiones, bello passionis congressurus, prius oratione devicit, ut omnia nobis adversantia in illo uno moriantur; unde abiit solus et orat, quoniam solus pro omnibus passurus erat. Orat ergo semel et secundo atque tertio non absque mysterio. Primum ut discamus, nunquam cessare ab oratione maxime, in die certaminis, et in tempore tribulationis. Forte quia Petrus ter negaturus erat, non hominem **1119** tantum, ut quidam dicunt, sed Deum et integrum Christum. Quinimo ter rogat in oratione Dominum, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ, pro salute totius mundi, ut prius exaudiretur quam ad inferna descenderet. Hinc forte, et Paulus ter Dominum rogat, donec responsum est, quod *virtus infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII, 9). Patet igitur sensus, quod non sine magni mysterii causa sub hoc numero Dominus oraverit, qui aut continuare preces suas poterat, aut in semel impetrare; sed tertio orat ut nos doceat. Nos autem pro tribus oramus, ut de præteritis et præsentibus eripiat malis, etiam et de futuris. Et non nisi ad sanctam Trinitatem, qui Deus est unus, recte oramus, qui ac si tertio ad nos revertimur, quia in carne et anima, ac spiritu, vivimus et sumus. In quibus quoties cum gravamur, semper revertendum est ad Deum, ut quandoque per Deum et in Deo requiescamus. Sed et Dominus in hoc trino visitationis suæ sacramento trinam præmonstrat gestorum præfigurationem. Quid ergo tertio eos revisere vellet, nisi aliquod magnum in eo præfiguraret? Nam primum, ut dixi, ad eos reversus, objurgat et increpat; secundo tacet; tertio vero, *dormite*, inquit, *et requiescite*. Futurorum ergo habitus in eo præmonstratur, quales ipsi futuri erant. Nam mox post resurrectionem, dispersos eos, ac fugatos, diffidentes quoque et trepidos, reprehendit et objurgat; secundo, misso Spiritu sancto, adhuc gravatos invenit somno legis, cujus caligine oculi eorum gravabantur, ne libertatem gratiæ et claritatem Evangelii videre possent. Nec tamen dure eos increpat visitatione sua, donec ipsi expergiscantur, ne longe diu legis amore detenti quasi fidei somno pressi lætargum patiantur. Tertio vero jam impetratis omnibus a Patre, in luce claritatis suæ securos eos requiescere jubet, et hortatur eos somno pacis dormire, ne ulterius jam ullum patiantur infidelitatis discrimen. Quia impetratum est precibus Salvatoris, ne a fide ullus eorum deficere posset, unde ait :

Dormite jam et requiescite, ecce appropinquavit hora, et filius hominis tradetur in manus peccatorum. Sed ex hoc difficilis oritur quæstio, quia cum dixisset : *Dormite jam et requiescite*, continuo adjecit : *Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet*, Nam videtur Matthæus sibi esse contrarius; certe aut ipse Salvator sibi contraria **1120** jubere, quasi aliquid prius improvise sit locutus, nesciens Judam cum turbis appropinquasse, et ideo dixisse : *Dormite jam et requiescite*. Sed cum subito comperisset eos jam in proximo esse, ac si subito permotus, immutat sententiam, et dicit continuo : *Surgite, eamus*. Sed absit a cordibus fidelium, ut ullus hoc de Christo sentire velit, quasi aliquid ignoraverit quod fiebat, qui ubique semper est totus. Nequaquam igitur hoc catholica recipit fides. Ideirco quidam, velut quadam commoti sententiarum repugnantia, conati sunt, quod prius dictum est, *dormite jam et requiescite*, ita pronuntiare, tanquam exprobrantis sit vox et objurgantis, magis quam impetrantis. Deinde ut absolute accipiatur vox ista sive ulla contrarietate impetrantis, *Surgite, eamus*. Quod si hoc necesse esset, melius tamen sic accipere oporteret, quam aut in Evangelistam, aut in Salvatorem ullam inferre reprehensionem. Nunc autem quia Marcus Evangelista, cum dixisset : *Dormite jam et requiescite*, subjecit, *sufficit*, deinde intulit, *venit hora*, et cætera quæ sequuntur. Ubi datur intelligi, quod postquam dixit : *Dormite jam et requiescite*, aliquantulum siluisse Dominum, ut hoc fieret quod præmiserat, et tunc post paululum dixisse : *Ecce appropinquavit hora*. Et ideo cum dicat post illa prioris dicti verba, *sufficit*, ut intelligere debemus quod sic dictum est, quasi diceret, sufficit quod usque nunc dormitis vel requievistis. Quod si in Matthæo hæc particula posita esset, nulla videretur ambiguitas, quam ipsa brevitas dictorum generavit. *Ecce venit hora, surgite, eamus*. Postquam ergo tertio oravit, ut sicut *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum* (*Matth.* XVIII, 16); ita et in his tribus supplicationibus omnis oratio nostra commendatur, quia in his precibus omnia donata sunt ei pro nobis, quæ poposcit. Et ideo jam securus de passione sua, pergit obviam persecutoribus suis intrepidus. Vadit enim ultroneus ad immolandum, et non invitus. Et ideo ait : *Surgite, eamus*. Ipsa est namque hora, de qua supra jam dixi, a sæculo nota Deo, in Spiritu sancto quam sæpe pronuntiata. Ista est hora quæ nondum erat, quando matri loquebatur : *Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Et nunc, ut eam recognoscas dicit : *Ecce venit hora, surgite, eamus*, ne imparatos nos inveniant. Quæ nimirum vox non timoris est, quæ tam ultronea discipulis alloquitur ut surgant, ac si fortissimi bellatores. Videbat enim **1121** in spiritu (ubi vel ubi), Judam proditionis suæ insaniam meditantem, videbat eum appropinquare; non fide, non charitatis amore, qui se elongaverat a salute, peccatis exigentibus suis. Appropinquavit autem ut traderet quem jam vendiderat. Fecit itaque Judas quod omnes faciunt transgressores, qui prius produnt Jesum, postea tradunt, quia *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jacob.* I, 15).

Adhuc eo loquente, ecce Judas unus ex duodecim

Introdusă în format electronic de Google

venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, ac reliqua. Quærit forte aliquis cur tam multam miserint turbam cum gladiis et fustibus, et universam cohortem militum comprehendere Jesum, hominem simplicissimum atque inermem, qui nullis humanis fulciebatur præsidiis. Non potest fieri ut tantam sine causa conduxerint plebem. Forte propter multitudinem qui jam crediderant in eum ex populo, timentes ne magna multitudo credentium eum de manibus eorum præriperet. Sed ego alteram existimo causam multitudinis contra Jesum venisse. Forte, quia putabant quidam eorum *in Beelzebub ejicere dæmonia* (*Luc.* XI, 15), quasi ex quibusdam maleficiis effugere posse, ut possent eum violenter tenere; nonnulli vero eorum audierant quod aliquando, cum jam præcipitandus esset de supercilio montis, et fugerat manus tenentium se, putabant non fuga simplici, manus tenentium se evasisse, sed talia quædam extra naturam humanam potuisse. Multa quidem opinio de eo erat in populo. Unde et Marcus ait dixisse Judam : *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum* (*Marc.* XIV, 44), et diligenter abducite. Maligne quidem et insidiose, cum multa calumnia hoc videtur dixisse, tanquam si diceret : Nisi diligenter comprehendentes ac tenentes abduxeritis eum, et custodieritis, ipse cum voluerit, quibuslibet artibus, qualibet virtute, effugiet a vobis. His igitur et hujusmodi calumniis, secundum persuasionem Judæ, quasi non in sua divinitate, et paterni nominis consortio, ista ageret, vel alia quamplura quæ fecerat. Vel armantur multitudine militum, armantur gladiis et fustibus, armantur dolo et fraude in osculo, ne ullo pacto virtutis possit evadere. Unde sequitur : ***Qui autem tradidit eis signum dicens : Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum.*** O fraus, o insidiæ, o doli calliditas! qui per singulas civitates, et vicos, et synagogas prædicaverat **1122** jam diu, ita ut fama ejus exiret in omnem regionem, virtutesque multas in populo fecerat, in templo quoque quam sæpe coram omnibus docuerat, unde et in Judæa habitantibus secundum faciem pene omnibus manifestus erat, quid est quod tam diligenter dat eis signum? Et non quodcunque signum, sed signum pacis, signum concordiæ et charitatis, quibus ipse, quia notus erat, qui venerant, si nesigno forte poterant comprehendere eum. Nam quia manifestus erat eis, ostendit ipse dicens : *Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me, cum quotidie in templo vobiscum sedebam, docens, et non tenuistis me.* Similiter et Joannes refert dixisse : ***Ego palam locutus sum huic mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, ubi Judæi convenerant*** (***Joan.*** XVIII, 20). Et ideo quia tam manifestus erat omnibus, non abs re arbitror factum quod oculi signo traditur. Unde vera videtur illa traditio, de qua supra jam memini me dixisse, quia erat in facie Jesu nonnunquam quædam divinitatis ejus conspersio, ita ut duæ formæ in eo vicissim apparerent, una secundum quam omnes eum videbant, altera secundum quam A in monte transfiguratus legitur. Quam sane formam sic vicissim temperabat ut unicuique appareret, secundum quod fuerat dignus, et ipse expedire probabat. Alias autem, quid fuit, quod Joannes ait (*cap.* XVIII, 4), cum dixisset, *Quem quæritis?* et illi respondissent, *Jesum Nazarenum* (quid putas qualis quantaque virtus ex eo emicuit) qui cum dixisset, *ego sum*, omnes abierunt et ceciderunt retrorsum. Quid ergo? Iste terror in voce fuit? an in vultu? an in utroque? Tamen quid fuerit, et ubicunque, in voce an in vultu, seu qualitercunque fuerit, manifestum est quia divina virtus in eo fuit; sicut et in templo quando omnes ejecit. Decebat tamen, ut osculo traderetur, qui suos diligere jubet inimicos, ita ut proditori suo, in ipso traditionis suæ arti- B culo, pacis osculum non negaret. Quo profecto exemplo docemur evidentius inimicos diligere, pacisque oscula non negare, neque ficte tales diligere. Non enim quantum ex ipso fuit, aut ficte eum amicum vocat, aut in dolo ei, vel simulatione osculum porrigit. Unde et juxta Lucam ait : *Juda, osculo filium hominis tradis* (*Luc.* XXI, 4)? Multa siquidem interrogatione et affectu pii amoris in eo exaggerat, culpando vel increpando. Multa doloris et amoris in eo proponit, unde etsi interrogative cum omni gravitate legendum **1123** est, ac si plangentis affectu; maxime quia filium hominis se vocat; ac si diceret, Cum essem Filius Dei, propter te factus sum filius hominis. O pie, o infelicissime! quid est, quod Salvatorem tuum, quod Redemptorem, quod Magistrum et Dominum tam vilissime tradis? Hoc quippe tradis C quod propter te suscepi; et non qualitercunque, sed osculo me tradis, quod est signum amoris, et indicium veræ dilectionis. Pignus offers veræ pacis, sed vulnus infigis et venenum serpentis. Hæc omnia, ut dixi, et alia quam plura, per interrogationem pronuntianda sunt, quasi amantis et dolentis affectu. Quoniam ita dictum videtur, ut et correptio sonet in voce, et affectus amoris ac mœroris intelligatur in mente. Nam et supra unus ex duodecim fuisse commemoratur, ut amplius inculcet culpam proditoris, et prophetia in eo completa diligentius declaretur quæ dicit ex persona Domini : *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem* (*Psal.* XL, 10).

D *Qui confestim accedens ad Jesum dixit : Ave, Rabbi, et osculatus est eum.* Proh dolor! adhuc se lupus celare vult, et ideo eum primum salutat, quasi pudicitia pressus. Nec tamen eum Dominum vocat, sicut nec in cœna; qui non eum sinceriter secutus fuerat, quem nec Deum credebat, nec alium eum existimabat quam unum ex Scribis et Pharisæis. Unde etiam, quod nequius est, magicis artibus putabat eum agere, et ideo tam ficte in omnibus, atque callide illum ac si vilissimum pertractabat mancipium. Cui Dominus : *Amice, ad quid venisti?* Amicum eum vocat, forte per antiphrasin, quasi amicum nomine et non amicum per operationem. Verum quantum ex seipso, ei amicus erat Christus, quem diligebat

Introdusă în format electronic de Google

etiam inimicorum. Quomodo ergo non recte vocatur amicus, saltem ex antiquo nomine et consensu, dum dicatur in psalmo : *Tu vero unanimis dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV, 14, 15). Ergo unanimitas et consensus unus fuit, non immerito, et si ex priori vocabulo amicus appellatur; non ficte quidem, sed ex veritate antiqui nominis. Non enim simulare nos docet, sed simplicitatem suam nobis insinuat, ne forte proditorem suum refugere videretur, qui nobis etiam inimicos diligere jubet. Unde si vulnera Petri, a quibus Domino intrepatur consideras, et osculum Judæ, probabis quia meliora sunt vulnera **1124** diligentis, quam oscula odientis. Non enim unum erat osculum Judæ, et osculum ejus quæ dicit in Canticis : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Nec tamen benignissimus Dominus proditorem suum a se repellit, cui amoris officium non negavit, et increpantis voce dicit : *Amice, ad quid venisti?* Ac si diceret : Ad quod venisti, cur aliud agere te ostendis? Osculum quidem porrigis, sed signum est traditionis. Rem aliam agis cum me oscularis, et sanguinem innocentem persecutoribus tradis. Unde fac ad quod venisti, et perfice cœpta, ne immoreris circa oscula, quoniam osculum tuum non signum est pacis, neque amicitiæ virtus : idcirco fac ad quod venisti, quia non habes pacem mecum, quam non amasti. Hoc quippe nomine quam sæpe in Scripturis legimus reprobos increpatos, ut est illud : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* (*Matth.* XX, 13)? et illud : *Amice, non facio tibi injuriam* (*Matth.* XXII, 12); quæ omnia magis increpantis sunt quam approbantis. *Tunc accedentes, manus injecerunt in Jesum;* quia timebant ne forte de manibus eorum laberetur. Licet juxta Joannem verbo perculsi, in terram retrorsum cecidissent; tamen quia ad hoc venerant, ipso permittente, tenuerunt eum, et vinctum perduxerunt ad domum principis sacerdotum. Interim vero :

Ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus. Sæpe moneo, et monere oportet lectorem sancti Evangeli, ut ex collatione evangelistarum discat differentias dictorum. Quoniam nemo est qui ad liquidum unum eorum, ut oportet, intelligere queat, nisi omnes eo persequatur spiritu, quo ipsi inter se aut variantur, aut alius eorum aliquid plus, alius vero aliquid minus dixerit; aut certe alio in loco, quæ dicta vel gesta sunt, qualitercunque prout oportuit, interseruit. In quo opere etsi magnus est labor, utique proficuus est fructus, et locuples intelligentia, ut puta hoc loco, quis sit iste unus ex his qui erant cum Jesu, qui extendit manum, et exemit gladium suum; utique secundum Joannem Petrus fuisse narratur, et quem percusserit idem Malchus vocatur. Auriculam vero quam abscidit, secundum Lucam et Joannem, dexteram fuisse memoratur. Hæc omnia et sensum augent, et mysteria in ipso facto, etiam altiora, simul omnes collati, commendant. Denique quod Lucas ait : *Videntes qui circa ipsum* **1125** *erant quod futurum erat, dixerunt ei; Domine, si percutimus in gladio?* (*Luc.* XXII, 49, 51.) Majorem nobis quæstionem generat, maxime quod audierant respondisse Dominum, *Sinite usque huc.* Ubi præsens Evangelium narrat dixisse Dominum Petro : *Converte gladium tuum in locum suum*, etc. Sic quippe Lucas de interrogatione discipulorum, et Domini responsione, qua ait : *Sinite usque huc*, narrat quasi post illam percussionem ita dictum fuerit, et placuerit Domino usque huc, hoc factum tantum ne amplius fieret. Sed juxta hunc locum quem tractamus, sic dictum est a Domino, ut intelligamus ei potius totum displicuisse quod Petrus suo usus est gladio. Et mira Dei dispositio. Si nolebat eos gladio ferire, cur præceperat ut venderet quisque eorum tunicam suam, et emeret gladium, seu cætera quæ de gladio ubi vel ubi dicuntur? Quæ omnia nobis pariunt quæstiones; et sine dubio majora intelligentibus generant sacramenta. Illud autem, juxta Lucam, quod interrogant, *Domine, si percutimus in gladio?* Prius omnino intelligendum est, quam Petrus gladium eximeret, et ideo Dominum sic respondisse, *Sinite usque huc*, manifestum est. Ac si diceret : Non vos moveat quod futurum est, sed permittite usque ad me accedere, ut me comprehendant, ut impleantur quæ de me scripta sunt, etc. Sed inter moras verborum interrogantium, dum colloquuntur ad Dominum, et illius dulcissimæ responsionis verba, Petrus more suo ex fervore fidei et charitatis, quam semper habebat in Dominum, ex aviditate defensionis pii magistri, et majori pro Domino commotione, ac si homo, quia necdum ad plenum sciebat sacramenta Dei, impulsus ad vindictam, parum attendit quid cæteri dicerent, vel quid agerent, etiam vel quid Dominus responderet. Inter has igitur moras dictorum, *percussit servum principis sacerdotum.* Sed ab Evangelistis non potuerunt simul dici, quæ simul in uno tempore facta seu dicta sunt. Probat autem hoc ita esse, juxta Lucam, responsio Salvatoris, qui non facto Petri, sed interrogationi discipulorum respondisse probatur. Necdum itaque Petrus patientiam evangelicam sibi a Domino traditam retinebat, nec pacem quam eis dederat, sed secundum legis institutionem adhuc ulcisci se de inimicis cogitabat, nec ad quod Dominus gladios emere monuerat, profecto didicerat. **1126** Qui non ideo jusserat ut ferirent, sed ne imparati invenirentur forte, vel quia de alio dicebat. Unde cum dixissent : *Domine, duo sunt gladii hic*, dixit : *Satis est;* quia discipulis Christi nec plus sunt necessarii quam duo, nec minus habere congruit, unum in verbo, quo feriatur quisque ut vivificetur; alterum, quo ulciscatur omne scelus et inobedientia, et si non se correxerit, qui ejusmodi est, præcidatur, et resecetur a corpore. Ergo non solum quæ benignissimus Salvator egit, vel dixit, plena sunt mysteriis, verum etiam et quæ Petrus in hac perturbatione sua, obumbrata sunt sacramentis.

Introdusă în format electronic de Google

Unde non qualecunque inflixit vulnus, nec quicunque, sed servo principis sacerdotum *amputavit auriculam dexteram*. Quia ipsi principes sacerdotum jam servi erant peccati, quorum omnis auditus non in dextris, sed in sinistris erat legis; et ideo jure amputatur ab eis, quidquid dexterorum erat, ne ultra gloriarentur his quæ ipsi male perdiderant. Unde et ipse servus recte vocatur Malchus. Malchus namque *rex* interpretatur, quia populus Judæorum quamvis a Domino in regnum sit electus, ipsi se servos exhibuerunt, culpis exigentibus, sempiternos. Et ideo præciditur ab eis auditus dexter, cum aufertur intelligentia divini verbi. Hinc propheta ait : *Excæca cor populi hujus et aures eorum aggrava, ne videntes videant, et audientes intelligant, ut convertantur et sanem eos* (*Isa.* VI, 10). Nec immerito Petrus abscidit ejus auriculam, quia accepit claves regni cœlorum. Ille igitur jure condemnat qui et absolvit, quia utramque a Domino accepit potestatem. Sed solus est Dominus qui præcisa sanat; solus qui ex Judæis quamplurimis auditum reddit. Alioquin nisi bonus Dominus aliquibus auditum refunderet, ipsi utique adhuc hodie surdi remansissent. Quoniam nemo eorum verbum sapientiæ audisset, quia omnes servi erant, venditi sub peccato. Nam qui peccat, *servus est peccati* (*Joan.* XXI, 34). Et nisi essent servi qui regnare debuerant, auricula eorum nunquam a Petro amputaretur. Cui dixit Dominus : *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*. De quo sane capitulo multi disputant, quasi omnes perituri sint qui hoc utuntur gladio in bellicis rebus, et in publicis negotiis. De quo gladio dicit Apostolus : *Non enim sine causa* judex *gladium portat; minister enim Dei est* (*Rom.* XIII, 4), in bono, ad vindictam malefactorum; quod si male feceris, time. Nam si hæc **1127** sententia ad litteram omnibus esset servanda, nescio si in Ecclesia inter laicos talis consuetudo esse deberet, ut in gladio quantum spectat ad usum omnium eorum militarent. Salvator tamen neminem excepit; sed *omnes*, inquit, *qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Nec dicit quod gladio perire debeant, vel ad quod acceperint ipsum gladium, si forte ad homicidium vel ad vindictam malefactorum, sed ad quamcunque causam indifferenter ait, omnis qui acceperit gladium. Sed nec quo gladio perituri sint, vel quomodo, satis edicit. Hoc tamen pro certo scimus, quia omnes qui justo utuntur gladio, non eo semper pereunt, maxime cum ideo utantur, ео ne pereant. Neque fieri potest, ut qui nunc istum portant gladium vel in gladio feriunt, ut illo divino omnes, absque ulla retractatione feriantur in ultionem peccati. Profecto cum et ipsa rumphæa quæ vertitur ante paradisum, versatilis esse dicitur, et gladius qui procedebat de ore Dei, in Apocalypsi Joannis, *utraque parte acutus* (*Apoc.* I, 16). Quapropter et cum dixissent apostoli, ut supra jam dixi, *Sunt duo gladii hic*, ait Salvator, *sufficit :* idcirco quo gladio perituri sint quicunque gladio utuntur, certum est, id est, aut eo, ut surgant a culpa et redeant ad vitam, aut eo, quia corrigi se noluerunt, ut ruant ex divino judicio et præcidantur a Christi corpore. Quod si ita est, qui gladio utuntur quolibet pacto, jam judicati sunt, quia ex eo utentes gladio interibunt. Sed non omnibus, ut dixi, gladio utentibus, mors solet esse per gladium. Nam plures alius accidens casus consumit, qui gladio, aut judicii causa, aut militiæ officio utuntur. Tamen eos omnes qui adversum Dominum gladiis armati, et fustibus, processerant, ideo Petro gladium suum in vaginam suam recondere mandat, quia eos omnes non humano, sed gladio oris perempturus erat. Quia recte ad necem eorum gladius Petri exemptus est, ut perimeret eos gladio verbi, qui suo utebantur ad facinus. Nec tamen ipse Petrus gladio illo quo usus est peremptus legitur, nisi quia forte majorem suscepit pœnam. Ideo hoc genus locutionis sic accipiendum est, quomodo membra nostra, juxta Apostolum, monemur ne exhibeamus arma peccati. Quia qualecunque membrum sit, in quo peccavimus, vel qualiscunque carnalis concupiscentia, gladius jure, vel arma peccati, vocatur. Quo qui usus fuerit gladio, quia gladio peccati percussit **1128** se, aut alium in mortem, gladio peccati peribit, id est in suo peccato juste condemnabitur, quodcunque commiserit. Quia sicut nullus penetrabilior gladius est ad mortem, quam peccatum, ita nullus penetrabilior est gladius ad vitam, quam virtus verbi Dei. Uterque igitur gladius perimit hominem, aut ad mortem, aut ad vitam. Et ideo indefinite, quicunque gladium acceperit, vel usus fuerit, seu peccati ad mortem, seu justitiæ ad vitam, gladio peribit; aut verbi Dei, ut in melius totus Deo resurgat, aut gladio peccati, ut intereat in pejus, et ad mortem ruat.

An putas, inquit, *quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum ?* Cui continuo ingerit quæstionem prophetiæ, et insinuat quo aliter non potest evenire, nisi ut prædictum erat, ac dicit: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri ?* Ac si diceret Petro : Quid est, quod tu mihi auxilium præstare festinas, et in gladio tuo humano vincere æstimas? An putas quia non possum propter duodecim apostolos, etiam plus quam duodecim legiones impetrare a Patre meo angelorum? Non ergo vestro indigeo auxilio, neque humano gladio; ideo repone gladium tuum in locum suum. Quia etiamsi duodecim tribus Israel mihi vellent ferre auxilium, plures habere potuissem legiones angelici exercitus, qui ferrent, si vellem, adjutorium, in gladio suo inexsuperabili. Ex quibus profecto verbis patet, quod instar humanæ militiæ, multo copiosior sit ille angelorum exercitus, et numerosiores sint eorum legiones, in ministerio deputatæ humani auxilii. Unde et apud Lucam, in ortu Salvatoris, multitudo cœlestis exercitus decantasse ac laudasse Deum dicitur. Quos positos in defensione sanctorum, propter eos qui hæreditatem sunt accepturi, Paulus apostolus protestatur. Sed et Jacob obviam habuit sibi divini exer-

Introdusă în format electronic de Google

citus multitudinem, qui relevarent eum a timore fraterno, et custodirent. Unde et locum, quo usi sunt ipsi vocavit Manaim, id est castra Dei. Hæc idcirco dixerim, ut discat fidelis anima confidere ex divino auxilio et præsidio angelorum, magis quam humanis viribus. Quoniam ubicunque sunt vere Deum timentes, ibi et circa eos jure angelorum castra creduntur; de quibus David in Psalmis: *Immittet*, inquit, *angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII, 8). Ipse namque est *magni consilii angelus*, **1129** qui suos, ad se, timentes mittit legiones et exercitus, ipse qui et nunc profitetur se impetrare posse a Patre plus quam duodecim legiones. Quapropter audiant qui dicunt eum timuisse in articulo passionis suæ. Ecce jam inter manus persequentium se, inter gladios et fustes, inter universam cohortem se Deum Patrem habere testatur, et angelicas, si vellet, legiones impetrare posse. Nec tamen ista ideo dicit, quasi sit ipse inferior angelis, ut indigeat eorum adjutorio; licet juxta Lucam in agonia positus confortatus legatur ab angelo. Si enim juxta Elisæum, ut liber refert Regnorum, multus admodum ei astitit exercitus in auxilium, multo credibilius est non defuisse inibi tunc, quamvis non fuerint exhibitæ angelicæ legiones. Sed Dominus, ut Scripturæ complerentur, sic universa disposuit, ut monstraretur quia *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* v, 19), ipse homo pateretur, quia sic oportebat fieri, et ex facto hoc semper altior monstraretur intellectus, ut puta ex duodecim legionibus. Nam una legio, juxta veteres, sex millia esse dicuntur hominum. Quem sane numerum si in summam duxeris, septuaginta et duo millia angelorum sunt, et non absque magno mysterio. Nam septuaginta et duæ linguæ hominum esse creduntur in mundo. Idcirco a sapientia Dei, satis sapienter hic numerus comprehensus est; ut intelligeres si totus mundus contra eum venisset, nihil, nisi ipse vellet, contra eum posset, qui contra singulas humani generis nationes plusquam singulas mittere supernorum civium potuisset legiones. Sed elegit ut complerentur in eo Scripturæ, quia sic oportebat eum pati, ac resurgere, et intrare in gloriam suam.

In illa hora dixit Jesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me, cum quotidie apud vos sedebam, docens vos in templo, et non me tenuistis. Ac si diceret: Stultum est eum quærere cum gladiis et fustibus, qui ultroneus se vestris tradidit manibus; et nimia cæcitas est, multaque vesania cordis, in nocte quærere cum facibus et lanternis, ac si latronem in tenebris latentem, ac si a vestris aspectibus declinantem, qui semper vobiscum eram. Quid ergo necesse fuit per hunc proditorem quærere me, et ac si fugientem investigare, qui quotidie vobiscum sedebam, et docebam cunctos palam? **1130** Quid est quod agitis? nisi quia vos demonstratis esse in tenebris. Quia potestas vestra potestas est tenebrarum; et ideo in tenebris comprehendere me venistis, eo quod lumen verum perdidistis. *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum.* Multum autem est, quod in hoc uno factum est; et ideo dicit: *Ut complerentur Scripturæ prophetarum.* Non enim unius prophetæ in hoc tantum Scriptura completur loco, verum pene omnium prophetarum, qui de hoc rebus et verbis multifarie, multisque modis locuti sunt. Unde nescio si ullus eligere queat, vel colligere, qualia quantave sint eloquia prophetarum, quæ in hoc loco completa sunt. Et ut pauca de innumeris dicam: *Sicut ovis ad occisionem ductus est* (*Isa.* LIII, 7), et reliqua quæ ibi prædicta sunt. Et alibi, ab iniquis populi, seu ab impiis ductus est ad mortem. Atque illud: *Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me* (*Psal.* XXI, 17), seu reliqua omnia quæ in eo leguntur psalmo. Ac per hoc (quia longum est, nunc ea singula Scripturarum replicare testimonia) intelligat prudens lector ab eo loco ubi ait: *Adhuc eo loquente, ecce Judas*, et cætera quæ sequuntur, usque ad finem passionis suæ; omnia quæ in eo gesta sunt, ideo sunt gesta ut Scripturæ complerentur prophetarum. *Tunc simul omnes, relicto eo, fugerunt.* Discipuli scilicet, qui supra se pro eo mori gloriabantur, et promittebant se nunquam eum negare. Quorum figura dispersio gregis est, et veritatis adimpletio, ut ipse de se per prophetam ait: *Super omnes inimicos meos, factus sum opprobrium vicinis meis valde, et timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt a me. Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde. At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant.* Non itaque ad domum Caiphæ prius venit, sed secundum Joannem, *ad Annam primum* ductus est, socerum Caiphæ, qui erat et ipse pontifex, in cujus domo usque mane multas pertulit contumelias, quando et Petrus inter easdem moras usque tertio negavit. Sed quia de his quæ gesta sunt in domo ipsius, et quæ in domo Caiphæ, longum est disserere ac difficilius distinguere, quia ipsi Evangelistæ inter se dissentire videntur, quamvis uno loquantur spiritu, dum alius intendit primum negationem Petri exponere, tum demum has Domini contumelias **1131** adnotare; alius vero hæc interserere. Et alius prius Domini contumelias narrare, deinde Petri tentationem. Omnes tamen more suo, singula suis in locis ita dicunt, ut veritas tota in Christi contexta cernatur veste, et varietas miro siquidem modo exornare probetur; et si quid unus eorum prætermisit, ab alio ex integro fulciatur. Unde et Matthæus quam caute loquatur considerandum est. Non enim sicut Joannes, ad quem sit ductus primum, expressit, sed absolute ait: Quia *tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum.* Nec dicit primum, nec quando, sed quia ductus est ad eum. Quod Joannes diligentius commendans ait: *Cohors ergo et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum, et adduxe-*

Introdusă în format electronic de Google

runt eum ad Annam primum (*Joan.* XVIII, 12). In cujus itaque domo illata sunt ei multa contumeliarum genera, usque mane, peracta jam illa negatione Petri. Tunc, sicut plenius Joannes testatur, mittit eum Annas vinctum ad Caipham pontificem, quod nunc Matthæus ait prætermisso Anna, ad quem primum est adductus, et multis ibidem injuriatus. Quamvis et de his præsens evangelista nonnulla sic narrat recapitulando, sicut et de Petro, ut in una eademque domo, nisi diligentius consideres, videantur facta. Nec igitur multum interest, si una dicatur domus eorum, unusque Caiphæ principatus, quia prior erat in sacerdotio, ad quem quidquid Annas fecerat pertinebat. Quorum una erat intentio, una voluntas, unaque iniquitas, et unus malitiæ consensus. Nec igitur mirum si iniqui pontifices iniqua consilia gerunt, inique judicant et iniquos ad iniquitatem fovent; qui non ex successione, ut lex jubet a Domino promulgata, sacerdotium obtinuerat, sed, ut Josephus refert, unius anni tantum pontificatum ab Herode pretio male redemerat. Tales igitur semper timendi sunt sacerdotes, quicunque pretio, et non ex gratia Spiritus sancti, honores sectantur Ecclesiarum; cum quibus semper falsum aggregatur concilium, falsi testes quæruntur, cum quibus non veritas, non religio, sed iniqua semper in causis præfertur auctoritas.

Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris ut videret finem rei. Hæc omnia, ut dixi, de Petro, et plurima quæ gesta sunt **1132** in Jesum contumeliarum supplicia apud Annam, priusquam ad Caipham veniret, facta recte intelliguntur. Petrus tamen præ omnibus adhuc ex ardore fidei sequitur, quamvis a longe. Quia prima confusione, jam timore pervasus, sequi a proximo non audebat, sicut dictum est: *Et qui juxta me erant, de longe steterunt* (*Psal.* XXVII, 13). Sequebatur autem vel amore discipuli, vel humana curiositate, scire volens quid accideret ei, vel quid judicaret de eo pontifex, utrumne eum morti traderet, an flagellis cæsum dimitteret. Nec satis igitur recordabatur, quam sæpe audierat a Domino, quod flagellandus, et crucifigendus esset. Verumtamen adhuc Petri major constantia cæterorum apostolorum esse videtur, dum illi fugiunt, iste, quamvis procul, saltem a longe sequitur Salvatorem. Nec ex toto ab illo recedens, nec cum illo ex toto de prope sequens. Pervenit tamen ad atrium principis sacerdotum, nec Caiphæ, sed Annæ, ubi negaturus erat Dominum. Non poterat enim non evenire quod prædictum fuerat a Domino. *Et ingressus intro sedebat cum ministris.* Non ut ministraret, sed *videret finem rei*, quem non poterat videre in atrio principis, neque ubi seniores illius populi congregati erant. Nescio itaque si forte quis impræsentiarum queat videre exitum Jesu, quod nonnulli codices habent, in quo est finis consummationis. Quia hoc videre poterit, videbit Verbum Dei et Sapientiam, quæ Christus est, qui dicit: *Ego sum* A *et* Ω, *principium et finis* (*Apoc.* I, 8).

Princeps autem sacerdotum, et omne concilium, et seniores populi, quærebant falsum testimonium contra Jesum ut eum morti traderent, et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Quid igitur non invenerunt? Nunquid non invenerunt falsum testimonium contra Dominum, quod quærebant? Quod si falsum non invenerunt, absit ab ullo mortalium, ut credat quod verum contra eum invenerint, ut eum jure morti traderent. Alias autem, quomodo falsi testes essent si verum dicerent? Et quia falsi testes erant qui accesserunt, quomodo non invenerunt falsum testimonium quod quærebant? Invenerunt utique falsum quod quærebant, et non verum; quia Jesus innocens erat, et ipse miseri ac cæci veritatem non quærebant, sed deliberato animo omnes, quomodo **1133** eum neci traderent. Unde sicut nonnulli codices habent, ut dixi, non invenerunt exitum, id est quomodo vel ipsum falsum testimonium collocarent, vel quomodo ficte sic proferrent, ut vel verisimile habere videretur. Et hoc est quod evangelista dicit: *Non invenerunt*, quia hoc quærebant. Non quia falsum invenerunt, sed sic adumbratum invenire non potuerunt, ut falsitas etiam Pilato non videretur. Et ideo *sciebat* Pilatus manifeste, *quia per invidiam eum tradidissent.* Nam et alia interpretatio codicum sic habet, cum multi falsi testes accessissent, non invenerunt in eo quidquam. Ex quo patet quia secundum Isaiam prophetam, eo in populo a planta pedis usque ad verticem capitis nulla erat sanitas, sed una iniquitas in omnibus, unaque intentio. Nec tamen eorum calliditas tam astuta probatur, ut vel ipsa falsitas aliquid veri videretur habere simile. Nam apud iniquos judices falsa testimonia tunc locum habere solent, quando dolose cum colore aliquo proferuntur veritatis. Sed mundissima Christi conversatio hoc habuit, et irreprehensibilis vita, eo quod dolus non est inventus in eo. Ideoque fecit ne ullam invenirent adversus eum occasionem, qua possint sua suffragari mendacia. Miser populus, cujus principes iniqui sunt, et quorum seniores perversi, quia multi falsi testes in eorum nunquam desunt conciliis. Nam princeps qui libenter audit mendacia, omnes ministros habebit impios, quanto magis et si quæsierit eos, ut istos fecisse cernimus? Hinc est quod dicitur: *Stuppa collecta synagoga peccantium* (*Eccli.* XXI, 10). Sed laus viri justi cum talibus innocens condemnatur. Interea, et in hoc loco quod multi falsi testes veniunt, favor est Caiphæ, et principum concitatio, sacerdotum quoque et Scribarum convocatio, nec non et seniorum atque omnis concilii conspiratio, ut in omnibus major laus Christi ac vita et doctrina irreprehensibilis prædicetur. Qui sic omnia irreprehensibiliter fecit et docuit, ut in eo nihil invenirent mali simile, multi mendaces, callidi, et astuti principes. Unde sequitur: *Novissime venerunt duo falsi testes, et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere*

Introdusă în format electronic de Google

Dei, et post triduum reædificare illud. Verumtamen et ipsi inter se duo dissidentes erant, sicut ostendit Marcus, ita dicens : *Et alii surgentes* **1134** *falsum dicebant testimonium adversus eum, dicentes : Quoniam nos audivimus dicentem hunc : Ego dissolvam hoc templum manufactum, et post triduum illud resuscitabo, non manibus factum. Et non erat conveniens testimonium illorum* (*Marc.* XIV, 58, 59). Ergo ideo non erat conveniens, quia aliter dicebat ille forte cujus verba Marcus retexuit, et aliter iste cujus Matthæus. Uno tamen spiritu utrique mendaces, et ambo ideo falsi testes. Sive ergo bis hoc dixerint, quæ isti duo narrant evangelistæ ; sive unus hoc, et alter istud, ambos tamen si respicis quæ Joannes ait dixisse Dominum de hoc templo, falsos fuisse testes probabis; quod uterque declarat evangelista, cum eos falsos fuisse proclamat. Nam Joannes ait Jesum dixisse : *Solvite templum hoc, et ego post triduum resuscitabo illud.* Ubi addidit ipse Joannes : *Hoc autem*, inquit, *dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II, 19). Quapropter vide versutiam duorum falsorum testium, qui falsa persuasione sua utentes figunt sibi ab aliquo verbo Christi falsum testimonium. Non enim dixit Salvator, Ego dissolvam templum hoc manufactum, neque quod post triduum aliud reædificabo, sicut in Marco est : neque dixit juxta Matthæum : *Possum destruere templum Dei ;* neque de templo illo lapideo, sed ut Joannes ait *de templo corporis sui ;* quod illi immutantes ut angerent crimen, et impossibile monstrarent, quæ dicebant retorserunt ad calumniam ejus, ut eum ex suo mendaciorem facerent. At vero Jesus non dixerat, quia ego possum solvere templum Dei, sed, Solvite, quod templum corporis quasi digito tangebat ; neque imperavit ut facerent, sed permittebat solutionem corporis sui ad propositum et ad impietatem cordis eorum, ut facerent quæ vellent, ad hujusmodi apti opus, ut eorum piaculum quod jam in mente meditabantur, fieret omnium salus credentium. Quare igitur hos duos evangelistæ specialius designassent, cum multi accessissent falsi testes, res in manifesto est. Quia hi duo tantum aliquid verisimile habuerunt, quod ipsi, ut dixi, multum quærebant. Sed nec ipsorum testimonia inter se convenientia erant, neque vera, quamvis inscios ex suo mendacio fallere possent.

Et surgens princeps sacerdotum ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat. Surgit **1135** ergo in ira pontifex, furoris sui insania permotus. Surgit quia in illo nulla erat modestia, nulla gravitas morum, nulla probitas disciplinæ. Et surgit maxime in ira huc accensus, quia in Christo nullum invenit calumnia falsitatis locum, ut amentiam monstraret suæ mentis. Jesus autem tacebat, indignum eum sua responsione decernens, juxta illud propheticum : *Dum consisteret adversum me peccator, obmutui, et humiliatus sum nimis, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII, 3). Quia quibus loqueretur nullus eorum erat dignus. Excutit ergo pontificem vesanum de solio judicii furor immanis et levitas mentis. Quia quanto benignissimus Jesus plus tacebat intrepidus, tanto magis ille amentia superatus, eum ad respondendum provocat qualibet occasione sermonis, si forte locum inveniat accusandi. Sed mitissimus Salvator nihilominus tacet, quia sciebat quasi Deus, quidquid respondisset, quod totum retorqueret ad calumniam. Quo silentio amplius permotus, ait illi : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.* Adjurat ergo, quasi ex lege, ut adjuratur mulier illa quæ zelotopiæ tenetur obnoxia, sed non eo animo ut credat, quia et cum audivit confitentem, ferre non potuit, quinimo egit ut condemnare possit. Eo quippe interrogat affectu, quo et diabolus. Et ideo non sine dubitatione interrogat, sicut et ipsum fecisse retro legimus. Nec inmerito, quia ex patre diabolo erat, idcirco sic quærit : *Si tu es Christus Filius Dei*, quomodo et ipse ; nisi quia plus aliquid addit deceptionis exorcizando, cum dicit *Per Deum vivum*, ut extorqueat confessionem veritatis. Quoniam quidquid in lege dictum erat de Christo et prophetis, non recipiebatur ab eis : et si diceret, quod erat, ut puniretur. Alia est namque confessio Petri qua dicit : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16), et alia istius summi pontificis. Qui etsi noverat Christum Filium Dei vivi, futurum ignorat mysterium, et dedignatur eum esse Deum. Qui non confitetur, sed interrogando : *Si tu es*, abnegat quidquid in lege et prophetis audivit, quidquid in miraculis et in operibus didicit deitatis. Et ideo quantum Petrus beatus, tantum iste Caiphas infelicior præ cunctis. Unde quia non erat dignus doctrina Christi, non eum docet nec instruit, sed accepto verbo ex ore ejus in redargutionem ipsius convertit, **1136** ita dicens : *Tu dixisti.* Ut nec videatur se negare quod erat Dei Filius, ne mentiretur ; nec vult confiteri se esse, in sermone, ne caperetur. Datur ergo ei similis responsio ut Pilato, quia sic dignum erat, ut quia similes erant in facto, similes fierent in pœna damnationis ; nisi quia scelestior iste fuerat in condemnando quam ille in absolvendo. *Verumtamen dico vobis : Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli.* Verumtamen, quod dicit, ad ea quæ supra dixerat connectitur ; ac si dicat : Verumtamen licet responderim : Tu dixisti, amodo videbitis quæ usque nunc prophetata sunt operibus compleri. Et quia tu ignarus es legis in qua gloriaris, nec ejus sacramenta, nec prophetarum vaticinia cognoscis, neque quod ipse sim Christus ex fide quæris ; quasi lex et prophetæ de me locuti occulti fuerint. Quamvis dixerim : Tu dixisti, amodo vos ipsi in aperto videbitis ea omnia quæ scripta sunt de Filio hominis compleri, et luce clarius reserari. Sed quia scriptum est apud Matthæum et Marcum, *a dextris virtutis*, et non additum Dei, quod Lucam fecisse legimus, non puto, ut quidam volunt, quod aliquid aliud novi afferat quæstionis. Sed magis

Introdusă în format electronic de Google

quærendum quid sit ipsum quod ait : *Amodo videbitis sedentem Filium hominis a dextris virtutis.* Quia omnes tres evangelistæ similiter scribunt : *Videbitis sedentem;* et qui sint qui hoc visuri sunt, vel si ex eo tempore, quo hæc dicta sunt, eum sedentem videbunt, vel ad quos dicit? Nam in eo quod ait : *Sedentem*, regnantis forma introducitur. Ac si dicat supra virtutem fundatum, vel constabilitum, de quo dictum fuerat : *Qui sedes super Cherubin appare;* et alibi : *Vidi Deum sedentem super solium excelsum et elevatum*, et cætera, quæ in quamplurimis de eo leguntur locis. Quæ singula solertissimus investigator conferre poterit cum præsenti loco, et investigare quid sit quod amodo dicat, de tam humili æstimatione in qua tunc habebatur Christus, ante omne concilium reus; et nunc tam gloriosa prædicatur, more humano, sessio Filii hominis et non Filii Dei, nisi quia forte ibi erant inimici, qui eum persequebantur, de quibus Propheta prædixerat : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). **1137** In quibus forte inimicis erant et illi, ad quos dicebat ista : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis.* Et qui a Deo Patre scabellum dicuntur futuri, ipsi nimirum sunt super quos amodo cum surrexerit victor sessurum se promittit. Quoniam ex eo tempore quo resurrexit Filius hominis a mortuis, sicut ipse ait : *Data est ei omnis potestas in cœlo, et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Quem deinceps viderunt omnes electi, per fidem, præsidentem a dextris virtutis Dei, id est Ecclesiæ suæ, quæ virtute Dei in dextris est collocata. Quæ nimirum Ecclesia, seu thronus dicatur, seu sessio Christi a tempore resurrectionis ejus colligitur, et aggregatur usque in finem, in qua Filius hominis, et sedere victor videtur, et venire in nubibus cœli; quoniam ipsi sunt nubes cœli, de quibus dicitur : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 2); per quas nubes ipse utique venit ad singulos, et in quibus spargit imbres eloquii sui, cribrans aquas de nubibus. Quod autem in eo concilio erant cum quibus, et de quibus talia Jesus loqueretur, probat Actus apostolorum, in quo legimus ex Judæis quod una die, et alia, tria millia et quinque crediderunt in Christum. Qui eum et sedentem viderunt per fidem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus. Quæ nubes ipsi fuerunt, quoniam ex illa primitiva Christi Ecclesia, in qua præsedit auctor vitæ, totus complutus est mundus. In quibus nubibus cœli nos ipsi qui loquimur usque adhuc, eumdem Filium hominis, qui loquebatur coram principibus populi, venire conspicimus, si recte sapimus vel intelligimus. Quæ nimirum prophetia jam totum occupavit mundum, et usque in finem complebitur. Sed et Marcus in hoc determinat Evangelium suum : *Et Dominus*, inquit, *Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei* (*Marc.* XVI, 19). Sed et utique Christus in cœlum sedet in Ecclesia sua; quoniam anima justi sedes est sapientiæ. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus?* Ipsa namque rabies seu furor, quæ supra eum de solio sacerdotali excusserat, ipsa eademque ut scinderet vestimenta sua coegit. Quæ nimirum conscissio vestium, ut ita fatear, prophetia fuit vel signum, ut ostenderet se reum concissis vestibus, et monstraret Judæos sacerdotii gloriam ad integrum perdidisse; vacuam sedem deinde habere pontifices. Nec **1138** mirum igitur qui nesciens prophetavit, si et nunc aliquid contra se, contraque suos, in sua vesania ostendit. Erat autem consuetudo Judæorum, cum aliquid blasphemum in se, vel contra Deum audissent, scindere vestimenta sua, quod Paulum quoque et Barnabam fecisse legimus. Sed et nonnullarum gentium consuetudo est, cum reos se doluerunt, rescindere vestes et nudare pectora sua quasi rea, sieque plangere multis obvoluta criminibus. Iste autem, quia dixerat : *Amodo videbitis filium hominis sedentem*, et cætera, dicebat blasphemasse Jesum. Et ideo ac si ex lege, vesana plebs ad favorem seniorum proclamat, ut assolet vulgus : *Reus est mortis : Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt. Alii autem palmas ei in faciem dederunt, dicentes : Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Ut supra jam dixi, hæc intelligitur Dominus passus in domo principis sacerdotum ubi adductus est. Et hæc usque ad mane gesta sunt, quando etiam et Petrus in eadem domo tentatus est. Quia dicebat de se magna Christus, quod sessurus esset a dextris virtutis Dei, arbitrabantur confusionem illi ingerere. Sed ille ut omnia complerentur, quæ de eo dicta erant, fieri sponte sua permittebat. Scriptum quippe erat (*Isa.* L, 6) : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; Faciem* quoque *meam non averti* a confusione sputorum, et alia quamplura, quæ in eo completa sunt, sicut scripta sunt a prophetis. Audierant enim forte retro prophetantem de Templo, et de Hierusalem quod destruenda esset, ideo ad irrisionem eum prophetare jubebant, quis eorum eum percussisset? Sed stultum erat verberantibus se respondere, qui quasi agnus ad hoc venerat, non aperiens os suum, ut Scriptura compleretur. *Petrus autem sedebat foris in atrio.* Foris namque sedebat, ut videret exitum rei, et non appropinquavit Jesum, ne ministris de illo ulla nasceretur suspicio, quia timore jam possessus erat. Et in hoc mira Petri cum Domino perseverantia. Qui quamvis timeret, tamen non reliquit. Venit enim timor a natura, sed cura de affectu pietatis. Alienum est quod timet, suum quod non fugit. Et quod sequitur, pietatis est devotio. Porro quod negat, subreptio est pavoris. Commune igitur quod labitur a fide, sed proprii doni est quod pœnitens, quod amarissime flevit. *Et accessit* **1139** *ad eum una ancilla dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus dicens : Nescio quid dicis.* Quid ergo sibi vult, quod primum eum prodit ancilla? Cum viri magis eum utique poterant recognoscere, non abs re factum dixerim. Factum

Introdusă în format electronic de Google

est autem non fortuitu, ut iste sexus in hac arte diaboli et in nece Domini præcesserit, ut et prioris mulieris recordaretur fraus, et iste sexus per Domini redimeretur passionem. Unde et resurrectionis accepit prima martyrium, ut veterem prævaricationis aboleret errorem, et istius proditionis purgaret crimen. Nam nonnulli, pii affectus amore, dicunt Petrum non Deum negasse, sed hominem; quasi diceret sibi in corde suo : Nescio hominem, vel nescio quid dicas muliebriter, quia scio Dominum. Sed ego malo intelligere negasse Petrum, quam in aliquo fefellisse Deum. Quid ergo negavit Petrus? Omnino quod prædixit Deus; quia in Christo nihil aliud fuit quam quod est Deus. Et sicut Deus et homo unus est Christus : ita totus Christus cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus. Considerandum tamen est, ubi negat Petrus; non in monte quo fuit cum Domino, non in templo, non in domo sua, sed in prætorio Judæorum, et in nocte, vel in domo principis sacerdotum. Ibi ergo negat ubi veritas non est, ubi Christus ligatus est, et ubi Christus contumeliatur, ubi eum intromisit ancilla ostiaria, et interrogat eum fraudibus suis, ubi innocentia difficile servatur. Idcirco magis venialis culpa est, quam Adæ fuerit in paradiso. De hac quippe trina negatione Petri, inter omnes Evangelistas, magna dictorum varietas est, sed una expletio sensus. Et ideo eorum collatio habenda est a prudenti lectore, ut inter omnes unum expleant sensum. Sequitur :

Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait hisqui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum juravit cum juramento : Quia non novi hominem. Non autem foris in atrio, ubi prius, aut ante januam, ubi exisse dicitur, iterum negavit, sed cum redisset ad focum. Verumtamen quando redierit, Matthæus non dicit. Sed Marcus ait quia *exiit foras ante atrium, et gallus cantavit.* Ac deinde *rursus : Cum* audisset *eum ancilla, cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est* (*Marc.* XIV, 68, 69). Tunc utique hoc dicit, cum redisset intus ad focum. Et non est hæc ancilla illa quæ supra, tamen ancilla. Et notandum quia frigus erat et nox. Unde si tempus consideremus, et loca in quibus **1140** negat Petrus, poterimus animadvertere quibus premebatur malis, quando obcæcaverat eum nox infidelitatis, et frigus obgelaverat timoris, qui nullo illustrabatur sole justitiæ. Non enim erat in atriis Domini, de quibus canitur in Psalmis : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem* (*Psal.* CXXI, 2). Neque *in atriis domus Dei nostri* (*Psal.* CXXXIII, 1), sed in atriis Caiphæ, et in domo ejus, in qua Jesus vinctus tenetur, et ideo in ea non agnoscitur, quia in eo nullus erat qui lucem videret. Erat quidem in ea ignis ardens, sed male consumens, qui nec frigus pellebat mentis, nec fugabat tenebras noctis, sed inflammabat ad facinus, ardore impietatis. Non quod ait, et *loquela tua manifestum te facit*, non quod Petrus alterius gentis esset : omnes quippe Hebræi erant, et qui arguebant Petrum et qui arguebatur. Sed quia unaquæque provincia et regio habet proprietates suas, et vernaculum loquendi sermonem. *Tunc*, inquit, *cœpit detestari et jurare, quia non novi hominem, et continuo gallus cantavit.* In prima quidem negatione sua coram omnibus dicit tantum, Nescio quid dicis, in secunda vero negat cum juramento, *quia non novi hominem;* porro in hac tertia dicitur quod *cœperit detestari et jurare*, quia non novisset hominem. Gravius quidem ac gravius negat; quia quanto profundius in negationem vadit, tanto etiam cum juramento amplius peccat. Et ideo non sunt audiendi, ut dixi, qui dicunt quod non negaverit Deum, sed hominem; quia et hominem negare Jesum mendacium est, et cum juramento id testari, quid aliud quam perjurium est? Præsertim cum et homo Jesus vere Deus dicatur, ac per hoc Deum negasse recte dicitur. Quia adhuc Petrus non poterat Dominum Jesum in Spiritu sancto cognoscere, quia necdum erat hominibus, id est Spiritus sanctus datus, quia Jesus necdum erat glorificatus. Et ideo ante galli cantum in nocte negat, quia non erat Spiritus Patris, quo confiteretur Jesum Christum, et qui loqueretur in eo. Sequitur : *Et egressus foras flevit amare.* Videte, fratres, quod sæpe dico, quia omnia et loca, et tempora, plena sunt mysteriis. Nam in atrio pontificis sedens, non poterat, non dico stare in fide, verum etiam nec post lapsum agere pœnitentiam. Egreditur siquidem foras de impiorum concilio, quia respexerat illum Dominus ut abluneret sordes pavidæ negationis, et lavaret maculas mentis amaris fletibus. Nec æstimes, **1141** lector, quia dicitur quod respexerit Dominus Petrum, quasi sit eum intuitus corporeis oculis, cum Petrus foris in atrio esset; et Dominus intus contumeliabatur; sed ibi respexit eum, ubi jacebat, in mente namque divinitate sua illum respexit. Et ubi respexit benignissimus Dominus, ibi continuo ille amarissime flevit. Hæc idcirco scripta sunt, fratres, ut unusquisque nostrum discat plurimum de Deo quam de se præsumere. Et si in aliquo forte lapsus fueris, noveris secretorum tuorum quia testis semper assistit Deus. Respicit autem ut recorderis et fatearis humili confessione errores tuos et casus; imiteris Petrum, ut defleas mala tua, et diligas deinceps, sicut dilexit Petrus. Etiam et tertio interrogatus, quod ter negaveras pleno confitearis amore, et trino dilectionis affectu, ex toto corde, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Quia nemo perfecte diligit nisi qui ex toto diligit.

(CAP. XXVII.) *Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversum Jesum, ut eum morti traderent, et vinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato præsidi.* Cerne, quæso, diligentiam sacerdotum in nocte Paschæ, cum esse deberent *In azymis sinceritatis* (*I Cor.* V, 8), tota nocte qua agnus comestus est : quas excubias agunt, quasque vigilias custodiunt, ut homicidium facerent, et Jesum morti traderent! quo consilio peracto et deliberato, mane quando missus est ad Caipham, rursus eum continuo ligatum mit-

Introdusă în format electronic de Google

tum, ad Pilatum. Et notandum quod apostoli in nocte negant et fugiunt, isti vero mane facto jam in lumine ineunt consilium, et conspirant in unum, *Ut Jesum dolo tenerent et occiderent*. Alligant ergo eum vinculis, quia alligaverat eos Satanas. Nec recogitant quod ipse sit qui solverat supra filiam Abrahæ, quam alligaverat diabolus decem et octo annis, quæ non poterat penitus sursum aspicere. Nec igitur Samson ille fortissimus fortior Christo fuit, qui propter crines vinctus teneri non poterat. Quoniam ille fortis in figura Christi præcessit, et quod faciebat ille quotiescunque vinctus fuisset, hoc et Christum fecisse nemo qui ambigat; qui nos omnes suis absolvit vinculis. Ad hoc quippe, post prodigia, post virtutes innumeras quas fecit, se permisit ligari volens, et consensit ut alligaretur, non peccati funibus, sed sacramentorum vinculis, quorum mysteria vincula illa Samsonis erant. Quæ nimirum vincula disrupit **1142** Christus, mox circumdantia se, quando de morte victor ascendit, ut nostra disrumperet. De quibus Propheta dixit : *Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 17). Talis namque consuetudo Judæorum erat, quemcunque morti adjudicassent, ut vinctum eum judici traderent; et ideo vinctum eum adducunt ad Caipham, sicut Joannes testatur. Ac deinde post paulum, narrat rursus quod adducunt eum ad ipsum in prætorium. *Erat autem*, inquit, *mane*. Et nunc Matthæus : *Mane*, inquit, *facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi*. Ubi intelligimus quod mane etiam traditus est Pilato; forte quando introivit Caiphas in prætorio, Jesu paulo ante judicato, et adducitur ad eum ut tradatur, quæ res forte coegerat Caipham ut intraret in prætorium. Aut certe interdum cum esset eo in loco, absente illo, ab universo concilio, judicatus est ad mortem, tamen ab ipsum ab initio ex domo Annæ ducebatur, ad quem in extremo perductus est. Sed quia Caiphæ jam prius visum fuerat, ut Jesus moreretur, et illis qui vinctum eum adducebant, sine ulla mora in momento decretum est, ut occidendus Pilato judici traderetur. Utrumque tamen mane fuit : et quod adjudicatus est a Caipha, cum omni concilio Judæorum, et coram eo nonnulla passus; et quod Pilato traditur.

Tunc videns Judas qui eum tradidit quod damnatus est, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens : Peccavi tradens sanguinem justum. O facinus et misera conditio humana, quæ cum ad peccatum trahitur, sic illicitur ut videat, et nec prævidere queat sereno mentis intuitu, ad quod captivatur. Ecce quam levis fuerit animus traditoris, qui nunc justum quem tradidit videt et intelligit, quem antea prævidere non potuit, et portat confusionem in mente pro reatu, qui erubescere antea non poterat, etiam cum rueret in osculum benignissimi Salvatoris. Huc usque dum flagellaretur, dum multis contumeliarum afficeretur injuriis, putabat forte miser, quod evaderet. Sed videns quod adjudicatus morti Pilato traditur, pro certo intellexit infelix quia damnatus esset, ferre confusionem suam minime potuit : qua perturbatus in mente, consilium invenire verum nequivit. Sic quippe confusio operari solet, et perturbatio, ita ut homo aliquando **1143** se invenire non queat. Unde hic primum impietatis suæ pondere vicit avaritiæ magnitudinem; ideoque *pœnitentia ductus retulit*, pessimis mercatoribus, *triginta argenteos*. Nec tamen ita præ nimio mœrore, et confusionis suæ immanitate pœnitentiæ modum tenere potuit, qui mox *laqueo se suspendit*. Fecit enim diabolus qui eum prius pervaserat arte sua, ut pœniteret forte non ad veniam, sed eum amplius ut impelleret in ruinam. Retulit ei ante oculos mentis immanissimum scelus quod gessit, non ut ex consilio veri, ad clementissimum Dominum, et medicum animarum recurreret, sed ut ex perturbatione diræ mentis in pejus veniret. Origenes namque more suo, de hoc quasdam movet opiniones; quod æstimaverit Judas, licet inconsulte, et non secundum scientiam, prævenire in morte moriturum Dominum, eique occurrere in anima, quam nudavit a corpore, si forte posset veniam et misericordiam precibus implorare. Quæ nimirum cogitatio, si ei forte venit in mente, ut dixi, et ipsa de confusione fuit, et non ex doctrina pii Magistri. Dicit et aliam opinionem, quasi callidissimus explorator diabolus postquam in eo et de eo fecit quod voluit, ut traderetur Jesus in mortem, recessit mox a Juda. Quo recedente, intellexit continuo malum quod fecerat, quia tradidit sanguinem justum, et vidit quod ipse a Deo condemnatus esset. Aut forte aliter recedente ab eo diabolo, potuit consilium secum capere pœnitentiæ, et referre ad eos pretium quod dederant : et ideo forte quia absolutus erat ab adversario, potuit dicere ex ratione sensus : *Peccavi tradens sanguinem justum*. Sed recedens ab eo ad tempus diabolus, tam ipsum Judam, quam et universos quos ad tempus deserit, iterum reassumit secundum astutias suas, ut abundantiori tristitia absorbeantur nonnunquam, sicut et istum male absorptum, et pervasum, non dubitamus. Idcirco pœnitentibus semper salubria quærenda sunt consilia, et adhibenda est quam diligentissime medicina salutis. Quoniam adversarius postquam cognoverit unumquemque secundum peccatum suum, eum observat et callide insidiatur, ut ad finem usque decipiat. Respondeant ergo qui diversas naturas conantur introducere, et dicunt Judam proditorem malæ fuisse naturæ, nec apostolatus electionem potuisse servare; quoniam in eo non vitium esset, sed natura ut ad bonum non posset converti. Respondeant, **1144** quæso, quomodo mala natura potuerit sentire justum Christum fuisse? Vel quomodo egerit quolibet pacto pœnitentiam, ut non vinceretur cupiditate triginta argenteorum? Qui licet non perfecte, neque sicut debuit conversus, tamen de statu pessimæ cupiditatis, quod inique admiserat damnavit,

Introdusă în format electronic de Google

et peccatum suum utique recognovit. Alioquin nisi in eo aliqua bonæ plantationis natura esset, virtutem pœnitentiæ ac justitiæ sentire omnino non posset, neque impietatis suæ vesaniam recognoscere; satis namque fuerat, quod dixit : *Peccavi tradens sanguinem justum*. Et quod pretium rejecerat, si deinceps cor suum ad pœnitentiam servasset, et sapienter tristis, prævideret juxta Apostolum, ne *abundantiori tristitia* absorberetur ad ruinam damnationis suæ. *At illi dixerunt : Quid ad nos? Tu videris* (*II Cor.* II, 7). O cæcitas Judæorum, et perversitas mentis! Sic se agunt quasi innocentes sint, qui pretio emerunt, ut homicidium facerent. O duritia cordis! qui etiam possessus dæmone flectitur ad pœnitentiam reatus sui, nolunt recognoscere quod male egerint. Sed dicunt, *Quid ad nos?* Quasi ipsi nihil mali admiserint, nec curant de reata proximi. Nec mirum qui de se nihil cogitant, sed dicunt : Tu vide quid feceris, quoniam nos in omnibus a culpa immunes sumus. Quapropter caveant, qui tam facile peccant in fratribus ; quia qui sic peccat in aliquem, ut emendare non possit, timendum valde est quod peccavit. Non enim jam in potestate Judæ erat, ut absolveretur quem tradiderat, et ideo frustra vocem pœnitentis assumit, quia permaneat opera impietatis. Hoc igitur est, quod in Psalmo canitur, de eodem infelicissimo Juda : *Et oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal.* CVIII, 7), qui non solum non emendaverit crimen quod commisit, verum etiam scelus suæ mortis in peccatum sibi addidit. Habet enim in Psalmo, qui de eo canitur, si bene perspexeris, pro triginta argenteis, quos accepit, triginta, ex oraculo divino, maledictiones sibi olim illatas, et quasi hæreditario jure in pretio reservatas : non ideo quod peccaret, sed quia toties a Domino correptus ut emundaret seipse : *Noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV, 4), quatenus haberet mercedem sui pretii, ad corruptionem omnium futurorum, et omnes scirent quia universa sunt in præscientia Dei, et formidarent ; quia *Judicia Dei abyssus multa, et ininvestigabiles viæ ejus* (*Ibid.*, 7; *Rom.* XI, 33).

Principes autem sacerdotum, acceptis **1145** *argenteis, dixerunt : Non licet mittere eos in corbonam, quia pretium sanguinis est*. O falsa religio et justitia cæca! Si hoc non licet *quia pretium sanguinis est*, cur ipse sanguis innocens tam impie effunditur? Hoc quippe est quod dicitur longe retro : *Calicem liquantes, et camelum glutientes*. Propter quod, *Consilio inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum*. Hæc omnia, ut cernis, non fortuito casu fiunt, neque ex aliquo eventu rerum, ut volunt, sed universa ex dispositione Dei vivi, ut compleantur quæ prædicta sunt, licet quantum ex ipsis erat, illi aliud intenderent. Videbant enim fortassis, quod circa mortuos magis hæc pecunia sanguinis conveniebat, et circa sepulturas defunctorum, quam ut in corbonam mitteretur, aut in ulla eorum necessitate honesta. *Corbonam* quoque Hebraice, Latine autem *donum* interpretatur, qui locus, vel arca denariorum erat; ubi mittebantur dona et munera, seu qualiacunque deposita ad usus templi, vel ad quascunque utilitates alias seu necessitates. Sed Dei appulsi nutu, ex ipso pretio decreverunt emere agrum, non qualemcunque, sed *agrum figuli*, et ipsum *ad sepulturam*, non quorumcunque, sed *peregrinorum*. Sunt enim multæ differentiæ inter loca sepultorum, multaque diversitas meritorum. Quoniam alii sepeliuntur secundum vota nobilium, alii secundum æstimationem vulgi, nullus tamen in agro figuli, qui pretio sanguinis Christi emitur, nisi qui consepelitur per baptismum Christi in morte; qui profecto ager peregrinorum est, et eorum qui peregrinantur in mundo, qui potest Deo dicere : *Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII, 13). Ager ergo iste qui emitur, ager sanguinis est, et ager figuli; quia figulus noster Christus est, cujus *Virtus exaruit tanquam testa* (*Psal.* XXI, 16). Et ipse ager, *Acheldemach, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem* vocatur. Vocatur autem jure, hic mundus, vel Ecclesia Christi, seu paradisus Dei, *Ager sanguinis*, quia sanguine Christi emptus est nobis, ubi requiescant sancti, qui peregrinantur in terris, quorum vox est : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea* (*Psal.* CXIX, 5). Tales namque consepeliuntur Christo, et ideo ex pretio sanguinis ejus emitur ager ad sepulturam eorum, tanquam permanendum, et ad requiescendum in sempiternum, qui cum fideli Abraham, juxta imperium Dei, in hoc sæculo **1146** peregrinantur. Sed quia hoc testimonium in Jeremia non invenitur, dicunt quod ex Zacharia magis sit assumptum, ubi longe aliis verbis, ac toto discrepante ordine qualitercunque reperitur. Primum vero juxta Septuaginta, in eo ita habetur, dicam ad eos, si bonum est coram vobis, date mercedem mihi aut renuite. Et iterum : *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Dixitque Dominus ad me : Proice illos in conflatorio, et considera si probatum sit sicut probatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et misi eos in domo Domini, in conflatorio* (*Zach.* XI, 12, 13). Quantum ergo distet hæc translatio ab evangelistæ testimonio, cunctis legentibus perspicuum est. Sed et in Hebræo, juxta Hieronymum, quamvis sensus idem sit, verba vero valde præpostera sunt, et pene diversa. Habet enim ita : *Et dixi ad eos : Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium decorum pretium, quod appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci eos ad statuarium in domo Domini*. Hæc idcirco posui, ut perpendant omnes difficultatem hujus loci, quoniam ex hoc multi conati sunt evangelistam arguere, et falsitatis assertorem probare, eo quod nec cum Hebræo, nec cum LXX translatoribus congruere videatur. Et quod his majus est, dicunt quod erret etiam in nomine, ut pro Zacharia Jeremiam

Introdusă în format electronic de Google

false posuerit; quod nec nostri unquam catholici tractatores immutare voluerunt, nec emendare, ut quidam temerarii et præsumptores tentaverunt; sicut et in aliis quamplurimis locis fecisse cognoscimus. Sed absit a fidelibus, de Christi evangelista aliud æstimare dixisse, quam quod in spiritu Dei legebat, et dicebat Ecclesiæ Christi filiis; cui curæ sunt non verba, non syllabas ordinare sententiarum, non interpretum jura servare, sed ipsas sententias veritatis, in Spiritus sancti dogmate, ut olim pronuntiatæ sunt, ponere. Quanquam beatus Hieronymus dicat se legisse in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenorum sectæ homo ei obtulerat, Jeremiæ apocrypho, et in eo hæc ad verbum scripta reperit Jeremiæ nomine dedicata. Sed tamen magis visum est ei de Zacharia sumptum hoc evangelistæ testimonium, et apostolorum more, hoc sic positum, qui verborum ordine prætermisso, sensus tamen de Veteri Testamento **1147** quam sæpe protulerunt in exemplum. Et ideo hoc loco talis expositio a nobis quærenda est, ut evangelistæ maneat firmitas, et nos nulla subrepat emendandi temeritas; sed una cum sanctis Patribus potius suspicando de hoc aliquid dicamus, quam confirmando quod certum non habemus. Ubi primum occurrit, quod non omnes codices Evangeliorum habent, quod per Jeremiam hoc dictum sit, sed tantummodo per prophetam. Nec tamen ideo mox astruere oportet quod his codicibus magis credere debeamus, ut dicamus eos mendaces qui Jeremiam habent; eo quod ubi dicitur per prophetam rectius Zacharias intelligatur, quia jam olim a sanctis Patribus tractatum est, ut hoc magis audax imperitia fecerit quam probata veritas, cum turbaretur aliquis quæstione, quod hoc testimonium apud Jeremiam non inveniret, id magis elegerit temere emendare, quam imperitus videri. Quod forte altiori sacramento factum est ex providentia Dei, qua mentes evangelistarum intus agebantur. Erant enim illa animalia ih circuitu plena oculis, et ideo non potest fieri ut Matthæus aliquid per oblivionem scripserit, et Jeremiam pro Zacharia posuerit. Quod tamen sine ulla dubitatione demum emendaret saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi quia Spiritus sanctus per eum ita hoc testimonium conscribi voluit. Sed cur hoc ita voluerit, illa prima causa patri Augustino utilissima occurrit, omnes prophetas sanctos uno spiritu, mirabili inter se consensu locutos fuisse, ut multo amplius quam si omnium omnia prophetarum uno unius hominis ore dicerentur. Et ideo indubitanter accipi debere quæcunque per eos Spiritus sanctus dixit, singula omnium esse, et omnia quæ per eos dicta sunt singulorum. Idcirco jure, quæ dicta sunt per Jeremiam, tam Zachariæ quam Jeremiæ, et quæ per Zachariam, tam sunt Jeremiæ quam Zachariæ. Unde non opus fuit Matthæo corrigere quod Spiritus sanctus per eum dixerat, cum nomen Jeremiæ scriptum a se in suo Evangelio divinitus relegisset, ut nobis per hoc inter prophetas, interque ipsos evangelistas, tantam concordiam esse demonstraret, ut quidquid unius eorum esse dicitur, non absurde alterius esse videatur; ac per hoc quod per Zachariam dictum admodum videmus, non inconvenienter, Spiritu sancto annuente, Jeremiæ esse probatur. Solet quippe et **1148** de amicissimis ita dici hominibus, quorum unus est consensus unaque voluntas, si unus eorum aliquid dixerit quod alteri ascribatur; ne cures quis eorum dixerit, quoniam tam concorditer dictum est, ut tale sit si iste hoc dixerit, quale et si ille, quia eorum unus est spiritus, unaque societas et intentio mentis. Quapropter omnium prophetarum et evangelistarum major est inter omnes constantia mentis et unanimitas veritatis, quam si omnia illa, unus quamvis doctissimus loqueretur homo. Et ideo nemo infidelis, nemo imperitus, jure reprehendit in talibus et hujuscemodi dictis, quasi dissonantiam evangelistarum, cum ex hoc potius debeant assumere docti et fideles, argumentum et auctoritatem, ad ostendendam unitatem et concordiam eorum et sanctorum prophetarum. Est et evidens causa apud Jeremiam quæ flagitat forte hoc testimonium potius in nomine Jeremiæ sic manere debuisse, et videtur ac si spiritus auctoritate firmatum, propter agrum illum quem Jeremiam emisse legimus cum esset in carcere, quia etsi apud Zachariam triginta leguntur argentei qui pro Domino dati et rejecti sunt in templo, tamen per eumdem prophetam ager ille emptus est a filio fratris sui, et datum est ei argenti pretium. Non quidem sub hoc nomine, neque eodem sub numero qui apud Zachariam habetur; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto ad quod prophetia est de triginta argenteis. Nam quod de Domino completum est, ut hoc esset ejus pretium, manifestum est, et quod de eisdem argenteis ager ille sanguinis emptus sit, verum est. Hinc inter utrosque prophetas mystice unum videtur esse testimonium; ut quod ille expressius de argento significavit, hoc iste de agro. Ac per hoc nomen Zachariæ si poneretur, referendum ad pretium esset; sed quia Jeremiæ positum est, qui dixit de agro empto, non incongrue factum videtur. Quapropter studeat prudens animus utrumque magis conferre quam evangelistam temere reprehendere, aut quod ab eo positum est præcipitanter eradere, vel immutare. Studeat potius sensum enucleatius discutere, quo modo pertineat utrumque ad completionem testimonii, quam unum horum negligere, et alterum præferre. Nam et ipse liber emptionis apud Jeremiam, qui de agro cum sua astipulatione conscriptus est, jubetur mitti in vase fictili, et emitur de pretio Domini ager figuli, **1149** et hoc: *Ad sepulturam peregrinorum*, sicut et illud testamentum emptionis vase clauditur figuli, in memoriam futurorum, ut significetur eorum permansio vel repausatio diu in terra captivitatis vel peregrinationis populi, quousque in libertatem filiorum Dei, præstante Deo, ipsa captivitas solvatur.

Introdusă în format electronic de Google

Cæterum illud quod subjecit Matthæus huic testimonio, cum ait : *Quem appretiaverunt filii Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*, nec apud Zachariam, nec apud Jeremiam legitur; unde magis ex persona beati Matthæi eleganter et mystice incertum est. Quia et ipse ex Domini revelatione cognovit, ad hanc rem quæ de Christi pretio facta est, hujusmodi pertinere prophetiam. Quærendum ergo qui acceperunt eosdem argenteos, quia et in hoc varietas codicum est; quoniam alii habent filii Israel, et alii a filiis. Quod si ad Judam referimus, qui accepit pretium appretiati Christi a filiis Israel, erit numerus pluralis pro singulari. Si autem filii legendum est, acceperunt illud .scilicet sacerdotes templi, quando Judas rejecit eos in templum, pretium appretiati Christi, quem appretiaverunt filii Israel; aut pretium appretiati Judas a filiis Israel, *Et dederunt eos in agrum figuli*. Quid horum melius sit, quia pene unus est sensus, legentis arbitrio derelinquo; quia et hoc, aut temeritas fecit emendatorum, aut varietas interpretum.

Jesus autem stetit ante præsidem et interrogavit eum præses dicens : Tu es rex Judæorum? Ecce completa est prophetia Christi, qua supra dixerat, quia *tradetur gentibus ad illudendum*. Et stat humilis ante tribunal superbi judicis. Qui quasi reum astare videt coram se, et utrumne sit *rex Judæorum* interrogat; quoniam hæc accusatio adversus eum permaxima fuerat Judæorum, ut invidiam et iram commoverent judicis, et terrorem ei inculerent, si eum defendere vellet ex persona Cæsaris. Sed perfidi principes etiam ex hoc impietatis suæ arguuntur elogio; qui nec falso quidem invenire potuerunt quod objicerent Salvatori; et tanto simulantur odio, ut etiam prophetarum de illo, quod rex esset qui venturus prænuntiabatur, noluerunt recipere testimonia. Pilatus tamen, quamvis alia falsa protulerint non verisimilia, de nomine regis, quod maxime formidabat, interrogat. Cui Dominus : *Tu dicis*. Diversa quidem Pilati, et principis sacerdotum est interrogatio, et **1150** diversa Christi responsio. Nam princeps ait : *Si tu es Christus Filius Dei vivi*, qui licet legem noverit, dubitative tamen quærit, et ideo, si quod dubitativum est, adjecit. Pilatus vero, etsi legis ignarus, interrogat magis pronuntiative : *Tu es rex Judæorum?* etsi quærere videtur. Nam et in titulo hoc confirmat, cum jussit scribi super crucem, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Quia putabat eum regem Judæorum esse. Et ideo ait, cum vellent illud Judæi eradere : *Quod scripsi, scripsi*. Cui, quia ita interrogat ut scire velit, respondit Dominus : *Tu dicis*. Quia per fidem hujus confessionis jam salus gentium et credulitas declaratur. Itaque Pilatus, qui legem ignorat, de se hoc ita loquitur, quod hi abnegant, qui semper antea in lege hoc loquebantur. Quapropter et principi sacerdoti sic responsum est : *Tu dixisti*. Hoc ideo quia lex omnis venturum Christum quotidie pronuntiabat, quasi diceret ei de præterito : *Tu dixisti*, quia eum in lege et ex lege quam sæpe, licet nolens, prædicasti. Hæc idcirco dixerim, quia non credo in divinis litteris aliquid superfluum, neque in Dominicis verbis ad doctrinam salutis quidquam esse vacuum. Unde huic, quia pronuntiantis interrogatione utitur, confirmantis dat responsionem. Illi vero cum ait : *Tu dixisti*, et obliquo ejus arguens dubitationem satis prudenter convincit. In omnibus tamen sic suam temperat sententiam, ut et verum dicat, et sermo ejus calumniæ non subjaceat. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit; Pilato quidem, quia invitus in eum promebat sententiam, dignatus est respondere aliquid, sacerdotes vero et principes populi indignos suo responso judicavit. *Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* Provocat eum præses, ut se purgaret a crimine, sciens vana esse et falsa quæ ei objiciebantur. Sed Jesus nihil respondere vult, neque ullis se excusare verbis, ne forte differretur a præside passionis ejus triumphus, qui eum liberare gaudebat et absolvere, quia videbat nullis eum subjacere criminibus : nec tamen dignum erat ut ei responderet, quia dubius incedebat, nec permanens in fide; et ideo de Christo nullum firmum ferebat judicium. Sed miseri Judæi, quibus adhuc hodie tacet verbum Dei, et nihil eis loquitur accusantibus Christum, neque per se, neque per prophetas, neque ulla divinitatis suæ oracula, quia Dominum **1151** prophetarum peremerunt. *Et non respondit ei verbum; ita ut miraretur præses valde vehementer*. Mirabatur autem constantiam ejus, mirabatur etiam quomodo sic taceret, quia idoneus erat sibi falsa illata a se removere, et se purgare a crimine. Quis enim non poterat admirari inter tantam rabiem accusantium, et clamores vulgi, et furores seniorum, cum videret eum tam tranquillum astare, tam mitem et quietum, cum omni gravitate imperterritum; qui petebatur ad mortem, et in nullo movebatur affatu. Fortior namque erat in eo virtus, quam humana natura se habeat. Et ideo poterat non solum admirari Pilatus, verum etiam vehementer, quoniam dignum ei videbatur pro magno miraculo admirari valde, ut exhibitus homo ad criminale judicium, et adjudicatus morti imperturbabilis maneret et imperterritus. Ut staret ante mortem, quæ omnibus terribilis est, sine ullo pavore mortis, et taceret sine ulla defensione sua, cum posset se, si vellet, in judicio defendere.

Per diem autem solemnem consueverat præses dimittere populo unum vinctum, quem voluissent. Ne mireris, auditor, si adhuc primordium gerens in eis Romana potestas, quia consuetudo fuerat Judæorum, ut in solemnitatibus suis, maxime paschali, quando liberati sunt ex Ægypto, ut peterent principibus suis unum reum quemcunque voluissent, quibuscunque esset criminibus involutus. Et quia noviter Judæi jugum susceperant Romanorum, servabatur eis lex et consuetudo, ut beneficiis provocati libentius Romanis deservirent, donec firmaretur jugum eorum super eos. Inde igitur est quod Saul petente populo

Introdusă în format electronic de Google

Jonathan absque offensa cum teneretur reus pro gustu mellis, etiam prodente Deo, mox a morte relaxat; quem decreverat etiam cum juramento, licet filius ejus esset, Saul interficere. Sed tamen petente populo Israel, quem parabat interficere, relaxavit ad vitam. Pro talibus etiam et hujusmodi causis, mos inolevit in Ecclesia Christi, pro reis et sceleratis, non solum judices sæculi ad vitam deprecari, verum etiam et Deum judicem universorum ab Ecclesia interpellari pro peccatoribus, ut solvantur a culpis et redonentur ad veniam, cui nunquam jure sine spe veniæ supplicatur. *Habebant autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis autem illis dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis, Barrabam an Jesum, qui dicitur Christus?* Barrabas autem **1152** *filius magistri eorum* interpretatur, qui propter seditionem et homicidia fuerat condemnatus; et ideo insignis dicitur fuisse non virtutibus, sed vitiis et criminibus. Quem Pilatus forte ad hoc eum talem elegit inter cæteros qui tenebantur rei, ut immanitas scelerum ejus cogeret Judæos Jesum petere, et Barrabam in mortem tradere. Ad hoc quippe offert eis optionem dimittendi quem vellent, latronem tam sceleratum, an Jesum, non dubitans Jesum potius eligendum, quam eum qui tantis criminibus tenebatur reus. Sciebat enim solummodo propter invidiam eum traditum; et nullam aliam crucis Christi causam esse, quam odium et invidiam. Sed miseri Judæi, qui de suo reatu nobis aliquod instruunt sacramentum, et eum eligunt qui propter seditiones et bella, necnon et homicidia facta reus erat, et repudiant Jesum Dei Filium, qui est nobis pax a Deo Patre constitutus, verbum Dei et sapientia Patris. Hi ergo duo cum sint vincti in rebus humanis et corporibus, quia Deus homo factus est, prior scilicet Adam et novissimus. Sed populus ille perfidus semper Barrabam absolvere rogat, propter quem non cessant seditiones facere, latrocinia quoque et homicidia, quia non recte sapiunt de Jesu, nec credunt in eum. Nam *in* anima in qua non est Jesus, illic seditiones sunt et lites ac scandala. Ubi autem est Jesus, est quidem in eis corpus mortuum propter peccatum, spiritus autem vita propter justitiam. Et sunt ibidem simul omnia bona, et innumerabiles divitiæ bonitatis; quoniam *ipse est pax nostra* Christus, *qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). A quo nimirum corpore quicunque mala agunt, soluti sunt, Christus autem cum suis tenetur vinctus *in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). A quo nimirum vinculo, Barrabas, id est *filius magistri eorum*, qui suis criminibus tenentur obnoxii, soluti relaxantur ad vitam pessimæ seditionis, a quibus in sæculo omnia mala generantur. *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi* sit *et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum, propter illum.* Quid autem viderit per visum non exponit evangelista, vel a quo passa sit; et ideo data est facultas nostris aliter vel aliter hanc visionem interpretandi. Unde nonnulli dicunt hanc visionem a diabolo immissam, et ab eo ipsam flagellatam, sentiens jam forte passione Christi se superari, ac mundum salvari. Idcirco egerit arte sua ut Christus liberaretur per mulierem; **1153** non quod de morte ejus curaret, sed ut reos quos tenebat captivos in mortem, per mortem Christi ne amitteret. Alii vero dicunt bonitate Dei factum fuisse, sicut quam sæpe gentilibus a Deo somnia revelata leguntur, ut in uxore Pilati gentilitas designetur, quæ justum Dominum confitendo, et etiam testimonium dat ad fidem non credentibus. Quapropter noluit evangelista præterire rem divinæ providentiæ, laudem Christi continentem, quia dignatus est per visum convertere ad confessionem Pilati uxorem, forte quæ per visum passa est, ne amplius pateretur. Propter quod, ut dixi, evangelista non exposuit visum, ut ampliora de pietate Christi liceat nobis cogitare. Quoniam beatam dicunt Pilati uxorem, quæ per visum passa est multa propter Jesum, et recepit per visum quæ erat passura in vita sua. Ex quo volunt quidam dicere, quod melius est recipere aliquem mala in visu, quam recipere in vita. Quis enim hoc non eligeret, nisi forte quia sunt multi quibus expediat acriora recipere in vita sua, potius quam leviora in visu? Consolatur ergo Lazarus, et requiescit in sinibus Abrahæ, quia recipit mala in vita sua, et non hæc mala quæ recepit in visu suo et in sensibus suis. Utrum tamen, vel si initium habuerit conversionis ad Deum hæc mulier eo quod propter Jesum multa passa sit per visum, Deus scit. Unum tamen scimus, quia Ecclesia Christi ex gentibus, quæ aliquando fuit uxor Pilati, per quem diabolus significatur, jam non ejus uxor est, sed Christi, cui per fidem passionis conjuncta est; et ipsa per fidem confiteri Deum, et advocare ad eum quoscunque potest non cessat.

Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populo ut peterent Barrabam, Jesum vero perderent. Respondens autem præses, dixit illis : Quem vultis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Barrabam. Quid autem in hoc dicam, nisi quia pene omnis iniquitas et prævaricatio plebium a senioribus est populi, quorum excitantur malis ad omne peccatum, quorum velle, quorumque nolle, omnes considerant et obsequuntur. Credunt enim turbæ principibus suis et sacerdotibus, nec multum intendunt quid præses velit, adhuc in eis novis utens legibus. Neque aliquid ipse tentat, nisi solummodo persuasionibus, sed ipsi sibi eligunt Barrabam, cujus magis sequuntur vestigia, et ideo volunt eum habere sibi solutum. *Dicit illis Pilatus : Quid ergo faciam de Jesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur*, etc. **1154** Ille siquidem vult eis pudorem tantæ iniquitatis incutere, sed illi non solum non erubescunt, quia eum Pilatus Jesum Christum confitebatur, verum admodum impietatis suæ furorem exaggerant et clamant atrocius, sine ullo retractationis assensu : Crucifigatur. Quod si denique petiissent Barrabam sibi dimitti, satis esset ad impietatis suæ augmentum. Nunc autem e contrario et Christum postulant ad

Introdusă în format electronic de Google

mortem. Quod si infelicissimi in potestatem dimisissent Pilati, ut faceret de Jesu quod vellet, tantum ut Barrabam eis absolveret, magnæ impietatis crimen esset, cum et scelestum petiissent sibi dari, et justum nollent, cum possent, liberare ad vitam. Nunc autem agunt quod scelestius est, quia proclamant eum in mortem, et non ad qualemcunque, verum ad turpissimam mortem, et petunt vocibus ut crucifigatur. Hoc quippe est quod Isaias dicit : *Exspectavi ut faceret judicium* (*Isa.* v, 7); fecerunt autem iniquitatem et non justitiam, sed clamorem. De quibus David : *Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me* (*Psal.* xxi, 17). Et Jeremias : *Facta est mihi hæreditas mea, sicut leo in silva, dederunt super me vocem suam* (*Jer.* xi, 8). Nec tamen Pilatus cessat contra impietatem eorum agere, ut confunderentur et resipiscerent a scelere suo. Quibus rursus ait : *Quid enim mali fecit ?* Contra hoc ergo non habentes quid dicerent, amplius clamaverunt, ac si clausi oculis ne recordarentur judiciorum Dei, non deponentes malitiam, sed augentes blasphemiam dixerunt : *Crucifigatur.* Ergo Pilatus, quantum ex se fuit absolvit eum in omnibus, maxime abnegando, quod nihil mali fecerit. Nam ejus interrogatio, abnegatio utique est, vel objurgatio, eo quod innocentem occidere velint. Absolvit quidem eum judicio quem postea crucifigit in mysterio. Unde videns Pilatus *quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis.* More Judaico ait, volens eis Christi innocentiam non solum verbis, verum etiam factis ostendere, si forte eos placare posset; sin autem, ut se innocentem probaret, et eos reos monstraret. Facit enim non secundum consuetudinem aliquam Romanorum, ut aqua manus lavet, sed juxta illud propheticum : *Lavabo inter innocentes manus meas* (*Psal.* xxv, 6). In cujus nimirum lavacro, nesciens gentium opera purganda, præfigurabat, ut ab impietate Judæorum nos alienos monstraret. Profitetur enim se innocentem Pilatus **1155** et Jesum justum, quod et uxor ejus confessa fuerat. Sed miser sua non abluit facta, dum obsequitur studiis alienæ crudelitatis. Lavit quidem manus, sed culpam non lavat; quia judex nec invidiæ credere debuit, nec timori, nec ullis adversantium impulsionibus, ut sanguinem condemnaret innocentem, quem prædicabat justum. Hoc est ergo quod ait : *Innocens ego sum a sanguine hujus justi*; ac si diceret : Ego quidem innocentem volui liberare, sed quia magis seditio oritur, et perduellionis mihi contra Cæsarem crimen impingitur, me hinc inde innocentem demonstrabo. Tolerabilior est tamen culpa judicis qui cogitur sententiam ferre contra Dominum quam Judæorum, qui propter perfidiam eum innocentem petunt in mortem. Pilatus quidem non damnat sibi oblatum, sed arguit multoties offerentes; justum esse pronuntiat quem coactus in mortem damnat; ac si diceret : Minister ego legis sum, sed vestra vox vestrique furoris clamor sanguinem fundit justum, vos videritis. Cui *respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Perseverat autem hæc imprecatio Judæorum usque in hodiernum diem, et sanguis Domini qui clamat de terra contra eos cum sanguine Abel in terram effusus, non cessat adhuc clamare, nec aufertur ab eis. Unde per Isaiam loquitur : Si levaveritis ad me manus, non exaudiam vos : *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* i, 15). O infelicissimi Judæi, qui filiis suis talem reliquerunt hæreditatem. Propter quod rei facti sunt, non solum in sanguine prophetarum, quem fuderunt, verum et in sanguine Christi, in quo compleverunt mensuram patrum suorum. Idcirco vastata est civitas eorum vastitate hostili, et ipsi dispersi sunt perfidi super omnem terram, usque in præsentem diem. *Tunc dimisit illis Barrabam, Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Fecerunt ergo in Barrabam, quod facturi et in Antichristo; jam enim arcanum futuræ infidelitatis præcessit in isto latrone, et ideo eligunt damnationi reservatum, potius quam salutis suæ auctorem, ut in omnibus compleantur vaticinia prophetarum, et ipsi suis adhuc indicent factis quæ facturi sunt filii magistri in antichristo, quorum magister diabolus est. Et ideo, ut dixi, Barrabas *filius magistri* interpretatur, ut ejus sequantur errorem cujus filii sunt. Porro Pilatus victus terrore Cæsaris obliviscitur verborum suorum, quibus cœperat defendere innocentiam Christi, declinat judicium ad facinus impietatis; et non solum tradit Jesum ut crucifigatur, verum etiam flagellis prius **1156** cæditur, sicut consuetudo est reorum. Quoniam Marcus dicit ideo fecisse ut populo satisfaceret, et cessarent ab interfectione ejus, cum viderent eum flagellatum.

Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorio, nullum disciplinæ ordinem servantes, nullamque gravitatem in judicio, more Romano tenentes, faciunt sibi lusum Jesum : *Et congregaverunt ad eum universam cohortem; et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Suscipientes quidem eum in atrio prætorii, sicut Marcus dicit, convocata universa cohorte, induunt eum purpura, illudentes, et in habitu regnantis eum confingunt, sicut in theatris solet fieri quando introducitur persona quælibet pro alia. Nec tamen eorum error vacat a mysterio, quoniam ipse Rex regum erat; qui ideo hæc omnia suscepit pro ludibrio, ut omnes suos schemate humilitatis reges faceret. Porro quod Matthæus ait, quia *chlamydem coccineam circumdederunt ei*, Marcus, *et induunt*, inquit, *ei purpuram* (*Marc.* xv, 17). Quoniam pro regio indumento chlamys illa dabatur ab illudentibus, quæ et in Joanne vestis purpurea vocatur, quia est purpura quædam rubra, cocco similima. Potest etiam fieri cum eadem chlamyde ut esset et purpura, quamvis esset illa coccinea. Quæ omnia hoc loco Matthæus per recordationem magis quam in ordine narrare videtur; quia sicut in Joanne monstratur, prius gesta sunt in prætorio apud Pila-

Introdusă în format electronic de Google

tum, quam ipse cum militibus jam crucifigendum tradidisset. Postea vero quam illuserunt ei, et fecerunt omnia ludibria in eo, *exuerunt chlamydem, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent*. Antea vero apud Pilatum hæc omnia quæ ab Evangelistis diverse narrantur, gesta sunt. Puto itaque in eodem spectaculo non defuisse principes ac milites tenebrarum qui convenerant, ac si cohors illa adversus Dominum et adversus Christum ejus, a quibus et isti delusi, talia contra consuetudinem meditabantur. Et ideo potius hæc delusio dæmonum erat quam hominum, ut in his etiam triumpharet Jesus. Quia non poterant præscire in hac dispensatione sacramenti sapientiam Dei; alias autem *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Ergo cohors illa multitudo militum erat; quia in una cohorte dicuntur trecenti, aut eo multo amplius milites esse, quorum numerus illam invisibilem designabat, contra quos dimicare Christus venerat; nec igitur iste sine magno mysterio, quamvis nescii, faciunt ista. Audierant enim quia rex fuerat nominatus Judæorum, et ideo illudunt nomini, non intelligentes quid **1157** agerent, cum ei imponunt schema regnantis. Nam clamys illa, ut dixi, coccinea seu purpura, mysterium erat signi coccinei, quod olim Raab meretrix ligaverat in fenestra in salutem domus suæ; necnon et Thamar ad manum pueri nascentis coccum alligat, in signo passionis Christi. Idcirco, quia mysterium erat olim prænuntiatum, suscepit illud Jesus in se, ut eum recognosceres, qui suo in sanguine mundum salvare venerat. Ipsi vero nescientes illudunt, ut eum depingant regem, et dicunt: *Ave, rex Judæorum*. Quia hoc ei crimen Scribæ et sacerdotes objecerant, quem nudatum pristinis vestibus induunt veste purpurea, et pro rosæ limbo quo reges veteres utebantur, et pro diademate ponunt ei coronam spineam; pro sceptro regali dant ei calamum, et adorant illudentes, quasi regem. Nos autem hæc omnia mystice intelligentes in prophetia, sicut Caiphas qui dixit, Oportet unum hominem mori pro omnibus, nesciens quid diceret : sic et isti quodcunque faciunt, licet perverso spiritu id fecerint, nobis tamen sacramenta salutis operabantur. Nam in chlamyde coccinea designantur opera gentium cruenta, quæ charitate Christi mutantur in coccum bis tinctum; quia in cocco charitas, qua induitur Christus, omnino exprimitur. In spinea vero corona, maledictum illud antiquum solvitur, ut terra deinceps nostra, quæ spinas et tribulos germinabat peccati, serta componat capitis Christi, et fiat Ecclesia sponsa ornata viro suo, cum diademate salutis. Fert ergo calamum in manu, quo venenata occidat serpentum genera; vel ideo calamum gestat, ut suos conscribat milites in æternitate, et sacrilegium non omittat conscribere Judæorum. *Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus*, ut compleretur quod scriptum erat : *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me* (*Psal.* L, 6). O patientia benignissimi Dei! quam æquanimiter omnia fert! nec avertit se a confusione sputorum, nec movetur cum percutitur arundine, secundum Isaiam prophetam, et arundinem quassatam non confringet, sed omnia in se fert peccata nostra, quæ erant rubra ac si vermiculus, ut quasi nix per eum dealbarentur, et fierent alba vestimenta nostra, *Qualia fullo non potest facere super terram* (*Marc.* IX, 3). Sed mirum quid voluerit evangelista cum ait, quia exuerunt eum rursus chlamydem coccineam. De corona vero spinea, quod deposuerunt eam a capite, semel illi illatam, tacuit, et non est scriptum, neque quia detraxerint eam, et hoc non absque magno mysterio esse arbitror. Licet enim in chlamyde **1158** coccinea, et in spinea corona voluerit monstrare, quod nostra peccata super se tulerit, longe tamen aliter est, quia vestem deposuit, et spineam coronam non mutavit, sed, ut ita fatear, in se consumpsit ut spinæ deinceps in eo non essent, neque alicubi essent. Et ideo per chlamydem coccineam, caro, in similitudinem carnis peccati assumpta, designatur. Unde et in Zacharia, vestimenta Jesu sacerdotis sordida leguntur, non peccato infecta, sed quia corruptibilia in similitudinem carnis peccati, sanguine proprio penitus purpurata. Quam sane corruptionem, quia amisit, quasi coccineam vestem, mutavit per passionem crucis, cum immortalitatem, quam semper habuit, recepit. Porro spinas quas in capite gestavit non mutavit, nec alicubi transposuit, sed consumpsit; ita ut in capite Jesu non spinæ, sed lapides resplendeant pretiosi. Hinc quoque dictum est, quia in diademate capitis Aaron lapides fulgebunt sanctuarii. Caput namque Christi Deus est, in quo spinæ esse non possunt, et ideo in eo lapides jure resplendere dicuntur, quia qui in eo sunt, peccatum habere nequeunt. Idcirco ab Evangelista corona illa non detracta neque deposita dicitur, quia consumpta a capite Jesu peccata, ut jam non sint spinæ, recte creduntur. Sustulit enim ea super venerabile caput suum, et abstulit a nobis ut non sint, ac consumpsit. In cujus dextera calamus, ut aliter dicam, ideo ponitur, ut fragilitas Ægypti, cujus rex baculus arundineus vocatur, in ipso, ut ipsi sibi fingunt, configuretur, sed sacramentum est regnantis Dei, cujus etiam lingua, *calamus scribæ velociter scribentis*, dicitur, et *virga directionis*, *virga regni* ejus (*Psal.* XLIV, 2, 7). Suscepit quidem sceptrum fragilis regni de manibus nostris, in quo nos male confisi, diu innisi sumus ut triumpharet, et contereret eum in ligno crucis; pro quo calamo sceptrum regni cœlestis, et virgam æquitatis dedit nobis, de qua virga canimus in Psalmo : *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXI, 4). Sicque totus habitus ab his in eo depingitur regis, ut et persona introducatur regnantis, et mysterium declaretur, velint nolint, nostræ redemptionis. De qua itaque virga Paulus apostolus gloriabatur : *Quid vultis*, inquit; *in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?*

Introdusă în format electronic de Google

(*I Cor.* IV, 21.) Sed et baculum, ut rite Pascha celebremus, cum Domino tenere debemus in manibus. Quia quidquid leve fuit in nobis, quidquid vacuum et vanum totum amisimus, ut in baculo Christi sustentemur, et virga corrigamur directionis Dei. Sed misera sæculi potestas, et vana hominum præsumptio, **1159** quæ tantum innititur pompis mundi, et calamo vanæ præsumptionis, ut adhuc hodie calamo caput Jesu venerabile percutiat. Et hum in se impiissimi homines erigunt contra Deum atrem, caput Salvatoris nostri (quorum potestas vana est) feriunt calamo, et conantur ejus destruere regnum. Ecce imposita est Jesu chlamys coccinea et vestis simul purpurea, ecce in capite ejus corona spinea, et arundo in dextera; attamen flexis genibus adoratus illuditur. Susceptis igitur omnis corporis nostri infirmitatibus, triumphat et ostendit quid in membris suis fecerit. Ecce omnium sanctorum martyrum ordo, quorum regnum in eo erat, quod gloriosissime sanguine colore cocci perfunditur. Ecce prophetarum ac patriarcharum numerus purpureo honore vestitur, spinisque, id est omnium peccatorum nostrorum aculeis coronatur, ut nos evacuati a malis, corona in capite ejus esse possimus. Ex quibus omnibus Christi victoria et diadema contexitur. Sic quoque et in calamo infirmitas omnium gentium, atque inanitas eorum, manu comprehensa Salvatoris sanatur, et firmatur natura fragilis; ita comprehensa manu Christi, etiam pretiosa in capite, ac si corona decoris, resplendeat. In quibus omnibus, ut dixi, Christus dum illuditur, adoratur, adoratus vero in Deum colitur.

Exeuntes autem invenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem, hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Homo autem iste de Cyrene fuisse narratur, quæ est Pentapolis juxta Libyam. Et ideo quia magnum in eo formatur sacramentum, ab evangelistis tam diligenter, quis sit et unde sit commentatur. Erat enim ex gentibus, qui non fortuitu obviam venit, sed sicut sæpe dixi, ex providentia Dei, ut in eo jam monstraretur quod gentes crucem Christi portare deberent, et comparticipes passionis ejus fieri. Indignus enim erat quilibet Judæus crucem Christi portare, quia fidei gentium erat concessum eam suscipere et post Jesum ferre. Licet Joannes dixerit quia *susceperunt Jesum et eduxerunt eum, et bajulans sibi crucem exiit in eum locum, qui dicitur Calvariæ* tamen verum est quod reliqui tres dicunt, quia exiens a prætorio Pilati, ipse sibi prius, ut ratio erat, portabat crucem, ut veniret portans eam in Golgotha, quo crucifigendus erat. Ac per hoc utrumque verum est, primum quod Joannes dicit, deinde quod alii, quia postea cum obviam venit Simon ille, angariatus est ut tolleret crucem Jesu usque **1160** ad locum. Congrue quidem satis, quoniam Jesu prior eam pro nobis portavit, tunc demum in via pro eo nos eam ferre necesse est. Et in hoc ipso eodemque facto, honor regius prædicatur, ne sine ministro Rex ad victoriam procederet, qui triumphum ejus portaret. Nec immerito igitur, ipse Simon vocatur, quod interpretatur *obediens;* quia nemo crucem Christi, nisi obediendo portat. Unum ergo est si dicamus Simeon, aut Simon, quia utrumque nomen, juxta proprietatem Hebraici sermonis, obedientiam sonat. Et ideo unus eorum post Jesum crucem in angaria portare festinat; alter vero suscipiens eum in manibus suis ad templum Jerusalem, exsultans ferre inter brachia, quamvis jam senex, gaudet. Uterque tamen eorum obediendo promeruit, ut dignus tanto munere esset, quæ licet angaria vocetur, nunquam tamen digne, nisi obediendo, fertur; ac per hoc ex nomine, jure obedientia vocatur, et ex præcepto salutis nostræ, nihilominus angaria probatur esse. Sed Jesus dignanter eam prius portat, et in finem in ea ipse crucifigitur, etiam quotiescunque membrum Christi aliquod, mundo crucifigitur et ei mundus cruci affixus tenetur. Nec hoc igitur vacat a mysterio quod secundum Joannem, Christus crucem suam solus portare dicitur, secundum reliquos vero non ipse, sed alius eam portans introducitur; sicut et quando tentabatur, quia secundum hominem eamdem tentationem susceperat unigenitus Deus, tres isti eam exponunt: Joannes, quia divinam ejus naturam susceperat explanandam, nullam ex eadem tentatione habuit mentionem. Sic et hic imponentibus illis qui susceperunt eum, crucem suam, quæ omnium est, portans ipse ab omni labore juxta divinitatem, egressus est liber in eum qui dicitur Calvariæ locus. Verumtamen portat eum ipse Simon factus obediens Deo Patri, simul cum membris suis, qui sub nomine hoc censentur, et inveniuntur in via. Ipse sibi juxta Joannem tropæum suum victor attollit, dum crux super humeros ejus imponitur, *et factus est*, secundum prophetam, *principatus* ejus *super numerum ejus* (*Isa.* IX, 6). Nam tropæum crucis, sive Simon, sive ipse portaverit, in sacramento pene unum est, quoniam et Christus in homine, et homo eam portaverit in Christo. Nec discordant igitur evangelistarum sententiæ, quando concordat mysterium, et bonus ordo in quo noster perfectus prædicatur, quando prius crucis suæ tropæum ipse in se erigit, deinde martyribus erigendum, et cunctis credentibus **1161** contradidit. Nec præcedit igitur qui crucem Christi portat, sed sequitur sicut ipse ait: *Qui vult post me venire, tollat crucem suam et sequatur me* (*Luc.* IX, 23). Non enim suam, sed nostram portat crucem; et ideo jubemur nos nostram portare crucem. Quia et si sua est, in qua patiatur homo Deus, nostra tamen est qua redimimur et salvamur. Idcirco sicut Deus tentari non potest, ita nec pati. Unde pulchre Christus ascensurus crucem, regalia vestimenta deposuit, ut scias quasi hominem passum, et non quasi Deum regem. Quia et si utrumque Christus, quasi homo tamen, et non quasi Deus, crucifigitur. Et mira dispensatio Dei, milites, in prophetia, nescientes, sapienter sciunt quo tempore illa, vel qualia Christo vestimenta conveniunt. Porro Calvariæ locus, decollatorum erat, et eorum qui diversis

Introdusă în format electronic de Google

in mortem afficiebantur cruciatibus. Ibi ergo crucifigitur Dominus, ubi prius area erat damnatorum, ut ibi erigerentur deinceps vexilla martyrum. Et quomodo pro nobis maledictum factus est in cruce, sic pro omnium salute, quasi noxius inter noxios, flagellatus suspenditur medius. Et ideo nec verisimile videtur illud quod quidam tradunt de Adam, quasi ibi fuerit sepultus, ut distillaret sanguis Christi super tumulum ipsius, et ideo dicatur locus Calvariæ, id est capitis, propter caput humani generis, ut resurrectionem inveniat, cum populo universo, per resurrectionem Christi, protoplastus ipse. Quoniam inconveniens erat, ut aiunt, ut cum multi ex eo nati remissionem acciperent peccatorum, et resurrectionis gratiam in Christo, ne magis ipse pater omnium, hujusmodi gratiam consequeretur per Christum, ac si aliter salvus esse non posset, nisi mentiatur Scriptura divina, quæ dicit eum in Hebron fuisse sepultum. Quod si hoc ita esset, cur et alii eo in loco damnarentur? Ex quo apparet Golgotha non sepulcrum primi hominis fuisse, sed locum decollatorum, ut daretur judicium, ubi abundat peccatum, superabundandam esse et gratiam. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.* Hoc est autem *myrrhatum vinum* quod Marcus ait, quia Matthæus *fel* pro *amaritudine* posuit; quoniam myrrhatum vinum amarissimum est; quanquam fieri potest ut et fel ac vinum et myrrham miscuerint, ut amarius esset, quatenus hæc potio omnem amaritudinem eorum carne et anima, seu spiritus exprimeret, per quam sane plena passionis amaritudo designatur. Sed Christus, *cum gustasset,* **1162** ut præsens evangelista loquitur, *noluit bibere.* Et hoc est quod Marcus ait, *non accepit*, id est ut biberet, quamvis gustaverit. Et mira dispensatio Dei sic universa dispensat, ut expletio prophetiæ compleatur in facto, et res gesta divina demonstraret sacramenta. Nam aliud est gustare, et aliud bibere. Quia gustavit quidem mortem, sed noluit in toto eam bibere, quoniam die tertia resurrexit. Sufficit enim nobis ut gustaret pro nobis mortem. Et ideo cum gustasset noluissetque bibere, dixit : *Consummatum est.* Hinc namque loquitur Deus per prophetam Jerusalem? *Ego te plantavi vineam electam* (*Jer.* II, 21); quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ? Amara quidem vitis amarum vinum fecit, quod propinavit Domino Jesu, ut impleretur quod scriptum est : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). Præsentem autem capitulum per anticipationem loquitur Evangelista, quia hoc completum est postquam in crucem Dominus ascendit; quæ nimirum completio mortis gustus fuit. Non enim æternæ gloriæ Christi et incorruptioni deinceps amaritudo miscetur corruptionis. Quoniam aliud est hoc vinum, quod mistum cum felle gustavit, et aliud illud quod, cum discipulis suis, se bibiturum in regno Dei novum repromisit.

Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt sibi vestimenta ejus, sortem mittentes. Hoc namque est, quod in Psalmo ipse de se per Prophetam prædixerat: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI, 19). Hanc namque prophetiam apertius Joannes explanat, qui ait quod milites, postquam crucifixerunt Christum, *acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem* (*Joan.* XIX, 23, 24). Tunica autem, quia erat inconsutilis et a sursum textilis per totum, *dixerunt ad invicem* : *Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cujus sit.* Non enim eam omnes acceperunt, sed qui sortiti sunt eam sorte hæreditatis Christi. Væ his qui hanc scindere conantur tunicam, quæ desuper contexta est per totum; quod nec ipsi milites considerantes, mirabile opificium fecerunt. Nec tamen eum omnes acceperunt, sed qui sortitus est eam sorte bona. Neque igitur credimus aliquod vestimentorum ejus in alia partitione conscissum, sed unum quodque eorum integrum unicuique permansisse. Verumtamen, qualia illa fuerint vestimenta ignoramus, sed quanta in eis sint sacramenta scire desideramus. Quorum partes singuli evangelistarum sortiti sunt, sed una inconsutilis contexta desuper per totum, permanet uni, **1163** et omnibus una. De quibus profecto vestibus, qui nullam sub omni quadrato cœli cardine partem habuerit miser est, quoniam nudus ambulat; et qui quod omnes habent in unitate, scindere voluerit, miserabilior est. Idcirco Christi vestimenta sic sorte dividenda sunt inter omnes, ut unitas non corrumpatur, sicque unitas servanda, ut singuli partes suas custodiant. *Et sedentes, servabant eum.* Diligentia siquidem militum et sacerdotum nobis proficit usque in hodiernum diem, ut major appareat veritas, et apertior virtus resurgentis. Quoniam servabant jam corpus crucifixi, submissi a principibus sacerdotum, quasi furandum a discipulis, si non servaretur, quos testes esse fecit, si vellent proferre verum, veritas resurrectionis. *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam,* HIC EST JESUS REX JUDÆORUM. Mos siquidem erat eorum scribere causas damnatorum, et ideo Christi titulus et causa mirabiliter super caput ascribitur. Nec simpliciter ut aliorum, sed tribus linguis insignitur, in quibus universus orbis tripartitus litterarum studiis permaxime regulatur. Nec vili in loco, sed super caput, ac si tropæum regnantis, ut cunctis pateat legentibus, attollitur. Nec igitur possum digne admirari pro rei magnitudine providentiam Dei, quæ de adversariorum erroribus sua ubique præstruit sacramenta. Ecce redemptis jam supra falsis testibus, ecce seditio a principibus sacerdotum, et senioribus concitata est multis persuasionibus. Ecce conductus est miser populus ad clamorem et petitionem mortis Christi, nec tamen inveniunt causam, qua digne moriatur, nisi quod rex esset Judæorum. Sed quamvis illudentes illi hoc fecerint, tamen verum fuisse ex prophetia firmatur quæ dicit : Inscriptionem tituli ne corrumpas. Quod Pilatus testimonium, quasi obediens Scripturæ di-

Introdusă în format electronic de Google

vinæ, quan vis ignarus, dicit et firmat, *Quod scripsi, scripsi;* ne titulus contra divinum præsagium in aliquo corrumperetur; ac si diceret: Quod scripsi, utique verum scripsi, non solum quia ipse dixit, ut vos dicitis, sed quia est vere rex Judæorum. Qui de se loquitur in Psalmis: *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, id est a Deo Patre, *super Sion, montem sanctum ejus* (*Psal.* II, 6). Ecce, ut cernitis, fratres, sive occasione, sive ex veritate, sive alia qualibet ex causa Christus annuntietur rex et Deus; Scripturarum omnis littera testatur, regnum ejus regnum sempiternum, sive **1164** Hebræorum, sive Græcorum, sive Latinorum. Et ideo non fortuitu Pilatus fecit, sed divino appulsus nutu. Scribitur autem causa Jesu *super caput ejus*, et ponitur ac si corona sacerdotalis, quam portabat sacerdos ex lege, in capite suo, formam habens pontificatus Christi. Et ideo laminam conscriptam ferebat auream in fronte, ut verum præsignaret pontificem Jesum, cujus nunc titulus quis sit, et quid sit, vere sine corruptione, super crucem, ac si in fronte ponitur, ut cunctis liqueat legentibus, quod ipse est Jesus verus pontifex, rex Judæorum. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris et unus a sinistris.* Hoc quippe factum est, ex magna providentia Dei, quia rex et omnium sanctorum ne solus levaretur in cruce; nam crux Christi ac si tribunal judicantis erigitur. Et ideo duo crucifiguntur cum eo, ut tota simul in cruce causa judicii formetur; cum duo rei hinc inde ponuntur; unus quidem a dextris, et unus a sinistris; medius vero Christus innocens damnatur. Par siquidem pœna, sed dispar causa: non enim unum omnibus sententia judicantis facit meritum, neque pœna æqualis omnes ad unum ducit exitum. Ideoque rex Christus innocens, in medio justus affigitur, ac si de his judicaturus, qui in dextris aut sinistris erunt. Alioquin, nisi judex esset innocens et omnipotens, nec reis clementer veniam in dextris dare posset, nec supplicium his qui in sinistris erunt, justo suo determinaret judicio. Quapropter innocentia, quamvis injuste damnata, gloriosius clarificata absolvitur, et reorum pœna decernitur. Quamvis enim omnes rei sint pro pœna peccati, et merito puniantur, tamen hi soli salvantur, quibus a justo judice Deo indulgentia et pietatis confessio datur. Etenim qui in sinistris erunt, blasphemia et infidelitas, secundum duritiam cordis eorum, in quibus punientur, juste relinquitur. Et ideo, ut dixi, tota causa judicii, et status causarum, ac si ante tribunal æterni judicis, præstruitur. Unde quod in cruce factum est, universitatis judicii adimpletio est, et prophetiæ exhibitio, de qua dicitur: *Cum iniquis deputatus est* (*Marc.* XV, 28). Et non qualitercunque, sed medius ponitur, ac si rex et judex inter Judæos et gentes. Ut oves quidem statuat in dextris, hædos autem decernat in sinistris, quia *justitia plena est dextera* ejus (*Psal.* XLVII, 11). Factum est itaque ita ut in medio duorum animalium cognoscatur. Quod si bene perpendis, invenies quod in hoc **1165** triumpho crucis, omnia determinantur salutis sacramenta, et concluduntur universa judicia, et præstantur æternæ vitæ præmia.

Transeuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas. Hoc ergo dicebant, quasi dixerit, Possum destruere et reædificare. Ubi et alii codices habent, *qui destruis templum, et in triduo reædificas, salva temetipsum.* Sed unus est sensus, quia sæpe interdum insultando, hæc ad turbam et ad ipsum loquebantur. Sed quod ait transeuntes, melius in Græco habet prætereuntes, ut signanter illud de Psalmo intelligamus, *ut quid destruxisti maceriam ejus*, id est vineæ, quam de Ægypto transtulerat, *et vindemiant eam*, inquit, *omnes qui prætergrediuntur viam* (*Psal.* XCVII, 13). Prætereuntes autem erant, qui etiam macerie vineæ dissoluta, vindemiabant eos qui remanserant in fide, laudantes Deum. Quandiu enim quisque non declinat a via Dei, potest dicere Deo: Statuisti supra petram pedes meos. Et ideo non blasphemat Jesum, qui est caput Ecclesiæ, quia in eo, fide fixus stat, nec potest movere caput, sicut qui præterit, vel transit, vel declinat a via Dei. Quod si fecerit, tunc eum blasphemat, et insultat, dicens: Vah. Juxta illud: *Viderunt et moverunt capita sua* (*Psal.* CXIII, 7). *Vah* enim interjectio est insultantis, vel irridentis. Omnes enim non habentes firmum caput, sed moventes eum sursum atque deorsum, non sunt prudentes, nec habent oculos in capite suo, neque caput firmum in fide tenent, id est mentem, ne moveatur, sed rotatur ut funda mens, et conscientia eorum ad singula. Noluerant igitur hi ambulare recto itinere Scripturarum, neque vias vitæ cognoscere, ut starent in via Dei. Et ideo prætergrediebantur, *moventes capita sua*, quia moverant pedes ne starent in petra, quæ Christus est. Et dicebant: *Salva temetipsum, si Filius Dei es, descende de cruce.* Fatui enim, fatua insultando dicebant: *Vah qui destruis templum.* Dicebant ergo illud, quod falsi testes supra sibi mendose confinxerant. Non enim dixerat quod ipse destrueret templum Dei, sed, *Solvite, et ego post triduum reædificabo illud.* Quia quod alii destruunt, ipse reædificat, sive templum corporis sui, sive templum martyrum suorum, et omnium eorum qui habent testimonium Dei in se. Unde ipse ait: *Venit enim hora, quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*, et resurgent (*Joan.* V, 28).

1166 *Similiter et principes sacerdotum illudentes, cum scribis et senioribus, dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Quam miseri sacerdotes et Scribæ, qui legerant omnia de Christo quæ a prophetis dicta sunt, qui viderant quod confitentur, viderant utique quod alios salvos fecerit, et irrident. Vestra vos itaque, Pharisæi, condemnat sententia, qui credere noluistis. Ad clamorem namque vulgi excitantur. Vulgus itaque dicit, quamvis insultando: *Salva temetipsum*; et: *Si filius Dei est, descendat de cruce.* Isti negando e contrario clamant, quia *semetipsum* non potuit *salvum facere*, et tamen

Introdusă în format electronic de Google

confitentur, quia *alios salvos fecit*. Unde deteriores quam vulgus sunt, quia quod legerunt quia Filius Dei est, non credunt, nec requirunt, et quod viderunt contemnunt, et quod omnino potuit in alios, negant in se quod possit. Negant et confitentur. Qui vere si vellet et seipsum salvare poterat, qui potuit seipsum resuscitare a mortuis tertia die, ut prædixerat. *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.* Fraudulenta nimis et falsa promissio. Quid fuit plus de cruce adhuc viventem descendere, an de sepulcro mortuum resurgere? Surrexit tamen, et credere omnino noluerunt cum resurrexit, verumetiam copiosam militibus pecuniam dederunt, ne testes essent ejus resurrectionis, et mentirentur eum sublatum fuisse. Sciebat enim omnia Jesus et præsciebat; ideo magis quod oportuit fecit quam fecisset, si descenderet propter eorum irrisionem. Hoc quippe fecit, ad quod venerat. Forte et hoc adversariorum instinctu, seniores populi, non suo consilio dixerunt, quantum mihi videtur. Quia ut crucifixus est Dominus, statim crucis senserunt virtutem, et intellexerunt vires suas esse jam fractas. Unde callide hoc agunt per eos quos invaserant, ut de cruce descenderet, priusquam triumpharet de illis et mortis destrueret imperium. Sed Dominus, sciens eorum insidias, permanet in patibulo, ut omnes tartareas vinceret legiones, victorque remearet ab inferis. Hinc more suo diabolus, ut in prima tentatione, adhibet prædicamenta exhortationis iniquæ. *Confidit animem in Deo, liberet eum nunc si vult, dixit enim quia Dei Filius sum.* Hoc et supra requirebat, si Dei Filius esset, callidus explorator, non ut devotus, sed ut insidiator. Et ideo ad confidentiam eum provocat, sicut et supra ad angelorum auxilium, non ut eripiat, sed ut exploraret, **1167** exploratoque eo, per fraudem ut decipiat. Non enim parva esset deceptio, si extra rationem ad insultationem eorum contra propositum suum, contra auctoritatem omnium prophetarum, contra omnem ordinem salutis nostræ, contra voluntatem paternam, de crucis fastigio descenderet, priusquam moriens, mortem debellaret, et victor de inferno ascenderet. Idcirco cavendæ sunt semper insidiæ pessimi insidiatoris, ne a bono proposito ejus revocemur fraudibus, antequam palma victoriæ vincentibus nobis detur in manibus. *Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Ubi Lucas longe aliter dicit, cum ait: Et *unus de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos.* Deinde ait: *Respondens autem alter increpabat illum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es; et nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit, et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 39, 40, 41, 42, 43, 44). Hæc omnia dixi ut videas quam longe aliter se quam sæpe loquuntur inter se evangelistæ, vel quam diverse, uno quidem spiritu, sed non diverso intellectu. Etsi plus alius loquatur quam alius, vel si diverse loqui videantur, ut hic ubi Matthæus et Marcus duos blasphemantes introducunt. Et latrones, inquiunt, *qui crucifixi erant cum eo, convitiabantur ei* (*Marc.* XV, 32), seu blasphemabant eum; ubi Lucas, ut dixi, non duos blasphemasse, sed unum tantummodo dicit; alterum vero non solum credidisse, verum etiam et socium compescuisse, ac pro se rogasse. Ubi ipsa diversitas auditorem requirit prudentem, et non litigatorem veritati contradicentem. Hinc modus requirendus quo loquuntur, quoniam pro uno latrone duo dicuntur blasphemasse, vel convitiasse Dominum, sicut quam sæpe in Scripturis solet fieri, non solum divinis, verum etiam et humanis, ut pluralis pro singulari ponatur numero, sicut hoc loco brevitatis studio Matthæus et Marcus fecerunt, pluralem pro singulari ponentes. Hinc quoque in Epistola ad Hebræos Paulus ait: *Concluserunt ora leonum* (*Hebr.* X, 33, 37), cum solus Daniel hoc fecisse intelligatur. Et illud, *Secti sunt*, pluraliter, cum solus Isaias a vertice capitis servatus per medium usque deorsum tradatur. Sed quia pagani solent calumniari Evangelio Christi, videant et ipsi quemadmodum locuti sunt auctores eorum, Phædras, Medæas, **1168** et Clytemnestras pluraliter dicentes, cum singulæ fuerint feminæ. Qui enim tropus usitatissime ponitur, quem synecdoche dicunt, quando unus pro multis, aut multi pro uno ponuntur, seu pars pro toto. Verbi gratia, cum dico: Et rustici mihi insultant insipienter, etiamsi unus insultet. Nam et in Psalmo dictum est: *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum* (*Psal.* II, 2); pluralis quidem pro singulari positus est. Sicut in Actibus apostolorum expositum est, ubi Petrus reges propter Herodem, et principes propter Pilatum intellexit, quando testimonium ejusdem psalmi adhibuit. Poterat enim fieri ut prius ambo improperarent ei, deinde unus eorum conversus, videns mira quæ fiebant, confiteretur Domino, eo quod ejus clementia commotus esset ad pœnitentiam. Quod satis congruit ad utrumque populum, dum ambo insultabant ei; sed postmodum unus blasphemus remansit, alter vero confessor Christi factus, veniam implorare non cessat. Cui benignissimus Salvator, ac si in tribunali suo positus, *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso*, quia hi cum Domino erunt quibus venia donatur. Nec videtur contraria ista expositio ad concordiam evangelistarum, sed absolutior sensus superior esse videtur. Præsertim quia non isti dixerunt ambos latrones Domino convitiasse, quia tunc non posset sub numero plurali unus intelligi. Nunc autem quia dictum est solummodo latrones, vel qui cum eo crucifixi erant, nec additum est ambo, quia unus hoc fecit, potuit, ut dixi, eo locutionis genere per pluralem numerum, unus significari; eo quod in his duobus electorum ordo monstratur ac reproborum. Quia sicut qui in dextris erunt nunquam sine dono veniæ salvantur, ita qui a sinistris, nunquam sine

Introdusă în format electronic de Google

spiritu blasphemiæ, quæ est impœnitudo cordis, damnari jure creduntur. Unde ille qui salvatus est mysterium portat Judæorum, et eorum qui post multas iniquitates et peccata, credunt in Christum. Qui possunt dicere, configurati in morte Christi cum Apostolo : *Nobis autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis mundus crucifixus est, et nos mundo* (*Galat.* VI, 14). Ille alter in suis permanens blasphemiis, eos insinuat, qui nec post triduum reædificatum Dei templum, in Christum, nec in corpore resurrectionis ejus credunt, quoniam hoc permaximum et difficillimum est, ut credant. Idcirco conditionem Christi et passionem **1169** exprobrant, in qua positus, majora virtutum opera egit, cum totius communione naturæ. Nam mortem moriendo destruxit; æreas potestates devicit; inferni jura dissipavit, suosque inde liberavit. Terra tremuit, petræ, ubi vel ubi, conscissæ sunt, monumenta aperta sunt, et corpora mortuorum viva reddita sunt, velum templi scissum est, a summo usque deorsum.

A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Fuerunt qui dicerent Dominum hora tertia crucifixum, et a sexta hora tenebras factas usque ad nonam, ut consumptæ intelligantur tres horæ ex quo crucifixus est, usque ad tenebras factas, quia Marcus ait : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* Poterat itaque hoc rectissime ita intelligi, nisi Joannes diceret, *hora quasi sexta*, Pilatum sedisse pro tribunali, *in loco qui dicitur Licostratos, Hebraice autem Gabbatha.* Sequitur enim : *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta, et dicit Judæis, Ecce rex vester*, et cætera (*Joan.* XIX, 13, 14). Quod si hora sexta erat, Pilato sedente pro tribunali, quando traditus est Judæis, quomodo hora tertia crucifixus est? sicut verba beati Marci quidam intelligentes, voluerunt? Jam enim retro dixerat Marcus : *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus.* Si ergo ejus rei gestæ tempus voluit commemorare, sufficeret ei dicere tantum : Erat autem hora tertia. Ut quid ergo quod retro jam dixerat, adjunxit, *et crucifixerunt eum?* Nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod a doctissimis Spiritu sancto reserante, quæsitum, inveniretur. Nam scriptura ista jam temporibus beati Marci legebatur, quando universæ Ecclesiæ notissimum erat, qua hora Dominus in ligno crucis suspensus esset. Unde posset ejus error vel corrigi, vel mendacium a plurimis confutari. Sed factum est ex divino consilio, quia sciebat evangelista a militibus Pilati Dominum crucifixum, et non a Judæis, ut ipsi aiunt. Quia nobis non licet interficere quemquam, ut fraus Judæorum amplius patefaceret. Sed hoc voluit ostendere in hoc dicto eos magis crucifixisse Dominum, qui clamaverunt ut crucifigeretur, quam illos qui principi suo paruerunt, et legibus humanis. Nam ministerium militiæ suæ adimplentes, hoc fecerunt secundum officium Romanæ disciplinæ. Probatur ergo tunc hora tertia fuisse, quando clamaverunt Judæi *Crucifigatur;* et ideo verissime demonstratur ab evangelista tunc **1170** magis eos crucifixisse eum, quando clamaverunt. Quorum tumultum non ferens Pilatus, tradidit eis, longe diu deliberans apud se ut crucifigeretur. Sed quia nolebant videri se hoc fecisse, ut eorum verba declarant, maxime juxta Joannem, idcirco patefecit hoc evangelista eos fecisse hora tertia; ac verissime comprobat, magis eorum linguam interfecisse Dominum quam militum manus; quia *lingua eorum* ut *gladius* sæviebat *acutus* (*Psal.* LVI, 5); et : *Venenum aspidum sub labiis eorum* efferbuerat (*Psal.* XIII, 3). Quisquis autem dixerit non fuisse horam tertiam, cum hoc Judæi primitus clamaverunt, legat beatum Augustinum de concordia evangelistarum, et inveniet se inaniter laborare. Etsi aliam invenerit rationem qua possit hanc exsolvere quæstionem, nec ista omittenda est expositio, quoniam plena sunt singula sacramentis. Et tanto fecundior probatur singularum sententiarum expositio, quanto fuerit locupletior sensibus. Quod si forte invenerit aliud quod dicta, non habebit tamen unde convincat non fuisse tunc horam tertiam, quando linguis Judæorum crucifixus est Dominus, et horam sextam quando *factæ sunt tenebræ super universam terram*, et Dominus ab eis suspensus est in ligno. Sicque neuter eorum discrepat a vero; neque Marcus, qui dicit Dominum hora tertia crucifixum, neque Joannes, qui ait, quia *hora erat quasi sexta* cum sedit Pilatus pro tribunali, et nondum plena sexta erat, quamvis jam aliquid de sexta esse cœperit. Sicque deinceps per totam horam illam peracta sunt hæc quæ narrantur in crucifixione Domini nostri, donec completa sexta illo jam pendente, fierent tenebræ, quibus tres evangelistæ attestantur, Matthæus scilicet, et Marcus, atque Lucas, *super omnem terram.* Quod si hæc solutio alicui non satis esse videtur, ne evangelistæ discrepare videantur, audiat quid Hieronymus dicat potuisse fieri, ut vitio librariorum dissonantia horarum inter evangelistas provenerit, propter duas Græcorum litteras gammam videlicet et episomam, quarum γ in numero eorum tres significat, episoma vero, sex. Unde forte, quia in characteribus suis nonnullam similitudinem habent, potuit fieri in Græco, ut aliquis scriptorum episomam pro sexta, ut assolet apud Græcos, positum invenerit, et putaverit esse gammam, quæ tres exprimit in numero, et ideo pro sexta hora, apud Marcum, tertiam posuerit; sicque deinceps ex unius codicis **1171** vitio, cæteri fuerint depravati. Sive, ut alii volunt, una eademque hora est ab evangelistis quæ varie narratur tertia, seu sexta; quia de nocte in qua captus est Dominus, tres horæ supererant usque ad exordium diei, et tres deinde usque ad tertiam diei horam, quæ recte tertia vocatur a Marco, sexta vero a reliquis evangelistis, quia ipsa tertia, diei sexta invenitur, ex eo tempore quo captus est Dominus. Sed quia ex vitio librariorum Græcorum diximus forte contigisse, poterat fieri etiam nihilominus apud La-

Introdusă în format electronic de Google

finos error duobus ex numeris, similiter pro vitio scr'ptoris. Quia quamsæpe, quando sex volumus significare scribimus V et I; quod si diviseris V litteram in duo I, erunt itaque tres. Et ipsa erit tertia hora apud Marcum, quæ sexta apud tres alios legitur, quod omnino non approbo, quamvis quorumdam opinionem protulerim. Quia etsi apud Latinos et Græcos tale aliquid potuisset contingere, apud Hebræos tamen pro his Matthæus non poterat vitiari, qui ab hora sexta, quando Dominus manus in cruce tetendit, tenebras dicit esse factas super universam terram; et Lucas addidit : *Quia sol obscuratus est* (*Luc.* XXIII, 45). Et ideo non aliunde, sicut quidam volunt, tenebræ factæ sunt, quam ex defectu solis, quamvis tunc temporis non eclypsis solis esset, qui non alio in tempore a sæculo hoc passus est, nisi in conventu solis et lunæ; quando luna prima subtus currens impedit solis radios, ne luceat nobis, suoque occursu lumen solis obtundit. Sed quia in passione Domini lunam quartamdecimam fuisse nemo est qui ambigat, quando conventus ei nullus erat ad solem, neque occursus quo possit sol suo privari lumine, idcirco quidam permoti, non valentes calumniantium argumentis ad plenum respondere, maluerunt planam eligere viam ac perfacilem. Eo quod tam obscura obtectio, et tam evidens facti miraculum, si super omnem terram esset (ut sapientes sæculi dicunt, et reprehensores fidei nostræ), latere non posset neque fieri, ut non scriberetur in chronicis vel historiis Græcorum vel Latinorum; eo quod tam insueta novitas hujus facti poterat non permovere omnem hominem, ut ipsi dicunt, sapientem. Et hoc permaxime illi opponunt, qui nec miraculis credunt divinis, nec sanctis nisi cum judicio et discussione acquiescere volunt evangelistarum dictis. Unde, ut dixi, nonnulli doctorum, ne possint ab ullo contradictorum in **1172** aliquo redargui, qui volunt semper reprehendere, arguere vera, et astruere falsa dixerunt quod sicut cætera signa quæ facta sunt in passione Domini, in Hierusalem tantummodo facta sunt : sic et tenebræ istæ quæ dicuntur, super omnem terram Judæam solummodo sunt factæ, usque ad horam nonam. Nam *et velum templi* in ea *scissum est*, ubi et terra contremuit, ac petræ disruptæ sunt, *et monumenta aperta sunt*, in qua et multi mortuorum resurrexerunt, *et apparuerunt multis*. Nec mirum igitur si etiam et in terra Judæa hæc facta sunt, nec tamen alicubi, ut ad omnium notitiam hæc pervenerunt. Verbi gratia, in India aut Æthiopia, vel Scythia. Quod si factum fuisset, inquiunt, inveniretur omnino in historiis eorum vel annalibus. Nunc autem, quia legimus, terra tremuit, referendum est ad terram Hierusalem, aut si latius ad terram Judæam. Sic et tenebræ istæ, aut super Hierusalem tantum, aut si multum, super omnem Judæam; ne dum magnitudinem miraculi ostendere volumus, incidat assertio nostra in derisum, ita ut magis infidelitatem pariat non credentibus, quam fidem, præsertim cum Matthæus et Marcus, non solem obscuratum dixerunt, sed tantum, quia *factæ sunt tenebræ super omnem terram*. Unde consequens est intelligi quasdam tenebrosissimas nubes, et forte non unam, sed multas et majores concurrisse, super omnem terram Judæam vel Hierusalem, sicut forte factæ fuerunt tenebræ palpabiles in Ægypto, hoc modo tribus diebus; non ex solis defectione, quæ fit ex concursu lunæ, sed ex eo quod nubes tenebrosæ valde concurrerunt ex adverso in unum, et tamen lux erat omnibus filiis Israel, sicut Scriptura testatur sancta, ubicunque commorabantur. Quas nimirum tenebras tribus diebus continuis, impossibile fuit fieri, ex occursu solis et lunæ. Et hanc inquiunt aliam tenebrarum causam fuisse, cum Scriptura Exodi nullam aliam causam dicat, nisi quia Moyses extendit manum suam in cœlum, et factæ sunt tenebræ et caligo super omnem terram Ægypti tribus diebus, et nemo vidit fratrem suum, neque surrexit aliquis de loco suo. Fac ergo ut per exaggerationem ita dicantur, et ita fuerit super omnem Judæam in passione Christi, quando extendit manus suas in cruce. Ad cujus forte figuram Moyses tunc manus suas extendisse in cœlum recte dicitur, ut liberarentur servi Dei a jugo servitutis. Nemo tamen recte **1173** credit efficaciorem fuisse Moysen in Ægypto, quam fuit Christus in cruce. Et ideo quia per Ægyptum totus hic designatur mundus, melius a sexta hora tenebræ factæ creduntur, quando formatus est primus homo de limo terræ, usque in horam nonam; et non super Judæam tantum, ut isti opinantur, sed super omnem terram quam sol quotidie illustrare cernitur. Miror enim in hujuscemodi dictis tam sapientes viri quid sibi voluerint confingere. Quasi facilius increduli et sapientes sæculi cætera debeant credere in Evangelio, si ista quæ hic dicuntur fuerint falsata. Nam Matthæus et Marcus dicunt quod *a sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram*. Non super Judæam tantum, neque super Jerusalem, sed *super universam terram*. Fac ergo ut dicamus, sicut ipsi volunt, super universam terram Judæam. Quid ergo facimus de hoc quod Lucas ait, quia *sol obscuratus est?* ergo ubi sol obscuratus est, nihil aliud quam tenebræ remanserunt. Et quia sol tunc, ut prædictum erat, non luxit; quia vero obscuratus est super universam terram, omnino nihil aliud in toto mundo quam tenebræ fuerunt, usque in horam nonam. Et hoc factum est inter cætera, ut compleretur quod scriptum est : Occumbet sol meridie, et contenebrabitur super terram in die lux. Et alio loco : Occubuit sol, cum adhuc media esset dies. Ergo in hora sexta rationabiliter factæ dicuntur tenebræ, quando meridies est, ne quis putaret præcedentis, vel subsequentis noctis tenebras fuisse. Dicitur et in medio terræ Dominus crucifixus; quia aptum erat ut et in meridie pateretur, in plenitudine scilicet et non in defectu, aut in incremento charitatis, sed in pleno fervore dilectionis, de qua dicit cum interrogaretur ab sponsa in Canticis, *ubi pascis? ubi cubas?* (*Cant.* I, 7.) Et ille inquit, *in meridie*. In me

Introdusă în format electronic de Google

ridie, quia in ea charitate qua passus est pro mundo, A deliciæ et gloria floruerunt. Tribus igitur horis tenebræ permanserunt; quia lumen Trinitatis, quod Deus est, totus mundus amiserat. Privati enim erant a lumine qui in mundo erant universo trium horarum, id est a lumine Dei Patris, et a splendore Filii ejus Jesu Christi, et ab illuminatione Spiritus sancti. Et ideo non nubes obdensatæ sunt solummodo, ut isti dicunt, sed obscuratus est, Luca teste, sol, quod luminare majus est, ne aut pendentem Dominum videret, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur. Nec mirum igitur si sol retraxit **1174** radios lucis suæ, ne videret ignominiam Christi cujus figura præcesserat in filiis Noe, qui obtexerunt oculos suos aversis vultibus, ne viderent verecundiam Patris. Quod si tanta taliaque de sole non credunt contigisse in B universo orbe, mirabiliter ex virtute Dei, quia ex consueto cursu a sæculo evenire non potuit, nescio si credere possint infideles terram ita tremuisse, ut Evangelia produnt, nec petras scissas fuisse, nec mortuos de monumentis, quod majus est, a mortuis surrexisse. Cæterum quod aiunt, in nullis hæc inveniri historiis, audiant quid Paulus Orosius noster scribit, quod die quando patibulo affixus est Dominus, maximo terræmotu per omnem orbem facto, saxa in montibus scissa sunt, maximarumque urbium plurimæ partes, plus solito concussione ceciderint. Eadem, inquit, die in hora diei sexta, sol in toto mundo obscuratus est terraque, nox subito obducta est terris, et sicut dictum est,

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem. C

Deinde addidit, usque adeo hoc miraculum præfulsisse, ut neque lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum esset, verum quartam decimam die lunam, sicut omnibus notum est, tota cœli religione interjecta, longissime a conspectu solis abfuisse; sed et stellas, tunc in illis diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte, toto cœlo fulsisse. Quod non solum, inquit, sanctorum Evangeliorum fides, verumetiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Et ideo non sicut isti volunt Evangelii veritas sine testibus manifestata fulget; quando et Flegon quidam gentilis, teste Origene, hoc factum narrat in chronicis suis, sub principatu Tiberii Cæsaris, nisi quod significavit plena luna hoc factum. Sed et Dionysius Areopagita, Apollophanio concreto D et conphilosopho sibi scribens, inter cætera de hoc miraculo ita dicit, ut autem lux superna paternæ gloriæ splendorem supra tuæ mentis tenebras radiare suo proposito destinavit, mox penetralibus cordis mei infudit, ut tibi frater memoriale, piissimum recordarer, qualiter in Eleopoleos civitate pene coævi, ego siquidem viginti et quinque annorum fere tempus evolvens, pariter morabamur, cum feria quadam sexta ferme hora, quasi luna ei se objiciente, sol est horribiliter obscuratus : quia non Deus, sed creatura Dei, lucis suæ occubitu lucere nequeunt, questusque sum apud te, quid **1175** hinc tibi prudentissime videretur? Ex quo prudentia tua respondit, quod adeo tenaciter cordi mentis meæ inhæsit, ut nulla obliteratione abradi, nulla mortis imagine valeat aboleri. Obfuso namque orbe uniformiter, tenebrarum caligine tabescente, ut purgatum rediit solis diametrum, philipplari * Dei assumpsimus; cumque reperimus, quod et erat notissimum, eotenus fatigatione eclyptica solem pati molestias non debere, lunam ab Oriente, solarem fulgorem velis Æthiopicis obducentem, solere in occidua hora captare perfugia. Tunc autem lucigenos thesauros caligines quas genuerant usque in Niliacos terminos, ut putavimus proferentes recondere occidentes, præsertim cum lunæ deesset, et nec conventus tempus propinquaret, aio ad te peritiæ vastæ sacrarium, adhuc nescius tantæ rei mysterium. Quid, inquam, speculum doctrinæ Apollophaniæ, his secretis ascribis? Ad quæ mihi tu inquiens, omnino divino et non humani sensus sermone, istæ, bone Dionysi, divinarum retributiones sunt rerum. Ecce de his tenebris quid philosophia sensit humana. Ecce quid Græcia habet in suis authenticis libris. Ecce quid iste Apollophanius dederit in responsis. Forte intellexit ille tunc ex dimetro Aridei philosophi quod nostri nolunt credere ex Evangeliis. Qui non in Judæa tantum has tenebras fuisse cognovit, sed toto orbe obfuso uniformiter tenebrarum caligine persensit. Et quod mirabilius est, ac si ex oraculo divino respondit. Quod divinarum retributiones essent rerum. Atque tunc beatus Dionysius, ac si excitatus tanto miraculo evigilans, Notatum, inquit, feriæ diem et annum annuntiationi, quam Paulus noster auribus suspensis intonuit, signis acclamantibus, concordari expertus, dedi veritati manus, et falsitatis sum nexibus absolutus. Heu quam graviter adhuc hodie caligo ignorantiæ mundum obtenebrat, maxime in his qui nolunt acquiescere veritati, nolunt credere Evangeliis, neque intelligere ea quæ tam ineffabiliter efferunt sancti evangelistæ, et tam mirabiliter prædicant facta, ut divina esse quæ dicunt, nemo qui sentit aut vivit, negare possit. Unde quia tales humanis perdoceri nequeunt verbis, orandus est qui illuminat omnem hominem, ut eos illuminet et nos deducat in omnem veritatem.

Et circa horam nonam, inquit, *clamavit Jesus voce magna dicens : Eli, Eli, lamasabacthani.* **1176** *Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ecce in hora nona voce magna clamat qui ad auram post meridiem ambulat in paradiso, et clamat ac dicit, *Adam ubi es?* (*Gen.* III, 9.) Sed hic voce magna clamat, quod contra naturam, ut ita dicam, morientium est. Unde quærendum in quo fuerit magna Christi vox, utrumne solummodo sonitu clamoris, an magna in mysterio pro rebus mysticis. Quodsi magna sensibili auditu est exterius ad exemplum, credo nihilominus magna est sacramento interioris hominis ad remedium; quia omnis vox Christi, magna utique probatur, et adeo magna ut in novissimo *omnes qui in monumentis sunt, audiant vocem Filii Dei* (*Joan.* v, 28), qua nunc duplo redimimur. Et ubicunque in Scripturis sacris, clamor Jesu, aut cla-

Introdusă în format electronic de Google

mor Dei, aut clamor sapientiæ legitur, semper aliquid magnum et ineffabile sacramentum intelligere oportet. Porro Eli interpretatur *Deus meus*; quia El unum est nomen ex decem nominibus Dei. Quod Aquila etymologiam ejus volens exprimere, ἰσχυρὸν interpretatus est, quod est fortis; et hoc ex principio vigesimi primi psalmi usus est, ita ut legitur in Hebræo, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* quia illud quod in medio nos canimus, *respice in me*, superfluum est. Quæso, lector, non te moveat, quod alii codices habent, *Heloi, Heloi, lamazaptani*, quia Heloi hoc est quod Eli, quia οι diphthongus apud Græcos est, et per ι solam legendus. Porro in Hebræo *lamazaptani*, ut aiunt, irascentis vox est, plena querelis. *Lemasabachthani* Syrum est conquerentis pio affectu, tamen utrumque sonat, *quare me dereliquisti?* Et ut nuper audivi a quodam Hebræo lamazapthani sonare videtur, ut quid perexquisisti me, et est sensus, ut quid perexquisisti, ut omnia compleres in me? usque ad unius apicem iotæ, quæ prædicta sunt in lege et prophetis de me. Quod ideo tam in Græco quam in Latino juxta proprietatem Hebrææ linguæ sic legitur. Quamvis mox ejusdem vocis interpretatio in utraque lingua subsequatur, ut honor et reverentia dulcissimæ vocis Christi quam fudit in articulo mortis ad Patrem, servetur. Sicut in Alleluia, et in Osanna, nec non in Amen, ut consona voce sicut et mente omnes in idipsum laudes dicamus Deo canentes, et communicantes in invicem in unitate verborum. Siquidem in hac voce quia magnum est mysterium, digne satis, ut dixi, provisum est ab ipsis evangelistis **1177** ut pro honore ac reverentia tanti clamoris proprietas eorumdem verborum in omnibus servaretur linguis; quia nescio si satis digne possit interpretari, quod cum tanto affectu in sacramento salutis nostræ supplicatur. Verumtamen in ea interpretatione, quam Hieronymus emendasse creditur, magis semper lemazabacthani habet. In ea vero quæ prius, ut æstimo in ecclesiis legebatur lamazaptani. Sed Christus unum horum in cruce pendens sonuit, quod evangelistæ magis forte sunt secuti. Potuit evenire ut aliquis in Psalterio apud Hebræos scriptum repererit aliter, ex quo hæc varietas unius verbi oriretur, ubi et in Græcis codicibus reperi lebasambacthani. Quapropter rogo in tam obscuris verbis et incognitis apud nos nemo facilis sit Latinorum ad immutandum, nemo quasi ad emendandum, cujus vim verbi nos intelligere non valemus. Et ideo nostros in Latinum sequamur interpretes, qui omnes consona voce *ut quid dereliquisti me*, dixerunt. Nec miremur verborum humilitatem, et querimonias derelicti, cum formam servi in eo recognoscimus, et scandalum crucis videmus; ita tamen, ut intelligamus quia mors Christi nihil aliud est quam mortis abolitio, et potestatum dehonestatio; fiducia victoriæ et triumphus pugnantis. Quæ quamvis ex infirmitate carnis veniat, non necessitas fuit, sed voluntas. Et ideo potius in sacramento intelligenda est ista vox, quam in affectu dolentis. Nec igitur oportet demutare sensum tanti mysterii, ad contumeliam infirmitatis nostræ naturæ, quod voluntas est; et sacramentum, quod potestas est et fiducia ac triumphus. Triumphus plane est, queri ad crucem et offerentis se sua sponte querimonias innocentiæ suæ proclamare, stare ad sententiam, sed inde concessurum a dextris virtutis Dei: clavis configi, sed pro persecutoribus orare; acetum potare et dicere in sacramento, *Consummatum est:* deputari inter iniquos, sed uni eorum paradisum donare, elevari in ligno, sed terram tremere: pendere in cruce, sed solem ac diem fugare: exuere animam a corpore, sed revocare animas ad corpora, ipsosque mortuos ad vitam reparare; sepiliri mortuum ut hominem, sed resurgere Deum; secundum hominem pro nobis omnia infirma pati, sed secundum Deum in his omnibus triumphare. Idcirco pro his vocibus, nemo nobis potest insultare, quia dicit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quasi **1178** in his tot beatitudinum causis mori timuerit, et ob id quasi ad necessitatem moriendi desertum se a Deo queratur. Quod si ita esset, fratres mei, puto quia non esset ista vox Christi, Filii Dei vivi, magna. Quapropter quia magna est, credo quia in his verbis magnum aliquod nobis ostendit sacramentum, et profundissimum in se mysterium absconditum in eo quod clamat ad Deum, *quare me dereliquisti?* Non enim fas est eum mentiri in eo quod ait, *quare me dereliquisti?* Neque aliquid vile æstimari, quia verum est quod dicit querelosa voce, licet per humilitatem humanæ conditionis. Quia non in hac voce divisus est Christus, neque tripartitus, ut a se defecerit Deus verbum, dum homo passionibus exponitur. Sed hæc vox magna ex eo est, cum ex forma Dei esset; Patri Deo coæqualis, ex quo formam servi suscepit, ab hujus ergo magnitudine descendens *semetipsum exinanivit* (*Philipp.* II, 7), per hoc, quod formam servi suscepit ac per hoc una voluntas est Patris qui misit eum, et Filii qui sua sponte eam suscepit. Unde quantum ad illam exspectat naturam in qua fuerat imago invisibilis in forma Dei, ipse idemque Christus derelictus est a Patre, cum caro morti traditur, licet idem impassibilis credatur. Et derelictus est, non per se, qui semper unus erat cum Patre, sed pro omnibus nobis, ut talia et tanta sustineret Deus et homo Christus, ut usque ad mortem veniret. et mortem crucis, quæ inter homines turpissima videbatur. Non enim derelictus est ut non esset Deus cum Deo et in Deum, sed derelictus est venire, usque ad crucem, usque ad flagella et sputa, usque ad spineam coronam, et usque ad diversas contumelias. In hoc ergo intelligere potestis quid sit quod ait, *Quare dereliquisti me?* faciens comparationem gloriæ suæ, quam habuit apud Patrem, et confusionis quam contemnens propter nos sustinuit. Nescio, fratres mei, si ullus mortalium, intelligere possit in hoc mysterio querelosæ vocis, quanta qualiave sint sacramenta quæ offert. Quia in his verbis omnium eorum qui prædestinati sunt ad vitam, pendet salus

Introdusă în format electronic de Google

omniumque damnatorum judicium, ut afferat Deo Patri in se omnium sæculorum; et hæ sunt ejus querelæ, ut intelligant universi, quia in eo quod derelictus est usque ad mortem, pendet omnium salutis causa. Multa sunt quidem in hac voce Christi magna, quæ coram Deo Patre breviter commemorat, sed vult **1179** ut latiori intellectu quisque perpendat. Eadem namque vox est qua dicitur: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*. Et illud ac si clamans ad Patrem: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* (*Psal* XXIX, 8, 10.) Obedientiam siquidem sui laboris atque humilitatis repræsentat Deo Patri, et offert in pretium nostræ salutis, causam vero, imo fructum causæ requirit, ut commendet Deo Patri, totum quidquid est illud, cur usque ad hanc mortem venerit. Hæc idcirco prolixius dixerim, ut nemo magnum pietatis sacramentum ad impietatem retorqueat infidelitatis. Quoniam ejusdem vox est atque sermo derelictum se conquerentis et se regnare profitentis. Quapropter nemo fidem nostram infidelitatis ratione dividat, sed confiteamur ex toto corde, quia idem est, eodem in tempore, qui mortuus et qui immortaliter regnat. Sequitur: *Quidam autem illic, stantes, et audientes dicebant: Eliam vocat iste*. Ergo cum dicit quidam, non omnes vult intelligi. Sed, ut arbitror, quidam fuerunt ex militibus Romanorum, non intelligentes proprietatem Hebraici sermonis; sed ex eo quod dixit, *Eli, Eli*, putabant eum Eliam vocasse. Unde et alii dicebant: *Sine videamus an veniat Elias et liberet eum*. Quod si Judæos intellexerimus talia dixisse, nec mirum si more solito faciunt ut Dominum imbecillitatis suæ infament, quasi in Eliæ auxilium invocaverit. Et hoc ut Romanis nescientibus proprietatem verborum persuadeant infirmum eum fuisse, qui sibi non potuerit subvenire. Sed et nos, quia factus est nobis Christus via, discamus saltem in extremis, pro cunctis tribulationibus nostris, magna voce clamare ad Dominum, non sono vocis, sed clamore cordis sicuti Jonam de ventre ceti clamasse legimus. Interea negare non possumus, quia magnus clamor fuit, ut de ventre ceti audiretur in cœlo, et de profundo inferi. Sed major Christi omnino in cruce fuit, propter magnitudinem rerum quæ completæ sunt in Christo, et propter magnum affectum voluntariæ passionis ejus.

Continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto; et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Hæc ideo fecit, quia juxta Joannem dixerat, *Sitio*. Ipse vero hoc ideo dixit, ut complerentur omnia quæ prædicta sunt de illo; ut est illud: *Et dederunt in escam meam fel, et* **1180** *in siti mea potaverunt me aceto*. Aceto ergo usque in hodiernum diem, Judæi et omnes increduli Dominicæ resurrectionis, et felle potant Dominum; felle scilicet amaritudinis vitiorum et aceto infidelitatis. Quia sicut per vinum novum honore et virtus designatur immortalitatis, ita et per acetum corruptio vitiorum. Nam vinum per vitium et incuriam frequenter in vasis accessit: sic et natura humana, cum in Adam primum coacuisset acida facta est et corrupta; quam ipse in se suscipiens, potavit ac si in calamo nostræ fragilitatis. Sed nos ei tunc damus myrrhatum vinum bibere atque acetum cum felle mistum, quando eum consopire credimus ne mala nostra videat. Sed quantum ad nos, quia læsiones ei inferimus, ille cum gustasset mortalitatem nostram, hujusmodi potum quem offerimus, noluit bibere. Non quia vinum erat, sed quia cum felle mistum erat, et vinum lætitiæ, quod in nobis erat, totum amaritudo peccati corruperat. Sed ut ostenderetur sinceritati bonæ naturæ amaritudines vitiorum non debuisse admisceri, cum gustasset ipsam corruptionem, noluit bibere quod admistum erat, sed sinceritatem naturæ suscipiens, in qua ista perferret quæ nostra sunt, et affigeret cruci; ac deinceps in se monstraret, quod sine amaritudine peccati atque corruptionis, immortalitas resurgentium futura esset. Quæ quoniam immortalitas in vasis coacuerat humani generis, reparatur in Christo. Sollicite considerate, quæso, quæ narrantur et facta sunt in Christo neque aliquid vile, aut ex eventu ea contigisse æstimes. O homo, sed omnia ex providentia sic præparata sunt, atque ordinata, ut ex rebus gestis complerentur prophetiæ, et ex ipsa prophetia Christus in carne ostenderetur; ex ipsa vero ostensione, rerum causæ et opera factorum demonstrarentur. Alioquin ad crucem, unde acetum? Unde spongia? vel in tali exspectaculo, unde vinum myrrhatum? vel unde tot calami? Nisi quia sic omnia ordinata sunt a Deo, ut et adessent præsto ex quibus fierent quæ prædicta erant, et tunc fierent, quando oportebat. Et in his rebus ex quibus quæ fiebant, et a quibus, utique prædicarentur. Nam spongia illa quid aliud quam ipsos Judæos figurabat? Quisquis considerat spongiæ naturam, quam cavernosa sit, quam tumida, et inflata, quam mollis ac fragilis, et resoluta, potest agnoscere quid significet; quæ licet humores in se inflata trahat, cito evanescit et evomit omnia a **1181** se, expressa: sic et Judæi seu quilibet tumidi, qui nihil aliud in se gerunt quam acetum peccati et corruptionis, omnem flagitiorum colluvionem in se trahentes, quos in calamo fragilitatis suæ ipsa superbia erigit, et si quidpiam fuerint depressi, mox intima evomentes sua, vacui remanent ac leves. Ac per hoc ipsi sunt qui seipsos offerunt in mortis poculum, a quibus et in quibus mors Domini ministratur. Quæ ideo bibitur a Domino, ut aboleatur in calamo, et de corpore absorbeatur humano. Quia nisi Christus vitia nostra in cruce absorbuisset, nos ac si arundo vacua, et spongia plena mortis poculo remansissemus. Unde quia tam fragiles sumus, transfundamus omnia cordis nostri intima ad Christum; primum, per baptismum, quod semel fecimus, deinde quotidie per pœnitentiam, ut deleantur in cruce ipsius nostra peccata, et absorbeatur per ipsum mors in victoria. Audite magnum et admirabile sacramentum. Ecce ut bibit acetum, quod erat in spongia porrectum sibi in calamo, juxta alium evangelistam, dixit *consummatum est*. Consummata namque in eo

Introdusă în format electronic de Google

sunt omnia, eo quod assumpta mortalitate nostra, impletum esset mysterium, ut ipse in cruce per se portaret omnia nostræ corruptionis vulnera. Et ideo unus est qui accurrit nesciens sacramentum, et implevit magnum mysterium, in quo compleantur omnia. Quoniam iste unus unitas eorum omnium, quorum acerbitatem et corruptionem absorbuit et evacuavit Dominus. Ex quibus per gratiam exhaustis omnibus vitiis immortalitatis sola lætitia remansit. Et acetum quod acuerat, rediit in naturam, et transfusum est in corpus Christi, et factum est vinum novum, vinum jocunditatis ; eo quod fluxit de eo palmite, qui est vitis vera. Quod sane vinum bibit jam cum suis novum in regno Patris sui, neque ulterius bibiturum est ex eo, quod acuerat, de quo suscepit hoc poculum mortis.

Jesus autem, iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Poterat ergo hoc loco error nos subripere, quid Jesus clamaverit juxta Matthæum, cum ait iterum clamasse illum, nisi Lucas expressisset, quid clamaverit, id est, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Alioquin facilius ignorantia nostra diceret, eamdem vocem clamasse iterum, quam supra clamaverat dicens : *Deus meus, Deus meus*, etc. Nunc autem intelligere oportet quia vox ista, quam iterum clamavit emittens spiritum, ipsa fuit vox quam Lucas dicit clamasse : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Sed iterum quod ait, non ad hoc referendum **1182** est, ut idipsum clamaverit, sed ad hoc quia iterum clamavit, et non qualicunque voce, sed magna iterum ; quia magna est et ineffabile quod clamavit. Commendat autem magnum depositum Deo Patri, in cujus manibus sunt omnia. Et bene commendatur spiritus Filii charissimo Patri : quia in natura Patris nihil charius est quam Filius, sicut nec in Filio aliquid majus quam Pater. Quoniam Patris et Filii una est natura, unaque æqualitas, et una dilectio Spiritus sancti. Ideo bene quidquid Patri commendatur a Filio, non amittitur, sed servatur. Bonum ergo depositum est, bonum pignus spiritus Filii qui commendatur. Et ideo securus olim ait : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv, 10). Christum autem Dei Filium nullus capit alius quam Pater ; et ideo magnum spiritum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ magno Deo Patri commendat. *Et emisit spiritum.* Emisit utique, et non amisit. Quoniam aliud est emittere vel tradere spiritum, sicut Joannes ait, quod *inclinato capite tradidit spiritum*, et aliud amittere. Quia quod amittimus aliquando perdere probamur. Sed Christus seu emiserit, seu tradiderit, vel juxta Lucam exspiraverit, in sua potestate fuit ; quando, vel quo modo, vel cui suum spiritum commendaverit, seu tradiderit. Alioquin non est in natura homini per se exhalare spiritum. Et ideo solerter cogitanda est unitas Christi. Hinc quæso audiant qui dicunt Jesum animam non habuisse, quoniam ejus spiritus anima ipsius est, de qua ipse ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* x, 18). Utrumque ergo in ejus potestate fuit, et quando voluit, reassumere eam, quia potestas Patris et Filii una est. Et ideo non extra suam potestatem, eam emisit, cum eam in manibus, id est in potestate Patris, commendavit, quia qui eam commendat ipse est unus idemque Christus Dominus. Animam siquidem commendat Patri, ut caro tradatur morti. Mors autem est, sicut sapientes sæculi dicunt, separatio animæ a corpore, et hoc est simpliciter mori. Sed longe aliud est magna voce clamare Christum et emittere spiritum, sicut exponit Matthæus, aut expirare, sicut testatur Lucas, aut tradere, sicut ait Joannes ; nec alicubi, neque alicui alteri, quam in manibus Patris. Nam mori omnium hominum est, etiam malorum, quoniam omnium animæ reorum et sanctorum separantur a corpore. Quæ non possunt dicere tam libere a vinculo peccati neque tam absolute, potestate sua in libertate **1183** gratiæ, quæ dixit Christus exiens de corpore suo, in mysterio non divisus a se, neque tripartitus. Quia qui solvit Jesum, hic non est ejus. Et quia non est solutus, neque divisus a se, id est in unitate cum Patre in anima quam emisit a corpore, id est in corpore in quo sepultus est in sepulcro, id est in ea forma in qua cum Patre et in Patre est ubique totus. Idcirco quia talis tantusque est, magnum mysterium est, magna voce clamare, et sic emittere spiritum, vel in manu Dei tradere spiritum, id est animam. Quem non a seipso dissolvit, neque corpus quod in mortem ire permisit. Cujus quia corpus mortuum est, jure Christus Dei Filius mortuus in sacramento nostræ salutis mortuus et sepultus est. Quid ergo aliud est inclinare caput et tradere spiritum Deo Patri commendatum, quam illud explere, *Potestatem habeo ponendi animam meam ;* et quod in Psalmo dicitur, *In pace in idipsum, dormiam et requiescam ?* (*Psal.* iv, 9.) Securior ergo Christus in hoc somno mortis, quam nos in quotidiano, in pace dormiens, requievit. Et tamen hoc ideo fecit, ut nos invitaret ad eamdem pacem, ad eamdem spem dormitionis et requiei, et ad eamdem gloriam resurrectionis. Propterea et nos, fratres charissimi, si intelleximus quid sit emittere vel tradere spiritum in manibus Patris, festinemus et nos vitam nostram servare, ut et nos in exitu nostro possimus admodum voce magna clamare, et sic in pace spiritum emittere, aut inclinare caput, et tradere spiritum, deinceps ut in sinu Patris requiescamus. Hæc ideirco dixerim, dilectissimi, ut in talibus quæ humanitatis sunt, nemo infirmetur fide, neque Christum Deum tripertiens dissolvat in verbum animam, et corpus ; vel dicat totum Christum Deum Verbum in solum generis humani hominem contractum, sed totum Christum, in gemina operatione sua, quæ divina sunt, et quæ humana pariter operantem, quod est magnæ pietatis sacramentum, manifestatum in carne, revelatum in spiritu. Qui et spiritum tradidit Jesus Christus, et in manibus Pa-

Introdusă în format electronic de Google

aris commendavit; qui et eadem die in paradiso fuit; et ipse qui eadem die in paradiso fuit, ipse est et qui conquestus est se derelictum. Quia, ut dixi, querela derelicti morientis infirmitas est: promissio autem paradisi viventis Dei regnum est. Commendantis spiritum vox, ejusdem commendantis confidentia est; traditio vel emissio spiritus, mortis excessio est. Quæro itaque a novo, fratres, quasi nihil dixerim, quis mortuus est? Nempe qui **1184** tradidit spiritum. Deinde qui tradidit spiritum, ipse est et qui commendavit Patri spiritum suum. Et si idem qui commendavit, et idem qui tradidit spiritum mortuus est, interrogo utrum corpus animam commendat, an Deus corporis animam? Nam per spiritum frequenter significari animam et nominari non ambiguum est, saltem ex hoc, ipse quod Jesus moriturus spiritum tradidit. Si igitur quisquam existimandum putat commendari animam a corpore, ab eo qui dissolvendus erat a vita, viventem ab eo qui corrumpendus erat, æternum ab eo qui resuscitandus, et ambigit quin idem commendaverit spiritum Patri, qui et die eadem in paradiso fuerit cum latrone. Quæro an sepulcro receptus in paradiso manserit? An vero in paradiso manens, derelictum se a Deo quæstus sit? certum quippe est quia unus idemque Dominus Jesus Christus, *Verbum caro* quod *factum est* (*Joan.* I, 14), scipsum per hæc significat universa. Qui dum ad mortem se derelictum clamat, homo est; in paradiso Christus Deus regnat. Porro regnans in paradiso, Dei Filius, Patri Deo, spiritum suum commendat; commendatum vero spiritum Filius hominis traditur ad mortem in sacramento pietatis, ut in nullo dissolvatur Christus, in nullo confundatur naturarum proprietas, in nullo dividatur personæ unitas. Cum autem emisit spiritum, signa facta sunt super eum deitatis, et prodigia testificantia veritatem, nec non et virtutes salvationis.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum. Et terra mota est, et petræ scissæ sunt, ac reliqua. Vere velum templi scissum est, et omnia legis sacramenta, quæ prius sub velamine tegebantur, reserata sunt. Quia jam venerat ille solus, qui cum jurejurando factus est pontifex in æternum, *secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Qui solus potuit per dispensationem mortis suæ, introire per proprium sanguinem, in semel, in sanctam æternam redemptionem; ipseque introitu suo, mox per mortem dignatus conscindere *velum templi in duas partes, a summo usque deorsum*, ut videantur arcana quæ fuerant intus in lege, in templo et in omnibus cæremoniis obtecta et obvelata. Oportebat enim ea velari, donec ille qui solus poterat ea revelare, manifesta faceret ea apostolis, et omnibus exspectantibus se in salutem. Omnia siquidem prius velata erant et obumbrata, etiam et ipsa facies Moysi. Sed quæ fuerunt omnia illa, non est nunc temporis exponere; quoniam altissima Dei in his revelata sunt **1185** sacramenta, et tunc permaxime quando *clamans* benignissimus *Jesus magna voce emisit Spiritum*, et non amisit, quia amittere, ut dixi, necessitatis est. Ille autem sua voluntate eum emisit; qui habet clavem David, et omnia patefecit quæ obscura erant a sæculo et figuris obvoluta. Nunc autem conscisso velamine, universa de Christo mysteria, quæ erant occulta, manifesta omnibus facta sunt. Idcirco, fratres, consideranda est hæc virtus, et admiranda veli conscissio; quia multo plus est, quam admirari possit ullus mortalium, ut tunc scinderetur, cum Christus per mortem introivit in illam beatam requiem æternæ hæreditatis. Quia inde venerunt omnes hæ formæ, et mystica rerum figuratarum sacramenta, quæ tegebantur in velo, de quibus ad Moysen dixerat Deus, Facias omnia *secundum exemplar* eorum et formam, quæ tibi ostensa sunt in monte (*Exod.* XXV, 40). Et quia Moysi in monte, id est in Christo, monstrata sunt omnia merito in Christo et per Christum, nobis reserata sunt universa. Scinditur ergo velum, et profanatur Synagoga; et destruitur legis littera; aperiuntur in spiritu (quia lex spiritalis est) cœlestia in ea sacramenta, et introducitur, revelato mentis obtutu, Ecclesia, ut possit videre æterna, et mystica sibi olim promissa mysteria. Ad hoc quippe *petræ scissæ* sunt per passionem Christi, ut rescindantur vetera, et oriantur nova. Ergo per prærupta saxorum ostenduntur nova futurorum. Quoniam duriora saxis pectora, verbis cœlestibus rescindenda erant humana, ut aqua quæ de petra fluxerat, ipsa ab eis, et in eis flueret divinitus superfusa. Nam et in Evangelio, quod proprie Hebræorum est, dicit beatus Hieronymus se legisse, super liminare templi infinitæ magnitudinis tum factum fuisse, atque divisum; et hoc ut abolitio legis et destructio templi monstraretur, factum credimus. Sed et Josephus narrat in suis libris, virtutes angelicas, præsides quondam templi, tunc pariter conclamasse: Transeamus ex his sedibus. Quod autem *terra mota est*, prophetiæ est adimpletio; quamvis ipsa commotio terræ ampliora in se contineat sacramenta, tamen in eo terræ motu dicuntur plurimæ civitates, ubi vel ubi, et multa ædificia corruisse. Nec igitur mirum, si, Domino moriente, terra tremuit, quando in ejus resurrectione omnis caro humana commota est et contremuit, ita ut verbis et rebus excitarentur, acsi de morte ad vitam, de carne ad spiritum, de **1186** vetustate litteræ ad Novum Testamentum; et in novo cantico cantarent *omnia* etiam *ligna silvarum*, et fierent nova. Hæc quando facta sunt? utique sicut Propheta dicit quando *Dominus regnavit a ligno* (*Psal.* LXXXV, 12). Tunc utique vidit et commota est terra. Sed et *conturbati sunt omnes qui videbant eos*, ac timuit *omnis homo* (*Psal.* LXIII, 9, 10). Et hæc est illa commotio magna, quæ forte tantum in Judæa facta est tunc, in Jerusalem, sed significatio ejus, sub omni quadratura cœli, usque ad fines terræ pervenit. Quæ nimirum signa, incredulis licet parva videantur et exigua, immensa tamen sunt credentibus, et, ut ita dicam, ineffabilia. Quæ licet, ut ipsi volunt, non alti-

Introdusă în format electronic de Google

gerint ultra fines Judææ vel Jerusalem, adimpletio siquidem significationis eorum totum præoccupavit orbem. Nam et resurrectio mortuorum quando *monumenta aperta sunt*, tantum in Judæa, vel circa Jerusalem, rationabilius facta creditur; quoniam *corpora sanctorum* solummodo *surrexerunt*, non continuo ut monumenta aperta sunt, sed mox post Domini resurrectionem. Quia Christus primogenitus est resurrectionis ex mortuis. Nulli dubium quod hæc omnia per se magna sunt, quod, crucifixo Domino, nulla sustinuerant elementa, ne eum demonstrarent mortuum, quando sol obscuratus est, et omnia sancta sanctorum reserata; quando *terra tremuit* et *petræ scissæ sunt*, quando *monumenta aperta sunt*, et inferi mortuos quos tenebant reddiderunt vivos. Sed tamen, ut dixi, majora sunt, quæ per ea significantur quam ipsa signa, quamvis ipsa sint obstupenda, sicut et hæc resurrectio mortuorum, quando multi qui dormierant, surrexerunt, *exeuntes de monumentis post resurrectionem* Christi, *venerunt in sanctam* Jerusalem, *et apparuerunt multis*. Quæ profecto resurrectio, quamvis obstupenda sit valde et admirabilis, major est tamen illa futura resurrectio generalis, quæ per istam testificata est, quando multi resurrexerunt ad testimonium veræ resurrectionis Christi. *Ac venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis*; ut et ipsi qui viderant vere eos resurrexisse, testes essent ad plebem veræ resurrectionis. Multi siquidem qui resurgunt, recte multos faciunt testes. Quoniam et difficilis, licet optabilis sit ad credendum. Unde et Christus, quamvis unus sit mortuus, et solus pro omnibus, noluit solus resurgere, sed cum plurimis, ut primum testes haberet resurrectionis; deinde ipse una cum multis, ut spem refunderet desperatis, testis exstitit perpetuæ **1187** resurrectionis. Dignum quippe fuerat, quia illustraverat doctrinis nostrarum mentium tenebras, ut etiam inferorum obscura illustraret, sanctosque suos ad informandas mentes fidelium conspicabiles per resurrectionem carnis faceret; et mortis spolia, ab inferis jam vivus ascendens ac si victor, conspicua cernentibus reportaret, ne dicerent infideles quod non possit resurgere Dei virtute purus homo, quod potuit Christus, pro sua potentia, Deus homo. Quid enim aliud monumentorum aperitio, nisi quia claustris mortis effractis, resurrectionem omnium designabat mortuorum? Quorum in aspectu fides erat cernentium, in processu typus futurorum. Quod in sanctam civitatem prodeundo veniunt, præsentium declarabant speciem; et in eadem specie formam monstrabant futurorum. Hinc et multi quærunt utrumne perpetua fuerit illa resurrectio, an sicut Lazarus surrexit iterum moriturus, ita et isti rursus morituri resurrexerint? quod omnino Evangelium non declarat. Verumtamen plures sunt qui hoc affirmare ita conantur quod perpetua cum Christo eorum sit resurrectio facta, quamvis alii aliter sentiant. Quia si veri testes veræ resurrectionis Christi fuerunt, pium est, non solum opinari, verum et credere ac fateri quod perpetualiter, nunquam morituri resurrexerint. Alioquin quomodo veri testes veræ resurrectionis ac perpetuæ esse poterant, si mox in terræ pulverem redissent. Sed quia de Evangelio id minus contradicentibus persuadere possumus, satis sit nobis si noluerint credere, quod nec ipsi contradicere queunt; quæ satis devote una cum quibusdam sanctis doctoribus suspicamur. Quia etsi ea quæ astruimus magna videntur, majora tamen sunt, ut supra jam dixi, quæ per ista significantur in animis hominum, et quotidie fiunt quousque hæc omnia compleantur, quæ per Christum generaliter sunt repromissa. At vero isti interea *venerunt in sanctam civitatem*, scilicet Hierusalem illam, *et apparuerunt multis*. Sancta autem ideo vocatur, vel propter templum quod erat in ea, seu propter Sancta sanctorum; vel ideo quia prius sancta fuerat, et adhuc ex antiquo ita jure vocabatur vocabulo; sicut et Matthæus se publicanum vocare non erubuit, non quod jam hoc esset, sicut nec Paulus persecutor, sed quia hoc fuerat. Potest fieri et de illa cœlesti Hierusalem dicat evangelista, quod ad eam pervenerint et apparuerint multis, **1188** ne solus Jesus rediret ad superos, sicut ne solus resurrexit a mortuis. Ad quam utique cum eo ascenderunt, licet in hac terrena prius sint visi, qui ita resurrexerunt immortaliter, ne ulterius tenerentur morti obnoxii.

Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræmotu, et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes, Vere Filius Dei erat iste. O quam duricordes fuerunt Judæi! Ecce elementa interea insensibilia senserunt mortem Domini, mortui audierunt vocem clamoris ejus, inferi eos reddiderunt vivos. Centurio his ita visis credidit, *et qui cum eo erant*, ac confitentur Dei Filium : soli miseri Judæi, nec sentiunt quæ fiebant, nec credunt, nec venerantur, nec recogitant quæ gesserunt. Centurio, licet imperfecte, tamen credidit. Imperfecte quidem, quia cum dicit *Erant*, putabat fuisse more humano, nesciens mysterium deitatis ac defecisse per mortem, quam et ipsam mirabilem videbat. Unde Marcus ait : *Videns Centurio qui ex adverso stabat ibi, quia sic clamans expirasset, ait : Vere homo hic Filius Dei erat* (*Marc.* xv, 39). Non enim ait quod Matthæus dicit, quod viderit terræmotum et quæ fiebant, sed solummodo. *Quia sic clamans expirasset*. Unde magnum aliquid in eo Centurio intellexit clamore, atque in eo quod sic *emisit Spiritum*. Quod nisi aliquid in se admirationis plus haberet, nequaquam Marcus cæteris prætermissis miraculis, quibus in admirationem commotus est centurio, et qui cum eo erant hoc unum solum narrasset. Ac per hoc vere in tali miraculo deitas Christi declaratur. Sed quærendum de hoc uno ad liquidum, quia de cæteris jam supra tractavimus, quid mirum habeat, quia *emisit spiritum*. Nam nisi in eo sensuum magnitudinem secundum capacitatem suam idem centurio intelligeret, puto quod plurimum admiratus pro hoc uno, non diceret: *Vere hic homo Filius erat*

Introdusă în format electronic de Google

Dei. Sed quia *emisit spiritum*, quid aliud fecit, nisi quia mortuus est? Quod si hoc solum esset, et nihil ultra in eo mirabile appareret, nunquam Apostolus diceret, quia *tres sunt qui testimonium dant super terram* (*I Joan.* v, 7), utique Christo quia Deus est, spiritus, sanguis, et aqua. Spiritus prorsus quem emisit, et sanguis et aqua, ipso mortuo quæ de latere ejus contra naturam humanam in sacramento redemptionis nostræ manarunt. Sed quia de spiritu nunc agitur, quærendum quomodo et quod testimonium dederit. Nam testimonium non aliud credimus dedisse, nisi **1189** quia Christus Deus verax est. Sed quomodo hoc dederit, res non in aperto est, nisi forte quia in vultu ejus tanta erat alacritas, tantaque claritas, ut possent omnes intelligere, quia sua sponte moriebatur, tantaque vox ejus fuerat, cum ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, ut cognoscerent singuli, quod non humanitatis esset tantum, verum etiam et divinitatis haberet mysterium. Unde et cum orasset, mox ac si sopitus somno pacis, *inclinato capite tradidit spiritum*. Verumtamen etsi multum indicium claruit in eo, quod Filius Dei esset, in habitu, in voce, in intellectu vocis, est tamen aliud quod majores nostri tradunt. Quia consuetudo erat Romanorum, et omnium eorum qui flagellabant eos qui crucifigebantur, percutiebant quidem eos primum, qui pro suis sceleribus tenebantur rei, et multis macerabant suppliciis, ne majorem sustinerent cruciatum, quia post crucifixionem, cum multo dolore longiorem et nimium sustinebant tormentum, si non prius cruciarentur sub alarum et nervorum percussionibus; sed quia in Jesu ista prius non fuerant facta, eo quod Pilatus *volens satisfacere populo* universo qui clamaverat: *Crucifige, crucifige*, timensque tumultum eorum, non jussit ea in Jesu fieri ut cito moreretur in cruce. Quia quibus mors accelerata non esset in cruce solebant vivere usque in triduum, etiam et usque in quatriduum. Jesus autem cum non fuisset prius ita percussus, sperabatur diu pendens in cruce vivere, et majora pati tormenta. Sed quia venerat hora ejus uti post triduum in prima Sabbati resurgeret, oravit ad Patrem et exauditus est, atque ut clamavit pacifice receptus est, quasi potestatem habens ponere animam suam. Et ideo *inclinato capite* (*Cant.* I, 7), sic posuit eam quando voluit, et quomodo voluit. Quod prodigium contra omnium eorum consuetudinem qui cruciabantur in cruce, videns Centurio, dixit: *Vere hic homo erat Filius Dei.* Miraculum enim magnum fuit, quia post tres horas receptus est, qui forte biduum vel triduum victurus esset in cruce, si secundum consuetudinem eorum viveret qui suspendebantur. Idcirco magnum visum est Centurioni beneficium Dei fuisse quod exspiravit tam cito, et magis ex merito orationis ejus, quam ex violentia crucis. Alioquin si factum fuisset circa corpus Jesu juxta consuetudinem eorum quos cito deponere volebant de cruce, quid necesse fuit ut **1190** centurio cum militibus servaret eum in cruce. Vel quid necesse erat quod scribit Joannes, rogare et preces offerre Pilato *ut frangerentur eorum crura*, quatenus per hoc mors citius occurreret, sicque deponerentur de ligno propter Sabbatum, teste Evangelista, ne eo in die penderent in cruce. Sed cum frangerentur eorum crura, qui crucifixi erant cum eo, et venissent ad Jesum, *non fregerunt ejus crura*, quia ipse jam spiritum emiserat. Propter quod novum et inauditum fuit hoc miraculum, non solum centurioni et his qui cum eo erant, verumetiam et Pilato. Unde cum audisset Pilatus Joseph, quod jam mortuus esset, admiratus valde, teste Marco, vocavit centurionem et interrogavit si vere mortuus esset. Quapropter inter cætera miracula quæ facta sunt in passione Christi, non hoc minimum præ omnibus fuit. Ex quo admiratus centurio, *et qui cum eo erant*, etiam Pilato nuntiarunt, præ stupore et novitate rei quæ acciderat. Non est tamen contrarium quod hic Matthæus *viso terræmotu, et his quæ facta erant*, dicit admiratum centurionem, *et qui cum eo erant*; quoniam inter illa quæ facta sunt tunc tam mirabiliter, etiam ipsa mors mirabilis exstitit Salvatoris, plena potentia Dei et stupore. Unde quia plura sunt et grandia, liberum fuit narrantibus evangelistis, quid quisque miraculorum commemorare voluisset, vel quid ex omnibus, eos qui viderant admiratos fuisse. Quoniam in nullo evangelistæ dissentire videntur, cum alius illud dicit fuisse admiratum. Eo quod omnia singuli merito sunt admirati, et singula quæque omnes. Quis enim non poterat admirari, quando ascendit in cruce, quod subito tam horrenda nox meridie occurrit super terram? Vel quis non potius obstupesceret in hora quando emisit spiritum, quod tam serena lux rediit? Quia usque in horam nonam quando emisit spiritum, easdem tenebras fuisse manifestum est. Tunc autem et *velum templi scissum est*, et terra tremuit more insolito, et commota est, *petræ* quoque *scissæ sunt*, *et monumenta aperta* mortuorum. Et ideo videns centurio, et qui cum eo erant terræmotum, ex his quæ fiebant horribila, non solum mirati sunt, sed et timuerunt valde dicentes: *Vere Dei Filius erat iste.* Quod si vere Dei Filius erat, utique desiisse non poterat; quia quod vere est, idem omnino semper est. Interea centurio iste, et qui cum eo Dei Filium confitentur, fidem gentium **1191** præmonstrant et veram fidem; quia, ut Marcus ait, eum Deum et hominem confitetur, ita dicens: *Vere homo hic Filius Dei erat.* De quod Lucas ait quod dixerit, quia *vere hic homo justus erat.* Seu quia utrumque de illo dixerunt, eo quod et homo erat ac justus et vere Dei Filius. Ad unam quippe sententiam, utraque verba concurrunt, et ad unam fidem. Nec quod alius tacuit, hic homo, et alius dixit, ullo modo contrarium est. Sed sic erat qualitercunque ille crediderit, ut semper idem sit, et non sicut eum forte putasse dicitur, ut non vere Dei Filium eum crediderit, sed justum et sanctum, ita ut multi justi dicti sunt filii Dei. Verumtamen quidquid horum, ille senserit, non

Introdusă în format electronic de Google

recte credimus ac confitemur eum vere Deum et hominem Deique Filium et in sua justitia vere justissimum. Ad ultimum inter cætera miracula nihil minus claruit illud postquam Dominus resurrexit, quia multi, *qui dormierant, surrexerunt et apparuerunt multis*. Nec tamen omnibus, sed his tantum qui digni erant talia videre, ut essent testes a Deo præordinati. Unde oportet intelligere, quia sicut de his non sunt scripta omnia, quibus visi sunt, vel quandiu, nisi quia *venerunt in sancta civitate, et apparuerunt multis :* ita nec de resurrectione Christi omnia litteris sunt contradicta. Quod probat apostolus Paulus cum ait, quia *visus est simul*, postquam resurrexit, *plusquam quingentis fratribus* (*I Cor.* xv, 6). Idcirco hæc dixerim, ut intelligat prudens animus quod non omnia Salvatoris miracula scripta sunt, neque enarrata quæ gessit, sed pauca de plurimis, solummodo ut credamus.

Erant autem ibi mulieres multæ, a longe, quæ secutæ fuerant Jesum a Galilæa ministrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi. De his ergo mulieribus magna quam sæpe ambiguitas nascitur, sicut et in loco. Ecce ubi Matthæus dicit matrem filiorum Zebedæi fuisse cum reliquis duabus, Marcus Salome illam fuisse commemorat. Nec igitur mirum, cum utrique eorum, licet tres nominaverint, plures fuisse insinuant, quæ fuerant eum secutæ a Galilæa, et erant aspicientes de longe, inter quas erant istæ tres, de quibus Matthæus dicit; quas et Marcus similiter nominat, nisi quia pro matre filiorum Zebedæi Salome ac si alteram ponit. Poterat enim fieri ut et illa esset quæ de his multis, a Marco tertia poneretur. **1192** Nil enim interest ad veritatem quas mulieres idem pariter, quas singuli ex *his* omnibus nominaverint. Suspicatur tamen Origenes eamdem Salome fuisse matrem filiorum Zebedæi, quæ jure ita vocatur. Multæ, inquit, erant exspectantes ad crucem Jesum, sed de his præcipuæ nominatæ sunt, quasi attentius eum spectantes et amplius ei ministrantes, melius et perfectius sequentes. Quia consuetudinis Judææ fuit, nec ducebatur in culpam more antiquo illius gentis, ut mulieres de substantiis suis victum atque vestitum suis ministrarent præceptoribus. Quod quia scandalum facere poterat in gentibus, abjecisse se memorat Paulus apostolus : *Nunquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut et cæteri apostoli* faciunt? (*I Cor.* ix, 5.) Quæ profecto mulieres ministrabant Domino de substantia sua, et sequebantur eum propter doctrinam sanctam. Non quod his egeret Dominus, sed ut typum ostenderet ac formam magistrorum sequentium, eo quod victu atque vestitu ex discipulorum obsequio debent esse contenti. Sed videamus quales habuerit comites Salvator. Mariam namque Magdalenam de qua septem exierant dæmonia, quæ a Magdalo vico, vel loco, in quo orta fuerat, conveniens satis sibi traxit agnomen. Porro Magdalu interpretatur *magnificatio*. Et erat hæc Maria de magnificatione Dei magnificata, quia secuta fuerat benignissimum Jesum, cui remissa fuerant peccata multa, quia dilexit multum, et ministrabat ei præcipue inter omnes; et exspectabat sicut Evangelium declarat, mysterium passionis Christi ac resurrectionis, amplius præ omnibus. Erat et inter has præcipuas Maria Jacobi minoris et Joseph mater, quæ fuit soror Mariæ matris Domini, et matertera Christi, quæ et ipsa magna in prole, sed major in sanctitate. Quæ sequens Dominum magis affectu mentis ex desiderio virtutum, quam amore carnis; et ministrabat Domino usque ad mortis articulum. Sed Hieronymus scribens ad Hedibiam de his Mariis, dicit marterteram Domini Mariam Cleophæ fuisse. Quod si ita est, videat ipse quomodo Jacob et Joseph fratres Domini dicantur; nisi quia propinqui ejus erant ex carne, eo quod essent, ut credimus, Mariæ sororis matris Domini filii. Et multi ita consentiunt, quamvis præfatus doctor eo in loco hoc contradicere videatur. Erat et tertia inter alias præcipua mater **1193** filiorum Zebedæi, qui relicto viro, vel mortuo, secuta est Jesum, nihilominus in mysterio, cujus filii vocati sunt filii tonitrui. Unde et ipsa forte propter fidem et sanctam vitam Tonitrus vocabatur; non quia filii sunt ita vocati, sed quia ipsa ab eodem tonitruo Christi fuerat excitata ut sequeretur eum et ministraret, exspectans quæ gesta fuerant circa Dominum, cujus filii sunt Jacobus et Joannes. Qui nimirum Joannes filius tonitrui audivit et ipse septem tonitrui verba, quæ quasi eminentiora, quia mundus nequibat capere, jussum est ei ne scriberet. Unde liceat opinari, ut diximus, ac dicere nomen matris filiorum Zebedæi, quod ipsa sit, quæ a Marco Salome vocatur, quoniam utrasque præcipuas absque dubio inter cæteras uterque evangelista ex nomine designavit. Et ideo forte Salome vocatur, quia Salome *pacifica* interpretatur. Unde quia reliquæ duæ magni meriti erant, non immerito suspicor, et hanc tertiam, ipsam esse matrem filiorum Zebedæi, quæ apud Marcum et ipsa tertia Salome vocatur; quæ secutæ fuerant a Galilæa benignissimum Jesum, ascendentes cum eo in Hierusalem, ut simul cum illo Pascha agerent. Iste enim finis eorum omnium est, qui Galilæam gentium relinquunt et sequuntur Dominum, ut non solum ascendant in Hierusalem, verum etiam cum Christo ascendentes in eam, verum pascha celebrent, quatenus Dominum resurgentem, rursus in transmigrationem læti videant.

Cum sero autem factum esset, venit homo quidam dives ab Arimathia, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Dives autem dicitur, non per jactantiam scriptoris, ut divitem seu nobilem referat discipulum Salvatoris, cum ipse dicat : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* xiv, 33). Sed ut ostenderet causam quare a Pilato potuerit impetrare corpus Jesu vel unde accessum ad eum habue-

Introdusă în format electronic de Google

rit; primum juxta Marcum, quia decurio erat, id est de ordine curiæ cujus officium administrabat, unde et curialis dicebatur, id est senator curiæ, quod melius in Græco habetur σύγκλητος βουλευτής, hoc est consiliarius, quia procurabat consilia civilia et publica; deinde quia erat dives et nobilis, secundum natales suos. Alioquin pauperis et ignoti, non erat facultatis ad Pilatum præsidem Romanæ potestatis accedere, **1194** et crucifixi corpus, de quo tanta coram cunctis adjudicata, vel super quem tanta fuerant declarata, impetrare; qui fuit ut dicitur *ab Arimathia*. Ipsa est Ramathaim civitas Helcane et Samuelis in regione Thamutica juxta Diospolim. Quem noveris talem tantumque ob hoc a Domino præelectum, et præordinatum in utraque parte, ut dignus esset tanto munere apud principem tantumque officium sepulturæ Domino exhibere. Unde et Marcus ait: *Venit Joseph ab Arimathia nobilis decurio, qui et ipse exspectans erat regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Jesu* (*Marc.* xv, 43). Alias autem nisi esset magnæ dignitatis homo, non ita de eo diceretur. Et nisi majoris esset apud Deum, nequaquam tanti meriti fuisse laudaretur. *Erat* enim, inquit, *vir bonus et justus*, quia et ipse discipulus erat Salvatoris, licet absconditus, *propter metum Judæorum*. Unde non immerito movet aliquem cur ille qui propter timorem Judæorum *occultus* erat discipulus, vel quomodo ausus sit petere corpus Jesu, quod nullus eorum qui eum palam sequebantur ausus est facere. Unde intelligendum, fiducia dignitatis suæ hoc fecisse, qua præditus, poterat familiariter intrare ad Pilatum, eo quod honorabilis esset omnibus, ac liberalius impetrare. Ad hoc quippe ex providentia Dei olim electus erat discipulus, in tantum, ut nonnulli dicant, de eo primum psalmum esse cantatum: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, ac reliqua (*Psal.* i, 1). Qui cum esset, ut ita dicam, senator Judæorum, ac decurio reipublicæ, facilius impetrare potuit quod petebat. Cui Pilatus, vocans ad se illum centurionem, sicut Marcus narrat, qui custodierat Jesum in cruce, et admirans plurimum interrogabat de eo, ac *jussit reddi corpus*. Iste vero quamvis prius esset occultus Christi discipulus, ac soleret in audiendo verbum Dei, eorum inimicitias vitare, mox in extremo temporis fecit palam cum omni diligentia, quod prius occultum servabat, et exhibuit liberalissime officium funeris, nihil curans de Judæorum offensione, quoniam justus erat, et quia justus ideo vir bonus. Unde eo quia *bonus et justus*, intellexit se ad hoc esse electum, ut tali in tempore, tanti muneris devotus expleret officium.

Qui accepto corpore involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra; et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit. **1195** Quam sane sepulturam Joannes, non a solo Joseph dicit procuratam, sed etiam a Nicodemo; incipiens narrat quod Nicodemus qui venerat *ad Jesum nocte primum, ferens misturam mirrhæ et aloes quasi libras centum* (*Joan.* xix, 39). Deinde adjungit et hunc Joseph, ac dicit quod acceperint corpus Jesu et ligaverint eum *linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Erat*, inquit, *in loco ubi crucifixus est* Dominus, *hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Hæc idcirco dixerim, ut unusquisque plenius considerare studeat, quales isti duo sub absconso habitu erant discipuli, vel cum quanto honore et reverentia procurarunt officium funeris Christi; ne forte quod Joannes aliquid plus narrat quam cæteri, repugnare videatur non recte intelligentibus. Quia etsi illi de Nicodemo tacuerunt, non tamen a solo Joseph eum sepultum affirmarunt, quamvis tantum solius commemorationem fecerint. Neque in eo discrepare videntur, quod Joseph eum in una tantum sindone involvisse dicitur, et Joannes linteaminibus involutum narrare probatur. Quia poterat et Nicodemus alia superaddere linteamina ob reverentiam et studium honestatis. Quamvis et propter sudarium et institas, quibus caput et totum corpus alligatum est, recte quia de lino erant ita queat dici, etiamsi una sindone fuerat involutus, quod linteis sit alligatus. Verumtamen nullus eorum aliud commendat quam linteis, vel una sindone corpus Dominini obvolutum, quamvis divites essent valde qui sepeliunt. Ipsaque narratur munda fuisse, quia dignum erat ut mundissimum corpus Domini mundo involveretur linteo. Et ex simplici sepultura Domini ambitio condemnatur divitum, qui nec in tumulis quidem volunt carere divitiis, ubi munditia peccati magis requirenda quam divitiæ. Sed corpus Jesu magis præstabat munditiam, quam illud ex quo involutum erat; quia quæcunque tangebat auctor vitæ, omnia nova fiebant et munda. Et ideo quam bene monumentum illud novum fuisse dicitur, in quo, juxta Joannem, *Nondum quisquam positus fuerat, quod exciderat in petra*. Quod ideo tam diligenter commendare videtur Evangelista, ne ullus adversariorum confingere queat, quod nullus alter ex eo surrexit monumento, in quo nullus melius unquam positus probatur. Nec hoc itaque fortuitu factum videtur neque ex eventu, quod **1196** eum *involvit in sindone munda, et posuit in monumento novo*; quia Jesus non consepelitur, nisi in corde novo, et fide mundissima, qua purgantur corda credentium. Quod monumentum nunquam exciditur, nisi in petra quæ Christus est, firmissima, etsi in nostris cordibus hæc sepultura Christi ac si in rupe durissima præcidatur, in quo corpus Christi ponatur. Et hinc oportet credere, quod non ille a nobis, sed nos a corpore sanctificamur, ut mundiores simus, si tantum fide recta et conscientia bona illud suscipimus. Alioquin sine corpore Christi vacui et immundi sumus. Sed quia consepelimur Christo, forte ideo Joannes signanter ait: *In quo nondum quisquam positus erat*. Sic enim dicit, in quo nondum, quasi in eo aliquis postea positus sit, quod omnino non credo, quia adhuc hodie satis gloriose custoditur ac servatur.

Introdusă în format electronic de Google

De quo Isaias dicit : *Et erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* xi, 10). Idcirco quod Joannes, seu Lucas dicunt, quia in eo nondum aliquis fuerat positus, magis ad mysterium referendum est. Quia consepelimur Christo per baptismum in morte ipsius, ut ille primum in ea pro nobis sepultus credatur, in qua nondum quisquam pro illo positus fuerat. Tum demum consepelimur ei per baptismum in morte ipsius, ac si in monumento novo, ut deinceps cum ipso *in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* vi, 4). Sed et *in sindone munda* tunc Jesum quisque bene involvit, cum pura eum mente in se amplectitur ac diligit. Ex quo quam bene mos in Ecclesia inolevit, ut sacrificium altaris, quod est corpus Domini, non in auro texta veste, non in serico, neque in aliquo tincto panno, sed in linteo puro ac mundissimo involvatur ac celebretur. Nec immerito igitur hoc ita sancitum est a sanctis patribus, quia sindone munda corpus Domini involutum est, ut eodem linteo etiam, et hoc corpus suscipiatur, et in eo conficiatur mundissime; quod et satis a nostris provide, ob mysterium, corporale vocatur. Unde miror qui dicunt hoc corpus Christi vere non esse quod de mensa Domini quotidie communicamus, cur hoc linteum ita vocare placuerit, si non hoc corpus Christi est, quod in eo et super eum conficitur. Unde et nomen traxisse probatur; quod falso dicitur, si non hoc est quod vocatur. *Et advolvit*, inquit, *saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.* Unde datur intelligi, quia munumentum Christi non ita fuit præcisum, ut hac in **1197** terra, monumenta formantur eo quod ostium habuisse memoratur. Hinc verum esse credimus quod multi tradiderunt qui eum viderunt, quod domus fuerit rotunda post ostium monumenti intus infra rupem vastissimam præcisa, tantæ altitudinis ut intra stans homo vix manu extenta possit ejus culmen attingere; et est illud ostium ab oriente, cui lapis ille magnus valde advolutus atque oppositus fuit. Non multi siquidem lapides, sed unus, et ipse magnus; in tantum ut major esset quam posset insidiantium virtus cito revolvere, aut levi motu, quamvis per longa sæcula, ab ostio monumenti aliquis removere. Nec tamen adeo major fuit quam fortitudo angeli de cœlo descendentis, qui potuit tam cito eum resolvere *ab ostio monumenti*, et super eum non lassus, sed ex mysterio terribilis residere. Cujus monumenti, quia cœpimus formam et modum positionis ad intelligentiam narrare visionum, necesse est explicemus. Erat enim, ut dixi, introitus ejus ab oriente, ac deinde illud ingredientibus erat a dextris ille locus in parte aquilonis, qui specialiter Dominici corporis receptu paratus est; septem quidem pedibus longus, trium vero mensura palmarum reliquo pavimento eminentior. Qui non vulgarium more sepulcrorum desuper patulus idem factus est locus, sed a latere meridiano, per totum a qua parte corpus posset imponi. Ex quo manifestius potest intelligi, quod Marcus ait, quia *introeuntes in monumentum* mulieres *viderunt juvenem sedentem in dextris* (*Marc.* xvi, 5). Quia nimirum locus Dominici corporis ubi angelus sedebat, intrantibus in dextris erat, nec tamen divisa erant ibi loca, sed continuata hæc omnia, nec divisa ab invicem, ut pote in una eademque petra excisa. Nunc autem, sicut tradunt qui inde ad nos veniunt, Ecclesia ibi est eximii operis, rotunda, triplici pariete distincta; in cujus medio monumentum est, habens ab oriente ecclesiam, quæ Golgotana vocatur adhuc hodie. In quibus profecto locis multa fabrica est ecclesiæ; siquidem ita ut cernere possis in eo loco Isaiæ vaticinium esse completum, quo ait : *In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* xi, 10). Quia locus in quo regnum mortis diruit, memorabilem servat judicii palmam, sicut et deprecatio gentium, usque ad fines terræ in signum salutis nostræ ubique floret. *Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera* **1198** *Maria* (quam matrem Jacobi et Joseph fuisse, Marco narrante, didicimus) *sedentes contra sepulcrum*. Colligaverat eas ardor amoris ad monumentum novum, propter corpus Jesu, nimius. Nam et duæ istæ cum matre filiorum Zebedæi, quæ supra forte Salome vocatur, fuisse narrantur de longe spectantes mirabilia passionis Christi. Sed quia non permanserunt tres, neque mater filiorum Zebedæi, neque Salome inscribitur. Forsitan ergo istæ quasi majores in charitate, usque ad sepulcrum in agone fortes permanserunt, et ideo meruerunt primæ videre Dominum resurgentem; quia cæteris relinquentibus, etiam viris, fideles ac fortes in officio perseverant pii amoris, exspectantes quod promiserat benignissimus Jesus. Quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, dicentes : Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam, etc. Post Parasceven autem Sabbatum est, id est septima feria. Quoniam Parasceve Græce *præparatio* dicitur. Quo verbo utebantur jam tunc Judæi, conversantibus inter eos jam Græcis. Et dicitur præparatio Paschæ non Judæorum tantum, quam et omnium, quia sexto die crucifixus est Dominus, quando, *Pascha nostrum* vere *immolatus est Christus* (*I Cor.* v, 7). Quæ vero dies jure præparatio vocatur, quia eo in die nostræ salutis præparata sunt omnia sacramenta. Nec sufficerat principibus sacerdotum et Scribis crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulcrum ejus custodirent, cohortem a Pilato acciperent, signarentque lapidem, qui vix a multis removeri posset. Et quantum in illis fuit, omnis hæc diligentia sepulcri parum erat, nisi manum opponerent resurgenti, quatenus tam evidens diligentia nostræ fidei proficeret incremento. Quia quanto magis observatur, tanto amplius resurrectionis virtus ostenditur. Unde et *in monumento novo*, quod excisum fuerat in petra, conditus est divina ex providentia, ne ulla fraus mentiendi de eo

Introdusă în format electronic de Google

locum haberet. Quia si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatus furto utique diceretur. Nunc autem in eo etiam prophetiæ adimpletur testimonium dicentis : Hic habitavit in excelsa spelunca petræ fortissimæ. Unde et statim post duos versiculos in eodem sequitur **1199** loco, regem cum gloria videbitis, quæ est vere gloria resurgentis. Sed quia calliditas Judæorum in omnibus semper astute agere conatur, oportet considerare quomodo impietas, et fraus suis se impugnat verbis. Dicunt enim dixisse Dominum : *Solvite templum hoc, et post triduum reædificabo illud* (*Joan.* II, 19). Unde et accusant eum ac si falsi testes : nunc autem rursus e contrario interpretantur illud dictum de solutione ac resurrectione corporis sui. Qua de causa ratio est, quærere per hæc verba quam versute agant. Si enim de resurrectione sua tunc sic intelligebant dictum, quomodo testimonium adversus ipsum dabant, quod hoc de templo illo dixerit quod erat ædificatum? aut si hæc vere ita intelligebant dixisse, quomodo testati sunt adversus eum? unde sciunt modo, quod dixerit, Post tres dies a mortuis resurgam? In utroque enim dolo si inveniuntur, et in utroque veritatis inimici. Per hæc enim verba ipsi testimonium suum condemnant; quoniam vere intelligentes de resurrectione corporis sui illa dicere, scientes converterunt illud in calumniam, et dixerunt ex destructione et reparatione illius templi eum ea dixisse. Adhuc aliam considerare oportet fraudem. Si enim in manifesto hominibus dicebat post tres dies a mortuis resurrecturum se, quomodo vel verisimile videri potest quod secreto mandaverit discipulis suis, ut furentur eum noctu, et dicant post tres dies quia surrexit a mortuis? Sed hoc ex hoc ipso incredibile probatur, ut eis post tantam doctrinam ista dixerit, quam in populo docuit universo; post tantas talesque virtutes quas in omni Judæa coram hominibus ostendit, ut falleret discipulos suos verbis. Qua fronte igitur ullus mortalium ista dicet? vel quæ utilitas in morte monstraretur ipsius? Nec dubium quin ipsi discipuli sic exterriti ista non facerent quod mandabat. Maxime propter periculum quod eis immineebat ab eis deprehensis si hoc facerent. Propterea verum est ex divina providentia, quod in præjudicium suum ista principes sacerdotum loquuntur, et ad corroborandam fidem nostram, ut et ipsi in omnibus inexcusabiles fiant, et nobis in nullo remaneret ulla dubietas. Adhibent custodes, signatur lapis sigillo sculpturæ suæ, et veniunt hæc omnia nobis ad testimonium fidei nostræ, et illis in condemnationem perfidiæ suæ. Verumtamen, quamvis ita confingant omnia et componant, ipsi semper sibi conscii sunt et testes fraudis suæ. **1200** Unde venientes quidam ex ipsis custodibus in civitatem nuntiaverunt, non aliis, sed ipsis principibus sacerdotum, omnia quæcunque fuerunt facta, ut ex omni parte inexcusabilis eorum inveniatur impietas. Illi tamen, quamvis in omnibus ita conclusi, nec sic suscipere voluerunt Christum Dei Filium, nec revocare se ab impietate sua, sed post hæc omnia secundum duritiam cordis sui thesaurizare sibi jam et indignationem in die iræ, et revelatione justi judicii Dei.

(Cap. XXVIII.) *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria, videre sepulcrum.* Quantum sentio, mirum et inauditum loquendi oritur genus. Non enim hanc sæculi dies novit vesperam, nec habet mundi usus, quia vespera finit et non inchoat diem ; tenebrescit quoque et non illucescit. Unde et Genesis servat ordinem naturæ, *et factum est*, inquit, *mane ac vespere dies una* (*Gen.* I, 5), sic et de reliquis, nisi quod Sabbatum, id est septima dies, quæ requies esse dicitur, habet mane sine ullo vespere. Quia profecto vespera Sabbati ipsa est in mysterio *quæ lucescit in prima Sabbati*, non ut noctem pariat, noctisque sit mater, sed ut ordinem mutet dum agnoscit auctorem, et tota clarescat in diem. Et non in quamlibet diem, sed in eam quam fecit Dominus extra omnem diem; ut serviat non tempori, sed factori suo et creatori omnium sæculorum. Et ideo tota hæc locutio radiat in mysterio, respondet in novitate, anhelat gaudens auroram lucis exhibere, ut tota clarescat vespera, quæ accidit in occasum solis in prima Sabbati, quæ est dies lucis; dies, inquam, lucis, quæ nullum novit occasum. Prima igitur Sabbati dies Dominica nunc dicitur, quæ prima condita est in principio, et prima meruit videre Dominum resurgentem. Ipsa quidem prior mundo principium dedit, ipsaque per Christum prior reparari promeruit. Sed quod evangelistæ diversa mulierum describunt tempora, non mendacii est, ut impii calumniantur, sed sedulæ visitationis earum officium. Nec itaque diversum est quod sentiunt, sed unum atque idem, ut paulo plus quam mediæ noctis intelligatur tempus, quod est gallorum cantus, et eum diversis appellavere nominibus. Matthæus enim scribit, *Vespere Sabbati*, pro eo quod est sero, id est non incipiente nocte, sed jam profunda et magna ex parte transacta, apparuisse Mariæ Magdalenæ, vel venisse eas *videre sepulcrum*. Quia licet **1201** sero, tamen in ipsa vespera prioris Sabbati, *quæ lucescit in prima Sabbati*, venerunt, ita ut deinceps in Novo Testamento, non sequatur nox diem, sed præcedat. Quia juxta Apostolum *nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12), et tunc utique appropinquavit quando Dominus resurrexit. Siquidem vespere, non immerito tropice, pro tota accipitur nocte. In cujus noctis fine, id est vespere Sabbati, venerunt præfatæ mulieres ad monumentum illucescente jam eadem nocte in prima Sabbati, seu, ut in Græco habetur, in una Sabbati. Ipsum igitur evangelista, vespere interpretatus est Sabbati, cum ait *quæ lucescit in prima Sabbati*, id est appropinquante jam luce sequentis diei. Verumtamen quantum de hac re evangelistæ dissentiant, considerandum est. Quia quamvis Matthæus ita dicat, longe aliter Marcus de hac ipsa eademque nar-

Introdusă în format electronic de Google

rare videtur. *Et valde mane*, inquit, *una Sabbatorum veniunt ad monumentum*, oriente vel *orto jam sole* (*Marc.* XVI, 2). A quo quidem nec Lucas, nec Joannes multum discrepare probantur; cum ait Lucas, *valde diluculo* (*Luc.* XXIV, 1), et Joannes, *Mane cum adhuc tenebræ essent* (*Joan.* XX, 1). Nam hoc intelligitur et Marcus dicere, cum ait, *et valde mane*, oriente jam sole, id est ab oriente, cum cœlum jam incipiebat albescere, licet adhuc tenebræ essent super terram; quod non fit nisi ex vicinitate jam solis orientis, quando aurora quasi prævia solis incipit apparere, et tamen adhuc tenebrarum caligo densatur; quæ tanto magis attenuatur, quanto magis lux solis prævia inaltatur. Unde quod ait, *et valde mane*, non sic accipiendum est, tanquam sol ipse jam esset effusus super terras, sed potius, sicut dicere solemus, mane, seu valde mane, quando gallorum cantus, ac si præco, insonuerit, lucis jam quia mane est surgamus. Non quod sol sit jam ortus, sed quia e vicino adesse scitur, vel creditur mox dies affuturus. Ast ubi viderimus aliquam orientis partem rubescere, vel quippiam inalbescere, mox diluculum adesse proclamamus, quod et valde mane vere dicimus. Unde unum est evangelistæ quod dicunt, unum quod sentiunt. Quia idem est valde, quod Marcus ait, quod est valde diluculo, quod Lucas; sed et quod Joannes immutavit, *mane cum adhuc tenebræ essent*; orto jam sole, id est quando ortu suo sursum ascendens incipit terras illuminare. Sed quomodo cum his tribus congruat Matthæus, de **1202** quo nunc dicimus, qui nec mane valde, nec diluculo, nec *mane cum adhuc tenebræ essent*, sed *vespere Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati*, licet jam ex hoc plura dixerim perquirendum est. Quia, ut dixi, prima noctis pars vesper est, et per hanc partem, totam noctem voluit significare; in cujus noctis fine, qui est diluculum, vel mane cum adhuc tenebræ essent, venerunt sanctæ mulieres cum aromatibus ad sepulcrum. Sed Matthæus inter cætera rerum sacramenta, ideo vespere dicit eas venisse, quia ex eo licebat jam aromata, quæ minus paraverant in Sabbato, transacto die, deferre. Forte et ideo nominavit vesperam, ut hanc licentiam exprimeret. Sed cum ait, *quæ lucescit in prima Sabbati*, tale est ac si dicat, mane vel diluculo quando lucescit nox prioris diei in prima Sabbati, *cum adhuc tenebræ essent*, quando incipiebat jam luce terminari, ut transiret nox prioris Sabbati tota in primam Sabbati. Quapropter quia a vespere noctem significavit, et in hoc eloquio divini verbi arcana Dei Sacramenta reseravit, admiranda est divini verbi sapientia, et virtus intelligentiæ; quamvis alii hanc horam simplicius, nec sub obscuro eam protulerint. Quia unusquisque eorum, non nisi unius temporis horam voluit exprimere, id est plus forte quam mediæ noctis, vel gallorum cantus, spatium. Quamvis enim tres eorum finem, Matthæus vero voluit indicare principium. Unde Hieronymo videtur quod Matthæus Hebræo sermone Evangelium conscribens non tam vespere A dixerit, quam sero; et eum qui interpretatus est, verbi ambiguitate deceptum fuisse, quia non sero interpretatus est, sed vespere. Solet namque ex consuetudine loquendi, et serum non vesperam significare, sed tarde. Solemus enim dicere, Sero venisti, pro eo quod est tarde; et quæ facere ante debueras fac saltem sero, id est tarde. In quibus omnibus, quamvis uberrimus sit expositionis exitus, tamen notum est, ut dixi, et admirabile loquendi genus, in quo et historiæ servatur veritas, et ineffabile, ut ita dicam, construitur sacramentum. In tantum ut ipsa Latinitas videatur esse corrupta, cum ait, vespere quæ lucescit; quod et in Græco sub eodem feminino genere scribitur, licet cujuslibet generis apud Latinos vesper esse dicatur. Quoniam in nullo B recte loquendi genus corrumpitur, ubicunque divinis regulis divina mysteria ineffabilius commendantur. Quoniam etsi nullus alius loquendi esset modus, quo intelligeretur **1203** hæc locutio, potuissemus dicere quod vespere Sabbati esset, non vesperascente die, sed nocte jam, ut ita dicam vesperascente, id est jam finiente nocte. *Venit Maria Magdalena et altera Maria*. Alia, ut quidam dicunt, sed ipsa; alia in persona et significatione, sed ipsa in nomine et novitate voluntatis. Quam aliam quidam matrem Domini existimant. Sed non puto quæ tantis affecta erat animi passionibus, tantis excruciata doloribus, ut sic passim discurreret, quam ab illa hora vocis Dominicæ discipulus suscepit in suam. Et notandum, quia non ait Evangelista venerunt, C sed *venit*. Quia sub uno nomine veniunt duæ, mysterio, non casu, quia duæ ad Christum venturæ erant ecclesiæ; duæ quidem, quia ex duobus populis, quia una est Ecclesia, unaque columba Dei electa genitricis suæ. Idcirco recte dicimus quia ipsa est in nomine, sed altera in prole; altera quidem ex prosapia, sed ipsa in sacramento sponsalitatis et nomine. Porro de Maria Magdalene nulla est obscuritas, quibus horis dicatur venisse ad monumentum, quæ prius vidit resurgentem Dominum, et postea ad monumentum flere refertur. Quia et prius sola, deinde cum altera, sive et cum aliis, memor beneficiorum Dei, quæ in se Dominus contulerat, ad sepulcrum ejus frequenter currebat, et ut ita dicam, D irremota officiis erat, quem nunc adorat discurrens et videt, deinde præ nimio amore deflet, quem quærit absentem et plorat. Quod autem dicit, quia venerunt *videre sepulcrum*, magnitudo dilectionis ostenditur. Quem quia videre non poterant, ardebant amore charitatis, si vel sepulcrum ejus, quo positus fueret, videre possent. Verumtamen, earum adventus, non sine causa, ad monumentum fuit, qui ab alio evangelista plenius refertur, cum ait, quod *cum aromatibus* venerunt. Non enim vacuæ veniunt, sed plenæ officio charitatis et virtutum odoramentis.

Et ecce terræmotus factus magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, et accedens revolvit lapidem ab ostio monumenti, et sedebat super eum.

Introdusă în format electronic de Google

Tremuit ergo terra, non quia angelus descendit de cœlo, sed quia ab inferis dominator reascendit Dominus. Et ideo *terræmotus factus est magnus;* nec minor puto quam fuit, quando emisit spiritum, quia uterque motus terræ vere insuetus fuit, quando magnæ ac plures Asiæ civitates corruisse leguntur. Nec immerito, quia dissiliunt ima terrarum, **1204** commovetur chaos, et quatiuntur fundamenta orbis terrarum. Quid igitur mirum si ultra fines Judææ, inconsuete terra tremuit, et pondera moventur graviora, cum Dominus totius orbis descendit et reascendit ab inferis. Quando omnia mortis jura fracta creduntur, et portæ inferorum dissolutis viribus reserantur; quæ omnia nisi in imis essent, non credo quod terra, quæ deorsum et super abyssum est, sic tremuisset. Non solum semel, sed et secundo. Id est primum, quando omnipotens Jesus emisit spiritum, et ad inferna descendit, deinde cum resurgit ab eisdem inferis, et captivos quos tenebant claustra inferorum victor secum inde reduxit. Idcirco non sunt audiendi qui dicunt, alicubi inferna quam in imis terrarum esse. Quia si alicubi essent loca illa, Dominum ad se venientem utique sensissent, sicut terra præsensit ac tremuit, quando Christus occubuit in mortem, et quando ab ea victor ascendit. Nec mirum si corripitur tartarus, disciscunt inferna, cum ad ea Christus usque excurrit. Addicitur mors quæ reos tenebat cum incurrit in Judicem; et quia sæviens in homines exarsit, et prosiluit in Deum, merito remota sunt jura tartarorum. Potestas aufertur cum ab inferis mortui suscitantur. *Angelus enim Domini descendit de cœlo*, imo angeli. Non ut resuscitent Dominum, sed ut annuntient eum resurrexisse a mortuis, et ostendant nobis, quia terrenis redditum est jam cœleste commercium. *Et accedens revolvit lapidem.* Et non dixit volvit, sed *revolvit lapidem*, qui advolutus probavit mortem Christi, revolutus vero exstitit assertor veræ resurrectionis, cum exhibuit vacuum monumentum. Non enim auferri poterat quem tantus claudebat lapis, quem sigillum obsignabat, quem milites custodiebant. Qui ideo ante oculos mulierum revolvitur, ut sic corda per fidem aperiat infidelium, quomodo aperuit sepulcrum, et ostendit jam ex eo, sine ullius fraude resurrexisse Dominum. Custodiunt angeli exuvias corporis, et rogant mulieribus ne quærant jam viventem, cum mortuo. *Et sedebat,* inquit, *super eum.* Quæ causa angelo sedendi erat? Nunquid aliqua inerat ei lassitudo? Forte ex itinere, aut labore aliquo, fatigatus erat, et ideo sedebat ut requiesceret. Non utique, quia nulla ei inesse potest lassitudo, quia incorruptibilis natura est. Sed sedebat quasi fidei assertor, et doctor resurrectionis Christi. Sedebat quasi magister cœlestis scholæ super petram, ut soliditas sedentis **1205** daret credendibus fidei firmitatem. Prædicabat jam Christum ex sessione sua, quo ipse victor ascendens, sessurus sit super petram, id est supra soliditatem fidei, ac fundamentum Ecclesiæ suæ, quod nomen a petra, quæ Christus est, derivatur. *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix* (*Matth.* XVI, 18). In fulgore etenim terror judicii designatur, in nive autem blandimentum candoris ut demulceat pios et percellat impios. Alias autem ad angeli gloriam non sufficit fulgur, neque ad cœlestem naturam conveniunt vestimenta. Sed sub tali tantoque splendore præferebat coram oculis humanis speciem nostræ resurrectionis, et formam atque habitum, in quo qui resurrecturi sunt per Christum transformandi sunt in gloriam. Unde Dominus: *Tunc*, inquit, *justi fulgebunt, sicut sol in virtute sua* (*Matth.* XIII, 43). Sed quærendum quid est quod Marcus ait: *Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt* (*Marc.* XVI, 5). Si enim angelus iste super lapidem foris sedebat, quid est quod ait, quia intus introeuntes juvenem sedentem vident? Nisi quia forte duo tunc visi sunt angeli, unus de quo Matthæus dicit, et Marcus tacuit, alter vero de quo narrat Marcus, et Matthæus tacet, ut duos viderint, et a duobus sigillatim audierint quæ dixerunt. Prius siquidem audierunt ab illo qui foris sedebat super lapidem, quem cernebant, cujus profecto verbis, prius exhortatæ sunt, quia dixerat eis: *Venite et videte locum ubi positus erat Dominus.* Quo venientes et intrantes, viderunt juvenem in dextris de quo Marcus narrat, et Matthæus tacet. A quo pene sic milia audierunt: *Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum*, seu cætera. Quem itaque angelum prius videre non poterant, quia in dextris intra septa sepulcri sedebat, donec ab illo priori angelo benignissime exhortatæ introierunt, ab Oriente revoluto jam lapide in domum illam rotundam, per ostium monumenti. Ubi protinus viderunt angelum, scilicet juvenem illum, sedentem ad meridianam plagam illius loci, ubi positum fuerat corpus Jesu; hic enim locus in dextris erat, quia nimirum corpus Jesu quod supinum jacuerat, caput habuit ad occasum, unde dexteram necesse est haberet ad austrum, in qua dextera juxta **1206** positionem loci recte sedere angelus intelligitur. Et ideo schema sepulcri Domini cognoscere, valde pernecessarium est, ut possimus cognoscere et visiones angelicas plenius, et evangelistarum dissonantia ad unam redigere concordiam, et intelligentiam visionum. Nec non quomodo et secundum Lucam, intrantes in monumentum, duos angelos stantes ibi aut sedentes inveneriat. Quia nisi positio sepulcri id disterminet et distinguat, videtur esse contrarium quod evangelistæ variant pro mysterio. *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt veluti mortui.* Ministri perfidiæ, et exsecutores mortis alienæ, nequeunt sufferre cœlestia visu, neque fiduciam sumere de supernis. O quam miseri sunt, quos tunc perculit timor mortis, quando securitas credentibus reddita est vitæ. Merito igitur quia mortem servabant ministri mortis, ne viveret vita, percussit

Introdusă în format electronic de Google

et prostravit angeli adventus, ac facti sunt velut mortui. Quod nisi essent, ut ita dicam, plusquam mortui, debuisset eos excitare ad vitam resurrectio Christi, et visio angelica oculos eorum illuminare ut crederent resurgentem. Vacuum quoque monumentum et lapis revolutus debuit ostendere, quod jam rediisset ad vitam qui, signato lapide, non est inventus in monumento. Debuerat enim miraculum esse de facto, de exemplo spes resurgendi; de reversione Christi ad vitam firmitas credendi; de visione angeli, honor et triumphus æstimari resurgentis. Unde quia eos tanta dementia ceperat, ut in nullo fidem de Christo possent recipere, jure facti sunt ac mortui.

Respondens *autem angelus dixit mulieribus : Nolite timere vos, scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis.* Respondere quasi ad interrogata dicitur angelus, cum mulieres voce nihil interrogant, sed quia ad ea quæ intus gerebantur in animo angelus loquitur, recte ac si ad interrogata respondere dicitur. Consolatur enim eas et docet, et ne timeant monet. Non eos qui corde credulo præmortui jacebant, imo terrore perculsi, sed eas quas devotio trahebat et amor piæ dilectionis. Unde signanter ait : *Nolite timere vos.* Ac si dicat : Illi timeant qui non amant, nec credunt; vos cur pertimescitis, quæ vestros videtis concives? In illis siquidem perseveret pavor ac terror judicii; in quibus **1207** permanet perfidia et incredulitas mentis. Cæterum vos, quia Jesum quæritis crucifixum, nolite timere, sed congaudete et congratulamini, quia surrexit tertia die, suaque vobis promissa complevit. *Non est hic*, scilicet in monumento, ubi eum quæritis; *sed venite, et videte locum ubi positus erat Dominus.* Ut si meis verbis non creditis, saltem vacuo jam credatis sepulcro. Ecce quam pius doctor, quam modestus, quam benignus invitator. Qui licet resplendeat ut fulgur, sic temperat sermonem ut permulceat mentes femineas, et non ut perterreat quas docet. In facie siquidem angeli cœlestis naturæ monstratur claritas, et in veste figuratur communis gratiæ virtus. Quapropter audiant tumidi doctores et elati, qui magis semper cupiunt videri in eloquio et in vestibus, atque in omni apparatu gloriæ, quam prodesse et docere simpliciter. Ecce angelus in natura præclarus sic temperat speciem in colloquendo, potius ut mulceat, quam deterreat audientes. Temperatur vestium claritas, ut placidius videatur, quamvis in vultu prætulerit fulgorem ac terrorem ejus quem nuntiabat vivere, et speciem sui auctoris. Et notandum quod ait : *Scio enim quod Jesum quæritis.* Non enim ait quod corpus ejus quærerent quod positum est in monumento, sed *Jesum quæritis.* Quia nescit angelus solvere Jesum neque tripartiri eum in tribus, ut sic corpus in sepulcro quo positum est, et anima in inferno quo descendit, Verbum quoque in cœlo cum Patre, quo semper manet. Non itaque sic intelligit angelus ut miseri hæretici, qui quamsæpe dividere laborant Christum. Sed quid ait? *Venite*, inquit, *et videte locum ubi positus erat Dominus.* Non corpus tantum quod mortuum est, sed ubi positus est Dominus, qui nescit mori, quia Dominus dominantium est, et immortaliter vivit. Unde etiam et in Symbolo credere confitemur, *et in Dominum Jesum Christum. Qui* inter cætera quæ egit etiam *mortuus et sepultus* est. Et ideo quam bene angelus qui residebat ac si doctor egregius in sede æternæ soliditatis, non ait : Venite et videte ubi positum erat corpus; sed integre, quia indissolubilis unus est Christus, *venite et videte, ubi positus erat Dominus.* Quapropter audiant, qui eum rescindere volunt, et duas in Christo introducere personas, unam secundum carnem adoptionis, alteram secundum naturam proprietatis Dei, ita ut unus in eo dicatur nuncupativus Dei Filius **1208**, alter vero proprius. Verumtamen angelus docet et ostendit quod idem in utroque, et unus sit Dominus, unus in sepultura corporis, unus in Verbo, unus et in anima, unus itaque in utraque natura, indissolubilis et indissociabilis, manens in una persona Deus et Dominus. Nec Verbo divisus a carne, nec carne a Verbo, neque anima a Verbo et carne. Sed in his omnibus unus Deus et homo, unus *mediator Dei et hominum* (*I Tim.* II, 5), Dominus Jesus Christus. Sicque recte supra jam dixi, jure prædicatur Christus proprius Dei Filius, in unitate personæ crucifixus ac passus, mortuus et sepultus, cum sola caro sit passa. Et ideo egregie ait angelus : *Venite, et videte ubi positus erat Dominus.* Ecce angelus Dominum prædicat, cujus loquitur passionem, fatetur mortem, sed protinus resurrectionem confitetur. Et si angelus, post tot contumelias, post tam dira in carne supplicia, post sepulcrum, Jesum recognoscit Dominum suum, et confitetur, quid est quod hæretici garriunt, eum solummodo per adoptionem esse Dei Filium? Ecce angelus suam loquitur servitutem, cui devotus exhibet famulatum, sentitque jam totam injuriam passionis, transisse in resurrectionis gloriam. Nec minoratum Dominum in carne judicat, nec in passione existimat consumptam dominationem, neque defecisse virtutem dominantis, quem Dominum appellat eique servitutem exhibet. Nec erubescit Dominum vocare, quem crucifixum dicit, et ostendit devotus *locum ubi positus erat Dominus*, qui loco non capitur, nec continetur in loco. Ostendit igitur locum in quo jacuerat, ne alter et non ipse idem resurrexisse crederetur ex mortuis, ac jubet mulieribus.

Cito euntes, inquit, *dicite discipulis ejus, quia surrexit, et ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.* Nec itaque vacat a mysterio quod mulieres fiunt evangelistæ, ut per mulierem primum fides annuntietur resurrectionis in mundo, per quam primum perfidia intravit in mundum. Ordo namque erat justitiæ, ut hominibus per mulierem resurrectionis ad vitam daretur judicium, per quam primum tentationis ac ruinæ homini delatum est consilium. Nec igitur ad hæc duæ præordinantur sine rationis causa feminæ, uno sub nomine,

Introdusă în format electronic de Google

ut evangelizarent resurrectionem Christi discipulis. Sed **1209** ideo in sacramento sic præparantur ad sepulcrum, ut formam duarum ecclesiarum teneant, per quas longe lateque prædicatur Evangelium. Duæ siquidem mittuntur feminæ uno sub nomine, ut una declaretur Ecclesia quæ de Judæis ac gentibus quotidie aggregatur. Et ideo cito ire jubentur, quia in officio prædicationis nihil tarde nihilque tepide fieri oportet, sed omnia in velocitate perfectæ intentionis quantocius consummari, nec absque magno fidei sacramento discipuli in Galilæam ire jubentur, cum prius eum diversis in locis visuri erant. Sed quia Galilæa *transmigratio* interpretatur, oportet qui Dominum videre desiderat, transmigret primum de vitiis ad virtutes, de corruptione ad incorruptionem, de morte ad immortalitatem, quatenus in transmigratione jam facta, id est in Galilæam, Dominum videre queat. *Et exierunt cito de monumento cum timore, et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.* Quod autem dicit, exeuntes de monumento, insinuat quia omnia explorarunt sepulturæ mysteria, de quibus cæteri evangelistæ plura narrare probantur. Sicque duplex affectus mentis eas movebat, ut cito irent ac currerent, timor scilicet atque gaudium. Timor siquidem eas invaserat ex magnitudine miraculorum, gaudium vero ex desiderio resurgentis Dei. Quibus intus possessæ præ nimio amore concito gradu currunt ad apostolos, ut per eos fidei seminaria spargerentur in populo. *Et ecce Jesus occurrit illis dicens : Avete. Illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.* Nec mireris quæ sic quærebant, quæ per totam noctem eumdem locum frequentaverant, quæ ita jam festine currebant, si merentur obviam habere Dominum resurgentem, ut certius eum jam vivere evangelizarent, quem prius mortuum quærebant. Erat enim in illis duabus mulieribus, jam figura, ut dixi, totius Ecclesiæ, quia erat genus in specie. Ac per hoc et ipse festinus Jesus occurrit sponsæ suæ, quasi sponsus, et salutat prior ex dilectionis affectu, dicens: *Avete.* Non potestate terret eas, sed prævenit in charitate, nec auctoritate majestatis suæ perturbat, sed ex lege salutat sponsi, totusque vadit in salutationem. Sic enim salutaverat angelus Mariam, ut solveretur in illa maledictio Evæ : salutat autem et Christus ut benedictio Ecclesiæ donetur, et sponsalitatis jura firmentur. Hoc igitur primum munus salutationis postquam resurrexit, Excelsus **1210** attulit, quo solvatur illa maledictio primæ mulieris. Dixerat namque discipulis ipse : Neminem salutaveris in via. Et quid est, quod resurgens tam festinus illis occurrit in via et salutat? Non enim exspectat primum agnosci, nec requirit aliquid ab eis, nec permittit se interrogari, sed totus ex fervore pii amoris, ac si gaudens, vadit, ut dixi, in salutationem, suumque solvit ipse mandatum. Quoniam etsi sunt qui despondeant Ecclesiam unam virginem castam Deo sponsam, ipse solus est sponsus, qui sua salutatione suum solvit licite mandatum. Quia totum vincit et exsuperat vis amoris, dum eam suum esse fecit corpus, quam salutat in se, cujus ipse probatur esse caput. At ipsæ accesserunt et tenuerunt pedes ejus, juxta quod sponsa canit in Canticis : *Quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi et non inveni eum* (*Cant.* III, 1), nec dimittam illum. Nolunt ergo dimittere quem tenent manibus, quem adorant et credunt. Quem nisi credidissent, non tenerent. Sed quærendum quomodo hic juxta Matthæum Maria Magdalene vespere Sabbati, cum sibi socia pedibus Jesu advoluta jacet, tenet, et adorat, quando secundum Joannem mane Sabbati audit a Domino, volens rursus pedes ejus tenere : *Noli me tangere, necdum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XX, 17). Si ergo prius eum, ut Matthæus testatur, vidit resurgentem, cum altera Maria, et pedibus est advoluta, quos simul tenuisse dicuntur, quid est quod post ea reversa (quia domi nec manere ad modicum, nec subsistere poterat) quasi indignans sic eam abjicit? Nam ad monumentum veniens, quia *vidit lapidem sublatum ab ostio monumenti* (*Joan.* XX, 1, 2); *quo* sepulcrum claudebatur, currit ad Simonem, et ad illum alium discipulum *quem amabat Jesus* plurimum, et dicit eis : *Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum*, seu cætera quæ sequuntur. Ubi cum pervenissent illi duo et introissent : *Maria stabat ad monumentum foris plorans. Et cum se inclinasset, vidit duos angelos in albis sedentes* in loco monumenti, *unum ad caput, et unum ad pedes*; ac cætera. Quæ *conversa retrorsum, vidit Jesum stantem*, et dicit ei inter cætera : *Rabboni, quod dicitur Magister;* cui Jesus ait : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quod si primum eum credidit, ac pedes ejus tenuit et adoravit, quid est quod tam indigna judicatur a Domino, ne eum rursus tangat? Quod si stupor eam arripuerat, et terror visionis, miror quomodo tam cito **1211** fides defecerit, et cognitio prioris visionis, ita ut miraculis territa, quasi caligine obcæcata, nesciat prius quid gesserit. Unde datur intelligi in hac difficultate rerum, quia nisi diligens animus, et sepulcri positionem cognoscat, ut diximus, et temporis angustias compenset, nec non et continuam frequentiam mulierum et angelorum apparitionis juxta situm loci, quod magnus calumniantium patet locus, et multis involvimur inextricabilium quæstionum nodis. Quapropter dicam quod probabilius mihi videtur. Ecce prima Sabbati mane diluculo, sicut omnes consentiunt, ventum est ad monumentum, et factus est ille, quem Matthæus narrat, terræmotus, et revolutus est lapis, atque exterriti sunt custodes, ita ut in parte aliqua jacerent quasi mortui. Venit prorsus primum Maria, sicut Joannes dicit. Maria utique Magdalene sine dubio, cæteris mulieribus, quæ Dominum sequebantur, in dilectione Christi ferventior. Unde nec immerito Joannes solam hanc commemorat, tacitis his quæ cum ea fuerant. Venit ergo illa, et ut vidit lapidem sublatum a monumento, vel eum forte angelo revolvente, et antequam aliquid

Introdusă în format electronic de Google

diligentius inspiceret, non dubitavit ablatum esse inde corpus Jesu, cucurrit et nuntiavit Petro atque Joanni. At illi currentes, expleverunt quæ idem Joannes narrat. *Maria* autem interim, donec omnia explerent illi duo cursores, *stabat ad monumentum foris plorans*, aut forte a domo jam regressa. Stabat autem ante illum saxei sepulcri locum, sed tamen intra illud atrium quo jam ingressæ fuerant ipsa et illa alia Maria, seu et reliquæ quas tacent præter has duas, de quibus loquuntur, ob magni mysterii sacramentum. Quæ tunc viderunt angelum sedentem a dextris super lapidem revolutum, de quo narrat Matthæus et Marcus, qui dixit eis quæ lecta sunt. Inter hæc verba, quantum videtur, Maria, dum fleret, *inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit* illos *duos angelos*, de quibus dicit Joannes, sedentes primum. Deinde ut alloquuntur ei Luca teste, quia viderit eos stantes, surrexisse creduntur, et dixisse secundum ea quæ Lucas narrat. Inter quas forte angelorum visiones et miraculorum signa illa perterrita, etiam angelos quos videbat, stupore perculsa, ignorabat, huc illucque faciem circumferens, nihil aliud nisi Dominum videre desiderabat. Conversaque retro *vidit Jesum stantem, et nesciebat quia Jesus esset* (*Joan.* xx). Non quod **1212** Dominus juxta Manichæum et alios hæreticos formam mutaverit, ut pro voluntate sua diversus ac varius videretur, sed quia Maria obstupefacta miraculis, locus ille quia hortus erat, hortulanum eum putavit. Cui Dominus pene eisdem verbis quibus et angelus loquitur. Inter quæ plura erroris verba quæ dixerat, vocat illam benignissimus Jesus ex nomine, ac dicit : *Maria*, ut quem facie non agnoscebat, voce intelligeret. Illa, mœrore perfusa, *Raboni*, id est magistrum, vocat eum. Quæ cum vellet adhuc eum mente turbata contingere, dicit ei : *Noli me tangere*, et cætera quæ sequuntur. Tunc illa egressa de illo atriolo monumenti, seu ab eo loco ubi erat spatium horti, cum qua et aliæ, quas secundum Marcum invaserat tremor et pavor, cum irent, et nemini quidquam loquerentur, *ecce* in via, ut Matthæus ait, *occurrit eis Jesus*, ac dicit illis : *Avete. Illæ autem* jam melius edoctæ, vel recreatæ in fide, *accesserunt et tenuerunt pedes, et adoraverunt eum;* quem non adorassent nisi cognovissent. Neque Jesus permitteret se tangi ab eis, nisi credidissent quod paulo ante Maria non fecerat, quem hortulanum putabat. Sic enim, fratres, expositione loci, et frequentia mulierum et angelorum apparitionibus comprehendere possumus, ne in ullo evangelistas ab invicem dissentire. Unde intelligimus bis eas allocutionem habuisse cum angelis : unam scilicet cum eo qui supra lapidem sedebat, et aliam cum his qui in monumento erant. Sic et cum Domino, prius illic quando Maria hortulanum eum putavit, et nunc iterum, cum eis occurrit in via; ut eas ipsa repetitione visionis suæ et allocutionis firmaret, et recrearet a timore et tremore, et ab his omnibus quæ in mente eis dubietatis acciderant. Quibus ait primum, *Nolite timere;* deinde, *ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt.* Ecce quantum proficiunt ex visione Dei, quæ mox mittuntur ad apostolos, et fiunt evangelistæ. Unde sequitur : *Venit ergo Maria Magdalene annuntians discipulis quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.* Non quod sola illa hæc nuntiaverit, sed fit distinctio ab ea visione quam sola vidit et nuntiavit, atque ab ea quam cum reliquis vidit, quas Lucas commemorat, quod nuntiaverint hæc omnia illis undecim et cæteris omnibus.

Et ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant, etc., quæ **1213** sequuntur usque ad : *Divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.* Hæc ideirco dicta sunt a Matthæo evangelista, et facta a custodibus, ut inde magis magisque omnibus appareant inexcusabiles. Nam custodes licet facti sint ac mortui præ pavore, tamen et viderunt et audierunt plura, quando ipsos angelos cernere potuerunt, et petram ab ostio monumenti revolutam, seu cætera quæ nunc gesta sunt viderunt. Et hinc est quod ait, quia *nuntiaverunt omnia quæ facta sunt* (utique vera) *principibus sacerdotum.* Sed illi qui debebant converti ad pœnitentiam, et omnia perscrutari quæ dicta, quæ facta fuerant, ut invenirent veram vitam, ac probarent resurrexisse quem mortuum procul dubio sciebant, perseverant in perfidia, sicut et adhuc hodie. Ipsam pecuniam, quæ ad usus templi ac sacrificiorum Dei data fuerat, convertunt in redemptionem mendacii, sicut et ante triginta argenteos dederant proditori. Audiant dispensatores ecclesiarum quid hic sentiat beatus Hieronymus de talibus. Quod omnis qui stipe templi seu altaris, et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ Dei, abutuntur in aliis quibuslibet rebus, quibus suam expleant voluntatem vel lucra, similes sunt Scribarum et sacerdotum redimentium mendacium et sanguinem Salvatoris. Sed cæci principes, qui tantis obcæcantur malis, dant pecuniam copiosam militibus ut mentiantur. Nec tamen verisimile aliquid inveniunt quod dicant, nisi tantum persuadent ut dicant quia *nobis dormientibus, venerunt discipuli ejus et furati sunt eum.* Quod si dormierunt insanissimi Scribæ et Pharisæi, tantæ rei custodes, unde scire poterant qui eum tollerent, vel quo abirent? Sed milites dicunt quod sentiunt, et quod viderunt et audierunt; at vos e contrario redimitis mendacium ut dicant quod dormierint nec viderint ea quæ gesta sunt. Dicite, quæso, quis judex tales audiet testes? Quis tantum non intelligit mendacium? Quod si alii nequeunt deprehendere vestras insidias, ipsi milites intelligunt quam perfidi et quam dolosi sitis. Unde quamvis copiosam pecuniam dederitis ut tacerent verum et affirmarent mendacium, tamen ecce divulgatum est apud Judæos vestræ gentis homines quid fecistis, et quam inique. Et non solum apud Judæos, verum etiam et apud omnes gentes : *Ubicunque prædicatum* est *hoc Evangelium in universo mundo.* Viri sanguinum **1214** et dolosi, effu-

Introdusă în format electronic de Google

distis pecuniam, falsitatis pretium, et perdidistis legem, ac patriam atque templum. Invenistis ex consilio instrumentum perfidiæ, commercium crudelitatis, fraudem fidei vestræ, latrocinium veritatis. Dicere emistis pretio furtum esse quod erat resurrectionis arcanum. Et ecce divulgatum est quod egistis sicut contra vos adhuc hodie totus protestatur orbis. *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituit illis Dominus. Et videntes eum adoraverunt, quidam vero dubitaverunt.* Ubi magna oritur quæstio, quid est quod angelus primum in Galilæam ire jubet, quasi solummodo ibi visuri sint Dominum, quod et Dominus idem replicat eisdem mulieribus, cum antea visus est eisdem, in locis quibus Evangelium refert? Neque ipsi illuc ire acceleraut? De qua sola visione specialius ex præcepto mandatum est eis. Nequaquam igitur sine aliquo sacramento hoc factum existimo, quod in Galilæam ire jubentur, ac si solummodo ibi visuri essent Dominum. Forsitan quoniam hæc visio, ut ita fatear, non minus in prophetia quam in sacramento est. Nam Galilæa, ut sæpe dictum est, *transmigratio*, seu *revelatio facta* interpretatur. Ex quo prophetatum est quod ipsi apostoli de Judæis ad gentes transmigraturi erant, et in eisdem gentibus, id est in Ecclesia, plenius et perfectius post gratiam sancti Spiritus, visuri erant Dominum, ac si caput in membris suis; eo quod Christus et Ecclesia unum est corpus. In quibus profecto verbis, adhuc futurum revelatum sacramentum; quoniam apostoli et omnis Ecclesia Dei, cum perventum fuerit ad illam perfectam transmigrationem, in qua revelabitur ipsa visio claritatis Dei in futuro. Tunc eum videbunt non solum Apostoli, verum etiam omnes electi Dei, sicuti est. Ad quam procul dubio visionem, omnes invitantur ut transmigrent, et eant in Galilæam. Quoniam ibi in monte supra quo fundata est civitas illa in Ezechiele, quæ vergit ad Austrum, revelabitur Dominus, et ibi videbunt eum membra capitis, ubi ipse principium præcessit. Unde dicitur: *Ecce præcedet vos in Galilæam.* Quapropter quia in his altiora sunt sacramenta hujus visionis, forte ideo apostoli differunt interdum eo ire, ut et mysterium monstretur in facto, et ipsa visio ad litteram suo compleatur et in loco. Multa siquidem de his quæ gesta vel dicta sunt post resurrectionem in **1215** medio prætermittit Matthæus, singulisque Evangelistarum sua relinquens propria. Et narrat tamen perfectum finem divini operis, ubi licuit videre Dominum undecim discipulis. Ad quod spectaculum non credo quod tantum hi soli pervenerint, quibus angelus retro ut venirent monet, et a Domino mandatum et prædictum est mulieribus. Quomodo ergo fieri potest ut tam cito mulierum vel cæterorum refrigerasset charitas discipulorum, ne ad tantum desiderarent venire spectaculum, tantoque perfrui gaudio. Sed soli undecim ideo designantur, quoniam ipsi testes præordinati erant ad plebem, cæteri vero omnes in eorum complectabantur magisterio. Alias autem, quas nullus terror Judæorum potuit cohibere a cruce vel a sepulcro, non puto quod quiverit aliquis eas tanto privare gaudio, ne interessent in tam desiderabili contubernio. Sed in quo monte hæc visio ostensa fuerit non manifeste dicitur, nisi forte in monte Thabor, aut in alio aliquo, quo Dominus cum eisdem discipulis consueverat loqui. Et ideo quando dictum est ut irent in Galilæam, notus erat eis locus in eadem Galilæa, quo ire deberent juxta consuetudinem, ideirco dicitur: *Sicut constituit eis Dominus. Qui videntes adoraverunt eum.* Antea quidem viderant eum, sed nescio si tam manifeste, vel tam familiariter, et tam diu colloquendo quomodo tunc. Et ideo dicitur, *adoraverunt eum*, quia recognoverant omnia signa deitatis in eo et veritatis; quod ipse idemque esset qui se ante passionem suam, Deum et hominem monstraverat. Ipse qui post resurrectionem se vivere immortaliter ostendebat, instituens eos et docens de regno Dei. Unde jam securi et edocti in omnibus, eum adoraverunt ut Deum. Quod autem dicit, quod *quidam eorum dubitaverunt*, per recordationem hoc dicit, propter Thomam, qui retro dubitasse legitur in alia apparitione, seu quando simul perterriti putabant se spiritum videre, in qua visione forte dubitasse dicuntur. Quoniam in his omnibus licet prius dubitaverint, confirmati et edocti erant de eo ut ultra jam non dubitarent, quousque induerentur virtute Spiritus sancti ex alto. Et ideo in monte eum vident, ut ipse mons nobis perfectionem visionis ostendat. Ecce in monte amplius et perfectius se demonstrat, qui forte supra eodem monte octo beatitudines jam docuerat; in quo et seipsum ante passionem longe retro in gloria transfiguratum, **1216** quamvis paucioribus, exhibuerat. Nec mirum itaque si in monte talia exhibet vel docet, ut ex hoc altiora, nos insinuet intelligere, qui etiam in illa Apocalypsi Joannis id monte ostensus cernitur. Unde ait idem: *Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia* (*Apoc.* XIV, 1). Ex quo profecto liquet, nec hic nec illic, quia in monte ostensus est, vel quia in eo docet, quod nunquam absque magno mysterio, ut sæpe dixi, accipiendum est. *Et accedens dixit eis.* Accessit autem ille corpore ad eos, quia regressi illi ad se accesserunt plena fide, et dixit eis:

Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Non hæc de coæterna Patris divinitate loquitur, in qua coæqualis est Deo Patri et consubstantialis, sed de assumpta humanitate, quam suscipiendo cum esset in forma Dei, minoratus est *paulo minus ab angelis*, et in qua resurgens a mortuis victor *gloria et honore* coronatus est. Et hoc est quod nunc ait: *Data est mihi potestas in cælo et in terra* (*Psal.* VIII, 6), quia constitutus jam erat in unitate deitatis suæ, super omnia opera manuum Patris. Omnia namque subjecta erant pedibus ejus; inter quæ omnia, etiam ipsa mors, quæ ad tempus in eum prævaluerat, subjecta est ei, quam

Introdusă în format electronic de Google

moriendo destruxit, et resurgendo calcavit. Ubi licet Matthæus multa in medio præterierit, quæ cæteri narrarunt, in hoc uno universa redemptionis nostræ sacramenta, perfecte satis completa, et consummata in Christo monstravit, cum ipsum Dominum loquentem et declarantem gloriam majestatis suæ ostendit quando dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, ut qui paulo ante crucifixus fuerat, mortuus ac sepultus in tumulo jacuerat, ipse resurrexisse monstratur, cui omnis potestas in cœlo et in terra jam delata prædicatur. Cum autem ei omnis potestas data dicitur, jure et spe in unitate deitatis omnipotens prædicatur. Alioquin nisi Omnipotens ipse sit, non ei omnis potestas data est ab Omnipotente; forte quia noluit, vel quia non potuit; sed quia veritas est mentiri non potest. Idcirco recte Omnipotens creditur et prædicatur. Non per adoptionem, ut quidam garriunt, ut duo introducantur filii, sed per unitatem personæ in qua unus idemque proprius Dei Filius catholice commendatur; quoniam unus idemque est qui ait : Omnia Patris mea sunt. Et ipse ad Patrem, quia *tua omnia mea sunt*, **1217** sicut *et mea tua sunt*. Unde recte quæritur : Si omnia Patris Filii sunt ex æqualitate naturæ, et ex omnipotentia deitatis suæ, quid est quod nunc data sibi dicit omnia, quasi qui non habuerit antequam darentur ei omnia? Ubi profecto magnum ostenditur sacramentum pietatis, et condemnatur in una eademque persona omnium hæreticorum pravitas. Habet igitur a natura omnia quæ Patris sunt ipse idemque qui accipit gratiam, et non alius in persona quam ipse qui habet. Propterea ergo sic dicit ipse idemque ad Patrem, *tua omnia mea sunt*, atque hoc ipsum quod hic ait : *Data est mihi omnis potestas*. Quia in duabus naturis unus est Christus, in humanitate scilicet ac deitate, unaque persona in Trinitate deitatis. Et quia Christus una persona est secundum humanitatem, ait data est mihi, secundum vero divinitatem, in qua æqualis est Patri, *tua omnia mea sunt*, sicut *et mea tua sunt*. Ac per hoc Christus in utraque natura, unus Deus, unus omnipotens. Hinc Paulus ait quod dederit ei Pater *nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II, 10). Et hæc est omnis potestas quæ Christo data est. Licet hic Matthæus de potestate inferorum tacuerit, tamen cum dicit omnis, universaliter concludit quia et inferi in terræ nomine comprehenduntur. Unde non sunt audiendi qui inferos ubique esse dicunt, et non in loco; quia nisi in loco sint, nusquam sunt. Et hoc ita dicere contra omnem auctoritatem Scripturarum, dementissimum est. Sed et angelicæ potestates dicere quod non fuerint ei subjectæ, priusquam a mortuis auctor vitæ surrexerit, error est. Quia noverant virtutes cœlorum jure se subditas homini, quem a suo conditore specialiter assumptum videbant in Deum, et ideo ab initio conceptionis ejus in eo geminam naturam venerantur, prædicant et adorant, ac serviunt ei, quem *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*, angelus vocare jubet, qui ad Mariam primum venit. Unde et Joseph angelus loquitur, idemque pastoribus evangelizat gaudium; deinde ad cunas infantis auditur angelorum chorus decantare : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Sed et cum tentatur in solitudine, post monomachiam ejus et singularem pugnam, statim serviunt angeli et ministrant ei. Nunc quoque ad sepulcrum in vestitu candido angelus gloriam prædicat triumphantis, et alii cernuntur in obsequio ejus resurrectionis. **1218** Omnes tamen ejus resurrectionem prædicant et confitentur. Sed et in ascensu ejus non defuerunt angeli, non qui eum veherent et elevarent, sed qui eum rursus venturum prædicarent. In omnibus tamen una persona Christus in duabus naturis ab angelis Deus et homo, verus Dei Filius prædicatur. Et hæc est gemina operatio, quæ per omnem textum sancti Evangelii consideranda est, ut in uno eodemque Christo duplex intelligatur natura et gemina operatio in una eademque persona deitatis. Quoniam personam Filii Dei Patris, quam semper habuit, non assumpsit, sed naturam humanitatis. Hinc in omnibus, si recte intelligas, homo per omne tempus conversationis suæ in terris videbis nunc magnitudinis suæ gloriam ac potentiam demonstrare, per signa atque miraculorum opera; nunc humilitatis et humanitatis ejus, in unitate unius personæ formam exhibere. Propter quod benignissimus mediator ipse Dei et hominum adhuc in terris positus, jam devicta morte pernecessarium duxit hominibus declarare. Quod *data* sit *ei omnis potestas in cœlo, et in terra* ; ut ex hoc uno reliqua omnia confirmaret sancti Evangelii sacramenta. Quod sane Evangelium ferentem per medium cœlum angelum Joannes in Apocalypsi sua videt, de quo dixit quod Evangelium ferret æternum. Et ideo clementer ac provide satis debuit prædicari ac doceri in terris, quod jam aperte evangelizatur et declaratur in cœlis.

Ite, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*. Rectissimus igitur prædicandi ordo traditur, et modernis prædicatoribus Ecclesiarum Dei diligentissime servandus prædicatur; ut primo quidem docerent auditores suos, deinde fidei sacramenta eis traderent novæ nativitatis. Ad ultimum ut omnia quæ mandata erant eis, ex integro ut custodirent. Quia nec baptismus sine fide prodest, neque fides sine operibus mandatorum Dei. Et ideo docenda est primum fides, qua recte creditur Deus, et in qua donantur ut possibilia sint omnia credentibus, nec non et potestas adoptionis, *ut filii Dei nominemur et simus* (*I Joan.* III, 1). Deinde, his ita instructis, tradenda sunt sacramenta fidei, et si baptismo tingendus homo, ut renascatur in eodem sacramento totus. Tunc demum oportet ut instet prædicator ac doctor, ut deinceps **1219** jam in illa nova nativitate opera fidei consequantur, et mandata in quibus charitas adimpletur custodiantur. Audiant omnes hæretici et schi-

Introdusă în format electronic de Google

smatici, in qua fide renascitur universa Ecclesia Christi, et in quibus verbis in fonte tingitur homo, *In nomine*, inquit, *Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Non enim dicit in nominibus, sed *in nomine*, quia Patris et Filii et Spiritus sancti non nisi unum est nomen. Quia hi tres relative dicuntur ad invicem, ut tres dici queant, sicut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quamvis tres sint, unus est Deus, unus omnipotens, et quidquid est quod ad se Deus dicit, quia in eo non nisi una natura est, una deitas, una virtus, una magnitudo, unaque potestas. Et ideo unum in tribus nomen esse creditur; propterea et in eo nomine, quod unum est, in Trinitate unitatis, baptizari jubemur, sicut et in unitate Trinitatis. Quia nec Trinitas Deus recte sine unitate creditur, nec unitas ad salutem vere, sine Trinitate prædicatur. Ubi non quaternitas propter deas substantias in Filio, sed Trinitas commendatur, quia totus Christus in Trinitate non nisi una persona jure creditur; et ut manifestius ita esse intelligatur, audiamus quod sequitur : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Ipse idem Christus est, qui ad Patrem rediens, a quo nunquam discedens cœlos secundum carnem ascendit, ipse idem qui secum, suis electis in terris semper adfuturum promittit. Nec dividitur unquam aut usquam a se, postquam *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), ut esset Deus et homo unus Christus. Unde moneo pios auditores verbi Dei, ut semper solliciti sint a principio Evangelii, in omnibus, quod et retro frequenter monui, ne in ullo corrumpatur doctrina Christi, quoniam universalis est, et in nullo sibi adversatur, sed unus in omnibus de Christo et integer manet sensus. Quem profecto finis Evangelii evidenter commendat, quod unus idemque sit, et manet, et vadit. Nam cum ait, *Ecce ego*, demonstrantis est adverbium; et cum dicit *vobiscum sum*, divinitatis ejus magnum est et admirabile prædicamentum. Ita ut in una eademque sententia, et oculis monstraretur humanitas carnis, et intelligibilis in una eademque persona prædicaretur ineffabilitas Verbi. Nec enim dicit vobiscum fui et ero, quasi de præterito et futuro, sed *vobiscum sum*, quod proprium est divinæ majestatis. Nec enim habet præteritum vel futurum divinitas Verbi, sed **1220** semper idem esse. Unde et ad Moysen olim dictum est, suam volens ostendere incommutabilem divinitatem, *Ego sum qui sum*; et, *Dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Non enim potuit Deus aliquid plus proprium de se dicere, quam cum ait, *ego sum qui sum*. Unde et in hoc loco semetipsum volens discipulis demonstrare, quod ipse esset qui ad Moysen loquebatur prius, pene id ipsum dixit : *Ecce ego vobiscum sum*; ac si diceret: Quia semper idem et ubique præsens sum. Sed tamen aliter ubique per majestatem qua complet universa, aliter nobiscum est secundum gratiam. In qua nimirum sententia multam fiduciam dat omnibus in se credentibus; quia non solum hoc suis promittit discipulis, verum etiam omnibus Christianis. Non enim apostoli usque in finem sæculi in carne erant victuri, ut cum eis semper esse dicatur, sed Ecclesiæ suæ fideliter hoc repromittit, quod ipse caput semper cum membris suis sit affuturus, cum quibus et in quibus omnia debeat consummare, et adimplere quæ desunt in corpore suo, et in membris suis. Sed hæc fiducia ut constans sit et perseverans, non nisi de vera fide nascitur, et ex ea *quæ per dilectionem operatur.* Quam qui perfectam habuerit, omnino, ubi vel ubi, præsentem ibi Deum semper sentit et intelligit. Quia divina majestas quamvis ubique præsens sit, tamen longe aliter est cum reprobis ut perdat de terra memoriam eorum, aliter cum electis per gratiam suæ protectionis. Verumtamen ipse ubique omnia cognoscit novissima et antiqua; quia intelligit cogitationes omnium hominum, ut penetrat omnia. Singulorum quoque vias prævidet, ac discernit omnia. Idcirco sic vivere semper quasi coram ipso perfectorum est, sic negligere quasi ipse non videat, damnatorum. Quod autem dicit usque in finem sæculi se adfuturum cum suis, non sic dicit, quasi eos tunc debeat derelinquere, quando præmia vitæ æternæ eis est daturus, sicut ipse ait : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (*Apoc.* II, 10); sed hoc est quod ait : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, per auxilium piæ protectionis ac defensionis, et per gratiam divinæ inspirationis, et in omnibus operibus bonis, in certaminibus ut vincatis, et victores deinceps coronemini, quia ultra jam nulla certamina erunt, nulli agones, quo meo egeatis auxilio, interim vero mea largiente gratia, quia vobiscum ero usque ad finem vitæ, nihil vobis deerit. **1221** Post has quoque angustias vitæ, vitam sempiternam præstabo, ut videatis amplius et perfectius claritatem meam, in qua deinceps nullius egeatis. Attende, lector, quia donec et usque in Scripturis divinis non semper pro finito accipiuntur, quia idioma est Scripturarum, ut aliquando pro infinito ponantur, ut puta cum ait, donec senescatis ego. Non hoc ideo dicit mox ut illi senuerint, quod ipse debeat non esse Deus, quod dementissimum est sentire. Sed quia *omnes sicut vestimentum veterascent* (*Psal.* CI, 27), et mutabuntur omnia, ipse autem semper idem est, et in sempiternum permanens. Quod et ideo particulariter dictum intellige, ut ex ea parte qua dicitur *ego sum*, infinitum esse credas; ex ea vero qua dicit, donec senescatis, finita esse sententia probetur. Sed et in hoc loco quantum ad sæculi finem exspectat finita sententia est, sicut et finiendus est labor. In quo, donec finiatur labor tribulationis sanctorum, Deus adesse suis in omnibus repromittitur, tam in auxilium suæ defensionis, quam in adjutorium bonæ operationis. Demum vero ad præmium æternæ retributionis infinita cum sanctis ejus præsentia Dei erit; quia omnis labor finem utique habet, præmium autem laboris non habet finem. De quo locutionis genere, longe jam supra, prout potui locutus sum. Et ideo quia hic sensus

Introdusă în format electronic de Google

longe lateque patet, non opus est plura aggregare exempla, de quibus multa jam et antiqua, ubi vel ubi desudat oratio. Sed quia sancti Evangelii narratio tota in hac fide terminatur, et in spe concluditur, credamus quæ legimus, et maneamus in fide qua renati sumus, ut cum fiducia sub Dei protectione vivamus, quicunque in Christo perfecte credidimus; quia cum quibus Christus est virtus et sapientia Dei Patris cum ipsis est. Ipse quidem pollicitus est Deus, qui non mentitur: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Idcirco quibus talis tantaque fiducia fidei est, omnino virtus Patris et lumen adest. De quo lumine David pro magnificentia cordis fidissime dicebat, *Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo?* (*Psal.* XXVI, 1.) Hæc quippe dicebat, quando Dominus necdum Emmanuel ad nos venerat; quia nondum incarnatus erat, licet semper cum Patre, et ubique cum suis esset. Quanto magis nunc confidere oportet quando jam sicut est pollicitus per os omnium prophetarum, in manifesto datus est, et factus est nobiscum Deus. In eo **1222** ergo quod factus est nobiscum Deus, non potest nobiscum non esse. Et ideo credere oportet confidenter quod ait, qui semper idem est, qui ubique est, sine præterito et futuro, ut semper præsens adesse intelligatur, quia per hanc fidem *sancti vicerunt regna*, et placuerunt Deo. In hac igitur confidentia securi inter supplicia permanserunt, et in hac spe securi suas animas Deo in pace commendarunt, pro cujus amore mori non timuerunt.

Ecce, fratres charissimi, vestro appulsus amore ac desiderio quod tentavi, volens vestris parere jussis, et perficere in eloquio, qui nescio si ulli profecerim in facto. Ecce in quo me demersi divinarum rerum pelago, vestris confisus meritis, et provocatus precibus. Ecce jam difficiles percurri vias. Ecce quam investigabiles perfodi thesauros, pauper ingenio. Tamen regenerationis meæ obtinens firmitatem, credo quod non meis viribus, sed Dei gratia evasi, per quam didici quæ nescio, et teneo quod ignoravi. Quia in eo semper sum fisus, qui nobiscum se esse protestatur, in quo vivo. Idcirco etsi peccator sim, Spiritu sancto jam renatus, fidenter quod ipse ait amplector in charitate, et devotus recolo. Quia *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, et quo eat* (*Joan.* III, 8). Itaque sic est omnis, quia natus est ex eo. Unde, dilectissimi, etsi sensu in talibus quæ ipse loquitur imperfectus non percipio, quoniam hebes factus sum interdum et inscius divinarum rerum, regulas tamen fidei, et doctrinam catholicæ disciplinæ, in his quæ intus audivi, omnino teneo, prout ab eo didici qui in nobis est, et ideo devotus legentibus offero. Quoniam modus Spiritui sancto loquendi, modus nullus est, cum vult, et cui vult, et quomodo vult. Hinc est in hoc opere, quod ultra vires elaboravi, quia me ipse ad id impuli dum charitas id coegit, cujus adeuntis vel abeuntis causa, sicut Salvator ait, in ipsius est inspirantis voluntate, quamvis ejus nesciatur adventus, vel recessus dum replet omnia. Propterea recte nemo est qui prohibeat eum loqui per quem vult, cui subest posse docere et aspirare omnia quæ vult. Sine quo non recte sapio; nec ipsi angeli qui virtutes sunt unquam possunt aut sapiunt. Quoniam, ut Propheta canit: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Quod si eorum, procul dubio et sanctorum.

S. PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

EXPOSITIO IN PSALMUM XLIV

ERUCTAVIT COR MEUM VERBUM BONUM,

Ad sacras virgines Suessione in S. Mariæ monasterio degentes.

(Ex edit. Sirm.)

1225-1226 LIBER PRIMUS.

Cum sollicitudine pastoralis officii, curisque regininis et negotiis actionum essem tandem exoccupatus, divino dispensante judicio, retuli me ad ea studia quæ profecto retenta animo, remissa temporibus, inter varios rerum sæcularium anfractus, abjeceram; sicque longo intervallo intermissa revocavi. Hinc inter alta cordis silentia, inter amœnos Scripturarum sanctarum recessus, recensui in mente quod tam sanctæ matri olim, quam quibusdam ex vobis, devoveram scribere. Sed quia illa jam legit in libro vitæ ineffabilia, quæ humanus sermo non capit, vobis, quæ filiæ estis, debui reddere quod decreveram. Quia sicut inverecundi debitoris est promissa denegare, ita honesti et liberalis, sine mora

Introdusă în format electronic de Google

ultroneum offerre. Præsertim quia a Deo hæres constituta est Mater beatæ hæreditatis, quæ erat filia charissima matris, cui totum me devovi fore præsens quod sum, et quod debueram in Christo dilectionis ut exsolverem. Quia fenus charitatis tunc bene debetur cum exsolvitur, et solvendo semper jure debetur. In hoc ipso negotio completa est prophetia præsentis psalmi, cum dicitur : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes* (*Psal.* XLIV, 17). Constituta est ergo a Deo, dilectissimæ, et quæ fuit filia beatæ Matris, facta est optima nutrix, cui totum debemus quod novimus. Unde vestris pulsatus largissime beneficiis, cœpi cogitare quibus plurimum debebam, vobis quia occupatus non profui, aliquid ut prodessem saltem otiosus. Si forte mihi dicere adpossem illud Catonis, quod ait de Scipione, qui primus appellatus est Africanus, solitum dicere, namque se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica quidem vox, dilectissimæ, et magno viro ac sapienti digna, quæ declarat illum in otio de negotiis vitæ cogitare, et in solitudine secum loqui solitum, neque cessasse unquam interdum, et colloquio alterius non eguisse. Istæ duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium scilicet et solitudo. Vellem et mihi hoc idem vere de me dicere liceret; sed quia minus imitatione ad tantam ingenii præstantiam queo, voluntate certe proxime assequor, quod competit maxime nobis, quibus contemplativa vita sub monastica disciplina degentibus in voto est. Unde Dominus : *Vacate*, inquit, *et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11). Quo profecto exemplo, major materia exhortationis officiosissimæ vacandi sub otio religionis a Domino commendatur. Ita tamen si non ignavia, non torpor, non socordia, vel desidia nos opprimant, quia otiositas inimica est animæ. Alias autem contemplativæ vitæ intelligibilius deservire impræsentiarum, ut est beatissimum, ita et negotiosissimum. Ex quo Dominus in Evangelio, *Maria*, inquit, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X, 42). Idcirco vos, quia estis cives sanctorum et domesticæ **1227** Dei, plurimum decet ea semper sectari, et illius theoriam quærere cujus estis filiæ. Profecto quia ejusdem disciplinæ pars in omnibus frugifera est et fecunda; cujus itaque fructus semper manet, nec ulla pars ejus inculta aut deserta squalet, quam sane elegistis, et ad hoc Deo dicatæ estis, eam sane excolere instantius debetis, quoniam nulla impræsentiarum actio beatior aut verior quam angelicis interesse officiis, et divinis admisceri colloquiis, et aspectibus præsentari. Hinc nobis tale felicius commendatur otium, quam præcelsum ullarum rerum in terris negotium. Ob quam causam relinquentes omnia, Deo vos vovistis. Unde etsi soli videmur interdum et otiosi, qui semper cum Deo negotiosissime coramque versari debemus, nunquam soli sumus, aut otiosi. Ideo si conferre volumus solitudinem nostram aut otium cum Africani illius ingenio, multo præstantius est cunctis eorum studiis. Quod non gloriandi vitio constitutum est ut ignaviter torpeamus, sed ut meditemur in mandatis Dei, in laudibus et contemplatione divina, in Scripturis sacris, in lege et prophetis, in Evangelio et doctrina apostolorum, in traditionibus sanctorum Patrum, si quomodo quæ novimus Christo exhibeamus.

Inter quæ nimirum eximia doctrinarum pascua, inter uberrimos deliciarum favos habita est collatio de psalmo quadragesimo quarto. Quem cum recitassem, inveni eum carmen esse nuptiarum, vestrumque epithalamium; eo quod totus de nuptiis agat sponsi et virginum, quarum unum est corpus, ut una efficiatur Ecclesia et conjux tanti viri, qui in eo describitur et prædicatur speciosus præ omnibus filiis hominum. Sed cum hæc ex voto tractarem, ut restituerem paucis quod promiseram, mox in vestibulo psalmi, id est in titulo, reperi, in finem, pro his qui commutabuntur filiorum Chore intelligentia canticum prædilecto. Deinde Hebraicam veritatem considerans, juxta beatum Hieronymum, in qua scriptum est : Victori pro liliis filiorum Chore, eruditionis canticum amantissimi. Ubi Symmachus more suo manifestius interpretatus est *triumphus pro floribus*. Quæ cum legissem hujuscemodi et alia diversa in titulo, credidi, dilectissimæ, paucorum non esse, quod omnibus virginibus, imo omni Christi Ecclesiæ generaliter decantatur. Sed quia virginitas, quæ semper floribus comparatur, in membris Ecclesiæ gloriosior portio præcellit, et specialis in eis virtus esse probatur, opportunissime mihi occurrit de his ad vos scriberem omnibus, quæ vere flores Christi estis, et Ecclesiarum lilia. Primum ut exsolverem quod præcedenti matri debueram, deinde vobis, quarum est carmen de nuptiis, ac si in dotis titulo sermonem proferre generaliter, licet inclinato loquendi genere non negarem. Quoniam lilia etiam inter spinas bene crescunt; et de sensibus loquens Spiritus sanctus, certe aut ipse sponsus Ecclesiæ, mediator Dei et hominum, Moysen docet et instruit. Fortassis igitur vestris intervenientibus meritis, mei dumosi pectoris officio non dedignabitur aliquid proferre, quod prosit desiderantibus audire, quoniam materia loquendi ex dote est vestræ sponsalitatis. Idcirco quam bene jugiter ad vigilias virginum totus expenditur psalmus, et in laude earum decantatur, quæ vere sunt flores Ecclesiarum et lilia paradisi. Veruntamen etsi de his solemniter symphonizatur in natalitiis earum, quæ jam cum Christo feliciter morte soluta, introierunt ad nuptias; nihilominus impræsentiarum vestras in Christo concelebrat hymnidice nuptias, et jocundissima describit fœdera nuptiarum, pingit quoque sponsum decorum ac locupletem præ omnibus : sponsam vero a dextris stare testatur gloriosam, regio honore sublimatam. Et monet propter eas, quæ adhuc in terris laborant, ita dicens : *Audi, filia, et vide*, seu cætera quæ dicuntur. Unde, charissimæ, quia vestrum eum recognovi epithalamium, licet indoctus, nesciens cantare, tacere ante thalamum tanti regis, tantarumque virginum non

Introdusă în format electronic de Google

debui. Jussum quippe legimus, *ante thorum hujus virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis.* Quod si ad unius virginis thalamum tales digne alternantibus choris celebrantur ex voto exsequiæ, quanto festivior deberet esse sermo, si mihi esset dicendi peritia, tantarum convivio virginum, ubi psalmi canuntur pro laude, lectiones recitantur deliciarum ad epulas? Hinc inde chori exsultant, more eorum qui ad nuptias canunt jubilatione plenissimæ laudis. Nescio enim, charissimæ, quid plus invitet nos ad gaudia, lectiones divinæ, an cantus tantæ solemnitatis : nam lectiones instruunt, cantus labores sublevat arduos, et solatur angustias; probant ad solatium operis datam nobis naturaliter cantilenam : hinc nautæ, qui cantu superant maritima discrimina, hinc immenso ponderi adducunt levamina canticorum. Hinc viantes colles arduos facit transcendere sonora vox, eremumque transire intrepidos dulcia modulamina cantus. Ac ne multa dicam, quidquid durum est operis, quidquid laboris asperum, dulcis vincit cantilena musici carminis, et leve reddit. Sic et vos, sanctissimæ, harmonia hujus cantus relevet jugis, et excitet mentes. Permulceat vos fistula Davidica; oblectent animum sponsalia dotis. Nam ipse David, qui hoc epithalamium primus cecinisse creditur, hoc genus invenisse ad nuptias gratia canendi non dubitatur. Qui cantu didicit dura superare bellorum, cantu meruit populum concitare ad salutem, cantu gentes invitat ad Christum, Judæos revocat, dæmones fugat, Dei filios ad superni Patris obsequium convocat, et vos, o virgines, Christi ad thalamum æterni Regis instruit et præparat, ita, si mores concordent sponso, et respondeant opera cantibus. Hinc, dilectissimæ, sicut dixi, quia nec harmonice cantare ante thalamum summi Regis, nec exhortari convivas luculentissime queo, vel alloqui facete coepulantes; in hoc dotis titulo, decrevi tantum spargere flores, si forte inveniat sermo noster quem nostrum delectet pulegium, quod misi pro munere bene olenti; quia pretiosora non valeo, saltem quo intus flagret cubile cordis ante thorum respargo. Quoniam ad quascunque oculos diverti, nullas inveni quibus magis nostra placerent, nullas quibus potissimum nostrum sudaret ingenium, nullas quibus magis deberem, nullas quibus hoc amplius congrueret quam vobis, quæ et secundum nobilitatem generis flores estis Ecclesiæ, et secundum candorem virtutum lilia paradisi. Quoniam vos estis, quæ virore pudicitiæ, et splendore castæ dilectionis, sponso serta componitis, et coronam spineam mutatis quotidie in gloriam triumphantis, quæ per campos Scripturarum, indesinenter velut apes flores legitis, et per prata virentia quæque mentis et corporis labore pabula virtutum colligitis; quibus reconditis ac si in alveario cordis Christi mella conficiantur; hinc quoque recte canitur sponso : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum!* (*Psal.* CXVIII, 103.) Quod bene Ezechiel prægustans : *Factum est*, inquit, *tanquam mel dulce in os meum* (*Ezech.* III, 3). Ad hoc quippe varios divinorum voluminum flores carpitis, uti mella **1228** vobis dulcescant spiritalia in animo, variis ornamentorum intus decorata virtutibus. Agitis itaque quomodo ad eum pertingere possitis, qui de se dicit in Canticis : *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II, 1). Proinde quia et Psalmus de liliis est ac floribus, et Christus sponsus florem se esse fatetur ac lilium; debui etiam et ego vobis partem decerpere præsentia absens, licet in floribus semper ipsæ floreatis, quatenus haberem quid ego absentia præsens vobis vester alumnus de his non otiosus devotus offerrem. Quoniam vere juxta poeticum, *Deus nobis hæc otia fecit.* Ideo ne iners ex toto invenirer, inter amœna librorum volumina ago quietus, quod præstantius est. Quia Christus qui pascitur inter lilia virtutum flores sibi mittentes remunerat, et quærentibus ut inveniant præstat. Sed quia flos esse nequeo, saltem vobis, quæ candida estis lilia quod possum sententiarum mitto; ut et qui seminat juxta Apostolum (*Joan.* IV, 36), et qui metit simul gaudeant. Sed quia seminare, magnorum est, utinam irriguum superducere possem; quia tunc quisque recte seminat, si intelligat, quid, quando, et ubi seminat. In vobis autem jam seminatum est verbum vitæ, quoniam *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis* (*I Cor.* III, 9), et ideo pullulant in vobis semina virtutum, et crescit seges multiplicata in Domino. Nam virginitatem nemo alter quam Christus seminat, quoniam ipse sator semen est et fructus. Corda vero fidelium, hortus deliciarum, vomere sancti Evangelii exarata, qui quamvis hortus in genere prætendatur, tamen in vobis, quia species estis et decus, conclusus et signatus in canticis decantatur, ab omni gramine pessimo fide Christi purgatus, verbi semine satus, castitatis lilio decoratus, viriditate virtutum amœnus, fragrans floribus sempiternis. Sed quia in una eademque terra simul spinæ et lilia oriuntur, assidue colendus est ager cordis, ne lilia castitatis lædantur spinis. Idcirco jugiter rore Scripturarum compluenda est gleba mentis. Nam ros virgineus sermo divinus est. Quia sicut ros Dei verba descendunt, et refrigerant corda virginum a fervore noxii caloris. Alioquin habet voluptas carnis suos flores, quibus male oblectatur animus. Unde Propheta : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni; exsiccatum est fenum, et cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum* (*Psal.* XL, 6). Ideo, charissimæ, stabilite **1229** in vobis firma radice verbum quod manet et est in æternum implorate, ut maneat in cordibus vestris, de quo præsens loquitur Psalmus : *Eructavit cor meum verbum bonum.* Conquadrate fundamentum, in cordibus quadratura virtutum, prudentia scilicet, justitia, et fortitudine, ac temperantia, in quibus quasi in curru suo Christus auriga præsideat et regat motus cordis dicatque de vobis : *Equitatui meo assimilavi te in curru, filia Pharaonis* (*Cant.* I, 9). Quoniam sine quatuor istis nunquam bene regitur cæterarum virtutum integritas, neque funda-

Introdusă în format electronic de Google

mentum locatur, quo permaneat quisque radicatus et fundatus in illo lapide angulari, *in quo omnis* structura *crescit in templum sanctum in Domino* (*Ephes.* II, 21). In hoc quippe angulo compaginis vestra fide fundate corda, ut nulla Epicureorum, id est carnalium hominum vox decipiat, qui dicunt illud quod scriptum est : *Coronemus nos rosis antequam marcescant : nulla nos luxuria prætereat, sed in omnibus relinquamus signa lætitiæ nostræ* (*Sap.* II, 8). Hoc idcirco dixerim, quia Symmachus hunc psalmum pro floribus interpretatus est, ne vos ulla liliorum præsentis sæculi, seu florum decipiant blandimenta; quæ sane simul in ortu vitæ calcastis et sprevistis, omnia autem deliciarum oblectamenta veluti stercora respuistis. Vanam quoque lætitiam, vanamque gloriam simul abdicastis, ut veram vitam, veraque gaudia per hoc compendium vitæ ocius apprehendatis. Hæc ideo, dilectissimæ, fortiter fertis, quia sursum ubi Christus sponsus videtur radicem cordis fixistis; quoniam aliæ sunt rosæ, quæ Christi sanguine intus pinguescunt et rubricantur ut semper floreant; aliæ quæ in terra radicantur, cito ut floreant et postmodum arescant. Omnis quippe luxus præsentis vitæ vapor est, et spuma vani gaudii. Propterea, matronæ Christi, sectamini semper virtutes ut vireant floridæ, augeanturque lilia castitatis. In genis rubeat rosa Christi sanguine respersa. Quia omnis ornatus animi, morumque probitas in facie resplendet virginis. Hinc, quæso, erigite scopum, id est intentionem cordis jugiter ante oculos, et telos, id est finem nolite negligere. Nam τέλος finis omnium rerum est. Unde in hoc titulo scriptum est : in finem pro his qui commutabuntur. Finis autem legis Christus est, ad justitiam omni credenti. Non ergo Christus finis est legis, ne sit; sed finis ejus est, ut habeat consummatam justitiam ex fide **1230** Jesu Christi. Quoniam sine Christo imperfecta est lex; perficitur, autem per Christum, cum Christus in lege repromissus, creditus suscipitur, et susceptus fide integra tenetur. Non enim Christus ideo finis dictus est, ut in eo finiantur ne sint, quæcunque statuta sunt a Deo ut sint; sed in eo et ad eum perveniant ut bene sint. Alioquin sine ipso nulla virtus est consummata; sicut nec initium habet virtus, si non ab ipso incipiantur, quoniam ipse est α et ω, ab ipso justitia fidei concipiatur, et in ipso consummetur; non ut non sit, sed ut perfecta sit in ea justitia quæ de cœlo prospexit. Unde David eruditus a Spiritu sancto dicit : *Omnis consummationis vidi finem* (*Psal.* CXVIII, 66): Quia nihil est quod perfectum sit aut consummatum, si non in Christo perficiatur, ut maneat in æternum. Quod ad Christum usque cucurrit, ne sine Christo inveniretur. Hinc quoque hortatur Apostolus : *Sic currite ut comprehendatis*. Propterea, sponsæ Christi, quodcunque agitis Christus sit semper in causa, ut ei placeatis, cui vos vovistis (*I Cor.* IX, 24). Quandoquidem virtus virginitas tum bene virtutibus fulcitur, si quidquid agit virgo, amore sponsi sui in animo decoratur. Quoniam sicut nemo sponsus sine sponsa, ita nec sponsa sine commercio et fœdere sponsalitatis, ut post fidem sponsalitatis, deinceps sint duo in carne una. Sic quippe venit Deus in homine ut homo esset in Deum, atque Deus et homo unus esset Christus, ita necesse est, charissimæ, ut cum sponso unum sit Ecclesia quodammodo. Non ut sit Deus, quod Christus est, sed una sit caro in ipso, unum corpus, quatenus carnis et Dei fiat unum commercium. Quia Deus transivit in carnem, homo totus transeat in Deum, et fiat unum corpus, unaque caro, Christus et Ecclesia. Quod si ita de omni creditur corpore, quid putat Virgo Dei, matrona Christi, quæ sic omnino in carne adhuc est, ut jam sine carnis corruptione in Deo sit? Quæ sponso ad integrum jam jura sponsalitatis servat; quoniam nihil aliud quam ipsum et propter ipsum diligit. Jam enim totum refulget in specie quod futurum repromittitur in genere. Unde necesse est respondeat Virgo dotis titulo, respondeat moribus sponso, mente atque actu asserat cœlestem vitam per naturam, quam consecuta est per gratiam, et sequatur agnum quocunque ierit. Sequitur autem virginitas Agnum quocunque vadit (*Apoc.* XIV, 4), ita tamen si concordiam virtutum teneat. Quoniam Christus Dei virtus, et Dei sapientia, principium est omnium **1231** viarum, et ipse virtus omnium virtutum, ideo qui post eum ire festinat, et sequi vult quocunque abierit, debet primum mentis incorruptionem servare atque carnis, deinde cæterarum virtutum vias ingredi, charitasque membra omnia custodire. Alioquin virginitas carnis, sine reliquis virtutibus, non sequitur Agnum quocunque ierit. Quia Agnus Dei Christus omnium viarum Dei forma est, ipse via et principium.

Quapropter virgo Christi, ut sit sponsa, et sequatur in omnibus cui se vovit, oportet juxta Apostolum ut sit carne ac mente sancta, et incontaminata, ne forte mentem interius per se diabolus intus corrumpat, quam exterius nitor carnis adulat. Virginem enim Christus integram sibi quærit, cui viam se præbuit, ut sequatur quocunque ierit ipse unigenitus Dei Filius, unigenitus etiam Virginis natus. Unus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctæ virginitatis fructus, decus, et munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritaliter sancta virginitas nubit. A quo sancta virginitas fecundatur, ut perseveret intacta, a quo decoratur ut permaneat pulchra, a quo coronatur ut regnet perenniter gloriosa. Virginem sacram suo sibi gratuito munere ipse facit, quia omnia quæcunque vult facit. A quo ideo, nullis præcedentibus virginitas sacra datur meritis, ut illi semper gratiarum actio pura cordis humilitate reddatur. Quod si delectat tanti nominis fastigium, virgo sequatur necesse est opus virtutum, ut ex nomine consecretur opus, et ex opere compleatur nomen. Quia tam magnum voluit Deus esse bonum virginitatis, ut illud non aliunde quam ex vocabulo sortiretur virtutis. Virginitatis quippe si quis velit diligentius considerare vocabulum, ex

Introdusă în format electronic de Google

virtutis nomine derivatur. Virgo enim dicitur quasi virago; viraginem vero Scriptura sancta, non ob aliud vocatam insinuat, nisi quia de viro sumpta est; constat vero virginis nomen ex viro descendere, viri autem, nulli dubium quod a virtute sit dictum. Quod bene ex Genesis (*cap.* II, 23) testimonio comprobatur; et Apostolus signanter de Ecclesia alludit dicens : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2). Quia omnino Christus vir oriens appellatur, ex cujus latere et virtute formatur Ecclesia in fide et misericordia, desponsata juxta prophetam a Christo per charitatem. Hinc quoque generaliter omnis Ecclesia jure virgo, **1234** quia de viro Christo Jesu sumpta est, appellatur et sponsa. Quapropter, nec seductione decipitur, nec violentia vincitur confortata in Christo; nec ullis persecutionum generibus superatur, quia in fide internæ virginitatis virtute fulcitur. De qua Isaias in persona Christi : *Habitabit juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui* (*Isa.* LXII, 5, 6). Et ut ostenderet juvenem sponsum esse, atque virginem sponsam, secutus adjunxit dicens : *Gaudebit sponsus super sponsam et gaudebit super te Deus tuus.* Hæc namque virgo mater est, cui dicitur : *Habitebunt in te filii tui.* Et hæc mater virgo est de qua dicitur : *Et habitabit juvenis cum virgine.* Hæc virgo sponsa est, de qua dicitur : *Et gaudebit super sponsam suam.* Hæc est igitur Ecclesia una et perfecta columba Dei, veraque catholica mater, et sponsa, et virgo. Mater, quia generat; virgo, quia fide incorrupta perseverat. Nec enim fecunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fecunditas impeditur. Tale namque est istius virginis connubium, ut ideo fecundetur ab hoc viro virginitas, quia in hoc connubio nulla unquam potest esse corruptio, et tanta in hac matre virginitas, perseverat et integritas, ut nisi virgo semper esset, mater esse non posset. Ac propterea spiritaliter semper floret, quia semper fructus generat, et cum parere desierit, ipsa flos et fructus semper erit. Idcirco victori Christo triumphus canitur pro floribus aut pro his qui commutabuntur. Quia qui commutabuntur, florebunt sicut cedrus Libani in atriis Domini, unde dicitur : *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur* (*Psal.* XCI, 13). Quoniam omnium electorum virtus, triumphus est Salvatoris. Qui triumphavit in omnibus, et victor exstitit. Hinc quoque ipse ait : *Confidite, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Maxime tamen in præcipuis Ecclesiæ membris; quia non minus in virginibus, quam in martyribus Christus victor esse creditur. Et ideo cum in diversis distribuit membris suis donationes secundum gratiam, quæ data est credentibus, majorem tamen donationis gratiam in illis Ecclesiæ membris dat, in quibus ipsa spiritaliter ita virgo dicitur, ut etiam corporeæ virginitatis integritate potiatur. Nam pro diversis membrorum ordinibus, et varietate virtutum secundum fidei catholicæ regulam, multis decorata speciebus, recte varia prædicatur, quæ pudicitiam in omnibus servat virginalem, castitatem custodit vidualem, torumque immaculatum conjugalem. Unde in hoc eodem canitur **1235** psalmo : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quia unusquisque electorum proprium habet donum a Deo; alius quidem sic, alius vero sic, omnes tamen pariter in finem, id est in Christo commutabuntur, in quibus ipse triumphat et vincit. Et ideo totus hic psalmus ac si epithalamium in laude sponsi ac sponsæ decantatur. Introducit enim sponsum in orbem terrarum, et describit sponsam valde gloriosam, et decoratam innumeris varietatum virtutibus, quam etiam in ejus dexteram astare testatur. Idcirco hinc inde dulcia suis frequentat cantica dramatis, et nunc sponso, nunc sponsæ, miris exornat in brevi laudibus, quam fœdere conjungit nuptiarum, castisque connectit amplexibus.

Commendat autem primum Christi gratiam in titulo, ut totum sponso capiti tribuatur, quidquid prædicatur in corpore honestatis, quoniam ipsius est laus, quod contulit sponsæ gratis ipsius virtus. Et omnia quæ ex ea gloriosa dicuntur, ejus sunt muneris dona. Unde dicamus omnes, dicamus singuli : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 1). Profecto quia gratuita semper ejus est sancta largitio, eo quod humani meriti nulla unquam præcedit exactio. Quia et si quod est bonum cujuslibet hominis meritum, ab ipso utique est, a quo est *omne datum optimum, et omne donum perfectum* (*Jac.* I, 17) : quod nec habere potest homo, nisi fuerit datum, nec perseveranter habere, nisi ab ipso fuerit custoditum. Hinc quoque et ego, vestris juvantibus meritis, ab ipso posco, vobis digne reddere queam hujus debiti facultatem, a quo accepi reddendi voluntatem. Neque enim reddere vestris in me præcedentibus meritis ista vellem, nisi misericors ipse donaret ut vellem. Unde si quid in hoc opere dixero, quod placeat ex hoc et sufficiat vobis, imo placeat et prosit sancto desiderio vestro; non erit insipientiæ meæ virtus, sed divinæ sufficientiæ fructus. Sicut e contrario, si quid dixero forte, quod nec sufficere, nec prodesse sancto possit desiderio vestro, non erit divinæ sufficientiæ exinanitio, sed insipientiæ meæ reprehensio. Proinde charitas vestra sic utrumque temperet, non minus in vobis quam in me, ut et prudentia vestra in omnibus Dei beneficia humiliter agnoscat, et quidquid minus fuerit in eloquio, charitas patienter ignoscat. Quia obscura sunt quæ disserimus, et altissima quæ proponimus. **1236** Hinc est quod sequitur in titulo, *filiorum Chore intelligentia.* Alioquin nisi obscura essent, nequaquam sub intelligentia filiorum Chore, psalmus ab omnibus interpretibus tam diligenter commendaretur, ut *qui habet aures audiendi audiat.* Ubicunque enim in Scripturis sacris intelligentia requiritur, non carnale aliquid aut terrenum, sed spiritale totum atque arcanum divinitus commendatur. Hinc et in alio psalmo : *Quis sapiens*, inquit, *et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini?* (*Psal.*

Introdusă în format electronic de Google

CVI, 43.) Quæ nimirum intelligentia hoc in loco non quorumcunque, sed filiorum Chore esse dicitur. Ex quo liquido constat, quia valde arcanum, et admirabile est, in eorum intelligentia quod describitur. Nam sicut divinis sermo ait, factum est mirabile sacramentum in seditione Chore, ut peremte Patre filii permanerent a morte illæsi; et ideo non absque re accipiendum, quod sub eorum intelligentia divinitus prædicatur. Porro Chore, *calvus* in nostra lingua, vel *decalvatio* interpretatur, cujus filii esse dicuntur. Sed quis sit iste calvus quæritur recte. Fortassis ergo Elisæus ascendens de Bethel, quem pueri illudebant dicentes : *Ascende, calve: ascende, calve* (*IV Reg.* II, 23). Sed quos filios habuerit, ad quorum intelligentiam hic psalmus canitur, minime invenitur. Verum ipse rebus et gestis prophetiam de Christo texuit, ut eum ostenderet venturum in carne, quem præfigurabat ipse in opere. Et ideo illudebatur a pueris quia Christus illudendus erat a Judæis. Quos duo ursi de saltu, Titus videlicet et Vespasianus, peremerunt in vindictam Dei. Verumtamen Christus non ob aliud ac si decalvatus innuitur, nisi quia in Calvariæ loco cruce levatur et illuditur. Cujus profecto filii sunt omnes *quotquot receperunt eum*, quibus, *dedit potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12), qui ejus sanguine sunt redempti. Quorum intelligentia est, eum in carne de corde patris genitum ad nos venisse, et omnia quæ de eo præsens psalmus insinuat, et in Christi Ecclesia fide catholica prædicantur credere. Hæc namque est intelligentia filiorum, ut eum intelligant sine initio substantialiter ex natura Patris coæternum et coæqualem genitum, ipsum eumdemque in fine sæculorum pro nobis hominem factum : cui sponso nubit Ecclesia, et in cujus laude hæc penitus celebrantur.

Iste igitur est Chore, quod interpretatur, ut dixi, *calvus*, vel *decalvatio;* cujus **1237** filii tantam assecuti sunt gratiam, ut ad eorum intelligentiam divinitatis reserentur arcana. Ipse est Chore sponsus Ecclesiæ, cujus non possunt jejunare filii, quandiu cum illis est sponsus. Et ideo ergo filii Dei, quia filii sponsi, qui non sunt involuti in seditione patris, qui vivens ad inferna descendit. De quo in hoc eodemque psalmo sponsæ dicitur ac si filiæ : *Obliviscere populum tuum et domum patris tui*. Fuimus enim nos omnes filii iræ, id est diaboli : quem oblivisci jubemur, una cum sua domo, ne forte in seditione, quam semper contra Deum movet, contraque ejus membra, complices pereamus. Idcirco interdum a pio patre movemur, cui renati sumus, ne in illius involvamur fastu, cui propter prævaricationem primi parentis filii nati sumus : quoniam et ipse Chore merito vocatur, eo quod ab omni Dei gratia sit decalvatus et exspoliatus virtutibus. Adhæreamus ergo ei, cui renati sumus, quoniam ipse est conditor qui fecit nos cum non essemus, qui *cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 7), ut sponsam sibi acquireret virginem castam et gloriosam, *non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* V, 27). In loco Calvariæ decalvatus, in cruce quidem levatus, morte peremptus. Unde propter veritatem et mansuetudinem et justitiam mirabiliter exaltatus, etiam in corde inimicorum regit et dominatur, quia constitutus est in throno Dei Patris rex in æternum. Ista namque est vera intelligentia filiorum Chore. Et hæc laus, gloria, honor et virtus, triumphus quoque et fortitudo quæ decantatur in choro filiorum Chore victori Christo, pro his qui commutabuntur, quoniam juxta Apostolum, etsi *omnes resurgemus*, *non* tamen *omnes immutabimur* (*I Cor.* XV, 51, 52). Licet enim in diversis codicibus, maxime Græcorum, de hac immutatione diversæ legantur, una tamen erit resurrectio omnium. Nam alii codices habent : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* alii vero : *Omnes dormiemus, et non omnes immutabimur* ; quod Paulus manifestius edisserens, ait : *Canit enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Ad hoc quippe aiunt doctores ecclesiastici, ita fiet ut possit in utramque partem, vel in pœnis, vel in cœlorum regno, quisque manere perpetuus. Alias autem quid necesse fuit dicere : Incorrupti resurgent mortui, et nos immutabimur? Utrumque ad hoc intelligitur, **1238** quod omnes ad meliora resurgent immutati et incorrupti. Nunquid non unum horum satis erat ut diceret : Omnes resurgemus incorrupti, aut omnes immutabimur? Nisi quia hoc voluit intelligi, quod incorruptio communis sit omnium resurgentium, immutatio vero proprie justorum; dum non solum incorruptionem et immortalitatem, sed et gloriam consequuntur æternam. Porro peccatores et reprobi resuscitabuntur incorrupti, quatenus corpora quæ prius habuerunt, incorruptibilia ad pœnas sustinendas, in quibus peccaverunt, perpetua recipiant. Unde signanter Apostolus ait, *nos quoque immutabimur*, se volens exprimere, et eos qui cum eo justi invenientur, qui de virtute in virtutem, et de gloria transferentur ad gloriam. Hinc quoque idem Apostolus ad incorruptionem mortuorum intulit : *Oportet*, inquit, *corruptum hoc induere incorruptionem*. Ad id vero quod dixerat, *et nos immutabimur*, adjunxit : *Et mortale hoc induere immortalitatem*. Aliud est enim immortalitas, aliud incorruptio; sicut aliud mortale, et aliud incorruptum. Quandoquidem quidquid mortale est corruptivum est, sed non omne quod corruptivum, statim etiam et mortale. Sicut sunt corpora quæ carent anima, quia nunquam habuere vitam, quæ proprie animantium est. Unde quam bene Apostolus, corruptioni incorruptionem, et mortalitati immortalitatem resurrectionis futuram in momento in ictu oculi copulavit. Quapropter ipsa incorruptio mortuorum immutatio erit. Sed alia erit illa immutatio qua incorruptibiles omnes erunt, seu ad pœnam, seu ad gloriam; alia qua Paulus et omnes sancti glorificandi erunt, ubi erit *alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum*, cum perpe-

Introdusă în format electronic de Google

tuitate æterna, ubi *stella a stella differt in claritate* (*I Cor.* xv, 41). Unde et hic dicitur : *Pro his qui commutabuntur*, vel *pro floribus;* quoniam omnes florebunt in atriis domus Dei. Et sicut differt stella a stella, ita flos a flore. Ita ut virginitas, quod generale est omni Ecclesiæ specialiter liliis in virginibus comparetur, martyrium vero rosis vernantibus, ut singuli singulis suis fulgore coæquentur speciebus, ita ut unusquisque eorum suo et Christi resparsus sanguine, ac si rosa in Hiericho, rubeat speciosus, et de bello cum Christo simul ad regnum exeat gloriosus. Virginitas vero candore lilii vestita propter incorruptionem, et ipsa exeat etiam angelis coæquanda.

1239 Unde reor beatum Hilarium in Evangelio eo in loco ubi ait Salvator : *Considerate lilia agri, quomodo crescunt* (*Matth.* vi, 28), et cætera quæ sequuntur, de angelis dictum ideo intellexisse, quia virginitas quæ angelis comparatur, per lilia quam sæpe in Scripturis sacris præfiguratur. Et ideo dixerit Dominus, quod *nec Salomon in omni gloria sua coopertus* sit *sicut unum ex istis* (*Matth.* vi, 29). In quibus nimirum floribus renitet intus floris veri incorruptio, et pulchritudo per charitatem integræ castitatis. Propter quod velim vos considerare, virginitas quam præclara sit, quæ tantis et talibus attollitur præconiis. Nam ut fassos sum, duobus Ecclesia generaliter istis comparatur floribus, quæ rubet Christi resparsa sanguine; respersa foris intusque, quia in utroque coccineus color est, et candet ut lilium, de qua dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* ii, 2). Quæ quamvis impræsentiarum inter malos versetur, tota florida est ipsa, et decora nimis, multis exornata muneribus. Sed quia scribere decrevi ad virgines, verasque viduas, cœlestem vitam agentes, opportunissime visum est, etiam quia flores paradisi sunt, ut ad eas de multis edisseram floribus, in quibus delectatur sponsus. Unde Ecclesia in Canticis : *Fulcite me*, inquit, *floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* ii, 5). Sed quia multa florum differentia est, orandus est Spiritus sanctus, ut perflet agrum mentis, ut ex eo profluant aromata illius, quia non aliunde fecundatur hic ager Ecclesiæ, nisi ex infusione Spiritus sancti. Iste namque ager est ex quo Isaac de filio : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus* (*Gen.* xxvii, 27). Plenus est hic ager floribus, plenus æternæ vitæ odoribus, in quo nimirum thesaurus ille absconditus in Evangelio invenitur, pro quo fideles omnia vendunt sua, qui ejus amore rapiuntur, et relinquent etiam et seipsos, ut ad unum perveniant florem, qui de seipso ait in Canticis : *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* ii,1). Cujus itaque campi fecunditas semper cum Deo esse dicitur. De quo alibi in psalmo, cum descripsisset quod omnia quæ cœli ac terræ sunt, sua essent, *et pulchritudo*, inquit, *agri semper mecum est* (*Psal.* xlix, 11). Quo profecto liquet, etsi possideat omnia per majestatis suæ dominium, quod hujus agri flores ac fructum, de quo tanta odoramenta virtutum fragant, ipse per se juxta electionis gratiam possideat intus. In quo agro ipse vitis est vera, de qua propagatur omnis Ecclesia cum pomorum fructibus. Quapropter **1240** bene in Canticis sponsum invitat sponsa dicens : *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica* (*Cant.* iv, 13; vii, 11).

Novit igitur sponsa, novit et vera virgo, quod sponsus flos campi totus vadit in fructum, et delectatur in floribus. Ideo eum rogat et hortatur egredi in agrum, floresque vineæ invisere, quia sine ipso fructum ferre non possunt. Promittit etiam quod mandragoræ jam in portis dederint odorem suum. Unde unus eorum aiebat qui portæ dicuntur, *Bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* ii, 15). Verumtamen nemo ad hæc idoneus. Sed nemo se deterreat, cum audit hos tam præcipuos in agro Domini florere et fragrare tam immensis virtutum odoramentis. Sunt etenim in ipso eodemque agro Evangelii, lilia, rosæ, nardus et crocus, humilesque violæ, quæ suo vincunt purpuram regis muriceam colore. Sunt et heliotropii flores, qui profecto gaudent ad ortum solis, cujus colorantur intus forisve fulgore, et sequuntur quantum fas est post vestigia, ita ut nesciant nisi solem inspicere. Idcirco ac si nocte vos clausistis, charissimæ, ut ad ortum solis æterni, mox ac si renatæ, quia tenebras nescistis, possitis suscipere lumen. Sunt etenim sacrarum Scripturarum cœlestes alii quamplurimi flores, in quibus animarum agricultura formatur passim, et decoratur Christi Ecclesia. In quibus operatur virginitas sibi coronas, et sponso dulcia cœlesti rore constipat mella. Quis enim nesciat quod pudicitia virginalis, seu castitas vidualis, aliud operari non norunt, nisi in quibus delectatur sponsus? Inde est quod quasi apes sanctarum Scripturarum carpitis flores, quoniam *qui pascitur inter lilia* (*Cant.* vi, 2) totus vadit in floribus, in floribus delectatur, et non in aliis quibuslibet floribus, nisi qui in convalle humilitatis floruerint. Floret enim virginitas in convalle lacrymarum, dum semper ea intendit mente, quæ humilitatis sunt, quæ castitatis; quoniam eum florem portat in pectore qui est *lilium convallium* (*Cant.* ii, 1), et crescit in hortis deliciarum quos irrorat Spiritus sanctus. Qui sint autem horti deliciarum, ipse sponsus demonstrat in Canticis : *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* iv, 12); eo quod in hortis hujusmodi Dei impressa signaculis imago servatur involuta, sincerissimi fontis unda perfusa. De quo dictum est ad Patrem : *Quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* xxxv, 12). Qui profecto **1241** fons bene in corde virginis signatus oritur et fluit jugiter, ut irriget universos deliciarum flores et fructus paradisi, id est heliotropii flores, de quibus dixeram, qui nesciunt aspicere nisi solem Christum; nesciunt gaudere nisi de claritate et calore Verbi :

Introdusă în format electronic de Google

ita ut videas in meridie ejusdem floris orbiculos extensos et dilatatos, in tantum ut gyrus ejusdem latior in orbe quam sit præ gaudio videatur. Expansis flosculis putes eos sentire ac lætari præ claritate luminis. Fortassis ergo sentit natura, quamvis sensum non habeat sentiendi, et interrogat illud de Canticis : *Ubi pascis, ubi cubas?* Cui dicitur *in meridie.* Et quia in meridie sponsus pascitur inter lilia et umbratur in hortis deliciarum, jure flores virtutum officiosissime se pandunt et dilatantur, ut suscipiant fulgorem veri solis, et confoveantur intus calore Verbi. Idcirco quocunque gyrando sol vadit, se inclinant, eumque semper inspiciunt, humilitatis obsequio et præ gaudio exsultantes quodammodo, semper tensis alarum remigiis adorare videntur; ita ut in vespere, cum se sol abduxerit, et a fervore cessaverit caloris, paulatim et ipsi flores se colligant et recipiant sese in unum, suoque ac si in cubiculo, sua concludant intima; si quomodo exhibeant se solis absentiam ferre non posse, ut clausis ostiis tantum lugeant præ mœrore in nocte quantum gavisos se præ gaudio in die fuisse monstrarunt. Hinc sponsa in Canticis : *In lectulo meo in noctibus quæsivi quem diligit anima mea* (*Cant.* III, 1). Quoniam verus amor sponsæ non patitur absentiam sponsi sustinere sui; sed infra cubilia cordis, quem oculis non potest aspicere, fide et desiderio jugiter mente meditatur tenere.

Sed quia incidi in partes hujus floris, ne videar virginibus importune ingerere, quæ non leguntur in divinis litteris, ipsa natura docet quæ suggerimus; quoniam juxta Apostolum (*Rom.* I, 20) per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Non enim elaboro nostra ut habeant tam splendorem verbi, quam sensuum elegantiam et ornatum intelligentiæ. Idcirco non adhibeo ornatricem facierum eloquentiam, ut pulchra sit et laudabilis nostra oratio; sed tantum quod possit illicere sponsas juniores in amore sponsi, et dilectionem sponsalitatis augere. Quia sermo senilis pressus et gravis, nec comptus debet esse, sine concinentia verborum, et venustate urbanitatis. Imo maturus, sapientia floridus, per judicium quoque probitatis collatus, plenus **1242** veritatis, fuco purus, senectute dignus, honorabilis. Quoniam longe aliud est, cum post germen pubertatis florere incipit juventus, viridis, illustrata coloribus; aliud cum annosa senectus longe diu fatigata labore, profectum requirit salutis. Quæ si alienæ ætatis se phaleris exornare voluerit, ridere videbitur magis quam perorare; unde ridebitur potius quam honestabitur.

Hinc quæso ne videar vobis improbus, si obtemperavero juvenibus ut loquar de floribus; quia in hoc carmine totum canitur pro liliis et floribus, ut discant veri flores Christi cum Christo versari. Nam inde est quod quasi apes sanctarum Scripturarum campos perlustrantes, non solum sponso, verum etiam vobismet et omnibus mellificatis. Ad hoc quippe ac si ad alvearium Christi ex omni parte convolastis, unamque præesse vobis elegistis; quatenus ad instar earum, quia de ore prudentium mella procedunt, Deo favos et fructum vitæ reddatis. Vere alvearium monasticæ disciplinæ jure hic locus vocatur, quo æterna clausura vos obserastis, ne ullis insidiarum fraudibus castra violentur Domino consecrata. Est igitur, ut ita fatear, plusquam alvearium, quia nusquam et nunquam exinde alicubi vagando flores legitis, quæ intus sanctarum Scripturarum indesinenter melliflua quæque carpitis, ubi nectareo rore corda vestra Spiritus sanctus inebriat, jubarque divini luminis perfundit et illustrat. Ubi nihil aliud quam cœlum respicitis, quia ad hoc carnem, quæ *concupiscit adversus spiritum* (*Galat.* v, 17), quasi carcere clausistis, ut liber animus pervolet ubi sponsus abiit secundum humanitatem, et sedet a dextris Dei. Ubi quamvis novem dicantur ordines angelorum; millia millium assistunt, quibus nullus est numerus, et ministrant, Daniele teste (*cap.* VII, 11), decies centena millia, propter eos qui hæreditatem sunt accepturi. Ubi judex apostolorum chorus in eorum exsultat consortio, et martyrum candidatus cum coronis decantat exercitus; ubi patriarcharum tuba præcinit et prophetarum providus respondet numerus : quia quæ per eos promissa sunt, completa omnia cunctorum jam releguntur aspectibus. Ibi etenim sanctorum confessorum suis pro plebibus deprecatur senatus infra æterna gaudia stolatus. Ibi hymnidici sanctorum virginum chori, cum suis victricibus palmis, sequuntur Agnum quocunque vadit, et decantant in organis, quæ **1243** nemo potest dicere, nisi qui cum ipsis sequuntur in albis. Ibi cælibatorum et viduarum consociantur greges; ibi conjugatorum conjugatarumque sancta decoratur societas; ibi pusilli cum magnis, et turba quam nemo potest dinumerare, Alleluiatica per omnes vicos ejus valde gratulabunda gaudia canit. Inter quos cum mens fidelis quandoque rapitur ex desiderio, fides quæ sperandorum substantia est, hæc profecto non extra se cernit, sed inter cordis cubilia, quæ non videntur, quia in Deo sunt, credit atque intelligit juxta munditiam cordis, et diligit universa; cum quibus quisque mente cum est, puto quod nusquam solus est; cum vero agit quæ agunt, nunquam otiosus. Et si quæris quid agant, *Beati*, inquit David, *qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Quod si interpellare voluerit quemlibet eorum, vel quemlibet sanctorum, adest continuo in eo qui ubique est; cum quo et nos semper omnes, quia *in eo vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII, 28). Sed aliter cum eo et cum sanctis sumus, si ea diligimus quæ diligunt, et agimus devoti ad gloriam et laudem ipsius quæ agunt; aliter vero cum coram oculis ejus semper sub ipso et in ipso, ubi vel ubi sumus. Quod si aliter quam velit ipse volumus aut agimus, procul dubio longe ab illo sumus, in quantum dissimiles sumus. Unde quotidie in oratione recte dicimus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10).

Introdusă în format electronic de Google

Hæc omnia, quæ profecto credibilia fides pandit, spes adit quæ fide creduntur et præsumit. Pulsat vero perseveranter charitas, donec preces et vota intus coram summo Deo, coramque sanctis offerat. Unde non redit, donec cum eis quos interpellat, fide non ficta impetrata reportet. Verum quia vos tales esse, charissimæ, novi, quotiescunque oratorium beatæ Mariæ Virginis mente ingredior, scalam illam Jacob erectam video, per quam ascendentes ad vos, descendentesque angelos minime diffido, quo in loco domum Dei portamque cœli esse non ambigo. Propterea et si de his aliquid dixerim supernarum virtutum floribus, quia cives eorum estis, melius vos eatenus scire usu contemplationis, quam sermo explere possit, credo. Quoniam, quibus omni devotione fidei charitatisque ardore jam vinctæ in cœlestibus estis, quos indesinenter interpellatis; cum quibus colloquia intus, et preces Deo offertis, ignorare nequaquam potestis. Certus sum quod charitate vobiscum **1244** sunt, inter quos, licet in terris adhuc, ut dixi, mente jam sursum, unum Alleluia dicitis, unamque gloriam digne Trinitati Deo persolvitis. Hinc gratiarum actio, laus, et honor offertur. Et ideo quæso ne videatur vobis locus iste angustus, ubi vos clausistis, charissimæ, quoniam ingens et magna domus Dei est ad quam intrastis : magna, inquam, quia non habet consummationem. Nemo mortalium, qui eam penitus ut est valeat penetrare, ubi Deus claritas est et infinita possessio. Quam sane domum Joannes conspiciens, vix saltem quæ vidit potuit enarrare. Ad quam usque Paulus raptus, quamvis dux Verbi, ea quæ audivit fassus est, quod non liceat homini loqui (*II Cor.* XII, 4). Idcirco dilatamini corde, sponsæ Christi, dilatamini ; et nolite cum infidelibus coangustari ! quia magna est domus, et ingens possessio, quæ vobis ex dote debetur ; quæ nec spatiis locorum terminatur, nec fine temporum clauditur. Sufficiat vobis cohabitatio ad necessitatem naturæ, quæ vos suscepit de mundo ac si columbas volantes ad cœlum. Quia in mundo juxta Apostolum nihil aliud quam concupiscentia oculorum et superbia vitæ (*I Joan.* II, 16). Sufficiat solummodo quia soli Deo vacatis, ubi et necessitatem sufficientia non excedit, et necessitas sufficientiæ modum non adimit. Sufficit enim census exiguus, cui æterna possessio solus est Deus (*Luc.* X, 42). Maria namque optimam partem elegit, dum solummodo Domini tenuit pedes, quos lacrymis rigavit. Sed et Dei genitrix, cujus obtentu servitio vos Dei vovistis, non ampla quæsivit prætoria, quando in diversorio nullum habuit locum, nisi jumentorum præsepium, quo reclinavit Deum infantulum. Apostoli in carcere collaudantes Deum exaudiuntur : quanto magis vos, grex Christi, coram sanctis altaribus confidere debetis, ubi beata et venerabilis Virgo veneratur et colitur, super choros elevata angelicos ! Quæ pro vobis coram summo Deo intercedens, vestras commendat orationes et offert vota lacrymarum vestrarum, quas multiplices indesinenter funditis suis cum precibus. Ubi et pignora sanctorum multorum, multarumque virginum coluntur, quæ suis excubiis au laudem Dei vestras illustrant vigilias, et custodiunt castra.

Quid enim aliud est, charissimæ, domus hæc in qua degitis, quam castra Dei, et schola divini servitii, officina virtutum, turris æternæ contemplationis, custodia perpetuæ castitatis ? Ideo ergo recte **1245** castra, quia castra. Nec immerito, quia conversatio vestra, militia cœlestis est disciplinæ ; et genus fortissimum monachorum ubi virginitas excellit, et frequentia, propter excubias summi Regis, discurrit angelorum. Ubi videlicet invigilat chorus divinis laudibus, et prospicit si qua hora sponsus veniat, ut paratis lampadibus, cum eo ad nuptias (ubi jam ascitæ estis) digne intrare possitis. Hinc jugiter symphonizatis laudibus hæc aula resultat, hinc quod gemitus vester divinas pulsat ad aures ; hinc quod a maxillis lacrymæ surgunt, juxta Hieremiam, penetrantque cœlos ; hinc quod jejunia carnem macerant ; quod afflictio robur extenuat. Ista igitur est intelligentia filiorum Chore, istud eruditionis canticum, juxta Hebraicum, nam *Melchil* apud eos *eruditionem* vel *doctissimum* sonat. Idida antiquum nomen est Salomonis, quod tam *pacificum* quam et *dilectum* sonat. Ideo in fine tituli concluditur, *Eruditionis Canticum amantissimi*, quod Septuaginta *pro dilecto* posuere ; quia Græcus ablativum non habet. Sed quod dicit canticum amantissimi, unum est ac si dicat, eruditionis Canticum dilectissimi. Porro eruditio et intelligentia nihil differt in sensu, juxta illud : *Et nunc, reges, intelligite, erudimini qui judicatis terram* (*Psal.* II, 10). Quia vera intelligentia plenam affert eruditionem ; sicuti et vera eruditio intelligentiam viri prudentis. Ac per hoc, ut dixi paulo superius, mysterium hujus cantici lectorem spiritalem requirit et intentum. Alioquin ubi simplex est sensus et apertus, quid necesse erat audientem præmoneri verbo intelligentiæ, et dici ad eum : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI, 15) ? Eruditionis quoque canticum canitur amantissimo et dilecto, canitur victori et pro triumpho ; canitur autem pro floribus et liliis, canitur et pro his qui commutabuntur. Unde nec immerito sicut præmisi, a sanctis Patribus epithalamium vocatur. Epithalamium namque primum a Salomone in laudem Christi et Ecclesiæ compositum esse legimus. Inde sæculares viri demum sua traxere dramata, quatenus in nuptiis ob honorem sponsi ac sponsæ ante thalamum hinc inde vicissim carmen laudis decantarent. Sed et David, qui totus fertur musicus fuisse, in hoc psalmo prætulit formam hujus dramatis. Et ideo non se solum, aut unum prophetarum, sed omnem chorum filiorum Chore canentem simul ; et sponsum ab æterno de corde Patris genitum, venientem ad nuptias introducit. **1246** Dilectum autem eum, et sine ullo additamento, vel amantissimum vocat : quia in comparatione ejus, jure nullus dilectus creditur. Qui tropus a grammaticis antonomasia dicitur, quasi quædam a

Introdusă în format electronic de Google

rebus cognominatio, et proprii nominis significationem trahens, dum persona quælibet ita aliquo excelliit vocabulo, ut nullus alter intelligatur quam is de quo dicitur. Fit enim multis modis quam sæpe etiam et in divinis Scripturis : utpote in Psalmo nono, *de occultis filii*, solum filium volens ostendere Christum : Et de Joanne : *Hic est discipulus quem diligebat Jesus* (*Joan.* XXI, 7) : non quod et alios non diligeret ; sed quia eum præcipue et præ omnibus diligebat. Sic quoque et in hoc loco Canticum pro dilecto vel amantissimo dicitur; quia etsi alii diliguntur propter adoptionis gratiam, hic vero propter proprietatem naturæ. Non quod exterius acceperit ut diligibilis esset; sed ipse in se habens natura ut dilectus esset. Quia sancta naturalis unitas, et æqualitas, et charitas, unitatis, non aliunde quam a se habet ut diligatur, sicut adoptio eorum quos adoptat. In illa quippe substantia Trinitatis unitas est in origine, æqualitas in prole; in charitate autem Patris et Filii, unitatis æqualitatisque communio. Ideo nulla est divisio unitatis, sed naturalis dilectio totius majestatis. Dilectus est igitur Deo Patri ac si proprius, de quo ipse in Evangelio : *Hic est Filius meus*, inquit, *dilectus, in quo bene complacuit* (*Matth.* XVII, 5). Isaias in Cantico : *Cantabo*, inquit, *dilecto meo, canticum patrueli meo vineæ suæ*. Ac deinde : *Vinea facta est dilecto in cornu in loco uberi* (*Isa.* V, 1). Quæ nimirum vinea Ecclesia Christi est, quæ facta est sponsa unico et dilecto filio. Verumtamen et ipsa dilecta, sed propter eum qui reconciliavit eam sibi, et eripuit ab ira damnationis ut esset dilecta. Ipse vero per se dilectus, quia a natura filius, ita ut nemo in comparatione ejus jure dilectus dicatur. Jure igitur ipse in Deum et Dominum, ab omni rationabili creatura diligendus, una cum Patre et Spiritu sancto venerandus.

Interea ipse solus Deus pro hominibus homo factus jure solus inter homines dicitur dilectus et amantissimus præ omnibus : et quia Psalmi titulus est, in quo de ipso et sponsa canitur, recte absque ambiguo, *pro dilecto* vel *amantissimo* inscribitur, ut nemo absque eo amandus ab sponsa requiratur, sed quemcunque sponsa Christi amaverit, aut ipse sit, aut in ipso, aut propter ipsum, ut omnes in charitate **1247** unum sint. Unde Apostolus : *Gratia Domini nostri Jesu Christi*, inquit, *et charitas Dei, et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis* (*II Cor.* XIII, 13). Quæ nimirum communicatio, omnes unum in eo facit cui communicantur. Porro in Trinitate nihil discrepat dilectionis, quia æqualitas chara et una est; unitas vero æqualis et chara. Deinde charitas æqualis atque una naturaliter, et incomparabiliter perseverat. Et ideo quia Deus Pater proprium mittebat Filium in mundo, ut sua virtute sibi sponsam duceret inter homines ipse Deus homo; dignum fuit in sacramento tituli psalmi hujus quod præmisit, qui de nuptiis cantatur, canticum pro dilecto, vel canticum amantissimi, quatenus per hoc plena dilectio commendetur Filii; qui sic dilectus absque additamento dicitur, ut ipse solus intelligatur dilectus : in quo diliguntur qui dilecti sunt, et in quo Deo Patri bene complacuit; ita ut in eo reliqui omnes placeant, quos sibi adoptavit in filios. His ita de titulo præmissis, ut ad canticum et ad ea quæ sunt mystica accedere possit animus, finiendus est liber primus, et exorandus Spiritus sanctus, ut eo describantur stylo in cordibus nostris, quo reserata sunt sanctis Dei prophetis omnibus.

LIBER SECUNDUS.

Quamvis de occultis et obscuris diu multumque, virgo Christi, tractatum sit, non adeo a nobis ignorantia depulsa est, ne eisdem semper involvamur obscuris, nisi quantum illustramur gratia. Quapropter quidam philosophi, cum essent sine Deo, omnia dubia esse dixerunt. Alii vero hoc longe a se removentes præsumpserunt se scire quæ nesciebant. Et ideo recte pars scientiæ esse dicitur, scire quod nescias. Quæ tamen nescientia, ideo scientia vocatur : quia et si pars scientiæ nescientia est, scire quod nescias : multo magis est tamen ignorantia, vel si nescias quid quæras. Hinc quidam tria obscurorum dixerunt esse genera. Quorum unum est quando res sensui patet, sed animo quid sit obscurum est. Alterum vero est, ubi res animo pateret nisi sensui clauderetur. Porro tertium obscurissimum comprobatur esse, quando res quælibet nec sensu capitur, nec animo intelligitur, nec ratione vel si est comprehenditur. Quo sane genere in multis **1248** obscuramur et involvimur, nisi quantum divina pietas nobis reserare dignatur qualitercunque ut capere possimus. Hinc quoque Deo gratulabundus gratias referens Deo agebat : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal.* L, 8). Quibus duobus noster nimium obscuratur animus, dum occurrunt nobis, non solum quæ occulta sunt, verum etiam quæ incerta. Ut puta, dum quispiam iter volens agere, inter medias noctis tenebras, in quoddam quadrivium devenit, sciens jam quid sit via, nesciens ibidem tamen ullam vel semitam esse, obscuritate involutus. Facto autem mane, quod occultum erat jam detectum est : sed incertum ei restat, quam apprehendere debeat viam ex omnibus, vel quo ducant singulæ. A quibus duobus propheta liberatus erroribus, jam Deo gratias refert, qui ei inspiraverat divinitus, quod incertum erat et occultum sæculis et generationibus, sicut in hoc epithalamio virginum declaratur. Unde oportet et nos, charissimæ gratias agere

Introdusă în format electronic de Google

Salvatori Deo, qui nos de tantis eripuit tenebris, et ad veram perduxit lucem. Qui non solum se lucem ostendit visibili in specie sensibus nostris : verum et oculos cordis intus illuminavit, ut ex integro quæ occulta erant et obscura deitatis mysteria, nobis manifesta fierent. Hinc quoque Isaias et ipse gaudens illuminatus aiebat : *Tu es Deus absconditus, Deus Israel, et nos nesciebamus te* (*Isa.* XLV, 15). Sed et tunc quando ista dicebant a Deo inspirati prophetæ, valde obscura erant et occulta : quia quæ prædestinata erant nondum erant rebus completa et manifestata. Erat quidem Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, sed quia sanctorum via nondum erat propalata (*Hebr.* IX, 8). Deus Trinitas, nisi a paucis, penitus ignorabatur. Unde sicut dicit Apostolus : *Cum cognovissent Deum per ea quæ facta sunt, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I, 21). Viam quæ Christus est, viam scilicet civitatis Dei, utique ad quam tendimus, non invenerunt. Propterea ut totam emundaret stultitiam cordis nostri divina pietas, longe post quæ dicebantur adimplevit, ut omnis obscuritas pelleretur, essetque in uno eodemque Christo quod oculis cerneres, quod manu palpares, et quod mente intelligeres; ita ut palpares hominem et intelligeres Deum. Hinc quoque Joannes aiebat : *Et manus nostræ tractaverunt de verbo vitæ* (*1 Joan.* I, 1).

Audis igitur, quia manus palpat apostolorum **1249** Verbum vitæ? Ubi autem manus tractat et tangit, carnem intellige. Ubi Verbum audis, id recognosce quod *erat in principio apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Verumtamen eumdem Deum et hominem veraciter unum intellige Deum, quem sponsum in psalmo Propheta ac si in titulo dotis describit, sanctæque conjungit Ecclesiæ. Vide, quæso, sponsa Christi, quam occultum erat vel obscurum, quando nesciebatur in hominibus vel si Deus esset, nisi tantummodo in Judæa. Unde canitur in psalmo : *Notus in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV, 2) ; in qua etiam Deus Dei Filius vel si esset prius ignotum erat. Jam vero cum dicitur paterna ex voce per Prophetam : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 1), incertum erat de quo diceretur verbo, nisi quibus illuminabantur oculi, ut incerta certissime scirent, et quæ futura erant corde crederent. Sed nobis quia reserata sunt omnia et completa, nihil obscurum restat, nihil incertum. Idcirco quia suscipit fidelis anima in hoc epithalamio verbum progenitum de corde Patris, suscipiat sponsa libellum dotis, et incorrupta virginitas sponsum de intimis Dei sibi missum præcordiis. De quo Pater signanter ait : *Eructavit cor meum verbum bonum*. Verbum utique bonum, quod *in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Et ne mireris, prudens virgo, quod hunc vocaverim psalmum, libellum dotis, in quo talia primum a sæculo panduntur fœdera nuptiarum. Habes namque in Evangelio, quod *Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII, 2). Quas itaque nuptias, si animadvertis, hoc in loco primum, invenies pacto fœderis, non dico subarrhatas, verum etiam, ac si in tabulis connubii conscriptas : ubi Deus Pater Verbum, quod in principio erat, eructasse suo de corde dicit, ut Verbum caro fieret. Cui profecto Verbo, scilicet Filio suo regi, dicta majestas sua opera, et indicat quæ fienda sunt per ipsum universa. Quod cum audis, virgo Christi, Patrem Filio suo regi, ex eloquio prophetali, indicare virtutis suæ opera, cogitare oportet, quod ipse sit scriba velox ; cœlorum enim reserantur arcana, non illi, sed sæculis abscondita, *qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Sed quia scriba, quamvis velocissimus, sine calamo aut stylo scribere quæ audit non valet, continuo subinfertur ac si ex voce Patris, *lingua mea calamus*, vel stylus juxta, Hebraicum, *velociter scribentis*. **1250** Quibus profecto verbis nihil aliud sponsæ restat cogitare, quam de fœdere nuptiarum, quæ nunquam legitime sine dote firmantur. Idcirco, sacratissima soror, cum audis Patris dictantis linguam calamum esse scribæ velociter scribentis, scias unam esse naturam trium personarum, quorum una est virtus, unaque operatio, ut iste virginibus conscribatur libellus dotis. In quo primum unde genus ducat sponsus ostenditur ; Verbum de corde Patris, Verbum quod in principio erat, utique apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc itaque bonum Verbum, quod de corde Patris eructatum est, suscipe. Quia hoc est, quod ipse est, a quo est ; per quod omnia ista bona facta sunt, quæ videntur.

De hoc igitur bono suo verbo Pater dixit : *Eructavit cor meum verbum bonum*. Per quod solum est omne bonum, et ideo diligendus, quia bonus et utcunque boni esse possumus, ab ipso est. Si enim tu homo, quodcunque boni facturus, in corde, et in consilio habes, quale bonum vel quando fiat illud; Quanto magis Deus in hoc unico suo verbo coæterno totum habuit quod fiendum erat? et ideo juxta Joannis vocem; *quod factum est, in ipso vita erat* (*Joan.* I, 3, 4). Unde addidit quasi repetens quod dixerat : *Dico ego opera mea regi* ; ac si patenter dicat : Ideo ei opera mea dico, qua ipsum genui Verbum, in quo sunt omnia mea opera, quæ per ipsum a me fienda sunt. Alioquin visibilia et invisibilia non essent in rebus, nisi prius in verbo essent : sicut et in te non esset fabrica rerum, aut opus, nisi prius in consilio esset. Erant autem omnia opera Dei in Verbo Patris, et nondum erant opera, sed Verbum erat, cui Pater; quia genuit eum coæternum, sua omnia, quidquid istud est, indicavit. Ideoque sane incomparabiliter bonum, quia hoc ipsum Verbum Deus est. Hinc necesse est quod de corde refulsit, ut ibi eum suscipiat sponsa, et complectatur dotem salutis æternæ, unde ad nos eructatum venit. Quia quod de corde prodiit, non nisi corde tenetur vel capitur. Idcirco amantissimus Filius Verbumque bonum de corde Patris, sponsæ missus ad

Introdusă în format electronic de Google

nuptias nuntiatur, ut idem amplius omni charitate in animo diligatur. Non quod Deus Pater corporeus credi debeat, ut cor, aut uterum, cæteraque habere membra intelligatur ; sed ut per corporalium efficientiarum nomina, divinitatis ejus arcana concipiantur. Non enim **1251** membris corporalibus consistit Deus. Nam alibi generationem Filii cum vellet commemorare, ait : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3) ; quatenus inenarrabilem illam unigeniti ex se Filii nativitatem ex divinitatis suæ veritate commendaret, ad intelligentiæ fidem, quem ex utero generavit ut Filium ante luciferum, ut æternum ; quem ex corde eructavit ut Verbum. In his omnibus locutus est namque de divinis suis rebus secundum humanam naturam : ut sensum humanæ naturæ ad fidei scientiam erudiret ; ut non ex nihilo, non aliunde videretur ac si creatus subsistere, sed ex se unigeniti sui naturalis nativitas doceretur. Sic itaque hoc in loco vera essentia Filii, ex Patris natura commendatur. Sed quia dilectum vel amantissimum eum dixerat, ut diligatur, et plena dilectio credentibus commendetur, insinuat ; eo quod ex intimis, vitalibusque cordis sui visceribus verbum suum, quod in se semper erat, se astruit eructasse. Non quod inde recesserit in quo manebat ; sed quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), sic ad nos venit, ut inde non recederet. Unde ut hoc mysterium Pater credentibus ostenderet, insinuat de quo dixerat verbo. Insinuat quod ipse sit *speciosus forma præ filiis hominum* (*Philip.* II, 7), et hoc in forma servi. Alias autem in forma Dei, nulli est comparandus ut dicatur speciosior et pulchrior. Quia secundum divinitatem nulli comparatur ; quoniam nulla rerum forma absque materia est, nisi divina. Quæ nimirum forma, non aliud quam unum est ; et ideo hoc unum semper est id quod est. Neque accidens in eo est, a quo sane omne esse est. Sed illud a nullo alio est ; idcirco materia et motu caret, atque in sese semper immobiliter est. Reliqua vero omnia quæ ab eo formata sunt et creata, non sunt id quod sunt ; quia unumquodque eorum non habet esse suum, nisi ex his ex quibus et a quo est, id est ex partibus suis. Propterea Deus in forma Dei nulli est comparandus, qui non aliunde quam a se est. Sed miseri hæretici, qui hoc persentire aut intelligere minime voluerunt, aut potuerunt, quod in hac forma divinitatis non nisi unitas esse potest Trinitas, una æqualitas, una essentia deitatis, cui nunquam aut nusquam est aliud esse, quam idem semper esse. Et ideo servo suo Moysi ait : *Ego sum qui sum* (*Gen.* III, 14). Quia nihil est ei nisi semper idem esse, et omnia posse. In qua forma Filius Dei cum esset, non per rapinam **1252** æqualis Deo ; sed per naturam veræ nativitatis, quia genitus est a Deo Patre, *semetipsum exinanivit*, non ut alius quam ipse esset, sed ut *formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 7) pro nostra redemptione, idem ipse Deus et homo esset. In qua itaque forma speciosus dicitur præ filiis hominum. Quæ nimirum exinanitio, non demutatio divinitatis ejus, sed miseratio pietatis fuit in assumptione humanitatis. Si enim Paulus, cum evacuat ea in se quæ parvuli erant quando factus est vir, nec mutatur, ne aut ipse idemque non sit qui fuerat, et quod fuerat ; quanto magis Deus Dei Filius idem ipse incommutabiliter est, cum *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ?* quoniam in utroque integer : Deus et homo est. Sed quia forma divinitatis invisibilis latebat in homine visibili, unum eumdemque se exhibens in forma servi exinanisse ab Apostolo jure prædicatur.

In qua itaque forma, sicut beatum Basilium omnis fert gratia dixisse, nova quædam Dei virilis operatio monstrabatur, quod et textus sancti Evangelii declarat usque ad finem. Quia profecto, sicut præfatus doctor luculentissime eo allusit verbo, virum Deum ostendens factum, in una eademque persona sicut gemina substantia fuit, ita et gemina operatio. Una scilicet per quam verus Deus monstrabatur ; alia vero per quam verus homo. Quod mysterium non minus dictu arcanum manet, quam et intellectu ignotum : quod qui non potuerit ad liquidum discernere, credat necesse est. Aliter autem tantum aberrabit a vero, quantum fuerit ignorantia veri defossus, suaque præsumptione deceptus. Quoniam in una eademque indivisa persona Christi, et divina per omnes paginas Veteris Novique Testamenti monstrantur opera et humana. Et hæc est nova et ineffabilis quædam virilis Dei gemina operatio, in forma hominis in qua speciosus prædicatur benignissimus Jesus Christus præ filiis hominum, et benedictus in æternum. Quare autem speciosus præ filiis hominum, et non præ omnibus angelis potius dicatur, cum tanto sit excelsior angelis, *quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* Filii (*Hebr.* I, 4), non ab re quæritur ; nisi quia patet sensus quod in forma hominis unicus Dei Patris Filius commendatur futurus, ne homo negaretur angelis comparatus. Prædicatur autem speciosus præ filiis hominum, ne aut eum extra hominem crederes, **1253** aut unum quemlibet de turba communis generis æstimares, cum esset homo inter homines, etiam ex filiis hominum speciosus forma. Verumtamen in Hebraico ad ipsum dilectum regem victoremque Verbum Patris de quo omnia retro *dicta* sunt, quasi finito proœmio, facit hic narrationis exordium, et facit apostrophen, ad ipsum amantissimum triumphatorem, cui omnia dicit opera sua, et consecuta sunt quæcunque de eo dicta sunt. De Chore, inquit, pulchriores filiis hominum. Sed rursus quæritur quomodo pulchrior sit cunctis filiis hominum, quando legimus in Isaia : *Vidimus eum et non habebat speciem neque decorem, sed despectum virorum ; species ejus inhonorata et deficiens a filiis hominum, homo in plaga positus, et sciens ferre infirmitatem* (*Isa.* LIII, 2, 3), seu cætera quæ de illo eo in loco a diversis interpretibus interpretatur. Ubi si bene consideras, nulla Scripturarum dissonantia generatur, quoniam ibi corporis ignobilitas, non propter

Introdusă în format electronic de Google

se, sed propter flagella, sputa, et alapas, propter clavos quoque et irrisiones atque injurias patibuli, et alia quamplura quæ pertulit probra benignissimus Salvator propter nos, unde nec reputatus est inter homines. Hic vero pulchritudo virtutum et honestas vitæ, morum probitas atque forma, non minus justitiæ, quam et totius bonitatis in eo laudatur. Non quod divinitas Christi hominibus comparata formosior dicatur, quia sicut paulo ante præmisi, nulli est comparanda, sed quia in forma servi et habitu hominis absque opprobriis et injuriis et passionibus crucis, speciosior præ cunctis refulsit hominibus : ubi et divinitas resplenduit in operibus clarior sole, et humanitas etiam in eisdem passionibus et injuriis, misericordiarum virtus esse probatur. Et ideo jure pulcher in cruce, pulcher in flagellis, pulcher in omnibus ab omnibus prædicatur, et veneratur in cunctis suis operibus. Quia etsi mirabile est quod virgo de virgine natus est, nec minus mirabilius est quod idem non *ex voluntate viri, sed ex* Deo natus est (*Joan.* I, 13); natus in fine temporum, qui est sine initio genitus ante omne tempus.

Hinc igitur est quod in forma servi omnia injuriarum genera, infirmitatisque susceptio, virtus est pietatis, quæ nimirum forma speciosior est præ cunctis hominum filiis, quia in ea et divina refulsit gloria majestatis, et quæ humanitatis in **1254** eo fuerunt infirma, aut forma virtutis fuit, aut exemplum perfectæ imitationis, aut triumphus nostræ salutis, aut certe pretium redemptionis, in omnibus tamen speciosior cunctis. Qua de causa dicitur etiam a sanctis patribus quiddam habuisse in vultu et in oculis sidereum, quo divinitus permulceret pios, et terreret reprobos. Alias autem nequaquam eum statim secuti essent apostoli ad unius jussionem; nec qui ad comprehendendum eum venerant prostrati mox sola voce corruissent. Similiter quando et de resticulis flagellum fecisse legitur, nunquam omnes ac si potestative de templo ejicere potuisset contradictores et superbos, si non aliquid eos cœleste deterruisset, quo perculsi cederent comminanti. Denique et in supradicto testimonio ubi ait : *Homo in plaga positus et sciens ferre infirmitatem*, reddit causam, quare ista perpessus sit. *Quia*, inquit, *avertit faciem suam*, id est, paululum auxilio divinitatis remoto, corpus injuriæ dereliquit et cruciatibus, alioquin nisi volens non pateretur, qui ad hoc venerat. Unde in hac forma servi, qua speciosior erat præ filiis hominum, nulli dubium habuisse gratiam diffusam, ut omnia quæcunque vellet posset ut Deus, et quæ pati decrevisset pateretur ut homo; non quasi invitus, sed quasi potestatem habens, non minus in omni verbo quam et in omni opere. Hinc quoque sequitur : *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Secundum formam humanitatis, in qua fœdera pacturus nuptiarum, venit; in ea gratia plenus creditur, et non secundum formam in qua æqualis est Patri. Quia in ea forma Spiritum sanctum accipere non potuit, eo quod secundum deitatem, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus est Deus. Ubi tantus est Pater solus quantus cum Filio et Spiritu sancto; tantusque est solus Spiritus sanctus quantus cum Patre simul ac Filio. Ibi nulla de tribus personis habet duabus aliquid minus. Quia in unaquaque persona sic est plena deitas, ut et in tribus personis una sit, et in singulis tota. Non ergo potuit divinitas Filii Spiritum sanctum accipere, cum ipse Spiritus sanctus sic procedat a Filio sicut procedit et a Patre, sicque detur a Filio sicut datur a Patre. Hinc quoque illa natura unde Spiritus sanctus habet originem, nec potuit aut exspectare, aut accipere largitatem. Profecto Spiritus sanctus totus est Patris, totus est Filii, quia **1255** unus naturaliter est Patris et Filii. Proinde nulli dubium quia totus de Patre procedit et Filio, totus in Patre maneat ac Filio, quia sic manet ut procedat, sicque procedit ut maneat. Unde naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio unitatis plenitudinem, et plenitudinis unitatem, ut totus a Patre, totus habeatur a Filio; non ergo accepit Spiritum sanctum divinitas Filii cum qua unius naturæ est. Ideoque restat ut Deus homo Christus in forma servi quam accepit Spiritum sanctum per hanc diffusionem acceperit. Quem tamen non ad mensuram accepisse legimus, qui totum accepit. Et ideo diffusa gratia in labiis Christi plenitudinem habuit perfectionis; quia ubi mensura non est, perfectio plenitudinis est. Habuerunt siquidem sancti donum gratiæ, sed secundum mensuram donationis Christi; Christus autem sicut speciosus forma præ filiis hominum, ita et plenus gratia Spiritus sancti, præ omnibus participibus suis. Hinc quoque Joannes cum de ipso Filio loqueretur ait : *Non ad mensuram dat Deus Spiritum* (*Joan.* III, 34). Quia profecto circa Dei sanctos omnes ex affluenti dono liberalitas largientis est; in Christo autem totius manet in æternum Spiritus plenitudo. Idcirco beatus Apostolus, *secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV, 13), dicit Spiritum dari, ubi cæteros homines ad mensuram accipere insinuat. Joannes de Christo volens ostendere omnem plenitudinem gratiæ in eo fuisse, *non ad mensuram*, inquit, *dat Deus spiritum*. Quod et Isaias patenter de ipso loquens insinuat : *Et requiescet*, inquit, *super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum Spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2, 3). Unde patet quia accepit Christus gratiam Spiritus sancti, sed non ad mensuram. Quod si homini Christo non ad mensuram dedit Spiritum, necesse est ut nihilominus habeat sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis. Ac per hoc non solum ad divinitatem ejus, verum ad ejus quoque humanitatem illa perfectionis prærogativa pertineat, quam ipsi Christo beatus assignat Apostolus dicens : *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ abscondidi* (*Coloss.* II, 3). Et quia ad mensuram non accepit spiritum, omnes thesauros sapientiæ ejus atque scientiæ habuit. Quia si ei ali-

Introdusă în format electronic de Google

quid ejus plenitudinis defuit, consequens est ut ad mensuram **1256** Spiritum accepisse prædicetur.

Quod si verum dicit Apostolus, imo quia verum dicit quod ei *non ad mensuram* dedit *Deus Spiritum*, constat quod omnem plenitudinem divinitatis in se habuerit ; et ubi affuit plenitudo deitatis, ibi et virtutem ejusdem divinitatis affuisse manifestum est. Propterea subjecit ei omne posse in omni voluntate sua, jam morte devicta ; ubi non adoptio, non divisio substantiarum, non confusio, aut permistio, non ullius rei interceptio, sed sola unitas personæ Christi, et proprietas prædicatur. Cui ex toto subest nosse posse quæ Dei sunt, quia in nullo invenitur aliud quam Deus. Reliqua omnia membra, et ad mensuram donum gratiæ percipiunt, et de Christi plenitudine eam accipiunt. Unde evangelista Joannes : *Nos*, inquit, *omnes de plenitudine ejus accepimus gratiam pro gratia* (*Joan.* I, 16). Ubi datur intelligi, in illa speciei gratia quæ datur pro gratia fidei, non esse ipsam plenitudinem quæ diffusa est gratia in labiis Christi, sed plenitudinem illam quam accipiunt omnes, et adempletur omnis Ecclesia, in quantum per ejus gratiam unusquisque capax in ea esse probatur. Hinc quoque Propheta : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (*Psal.* XV, 11) ; et iterum : *Replebimur in bonis domus tuæ* (*Psal.* LXIV, 5). Sed ut impleamur, de plenitudine ejus accepimus, qua repletur domus, quæ est Ecclesia Dei vivi. Porro de ipso dicit apostolus Paulus : *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Quæso ne leve videatur quod magnum est, ne sine reverentia quod divinum est; quoniam etsi jocundum est virginibus quod Deus homo ac si sponsus, eis speciosus forma describitur, ineffabile tamen est, quod fragilitas carnis ad tantæ conjunctionis gloriam vocatur, ut Patrem habeat Deum, Filium Dei unicum, fratrem et sponsum. De quo mirantur angeli, pavescunt virtutes cœlorum. Cœlum non capit quem capit uterus, sol non videt, terra non sustinet, tota non assequitur creatura. Quid ad hæc mortale faciat pectus, charissimæ? Quidve mens imbecillis humana? Quomodo capiat verbum quod eructatum est de corde Patris, quod sempiternum est in Patre? Quid ad istud humani sensus angustiæ? Quid ad hæc humanæ vocis natura? Quidve ad hoc verbum humana lingua dictura, cum sit ineffabile et inauditum verbum per quod omnia sunt? **1257** Verbum manens in Patre, *quod nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II, 9). De hoc Isaias verbo cum audisset auditu, divinitus inspiratus, miratur quomodo ad humanum possit pervenire auditum, dicens : *Domine, quis credidit auditui nostro?* (*Isa.* LIII, 1.) De hoc Jeremias, cum divino concepisset affectu, vix sustinens clamabat : *Ventrem meum, ventrem meum doleo, et sensus cordis mei conturbati sunt* (*Jerem.* IV, 19). De hoc Abacuc : *Domine*, inquit, *audivi auditum tuum, et timui, consideravi opera tua, et expavi.* Et deinde ait : *Intravit tremor in ossa mea, et subtus me mota est virtus mea* (*Habac.* III, 2). Ecce talis tantusque propheta elevatus virtute Dei, sensit suam sub se succubuisse virtutem. Sic et omnes sancti a sæculo quoties talia senserunt, nihil se esse confessi sunt. Sed quia longum est super hoc sacramentum pavores persequi sanctorum, cogitet virgo Christi multa de paucis, sicque præparet cor ut possit capere tale tantumque verbum; quia nihil est vicinius quam cor et verbum. Nam cor sine verbo dicibili mortuum videtur ; verbum vero non nisi in corde intus manet, nec nisi de corde procedit, nec nisi interdum corde capitur. Quod sane verbum quamvis voce vestitum, non nisi de corde exit, nec de corde recedit dum exit, et ad cor venit, ut maneat ubi venit. Quibus profecto indiciis divina nobis insinuatur natura, quod Patris et Filii una sit substantia. Ac deinde cum suscipitur ab sponsa, cui decantatur hoc epithalamium, non nisi in corde habetur, ut diligatur dilectus Patris, quo fide tenetur. Verumtamen Symmachus longe aliter transtulit : *Commotum est*, inquit, *cor meum verbo bono*, quasi dicat de alterius sermone cor prophetæ, vel cujuslibet dicentis, commotum ; ita Spiritu sancto futura Christi pandente sacramenta, ipsum etiam in eloquium prorupisse, quatenus et ipse, quemadmodum cæteri prophetæ, de adventu Christi loqueretur. Ubi nihilominus et ipse bonum Dei Verbum prædicat ; sed quod de corde Patris ad nos exierit, tacet. Idcirco melius in persona Patris, quod ipse de se Verbum, quod Deus est, genuerit, dictum accipitur, et illud eructasse perhibetur. Siquidem hoc non minus verba tituli concinunt, quam et textus Psalmi more Cantici idipsum explet. Quandoquidem ad utramque intelligentiam sensus, quo dicitur eructasse Verbum, bene congruit.

1258 Est autem proprie ructus digestio cibi, et concoctarum escarum in auras efflatio. De cujus nimirum afflatu, juxta qualitatem escarum, aut collectionem stomachi, flatus boni malive odoris erumpit, qui ructus dicitur. Sed divina dispensatio non dedignatur ad informandam de se intelligentiam nostram, vilitatem verborum assumere, qui nostræ dignatus est infirmitatem carnis assumere. Hæc quippe omnia ideo fecit, ut nos nostris informaret verbis, usibus, et exemplis, suamque humilitatem in omnibus commendaret in nobis. Denique hunc odoris flatum ab initio omnes sancti, scilicet patriarchæ et prophetæ, intus persenserunt in corde, per Spiritum sanctum, in Scripturis sacris; qui quam sæpe spiritus flatus dicitur, per quem demonstratur, etiam antequam veniret, qui mittendus erat. Unde unus sanctorum : *Non deficiet*, inquit, *princeps de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX, 10). Odoramenta siquidem hujus Verbi ructus exhalabunt omnia Veteris Testamenti sacrificia, quæ Christum præfigurabant esse venturum in carne, holocaustum Deo Patri pro nobis fiendum. De quibus quamsæpe dicitur sacrificiis : *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*

Introdusă în format electronic de Google

(*Gen.* VIII, 21). Hunc itaque odorem senserat patriarcha Jacob, de quo non longe supra dixi : *Ecce odor*, inquit, *filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27). Porro quis sit is quem Dominus benedixerit præsens declarat psalmus cum ait : *Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea te benedixit Deus in æternum.* Hujus namque fragrantiam odoris, naribus præsenserat Ecclesia in Canticis, cum dicebat : *Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis* (*Cant.* I, 3, 4). Nec dubium, charissimæ, vos esse adolescentulas de quibus dicitur : Vos estis, inquam, quæ canitis inter easdem virgines, quarum non est numerus; quæ dicitis sponso in eisdem Canticis : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Alias autem nisi ejus odor vos respergeret, nequaquam iis quæ mundi sunt despectis, ad tantam contritionem carnis et spiritus venire cuperetis, et crucem in angariam post Christum portare; ita ut calcatis omnibus, non aliter ac si flores heliotropii de quibus dixeram, solem Christum respiciatis et sequamini, quia solummodo auctorem vitæ dilexistis, **1259** et quæ sursum sunt sapitis. Nec immerito, dilectissimæ, quia fractum est alabastrum unguenti pretiosissimi, et pro vobis utique fractum, et impleta est domus odore illius unguenti nardi pistici. Hinc et vos una cum Apostolo, in hoc mundo bonus odor estis cunctis hominibus, ita ut a vobis fluant odoramenta virtutum. Hinc charitas dilatatur, pax et patientia mores exornant vestros, bonitas et benignitas fragrant; hinc humilitas profunda cælum pulsat; modestia et mansuetudo habitum decorant; contemptus sæculi, longanimitas et victus parcimonia in vobis vigent; hinc virginitas floret, castitas et pudicitia vernant; hinc de bono cordis thesauro doctrina virtutum, et Spiritus sancti dona fluunt, ut et singulæ possitis dicere, non ex vobis, sed in eo per quem accepistis verbum salutis et donum gratiæ : *Eructavit cor meum verbum bonum;* quia in eo cui vos vovistis, quem in corde geritis, omnes thesauri sapientiæ et scientiæ.

Unde sequitur : *Dico ego opera mea regi.* Vox Patris continuatur qui prædicat de Filio, quod ei sua indicet opera, juxta illud quod ait : *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5); et in Genesi : *Dixit Deus, fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I, 3). Non quod Deus Pater prolativam protulerit vocem, ut diceret, *fiat*, cum sit incorporeus Deus Trinitas, nec habeat membra, quibus verba formentur, nec aures quibus audiat. Sed ipse est Verbum Patris, consubstantialis et coæternus Filius; quem ipse cum genuit, cuncta ei non prolative, sed gignendo æternaliter, monstravit et dixit, quia cum genuit per quem omnia fecit. Hoc quippe est illi dicere opera sua regi, quod est genuisse regem, non solum per quem crearet omnia, verum per quem redimeret et regeret universa. Et ideo hoc in loco potius regem cui sua indicat opera, debuit nominare, juxta textum Psalmi, quia regnum sua sibi virtute acquirere veniebat, et sponsam ducere. Hinc denique ipse in Evangelio : *Simile est*, inquit, *regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII, 2). Et quia in isto carmine Christo regi filio regis nuptiæ parabantur, ad laudem nominis et gloriam proprietatis naturæ, sua indicat Pater opera Filio, quia *Filium nemo novit nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Idcirco illi Pater sua indicat opera, quia Verbum Patris est, et ipse solus novit omnia quæ Patris sunt, et cui voluerit ostendere. **1260** Propterea non solum semel, sed et secundo Pater de cœlo clamat : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ac si patenter dicat : Ipse est cui omnia patefeci, quem genui, propriæ tamen naturæ, qui in me totus, et ego in ipso, ac propterea placitum meum in illo constitui, ipsum audite. Hinc dictum est quod omnia quæ Pater facit eadem et Filius similiter facit; nec potest Filius facere, nisi quod viderit Patrem facientem. Cæterum juxta Symmachum propheticus chorus Christi Ecclesiæ sacramenta dicturus, ne carmine videatur indignus, loquitur. Cum quibus et vos sanctimoniales Christi, choros vicissim ducentes, pandite opera vestra regi Deo, sponso vestro, ne ob conscientiam peccati dicatur : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XLIX, 16.) Opera vestra regi Deo confitemini, ut vel si bona ipse suscipiat; vel si mala, misereatur et mundet; juxta illud : *Dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris, quia justus accusator est sui, in principio sermonis* (*Prov.* XVIII, 17). Ergo cum ipso eodemque prophetarum choro filiorum Chore, quæcunque agitis, mortificationem carnis, vigilias, preces, psalmorum carmina et laudes consecrate Deo in cordibus vestris, ipsique soli vacate, ipsique soli arcana cordis reserate; illi pensum servitutis persolvite, ut ei soli placeatis, cui a principio conversationis vestræ vos consecrastis. Nunquam ergo sola est virgo, cum qua est Deus. *Lingua mea calamus scribæ velocis scribentis.* Pro quo Hieronymus interpretatus est, *Lingua mea stylus scribæ velocis*, notariorum velocitatem scribendi volens exprimere. Sed velocior lingua Patris, qua Spiritus sanctus designatur, cujus adventus doctrina est orbi terrarum. Per quem lex ac si digito Dei scripta est tabulis lapideis, per quem inspirati sancti Dei omnes futura dixerunt, et quæ divina sunt ediderunt. Ex quo benignissimus Salvator in Evangelio ait : *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia* (*Joan.* XIV, 26). Unde non absque mysterio super apostolos in linguis igneis idem Spiritus sanctus venisse dicitur; quoniam ipse est per quem Pater credentibus sua dona dispensat, ipsumque ascribit in cordibus singulorum, et quoscunque repleverit ardentes simul et loquentes facit. Ipse etenim in *hoc quod continet omnia scientiam habet vocis* (*Sap.* I, 7), ideoque ipse jure lingua Patris et calamus scribæ velociter scriben-

Introdusă în format electronic de Google

tis **1261** vocatur : quoniam amborum est Spiritus, Patris scilicet et Filii. Nam Jesus Christus Verbum Patris ipse est scriba doctus et velox in regno cœlorum, qui *profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Cujus nomen Isaias declarat futurum : *Velociter scribe, spolia detrahe, cito prædare* (*Isa.* VIII, 1). Ideoque bene Spiritus sanctus calamus scribæ velociter scribentis dicitur, quia voluisse non dico scripsisse, verum etiam fecisse est, et docuisse. Quia quorum est una voluntas, unaque deitas, et una potestas, ibi nulla inæqualitas, propter differentiam verborum, sed una divinitas, unaque natura, et una cooperatio. Dicebat enim, ut rex Deus Pater ex quo omnia, volens facere nuptias Filio suo regi, per quem omnia, declararet in hoc eodem carmine nuptiali, etiam Spiritum sanctum, qui continet omnia. Alias autem talis tantaque hæreditas quæ in hoc carmine monstratur, non attitulatur sponsæ, nisi per hoc fidei sacramentum, ut perfecto credatur Deus Trinitas unitatis, et unitas Trinitatis. Quorum una majestas, unumque regnum, et una voluntas. Qua de causa in hoc carmine nuptiarum, testes quasi in libello dotis, tres ascribuntur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Sic itaque ait Joannes apostolus, quod tres sint in terris qui testimonium dant pro his mysticis muneribus, Spiritus, aqua et sanguis, et sicut in emendatioribus codicibus invenitur etiam : *Et tres sunt qui testimonium dant in cælis,* videlicet, *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* (*I Joan.* V, 7). Alioquin in conscientia virginis, ac si in libello fœderis, nisi tres isti ascribuntur testes, nulla penes Deum consequetur hæreditas, quæ Græce κληρονομία vocatur. Quam ut ita fatear, ac si in libro dotis, præclaram sub sigillo describit fidem Trinitatis, et assignat sponsæ formam Filii et jura sponsalitatis. Filius vero quasi scriba velox, quia hæres est Patris, et sponsus Ecclesiæ, hæreditate a Patre accepta, sponsæ suæ tradit, ac si in libello dotis, cum in dextera collocatur. Verumtamen non calamo corruptibili, et atramento conscriptam, sed gratia Spiritus sancti, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus omnium, qui ad has nuptias sunt intraturi. Alias autem, quisquis hanc in fide non attulerit dotis formulam, timeat ne forte rex cum ingressus fuerit, audiat illud ex Evangelio : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* (*Matth.* XXII, 12.) Quapropter audiat virgo benignissimum sponsum **1262** Christum Jesum docentem et scribentem fœdera nuptiarum ; audiat, inquam, diligenter, et observet, nec non et cum omni puritate cordis vigilanter insistat, ne inter fatuas repellatur. Quinimo dicat et ipsa de se, dicat Deo Patri, dicat et sponso : *Eructavit cor meum verbum bonum*, et omnia mei actus opuscula tibi Domino consecravi; interea et lingua mea ac si calamus scribæ velociter scribentis, non solum ut consodales doceam, quæ Spiritus infuderit et personuerit quasi suo in organo ; verum etiam sacrificium laudis Domino indesinenter deferam, et *vota quæ distinxerunt labia mea* (*Psal.* LXV, 13), usque in finem perseveranter reddam. Quoniam *mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I, 21). In quo, omnis consommationis meæ finem posui ; qui est, ut in eo sine fine permaneam. Et ut apertius..... Idcirco jure non in aliquo plenitudo divinitatis ei deesse creditur, cujus una est persona cum Verbo, quam sic sapientia suscepit virtusque Patris, ut eadem sapientia ac eadem virtus ipse sit. Quia Deus Dei Filius humanam assumpsit naturam quam non habuit, et non personam quam semper habuit ab æterno in Trinitate. Quæ nimirum humanitas ita transivit in Deum, ut una sit persona ; quæ rerum omnium in tantum facta est in unitate Domina, ut cum ipsa divinitate sua una sit in Trinitate persona, unaque potestas. Hinc quoque Joannes ait : *Vidimus eum quasi unigenitum a Patre plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Ex quo liquido constat, quod plenitudo veritatis in seipso plenitudinem habeat gratiæ, quæ est tota humanitas in divinitate sua, et plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis, quæ est tota divinitas in humanitate sua. Et hæc gratia diffusa in omni humanitate Christi atque perfusa, ita ut plenitudo veritatis in unitate personæ, plenitudinem in se habeat humanitatis, et humanitas plenitudinem veritatis. Dum plenam humanam naturam, animam scilicet atque carnem, in illam sempiternam suæ divinitatis personam accipiens, sicut naturaliter totus verus est homo, sic totus et Deus verus. Quia sicut in divinitate sua totam habet nativitatis suæ naturam, sic et in humanitate sua totam habet divinitatis suæ substantiam, totam majestatem, totam virtutem, totam sapientiam incommutabilitatem atque omnipotentiam.

Iste igitur est sponsus vester, charissimæ : ut ipse sit Deus vobis et sponsus, qui **1263** homo est, idemque homo qui Deus est, verus et proprius Dei Filius. Iste est ille de Canticis *dilectus* vester, *candidus et rubicundus* (*Cant.* V, 10) : candidus, quia virgo est natus de Virgine ; rubicundus, quia suo resparsus est sanguine. Sed et candidus in vobis, rubicundus in martyribus : de cujus ore manavit hæc gratia, in cujus ore facta est ista reconciliatio. Unde sponsa, inquit, *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Noverat enim quod omnipotens hæc gratia diffusa esset in labiis Christi, et ideo a longe tam dulcia implorat oscula ; non quod solummodo in labiis plenitudo gratiæ diffusa fuerit, et non in toto ; verum ideo in labiis, quasi a parte totum, quia gratia divini verbi de fonte oris Christi manavit, totumque replevit mundum. Inde in Evangelio : *Aperiens*, inquit, *os suum, docebat eos* (*Matth.* V, 2) ; aperiens quasi fontes vitæ, quasi a sæculis absconditos, quasi arcana secretorum Dei. Sed et duo Testamenta, Veteris scilicet atque Novi, labia Christi dicuntur, in quibus hæc reserantur mysteria, et divina panduntur sacramenta. Fuerunt namque et ora patriarcharum et prophetarum perfusa Spiritus sancti gratia, nec-

Introdusă în format electronic de Google

non et apostolorum ; sed longe aliter Christi labia. Unde sicut dicitur in prima clausula, voce Patris de Filio : *Speciosus forma præ filiis hominum*, ita et in duabus sequentibus subintelligendum est, ut dicatur : *Diffusa est gratia in labiis tuis*, præ filiis hominum, et *benedixit te Deus in æternum* præ filiis hominum; quoniam in omnibus ultra fuit quam homo. Quapropter intelligat fidelis anima, intelligat sancta virginitas, et intendat sponsa Christi præconia quæ de ipso dicuntur, quia hæc est intelligentia filiorum Chore, id est filiorum Dei. Cur autem dixerit : *Propterea benedixit te Deus in æternum*, ex præmissis constat causis : quia *speciosus forma*, quia *diffusa est gratia in labiis* ejus præ filiis hominum. Alioquin tanta talisque benedictio non competeret ei, nisi præ filiis hominum in omnibus esset speciosus, et diffusam gratiam in se haberet præ omnibus. Quoniam hæc benedictio est, in qua benedicentur omnes qui benedicti sunt super terram. Hinc quoque ait Apostolus : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo* (*Ephes.* I, 3). Non enim de terrenis, aut Judaicis est ista benedictio, neque temporalis tantum, ut sit æternitas ejus usque ad jubilæum; ut puta servus Hebræus qui noluerit exire **1264** in septimo anno liber, perforata auricula sit servus usque in æternum : et talia hujusmodi in plurimis locis, ubi æternitas annorum determinata signatur. Verum hæc æternitas, in qua Christus benedicitur, immensitas est temporum, sicut et gratia, qua perfunditur immensitas donorum. Nam æternitas vera, sicut quidam definiunt, est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio; quia nec fine clauditur, nec beatitudine vacuatur. In qua denique æternitate Christus, jam benedictus, in ore prophetico, ex dono gratiæ prædicatur, ubi præteritum pro futuro apposuit. Non qualicunque igitur benedictione, sed sicut Apostolus exposuit, omni benedictione spiritali in cœlestibus benedictus perhibetur. Et notandum, quod non secundum naturam in qua genitus est a Patre, sed secundum quam natus est, in qua gratiam, percepit, sed immensam. Ipse est enim qui dat, ipse qui accipit; et quia potens est aliis ad mensuram accipere : in forma enim Dei manens Spiritum dat, formam servi accipiens Spiritum accipit. Ipsum namque quem ad mensuram dat, totum accipit. Ad mensuram quippe dat multis filiis, sed non ad mensuram accipit unicus Filius, quia sic est verus homo, ut verus sit Deus.

His namque et hujuscemodi verbis, lex Novi Testamenti testificata est a lege et prophetis, quod ipse sit Christus cui datum est *momen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II, 9); quoniam propter misericordiam et veritatem magnificavit Dominus super omne nomen sanctum suum, in quo posuit omnem benedictionem divinitatis. Et ne æstimes, virgo Christi, semper benedictionem esse in invocationibus et precibus, quibus consequantur charismata dona seu quælibet adhibita in sacris litteris : scias quod benedictiones magis dona dicuntur et munera. Unde et Græcus dona quælibet vel munuscula vocat, sicut et panem jam ex usu de manu sacerdotis eulogias vocamus. Sed in Christo benedictio illa in cœlestibus vere donum dicitur, quod est super omne donum, quia in ipso omnia donata sunt nobis. Et ideo nemo sibi applaudat, nemo de suis præsumat meritis. Si enim Christus totus ille homo in carne et anima, ex dono largitoris percepit, ut sit benedictus in æternum plenus gratiæ et veritatis ; multo magis nemo mortalium, nemo etiam angelorum habet aliquid boni nisi ex munere et dono donantis. Propterea **1265** rogo, charissimæ, custodite donum castitatis, custodite munus et decus virginitatis, quia profecto magna sunt præmia remunerantis. Quæ nimirum dona si servantur digne, jam ipsa sunt præmia mercedis, quia non ex vestro habetis quæ novistis, sed ex munere largitoris, multo minus ut custodiatis dona eximia quæ accepistis, nisi ipse donaverit, ut permaneatis in his quæ vovistis. Quia *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum* laborant, quicunque *ædificant eam ;* et *nisi Dominus custodierit civitatem* cordis aut carnis nostræ, *frustra vigilat qui* custodiat *eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Idcirco, dilectissimæ, sic laborate, sicque coædificamini in invicem, sic sollicitius vigilate in omnibus, ut totum Deo deputetis quod habetis, quia magna sunt quæ percepistis. Totum illi committite quod percepistis, quia ejus sunt munera, ut serventur vobis bene apud ipsum custodita, usque in diem æternæ remunerationis. Illum sectamini decorem, quo sponsus vester speciosus prædicatur et pulcher; illam servate gratiam, quæ vobis in illo data, laudatur, ut ipse et vobis illud dicat de Canticis : *Pulchra es, amica mea; columba mea, immaculata mea pulchra; genæ tuæ ut turturis, oculi tui columbarum* (*Cant.* II, 10). Tunc itaque bene servantur fœdera nuptiarum, si ex utraque parte impenditur amor castæ dilectionis, et pudor perpetuæ castitatis, si respondeat in invicem pulchritudini forma et decori, si invigilet morum probitas, et diligentia castæ observationis, ne in ullo lædatur jus amoris. Quia quanto tenerius fervet amor intimus, tanto acrius offensus ab sponsa læditur sponsus.

Unde ne blandiatur forte virgo Christi quasi ex lenitate sponsi, audiat quia gladium portat, et zelotypus esse minatur. Unde sequitur : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Quod si bene feceris, si fœdera servaveris sponsalitatis tuæ, potens est et fortis filius regis, quem duxisti sponsum adimplere libellum dotis. Sin autem improbe vixeris, time : quia de ore ejus gladius fulgurans ex utraque parte exiit acutus et elimatus. Hinc quoque post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labiis, post benedictionem perceptam æternæ hæreditatis, imperatur a Patre ut accingatur gladio suæ fortitudinis ad ultionem inimicorum, ad reprehensionem contradicentium, ad conservanda rerum

Introdusă în format electronic de Google

omnium jura, ut *in pace* sint *omnia quæ possidet* (*Luc* XI, 21). Ne ullus de vindicta 1266 cogitet servorum, dum viderit præliantem Dominum mucrone ultionis accinctum. Et ideo gaude, virgo, etsi fragilis, gaude, sponsa, hinc inde etsi inter medios hostes ambulans plena formidinis; quia fortissimum duxisti sponsum et armatum. Quinimo armare et ipsa gladio verbi divini, de quo ait Apostolus : *Et gladium Spiritus assumite, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17), quatenus et ipsa tuo armata respondeas propugnatori ac defensori. Quem sane locum melius vos intelligere non ambigo, quæ ab incunte ætate Christi gladio viriliter succinctæ, didicistis multarum solatio ac si in acie fortiter pugnare. Ut sciatis autem semper virginitatem esse debere armatam, ac si in acie; quid gentilitas variis delusa erroribus sibi finxerit, recolendum censeo, quia virgines suas armatas semperque accinctas gladio multis exposuere figmentis. Sed et Dominus succinctos jubet lumbos habere, et lucernas ferre in manibus. Et Salomon in Canticis *sexaginta* potentes describit, *de fortissimis Israel* in circuitu Chore, *omnes tenentes* gladium, doctissimos ab bellum, viros accinctos gladio *super femur suum* (*Cant.* III, 8). Quod autem femur significet opera nuptiarum docet Abraham (*Gen.* XXIV, 2), qui jubet servum jurare in ejus femore, per Deum cœli, qui ex eo nasciturus erat : nec non et in eo, ubi princeps de femoribus Judæ repromittitur. Sed et Jacob moriturus adjurat Joseph in femore suo (*Gen.* XLVII, 29), ne eum sepeliat in Ægypto. Quæ omnia, et in aliis quibuslibet locis, sacramenta sunt nativitatis Christi. Nam et consuetudo est, eorum maxime qui in bello fortes esse volunt ac strenui, gladium semper accinctos super femur gerere. Ubi et sponsus a Patre accingi jubetur, non qualicunque gladio, sed sicut in Hebræo habetur : *Accingere gladio tuo super femur, fortissime, gloria tua, et decore tuo.* Ubi nescio qua de causa, male in omnibus, tam in Græcis quam in Latinis codicibus, divise legitur, ut *specie tua, et pulchritudine tua*, non ad priorem versum, sed ad posterioris principium jungatur. Quem tamen gladium, ubi vel ubi intelligatur, venit Jesus in terram mittere, sicut ipse ait : *Non veni pacem mittere in terram sed gladium. Veni*, inquit, *separare filium adversus patrem suum, et filiam adversus matrem, nurum* quoque *adversus socrum suam* (*Matth.* X, 34); et erunt, inquit, duo adversus tres, et tres adversus duos. *Eruntque inimici hominis domestici ejus*. Quam divisionem procul dubio Christi gladius attulit nobis : et ut quotidie videmus adhuc agit in terris, ne male 1267 potiatur animus rebus sibi a natura concessis.

Hinc est, dilectissimæ, quod rebus vos exspoliastis omnibus; hinc quod, relictis parentibus, propinquis, charis et amicis, hic vos sub jugo Christi æterna clausura obserastis. Hinc, relicto patre vel matre, cognatis et notis quibuslibet et filiis, soli Domino adhæsistis. Quid plura enumerem, cum quidquid reum habere potuistis, etiam et vosmet corstat reliquisse, duraque præsentis vitæ pro Christi amore sustinere dispendia vitæ, et sempiterna infatigabili labore sectari? A quo nemo potuit vos retrahere; non amor viri, non filiorum chara vincula, non ullius asperitas vitæ, non fragilitas carnis, non oblectamenta deliciarum. Omnia quidem, sanctissimæ, calcastis et vicistis fortiter : tantum hortor sustinentiam usque in finem in ea mittatis, donec bravium apprehendatis. Quoniam, juxta Apostolum, *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non* confunditur : *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum* (*Rom.* V, 3 - 5), pro cujus amore omnia sustinetis, et reliquistis quæcunque pretiosa habere potuistis, insuper cum vitiis et concupiscentiis intus Christi charitate compactæ crucifixistis. Unde bene locus quo conduntur ossa post finem vitæ, a majoribus olim dedicatus est in honore sanctæ crucis, quatenus membra quæ tulerunt crucem longe diuque Christi, in angariam, ibi requiescant humata, ac si acervus tritici, vallata liliis, ubi triumphus ejusdem sanctæ crucis, et honor attollitur. Sub cujus auxilio vel defensione qui pependit in ea, felicios sicut lilium paradisi, germinabunt in futuro viriditate perpetua. Quod si humiliata nunc in terræ pulvere exsultabunt, demum florebunt cum Christo in æternum. Quam spem semper in sinu confidenter reponite, semperque quasi acervum testimonii, fide et lacrymis irrorate. Quia hæc sunt organa in quibus effloruerunt semina æternæ viriditatis. Sic namque, charissimæ, vestra dedicata sunt castra irreprehensibiliter, ut doceant vos Christi bajulare militiam, et crucem portare post ipsum in angariam. Inter quas efficax Dei verbum penetrabilius *omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV, 12) versatur, et dirimit cogitationes singulorum cordium, ac si discretor spinarum et liliorum, superque intensor, ut perpendat qualiter eum quælibet vestrum diligat, qualiter 1268 post eum intendat currere, qualiterve ad ejus voluntatem, virtutum speciebus singulæ se ornent. Quod si carnalis amor nonnunquam in conjungibus talia sui amoris requirit vota, ne aliud velit quam vult sponsus : quid putas, soror, Christus in suis virginibus sibi feliciter dicatis, quam diligenter considerat quibus pulchrescant virtutibus? quibus se ad ejus voluntatem parant ornamentis, et tingunt intus? quia omnino zelotypus est, et usque ad divisionem animæ, compagum quoque et medullarum, discretor cogitationum, perlustrans universa. Multo enim, soror, interius animam uniuscujusque nostrum inhabitat Deus; et ideo non ignorat quid cogitet, quam anima proprium inhabitat corpus, quoniam creator ille Spiritus est, iste creatus. Et ideo semper orandum est, ut visitatio Dei custodiat spiritum nostrum, illustret et expurget gladio verbi, ac resecet purulentias cogitationum, omnemque titillationem carnis ac mentis detergeat, nosque semper sua præcingat virtute et illuminet, ut intendere possimus postea quæ jubet.

Introdusă în format electronic de Google

Hinc quoque sequitur vox Patris ad Filium : *Intende*, ait, *prospere procede, et regna*. Porro in Hebræo habet rursus, decore tuo ; ut sit sensus : decore tuo prospere ascende, et accingere gladio tuo, gloria, et decore tuo. Secundo vero decore tuo recto, intende prospere. Quod idcirco dixerim, ne quis putet in Hebraico vitium scriptoris esse. Sed est repetitio nominis tropice figurata, more panegyrico, quo genere laudatores rhetores et sæculares viri loquuntur, quando suis efferunt præconiis quod laudare decreverunt. Sic itaque Deus Pater, volens instituere Filium suum ducem humani generis, ad prælium armatum cum suo exercitu hortatur ad bellum procedere, ne semel arreptam deserat monomachiam. Imo super hostium strages victor incedens, intendat quatenus præparet sibi regnum de his quos diaboli eripiens potestati suo copulaverit imperio, et dicat : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum suum.* (*Psal.* II, 6). Eo in tempore quando Propheta hæc canebat, necdum Christus venerat, necdum processerat ad regnum, et nunc jam factum est.

Attende igitur orbem terrarum, et videbis quia juxta Patris vocem intendit prospere, processit et regnat in throno jam collocatus paterno. Et quod erat in spiritu videre, hoc jam est in veritate factum conspicere. **1269** Prædicabat autem tunc, quod semper in æterno Patris erat consilio ; nunc vero exhibitum est quod latebat, et nuntiabatur antequam fieret ; et ut juxta quod consuetudo est canendi loquar secundum Septuaginta, intendit in specie et pulchritudine sua, quæ est veritas et justitia, qua semper speciosus et pulcher est. Processit prospere per se, processit per sanctos prædicatores, et dilatatum est regnum ipsius adhuc hodie, et dilatatur, cum subduntur ei omnes gentes. Prædicatum est ergo Evangelium, quia *veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit* (*Psal.* LXXXIV, 12), in qua sancti Dei, et ipsi speciosi facti et pulchri intendentes et prospere procedentes, plantaverunt Christi Ecclesias. Quorum unus videlicet Paulus usque Illyricum pervenit, et multi alii deinceps huc illucque diffusi processerunt prospere, quia securi, et subdiderunt mundum ejus imperio. In quibus omnibus semper ipse processit, et dilatatur ubique in regno, non aliunde quam eos seipso semper speciosus et pulcher, quia veritas et justitia, ipse ortus in terris de cælo venit. Cui soli jubetur in specie ac pulchritudine sua intendere, nec non et a se prospere procedere, quia ipse solus inventus est *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6). Cæteri vero omnes non a se ipsis speciosi et pulchri, quia servi erant peccati, sed ab ipso a quo justificatur et pulchra fit omnis Ecclesia. Alioquin nemo liber inventus est aut justus. Unde ipse in Evangelio : Tunc *vere*, inquit, *liberi eritis, si Filius vos liberaverit* (*Joan.* VIII, 36). Idcirco, charissimæ, nemo vestrum in se intendat ut sibi placeat ; nemo in pulchritudine carnis, nemo in libertate et nobilitate generis, ne ignobilis inveniatur in Christo ; nemo in scientia quæ inflat, nemo in aliqua re gloriæ præsentis, sed *qui gloriatur in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31). Unde Paulus ait : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, etc. (*Galat.* VI, 14.) Quod si gloriari vis, virgo, solummodo in eo gloriare qui est splendor gloriæ Dei Patris, sponsus Ecclesiæ, forma decoris ; in eo gloriare, in quo est omnis innovatio vitæ ; et voluntas generis, qua novitate renati ac si in specie et pulchritudine Christi, oportet intendas ne in ullo fœdetur honor cœlestis et decus pulchritudinis. Quinimo virgo es, intende ; monacha es, intende ; vidua vel sanctimonialis, intende. Deinde prospere procede de virtute in virtutem, ut regnes cum eo qui sua processit virtute solus, et dedit omnibus ut procederent. Qui dixit vinctis : **1270** *Exite*, et cæcis : *Revelamini* (*Isa.* XLIX, 9).

Hinc sequitur : *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam deducet te mirabiliter dextera tua.* Quæ nimirum omnia sic prædicantur in capite, ut deinceps exigantur in corpore. Sed longe aliter in illo, quoniam ipse per se et in se veritas est Patris, non accidens, sed naturalis et justitia. Unde ipse ait : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Et Apostolus : *Qui factus est nobis a Deo justitia, et redemptio* (*I Cor.* I, 30), et sanctitas. Nulli dubium qui etiam mansuetudo Christus esse monstretur, dum victoria ejus triumphus servorum ostenditur, et eruditio magistri discipulorum profectus ; verumtamen Christus æternaliter veritas est. Idcirco ei supra dicitur in *specie tua et pulchritudine tua intende*, quia in nullo a se veritas fallitur. Denique idipsum est, propter mansuetudinem mirabiliter deduci, quod est prospere procedere. Quia passio et humilitas Christi promotio ac processio est omnium gentium ad fidem et ad regnum. Passus est igitur Christus, passi sunt et martyres quasi capitis membra, qui nec deficiebant, nec resistebant, dicentes vera, nec occultantes, parati ad omnia, nihil recusantes. Quæ nimirum magna mansuetudo in capite præcessit ; ideo Christus etiam et in illis multum processit ad regnum, et adhuc hodie procedit. Corpus Christi mansuetissimum hoc facit, quia in capite suo talia didicit. Ille siquidem prior ac si ovis ad occisionem ductus est, usque adeo mansuetus ut pendens in cruce diceret : *Pater, ignosce illis, nesciunt quid faciunt* (*Isa.* LIII, 7). Inde est namque quod protulit, quod processit, quod vicit, quod regnat, morte devicta, quod propter justitiam venturus est ad judicium, et retribuet unicuique secundum opera sua. Ipse siquidem per se veritas, et ideo in sese jubetur intendere. Tu autem, virgo Christi, quamvis sancta, quamvis incorrupta et incontaminata, quamvis bonis omnibus ditata, noli te attendere, noli de te præsumere : quia hæc omnia quæ habes non a te tibi sunt, sed ab illo a quo accepisti ut haberes. *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV, 7.) Non enim te in his donis deducit dextera tua, sed misericorditer dextera ipsius :

Introdusă în format electronic de Google

Ipsum autem mirabiliter dextera sua. Hoc quippe noverat sponsa in Canticis, et ideo ait : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 6). Quia nisi dextera sponsi circumplectatur sponsam, casta permanere non potest. Non enim novit vera castitas alterius amplexus, non oscula **1271** aliena. Et ideo, inquit : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Totum igitur quidquid novit illibata virginitas, Christus est. Et ideo talis describitur sponsus ac tantus, in cujus sponsa secura requiescat amplexibus, cujus dextera deducatur : quia *cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra ejus* (*Eccle.* X, 2). Propterea semper electi ad dexteram transeunt, reprobi vero in sinistris versantur. Unde signanter juxta Hebraicam interpretationem *docebit te* habet *terribiliter dextera tua*. Quoniam terribilis valde est doctrina cœlestis vitæ et admirabilis. Unde et in alio psalmo ex persona Domini : *Terribilis*, inquit, *in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 5). Quibus profecto disciplinis, quia terribilia sunt opera Domini, docetur omnis anima viri justi, et eruditur dextera clementissimæ correptionis.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis. Puto in Hebræo etiam et in Græco, *Sagittæ tuæ potentissimæ* habet. Quia omnino sagittæ Domini nisi potentissimæ forent, in subito non omnem mundum sævientem Christo prosternerent, neque corda omnium valide tenebrarent. Quarum jaculo sponsa in Canticis vulneratam se clamat : *Vulnerata*, inquit, *charitate ego sum*. Quo sane vulnere, dilectissimæ, corda vestra sunt præfixa : et ideo relictis rebus, vos pro ejus amore, tam strenue Christi mancipatis servitio. Quæ putatis vis esset, charissimæ, quæve ratio, abjectis parentibus et amicis, fratribus et propinquis, et omni nobilitate generis, quæ vos traheret ad tam laboriosæ vitæ fastigia : ita ut pro Domino, magis placeat, laboribus affligi, quam in sæculo honoribus et oblectamentis variis extolli? Nec igitur mirum quia sponsus vester suis vos intus vulneravit sagittis, *cum carbonibus desolatoriis* (*Psal.* CXIX, 4). Quæ nimirum sagittæ potentissimæ dicuntur. Ex quibus utique sagittis confixi erant et vulnerati, qui dicebant : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* (*Luc.* XXIV, 32.) Siquidem ipse de se per Isaiam loquitur dicens : *Posuit me quasi sagittam electam, in pharetra sua abscondit me* (*Isa.* XLIX, 2). Nec dubium quin Pater sub tegumento carnis, et ideo quasi sub umbra manus suæ, protexit eum. Qua itaque sagitta quæcunque anima fuerit vulnerata, inflammatur amore castæ dilectionis, et resolvitur omnis duritia infidelitatis. Excoquitur prurigo vitiorum, expellitur flamma concupiscentiarum ardore **1272** charitatis. Ignis siquidem igne vincitur, ita ut fornax Babylonis septuplum ab immundis spiritibus succensa restinguatur. Quæ nimirum sagittæ in manu potentis, totum potenter vulneraverunt orbem, et prostratus jam jacet omnis mundus Deo. Hinc jam in cordibus inimicorum victor regit et dominatur : quia ex inimicis et iræ filiis fecit sibi amicos, quos sua regit virtute, et gubernatione principatur piissima. Felix cor quod talibus quotidie afficitur sagittis, talibus vulneratur spiculis, et concrematur incendio divini amoris! Talis namque animus est thronus Dei, quia *anima justi*, teste Scriptura, *sedes est sapientiæ*.

Unde sequitur : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui.* Pro quo in Græco thronus legitur, et in Hebraico *sceptrum* pro *virga* habetur. In quo loco ad regem qui Deus est, sermo dirigitur, quem superius Pater sponsæ, quam ducturus erat uxorem, suis commendavit præconiis, ut amaretur amplius extulit laudidus. Tria ad regimen, quibus firmaretur thronus, edocuit. Deinde instruxit ad debellandos inimicos, et instituit ad revincendos adversarios. Quibus prostratis et subjectis sibi, thronus ei imperii offertur, et sceptrum dominantis, juxta illud quod scriptum est ad David : *De fructu ventris tui ponam super sedem meam* (*Psal.* CXXXI, 11). Quod quidem et Mariæ angelus nuntiavit : *Dabit ei Dominus Deus*, inquit, *thronum David patris sui, et regnabit*, super domum, *Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 32). De quo, quia defecerat sceptrum de Juda, dicitur, *et sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui.* Sceptrum namque regnantis est insigne et regentis ostensio. Unde et per thronum judicantis potestas declaratur. Quem nimirum thronum semper cum Patre habuit, sed ex tunc ei offertur, cum a sæculo esse cœpit. Idcirco prius præmisit formam regnantis : quoniam nemo rex, nisi ex veritate, et mansuetudine, et justitia, jure habetur. Sine quibus virtutibus potius tyrannus quisque quam rex esse probatur.

Unde sequitur : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.* Nihil enim tam proprium in regibus, quam veritas et justitia; nihilque tam honestum quam mansuetudo. Quia nec justitia sine veritate percepta custoditur; nec veritas in judicando sine justitia adimpletur. Inter utrasque igitur virtutes, media mansuetudo collocatur, ut diligentius cum tranquillitate veritas **1273** in negotiis eligatur, et justitia unicuique quæ sua sunt modestius conservando, partibus suis compleatur. Propterea Dominus *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Quoniam, ut protuli, hæc virtus multum nos Deo commendat. Porro quod ait : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, idipsum est pro quibus ad regnum mirabiliter sua sublimatur dextera propter quas et nunc ungitur præ consortibus suis, cum defertur ei thronus imperii, ob dilectam procul dubio justitiam, et exosam iniquitatem. Similiter unctus oleo justitiæ in regnum dicitur. Quia non sufficit cuiquam justitiam diligere, nisi et iniquitatem perfecto oderit odio. Ad hoc quippe paulo superius accingi gladio jubetur, ut justis præmia, peccatoribus debitam restituere pœnam ultor valeat.

Quod sequitur : *Propterea unxit te Deus, Deus*

Introdusă în format electronic de Google

tuus. Primum Dei nomen vocativo casu intelligendum, sequens nominativo. Quia alius est Deus qui ungitur, alius ille a quo ungitur. *Tuus* enim cum dicit, relativum est ad auctorem per quem ungitur in regem, cui dixerat : *Sedes tua, Deus in sæculum sæculi*. Et : *Sceptrum directionis, sceptrum regni tui*. Ergo sceptrum æquitatis, vel virga directionis, dilectio est justitiæ et odium iniquitatis. Qua virga in divino judicio terribiliter omnia diriguntur. Unde ait : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*. Deus ergo in regnum, ob meritum justitiæ dilectæ, et perosæ iniquitatis a Deo suo unctus est, id est Filius a Patre. Non enim intelligentiam nostram aliquod confundit intervallum, ubi discretio tantum personarum, duobus distinguitur prænominibus videlicet, *te*, et *tuus*; non quod natura distinguatur deitatis, cum dicitur : *Unxit te Deus*, ac deinde additur *Deus tuus*. Nam cum dicit Deus et Deus, ostenditur una natura, una deitas, quia ille Deus qui ungitur ab eo Deo est qui ungit. Et si Deus a Deo est, nihil aliud quam Deus est, Propheta eo ordine narrante : *Unxit Deus, Deus tuus*. Non quod prior aut posterior Deus a Deo sit, cum Pater et Filius unus et sempiternus sit Deus : sed mysterium incarnationis prophetica vox declarat. Alioquin per Prophetam ipse de se : *Estote mihi*, inquit, *testes et ego testis, dicit Dominus Deus, et puer meus quem elegi, ut sciatis et credatis et intelligatis*, **1274** *quoniam ego sum, et ante me non est alius Deus, et post me non erit*. Ubi Pater et Filius declaratur, quoniam ipse sermonis sui testis est, sed testimonio suo de se testimonium pueri sui quem elegit admiscuit. Quorum unum est testimonium nullum ante se Deum esse quia ex eo omnia sunt, neque post se Deum futurum. Non utique negat ex se Deum fuisse. Erat enim jam puer in testimonio patris, puer utique de tribu, de qua gignendus erat electus. Unde et in Evangelio : *Ecce puer meus dilectus, quem elegi, in quo complacuit animæ meæ* (*Matth.* XII, 18). Non est ergo ante Deus, et post non erit quia semper cum eo et in eo est filius, a quo est, æterna videlicet et indemutabilis virtus, infirmitatem habens in eo, quod ante et postea Deum præter se nullum ostendit. Puerum vero suum, sicut in testimonio, ita et in nomine collocavit. Qui idcirco Deus Pater qui unxit eum, Deus ejus est, quia ex Deo natus in Deum est ; licet et per hoc humanitas ejus assumpta in Deum intelligatur. Quo dicto, utrumque Patrem videlicet atque Filium in naturæ ejusdem et dignitatis nuncupatione constituit, ut unus Deus uterque credatur. Verumtamen, quod unctus *oleo exsultationis præ participibus* suis dicitur (*Hebr.* I, 19), non secundum sacramentum aliud quam secundum dispensationem assumpti corporis est locutus. Non enim ei participes secundum naturam, qua genitus est a Patre, ante Luciferum esse poterant, quos fratres appellabat, sed secundum assumptionem qua *Verbum caro* est (*Joan.* I, 14), in qua unctus Spiritus sancti gratia perhibetur. Alioquin beati illi et incorruptæ in natura Dei Patris manenti nativitati nihil hæc unctio prodesset, sed corporis sacramento profuisse, ut totus in Deum esset Christus Jesus, monstratur. Cæterum juxta quod *in principio erat Deus Verbum, apud Deum* (*Ibid.*, 1), non habet ullam narrationis causam ejus naturæ unctio, quia Spiritus sanctus, sicuti a Patre, etiam et ab ipso procedit, quoniam amborum spiritus est. Nam ante dispensationem carnis, plures ex lege fuere Christi. Christus vero nunc, qui præ participibus ungitur suis, posterior in tempore est ; sed unctis participibus suis ideo antefertur, quia Deus et homo est. Sic quippe prophetiæ Spiritus Verbum temperavit, **1275** ut dum Deus a Deo suo ungitur, sit ei et in dispensatione unctionis, quod Deus suus est, et in natura quod Deus est. Ac per hoc noveris, virgo Christi, quia Ecclesia Dei in Christo scit dispensationem, sed nescit divisionem personæ. Non patitur Jesum Christum dividere in duas personas, ut Jesus non ipse sit Christus ; neque filium hominis discernit a Dei Filio, ne Filius Dei forte non et filius intelligatur hominis. Non assumit Filium Dei in filium hominis, neque hominis filium in Dei Filium sed eumdem dicit esse filium in ambabus naturis. Totum eidem personæ Deus Verbum est, totum ei homo Christus est, retinens in Sacramento confessionis suæ unum, nec Christum aliud credere quam Jesum, nec Jesum alium prædicare, nec aliud quam Christum. Ac per hoc in utraque natura unus est Christus Deus, Dei et hominis Filius quem *unxit Deus oleo exsultationis præ participibus suis*. Oleum autem exsultationis Spiritum sanctum esset, nulli dubium est, dicente beato Petro : *Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute* (*Act.* X, 38). Ipsum ergo *unxit præ participibus suis*, cum ei non ad mensuram dedit Spiritum, *in* quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9), in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Cujus itaque sapientiæ et scientiæ altitudinem admirans Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* (*Rom.* XI, 33.) Christum autem non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem altissimum, fides catholica confitetur et prædicat, juxta illud : *Mater Sion dicet homo, et ipse homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). Quapropter quis audeat eum altissimum, et Filium Altissimi denegare quem Deus non solum de se altissimum genuit, verum etiam de Virgine natum altissime exaltavit, *et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 10). Ab hac quippe unctione Spiritus sancti, omnes participes Christi uncti vocantur Christiani. Ipse vero Christus, quia *præ omnibus participibus suis unctus* sit ; ita ut Deus vere et non adoptive in utraque natura in unitate dicatur et adoretur. Hinc igitur est, quod alibi ait David : *A* **1276** *summo cœlo egressio ejus*. Unde

Introdusă în format electronic de Google

hic : *Eructavit cor meum verbum bonum*, et, *Occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Quia in eadem forma totus est regressus, a qua *semetipsum exinanivit, ut formam servi* acciperet. Unde beatus Ambrosius in quodam hymno :

Egressus ejus, inquit, a Patre,
Regressus ejus ad Patrem,
Excursus usque ad inferos
Recursus ad sedem Dei.

Et hæc est sedes, charissimæ, quam illic habuit ante sæculi constitutionem, et offertur in fine temporum, quoniam ipse in utroque unus est Christus, unus Deus, unus Ecclesiæ sponsus, ut et ita dicam, unus virginum maritus Deus Dei Filius, cui ad demonstrationem sponsalitatis superadditur.

Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Ubi pro gutta, alii myrrham, alii stacten transtulerunt. Casia vero est ipsa quæ alio nomine fistula nuncupatur. Quarum vos, sanctimoniales Christi species ac virtutes plenius cognoscere non ambigo, quoniam ista sunt aromata virtutum, quæ quotidie in sacrificium Domino Regi offertis, quæ mortificastis membra vestra super terram : unde et bonus odor estis Deo et cunctis hominibus. Nostis quia in titulo pro floribus seu liliis scriptum reperi : et ideo ad vos ex hoc Psalmo scribere delegi. Unde consequens est, quia myrrham primam vos ipsas Deo in odorem suavitatis offertis, ut de his speciebus aliquid latius edisseram, in quibus opera impenditis indesinenter, ut sponso per omnia placeatis.

Ferunt equidem, qui de aromatum virtutibus descripserunt, stacten florem esse myrrhæ, licet alii guttam ammoniatam dixerint : quem florem esse optimæ virtutis nemo ambigit, licet inter myrrham et myrrham magna distantia esse videatur. Quia alia est illa quæ in modum roris fluit ex arbore : alia quæ excisionibus et variis eliquatur torturis, vel aliunde conficitur ad odorem incensi. Propter quod vos, virgines Christi, optime scriptura myrrham primam seu electam vocat, quia mortificationem Domini in corpore vestro circumfertis. Porro cassia seu fistula, omnes pituitas et rheumata voluptatum suo calore in vobis excoquit ad purum, omnesque prurigines vitiorum detergit. Nam quod **1277** in quibusdam codicibus scriptum est, *gutta* vel *stacten* in Hebraico habet, *Ahaloth*. Unde et Nicodemus centum libras myrrhæ et aloes ad sepulturam Domini præparavit. Unde sponsus ad sponsam loquitur in Canticis de his : *Myrrha et Aloe cum omnibus unguentis primis*. Et illa respondit : *Manus meæ stillaverunt myrrham, digiti mei pleni myrrha probatissima* (*Cant.* IV, 14). Ubi ostendit Spiritus sanctus quod hæc aromata virtutum documenta sunt virginum. Nam species terrenarum rerum, judicia nobis cœlestium demonstrare videntur virtutum. Alias autem quid poteramus de illa majestate cognoscere, nisi nobis de ipsa aliquid per hujusmodi similitudines divinus sermo intimaret? Unde, charissimæ, projicite mortis opera, Christo in baptismate consepultæ, et sub velamine sponsalitatis dote Domino consecratæ : quia estis huic mundo mortuæ, nihil aliud quam de cœlestibus cogitate. Loquimini ad sponsum vestrum singulæ, loquimini omnes : *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima* (*Psal.* CXV, 15), quia pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Non solum igitur mors, sed et mortificatio carnis. Mortificastis itaque membra vestra in sæculo amore Christi, gaudete et exsultate, quia merces vestra in cœlis gloriosa manet cum sanctis. Quæ nimirum mortificatio primum a vestimentis Domini defluxit : et ideo post eum in odorem unguentorum ejus tam fortiter concurristis : nam vestimentum Domini corpus mortale fuit; quia sicut vestimento teguntur membra mortalium : ita et majestas Verbi ab infidelium oculis carnis velamine tegebatur. A quo sane vestimento, incarnationis scilicet arcano, congrue venisse dicuntur tres istæ species; myrrha, et gutta, et casia. In quibus et vos didicisse operari muneribus vere multumque gaudet Ecclesia, quæ corpus Domini quotidie perungitis, et nuditatem ejus, quia exspoliatus pependit in cruce, vestra vestitus fide : scandala Judæorum et gentium stultitiam sermone plenæ confessionis abjicitis, scientes quoniam Dominus regnavit a ligno. Idcirco jam, favente Domino, gratiam crucis cum ipso induimini, in qua cum Paulo apostolo gloriari fidelissime didicistis.

Quod si vere perpenditis, et vos jam vestimentum estis Domini, in cujus ora vestimenti unguentum illud pervenit, **1278** quod a *capite in barbam Aaron descendit* (*Psal.* CXXXII, 2). Unctus quippe Christus est *oleo exsultationis* et unguento Spiritus sancti *præ omnibus participibus suis* (*Hebr.* I, 9) : quia in eo totus fons unctionis a divinitate sua in humanitate siquidem in uno eodemque Christo effluxit. Deinde quasi a barba, quæ est virilis proportio, per omnia ecclesiarum membra, quæ sunt corpus ejus et vestimentum adusque influxit. In quo itaque corpore, dilectissimæ, vos potissimum estis vestimentorum decus; in quibus hoc benedictionis unguentum emanavit, quia membra Christi pretiosissima in corpore estis. Rem vobis, matronæ Christi, novam loquar, auctoritate Scripturarum firmatam. Vestimentum Christi vos estis, quia confessione et operibus vos illum exornastis, rursumque vos ipsum indutæ estis. Unde monet Apostolus : *Induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII, 14). Induimini autem, obsecro, Christum, charissimæ, amplius et perfectius, quia Christus dignatus est vos prius induere in suo corpore. Constat igitur quia sicut diversa sunt genera vestimentorum Christi, ita et diversa unguentorum odoramenta. Idcirco tria ista vobis, myrrham scilicet, et guttam, atque casiam, Spiritus sanctus fragrare specialiter significavit, ut in omnibus unguentis vestimentorum Trinitas Deus

Introdusă în format electronic de Google

fide sentiatur integra et intellectu odoretur impræsentiarum perfecto. Quod si diligenter attendis, virgo, a principio hujus Psalmi semper Trinitas rerum per singulos versus declaratur. Ideo et hic tria odoramentorum genera tantum ex omnibus delegit. In quibus profecto aromatibus virtutem boni operis, et fidei gratiam prædicavit. Hinc quoque casia, si oleo decocta fuerit dum in flore est, dicitur quod de se odoriferum valde efficit unguentum. Ita ut merito per hoc sanctæ incarnationis Christi virtus et suavitas perpetuæ benedictionis aromatizans intelligatur. Propter quod sponsa in Canticis : *Post te*, inquit, *in odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 4). Curritis ergo et vos, sanctæ virgines, curritis quam bene post unguenta varia, post odorem sponsi, et ipsæ pretiosissimis delibutæ unguentis. Idcirco, charissimæ, ut dixi, jam bonus odor estis in omni loco et in omni negotio vitæ. Qui sane odor aromatum, Dei dispensante gratia, etiam et a domibus eburneis in vos usque **1279** sicut et a vestimentis venire creditur.

Ex quibus, inquit, ut subaudiatur odoramentis, *dilexerunt te filiæ regum in honore tuo*. Sed a domibus, neque in Hebraico, neque in Græco habetur, teste beato Hieronymo, quamvis ipse ita transtulerit. Quinimo in Græco ἀπὸ βαρίων scriptum est, sicut et in Hebræo. Nam domus in Græco potius οἶκος dicitur, βαρὺς vero *gravis*. Unde quosdam ἀπὸ βαρέων, *a gravibus* transtulisse legimus, ambiguitate verbi deceptos. Est autem βαρὺς juxta Palæstinæ provinciæ proprietatem, genus domus ex omni parte conclusæ, et in modum turris ædificatæ, ac mœnium publicorum, quæ ebore interdum vestiebantur. Et ideo recte ab omnibus interpretatum est *eburneus*; quia hujuscemodi ædificia domus erant ebore exornatæ. Quas itaque domus non ad solas patriæ divitias referamus, verum etiam ad virtutes animorum coaptemus. Quoniam elephas, cujus hæc ossa sunt, nimiæ castitatis asseritur, et inter omnia quadrupedia sensu plurimum valere dicitur. Qui etiam temperanter, ut aiunt, conjugio utitur, et secundam non repetit feminam. Quod pudicissimis recte non solum aptatur viris, verum etiam et feminis. Hinc illæ in domibus eburneis mansisse noscuntur, quæ per castitatem mentis ac corporis Christi præcepta servavere, solumque monogamiam dilexerunt. Ex quibus ergo domibus, et in quibus, non solum monogamia castissime custoditur, verum etiam vera viduitas exercetur; insuper et incorrupta virginitas candore eboris vestitur. Prædicantur autem antiqua hæc aromata virtutum passim fragrare Christo Deo, et omnibus, in odorem suavitatis. Qui denique odor dum vicissim a vestimentis et a domibus respargitur eburneis, tota repletur domus, quæ est Ecclesia Dei vivi, ex odore suavitatis.

Et licet una sit domus, unaque conjux, tamen multiplices habet mansiones et domos coædificatas, in quibus cognoscetur Christus ad plenum cum susceperit eas in unum. Inter quas nimirum domus, matronæ Christi, vos estis βαρὺς illa scilicet domus, ædificatæ in modum turris, una cum propugnaculis et armatura virtutum, ex ebore antiquo, cum castitate perpetua decoratæ. Vos estis filiæ regum, quæ lætificatis sponsum in decore vestro, in honore suo. Quandoquidem ipse sponsus vester est Dominus dominantium : et ideo multos sub se habet reges, quorum **1280** estis filiæ. Eorum si quidem odoribus et doctrinis attractæ, eorum utique unguentis delibutæ, eorum floribus exornatæ. Nam sub tanto rege plurimi sunt et subreguli, quorum estis filiæ et ipsi patres, quoniam per Evangelium Christi vos genuerunt, quorum estis doctrinis imbutæ, documentis enutritæ, ita ut et domus Dei et sponsæ ac filiæ sitis. Qua ex causa, charissimæ, lætificastis sponsum in omnibus vestimentis vestris, quia vestimenta vestra virtutes sunt animorum, in cunctis bonorum operum odoribus, quatenus ei placeatis cui vos vovistis. Ipse namque speciosus est præ filiis hominum, ipse nobilior omnibus, ex millibus electus, gratiosior cunctis, potentior universis, excelsior cœlis, profundior imis, latior mundo, longior sæculis. Nihil est, virgo, in illo quo confundaris; fastidium boni te a bono extorrem fecerit. Quapropter sponsa Christi delectare in Domino, non in te, aut in alio, sed in honore sponsi tui. Quia sic Pater Filio loquitur : *Dilexerunt te filiæ regum in honore tuo* (*Psal.* XXXVI, 4). Alioquin sponsus, nisi in gloria, et laude, atque in honore suo diligatur, aliam contemnit dilectionem, qua aliud quid quam ipse diligitur. Unde si qua est quæ adulterare diligit, timendum ne non filia regum, non sponsa regis, sed adultera dicatur, quæ aliud quam Deum, aut in Deo, vel propter Deum diligit. Unde David ait : *Perdidisti omnem, qui fornicatur abs te* (*Psal.* LXXII, 27). Tunc est quod vera castitas sponsæ non novit odores adulterinos, non oscula, non amplexus. Quinimo filia regum sese semper Christi præparat conjugio, et delectatur in amplexibus ejus. Currit ergo post odorem unguentorum ejus, quorum odor fragrat et respargit orbem universum. A vestimentis igitur quibus indutus est, interdum diligitur : a domibus eburneis fœdere perpetuo, cujus thronus est in sæculum sæculi. Satagite siquidem alternis vicibus, præstante Deo, jam ut talia sæculo passim odoramenta virtutum resplendeant, quod et facit talis unguentorum fragrantia, quatenus talibus introrsus defecatæ unguentis, ad nuptias, quæ parantur vobis, felices ornatis lampadibus intrare possitis; quoniam quæ paratæ erunt, teste Christo, cum eo intrabunt ad nuptias.

Jam quia finem libri flagitat oratio, **1281** quæso legentibus hoc opusculum dilectionis, quod virginibus sacris amore Christi dicavi, ne despiciant priusquam probent; quoniam quæ charitatis sunt, non nisi de fonte charitatis bene legentur. Idcirco rogo ne me in eloquio judicare velint, neque stillam quantacunque, magnis comparare fluminibus; quia non magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus, quoniam eorum quos secutus sum au-

Introdusă în format electronic de Google

ctoritas semper magna vivit. Et ideo interdum securius reparandus est animus, ut demum ad contemplandam a dexteris virtutis Dei reginam, accensis luminibus clarius erigere valeamus.

LIBER TERTIUS.

Notum est omnibus sanctum Moysen duas Testamenti fœderis tabulas utrasque digito Dei conscriptas accepisse, in quibus Synagoga prior a monte Sina fœderatur uxor : ita et in hoc epithalamio, quasi duæ alternatim fœdere nuptiarum subscribuntur paginæ tabularum stylo notarii scribentis velociter exaratæ, quarum una ortum a Patre habet naturamque verbi, sponsi quoque laudat generositatis formam, et depingit pulchritudinem habitus, virtutes exaggerat, et multiplicat benedictionis dona in æternum. Sicque mirabili torum relatione inter utrasque paginas, viri describit ac sponsæ. Quæ figura Græce *characterismos*, Latine autem *informatio*, vel *descriptio*, dicitur. Sic enim ante oculos intelligentiæ reddit ea quæ non videntur aspectu corporeo, quasi conspiciantur. In quo itaque per armaturam præliandi, valde commendat, virtute et potentia eum sublimat, donec indubitanter regnum sibi suo prosternat robore, et subdat suo inimicos imperio. Deinde mores exornat laude judiciarios. Thronusque ipsius, et sceptrum æquitatis narratur, et glorificatur potestas. Ad ultimum vero ac si in prima tabula, sponsæ unde veniat pulchritudo mirabilis, et odor inæstimabilis ostenditur. Agit namque hoc, quia de nuptiis sermo et gaudio nuptiarum, ne odores sub mysticis deessent muneribus suavissimis, quibus plurimum oblectatur animorum jucunditas. Ita siquidem narrata sunt omnia, ut nulli ultra remaneat laudandi facultas, quia præ omnibus filiis **1282** hominum, et ultra quam omnes in omnibus collaudatur sponsus.

Sicque transit quasi ad secundam nuptiarum tabulam, in qua ita exorsus est dicens ad hunc ipsum sponsum : *Astitit Regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Ubi eisdem pene lineamentis formam exornat uxoris, quam reginam suo dedicat Filio, quia regem Deum, sicut ostensum est, et cœlestem dilexit virum. Unde quia prius benignissimi Salvatoris laudaverat thronum, hanc a dextris astare dicit reginam et conjugem ; quoniam dextera, ut ita fatear, honorabilior pars est sponsi, quem caput constat esse Ecclesiæ. Currit autem Propheta, imo calamus scribæ, linguaque Patris, per omnes lineas laudis, quibus laudatur sponsus. Unde et ipsa ad divinam dexteram exornata mysticis ænigmatibus et pretiosis virtutibus collocatur. Sicut et Christus ad Patris dexteram est exaltatus. Verumtamen ille ut Deus et Rex cum Patre est adorandus : ista vero propter eum, quia pius Salvator clementer duxit eam uxorem, veneratur ac diligitur. Diligitur, quia prius est electa. Idcirco, dilectissimæ, dum perpendo excellentiam vestram, dum considero sponsalitatis jura, et laudes ubique divinas, vereor loqui, ne forte offendam in quibus placere desidero, si non debitam exhibuero reverentiam meis ubique in scriptis. Quas sic in cœlo, ubi nomen dedistis, intelligo honoratas, ut non solum sponsæ, verum etiam flores Ecclesiæ, et ornamentum sponsi sitis. Quas cum in dexteris benignissimi Dei et Salvatoris nostri Christi contueor multiplici varietate decoratas, ingemisco valde, eo quod coronam quam susceperam puerulus, coram sancto altare Genitricis Dei, vestris cum precibus, et officio laudis, quo vestra sponsi Deo regi immortali corda consecrantur et capita, longe diu exsulatus in sæculo perdidi eam, coinquinatus multis mundanis actibus. Unde rogo sauciatus, dum corda sursum sublevatis, ante vobis jam concessam divinitatis gratiam, mei memores sitis exorando, quatenus vestris intervenientibus meritis, clementissimus judex pœnas a me debitas removeat, reddatque pius coronam perditam. Nec enim indecens est sponsas Christi pro talibus sponsum benignum deposcere, quia omnino illi nec indecens est nec impossibile peccatoribus, pro quibus passus est, clementer ignoscere. Sed ne forte dubitet virgo pro talibus orare, sciat **1283** quoniam ipsa de meretricio infidelitatis fœda assumpta est, ut ad tantam gratiam perveniret, ut vocaretur non solum conjux fidelis, verum etiam et regina. Unde beatus Hieronymus juxta Hebraicam veritatem : *Astitit*, inquit, *conjux a dextris tuis.* Porro Septuaginta *astitit regina* dixerunt ; Symmachus vero, et quinta editio, *Astitit concubina.* A quibus interpretibus monstratur quod in una eademque sponsa, sicut unus est sponsus, ita una Ecclesia, sed diversi meritorum ordines. Deinde ubi Septuaginta dixerunt : *In vestitu deaurato ;* Hieronymus : *Stetit*, inquit, *conjux in dextera tua, in diademate aureo.*

Cum diademate ergo jure stare perhibetur, quia regis conjux prædicatur. Sed forte non omnibus membris hoc congruere videtur, quo in capite corporis attribuitur. Unde felices vos, charissimæ, dixerim, quibus non solum singulis corona repromittitur virginitatis ; verum etiam quia in ipsa corona Christi et Ecclesiæ, ac si gemmæ pretiosissimæ insertæ, decus pulchritudinis et ornamentum estis. In diademate namque capitis Aaron, legimus quod lapides pretiosi fulgebant. Quia in ejus sacerdotio, jam Christi corona probatur et Ecclesiæ. Idcirco jure vos, matronæ Christi, felices dixerim, quia in præsentia Dei jam estis, ac si in fabrica decoris Christi et Ecclesiæ præordinatæ atque electæ. Unde beatus Paulus : *Qui elegit nos*, inquit, *ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4). Et ideo quia electæ estis ad

Introdusă în format electronic de Google

pudicitiam castitatis, nec dubium quin in virginitate, aut viduitate permaneatis. Permanete, quæso, in ea vocatione digne, qua vocatæ estis; quia non vos illum, sed sponsus vester Christus elegit vos de mundo, et aggregavit hoc in loco, ut ei placeatis, sitisque in laudem et gloriam nominis ejus, sicut et ipse laus est, gloria, virtus et honor Dei Patris. In hoc namque vocatæ estis, ut ea quæ Christi sunt digne possideatis. Hæc quippe est victoria pro liliis, et hic triumphus pro floribus, quatenus in corpore Ecclesiæ decus et ornamentum sitis. Symmachus vero ait, *in auro puro*, Aquila et quinta editio, sicut reperimus : *In tinctura vel auro Ophir*. Ex quibus omnibus, ut dixi, liquet quod una Ecclesia catholica, una columba perfecta et proxima, quamvis stet in dexteris virtutis Dei, et nihil habeat sinistrum; quod unius corporis sicut diversa sunt membra, ita et diversa specierum atque ornamentorum habeat genera. Unde quod ait : *In vestitu deaurato*, **1284** quia sancti semper ad altiora et cœlestia attolluntur, quasi veste deaurata circumamiciuntur, dum ex humanis Scripturarum sensibus divina intelligunt, et requirunt cœlestia. In quibus sane deauratis vestibus, fulgore divini eloquii vestiti, procedunt gloriosi ac si in auro primo. Porro quod in tinctura vel auro Ophir, quidam interpretati sunt, monstratur mira varietas Ecclesiæ, et ornamentorum species diversorum colorum. Quod bene Septuaginta intelligentes soli *circumamicta varietate* superaddiderunt, quod in Hebraico non habetur. Ostendit tamen quod non a natura Ecclesia, vel quælibet anima, hunc habeat decorem et pulchritudinem; sed ex dono gratiæ. Unde non minus in vestitu deaurato, quam in tincturæ varietate circumamicta laudatur. Non enim dixit in vestitu aureo, sed deaurato. Deauratum ergo dicimus, cum superducta species auri in aliquo glutinatur metallorum genere : per quod bene charitas intelligitur. Quoniam reliquæ virtutes, quibus Christi vestis aut Ecclesiæ, contexitur, per se parvam, seu nullam claritatem, vel fulgorem habent, sine charitate, quod satis Apostolus demonstrat, cum ait : *Si linguis hominum loquar et angelorum, et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 1), seu cætera ab eo quæ dicuntur. Ex quo patet sensus, quod omnium virtutum genera ut fulgorem habeant, et decorem gloriæ charitate Dei et proximi debeant deaurari et superindui : quia splendor charitatis omnibus antecellit virtutibus, et præ omnibus fulgore suo resplendet. Quod si etiam in auro primo Ophir aliqua distinctio demonstratur charitatis, debemus intelligere, quia ordinata est charitas. Unde sponsa in Canticis : *Ordinate in me charitatem* (*Cant.* II, 4). Quoniam est charitas, quæ in cibos pauperum vix substantiam impertit : est quæ et animam suam etiam pro fratribus impendit. De qua Salvator : *Majorem*, inquit, *charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13). Ergo nisi esset minor, nequaquam ista diceretur major. Et nisi esset secunda vel extrema, non diceretur ista prima. De qua angelus Ecclesiæ in Apocalypsi : *Habeo*, inquit, *adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti* (*Apoc.* II, 4). Et ideo in ipsis ejusdem virtutibus multa est diversitas, et quasi tincturarum varietate multiplex discolorque meritorum ornatus. Una tamen conjux Ecclesia dicitur, **1285** et regina; una virtutum textura et una vestis, cui est totum simplex atque unum. Sed varietas et pulchritudo in ipsa unitate fidei laudatur, propter differentiam virtutum et meritorum, in diversitate linguarum, in proprietate, in ascensione graduum, in multiplicitate et distinctione ecclesiarum atque ordinum, insuper psallentium et officiorum dissonantia, quamvis una sit laus; in quibus omnibus una et multiplex Ecclesia, jure cum laude varia prædicatur. Ornatur enim ac si auro primo fulgore apostolorum, resplendet argento prophetarum, ac si *in pallore auri* intus forisve gloriosa (*Psal.* LXVII, 14). Gemmis quoque virginum inter reliquos fulgores, ac si stellis, radiatur; deinde martyribus rubricata, velut cocco qui bis tingitur, opere polymito depicto decoratur, purpura pœnitentum, quasi ex cilicio commutata, in ornamentum conjugis et decorem vertitur. Quæ nimirum conjux, vel regina, Deo astare dicitur, quia adhuc sponsus in acie stat, licet thronum imperii possideat, donec subditi fiant omnes inimici ejus, et inimica mors destruatur juxta Apostolum, tradatque regnum Deo Patri, qui subjecit ei omnia, ut sit deinceps Deus omnia in omnibus.

Porro hactenus hæc vestis contexitur, hæc conjux et regina colligitur. Interea autem in dexteris jam ob gratiam collocata, in loco qui penes Deum est, debet et ipsa armis succincta viriliter dimicare. Unde Moysi servo suo dicit idem sponsus : *Tu vero hic sta mecum*. Ad hoc quippe secum eum jubet stare, ne cadat. Hinc et Apostolus : *Qui stat, videat ne cadat* (*I Cor.* X, 12). Sed nemo in acie positus, otiosus stare potest, ne cadat : quia aut percutit, non quasi aerem verberans, aut percutitur gravius ab hoste, et dejicitur. Sed quam felices charissimæ, vos quæ et in conjugium Christi transire meruistis, et in vestimentis Ecclesiæ ornamentum decoris fieri. Unde longe, ut supra dixeram, totus hic Psalmus pro floribus agitur, et pro liliis, totus in laude virginum decantatur. Felices, inquam, quæ vos a mundi actibus segregastis, spretis omnibus quæ sæculi sunt, et soli Deo vos vovistis. Unde, quæso, quia in dextris penes Deum jam constabilitæ ad dimicandum estis, his assuescite armis pugnare, quibus sponsus vester, et magister omnium, vos docuit verbo, et exhibuit exemplis. Nemo hoc in loco, etsi munita videantur claustra et obserata, secura quiescat, vel fastigio devicta. Quia diabolus **1286** etiam in cœlo invenit locum peccandi, quo primum corruit, deinde in paradiso hominem decepit. Et ideo ex persona Patris sic uni loquitur, ut omnibus dicatur : *Audi, filia, et*

Introdusă în format electronic de Google

vide et inclina aurem tuam, obliviscere populum tuum et domum patris tui. Mira res, filiam vocat, cui alium patrem obliviscere jubet. Ex quo liquido constat, quia etsi alteri nata fuerat in carne, jam ei qui eum hortatur et jubet ut obliviscatur populum et patrem, renata erat in Spiritu; et quia renata, propterea conjugio fœderata; et quia fœderata, propterea regina; et quia regina, ideo in dexteris est exaltata. Verumtamen ipsa est regina, quæ et filia. Et sicut una ex omnibus est regina, sic et filia. Sed filia, quia renata et adoptata; conjux vero et regina, quia regem filium regis duxerat sponsum: quæ per eum jam ex eo, multos Deo fide generat filios. Statuitur autem in dexteris, ubi beatorum est locus, et monetur a Patre, quoniam, ut dixi, adhuc bellandi est tempus. Dicunt porro quidam, a principio Psalmi usque ad hunc versum, quod vox sit Prophetæ; sed adeo non videtur congruere satis, magis ideirco Patris vox creditur, aut Spiritus sancti per Prophetam. Ex hoc vero loco aiunt, quod vox Patris primum loquentis introducitur; quamvis, quod exposuimus in persona Patris, non dico dissonare, verum etiam melius in omnibus congruere videatur. Quod et nonnulli doctorum affirmant, quos et nos secuti sumus. Verumtamen nihil eorum abhorret a vero, quod uterque dixerit: sed latior sensus aperitur ex omnibus. Interea vox Patris, sicut supra sponsum, ita submissius deinceps erudit et docet sponsam, quam aperte vocat filiam, eo quod ejus proprio, fœdere æterno, nupsit filio. *Audi, filia*, inquit, *et vide*, ac si patenter dicat: Audi diligenter quod prophetæ ex hoc docuerunt connubio, et vide jam omnia operibus completa, quæcunque de his prædicta leguntur. Et notandum, quia sicut supra in laude sponsi, sæpe tria conjunxit, ita et hic nunc tria copulavit. Primum dixit: *Audi*. Quia hæc est omnium disciplina, quicunque eruditi cupiunt, ut audiant diligenter; deinde ait: *Vide*. Quia quæcunque quisque audierit, restat ut intelligat; alioquin si non intellexeris, quid prodest audire? Nam sicut oculis corporea unusquisque cernit, ita omnino intellectu divina. Quoniam sicut per oculos videt corpus, et videntur corpora; sic et anima seipsam per se videt, et per intellectum etiam spiritalia. **1287** Quod autem dicit: *Audi, filia*, magnum pietatis est sacramentum, quæ fuerat filia diaboli propter idololatriam et cæcitatem cordis, ut Dei Patris filia vocetur. Unde quod addidit, *Vide*, cum omni gratulatione cordis legendum est; quasi dicat: Vide quoniam sponsus qui tibi longe diu promittebatur advenit, in quo est verus amor, gloria, virtus et potestas, atque omne gaudium. Hincque sequitur: *Inclina aurem tuam*, ubi humilitatem audiendi docet, et insinuat venerabiliter audire debere verba divini eloquii, seu doctorum prædicamenta; non elato corde, neque cum fastidio vel torpore animi: quinimo devota mente et cordis auribus. Unde Dominus: *Qui habet*, inquit, *aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI, 15). Et ideo ut parata semper sit mens ad audiendum verbum Dei, jubet eam præparari et ad humilitatem semper deprimere; et ne priora vitiorum vel sæcularium male assueta studia mentem, ob pessimam consuetudinem improbe, ne possit libere audire, obsurdescerent, ait: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Unde quidam: *Canus*, inquit, *sirenum surdis nos oportet auribus transire.* Sed Abrahæ jam olim dicitur: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII, 1).

Quod et vos, charissimæ, quia filiæ estis ipsius, in exemplo tanti patris fecistis. Existis enim, Christo duce, de terra nativitatis vestræ, de domibus et agris, necnon et Domini facultate quod in sæculo habere potuistis. Existis de omni cognatione carnis, et supposuistis vos propter amorem vitæ æternæ jugo Christi, quod est diligentibus se valde suave, et suscepitis onus, quod est volentibus leve ipsumque Dominum et benignissimum Salvatorem vobismet sponsum elegistis. Quinimo ipse vos elegit, et posuit ut servetis donum gratiæ quod accepistis. Floreatis siquidem mente, virtutibus, et fructificetis opere, ita ut fructus vester maneat in tribulatione. Ad hoc quippe hunc elegistis locum vobis a Domino dedicatum etsi angustum; quia *angusta et arcta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14). Non locum, ut ita loquar, sed Christum sponsum elegistis, totius Ecclesiæ, et vestrum. Cujus itaque possessio, non dico totus est mundus quem calcastis, sed tota illa Hierusalem cœlestis immensa Christianorum hæreditas, de qua et pro qua hic vobis cantatur Psalmus, ac si in titulo dotis. In qua jam non solum stat in dexteris Dei sponsa et conjux, verum et regina regnare dicitur cum suo diademate capitis. **1288** Et ne dicat infidelis animus, non mihi hæc corona, sed in commune una omnibus repromittitur. Noveris, soror, quod non negabitur uni quod omnibus dabitur promerentibus: ita tamen, si fueris cum omnibus, et omnibus Christo concorporata, hortus deliciarum, fons signatus sigillo fidei, et conclusus munimine charitatis (*Cant.* IV, 12). Hoc est intra sanctam Dei Ecclesiam magis ex voto tuo Domino dedicata, quam ex necessitate infra hanc Vesonam, ad tempus dum vivis, male constricta et coangustata. Quapropter quæso, soror, caveas ne Suessio hæc in qua deges, suasio tibi fiat, et incipias, quod absit, apostata mente, quia jam hinc refugere non licet corpore. Quinimo audi Dominum tuum Patrem sponsi tui, qui te adoptavit in filiam, qui proprium Filium suum virginem ex Virgine natum, tibi misit sponsum, per uterum Virginis, ut tu illi sponsa maneres et virgo, regina et conjux. Audi quid dicat: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Unde et in Evangelio Dominus: *Permittite mortuos*, inquit, *sepelire mortuos suos, tu autem sequere me* (*Luc.* IX, 60). Et notandum quod *obliviscere* dixit, et non tantum deserere corpore mandavit, quia quod obliviscitur nullo affectu cordis retinetur. In hac quippe oblivione a cordibus fidelium obliteratur diabolus, et cuncta progenies vitiorum quæ sunt ex parte diaboli. Quod autem diabolus pater sit infidelium, testatur Dominus

Introdusă în format electronic de Google

ad Judæos : *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44).

Unde, virgo fidelis, si antiqui patris oblita, talem te exhibueris, depositis vitiorum sordibus, ut super sponsum et fratruelem tuum dealbata conscendas, quam possit diligere Deus Dei Filius : tunc Deus Pater : *Concupiscet*, inquit, *rex decorem tuum*. Quem non putes unum esse de turba, vel de numero cæterorum regum a quo amanda es. Noveris quia ipse est Rex tuus, et Dominus Deus tuus. Nam cæteri reges, licet domini sint aut reges, quia potestate utuntur : tamen ejusdem conditionis vel naturæ sunt cujus et illi super quos dominantur et regnant. Iste autem quia Deus est, ideirco præcipio tibi, adora eum. Nam sic habetur in Hebraica veritate, *Adora eum*. Porro Septuaginta non dixerunt : *adora eum*, sed *adorabunt eum*, ut sit sensus : Iste qui te amaturus est, qui tuum decorem tuamque pulchritudinem dilecturus, Deus et Dominus, est ab omnibus adorandus : idcirco et tu, filia, adora eum, quamvis tibi sponsus aut frater sua dignatione esse dicatur. Ex quo patet **1289** fides catholica, quia totus Christus, scilicet Deus et homo, in Deum adorandus est et colendus. Non divisus quidem in personis, nec confusus in substantiis ; sed totus et unus Christus adorandus in Deum verum. Non adoptivus Dei Filius, nec nuncupativus hominis filius, sicut quidam nuper male præsumpsit, nesciens Dei sacramentum, sed in utraque natura totus et verus Christus, verus Deus, et verus homo est. Totus in Divinitate atque humanitate sua, unigenitus et verus Dei Filius, idem cum Patre, et cum Spiritu sancto unus et verus Deus. Et, ut dixi, non nuncupativus in humana natura et verus in divina, neque proprius Dei Filius in divina natura, et adoptivus in humana ; ut dividatur una persona Filii cum Nestorio in duas personas, id est veri Filii Dei et adoptivi : sed totus Christus unus verus Deus et verus homo, verus et totus est Dei Filius, verus et totus est hominis filius. Unde beata Maria mater Dei, et vera Dei genitrix catholice prædicatur. Neque dividitur Christi persona, cum dicitur Dei Filius, neque cum dicitur hominis filius, sed unus idem Dei et hominis Filius. Propterea non nuncupativus Deus Dei Filius, ut diximus, natus est de beata Virgine, nec adoptivus homo Christus Dei Filius ; sed verus et proprius creditur Dei Patris Filius : quia unus Christus, non divisus in duos filios ; neque dicitur putativus, aut adoptivus, aut nuncupativus : sed totus verus, totus integer Deus et homo, Dei Filius et hominis filius. Et ideo nihil divise egit tantum in humana, nihilque tantum in divina. Unde Dominus in sacramento vere passus dicitur et mortuus. Quia cum sit immortalis et impassibilis, ut unum de pluribus pandam, sicuti ab eo dictum est, etiam et sepultus. *Mittens hoc unguentum in corpus meum*, inquit de muliere, *ad sepeliendum me fecit* (*Matth.* XXVI, 12). Audis ergo, quia quod in corpus suum missum est, ad sepeliendum eum factum est. Quamvis igitur, non idem est se esse quod corpus suum esse, neque unum est ad sepeliendum se fieri et ungi suum corpus. Nequaquam tamen convenit corpus suum esse unum, seque sepeliri : sed Sacramenti istud divinitatis intelligentia est, non ignorare Deum quem scis hominem, nec nescire hominem, quem non ignoras Deum. Propterea ex omnibus scripturarum locis oportet colligere, benignissimum Jesum Christum unam personam Deum et hominem esse indivisam, cum Deus dicitur, aut cum homo, aut **1290** cum mortuus et sepultus. Quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Neque cum dicitur hoc loco : *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, adora eum*, Deus recens introducitur. Unde dicitur : *Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens*. Et ideo non aliud, nec alium quam proprium Dei Filium adoramus. Quæ idcirco dixerim, quia scriptum est : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10). Ubi sicut illi soli servire jubemur, ita et illum solum adorare. Ne forte sint qui Christi humanitatem in Deum dubitent adorandam. Maxime cum hic prophetia ex voce Patris præcipiat omni Ecclesiæ quam Christus duxit sponsam, juxta Hebraicam veritatem, quoniam Dominus Deus tuus est, *adora eum* ; aut certe secundum Septuaginta, quia omnes filii Ecclesiæ sunt, propterea dictum est : *Adorabunt eum*. Licet quidam, hoc quod dixit, *Adorabunt eum*, ad sequentem versum filiæ Tyri voluit applicari, quod Hebraica veritas non permittit.

Quod autem ait : *Concupiscet Rex decorem tuum, aut speciem tuam* : ac si dicat : Si permanseris in conditione fœderis, et non in sorte diaboli qua fueras constituta ; tunc, quia pulchra, quia decora, quia immaculata, concupiscet Rex speciem tuam. Ac si dicat : Rex, Filius meus dilectus, cui canitur iste Psalmus, cui *omnia dico opera mea*, *speciosus præ filiis hominum*, et cætera quæ de illo laudantur : hic talis tantusque Rex concupiscit speciem tuam, quam speciosam fecit ipse : non quia reperit, quæ fœda eras cum te invasor tenebat diabolus, et ecce pulchra facta es. Sequitur autem per easdem pene lineas laudis, quas supra de sponso proposuit, licet submissius. Quia ille specie sua speciosus dicitur ; hæc vere ideo pulchra et speciosa quia sibi eam sociavit Dominus in conjugium. Unde sicut sponsus a principio, sua in specie formosus, ita et ipsa speciosa laudatur, quia dealbata ascendit. De qua in Canticis mirantur etiam virtutes angelicæ : *Quæ est ista quæ ascendit*, inquiunt, *per desertum, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI, 9). Felix igitur nimium, charissimæ, et beata vestra virginitas, felix et viduitas sancta, quæ sic quotidie ascendit, ut stet a dexteris Dei, sicque stat armis succincta cœlestibus, ut ascendat. Ita ut sub monastica disciplina, quæ virorum militia est, sufficiat quælibet vestrum sola manu, vel solo brachio, ac si in monomachia, **1291** virtutum armis pugnare. Quarum sancta societas prima est acies in exitu Regis, sic ascendens quasi aurora novi diluculi. Pulchra

Introdusă în format electronic de Google

quidem facie et decora, quia calcastis spurcitias carnis et fallacias mundi, et ideo post Christum, ut castrorum acies ordinatæ jugum adolescentia conscenditis. Quis non miretur, dilectissimæ, pulchritudinem religionis vestræ? Quis non miretur quod fragilis sexus sic uno impetu graditur ad superna, ita ut adhuc intra mundum, jam extra carnem, extra mundum videatur esse virtutibus? Nec igitur mirum quia concupivit Rex, Dei Patris Filius, speciem vestram, quia ipse reformavit in vobis imaginem et similitudinem suam.

Unde sequitur : *Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.* Porro in Hebraico habet : *O filia fortissimi in muneribus, faciem tuam deprecabuntur divites populi.* Quia verbum Hebraicum *Sor* interpretari potest et *Tyrus*, et *tribulatio*, et *fortissimus* sive *fortissima*. Unde in præsenti loco interpretum orta est dissonantia. Sed Hieronymus secutus Symmachum, *Filia fortissimi*, transtulit : ut illa cui supra dixerat : *Audi filia et vide*, filia fortissimi Patris intelligatur, aut certe ipsa fortissima sit, juxta Salomonem : *Mulierem fortem quis inveniet?* (*Prov.* XXXI, 10.) Quæ nimirum ideo fortis vocatur, quia in Christo posuit omnem fortitudinem suam, cum dicit : *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII, 10). De qua sponsus in Canticis : *Fortis facta est velut mors dilectio tua* (*Cant.* VIII, 6). Interea juxta Septuaginta : *Filiæ Tyri in muneribus vultum* Ecclesiæ *deprecabuntur*, quia Ecclesia de Judæis primum esse cœpit, ut ipsa sit cujus concupiscit Rex decorem. In quo secundus modus est laudis : ut sicut dixerat sponso, *Intende, prospere procede, regna*, ita et hoc in loco dignitas et gloria commendetur Ecclesiæ, cum devotus populus ad eam veniens, deprecatur in confessione fidei vultum ipsius, quæ est notitia et habitus ac pulchritudo veræ religionis. Quæ nimirum gloria et honor de Christi cultura sponsæ venire declaratur. Ergo Tyrus civitas est olim in medio maris, non longe ab Hierosolymis constituta, de qua Isaias multa loquitur, in figura totius Ecclesiæ. Inter cætera ait : *Quia erunt mercedes ejus sanctificatæ Domino* (*Isa.* XXIII, 18), unde filias hujus civitatis, quæ in fluctibus hujus sæculi tota versatur, animas vult significare fidelium, vel speciales ecclesias per loca in Christo fundatas : quia non sola Tyrus filias Ecclesiæ misit fideles, verum etiam totius mundi ad **1292** eam incurrit adunata diversitas.

Inter quas etiam Vesona, quam incolitis, quæ prius meretricabatur post idola fornicationis, cum muneribus venit, et facta est fidelis, quæ fuerat filia fortissimi diaboli. Et ut cernere potestis, sicut dixit Isaias, mercedes ejus jam sanctificatæ sunt Domino : quia tota Ecclesiis repleta fulget, et facta est possessio piissimi Salvatoris, quæ fuerat filia perditionis et præda vastatoris. Habet namque ad orientem sui nunc castra monachorum cum suis sanctis confessoribus atque martyribus; ad occidentem vero ac si post tergum vestrum, tuba resultat sancti Evangelii in voce monentis, fitque ut nullis fraudetur donis cœlestibus locus in quo estis. Vos autem quasi in medio constitutæ, unum elegistis angulum tantum Suessionis angustæ, quia lapidem illum angularem dilexistis, qui *factus est* vobis a Deo Patre fundamentum *in caput anguli* (*Ps.* CXVII, 22). Ubi si bene conspicitis, turris illa ex Evangelio erigitur, de qua dicitur : *Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet potestas prima regni filiæ Hierusalem* (*Mich.* IV, 8). Quia etsi natus in ea civitaticula sponsus vester Christus est, quæ Bethlehem vocabatur, juxta quam in ejus ortu angeli decantarunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14) ; tamen ad vos usque, charissimæ, illa pervenit potestas prima, quæ olim illi promittebatur. Nec dubium quin pervenit usque ad vos, quia vosmet Christus elegit et erexit in speculum et munimen totius civitatis : ita ut merito dicatur, locus iste turris gregis inclyti nebulosa. In quo grege Salvator ipse factus est pastor, ubi angeli descendentes et ascendentes credimus quod *gloria in excelsis Deo* decantant, et quod *pax bonæ voluntatis* in vobis jugiter floreat uberius et requiescat. Ubi custodia vigiliarum, et exsequiæ virtutum indesinenter aguntur; ubi laus et jubilatio, quantum fas est mortalitati, nunquam finitur; ubi preces et gemitus atque lacrymæ quotidie cœlum pulsant, et fluunt cum omni impetu amoris in Deum : ubi vota offeruntur Deo et gratiarum munera. Idcirco etsi nebulosa aut squalens dicebatur illa quam pessimi colunt, quia patremfamilias occiderunt et coluerunt : vos quia turrim in medio collocastis torcularque, id est altare, Christum erexistis in cordibus vestris, auxilium angelorum non deerit, secundum quod ait David : *Immittet Angelus Domini* (*Psal.* XXXIII, 8), ille scilicet magni consilii angelus *in circuitu timentium* **1293** *eum, et eripiet eos.* Quoniam nisi Dominus vos, charissimæ, custodierit, Suessio angusta, quia in circuitu murorum parvissima et destructa est, a nullo vos hoste salvabit. Ideo confidite inde magis, quia ad vos usque potestas pervenit prima. Quæ potestas est regnum filiæ Hierusalem quoniam *regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21), et ad vos imperium et principatus ejus pervenit, qui dixerat : *Ego sum α et ω, principium et finis, primus et novissimus* (*Apoc.* I, 8). Habetis ergo etiam ad meridiem in prospectu orientis sanctos martyres Dei patronos vestros, Crispinum scilicet et Crispinianum, rubricatos suo et dealbatos sanguine Christi, qui hanc fundarunt civitatem in fide, et eruerunt eam de præcipitio mortis. Quæ nunc ita floret in Christo, ut plena videatur esse liliis atque rosis, pro quibus hic Psalmus canitur. Siquidem sancti martyres vestri, sunt rosæ suaviter olentes, dilectissimæ; et vos lilia, unde resplendet hinc inde tota civitas, et lætantur angeli. Ista igitur sunt munera quæ probantur divinitati nimium gratissima, quæ mittit Vesona Christo, olim dicata dæmonibus, nunc consecrata Deo et consociata angelis. In cujus vultum prospiciunt universi, et deprecantur, ut Psalmus canit,

Introdusă în format electronic de Google

etiam cum muneribus omnes divites plebis Galliarum, quia de rosis gaudent se vindemiasse lilia. Divites autem qui venerantur et deprecantur Christi Ecclesiam in cunctis operibus bonis, sunt religiosi viri seu divites, qui dicuntur sapientes sæculi, philosophorum disciplinis eruditi, quorum adjuta eloquiis multum in principio floruit, una cum signis et prodigiis. Sed et divites fuere, quibus primum credita sunt eloquia Dei, habentes notitiam Testamenti Dei, scientiam prophetarum et sacramentorum cœlestium. Inter quos primum compulsus Paulus et Apollo, necnon et quamplures alii, multa munera detulerunt, quibus ditata est Ecclesia ex gentibus, deprecantes tamen ut reciperentur ad fidem infra Christi Ecclesiam, quatenus salutem quam perdiderant in Synagoga Judæorum, invenirent in fide gentium. Quia sicut Dominus testatur, *non* invenit *tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII, 10), quantam in gentibus.

Sequitur : *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Ubi in Hebraico habet : *Omnis gloria filiæ Regis intrinsecus, in fasciis aureis, vestita est in scutulatis.* Nam pro eo quod scriptum est, secundum Septuaginta in Græco **1294** ἔσωθεν. Hieronymus *ab intus* transtulit, vel intrinsecus, et legisse se dicit in quibusdam codicibus pro hoc verbo Esebon, quod *cogitationes* sonat. Ex quo ostendit omnem gloriam Ecclesiæ, cui supra dictum est : *Audi, filia, et vide*, et *O filia Tyri seu fortissimi*, quam nunc appellat filiam Regis, intrinsecus esse in cogitationibus, in interiore videlicet homine, et in circumcisione non manufacta. Vult in spiritu et conscientia habere fiduciam apud Deum, et totam pulchritudinem intrinsecus in mente positam, magis in tacita cogitatione cordis, quam in flore vel eloquentia verborum; sed Septuaginta *omnis gloria ejus filiæ regum ab intus* dixerunt, volentes et ipsi ostendere quod omnis gloria Ecclesiæ, cui supra dixerat : *Audi, filia, et concupiscet rex decorem tuum*, seu cætera : ipsæ sunt filiæ principium sive justorum, cum convertuntur ad Dominum, et secreta se devotione cordis jugiter offerunt Domino : quod significat cum dicit *ab intus*. Ubi non vana gloria requiritur, non ostentatio operum demonstratur, non concrepantia labiorum jactantium meditatur, non ulla inflatio mentis habetur, sed totius interior homo tacita intentione, quæ Deo placita sunt revolvit, solummodo ea quæ ad divina novit pertinere mysteria, delectatur et agit, quod nullis convenit magis quam Dei ministris, qui sacris altaribus deserviunt et sanctis virginibus, quia quanto proximiores Deo videntur, tanto puriores esse debent etiam intrinsecus, cum quibus versatur Deus. Alioquin sponsa Christi, quomodo dicat illud de Canticis : *Introduxit me Rex in cubiculum suum* (*Cant.* I, 14). Non enim cubiculum tanti Regis adulteras suscipit amicas et fœdas in conscientia : quoniam quæ sunt in corde hominum semper oculi ejus vident, et considerat universa. Ideirco omnis gloria sponsæ Regis, quam supra ipse filiam vocat, de fide non ficta et conscientia bona venit. Unde Paulus aiebat : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 1). Quæ nimirum gloria non venit nisi de novitate vitæ, et indumento virtutum, quibus omnis anima pulchrescit et decoratur, in qua Deus per fidem inhabitat, et jocundatur in abundantia charitatis. Quæ pulchritudo, quamvis foris resplendeat in operibus bonis, intus tamen est vis et decor amoris. Unde et sponsæ dicitur in Canticis : *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet* (*Cant.* I, 15). Non omnis Ecclesia licet exterius **1295** gloriosa refulgeat et decora, intus tamen pulchrior renitet, ubi Christus inhabitat, et omnia virtutum ornamenta resplendent. Ex quo nulli dubium quod omnis gloria Ecclesiæ, vel pulchritudo animæ intrinsecus est, ubi habitus virtutum cœlesti sapientia illustratur, et renitescit integritas charitatis. Quoniam, ut philosophi dicunt, virtus est habitus animi in modum naturæ, rationi semper consentaneus. Et ideo ab intus, in quo Deus est, sicut origo est virtutum et fons bonitatis, ita omnis gloria exinde et claritas fructificatur et crescit foris. Unde dicitur : *Sicut cortex mali punici genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet* (*Cant.* VI, 7). Quia in genis quod exterius rubet; ab intus nascitur ut rubeat, ex eo quod interius vivit et viget : et ideo exterius, dum ista marcescit pulchritudo, interius est quod vivit, unde vita in fruge maneat, et quod exterius decidit, ab eo quod intrinsecus est, vivat pulcherrime et reparetur. Quapropter, charissimæ, considerate diligenter vocationem vestram, discutite conscientias vestras, quia nulla est vera gloria, nisi quæ de propria venit conscientia. Sunt enim prudentes virgines, sunt et fatuæ, quarum laus interdum falsa potius est quam vera, maxime earum quas et ornat lingua adulantium, et delectat vana gloria. Hinc rogo probet se virgo devota, juxta Apostolum, et sic in semetipsa gloriam habebit, et non in altero; quoniam unusquisque de conscientia propria judicabitur. Unde David canit : *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* (*Psal.* CXLIX, 5). Ergo exsultabunt in gloria quam semper intus corde, sub spe æternæ retributionis habuerunt. Lætabuntur in cubilibus suis, in quibus ex bona conscientia innocenter coram Deo fructificantes vixerunt. Et notandum quod ait : *Filiæ regum ab intus*, quia ista locutio nunquam in sæcularibus habetur litteris, sed inter propria legis divinæ connumeratur eloquia.

Sequitur : *In fimbriis aureis circumamicta varietate.* Verumtamen in Hebraico habetur : *In fasciis aureis vestita est in scutulatis.* Ubi licet diversa sint verba, tamen unus est sensus, sed latior et admirabilis. Nam fimbriæ quarumlibet vestium de stamine semper dependent, in quo subtemen intexitur. Nam tota vestimenti virtus in stamine habetur, a quo fimbriarum pulchritudo descendit. Sed cum aureæ dicuntur, divinior sensus introducitur. Quia cum superius regina in vestitu deaurato astare **1296**

Introdusă în format electronic de Google

dicatur, hic fimbriæ ejusdem vestis aureæ leguntur. Ex quo intelligitur, quia perfectior et pretiosior semper esse debet finis vitæ quam principium. Hæc quippe vestis, dum vita hominis super terram versatur, semper texitur. Unde amarissime Ezechias flebat dicens : *Præcisa est, velut a texente, vita mea, dum adhuc ordirer* (*Isa.* XXXVIII, 12), significans se immaturius hinc iturum juxta comminationem prophetæ, quam erat in ætate hominis; seu in æterno Dei consilio, si abiret prius quam ex illo generationis Christi ordo texeretur. Ideirco per fimbrias vita hominum significatur extrema, quam non deauratam, ut supra vestis fuisse monstratur, sed auream esse totam debere ostenditur. Quia in fine vitæ tota perfectio amoris Dei quæritur. Circumamicta tamen varietate, propter varias virtutes fidelium, quas jam supra constat expositas. Quibus induta diversitatibus Regina Regis filia, anima videlicet fide Christi vestita, necesse est amictu discolor, sicuti et Ecclesia catholica vestiatur. Hæc namque est vestis illa significata, qua vestiebatur Aaron, quæ auro, purpura, bysso, cocco et hyacintho contexta fuisse divinitatis prædicatur. Quam sane vestem mysticis ornaverunt sacramentis mulieres, quibus Deus ad texendum dedit sapientiam. In qua multa præfigurata sunt divina mysteria. Ipsa est etiam et tunica talaris, qua induebatur Joseph, quam ei contexuit mater Ecclesia. De hujusce fimbriis, unam tetigit mulier illa ex Evangelio, quæ *sanguinis fluxum patiebatur*. Quod autem juxta Hebraicum : *Fasciis aureis vestita est in scutulatis*, licet aliis verbis, idipsum significare videtur quod dixerat : *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*. Fasciis namque pectoralibus tota uteri tegitur ambitio, et componitur resolutio mammillarum : deinde astringuntur viscera, ne venter latius intumescat. Sed fasciarum aliæ sunt quibus virgines ornantur : aliæ vero de quibus matronæ, ut diximus, constringuntur. Unde Hieremias propheta : *Nunquid*, ait, *virgo obliviscitur ornamenti sui, aut sponsa*, seu mulier, *fasciæ pectoralis suæ* (*Jerem.* II, 32)? Ex quo liquido Christus sponsus Virginis Ecclesiæ ostenditur, et Synagoga sponsa nominatur, magis exprobrantis affectu quam honore virginitatis. Et ideo quia jam contaminata erat in idolis, quod fuerat replicatur. Tamen ex clementia benignissimi Salvatoris ad pœnitentiam invitatur, ut fasciam quam habuit ad ornamentum decoris, saltem **1297** recipiat ad tegumentum, et obligationem suæ deformitatis. At vero Christi Ecclesia, virgo et sponsa dicitur, quia *non habet maculam neque rugam* (*Ephes.* V, 27). Ideirco fasciis præcingitur aureis, et decoratur etiam scutulatis. Illa vero ornamentum perdidit suum, quæcunque recessit a Domino, amoresque secuta est alienos. Nec sic quidem relinquitur a Domino : verum hortatur ut redeat ad virum suum, et priorem recipiat charitatem, primaque dilectionis opera faciat, ne nuda in sanguine suo inveniatur, quæ fuerat sponsi sanguine dealbata. Hinc quoque insinuat quantus honor et gloria sit virginis, quæ supra pectus ornamentum habere dicitur, ubi a summo pontifice rationale, in quo erat doctrina et veritas, portabatur.

Nihil igitur minus portat virgo Christi, quæ sponsum et Salvatorem suum gerit in pectore, et ideo fasciis intelligentiarum aureis teguntur, et obvolvuntur in eo divina sacramenta, intus in animo recondita, ubi fides virginis est, sacrarium et thesaurus dilectio. Quia si deliciæ sapientiæ sunt, ut ipsa fatetur per Salomonem, esse cum hominibus, multo magis deliciæ sponsi, qui est ipsa Dei Patris sapientia, creduntur esse cum ipsis ut reddant vota sua Deo, ut perveniant *cum exsultatione portantes manipulos suos* in templum Regis (*Psal.* CXXV, 6). Porro ad templum sic adducantur, ut sacerdotes sint; ad thalamum vero Regis, sicut sponsæ et conjuges. Imo ex omnibus ut sponsa et conjux una sit virgo. Hoc quippe templum est quod Joannes vidit in Apocalypsi sua. Et Propheta dicit : *Unam petii a Domino hanc requiram, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXVI, 4). Et iterum : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psal.* XXIII, 8). Ad quam nimirum gloriam contemplandam, charissimæ, cum lætitia et exsultatione veniendum est. Sed quia officiis evangelicis quotidie invitamur et erudimur ad illa superna gaudia, merito dictum est *Adducentur*. Maxime tamen virgines seu viduæ, quia magnis invitantur præmiis, magnis lætabuntur gaudiis, quia in fragili sexu gravissimas devicerunt corporum passiones. Ergo *vincenti* dabitur *edere de ligno vitæ* (*Apoc.* II, 7). Sicque in Apocalypsi Joannis, non aliis quam vincentibus præmia promittuntur. Ideirco reddat vidua vota viduitatis, reddat et virgo vota parentum suorum : imo et quæ parentum fuere, quia jam adulta est, faciat sua : eo quod non alteri est oblata quam ei cui se debet totam. Nam quia fructus ventris est filia, potestas parentum est, sua jure afferre Deo, aut nuptui tradere pignora. Unde Apostolus : **1298** *Qui virginem suam* nuptui *tradit*, inquit, *bene facit, et qui non tradit, melius facit* (*I Cor.* VII, 38). Idcirco non displiceant tibi, soror, parentum vota, qui tibi id quod melius est elegerunt. Imo considera diligentius quid parentibus debeas, quid Deo. Quoniam utraque retineris lege, si corrumpas sacrificii vota, quia ipsi voverunt ut tu exsolveres : ipsi te obtulerunt ut permaneas. Audis, charissima, Isaac quomodo exsequitur paternam oblationem usque ad gladium et usque ad ignes : nam quantum ex voto est, etiam usque ad mortem non refugit, non reluctatur, non contradicit. Forte dices quia vir fuit : unde occurrat tibi filia Jephte, quæ ne frustraretur paternum votum se in mortem obtulit, quia pater aperuerat os suum quæ non solum non refugit, verum adhortatur patrem, ut promissum Deo munus adimpleat : ita et vos, dilectissimæ, complete in vobis felicia parentum vota; complete quæ vovistis Deo; perseverate cum Samuele in templo, qui Nazaræus Domini usque ad finem vixit : quoniam nulli

Introdusă în format electronic de Google

alteri quam Deo natæ fuistis, non parentibus, non ulli mortalium, sed sponso Christo legibus æternis devinctæ : cujus antequam de vulva matris exiretis, esse cœpistis sponsæ fœdere æterno. Ideo licet omnes nos ejus simus, vos tamen specialiter, quia vota parentum estis, quæ dotis titulum accepistis, ut virgini sponso in virginitate feliciter consecratæ permaneatis. Quoniam omnia in hoc dotis epithalamio, quæ præmissa sunt parata sunt vobis. Adest ubique sponsus vester, *speciosus forma præ filiis hominum*, paratus occurrere vobis, suumque vos introducere in templum, ubi sunt ea quæ *nec oculos vidit, nec auris audivit* (*I Cor.* II, 9). Non enim potest fieri ut desit quærentibus vobis in Scripturis, diligentibus in præcordiis, pulsantibus in prece, perseverantibus in fide, sperantibus in misericordia, qui palam factus est non quærentibus se, et inventus est a non interrogantibus.

Sequitur : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Laudatur ergo sponsa eo ordine quo supra laudatus est sponsus a Patre. Laudatur primum a domibus eburneis, et odoramentis vestimentorum. Laudatur etiam, quia in dexteris regina constituitur, et Patris filia eruditur. Tertio vero in membris suis gloriosa prædicatur. Et vide quam potenter ordinem custodit laudis. *Adducentur*, inquit, *Regi virgines post eam proximæ ejus*, id est Ecclesiæ : quia prius decuit ut unitas ejus commendaretur, postea vero distinctio partium sequeretur. Et ut copiosa Ecclesiæ Dei munera monstraret conferenda, dicit eam in lætitia et exsultatione **1299** ministeriis, adducendam angelicis. Quod autem adducendæ sint, continuo subnectit dicens : *Adducentur ad templum Regis. Ad templum* autem dicit, quasi ad thalamum aut ad sacrarium, ubi gaudium est et gloriosa exsultatio. Deinde ad ultimum Regina, quæ a dexteris Dei ordinata consistit virtutibus, quantum profecerit incremento doctrinæ insinuat, cum infertur, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Quoniam ad finem usque sæculi Magistri ex ea non deerunt, qui et pro parentibus honorentur, et filiorum vota compleant, ut sint patres simul et filii, ne aliunde quam ex ea nati videantur, et fides periclitetur : ut puta pro patriarchis, prophetæ et pro prophetis apostoli, sicque deinceps apostolicus ordo sequatur, ut sit unus omnium eorum filiorum Core intellectus in Ecclesia, a principio usque ad finem, quoniam in omnibus sic propagatur et Ecclesia. Cæterum si ad eam loquitur tantum cui dixerat, *Obliviscere populum tuum*, ex gentibus debemus patres nosse, quibus filii nati sunt, omnes idola colentes. De quibus Hieremias locutus est, *Quam false possederunt patres nostri idola, at non est qui pluat in eis* (*Jer.* XIV, 22), seu philosophos, Platonem scilicet et Aristotelem, necnon et reliquos, quos enumerare longum est, diversorum dogmatum vel errorum magistros. Pro quibus omnibus nati sunt Ecclesiæ de gentibus filiis, doctores scilicet et rectores, quæ constituit principes vel magistros : ac si ipsi Ecclesiæ dicatur, filii tui, quos genuisti tibi, vertentur in patres, cum ex discipulis feceris eos magistros. Hoc quippe fieri quotidie cernimus in Ecclesia quod et usque in finem sæculi, fiendum minime dubitamus, ut successores apostolorum episcopi sibimet succedentes permaneant. Sin autem Abraham, Isaac, et Jacob, patres intellexerimus, filios Ecclesiæ, qui nati sunt ei in loco apostolos voluerimus intelligere, qui missi sunt a Domino prædicare usque ad extremum terræ ; mox quærendum quomodo Ecclesia de gentibus patres habuerit patriarchas, cum ei supra dictum sit : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Nisi quia, sicut legimus in Evangelio, *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 9), id est de gentibus : quod et factum credimus. Quia illi si filii essent Abrahæ, opera Abrahæ facerent. Unde illis abdicatis, *in semine* Abrahæ *benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Quoniam sicut ille in præputio justificatus est in fide : ita et nos in ejus fide justificamur, ut simus filii ejus, cui hæc fides reputata **1300** est ad justitiam (*Rom.* IV, 3).

Sequitur : *Memor ero nominis tui in omni generatione et generatione.* Prius quidem vox divina ad ipsam loquebatur Ecclesiam ; nunc autem e contrario, sicut quam sæpe fit, maxime in prophetis, mutat personam, et pro omnibus beneficiis, cum se intellexit sublimatam, præmiis ditatam, convertit ad ipsum sponsum vocem suam, et pollicetur recordaturam nominis ejus in omni generatione et generatione, id est in cunctis generationibus sæculi : quod adhuc hodie completur, et completum videmus in tantum, ut nomen Christi sibi imposuerit ipsa Ecclesia. Unde omnes Christiani a Christo sunt vocati, ob recordationem et confessionem nominis Christi, quod est nomen novum, in quo benedicentur omnes familiæ gentium. In quo nomine et vos, charissimæ, hic aggregatæ estis, sponsæ ipsius et membra, perseverantes in confessione nominis ejus. Mirabilis quidem gloria, et ecclesiarum summum præconium, inter tam multiplices hominum successiones, nunquam finem laudis habere. Sed gloriosior in vobis atque felicior, quæ nunquam a laude cessatis in omni hora et loco. Quia inquantum infirmitas carnis sinit, angelis coæquari voto velitis. Unde etiam et in sæculo gratiarum actio jure persolvitur, eo quod fragilis et immundus vincitur, et in terris jam futura vita, ubi incorruptio regnat, demonstratur.

Propterea, inquit, *populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.* Quæ confessio sit æterna, quia vera et pia. Idcirco quæ impræsentiarum est gratiarum actio, laus, vel confessio, jam futura est vita in sæculum sæculi : quia ipsa incipit esse quæ permansura est in æternum, quo sola charitas regnat morte devicta. Quapropter adhuc in agone, dilectissimæ, quia quæ præsentis vitæ sunt devicistis, nihil restat nisi ut usque in finem perseverantes illam percipiatis partem sempiternæ vitæ, quam elegistis. Quia *Maria*, teste Domino, *optimam partem*

Introdusă în format electronic de Google

elegit (*Luc.* x, 42). Novi igitur quod beatam Virginem plurimum diligatis Mariam, cujus cultui vos mancipastis. Unde sit vobis tanquam in imaginem, ipsa ejus descripta virginitas, sit in exemplum ejus humilitas, omnesque virtutes ejus forma pulchritudinis. Quæ tunc eam vere diligitis, si imitari contenditis : si refulgeat vobis in speculo castitatis, et si fuerit species virtutis. Sumite ab illa exempla vivendi, formam pudicitiæ in qua sunt magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid refugere, **1301** quid tenere debeatis. Nam prima discendi incitamenta, nobilitas seu fama magistri est. Fama autem beatæ virginis est, quia beatificatur ab omnibus, quia humilitas ejus respecta est. Nobilitas vero, quod nihil Dei matre nobilius est; nihil splendidius ea, quam splendor paternæ gloriæ elegit et illustravit; nihil castius ea, quæ Deum hominem sine corporis contagione generavit. Quam tunc vere diligitis, si eam sequimini moribus et vita ex toto, quæ nihil aliud quam Deum dilexit.

Habetis, charissimæ, nugas otii mei : habetis quod matri olim voveram; non quod idoneus essem divina explere digne sacramenta in titulo dotis; sed ut devotionem servitii comprobarem. Ideo epithalamium gloriosum, quod Propheta cum exsultatione decantaverat percucurri, ut sponsum vobis ostenderem, quem Psalmus depingit, ac si in dotis titulo, inclytum valde et speciosum præ omnibus, gloriosum in cunctis, et gratiosiorem universis. Sponsam quoque mirabili varietate exornatam. Celebratas spiritalis conjugii nuptias, maxime in virginibus, Deo acceptas ostendi, in quibus perseverat amor castitatis, et in nullo obfuscatur pudor integritatis: in quibus castitas æterna fragrat, vinculum perfectæ dilectionis nullo dissolvitur fine. Quarum thalamus una est domus, unaque lætitia jugis. Quæ omnia in hoc Psalmo, ac si in titulo dotis, ascribuntur. In quo prophetarum tympana nimis provida cum exsultatione cordis præcinunt, quæ jam facta gandemus. In quo apostolorum constituitur principatus, quorum tuba omnes gentes edomuit, suisque organis ad vestras nuptias, charissimæ, omne invitant sæculum, et suis concinunt melodiis, et prophetarum eloquiis. In quo martyrum citharæ non chordis, sed virtutibus laudes concelebrant perpetuas, qui sponsæ thalamos respargunt rosis. Unde et vos feliciter ipsi per Christum genuerunt illa. In quo sanctorum confessorum chorus, natus ex apostolis, spiritalibus lyris gratissimum depromit sonum; ita ut per eos in omnem terram pervenerit quidquid apostolicum inhabitat, et deambulat ipse virgo in suis virginibus radicatus, et fundatus in cordibus earum; tanto melius et perfectius dilectus, quanto et ipsæ jocundius amore et perfectius intellectu super pectus Christi requiescunt. Unde et Joannes, quia virgo erat, dicitur familiarius super pectus Dominus recubuisse. Nam et sacerdos inter cætera separationis, pectusculum **1302** de sacrificiis victimarum accipiebat; quod bene virgo fasciis totum obtegit et volvit aureis, quia eum quem diligit, intus abscondit cum charitate, quam nihil in mundo potest devincere, neque ullis violare fraudibus. Quod vero in scutulatis vestita virgo dicitur; ipsa varietas, ut sæpe dictum est, virtutum designatur. Est enim scutulata vestis, quæ alibi stragulata vocatur. De quo Salomon, cum de muliere forti, quæ est Ecclesia, loqueretur, ait : *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus.* Quibus duobus bene scutulata vestis texitur. Dicitur enim scutulata propter orbes rotarum candidos, aut alterius venustatis, quos habet inter purpuram, seu cujuslibet admirabilis pulchritudinem coloris. Quam stolam seu vestem aut fasciam, non habent nisi virgines, quæ mammas ligant, ne inveniantur lactantes et nutrientes. Quæ cogitationes tegunt et constringunt; quia omnia sibi dona concessa et sacramenta Regis in pectore fovent, contegunt et enutriunt, quousque tempus evolandi hinc veniat, ut renascantur, in cœlum.

Unde sequitur : *Adducentur Regi virgines post eam proximæ ejus. Offerentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum Regis.* Ubi juxta Septuaginta, prior versiculus adhuc de filiæ canitur ornatu, sequens ad ipsum Regem dirigitur. Secundum Hebraicum autem ex integro ad sponsam dicitur, usque ad eum locum ubi scriptum est : *Pones eos principes in universa terra.* Sed distinctio versuum nimiam sæpe Scripturis, maxime tamen in psalmis et prophetis, facit ambiguitatem, et immutat sensus. Similiter et immutatio personarum, quod in hoc Psalmo manifeste declaratur. Unde et hic quod diximus, *in scutulatis*, huic versui applicatur, et principium facit. *In scutulatis ducentur ad Regem virgines, et sequentur eam amicæ ejus. Ducentur illuc, ducentur in lætitiis et exsultatione in templum Regis.* Ubi non tam sensus quam distantia animarum in Christo credentium demonstratur, cum dicit, *adducentur ad Regem virgines ;* deinde sequentur eam amicæ ejus. Quia quod dixit *Adducentur*, Domini gratia declaratur, quæ nos ad se venire facit : sicut in Evangelio ipse testatur, dicens : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Et Ecclesia Canticis : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I, 4). Bene novit anima fidelis, quod nisi trahat Domini gratia, per se nemo idoneus est ut perveniat. Sed quæ virgines ad Regem, et ad Regis thalamum tam **1303** specialiter deducuntur? Ego puto, charissimæ, de hujuscemodi virginibus dictum, quales vos esse credo : quæ sequuntur una vobiscum Ecclesiam, et Agnum quocunque vadit, et ponuntur in primo gradu, quoniam fideles in virginitate corporis et animi, sicut et vos, pudica mente permanserunt. Alioquin, quid proderit pudicitiam carnis integram servasse, si non integritatem fidei servaverint? Et ideo in omni doctrina et virtutum conspersione, custodienda est Virginitas animi et corporis in Christo. Quoniam quæ perfecta est, et sancta corpore ac spiritu, ipsa

Introdusă în format electronic de Google

in Canticis vocatur columba immaculata, et proxima, de qua dicitur : *Viderunt eam filiæ, et beatificaverunt eam, reginæ et concubinæ laudaverunt eam* (*Cant.* VI, 8). Ex quo patet sensus, quia quamvis una sit Ecclesia, unaque conjux et regina, diversi sunt ordines, et meritorum multa differentia. Ubi sexaginta etiam connumerantur reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentulæ quarum non est numerus. Idcirco in prima acie adducuntur Regi virgines, quas ipse sponsus *speciosus præ filiis hominum* elegit, quas ipse sibi suo dignos sociavit conjugio, ut ipse virgo in capite cum suis permaneret virginibus. Inter quas vos, dilectissimæ, censeo Domino consecratas, et virginitatem integram Deo vovistis : insuper etiam ad exemplum apostolorum omnia reliquistis ; nec hoc solum, verumetiam sub monastica disciplina vos redegistis. Sed quia fragilior sexus videbatur, cum esset charitas ferventior in vobis, etiam longa ex consuetudine æterna clausura vos obserastis, unanimiter perseverantes in templo Domini : quarum *cor unum, et anima una* facta est (*Act.* IV, 32), concremata igne divini amoris, ut plures unum fierent, ad exemplum illius primitivæ Ecclesiæ, quam Spiritus sanctus in unum decoxit, ut et multis virtutibus una esset massa charitatis. In quarum principio vos consociavit idem Spiritus sanctus, qui operatur omnia in omnibus, et fecit unum corpus in Christo, unumque cor et animam unam. Sed quia paucorum est ista virtus, recte sequitur : *Post eam proximæ ejus afferentur tibi*, id est post hanc, in qua vos divina gratia flores esse constituit : afferentur amicæ seu proximæ, ad ipsam eamdemque Ecclesiam, ut sint et ipsæ in unitate corporis membra fidelia. Quæ proximæ, seu amicæ, sunt viduæ caste viventes, virginibus gradu inferiori consociatæ. Nam cum virginitas centesimum fructum habeat, viduitas **1304** sexagesimum, quasi proxime honorantur. Et ideo quam bene ex istis duobus ordinibus, charissimæ, vestrum compactum est corpus et coadunatum. Sed virgines dicuntur adduci, quia corporis integritate robustiores sunt : viduæ vero afferri, quæ plerumque fractæ diversis multisque molestiis, multa jam corporis imbecillitate fatigantur. Ideo gratuita gratia offeruntur, quæ se pro diversis vitæ sollicitudinibus dispendio tradiderunt. Interea ad hæc forte solertia puellaris dictatura est, quod debuerim dicere virgines afferri debere, viduasque adduci. Præsertim cum viduæ ad vos sua sponte veniant, suaque devotione : virgines vero pene a cubilibus, et jam adhuc, ut ita fatear, inter crepundia teneræ ætatis offeruntur Regi Deo, ex voto parentum potius quam ex suæ mentis electione. Unde rectius illas afferri debere intelligi : istas vero sua venire voluntate, suisque se afferre votis. Nec tamen satis attendit talis quæcunque, quoniam virgines semper ex voto veniunt, et ex voluntate offerentur parentum, potius quam ex necessitate. Porro viduas quam sæpe necessitas cogit : maxime tamen cum absolvuntur, teste Apostolo, vinculo servitutis. Quibus etiam si permanserint in libertate, sibi oblata præmia promittuntur. Unde Apostolus : *Beatior*, inquit, *erit, si sic permanserit, secundum consilium meum* (*I Cor.* VII, 40). Sed quibus necessitatibus premantur in conjugio, et ut a conjugio absolutæ, longum enumerare. Verumtamen ipse de se melius norunt quid evaserint, quibus Christus in voto est. Porro virginitas in mundo sola libera est, libertate Christi, nullis obnoxia vitiis, nullis alligata vinculis, nullis contaminata corruptionibus, quæ sola angelis in terris comparatur, sola libera est : sponsum Christum, ac si comes in remota, quocunque vadit sequitur.

Et ideo vos, charissimæ, felices dixerim, quoniam nescistis torum in delicto, habebitis fructum in respectione animarum sanctarum. Felices quæ bibistis cum lacte carnis lac vitæ æternæ, et mox in ortu Deo dicatæ estis. Nihil enim aliud estis quam sacrificium Deo, vota parentum, possessio Spiritus sancti, cujus infusione sacrificatæ estis et nutritæ. Siquidem enutritæ lacte Verbi ab ineunte ætate, inter angelorum frequentiam, infra gregem Christi, inter pascua vitæ, ac si in paradiso Dei, inter alleluiatica semper gaudia, inter sacrificia et holocaustomata Dei : quæ nihil aliud didicistis quam Christum, nihil amare nostis quam ipsum. Etsi **1305** vota parentum vos deduxerunt, dilectissimæ, felices quæ permansistis in agone certaminis : quoniam fides quæ vos Deo in baptismate consecravit, ipsa vos pro voto hic etiam, teste Ecclesia, obtulit et devovit. Idcirco habetis primam gratiam in baptismate : alteram vero et Deo placitam, ad instar Samuelis, quod Deo in holocaustum oblatæ estis. Deinde ad ultimum, quia omnia reliquistis. Reliquistis autem, si habere contemnitis ; quia hæc est vera mortificatio sæculi, ut in sæculo nec habeatis quidquam, nec habere velitis. Hæc vota, matronæ Christi, hoc in loco communia sunt vobis quæ vovistis, ut simul innupta et virgo, juxta Apostolum (*I Cor.* VII, 34), quæ Domini sunt cogitet, ut sit sancta et corpore et spiritu. Hanc quippe unitatem, de diversis partibus venientem, lapis ille Christus conjunxit, qui est *lapis angularis, et fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 20). Quem sane fidem angularem in fundamento cordis posuistis, et ideo ad hunc angulum Vesonæ convolastis. Non quod angulum diligeretis exiguæ civitatis : sed quia dilexistis, et diligere debetis arduam et angustam viam, *quæ ducit ad vitam*, quoniam lata et spaciosa est quæ ducit ad mortem.

Unde, charissimæ, quia Christus lapis vivus unum vos fecit gregem, unumque ovile in hoc angulo, erigite et vobis turrim illam ex Evangelio, turrim anguli, ut sitis vobis invicem supplementum virtutis, et magisterium castitatis : ita ut virginitas discat exemplo casti conjugii Christo deferre castitatem : quatenus sicut illa custodivit cubile immaculatum : ita virginitas eo amplius quam vovit, Deo integritatem custodiat mentis et corporis : quoniam propemodum non inferior virtus est eo abstinere conjugio, oblectamenta nescire. Sed et viduitas exem-

Introdusă în format electronic de Google

plo virginum multa debet ediscere quæ deploret, multa quæ imitetur, multa etiam quæ congaudeat; ut quæ perdidit vidua in conjugio, totum possideat gaudens cum charitate in flore virginitatis. Sicque in utroque fortes, charissimæ, turrim fidem erigite ex Evangelio, unam et fortem, munitam cum armaturis et propugnaculis suis : quia simul in utraque virtute præmia repromissa sunt vobis æternæ remunerationis. Turris namque quando constituitur, in modum ignis erigitur ; quia ignis licet latior in imis semper ardeat, .amen acuitur in summis, et ad superna semper tendit. Hinc eamque turris, ut aiunt, apud Græcos *pyrgos* dicitur, eo quod in modum flammæ acuitur **1306** et consurgit. Quam prorsus turrim tunc bene construitis, si charitatem, qua corda multorum animæque unum fiunt, in vobismet semper accenditis, quia charitas Dei et proximi sursum ut ignis evolare contendit. Verum quod nulli gradus Ecclesiæ magis sibi conveniunt quam virginitas et viduitas sanctimonialium, quarum unum est votum obedientiæ, una sit conversio morum, una stabilitas loci, una conversatio vitæ, una repromissio regni : et ne ista infletur adversus alteram earum, una vocata virgo, altera vero proxima vel amica. Quibus simul dicitur in Canticis : *Una est columba mea, amica mea, proxima mea* (*Cant.* II, 10), quia sponsus semper in omnibus unum requirit, unumque omnes semper esse vult. Quo simul omnes, quæ offeruntur, et quæ adducuntur, agendum est ut afferantur in lætitia et exultatione (*II Cor.* IX, 7); ne ulla ex tristitia agat, aut ex necessitate, sed singula quæ * * * suis organis dulcissima societate sonuerant, in quo thalamus omnium virginum dedicatur, et sponsus inducitur oleo delibutus Spiritus sancti, ac si in palæstra, præ consortibus suis, ante quam musicorum in hoc carmine omnia resultant genera, et unam universus orbis cum supernis civibus tenet harmoniam. In quo itaque epithalamio talia movent virgines Christi ante vestras excubias musicorum organa, ut eorum mellifluis sonis impræsentiarum omnis vincatur humana lætitia, et futurorum in his jam jamque celebrentur gaudia. In quo nimirum gaudio, charissimæ, sacratissima vestris quia volui cubilia cordis floribus respergere. Sed quia non eram idoneus, humilem misi pulegium bene olentem valde, quo aspergantur saltem gressus euntium ante ostia. Quoniam etsi vile videatur in Galliis, apud Indos tamen charum et pretiosum est plusquam piper pro suis odoribus. Unde constat quod non omnes omnia habent; neque unus sapor cunctis æqualiter in palato cordis sapit : sicut nec una eademque medicina apud omnes æqualiter valet. Qua de causa credo quod inter vos hoc nostrum opusculum quasdam inveniat, quibus prosit et placeat. Non quod nostrum, inquam, sed quod Dei, quia de nostro non nisi sola rusticitas sordet. Cæterum sunt deliciæ intus boni Regis, quibus nos esurientes pasti sumus de vestro nuptiali convivio, quas prout licuit impræsentiarum nausimus in titulo vestræ dotis.

S. PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

IN THRENOS SIVE LAMENTATIONES JEREMIÆ

LIBRI QUINQUE.

(Apud Sirmond., Opp. S. Paschasii Radberti.)

PROLOGUS

AD ODILMANNUM SEVERUM.

1307-1308 Paschasius Radbertus, monachorum omnium peripsema, seni Odilmanno Severo plurimam et sempiternam salutem.

Multo cogor longoque confectus vitæ tædio, tristes lacrymarum inire modos. Gemebunda jam quia profecto meis prægravata malis inopinate senectus non vocata venit. Quam dum inspicio, specie deformatus, aliena perhorresco, eo quod me subito animo non mutatus, quod fui non invenio, evadere tamen nequeo, illa decipiente, quæ amisi. Unde congelatus usu longiori durior effectus, nullis jam emolliri queo fletibus, quamvis multis miseriarum mearum intus forisve premar doloribus. Quibus quotidie saltem ad suspiria propulsus Jeremiæ prophetæ inter discrimina ultimæ vitæ, Threnos explanare decrevi. Siquidem ejus ut emolliar lamentis, quatenus vel sic addiscam fragilis vitæ excidia deplorare, quo modo sanctus ille plangit aliena. Et

Introdusă în format electronic de Google

quia hæc ætas alios poscit mores : licet sero hortante Scriptura, quia semel domum luctus intravi, proposui tanti operis studio non indiscussa transire : licet neminem Latinorum legerim explanasse Threnos, quos propheta symphonizando metro voluit legentibus commendare. In quo nimirum opere, si quippiam posteris condignum litteris enodavero, tuo frater judicio decernendum transmitto : quia nulli magis nostra congruere putavi, ad quoscunque oculos direxi, quam tibi, qui et senectute coæquaris, et quotidianis precum fletibus antecellis.

PRÆFATIO

Sicut in divinis Litteris diversa leguntur cantica, ita et Spiritu sancto reserante lamentationes diversæ : et sicut proprie appellatur liber Salomonis Cantica Canticorum, ita et appellari queunt Threni Jeremiæ Lamentationes lamentationum : quia sicut omnino præcellunt illa, in quibus sponsus ac sponsa dulcibus fruuntur amplexibus, ita et lamentationes istæ vincunt omnia Scripturarum lamenta, in quibus abscessus sponsi ab sponsa ; magnis cum fletibus vehementius deploratur : ex quo sola civitas sedere, ac domina gentium quasi vidua, amarissime satis plangitur. In illis quippe canticis, diversæ introducuntur ad gaudia nuptiarum personæ , in istis vero diversæ planguntur. Illa siquidem decent in patria : ista vero in hac nostra peregrinatione. De his quippe dicitur canticis, quod deceant in Sion illa cœlesti, uti David Psalmographus canit : *Te decet* (inquit) *hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem* (*Psal.* LXIV, 2). De istis vero idem Propheta : *Beatus cujus est auxilium abs te* (*Psal.* LXIV). Ascensiones, inquit, in corde suo *disposuit in valle lacrymarum, in* **1309** *loco quem posuit* (*Psal.* LXXXIII). Vallis namque lacrymarum, præsentis vitæ conversatio recte designatur : locus vero Christi Ecclesia, in qua unusquisque positus pro cœlestis patriæ desiderio deplorans, ascensiones in corde sibi disposuit, ut ad illa felicitatis gaudia quandoque devotus veniat. Alias vero nonnisi corde ascenditur, ubi fidelis quilibet dum varios evocationis suæ gradus meditando disponit, variis introrsus corde gemitibus afficitur. Hinc sane constat, quod multa sunt genera fletuum, multa et differentia lacrymarum. Aliter enim deflet ille qui propria, aliter qui aliena plangit detrimenta. Aliter pro amore cœlestis patriæ, aliter pro immanitate scelerum et terrore gehennæ. Aliter pro dolore cordis, pro amore piæ ac sanctæ recordationis. Quæ nimirum lacrymarum genera Scriptura divina latius explanat, cum in diversis Scripturarum locis, singulorum varios demonstrat affectus, et lamenta replicat. Inter quos David, *Fuerunt mihi* (inquit) *lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI). Et alibi : *Laboravi in gemitu meo*, natare faciam tota nocte lectum meum, *et lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Caligavit me amaritudine oculus meus, quia consumptus sum ab universis hostibus meis. Quibus itaque verbis patet, quod multis sancti moventur affectibus, eo quod et ipsi volumen illud intus totum quod Ezechieli (*cap.* II) ostensum est in sensu mentis trajecerint, in quo erant scriptæ lamentationes et carmen et væ. Lamentationes videlicet, quia in eisdem litteris conscripta est pœnitentia peccatorum, atque ploratus omnium sanctorum, ut Psalmista canit : *Qui seminant in lacrymis vere, in gaudio metent* (*Psal.* CXXV). Qua vera spe certi priores sancti, *ibant et flebant mittentes semina sua* (*Ibid.*). Propterea et carmen in eodem libro sequitur, ex quo gaudia justorum nuntiantur : nec tamen væ tacetur, eo quod illic multis in locis expressa damnatio reproborum comprobatur. Sed lamentis in hac valle lacrymarum aflicimur, ut in futuro ad æternæ vitæ gaudia, et cantica lætitiæ pertingere valeamus (*Joel.* II). De quibus profecto lamentis, in eisdem dictis legitur : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Jac.* IV). Miseri estote et lugete : quia beati qui lugent nunc. Risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. Et ut de promissione gaudii sequentis hilariscas, habes in ejusdem voluminis congerie. *Beati qui habitant in domo tua,* **1310** *Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Et sicut per quemdam sapientiam augustius de cœlesti Jerusalem prædicatur. *Lapide pretioso et mundo omnes plateæ ejus sternentur et per omnes vicos ejus allelnia cantabitur* (*Tob.* XIII). Quod nobis carmen cœlestis patriæ cives nuntiare venerant, cum concorditer clamabant : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Sed hujuscemodi cantica cœlestis patriæ sunt gaudia. Lamentationes vero Spiritus sancti, aut mœrore, aut ex desiderio æternæ vitæ cordis infusio. Legimus tamen lamentationes super Saul et Jonatham, legimus et super Absalon, quæ profecto lamenta doloris ac mœroris sunt plena. Flevit quoque et Ezechias fletu magno : flevit et Petrus amarissime. Sed istæ, ut diximus, merito Lamentationes lamentationum vocantur , quia generales sunt, et sic prætendunt genus ad speciem, ut rursus species ad genus referatur. Sicque terrenæ illius Hierusalem et populi excidia deplorant, ut præsentis Ecclesiæ damna deflere non prætermittant. Sicque generalitatem populi novi ac veteris eorum lugent qui a fide corruerunt et captivantur, ut unius animæ, quæ templum fuit Spiritus sancti , detrimentum plangere non desistant. Sicque ad præsentem captivitatem, sub qua idem eamdem prophetiam condidit, oculum intendant, ut extremam, quæ facta est sub

Introdusă în format electronic de Google

Tito et Vespasiano, penitus non omittant. Quid plura? Omnium præsentis vitæ causas ac ruinas cernens propheta, gemendo movetur ad singula, ut singuli discant propria sic deflere, quomodo ipse deplorat communia et aliena cujusque delicta. Ideoque quadruplici Threnos totius lamenti, ut æstimo, contexuit alphabeto: quia tam nos quam et hic mundus quatuor constat conditus elementis, igne videlicet et aqua, aere et terra: ut qui quatuor consistimus existentiis, sub quatuor recte plangamur litterarum alphabetis. Quod autem propheta non solum præsentia, verum præterita et futura lugeat, liber Paralipomenon insinuat (*II Par.* XXXV), ubi legitur quod mortuus est Josias rex, et sepultus in mausoleo patrum suorum, universusque Juda et Hierusalem lugerint eum; Jeremias, inquit, maxime. Quibus profecto verbis ostenditur, quod non solum ad præsentia et futura, verumetiam et ad præterita lamentatio hæc superextenditur, ut sub quadrato cœli cardine præsentis sæculi delicta quadrato lugeat alphabeto, et **1311** ad lamenta omnia invitet. Propterea et nos non minus super ejusdem civitatis ruinam, quam et super Ecclesiæ damna, superque animarum discrimina, decrevimus easdem tripliciter exponere lamentationes, et prout oportuerit ad eadem tria tempora sensus dirigere. Neque silendum putavimus, quod propheta sanctus, sicut divinæ legis interpres Hieronymus testatur, Threnos tanti lamenti lege metri condiderit. Ex quo etiam apud Latinos per singula sententiarum principia, singulæ Hebræorum litteræ prænotantur, a quibus in sua propria lingua, ut fertur, unusquisque versus incipitur. Neque igitur est credendum, quod tot litteræ vacent a mysterio, cum nec unus apex iotæ prætermittendus sit in lege (*Matth.* v). Unde quod singulæ litteris interpretentur, intelligentia singulis sententiis est reddenda. Nam Aleph *doctrina* interpretatur. Doctrina vero illa vera est, qua Deus cognoscitur, et proprie uniuscujusque status vel defectus non ignoratur. Non enim doctrinæ quilibet recte insistit, qui semetipsum penitus non agnoscit. De qua sane Isaias propheta: *Glorificate*, inquit, *Deum in doctrina* (*Isa.* XXIV). Ille ergo Deum digne glorificat in doctrina, qui et eum laudare de suis non cessat, neque ea quæ de se ipse admisit, aut proximis deflere non ignorat. Quam bene propheta doctrinam perceperat, qui mœrens spiritu repletus aiebat, dicens.

LIBER PRIMUS.

ALEPH.

Quomodo sedet sola civitas, plena populo: facta est quasi vidua, domina gentium. Princeps provinciarum facta est sub tributo? Non quod hic mœnia civitatis Hierusalem lugeat, sed per eam tropice populus in captivitatem ductus, amare plangitur: juxta illud Isaiæ prophetæ (*cap.* I), quod omnibus devindemiata bonis filia Sion relicta sit ab hostibus sola, sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. Fitque mox vehemens exclamatio prophetæ plena fletibus, plena doloribus, plena omni admiratione et stupore mœrentis. In qua patenter insinuat subversionem miseræ civitatis, et ruinam scelesti populi: non solum sub Chaldæis accidisse, verum sub Tito et Vespasiano plenius omnia completa fore. Hactenus **1312** nec sola nisi per exaggerationem doloris sedere jure dicitur, ubi de pauperibus terræ cultores innumeri relinquuntur, quibus et Godolias præesse jubetur. Nec tamen civitas diruitur, sed integra ejus vastatio usque ad illud differtur, Christo duce perempto, quando nec lapis super lapidem, secundum Domini sententiam, neque populus in ea relinquitur (*Matth.* XXIV). Interea etiam post reversionem tantæ captivitatis, rursus paulatim crevit virga furoris Dei: quia non est ad Deum post monita et correctiones prophetarum conversa perfida gens Judæa, sed beneficiis Dei semper ingrata, supplicia sibi atrociora contraxit. De qua sane gente Moyses: *Scio*, inquit, *contentionem tuam et cervicem tuam durissimam semper contentiose contra Deum egistis* (*Deut.* XXXI). Necnon et Stephanus: *Dura*, inquit, *cervice et incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis sicut et patres vestri* (*Act.* VII). Propterea frequenter flagellis attriti, ab hostibus oppressi, pene malis omnibus affecti: nec sic ex toto corde crediderunt, sed *exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt* (*Psal.* LXXVII). Et ideo captivatis jam decem tribubus in Assyrios, duæ quæ remanserant sequentes domum David, et specietenus Deum colentes, paulatim crescente eorum malitia prius in Chaldæa durius captivantur. Hinc quoque quasi sola sedere civitas plangitur, et vidua facta sub tributo, quæ prius fuerat domina gentium, earum scilicet quas subverterat. Nam vidua sedere miratur, non solum quia captivatis regibus, et sacerdotio destructo desolata, verum quia profanato templo et omnium vasorum gloria funditus explosa, mox Dei auxilio destituta evacuatur, et sola inter hostes plena ignominia relinquitur.

Cæterum spiritualiter lacrymosius, quoties Ecclesia, culpis exigentibus, sponso Christo viduatur, a propheta vel sanctis viris plangitur, *Quomodo sedet sola civitas?* Sola quippe sedere jure queritur, cum Dei et sanctorum desolata angelorum auxilio, intus forisve ab hostibus vastatur. Alioquin nisi sola esset, plangenda non esset: quia non possunt lugere filii sponsi quandiu cum illis est sponsus, imo gaudio gaudent amici propter vocem sponsi. Cum vero matrem scilicet Christi Ecclesiam ab sponso viduatam senserunt, recte non solum filios, verum et

Introdusă în format electronic de Google

amicos omnes flere convenit. De quorum nimirum collegio Jeremias propheta exstiterat, qui **1313** præ omnibus et pro omnibus, tam immaniter deflebat. Flebat autem non saxa et ædificia, sed ruinam hominum. Quæ recte civitas bene sedere dicitur, quod plorantis est habitus. Unde et Job in sterquilinio sedisse perhibetur, ut affectum exprimeret dolentis (*Job.* II) : nam ipse *dolens* interpretatur. Sic et David de hac ipsa captivitate : *Super flumina*, inquit, *Babylonis, illic sedimus et flevimus* (*Psal.* CXXXVI). Ac si patenter dicat : Quia in throno regni, imo in summo cœli vertice stare noluimus, jure super flumina tentationum flentes ac lugentes, supra modum dolemus, juxta illud Isaiæ prophetæ : *Descende, sede in pulvere, filia Babylon : sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum* (*Isa.* XLVII). Ita et Jerusalem nostra quoties in confusionem peccatorum venerit, non est ei solium, neque thronus, neque ulla dignitas celsitudinis, sed in terræ pulvere sedere perhibetur jure. Propheta propterea plangit, non tantum quia sedet pulvereis et terrenis operibus sordidata, imo quia sola sedet. Porro sola, quia quasi vidua : vidua vero, eo quod pro fœditate turpitudinis suæ ab sponso sit relicta. Sed notandum quod quasi vidua, et non vere vidua, dicitur : quoniam et si ab sponso despicitur, sponsalitatis tamen ejus jura manent : ut si redierit, prioraque dilectionis opera impleverit, sponsum saltem per pœnitentiam immortalitatemque recipiat. Qua denique veste reinduta, nullius sub tributo jacet debiti, sicut Paulus apostolus insinuat, dicens : *Nihil*, inquit, *aliud debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XII).

Tropologice autem, anima sola sedere digne plangitur, quasi vidua exuta virtutum bonis, quæ se dominio subjugaverit Chaldæorum, sponsumque contempserit pubertatis suæ. Chaldæi namque *captivantes* interpretantur. Captiva ergo anima dicitur, cum a solio cœlestis patriæ vitiis subacta, sub potestatem dæmonum redigitur. Cui mox per prophetam dicitur : *Intra in tenebras filia Chaldæorum* (*Isa.* XLVII), ac si patenter dicat : Quia in luce stare noluisti virtutum, filia facta Dei munere adoptionis, intra mutato nomine in tenebras perpetuæ cæcitatis. Quam propheta animam conspiciens, sponsi auxiliis culpis exigentibus destitutam, gemit et clamat : (*Quomodo sedet sola civitas*) anima videlicet quondam virtutibus et suffragiis sanctorum *quasi civitas plena populo desolata*. Quæ prius pollebat divinis operibus inter frequentias sodalium, nunc inter hostes adversariorum sordet squalida : cui nulla **1314** est societas sanctorum, nulla communicatio sacramentorum Dei, nulla cum sponso, cui se devinxerat amore dilectionis, participatio, sed redacta *sub tributo* vitiorum, quotidie omnibus exsolvendo debitis fit alligatior. (*Cass.*) Unde unus electorum mœrens plangebat, dicens : Multis me, inquit, pater meus creditoribus reliquit obnoxium, quibus exsolvendo quotidie laboro, sed uni eorum hactenus satisfacere non queo, gastrimargiæ deplorans incitamenta. Constat igitur quod multa sunt delictorum tributa, quibus anima fit obnoxia, nisi rursus Dei auxilio liberata, pristinam non valet recipere libertatem. Hinc misericors Deus, licet malis nostris ad iracundiam permotus, fornicantem animam hortatur, dicens : *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ* (*Joel.* I). *Super virum pubertatis suæ*, anima quasi virgo plangitur, quando plenissimæ charitatis amore perfusa, sui connubii fœdera considerans, confunditur. Ideoque *sacco accincta* cilicino, sua facta deflere jubetur, quatenus pœnitendo ne a Domino judicetur, inter hædos scilicet peccatores prius corripiatur : deinde *super virum pubertatis suæ* uti dilectionis opera perficiat, adhortatur. Unde sequitur vox plangentis.

BETH.

Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus. Quænam sit quæ plorat, *Beth* littera ex principio versus insinuat, quæ *domus* interpretari ostenditur. Beth quippe *domus* interpretatur, scilicet illa cum qua Jacob ingressus in Ægyptum (*Gen.* XLVI), et postea Domini suffragante clementia miraculis coruscantibus, egressa *de populo barbaro* prædicatur (*Psal.* CXIII) : nunc vero exigentibus culpis, rursus ad captivitatem in Babylonem reducitur, et ideo amarissime plorare perhibetur. Plorat autem in nocte, quia in die nulla dabatur eis requies, saltem ut suis consolarentur lacrymis, et oculos sero abluerent, quos ad idola prius male levarent : et quod est gravius, ex omnibus amicis sibi pessime blandientibus, Propheta teste, nullus eam consolabatur, imo facti planguntur inimici. *Lacrymæ* (inquit) *ejus in maxillis ejus*, ut majori induerentur confusione inter hostes, et suis saturarentur opprobriis. Patet igitur sensus, quod propter idololatriam populus in captivitatem ductus, in Babylone plenus scelerum suorum **1315** ignominia dure satis ab hostibus tractabatur : sed durior accidit ea captivitas, quæ sub Tito et Vespasiano, teste Josepho, facta legitur, ita ut impræsentiarum nihil durius contingere potuisse jure credatur. Ex quo profecto liquet, quia Dei eos patientia diu sustinuit ad pœnitentiam, et ira, quam sibi thesaurizarunt, furoris Dei vehementer accrevit.

Sed juxta allegoriam, Christi Ecclesia scilicet illa cœlestis Jerusalem, quæ de cœlo descendisse a Deo monilibus adornata suis legitur. *Plorans ploravit in nocte*, inter adversa scilicet hujus vitæ : quia licet præscita et prædestinata sit ad gloriam supernæ contemplationis, tamen adhuc inter caligines versatur ignorantiæ et discrimina nostræ cæcitatis. Unde signanter ait : *Plorans ploravit*, quia profecto non solum pro malis quæ foris tolerat gemens dolet, verum pro his ærumnis, infirmitatum suarum et maculis, quibus intus afficitur, flendo gemit. Plorat ergo ea non minus quæ sentit interius, quam quæ exterius tolerat. Sed prius compungitur in cubilibus secretorum cordium, tunc demum exterius

Introdusă în format electronic de Google

lacrymis interiusve bene rebaptizatur. De fonte quippe intus nascitur gemitus et lacryma, quæ foris producitur. Ideo secundum Scripturarum sanctarum idioma, recte Christi Ecclesia plorans plorare dicitur, sicuti et gaudio gaudere, et vita vivere : quia profecto sicuti majus aliquid est et significantius, vita vivere et gaudio gaudere, quam simpliciter gaudere et vivere : ita majus est, *plorans ploravit* dicere, ut ubertatem insinuet perfectæ compunctionis interius, et affluentiam demonstret lacrymarum exterius, quatenus non minus exterior sequitur, quam et interior homo ad integrum reformatus abluatur. Hinc est quod sequitur, *lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Per maxillas namque rectores ecclesiarum significantur, qui sciunt sua et aliena delicta curare et plangere, nec detegere. De quibus bene in Canticis canticorum collaudatur : *Genæ tuæ sicut fragmen mali punici, absque eo quod intrinsecus latet* (*Cant.* IV). Ergo in maxillis non modo pulchritudo Ecclesiæ ostenditur, verum quod per eas intra corpus omnia trajicimus, eorum designatur officium prædicatorum, per quos ipsa quotidie fide in Christo renata aggregatur. Unde dum plus cæteris in Christi corpore laborant, plus gemunt et plorant. Plus itaque gaudent cum nutriunt et generant ad fidem electos : plus dolent et lugent **1316** eos, quos sciunt in nocte versari delictorum, vel erroris cæcitate, idcirco et in nocte plorare dicitur. Plorat autem in nocte, quia in mœstitia posita tenebras delictorum suorum non ignorat, et lacrymas in maxillis portat, ut pulchritudo illius quotidie renovetur. Ipsi quippe sunt maxillæ Ecclesiæ, qui et cortex mali punici : quia non solum trajiciunt nos in corpus Christi, sed et tegunt cum rubore pulchritudinis Christi sanguine decoratos, et celant omnia infra ipsius viscera, quæ intrinsecus latent. Dicuntur ergo genæ Ecclesiæ fore etiam et sicut turturis, ut eos designet qui solitariam et castam diligunt vitam. Dicuntur et sicut areolæ aromatum quæ consitæ sunt a pigmentariis (*Cant.* V), etiam ut eos insinuet qui theoricam sectantur vitam, et orationibus die noctuque deserviunt, in quibus vere est pulchritudo ecclesiarum et virtutum odor, quos impetus fluminis intus lætificat, et ubertas lacrymarum inebriat : quia nimirum eorum lacrymæ omnium sunt lamenta, etiam eorum qui practicam gerunt vitam, dum hi maxime gemunt pro omnibus et deflent, qui sunt ac si areolæ virtutum consitæ a pigmentariis, apostolis videlicet et apostolicis viris. Prodest namque Marthæ laboranti, quidquid Maria secus pedes Domini deplorat. Et ideo bene Christi ecclesiarum lacrymæ in maxillis defluere probantur, quatenus omnium charitatis vota, unum holocaustum fiat. Plorat igitur sponsa longe ab sponsi sui remota amplexibus, in hac valle lacrymarum quasi in nocte ignorantiæ, tamen subarrhata dote dilectionis, et inebriata vino compunctionis. Plorat primum in pastoribus et rectoribus suis, non solum pro illius patriæ cœlestis desiderio, verum et propter quorumdam suorum reprobam vitam. Plorat et in his maxime, qui se huic mortificaverunt sæculo. Plorat autem in virginibus, plorat in viduis, plorat et in omnibus qui se impræsentiarum peregrinos egentesque recognoscunt : quia *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Maxime tamen sponsam tunc lugere convenit, quando ut Propheta gemit. *Nemo est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Profecto quia sponso, peccatis exigentibus, exacerbato, mox non modo angelorum auxilio atque omnium sanctorum destituitur, verum etiam Spiritus sancti consolatione frequenter desolatur : ita ut amici qui gaudent ad vocem sponsi (*Joan.* III), et auscultant, ostenso illo magis luctum adhibeant, **1317** nonnunquam et lamenta, quam ullius consolatione fomenta. Unde sequitur : *Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Quia nimirum offenso Deo, nemo sanctorum est qui ab ejus discrepet æquitate, donec per pœnitentiam, Christo propitio, rursus reconcilietur ad veniam. Cæterum juxta tropologiam, anima bene plorans plorat in nocte, quæ se intelligit cæcitate delictorum suorum undique offuscari. Quam sane peccati noctem idem propheta longe superius satis exsecratur et deplorat. De qua Job ille dolens : *Sit nox* (inquit) *illa solitaria nec laude digna* (*Job* III). Quando hac namque nocte anima involvitur, merito plorans plorare perhibetur et hoc non suo arbitrio, sed Domini gratia. Propterea in persona Dei prius propheta voce plangentis clamat : *Quomodo sedet sola civitas*, et cætera quæ sequuntur. Alioquin nisi Dominus eam prius videns solam sedere, misericordia motus planxisset, ipsa se minime plorans defleret. Sic namque quia respexit Dominus Petrum, ipse recordatus verbi Jesu, mox flevit amarissime (*Matth.* XXVI). Quod si bene perpendis, ita in omnibus Scripturarum sanctarum invenies locis, eos perfecte post culpam redisse ad pœnitentiæ lamenta, quos prius Dei prævenit et divina respexit clementia. *Lacrymæ* (inquit) *ejus in maxillis ejus.* Maxilla namque animæ intima est conscientia : quia sicut vultus in maxillis informatur, ita uniuscujusque qualitas in conscientia monstratur. Idcirco lacrymæ jure in maxillis esse perhibentur, ut nunquam conscientia peccatrix a fonte lacrymarum arida inveniatur, sed secundum David (*Psal.* L) coram se semper peccata sua ponens, ea quæ admisit puniri fletibus non omittat. Sin alias *nemo est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Consolatore amisso, scilicet Spiritu sancto effugato, præsertim cum omnes amici charissimi, videlicet pravæ dilectionis suæ affectus, facti sunt ei inimici, quando in die allocutionis novissimæ secundum Apostolum insurgent (*Rom.* II), miseram accusantes invicem conscientiam, cogitationes autem defendentes. Tunc itaque non solum charissimi affectus privatis, qui nunc quasi amici videntur, permulcendo infelicem spernent accusantes animam, verum etiam ipsi dæmones persuasores pessimi, qui nunc decipiendo blandiunt incautos, atrociores tunc econtra cum omnibus quæ gessimus, instabunt inimici. Qua-

Introdusă în format electronic de Google

propter quando consolantem anima Spiritum amittit **1318** divinum, instanter imploret eumdem, ut secundum multitudinem doloris sui, consolator idem qui et paracletus animam desolatam rursus lætificet, quando ad sui sponsi oscula, hostibus devictis, reconciliata perveniat. Sequitur.

GIMEL.

Littera quæ *plenitudo* interpretatur. Plenitudo namque delictorum *migrare fecit miseram Judam* in captivitatem : quia cumulando sibi atrociora delicta, Dei provocavit iram : alioquin ejus nisi completa esset malitia, ad tantam dedecoris ignominiam gens illa prius dilecta Deo, non pervenisset. Nam (*Gen.* xv) justus judex Dominus Abrahæ amico suo terram Chananæorum in hæreditatem cum repromitteret, necdum se dare posse denegat, quia, inquit, necdum completa sunt peccata Amorrhæorum : quanto magis gentem gloriosam, sibique valde dilectam, non nisi ob plenitudinem et enormitatem scelerum suorum inimicis traderet? Idcirco in hac sententia transmigrationis Judæ, jure Gimel, id est plenitudo, proponitur : ut sit sensus, quia (*IV Reg.* xxv; *Jerem.* xxxix) pro plenitudine peccatorum captivata est inter hostes, et non solum eminus inter Chaldæos in Babyloniam, verum ad exaggerationem crudelissimæ captivitatis, etiam inde longius propter afflictionem et multam servitutem transmigrasse inter exteras passim gentes, nec invenisse requiem, amarissime deploratur : quod servorum est infidelium cum nimia premuntur servitute, passim fugam inire. Nec immerito, qui libertatem amiserant (lenissimum spernentes jugum dilectionis Dei repromissiones de Christo) si nimia conterantur afflictione et premantur servitute, ut qui veluti Cain non contremuerunt Abel (*Gen.* iv), Christum videlicet, fratrem perimere, vagi ac profugi huc illucque habitent inter gentes, nec ullam invenientes requiem, sed secum semper portantes confusionis sui ignominiam pererrantes. Unde sequitur : *Omnes persecutores ejus deprehenderunt eum inter angustias.* Scilicet a quorum captivitate crudeliter oppressi, per fugam evaserant, hi eos rursus persequentes inter angustias multipliciter afflictos, nullam habentes requiem, in dispersionem gentium minaciter deprehenderint. Quibus nostra Jerusalem frequenter juxta anagogen perpessa malis, amarissime quoque plangitur, quod migraverit, libertate omissa Christi, in servitutem gentium, et afflictionem nimiam **1319** vitiorum, inter quas profecto nullam invenit quietem, sed inter angustias a persecutoribus afflictionis iniquæ deprehensa affligitur.

Quod si et ad litteram super hanc nostram, quæ recte confessio appellatur, talia volueris interpretari, habes de plurimis, unde offenso Deo cui quotidie peccamus, lacrymabiliter plangas, ecclesiis quæ culpis exigentibus, jugo premuntur paganorum, nimia vastantur afflictione, sub crudelissima eorum servitute oppressis. Quam si nostri divino permoti timore pertimescerent ad præsens, nequaquam hanc Christi Ecclesiam diutius ita conscinderent, diutius et dilaniarent, neque offensam Dei manibus, ut ita dicam, attraherent, intantum undique inimici si ingruerint, ut non nisi inter civilia bella et discordiarum flammas, inter depopulationes patriæ, et direptiones ecclesiarum Dei, inter seditiones et fraudes, inter scandala et rapinas, inter oppressiones pauperum et cædes nosmet invicem persequentes, sine respectu Dei quam ignaviter inter insidias et flagitia deprehendentur. Et ideo cum propheta possumus clamare gementes, quod nec ullam, etiam inter ministros altaris, intus forisve habemus requiem, imo migramus a malo in pejus, jamdiu peccatorum oppressi mole, et a persecutoribus ubique invisis inter angustias deprehendimur. Sed et anima moraliter vitiorum afflicta servitute nostra in qua sola Christi confessio voce sonat, male transmigrat, dum de vitiis quotidie ad alia captivatur. Ex quibus Apostolus ingemiscens clamat : *Video* (inquit) *in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati* (*Rom.* vii). Quæ nimirum emigratio jam de lege venit peccati ut nulla sit alia evadendi via, nisi quam ipse demonstrat : *Infelix ego* (inquit) *homo, quis me liberabit de corpore mortis?* Tum fidenter continuo infert : *Gratia* (inquit) *Dei per Jesum Christum.* Sed misera quæ ab hostibus et persecutoribus suis inter angustias, prægnantium more, in extremis male fessa deprehenditur. Unde Dominus : *Væ* (inquit) *prægnantibus et nutrientibus in illa die* (*Matth.* ii, 4). Sequitur :

DALETH.

Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. Jam itaque **1320** præmisso genere, transit ad singularum species personarum, quatenus dum ad genus per species dividitur, et species redintegratur in genere, luctus amplior multiplicetur, crescatque dolor. Et quia placuit prophetæ threnos lege metrica componere, sæcularis eloquentiam disciplinæ figuris interdum ornat, ita ut mox per metaphoram proprietatem lege rhetorum sermonis reddat. Hinc quoque viæ (inquit) Sion lugent, non quod viarum, quibus nullus est sensus, queat esset luctus, sed quia poterant luctum excitare transeuntibus, lugubresque videri, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem ejus. Et nec mirum debet videri, si viæ Sion lugere dicantur, cum et Moyses dans legem, testes advocet cœlum et terram : *Attende cœlum, et audi terra, verba oris mei* (*Deut.* xxxi, 32). Ac deinde Isaias (*cap.* xiii) post prævaricationem ejusdem legis, eosdem rursus reducit in testimonium, ut cuncta elementa cognoscant juste Deum in ultione mandatorum suorum ad iracundiam concitatum. Sicque jure lugere viæ Sion planguntur, quatenus juste Dei offensa contigisse eodem in populo intelligatur et tabularum quadrata intromittitur species secundum

Introdusă în format electronic de Google

anagogen, quod Daleth littera sonare dicitur: Daleth namque *tabularum* interpretatur. Quarum denique officio Ecclesiæ domus connexa quadrato consurgit culmine. Huic quoties nostra Sion intus forisve suis exigentibus culpis repletur amaritudine furoris Dei, merito lugent viæ, portæ destructæ jacent, sacerdotes gemunt, virginesque squalidæ deplorantur, ut totius tabulatura domus quaternario designata numero concussa videatur. De quibus plane viis idem longe superius propheta dicit: *State in viis, et videte et interrogate vias Domini* (*Jerem.* VI). Et ut alii codices habent: *De viis Domini, quærite quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Ne forte oberrantes a via, idcirco non solum stare jubet, verum et videre, deinde interrogare vias sempiternas, id est patriarchas et prophetas, quæ sit via bona, sicque ambulare in ea. Nec igitur immerito vias dixerim eos jure appellari, per quos ad unam veramque pervenitur viam; ut sicut lux sunt sancti prædicatores dicti, aliisque a Christo nominibus sublimati: ita sint viæ supernæ Sion ac portæ interpretati. Unde et a quodam poetarum (*Prudent.*), prima credendi via Abraham appellatur. Quæ sane viæ quoties deficiunt, et non sunt qui veniunt ad solemnia cœlestis patriæ, lugent et gemunt, **1321** præsertim quia portæ destructæ videntur: ita ut nec ipsi qui officio dicuntur præesse introeant, nec alios introire permittant. Ululat ergo propheta, quod viæ Sion lugeant, ululat et portæ quod destructæ jacent. Quarum unum erat officium perveniendi ad vitæ gaudia, sic unus ploratus et luctus diram ad pœnitentiam. Deinde sacerdotes gementes, dicuntur virgines ejus squalidæ: quatenus squalor respondeat ad destructuram portarum, gemitus ad luctum viarum: sicuti et virginitas recte sacerdotio copulatur, eo quod sint regulæ sacerdotium omnes: sacerdotium quoque non minus castitati aptatur, quam et virginitati decoris. Quibus constupratis gradibus, digne non tam eorum plangitur vita, quam et sequentium reproba in filiis deploratur. Unde omni repleta amaritudine generaliter conqueritur juxta quod dictum est: quia *si compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XII). Præterea si sint qui veniunt corporeis gressibus ad Ecclesiæ limina, pauci admodum in confrequentatione usque ad cornu altaris Dei, qui ejus festiva concelebrent gaudia, dum portæ destructæ sunt, et viæ spinarum sordibus repletæ vacant. Sacerdotes pro culpis gemunt, vitiorum fœditate virginitas squalet. Eisdem malis moraliter anima repleta luget, ingemiscunt olim habitæ virtutes, quia non sunt qui veniant ad solemnitatem ejus sponso sibi sublato. Sponsus autem animæ mox offenditur, cum anima de arce supernæ intentionis ad exteriores post lapsum actiones se dejecerit. Unde volens more solito effectus prioris vitæ recipere, ut ad interna gaudia celebranda occurrant, sentiet quod non sint qui veniant ad ejus votivæ solemnitatis gaudia. Solemnitas ergo ipsius est intima cœlestis vitæ fruitio, ad quam per contemplationem prius ingressa digna non modo A Sion, verum paradisus anima vocabatur. Cujus nimirum viæ lugent, effectus videlicet, quia non sunt, ingruentibus malis, qui veniant ad solemnia divinæ contemplationis, eo quod et portæ, quinque scilicet sensuum, destructæ jacent: nam sicut sunt portæ mortis, ita et justitiæ. De quibus sane portis: *Aperite mihi* (psalmus inquit) *portas justitiæ, et ingressus in eas, deinde confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intrabunt per eam* (*Psal.* CXVII). Et Isaias: *Aperite portas et ingrediatur gens justa* (*Isa.* XVII). Quas dum angeli aperiunt, non ille Judæorum abjectus **1322** intrat populus, sed gens fidelium turmæque virtutum. Quas nullus ingreditur, nisi qui de portis mortis, vitiorum scilicet, elevatur, ut annuntiet omnes laudes Christi in portis divinæ contemplationis. B Sed *quia mors* ad nos introivit *per fenestras nostras* (*Jerem.* IX), squalet virginitas animæ, et regale nostrum gemit sacerdotium, dum replemur pro virtutibus vitiis amaritudine delictorum. Et ideo primum egrediamur de portis mortis, quæ prævalere nequeunt adversus Apostolum. Deinde portas per quas mors introiit, sensus videlicet nostros, rursus ædificemus interrogantes quæ sit via bona de viis Domini: quia sunt viæ quæ videntur hominibus bonæ, quarum novissima demergunt in profundum inferni. Idcirco et si multæ sunt viæ, multæque januæ, una semper in capite teneatur, per quam solummodo justi ingrediuntur ad vitam et pergunt per eam.

HE.

C *Facti sunt hostes ejus in capite, inimici illius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus. Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.* Quærendum, quando vel ubi Dominus locutus sit super eam, aut quid locutus sit, ne forte ideo talia eis contigisse aliquis dicat: Quia Dominus locutus est, quod multis Scripturarum in locis ita simpliciter dictum reperies, quasi Dei sententia præscribere aliquem videatur ad id quod infertur. Sed non ita intelligendum, alioquin Deus injustus videretur: nam de hac sententia legimus in Deuteronomio, quod præceperit Moyses stare Ruben cæterasque tribus super montem Hebel ad maledicendum, si Dei noluerint audire et custodire mandata, sicuti e D regione alia ad benedicendum si obedierint, nec declinaverint ab ejus præceptis. Inter quæ nimirum maledicta: *Si nolueris audire vocem Domini Dei tui*, inquit, *ut custodias et facias omnia mandata ejus, tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos, et dispergaris per omnia regna terræ, opprimarisque violentia nec habeas qui te liberet. Filii tui et filiæ tradentur alteri populo, videntibus oculis tuis et deficientibus ad conspectum eorum tota die, nec sit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, et labores* **1323** *tuos comedat populus quem ignoras, sisque semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus: filios generabis, ac filias, et non frueris, quoniam ducentur in captivitatem. Advena qui tecum versatur in terra,*

Introdusă în format electronic de Google

ascendet super te, eritque sublimior : tu autem descendes, et eris inferior. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam (*Deut.* XXVIII). Hoc totum quare dixerim? Quatenus ex hoc intelligeres quid Dominus vel quale locutus fuerit super iniquitatem Jerusalem : non ut præscriberet eam sculpam sed ut monendo revocaret. Quod quia noluit obedire, hæc omnia justo Dei judicio accidisse, quæ propheta lacrymabiliter deplorat : et nihil ex omnibus prophetiæ verbis, quæ Moyses minatus est, in aliquo defuisse. Propterea *He*, ut reor, huic capitulo præponitur. He siquidem *ista* interpretatur. Et est sensus, quia relativum vel demonstrativum est, quod ista sunt judicia adimpleta, quæ Moyses olim, si peccassent Domino, comminabatur. Unde quoties nostræ Jerusalem, præsenti videlicet Ecclesiæ, talia contigerint delictorum judicia, valde ingemiscendum : quia fiunt hostes ejus in capite, scilicet aut hæretici, aut pagani, sicut in multis jam cernimus ecclesiis, certe aut mali et pessimi Christiani, qui non minus et ipsi hostes jure sunt appellati, et locupletantur inimici facundia disputandi, cum sit multa intelligentiæ penuria in viris quam sæpe ecclesiasticis, in tantum, ut de his quod propheta minatur, jure dictum accipiat : *Mittam in eis non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei* (*Amos*, VIII). Quod cum tollitur, quia gladius Spiritus sancti est (*Ephes.* VI), recte hostes, hæretici videlicet et pervasores ecclesiarum Dei fiunt in capite, et de Scripturarum sanctarum dogmatibus locupletantur, propter multitudinem iniquitatum nostrarum. Deinde (*Isa.* LVI) *canes muti*, quia non valuimus *latrare*, orthodoxam videlicet fidem defendere, aut plebibus debitam eruditionis doctrinam impendere. Parvuli dicuntur captivi ante faciem tribulantis. Ergo quia parvuli sunt in doctrina, non habentes rectores ac defensores ecclesiarum, qui sollicitudinem et curam gerant pro his pastoralem, ducuntur (aut ab invisibilibus inimicis captivi, aut certe a visibilibus) non minus in errorem quam et ad flagitia vitiorum ante faciem tribulantis : ita ut et illecti habeant a quibus **1324** ducantur, vinculis delictorum suorum constricti, et eant jam ante faciem tribulantis, etsi inviti, ne possint redire aut de sub jugo se excutere vitiorum. Infelix nimirum, et valde lugenda, juxta moralem intelligentiam, animæ nostræ captivitas, quando jam et ei hostes sunt in capite, libertate Christi amissa, et inimici maligni videlicet spiritus, de nostris locupletati viribus fortiores. Unde pie monemur : *Si spiritus*, inquit, *scriptam potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccle.* X). Alioquin si non suadentes prius audisset hostes, nequaquam in capite essent. Deinde paulatim usu vitiorum ex crescente, de nostris jam malis actibus, contra nos ipsi adversarii locupletiores fortioresque fiunt, ita ut nisi auxilio Dei effugere non valeamus. Sed quomodo effugere possimus, cum pius Dominus (nostris irritatus malis, jam propter pœnam peccati, et iniquitatum nostrarum vindictam) ista locutus sit, qui *semel loquitur* (juxta Job) *et idipsum non repetit?* (*Job* XXXIII). Verumtamen non adeo desperandum neque a colluctatione cessandum : quia non nisi parvuli aut imbecilles, certe aut negligentes ista tenus capiuntur. Quæ nimirum captivitas valde horrenda, cum et traheris multis irretitus laqueis, ne ab his deflecti aut cessare queas ante faciem tribulantis, quæ male cœpisti. Vides namque quo duceris interdum, et sentis a quibus minaris, nec tamen reluctari prævales, nec resistere, donec miserante Deo disrumpantur vincula, rursus et solvatur captivitas. Intelligit profecto quæ dico, quicunque infirmatus talibus irretitur vinculis, cum volet se nec valet expedire, contra quem desævit jam pœna peccati, et hostes de suis locupletiores facti viribus, oppugnant tantum in capite, ut aliquando etiam ipsam boni intentionem polluant. Deinde tanto eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent : necnon et longior usus atque carnis oblectamenta sæpe præpediunt et illiciunt animam renitentem, juxta quod per Salomonem in Proverbiis dicitur : *Qui servum suum a pueritia nutrit in deliciis, postea sentiet eum contumacem* (*Prov.* XXIX). Carnem volens carnalesque affectus ostendere, a quibus vix aut nunquam, nisi gratia Dei liberamur. Et tanto difficilius ac durius, quanto et pravæ menti quasi superiores in capite fortioresque dominantur.

VAU.

1325 *Egressa est a filia Sion omnis decor ejus. Facti sunt principes ejus velut arietes non habentes pascua.* Ubi vau præponitur, quod interpretatur *et*, ut sit sensus quod ista superius præmissa, et ea quæ nunc dicuntur, de reciprocatione veniunt vindictæ : ideoque per eam litteram, qua sub una copulativa conjunctione, duæ judiciorum Dei annectuntur sententiæ. Obsessa quippe Jerusalem, exterius omnem decorem pulchritudinis suæ atque jucunditatis perdiderat, intrinsecus rebus exspoliatis, temploque ac sacerdotio destructo, ipsaque fame ac pestilentia laborans, nullius ope sustentabatur, ex eo quod principes ejus et rectores dissolutis viribus, ut Moyses ex præsagio in suis maledictis præmiserat, pavido corde non defensionem civium, sed fugam, non habentes pascua Christi ante ultimam hanc captivitatem, quem peremerant, inerti torpore meditabantur. Mystice autem egreditur omnis decor a nostra Sion scilicet Ecclesia Christi, quæ vere non modo filia, imo et sponsa nuncupatur. De qua sane in Canticis : *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum* (*Cant.* I); et paulo post : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Egreditur autem omnis decor ab ea, quando hæreticorum rabie depravata, fides intus corrumpitur. De qua recte fide in Psalmo canitur : *Confessionem et decorem induisti amictus lumine* (*Psal.* CIII). Sed tunc omnis egressus decor ab ea jure plangitur, quando arietes ejus, pastores videlicet et rectores, non invenientes pascua vitæ in sacris voluminibus, vadunt

Introdusă în format electronic de Google

absque fortitudine cibi divini, quocunque eos error impulerit ante faciem tribulantis, ut qui minare gregem sibi commissum ante se ad pascua sanctæ vitæ prætermittunt, nec ipsi ea invenientes minimi jam effecti, digni impelluntur ad errores, et vadunt absque robore virtutum ante faciem eorum captivati: quorum *finis* est *interitus*, quia *terrena sapiunt* (*Philip.* III). Omnis enim decor est in universo ordine ecclesiastico, maxime tamen in sacerdotibus Christi, et ministris sacri altaris necnon et in virginibus, quæ supra jam squalidæ memorantur. A quibus tum omnis egressa pulchritudo vel decor jure plangitur, quando non minus rectores ovium, et ministri earum, quam et virginitas fide quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V), intus forisve exspoliantur, nullam gerentes curam pro cultu pietatis, **1326** nullamque sollicitudinem sanctarum virtutum ex meditatione divinæ legis, sed luxu voluptatum suarum, per varia scelerum suorum desideria, juxtà suggestionem cogentis hostis, abducuntur. Cujus periculi malum eos maxime respicit, qui in loco regiminis constituti, potius sæcularia desideria, quam mandatorum vestigia sectantes, non solum se quam et alios suis exemplis et negligentia peremerunt. A quibus ratione judicii deperit, vestimentorum gloria pravis actibus obfuscatur. Sic et anima illecta malis moribus decorem suum reliquit, quando per incuriam cogitationum suarum, virtutum perdidit ornamentum, nec ei subveniunt principes sui, rationales scilicet animi sui motus, vel sanctarum Scripturarum doctrinæ tractatus, in quibus resistere debuit persequentibus se inimicis ac minantibus: verum magis defecto virtutum robore, suis astricta delictorum nexibus, propellitur in foveam æternæ confusionis.

ZAIN.

Et recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, prævaricationis: omnium desiderabilium suorum quæ habuerat a diebus antiquis cum caderet populus ejus in manu hostili. Non ad consolationem, sed ad dolorem magis et luctum recordata dicitur Jerusalem, *cum caderet populus in manu hostili omnium desiderabilium suorum quæ habuerat*, quia hoc est perfecta ultio, non ut minus dolcas pro bonis quæ habueras ab hostibus direptis, quam quæ pro malis, quæ toleras, ab eisdem sine ulla consolatione tibi illatis. Et hæc est Zain, quæ in principio notatur. Zain ergo littera *hæc* sonare dicitur, ut sit titulus dictionis, quod hæc sit divina peccatorum perfectaque ultio longe a divinæ legis latore Judæis repromissa, cum caderet in manibus hostium, quod nullus futurus esset eis auxiliator, imo: *Viderunt*, inquit, *eam hostes ejus, et deriserunt sabbata ejus.* Quod et nos usque hodie facimus, videntes otiosa et supervacua sabbata Judæorum deridemus: quoniam eum in quem requiescere, vera requie, debuerant, perimentes amiserunt. Et hæc est (ut diximus) perfecta delictorum compensatio: primum in manibus hostium cadere, deinde recordari non solum dierum afflictionis jugiter, sed et prævaricationis, necnon omnium desiderabilium bonorum rerum usus inhiare: ut de afflictione novus quotidie nascatur dolor, de prævaricatione vero mœror confusionis, **1327** et de habitis bonis, semper innovetur ardor irremediabilis concupiscentiarum. Porro et de officio suæ religionis opprobrium ac derisio inter affligentes se, ut infertur diræ crudelitatis. Quid putas inter tot angustias, quid recordari poterat gens illa, dierum, quando egressa est de Ægypto cum signis et mirabilibus (*Exod.* XIV); quando eis Deus dux erat, et comes itineris; quando columna ignis præcedebat in nocte, et columna nubis die; quando fluebat eis manna de cœlo (*Exod.* XVI); et castra eis exercitus angelorum: vel multa talia et hujusmodi facta huic populo quæ leguntur? Quid putas omnium rerum desiderabilium cum recordarentur, quantis poterant doloribus prægravari? Juxta spiritualem vero intelligentiam, Jerusalem nostra cum sæpe intueatur, quod cadat populus ejus in manu hostium inimicorum, et recordatur dierum prævaricationis nostræ atque afflictionum, quibus impugnamur ab hostibus, quid videtur quantus immineat luctus ac gemitus? Cum ergo alius per superbiam, alius per avaritiam, alius vero per luxuriam corruit in flagitia, necnon et per mundi oblectamenta carnisque desideria. Cum multos cadere quotidie conspiciat in manu hostium inimicorum, quid æstimas sponsa Christi inter tot miseriarum nostrarum scelera et damna, quanta in suis electis pro nobis adhibeat lamenta, quantasque lacrymas? Deinde cum recordatur, charitate perfusa, omnium desiderabilium quæ nobis in cœlestibus sunt data omnium sanctorum consortia, unde et nos prolabimur, et ipsa peregrinatur. Quæso quanto mœrore afficitur, cogitare non pigeat, præsertim cum et solemnitatis nostræ atque sabbata festivitatum non minus violantur a nobis, quam et ab hostibus deridentur; necnon ubi vel quis sit Deus noster, frequenter quæritur. Unde unus sanctorum: *Fuerunt*, inquit, *mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* (*Psal.* XLI.) Secundum moralem vero intelligentiam, anima tunc licet sero recordatur omnium desiderabilium suorum cum conspicit se undique ab immundis spiritibus arctari, et in manu hostili omnes affectus sui cordis corruere, vel quidquid in ea stare securius videbatur, omnia sibi pro vastitate dæmonum in ruinam venire ultionis divinæ. Tunc quippe prævaricationis omnia facta occurrunt, tunc afflictionis pessimæ, qua per multa oberraverat facinora, recordatio, non ad suffragium consolationis, sed **1328** ad augmentum pœnæ occurrit, juxta illud quod (Scriptura teste) impii sunt in inferno dicturi: *Erravimus ergo a via veritatis, et justitiæ nobis lumen non luxit, sol non est ortus nobis: lassati sumus in via iniquitatis et perditionis: vias ambulavimus difficiles, viam Domini ignoravimus* (*Sap.* V). Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum opulentia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra mortis, in mali

Introdusă în format electronic de Google

gaitate nostra consumpti sumus. Nec dubium quin derident ipsi magni Spiritus otium, quod negligentes inutiliter ducunt, per præsentis vitæ spatia. Idcirco sequitur : *Viderunt hostes et deriserunt Sabbata ejus.* Hostes enim Sabbata videntes animæ tunc irrident cum maligni spiritus ipse vacationis nostræ otia ad cogitationes illicitas pertrahunt. Quid valde monachis præcavendum est, vel his qui sæculi actibus vacare videntur, ne forte vanis occupentur studiis, et eorum Sabbata non solum ab interno reprobentur judice, verum derideantur ab hostibus. Nam unaquæque anima quæ remota ab externis actionibus servire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famulatur. Quod si de vanis cogitationibus nostra Sabbata deridentur, pertimescendum valde quid de his agendum, qui sub ipso vitæ spatio, etiam varia flagitia committunt. Unde si vacare volumus, soli Deo vacemus juxta illud : *Vacate et videte quoniam suavis est Dominus beatus vir qui sperat in eo* (*Psal.* XXXIII).

A

B

HETH.

Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificabant eam spreverunt illam. Causam vindictæ in principio expressit hujus sententiæ, quia ob magnitudinem scelerum Jerusalem illa, quæ in servitutem genuit filios transmigrationis, promuerit excidium. Sed quærendum quod peccatum peccaverit tam nefandum, ut pro omnibus hoc unum reputetur ei ad damnationis cumulum? Hinc puto quod et Dominus in Evangelio de Judæis : *Si non venissem,* inquit, *et locutus fuissem eis, peccatum non haberent* (*Joan.* XV). Quid est quod dicit, *peccatum non haberent?* Nunquid sine peccato erant antequam Christus ad eos venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed est magnum quoddam peccatum : quod peccavit Jerusalem, et quod quia Christus venit et locutus est eis, Judæi habuerunt, et non de omni peccato dictum accipiendum. Est autem **1329** aliquod peccatum quo tenentur omnia peccata, quod si unusquisque non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est plane peccatum incredulitatis, quo gens illa semper fuit detenta, idola colendo : quia in Christum credere noluerunt, qui propterea venit, ut crederetur in eum. Quod sane peccatum, si non venisset, non utique haberent (*Joan.* XV). Adventus quippe ejus, quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus, exitiabilis factus est. Unde Dominus *videns civitatem* illam, *flevit super eam : quia si cognovisses* (inquit) *et tu*, ut subaudiatur fleres. Deinde causam sui fletus denuntiat : *Non relinquent in te lapidem super lapidem : eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ* (*Luc.* XIX). Quod quia non cognovit Jerusalem, et semper idololatra exstiterat et incredula, idcirco instabilis facta est, et non est in ea lapis super lapidem derelictus. *Et omnes qui glorificabant eam, spreverunt eam : quia viderunt ignominiam ejus.* Juxta illud Isaiæ : *Populo meus, qui te beatificant, ipsi te decipiunt, et viam gressuum dissipant sive conturbant* (*Isa.* III). Volens Scribas et Pharisæos ostendere, quos idem prophèta exactores appellarat, non magistros, necnon et supra illusores, qui propter munera quæ excæcant etiam sapientes, non solum peccatores in populo non corripiebant, verum pro divitiis atque suis commodis, magnis efferebant laudibus. Et hinc e contrario, plebs delinquens beatos vocabat eos, et columnas domus Dei, et cætera quæ solent adulatores proferre. *Ipsa* (inquit) *gemens et conversa est retrorsum.* Formam exprimit eorum qui captivantur quod dum eunt ante faciem subsequentis, frequenter retro respiciunt dolentes ad solum patriæ, dulciora ea quæ retro sunt, cogitantes ac gementes suspirant. Cæterum juxta anagogem, quoties nostra Jerusalem aliqua depravatur hæresi in suis membris, quia peccavit peccatum, instabilis pervagatur, et nulla soliditate fidei ubi vel ubi figitur, eo quod quia videbatur fundata super soliditatem petræ, quæ Christus est, in eo noluit permanere. Quos qui glorificabant plebeio affectu, cum viderint ignominiam eorum detectam, et conculcatam ab orthodoxis verisque catholicis, spernunt et detestantur eos, cum abhorruerint quod conversi sunt retrorsum. Sed quia Heth huic sapphico præponitur, quod *vita* interpretatur, quærendum quomodo recte in principio vita prætitulatur, ubi non aliud nisi exitium et pœna peccati denuntiatur, **1330** nisi quod finis hujus lamenti quid innuerit, designat : cum a principio hujus operis non alius quam propheta gemit et loquitur. Nunc autem quantum ad tropologiam attinet, animæ vita est post lapsum criminis, post vincula, post captivitatem, non semper in Babylonem, id est in confusionem vitiorum intendere, et in exteras tenebras ire, imo retrorsum ad lucem respicere, ad patriam, de qua longe captiva ducitur, gemens jugiter suspirare. Nam de peccato perfidiæ contingit, quod infelix sit vel instabilis, et per diversa rapiatur. Alioquin si semper super petram virtutum fixos haberet gressus, nequaquam vis ventorum vel tempestatum flumina de statione fidei suæ depellerent. Sed nonnunquam evenit ut anima plena sordibus atque despecta pro suæ confusionis ignominia, respiciens retrorsum ad ea quæ amiserat, vel sero ingemiscat. Et hæc est vita de tenebris ad lucem respicere, de confusione peccatorum, id est de Babylone ad illam cœlestem Jerusalem, licet retrorsum ingemiscere, et de vitiis ad virtutes gressum deflectere. Non enim semper malum est retro redire, vocemque post tergum monentis audire, juxta quod Isaias fatetur dicens : *Et erunt* (inquit) *oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audientes verbum post tergum monentis* (*Isa.* XXX). Quia profecto nos ei tergum dedimus, pius ac clemens Dominus non dedignatur revocare nos de post tergum nostris exasperatus malis, ut ad eum quasi retrorsum faciem convertamus, et unde decidimus, redeamus. Hinc sane angelus in Apocalypsi Joannis : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam, prioraque tua* (inquit) *opera fac* (*Apoc.* II).

C

D

Introdusă în format electronic de Google

Et hoc est retrorsum animæ ingemiscere, ad eum per quotidiana lamenta redire, plenaque charitatis opera adimplere. Nam et Maria cum de Domini dubitaret resurrectionis regressu, prospiciens in monumentum, licet ad angelos in albis sedentes intenderet, donec retrorsum respiceret, Jesum quem quærebat, minime invenit. Hincque Evangelista : *Conversa est* (inquit) *retrorsum, et vidit Jesum stantem* (*Joan.* XX). Retro ergo stabat, saltem eam ut post tergum moneret, qui cum illa aversa erat. Conversa retrorsum gemens, mox vidit quem quærebat, quem cum Judæis prius mortuum credebat. Sic quippe Jerusalem illa, quæ peccatum peccasse impietatis plangitur : quia multi ex ea Christum recognoscentes et credentes, retrorsum ad eum ingemiscens, mox **1331** eum in lege quem mortuum æstimabat, invenit. Qui vero ad dexteras ire ultronei decreverunt usque hodie illuc, huc illucque instabiles, ac sic cum Cain portant ignominiæ suæ signum (*Gen.* IV), et semper captivi ad Babylonem scilicet in confusionem trahuntur. Unde velim agas anima tandem expergiscere. Noli quæso, licet in profundo malorum demersa, contemnere, retrorsum ad ea quæ omiseras virtutum opera suspirans memento unde ecciderας. Quod si quæris, Unde? sane de cœlo, ubi nostra conversatio esse legitur. Unde Paulus : *Nostra* (inquit) *conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Memento quo nomen tuum, quando ad baptismi gratiam intrasti, dederas, et in libro vitæ diligentius conscribendum transmiseras. Quod si ecciderisse te recognoscis, nomenque deletum, tuis ingruentibus malis, existimas, si nihil aliud quam tenebras mortemque hactenus intendis, retrorsum respice conversus, et audi vocem te post tergum monentis gemens (*Isa.* XXX) : fateor, quod mox vitam tibi, Jesum scilicet astantem, invenies. Quem si sequi non desieris fide ascendentem ad Patrem, eamdem vitam illuc, unde corrueras, repositam invenies.

TETH.

Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui. Reposita est vehementer, non habens consolatorem. Cœptum servat luctum, quod instabilis facta est Jerusalem nimis, et ideo more semper viantium sordes se plorat habere in pedibus : non quod ad litteram solummodo eam lugeat tantus propheta, eo quod sordidos gesserit pedes, quod frivolum satis videri potest, sed quia secundum interiorem hominem pollutos habeat gressus. Unde sordes (inquit) ejus in pedibus ejus. Habuit autem et Synagoga pedes suos, eos videlicet, qui eam afferre debuerant per viam, quæ Christus est, ad omnia virtutum incitamenta. In quibus profecto quia sordes ejus erant scelera videlicet et delicta, non est recordata finis sui; idcirco *deposita est vehementer*, de solio regni ad ignominiam tantæ captivitatis. Dupliciter namque illam plangit, aut tripliciter. Vel quia tanta gens illa contra Deum admiserit piacula, vel quia pro his imA præsentiarum sine fructu pœnitentiæ tam nefanda pertulit discrimina. Deinde, quod gravius est, post flagella quia noluit ad Deum redire, atrociora sibi attraxit supplicia. *Hinc quoque non est* (inquit) *recordata finis sui. Finis* autem *legis ad justitiam Christus* (*Rom.* X). Et inde est omne quod sustinuit, **1332** quia noluit recordari, vel recipere, qui finis est nominis ejusdem legis ad gratiam, quam et totius consummationis sæculi ad perfectionem. Pro quo tantis perpessa malis, vix tandem propria sua voce vehementer exclamat, dicens : *Vide, Domine, afflictionem meam; quoniam erectus est inimicus meus.* A principio namque hujus fletus, usque ad hunc locum, lamentationes prophetæ sunt ac verba. Ab hinc autem, jam ipsa sua incipit deflere delicta, vel retributionis suæ supplicia. Et ideo reor, quod jure B Teth littera præponitur : Teth quippe *bonum* interpretatur. *Bonum* (inquit propheta) *quod humiliasti me* (*Psal.* CXVIII). Ergo humiliata Jerusalem in omnibus vehementer, jam non prophetam sustinet plorantem, sed ipsa cum ingenti luctu exclamat, dicens : *Vide, Domine, afflictionem meam*, ac deinde more juridico vult judicem Deum excitare ad zelum et odium hostium. *Quoniam erectus est* (inquit) *inimicus meus.* Ac si dicat, contra te in superbiam, eo quod non tuum factum judicio in me judicet, sed suis deputet viribus, suaque laudet numina; idcirco vide primum afflictionem meam erudelem, et non facinora, pro quibus ista patior : deinde quod erectus est contra me inimicus meus. Mystice autem, C nostra Jerusalem sordes gestat in pedibus : quia in hujus vitæ solitudine, nemo sine squalore incedit vitiorum, saltem in pedibus, quibus terram premimus. Unde et Dominus cum formam humilitatis suis traderet discipulis, pedes eorum lavit, et ad invicem eos lavare jubet (*Joan.* XIII), ut intelligamus disciplinam humilitatis in pulverea vita, qua nemo sine sordibus ambulat. Propterea et alibi (*Matth.* X; *Isa.* LII; *Rom.* X) apostolis excutere de pedibus pulverem jubet, quamvis speciosi dicantur pedes (juxta Apostolum) evangelizantium bona, evangelizantium pacem. Apostolos volens intelligi vel apostolicos viros, quorum (ut dixi) Dominus idcirco pedes lavit, ut pulchri essent et mundi ad prædicandum, ut in toto terrarum orbe mundi ac speciosi discurrerent, D brevique doctrina Christi mundum implerent. De quibus plane prædicatoribus, Christus ad sponsam in Canticis : *Quam pulchri sunt* (inquit) *gressus tui in calceamentis tuis filia principis* (*Cant.* VII). Qui pulchri quidem via præceptorum Dei currentes, aliis Ecclesiæ membris ducatum præstando collaudantur : non sui nuditate arbitrii, sed munitione atque protectione divinæ reparationis. Ex quo et gressus collaudantur pulchri in calceamentis, *et calceati* **1333** *pedes in præparatione Evangelii pacis esse jubentur* (*Ephes.* VI). Alioquin gemebundi electi plangunt non immerito impræsentiarum sacerdotum reprobam vitam, et dicunt quod sordes sponsi Christi in pedibus ejus, nec sunt recordati finis sui : quia si

Introdusă în format electronic de Google

omnino esset eorum culpa, totius Ecclesiæ ruina non esset. Habent enim et ipsi pulchritudinem suam, sed non illam a Domino, quæ laudantur. Unde quoties venit sponsus, pulsans ad ostium Ecclesiæ, multis eam tribulationibus stimulatam invenit, aut securam eam nimiis affluentem deliciis, carnisque occupatam operibus, per quæ hostis ad eam ingressus, clausit ostium cordis, ne sponsi pateat intrandi locus, cum dicit : *Aperi mihi, soror mea amica, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore* (*Cant.* v), vel cætera quæ sequuntur. Quibus profecto quam sæpe mali sacerdotes blanditiis deliniti, nequaquam intelligunt sororem Christi et amicam, nequaquam satagunt eam excitare ut solido corde sponsi sui adventum ingemiscat, simplex ut columba, immaculataque maneat. Imo si non verbis de talibus, et pro talibus opere ipsa loquitur : *Exspoliavi me tunica mea, quomodo reinduar illam?* (*Ibid.*) Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quia omnimodo pessima consuetudo vix aut nunquam tollitur. Unde doctores exspoliati tunica charitatis, quæ sola cooperit sordes peccatorum, torpent, ac si puellarum delicata aliqua lotisque pedibus exspoliata, de lectulo quietis nolit assurgere, pravaque consuetudinis suæ oblectamenta revocare : sicque tales nolunt dilectionis Dei et proximi tunicam exspoliati reinduere, nolunt pedes, quos semel de via angusta subtraxerant, per malam deliciarum consuetudinem et desidiæ, quasi aqua lotos, cum magna contritione cordis rursus ad præparationem Evangelii dirigere : quibus quasi exosa est jam omnis vilitas et contemptus sæculi, omniaque sanctorum exempla et rigor, atque paupertatis Christi disciplina (*Ephes.* VI). Qui licet molliter requiescant accurati cute, tamen sordes vitiorum gestant in pedibus. Unde sanctorum chorus plorans : *Sordes* (inquit) *ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui :* quia omnino tales finis sui si recordarentur judiciorum, nunquam sic exorbitarent a via, quamvis angusta dicatur. Hinc quoque *deposita est* (inquit) *vehementer, non habens consolatorem.* Quia etsi videntur stare suis exornati deliciarum infulis, depositi sunt jam in conspectu divinæ majestatis, **1334** non habentes Spiritum sanctum consolatorem, qui alios consolari debuerant, et ab omnibus revelare angustiis. Tropologice vero, anima sordes suis habet in pedibus, quæ vitiorum polluta sordibus, thronum cœlestis vitæ perdiderit, et candorem pristinæ conversationis. De qua bene per Isaiam : *Consurge* (inquit) *Jerusalem, excutere de pulvere, consurge et sede* (*Isa.* LII). Neque enim fieri potest ut anima quæ foris exposuerit vias suas transeuntibus, terrenisque se sociaverit actibus, ne sordes habeat in pedibus. Unde quidam sanctorum : *Humiliata est* (ait) *in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster* (*Psal.* XLIII). A quibus denique sordibus quotidie lavandi sunt pedes, ne forte obliviscamur finis nostri, et deponamur ad ignominiam culparum, absque ullo intrinsecus consolatore. Dicat ergo anima, dicat et Ecclesia talibus sordidata vel deposita pulvereis actibus : Vide, *Domine, afflictionem meam,* qua me indesinenter affligit inimicus meus, et considera non peccatum quidem ut punias, sed afflictionem, qua affligor, ut liberer : quoniam erectus est inimicus meus, qui non tuis ascribit judiciis, quod prævalet, sed quod liberare nequeas insultet. Ex quo propheta David, *Multi dicunt* (inquit) *animæ meæ, non est illi salus in Deo ejus* (*Psal.* III). Idcirco cum ingenti gemitu anima nunc implorat : *Vide, Domine,* et cætera quæ sequuntur.

JOD.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam. Ubi Jod quantum intelligo, recte præponitur : quatenus scire liceat quod principium ruinæ Jerusalem, eorumque animarum fuit : *quia Dominus vidit gentes ingressas sanctuarium suum,* spiritus videlicet immundos, carnalesque affectus, de quibus mandarat prius ne intrarent in Ecclesiam suam. Et ideo quia primum ingressæ sunt in animabus eorum gentes immundarum cogitationum, misit hostis manum suam audacter et potenter ad omnia desiderabilia ejus, scilicet ad Sancta sanctorum, quibus non licebat, nisi solis sacerdotibus, introire in anno cum sanguine (*Exod.* XXX). Misit quidem manum, et abstulit omnia vasa decoris, et profanavit sanctuarium Dei, Sancta sanctorumque prostituit, dejecit, ac polluit (*Ezech.* XXIII) : quia prius Dominus ob immanitatem scelerum, repulit ea **1335** in quibus habitaverat inter homines, et *tradidit in captivitatem virtutes eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici. Conclusit* quidem *in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit* (*Psal.* LXXVII). Secundum anagogem vero, et si pauca præmiscuimus, habet sponsa Christi Jerusalem, quæ est mater nostra, sua desiderabilia, ex quibus non licet edere qui ex adverso sunt. Ad quæ nimirum hostis interdum manum mittit, quia prius gentes ingrediuntur sanctuarium Dei, carnis amplectentes præputium, et non habentes circumcisionem Christi, mali videlicet ministri altaris, seu hæretici, qui magis etiam ad offensa provocant oculos divinæ majestatis. Pro quorum delictis et erratibus, misit hostis manum suam ad omnia desiderabilia ejus, fidem individuæ Trinitatis contaminans, baptisma rescindens, corpus et sanguinem Christi indigne contrectans, doctrinam suam corrumpens, omnia quæque vasorum pretiosa, scilicet oves Christi, quasi lupus devastans. Et hoc est principium tanti piaculi, quia indigni Dei Ecclesiam ingrediuntur. Quod sane malum illis in capite respicit, qui talia, cum possent prohibere ne fierent, negligunt. Sed et anima tropologice plangitur a propheta sanctisque viris, quam ingressi, quibus non erat licitum, eam attingere contaminant, scilicet perversæ cogitationes, et voluptates pravæ. Qui ingressi exterminant signum circumcisionis nostræ : quod est signum fidei, et polluitur incircumcisæ

Introdusă în format electronic de Google

mentis præputio sanctuarium tantæ professionis. Tunc itaque profanato jam templo cordis vitiis, mittit manum suam demum audacter hostis ad omnia ejus desiderabilia, et aufert omnia virtutum ornamenta. Nonnunquam vero primum fidem enervat, deinde judicia aufert, thesauros totius majestatis Dei evacuat, vitiorum incitamenta movet, exacuit virus. Deinde, dum mens deliberat pulsantibus utrum aperiat, quandoque spem immutat, et pro spe rerum omnium invisibilium, quæ non videntur et credantur, futuræ pœnitentiæ spem repromittit, sibi carnalis delectatio jam illecta : sicque quasi securior anima charitate Dei ac proximi sui exspoliatur, tum omnis fidei armatura tollitur, et prosternitur fortitudo, et ex integro hostis ad omnia deinde manum mittere non formidat. Tunc itaque pudicitia corrumpitur, violatur castitas, gulæ concupiscentiam archimagirus ille princeps cocorum exaggerat, ut omnes animæ muros destruat et inflammet, pru-
dentiæ **1336** oculos effodit, justitiæ vestem conscindit, pacem et concordiam tollit, ferit mansuetudinem, modestiam elidit, benignitatem exasperat, ad ultimum aufert gladium Spiritus sancti, et sic quasi devindemiatam omnibus bonis miseram animam sine consolatore, ac nudam in suo sanguine dereliquit.

A

B

CAPH.

Omnis populus ejus gemens, quærens panem. Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide quid profuerit, quod propheta se non plangentem Jerusalem planxerit : nam supra in quibusdam suis se planxisse quasi nobilioribus membris, lugens propheta conqueritur. Nunc vero jam gemens, recepto vitali spiritu, omnis populus perhibetur. Ad hoc quippe gallina fovet ova sua, suoque calore quasi coanimantur, ut formentur omnia introrsus ad vitam. Sicque spirituales viri eos coanimare ac confovere vel plangere consueverunt, qui nesciunt cur plangantur. Cæterum quanta passa sit mala gens Judæorum, in fame, pestilentia, et clade, divini exponunt libri, et Josephi non tacet historia, quibus omnis populus oppressus malis gemit, pretiosa ad refocillandam animam, nullus est qui enumeret : non quod anima istis alatur cibis, sed animam pro præsenti vita posuit, sicuti in aliis quibus invenitur locis.

C

D

Spiritualiter autem recte. Omnis populus lugere dicitur, quando famem verbi Dei patitur, et quærens panem qui de cœlo descendit a doctoribus, nec invenitur (*Joan.* VI). Pro quo sane malo videntes, dolent et gemunt : quia dederunt quæque pretiosa pro cibo, scilicet cœlestia amiserunt pro terrenis, sempiterna pro caducis : ad refocillandam (inquit) animam, et non ad satiandam : quia cuncta impræsentiarum miseram desideriis innumeris, et succensam animam refocillare quidem queunt, satiare vero nunquam. Hinc quoque omnis populus gemens dicitur, et quærens panem quia prava hominum multitudo affligitur et quasi excruciatur, dum non ad votum præsentis vitæ *deliciis* ac *jucunditate* affluentius adimpletur. Tropologice vero anima quæque pretiosa pro cibo dat, quando virtutes mentis in appetitu transitoriæ delectationis inclinat, et refocillari anima nititur, dum perversis suis desideriis satisfacere conatur. Unde omnis populus gemens, et quærens panem, plangitur : quia **1337** licet pretiosa quæque virtutum pro cibo dederint, omnes concupiscentiarum affectus non satiantur, visu vel gustu, cæterisque sensibus. Et ideo si quæ redierint introrsus virtutes ad animam, vel ipsa Dei recreata spiritu una cum omni electorum multitudine, jure plangendo clamare dicitur : *Vide, Domine, et considera, quia facta sum vilis* (*Job* XIX). Ac si dicatur : Facta sum ergo vilis, quia manus Domini tetigit me. Hoc quippe Caph Hebræorum sonare dicitur. Manus igitur Domini cum aut ad puniendo, aut relevanda supplicia, certe aut ad instruendam miseram animam, negligentemque Ecclesiam attigerit. Bene vox ad se rediens, voce sua dicit : *Vide, Domine* (ut supra diximus) non meorum delictorum scelera, sed mala et supplicia quæ patior, et considera tui juris fabricam, *quia facta sum vilis*. Vilis quippe Dei plebs efficitur, quando pravorum numero crescente, infra Ecclesiam non summa et cœlestia, sed abjecta quæque et terrena sectatur. Anima vero quæ prius multis depravata oblectamentis, male gloriabatur elata fastu vitiorum, cum eam manus Domini tetigerit, mox vilem se factam recognoscit, quæ fuerat prius ad imaginem condita sui Creatoris. Alioquin nisi manus Domini eam tangeret, ad tantam humilitatem et gemitum, coram suo conditore, nunquam rediret. Idcirco non absurde Caph, quæ *manus* interpretatur : licet tacite præmittatur, et ut intelligas quæ dixerim, vocem clamoris audi quæ sequitur.

LAMED.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. Quoniam vindemiavit me, et locutus est in die furoris sui. Cui Lamed ante ponitur : Lamed namque *disciplina* vel *cordis* sonat. Et videndum si non disciplina sit prophetalis, talis tantusque peccatorum vel flagitiorum dolor cordisque conversio : nam primum post lamenta retrorsum supra conversa legitur, deinde paulatim jam voce sua clamans, quasi ad sensum redierit semel et secundo : *Vide, Domine* (inquit) *afflictionem meam*, et cætera quæ sequuntur, nisi quod in uno eorum metro ludens more poetico : ita, quoniam erectus est inimicus meus, in fine concluditur, in altero vero, *quoniam vilis facta sum*, terminatur. Nunc quoque quasi receptis viribus, de arce mentis, nescio qua subvecta Sion, culminis **1338** altitudine videns. *O vos* (inquit) *omnes qui transitis per viam*. Etsi ad litteram proprium esse dolentium cognoscitur, tanto laborem suum cæteris plura censere, quanto passionem aliorum minus studuerint

Introdusă în format electronic de Google

intelligere. Unde quo magis dolorem suum sentiunt, inde et aliorum minus suo coæquari consentiunt : tamen si quæ reliquiæ salvæ factæ sunt coram Domino, una cum populo non immerito proclamarunt, quando et sanctificatio deserta omnis deficitur, destruuntur altaria thymiamatis scilicet et holocaustorum, templum ad solum usque diruitur, psalterium eorum humiliatur, hymnus conticuit, et exsultatio tota dissolvitur, lumen candelabri exstinguitur, et arca testamenti diripitur, sancta omnia contaminantur, et vasa quæque pretiosissima transferuntur ad exteros, nomen quoque Dei, quod gravissimum est, super eos quod nominatum erat, profanatur, necnon et libri concremantur ad ignominiam sacræ legis : sacerdotes vero ac levitæ capiuntur, virgines inique constuprantur, et mulieres mœchiam patiuntur : deinde justi cum impiis et sceleratis rapiuntur ad excidium, parvuli alliduntur, juvenes servitute coronantur, et fortes fiunt invalidi : et quod omnium signorum majus est, Sion ipsa quia de gloria sua repulsa est, traditur in manibus impiorum, qui eam semper et Deum oderunt. Pro quibus et hujuscemodi talibus videant quibus mens est ad videndum, si poterit tunc chorus ille sanctaque civitas ejulare, quando non minus cœlestia populus quam et terrena amittebat, prospera et deliciarum oblectamenta : quoniam vindemiaverat eam Dominus, justo judicio suo, omnibus bonis in die iræ suæ, ut locutus est in legis suæ maledictis, et prophetarum eloquiis. Cæterum nostra Sion, cujus jam secundum Apostolum *in cœlis est conversatio* (*Philip.* III), videamus quomodo ab excelso cœli vertice in terris posita sua membra conspiciat, et singula, quæ diximus, de illa terrena cuncta in nobis adimpleta, vel quotidie explenda videat. Unde vociferatur ad eos, qui transeunt per viam, flens et ejulans : *O vos omnes* (inquit) *qui transitis per viam*. Et qui sunt qui transeunt per viam, vel quæ est via per quam transeunt, nisi profecto sancti, de quibus David canit, dicens : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua ?* (*Psal.* CXXV.) Euntes ergo electi, quamvis multis videantur occupari negotiis, agendæ viæ semper eunt, dum quidquid agunt ob amorem cœlestis, cum fide agunt. Deinde *per viam* (*Joan.* XIV), quæ Christus **1339** est, ejus sequentes vestigia, neque a dextris neque in sinistris declinantes, festini vadunt. Ad paschales namque vocati dapes, paschalia celebrantes vota, agnum, utjussum est ex lege (*Exod.* XII), festinantes comedunt. Quos cum aspicit Ecclesia, via regia gradientes ad patriam, ipsa prægnans, quia nutrit filios et generat, multis præpedita parvulorum curis, dolens clamat ac gemens : *O vos omnes*, non ut eos retardet a via, sed ut invitet ad charitatis dona, *attendite*, inquit, mente, *et videte* dilectionis intuitu *si est dolor sicut dolor meus*. Quia secundum sententiam Redemptoris nostri in Evangelio, *mulier cum parit, tristitiam habet* (*Joan.* XVI). Et hæc sponsa Christi virgo, quia parit et generat, nutrit et lactat, omnium nostrum mater in tristitia contristatur, et in humilitate luget : quoniam videt quod pene omnes in perditionem vadunt, et exterminium vitæ : in aliis quidem usque ad mortem periclitatur, ab aliis vero pariens persequitur, alios teneros lactat, alios exasperatos vix ad vias vitæ revocat, alios ire nolentes et pigros exspectat, alios præcipites, ut cum suis eant, castigat, ne forte tales hostis extra castra inveniat : nimirum quia omnes isti transeuntes per viam, cum sponsa Christi in castris militant. De qua sane in Canticis : *Quæ est ista*, inquit, *quæ ascendit per desertum, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ?* (*Cant.* VI.) Ad quos itaque transeuntes vel ascendentes, fit vox ab excelsioribus membris : *O vos omnes, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus*. Quia alia sunt quæ pro his omnibus ingemisco, alia quæ pro his qui intus forisve sunt tolero, alia vero quæ quia differor, ex desiderio sustineo. Pro quibus et aliis hujuscemodi dispendiis vos imploro, quibus cor est, attendite ; licet *ad bravium supernæ vocationis* (*Phil.* III) vos devotio indefessa rapiat. Videte, quæso, dolorem meum, quia juxta exemplar quod mihi ostensum est, volui filios, quos genui producere et compaginari, sed ipsi oberrantes, vel spernentes, aut languentes, pauci sunt qui expediunt iter. Pro quibus (*II Cor.* XI), in diversa rapior : infirmor cum infirmantibus, et uror cum scandalizantibus. Fio Judæis tanquam Judæus, et omnibus omnia sum facta : nec tamen queo ad meliora universos provehere ; idcirco lugeo indesinenter, etiam eos qui peccaverunt et non egerunt pœnitentiam. Distendor sollicitudine multa omnium Ecclesiarum **1340** Dei, et gaudeo *cum gaudentibus*, fleo etiam et *cum flentibus* (*Rom.* XII). Propterea obsecro, *attendite si est dolor sicut dolor meus*, maxime pro talibus, quia immoror. Extendite oculum ad illud extremi judicii tempus, et videte quoniam in die furoris sui messuit me Dominus vel *vindemiavit*, ut locutus est, quod redderet unicuique juxta opera sua ; et ideo palearum multitudinem et stipulam simul cum omni lolio, vel quidquid degeneravit a vero semine, tradidit igni inexstinguibili (*Matth.* XIII, *et* III). Nec tibi videatur, lector, absurdum, quod præteritum super futurum interpretati sumus ex consuetudine prophetarum : quia ea quæ futura sunt, apud Deum jam sic sunt, ut futura sunt : et ideo in Scripturis divinis quam sæpe præterita pro futuris accipiuntur. Anima vero moraliter videns se prægravari vitiis, nec tamen adeo cæcata vel deposita, ne videat alios festinantes cum ingenti desiderio tendere ad supernam patriam, virtutum gressibus : et non dico tendere vel transire, verum etiam evolare cum summa celeritate, quibus sunt pennæ ac si columbæ deargentatæ, posterioraque dorsi earum in pallore auri (*Psal.* LXVII). Quos cum viderit bene per viam virtutum incedere, imo evolare anima quælibet, ut diximus, delictorum oppressa malis, quid putas languens dicat? Quod si oculi sunt ut videat, et cor ut intelligat, nonne mox gemens, licet malis depravata

Introdusă în format electronic de Google

moribus, cum ingenti mœrore jure clamat, dicens : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte*, quibus jaceo sauciata vulneribus, quibus cruciata malis, quibus astricta vinculis, quibusque onerata flagitiorum ponderibus, vel quibus debilitata et illecta? Ruo quotidie passionibus, quoniam justo suo judicio, culpis ingruentibus meis, *vindemiavit me Dominus ut locutus est*, quando jam pro pœna peccati non solum amisi bona virtutum omnia, quibus me decoraverat sponsus, verum retrorsum abii et inferni, de summo cœli vertice, petii profundum. Tradidit me quidem in die furoris sui, meis exacerbatus malis, in reprobum sensum, ut facerem ea quæ non conveniunt (*Rom.* I). Et ideo tantis involuta criminibus, vos omnes qui præsentem contemnitis vitam, nec fixis in eam gressibus, nec quasi viam eam aspicitis, qui vobis viam, quæ Christus est (*Joan.* XIV), elegistis, quæso, *qui transitis*, considerate, si *est dolor sicut dolor meus*, quæ cœlestia et sempiterna, illecta malis, amisi, et tam dira supplicia in die iræ thesaurizavi. Quod si **1341** adhuc aliquid in utero mentis, quasi prægnans habere videor virtutum, et enutrire cupio affectus, mox audio sponsum clamantem : *Væ prægnantibus et nutrientibus* (*Matth.* XXIV), eo quod necdum meis prægravata fœtoribus non dico evolare, verum nec incedere valeo vobiscum. Unde sequitur :

MEM.

De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me. Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum. Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. Ergo de cœlo misisse ignem in ossibus Jerusalem, supernam vindictam insinuat, et ille forte ignis constat missus, de quo in Job (*cap.* I) legimus, quod tactas oves ignis Dei, qui de cœlo descendit, puerosque consumpsit, æthereas insinuans potestates, quibus cruciandi eos usque hodie potestas datur. Et bene in ossibus ignis missus dicitur, ut omnia Judæorum quæcunque fortia esse videbantur, interius exteriusque possessa, flagellis erudirentur, qui pia Dei monita prius noluerunt audire sicque addiscerent, cui omnino deinceps subjici deberent. Unde, inquit, *et erudivit me. Expandit* autem *rete pedibus meis*, quia eos post voluptates et desideria cordis eorum prospere usque ad finem ire non permisit, sed convertit eos retrorsum, ut dolores et durissimas sentirent angustias tribulationis, pro suis pessimis adinventionibus. Quod autem posita ponitur, desolata, tota die mœrore confecta, ipse visus probat quod tota die, scilicet usque ad finem sæculi, semper in desolatione Judæi erunt, mœrore angustiarum confecti. Secundum allegoriam vero, ex ipsis illi qui crediderunt, vel nostra Jerusalem quæ simul una facta est de gentibus, merito *de excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis*, ut omnia virtutum fortia roborarentur intrinsecus in Ecclesia, ut erudiretur divinitus, ne ultra idolis deserviret, et variis oblectaretur sæculi blandimentis. Et hoc est quod Mem littera designatur; Mem namque *ex ipsis* interpretatur. Ex ipsis ergo Spiritus sancti donis, quæ per ignem sunt missa, Christi Ecclesia in ossibus gratulabunda gemit, quod erudierit eam ad doctrinam casti amoris et ex ipsis confunditur et erubescit erroribus et vitiis quibus male deservierat prius. *Expandit*, inquit, *rete pedibus meis, et convertit me retrorsum.* Nimirum rete sanctæ prædicationis expandit coram pedibus electorum Dei, ne irent post vanitates **1342** errorum et concupiscentias vitæ (*II Petr.* II), sicque convertit eos ut irent post se retrorsum. Quod sane rete apostolis commisit expandere (*Luc.* V), vel apostolicis viris, non solum ut eam quæ plorat, retraheret ad viam veritatis, verum ut irretirent et captivarent, ac converterentur retrorsum. Hinc unus electorum, *Ab omni*, inquit, *via mala prohibui pedes meos* (*Psal.* CXVIII). Sed quomodo posuerit eam desolatam, tantis ditatam muneribus, nisi quod impræsentiarum quasi desolata videtur Ecclesia, quæ non præsentia bona requirit, sed æterna? Posita namque est desolata ex his omnibus quæ prius sectabatur, tota die mœrore confecta doloris et amoris. Ex quo supra etiam ad eos qui transeunt, immensas lacrymarum suarum immittit voces. *O vos omnes*, et cætera quæ sequuntur. Porro anima peccatis obnoxia dum pro suis iniquitatibus a Domino nonnunquam corripitur, ad se introrsus rediens, dum salubri dolore compungitur, quasi de excelso in suis ossibus, ac si medullarum cogitationibus, ignem venisse non dubitatur, pro quo divinitus attacta castigatur, et eruditur disciplinis divinis. Et quia sentit retia doctrinarum Dei coram pedibus expansa, vadit retrorsum abstinendo se ab illicitis; luxum voluptatum pristinum, et concupiscentias in lacrymas convertit, et tanto fortius constringendo semetipsam plangit mœrore luctus confecta, nolens illam præsentis vitæ noxiam recipere consolationem, quanto scelestius per varia desideria se diutius considerat oberrasse.

NUN.

Vigilavit jugum iniquitatum mearum in manu ejus : convolutæ sunt, impositæ collo meo. Vigilare igitur jugum iniquitatum suarum deplorat in manu Domini, quia tempus dilatæ vindictæ tandem in eam adrenit. Ergo quasi dormire, jugum iniquitatis eorum fuit, in torpore nequitiæ secure impuneque quiescere. Sed *vigilavit in manu* Domini, juxta quod hic idemque propheta Domino interroganti respondit dicens : *Quid tu vides Jeremia? At ille : Ego*, inquit, *video virgam vigilantem.* Cui Dominus : *Bene*, inquit, *vidisti : quia vigilabo et ego super verbum meum, ut faciam illud* (*Jerem.* I). Quia nimirum licet nobis torpentibus peccata lateant, vigilant semper in manu Domini, dum nos ad vindictam justæ retributionis accusant. Unde Dominus Cain neganti : *Quid fecisti? Ecce*, inquit, **1343** *vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra* (*Gen.* IV). *Et convolutæ sunt*, inquit, *iniquitates scilicet tanti ponderis quo premor, et*

Introdusă în format electronic de Google

impositæ collo meo. Quam bene, inquam, pro torque aurea (*Isa.* III), funiculo iniquitatis, Jerusalem collo suo circumdatur, et quasi jugo premitur, ut vigor virtutis deficiat : quia cumulum peccatorum, quem diuturno tempore variis transgressionibus coacervavit, opprimere se ad suffocandum et constringere ingemiscit. Unde scriptum est : *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V). Et ideo, *infirmata est virtus* Judæorum, *deditque eos Dominus in manu*, de qua, donec plenitudo gentium introeat, *non poterunt surgere* (*Rom.* XI). Et hoc Nun littera denuntiat, quod *sempiternum* interpretatur. Sempiternum enim jugum eorum est, et infirmitas prævaricationis atque captivitas perpetuæ damnationis, qui sine fine si possent peccare decreverunt. Porro juxta mysticos allegoriarum sensus gemit Ecclesia, quoties tentationibus datur innumeris, quod vigilavit jugum iniquitatum ejus in manu Domini, et ideo hostibus tam visibilibus quam invisibilibus affligenda intus forisve subjicitur, amissisque monilibus quæ ab sponso (*Cant.* I) acceperat pro ornamentis, gemit super iniquitates suas. Unde *convolutæ sunt*, inquit, *et impositæ collo meo*. Isaias quidem jam olim dixerat quod dixerit Dominus : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nubibus oculorum ibant et plaudebant, ambulantes et pedibus suis composito gradu incedebant* (*Isa.* III), quod auferenda essent omnia earum ornamenta. Inter quæ nimirum torques et monilia describit sermo propheticus, quæ omnia ad virtutes sunt referenda. Torques quoque quæ ad pectus usque pendentes, intelligentiam ac principale mentis in corde demonstrant, et monilia quæ omnia uno sermone virtutum significant ornamenta. Quibus ergo amissis, ecclesiastici viri spoliantur talibus ornamentis : quia muliebri affectu ambulant, *extento collo* et *nutibus* loquuntur *oculorum*, plaudentque tam manibus quam et pedibus, et *composito incedant gradu*, sæculi sectantes gloriam, et alia quamplurima quæ supra præmiserat. Nec dubium quin jugum iniquitatum eorum vigilet in manu Domini, a quo jure premuntur et trahuntur, qui se tantis exspoliarunt virtutum ornamentis. Unde convolutæ iniquitates in funiculo indissolubili, planguntur ab Ecclesia, quod impositæ sint collo ejus suis scilicet membris, **1344** forte ad suffocandum, sicuti Judam laqueo se suspendisse legimus (*Act.* I), vel ad supplicia pertrahendum. Unde plorans, *Infirmata est*, inquit, *virtus mea, dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere*. Propterea quod extrema ultio omnibus impiis et peccatoribus in fine calamitatis sit futura, nec aliquando a cruciatibus sit cessandum, eo quod in exterioribus tenebris impiorum *vermis non moritur, et ignis non extinguitur* (*Isa.* LXVI). Ubi qui semel ingreditur, jam ulterius egredi non permittitur, sicuti Dominus insinuat : *Et non exies inde*, inquit, *donec novissimum reddas quadrantem* (*Matth.* V), id est, donec anima quæque persolvas delicta. Nam superior sententia sicut ex Mem, id est ex istis, quæ Dominus A de cœlo misit, convertit eam ad pœnitentiam retrorsum : ita ex jugo iniquitatum quod vigilavit in manu Domini, licet ab oculis ejus ablata essent judicia • quia thesaurizavit sibi *iram in die iræ* (*Rom.* II). Non quod *sempiternum* sonat, impegit, ut sit sensus, quod justo Dei judicio, qui corde impœnitenti sibi aggregat iram, supplicium sempiternum, de qua manu non poterit surgere, incurrit : non quod Ecclesia præscita et prædestinata his tradenda sit suppliciis, sed quia quæcunque in membris suis acciderint, sibi deputat. Idcirco hæc tam dira sibi accidisse plangit et plorat. Tropologicus autem patet sensus, quod jugum iniquitatis vigilat in manu Domini animæ, quæ se vitiis et sceleribus subdiderit, nisi ea quotidie pœnitendo coram suis oculis posuerit. Hinc David B quoque : *et peccatum meum* coram *me est semper* (*Psal.* L). Voluit quidem ipse e regione vigilare, ut ea fletibus ablueret, idcirco coram se ea semper statuerat, et ne vigilaret jugum iniquitatum ejus, quod ipse sibi collo imposuerat, in manu Domini, flens ac gemens aiebat : *Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele* (*Ibid.*). Ac si diceret : Nolo tua in manu vigilent, sed oblivioni ea tradas, mihique semper coram assistant, ut puniantur fletibus, et pervigilem reddant. Sed quia misera interdum anima male secura jacet, jugum quod sibi contexuit iniquitatum, propter impœnitudinem cordis oblivioni sibi tradidit : vigilat vero in manu Domini, quia nullum peccatum inultum abibit. Unde et convolutas in collo ejus, mox justus judex iniquitates restituet, qui eas C oblivioni posuerit, ut ferat ipse quæ sibi thesaurizavit. Deinde ad ultimum traditur in manu, *de qua* quisque semel ingressus minime poterit *surgere* : quia dum potuit sempiterna **1445** supplicia, quæ præsens elementum denuntiat, noluit prævidere.

SAMECH.

Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei. Vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos. Nec dubium, quin hæc plenius in illa extrema captivitate Judæis accidisse, quando nullus prophetarum inter eos remansisse creditur . non sacerdos, qui hostias offerret : non scriba doctus in lege, cujus doctrina erudirentur : sicuti Daniel deplorat, dicens : *Domine, non est*, inquit, *in tempore* D *hoc princeps, nec propheta, vel dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam* (*Dan.* III). Sed hæc melius, ut dixi, ad illam referuntur extremam : quia in hac quæ sub Chaldæis accidit, Danielem fuisse nulli dubium inter eos, necnon et Ezechiel ibidem prophetare exorsus est, cæterique prophetæ cum eo. Idcirco in extremis sub Tito et Vespasiano omnes magnifici, quod Samech insinuat, ablati sunt de Juda. Samech quippe *adjutorium* sonat. Tunc ergo omne adjutorium ab eis recessit, quando non solum omnes magnifici captivi ducti sunt, juxta Isaiam : *Auferam*, inquit, *ab Jerusalem validum et fortem, omne robur panis, et omne*

Introdusă în format electronic de Google

robur aquæ, principem et quinquagenarium, ac prudentem mystice loqui (*Isa.* III), et eos omnes, quos longum enumerare duximus verum post passionem Christi omnes gratiæ et donationes sublatæ sunt ab eis. Quando etiam ipsos angelos clamasse legimus in portis Jerusalem : Transeamus ex his sedibus (*Joseph.*). Cæterum mystice nostra Jerusalem, quotiescunque tribulationibus premitur et angustiis, quoties persecutionibus agitatur, vel etiam hæreticorum impugnatur hostibus, nec dubium quin plangit, dicens : *Abstulit Dominus de medio mei omnes magnificos meos ;* in tantum ut legatur quod sæpe in toto orbe terrarum pauci remanserint episcoporum, magnifici vel sacerdotum, qui doctrina sana recte catholicam defenderent fidem. Quod autem gemit, quia vocaverit adversus eam tempus, ut contereret electos ejus, quibus nulla erat fidei defensio vel doctrinarum : non quod tempus ad aliud contrahatur, sed culpis exigentibus suis causa vindictæ Dei accidisse : quoties accidit, lugens plangit et gemit.

Nam secundum tropologiam, anima suos omnes magnificos plangit ablatos, **1346** quando sensus optimos virtutum in se sentit captivos, pro quibus contra eam Dominus vocavit tempus vindictæ, cum suum divinum aufert adjutorium. Hoc sane Samech sonare diximus. Quo ablato, mox eam inimicus vitiis captivam, a statu rectæ fidei et bonæ conversationis in confusionem erroris ducit. Sanctorum prædicatorum doctrinam et exempla, a conspectu cordis ejus, per oblivionem auferens, electos mentis conatus conterit, quatenus eam spoliatam virtutibus, facilius in terra aliena possideat, ne per recordationem sani dogmatis, et meliorationem vitæ, ad statum pristinæ conversationis redeat.

AIN.

Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. Id circo ego plorans et oculus meus deducens aquam. Torcular itaque, juxta Scripturæ sanctæ consuetudinem interdum pro ultione atque suppliciis peccatorum, interdum in congregatione novarum frugum, pro pœnis ponitur atque tormentis, uti est impræsentiarum, quod Jeremias plangens eversionem Jerusalem, ait : *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda ;* ideo ego ploro. Quod et Isaiam cum Dominus quasi cœlos ascendens ab angelis interrogaretur : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari?* respondisse fertur : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* LXIII). Hoc namque *torcular*, in quo et malis supplicia, et bonis præmia calcantur, solus *ipse calcavit Dominus*, qui nullum habuit adjutorem. Neque enim angelus, et archangelus, throni vel dominationes, aut ullus cœlestium potestatum, corpus humanum assumpsit, et pro nobis passus est, et conculcavit adversarias fortitudines, et contrivit, nisi ille qui loquitur in psalmo : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* (*Psal.* XI). Et hoc itaque : *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda* in die passionis suæ, ut et credentibus præmia, non credentibus vero et persequentibus ac crucifigentibus ultio perpetuæ captivitatis et supplicia æternæ damnationis manerent. *Calcavit* ergo hoc *torcular*, quia cuncta adversantia in sua redegit potestate. Sed videns propheta duritiam cordis Judæorum, plorans gemit quod calcaverit ei Salvator *virgini filiæ Juda torcular* adversariæ oppressionis suæ ad liberandum. Ipsa vero e contrario de remedio tormenta sibi tam extremæ captivitatis, quam et perpetuæ damnationis ingessit. Et ideo, inquit, ex persona **1347** ipsius Synagogæ : *Ego plorans, et oculus meus deducens lacrymas : quia factus est a me longe consolator, convertens animam meam.* Quam longe autem a Judæis factus sit consolator, convertens animam eorum, nos ipsi probamus, qui duritiam cordis eorum sæpe aggredimur : quia quanto *prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* CXLIV), tanto elongabitur ab his qui ficte quærunt eum, et nolunt recipere veritatem : oppido, quia Christus veritas est (*Joan.* XIV). Et hoc totum est quod propheta plangit, servans metaphoram : quia vinea quam ex Ægypto plantaverat Dominus (*Psal.* LXXIX) ; ipsa vero diu sterilis et infructuosa permanens dicitur, quod *exspectavit ut faceret uvas, fecit autem labruscas* (*Isa.* V). Unde Dominus torcular quod indidit, calcavit, et quasi pessimis acinis, captivitatem pessimæ invectionis, præparavit. Allegorice autem : *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda*, quando Ecclesiæ per passionem suam omnes ei aerias potestates subjecit. Ipsa est namque virgo filia Judæ, ex qua orta est Ecclesia : quia *de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isa.* II). Cui *calcavit Dominus torcular solus*, pessimæ oppressionis jugum, ut esset libera. Sed quia Christo calcante illud, multi sub eo redeunt in amurcam, ideo plangens propheta : *Oculus*, inquit, *meus* deducit aquam. Propterea et AIN Hebræum anteponitur quod *fons* vel *oculus* interpretatur. Qui nimirum fons, quando prelum crucis pressit, de Christi latere manavit, ex quo, teste evangelista, *mox sanguis et aqua exivit* (*Joan.* XIX). De quo sane fonte, sponsa Christi non solum renascitur, verum et ditatur. Ipse namque nobis est fons vitæ, in morte Christi reseratus, de quo fluunt omnes thesauri sapientiæ Dei atque scientiæ. Et quia Ain etiam *oculus* interpretari dicitur, nec immerito de fonte inebriatus deducens aquam lacrymarum plangitur : *Quia factus est a me*, inquit, *longe consolator, convertens animam meam.* Quoties ergo Ecclesia tribulationibus afficitur, quoties auxilio desolatur divino, ad lacrymas quasi ad consueta recurrit arma. Et notandum, quoties non convertitur, doctore monente, exterius, quia longe est ab ea Paracletus Spiritus, qui eam instruat et erudiat intrinsecus ; idcirco et filii ejus quam sæpe fiunt perditi. Propterea quisquis doctoris officium vult explere, quoties Ecclesiam sibi commissam minus viderit convertentem, de fonte hauriat amoris unde lacrymas producat, donec consolantem conversen-

Introdusă în format electronic de Google

temque advocet **1348** Paracletum Spiritum. Alioquin quandiu, offenso Deo, erigitur inimicus et extollitur : filii qui necdum sunt ablactati, neque possunt in virum perfectum transire, perduntur et affliguntur, quousque a Dei refoveantur et consolentur Spiritu. Tropologice vero, animæ virtutibus infecundæ, et bonis operibus vacuæ, nec fidei fructum gignenti, Dominus torcular calcat, quando eam pro sterilitate sua et otiositate inimica pœnas condignæ vindictæ luere cogit. Hinc quoque secundum superioris interminabilem lamenti luctum, oculus quam districte deducit aquam, consensit se, amisso consolatore, corde impœnitenti ad ea ruere indesinenter, quo fletus oculorum et stridor dentium pronuntiatur. Ex quo fletus ingens animæ dolentis describitur, ut sciat quod post vanam lætitiam hujus mundi, omnis consolatio præsentis vitæ illi est auferenda, fructus uteri sui, malorum scilicet operum, dissipabitur, et solus inimicus inter tormenta varia illius dominabitur.

PHE.

Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam. Mandavit Dominus adversum Jacob, in circuitu ejus hostes ejus. Facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. Quod autem extendisse manus suas Sion plangitur, dolores quasi parturientis insinuat. Unde et alibi : *Sicut expandit natans ad natandum manus suas, sic et Sion inter angustias* (*Isa.* XXV). Et Isaias : *Angustia*, inquit, *possedit me sicut angustia parturientis* (*Isa.* XXI). Quæ nimirum augustia cordis est, et in manibus exclamatio oris. Ideoque Phe in principio versus scribitur, Phe namque *oris* interpretatur. Quia nimirum dum Sion expandit manus suas inter augustias, signum est oris, non valens voce suos pronuntiare gemitus, quia sine consolante multo dolore premitur. Propterea et propheta alius : *Recedite a me*, inquit, *amare flebo. Nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate vel contritione filiæ populi mei* (*Isa.* XXI). Quod dicit, quia *mandavit Dominus adversum Jacob*, ostendit quod ipse Dominus adduxerit super eam, non minus postea Romanos quam et prius Chaldæos. Ex quo patet sensus, quod nunquam non dico adversus eam, verum neque gentem illam adversus aliam consurgere, nisi præcipiente Deo justo veroque suo judicio. *Et facta est Jerusalem, quasi polluta menstruis inter eos.* Quia sicut exsecrabilis est mulier eo tempore quo menstrua patitur, ita et illi exsecrabiles erant **1349** Judæi, et sunt usque hodie tam nobis quam et hostibus suis. Cæterum nostra Jerusalem, quoties hæreticorum vallatur exercitu, noverimus quia Dominus adversum Jacob mandavit, scilicet adversus Ecclesiam, quæ debuit vitia supplantare et doctrinam perversi dogmatis, ut circumdaretur obsidione hæreticorum : quia consolatorem amisit Spiritum sanctum, et doctorem sine quo nullus ad veram eruditur fidem, nullus relevatur a vitiis, nullus poterit consolari inter hostes. Et ideo expandit manus suas quasi ad preces, inter dolores et pressuras, nec est ei ulla vox oris digna quæ possit hostes revincere, suaque defendere dogmata. Unde fit quam sæpe quasi polluta propter fœditates carnalium operum, sanguinolentaque illecebris vitæ desideria inter hostes, a quibus intus forisve impugnatur. Et ideo Dominus de talibus : *Væ prægnantibus et nutrientibus in illa die* (*Marc.* XIII). Porro moraliter anima credentis, quæ quondam erat speculum Dei et supplantatrix vitiorum, cum pro malis actibus suis traditur spiritualiter nequitiis, frustra quærit consolatorem interius : et ideo quam condigne mandavit Dominus adversus Jacob, quondam supplantantem vitia. Nunc vero solo nomine adversus animam eodem decoratam vocabulo : quia noluit subesse Deo, ejusque obedire mandatis, ut in circuitu ejus, undique hostes ejus eam obsident, ne possit effugere. Unde quam sæpe videns se vallatam, *expandit manus suas* inter angustias cogitationum, nec est vox oris, nec ulla excusatio sermonis, nisi quia facta est *quasi polluta menstruis inter* hostes, scilicet cruentis operibus maculata. Quibus profecto menstruis anima quomodo careat, præsertim cum propheta dicat, quod omnes justitiæ nostræ sic sint coram Deo, *quasi pannus menstruatæ* (*Isa.* LXIV). Sequitur :

SADE.

Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum : virgines meæ et juvenes mei abierunt in captivitatem. In principio versus Sade littera exponitur, quæ *justitiæ* interpretatur : et ideo, quia justitia Domini rectæ creduntur. Bene quod justus est Dominus prædicatur : quia, inquit, *os ejus ad iracundiam provocavi.* Oris quidem judicium priori versu ex Phe littera juste pertuli, et ideo Sade scilicet justitiam ejus : quia justus est Dominus, confiteri non distuli, quia *os ejus ad iracundiam* extrinsecus, **1350** quæ spiritualem perdidit consolationem, *provocavi.* Supra etiam eos, qui transeunt per viam scilicet, quasi pauciores; nunc vero ad considerandum Jerusalem vel propheta dolorem suum, indifferenter cum obsecratione universos invitat, quatenus quos una condicto ligat naturæ, una fiat vastitatis ejus compassio. Nam supra virgines squalidas luget, et parvulos ductos esse captivos : nunc vero robustiores quosque juvenes et virgines captivatas plorat. Idcirco quantum accrevit malum, tantum et dolorum gemitus multiplicantur. Unde non quibuslibet dicit, via regia gradientibus, verum omnes ad lamentum invitat. *Audite*, inquit, *obsecro, universi populi, et videte dolorem meum*, quoniam non absque magno intuitu et consideratione discerni potest. Mystice autem Ecclesia supra quam recte oris judicium pertulit, *quia os* Domini, in Scripturis sacris, ad iracundiam provocavit. Quo nimirum judicio correcta, didicit Domino confiteri : *Justus est*, inquit, *Dominus, quia os ejus ad iracundiam* provocavimus. Perducitur namque querela tanti discriminis ad agni-

Introdusă în format electronic de Google

tionem sententiæ justi judicis, ut addiscant cuncti, A si nihil sit sine causa super terram, quod sponsa Christi pretioso redempta sanguine, non sine Dei providentia tantis tunditur tentationum fluctibus, et impugnatur ab hostibus (*Job* v). Etenim confitetur, quia os Domini ad iracundiam provocavit, non quod membra hominis Deum doceat habere, sed sicut affectus humani tropice ascribuntur ei, ita et membra; quia illud incircumscriptum lumen, et immensa Dei majestas, lineamenta corporis non novit habere, sed per os verbum de ore Patris progenitum, se ad iracundiam provocasse confitetur. Ac si dicatur : Meis pravis actibus, justum provocavi judicem, atque compuli natura clementem, duram contra me ferre sententiam. Idcirco *audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum.* Omnes ad B videndum dolorem suum invitat, quia calamitatem suam multiplicem et inæstimabilem perpensat, ut aliorum compassione, anxietatem suam quodammodo allevet. De quo sane sensu jam supra dixisse sufficiat, nisi quod juvenes ac virgines abiisse in captivitatem hoc amplius deplorat. Denique juvenes quos de fonte baptismatis Ecclesia edidit, et virgines quas immortali sponso Christo fide consecravit, quoties aut hæreticorum pravitate corrumpuntur, ac vitiorum usibus constuprantur: **1351** non loco, sed mente in Babylonem, id est in confusionem peccati captivantur : quoniam *qui meretrici conjungitur, unum corpus efficitur* (*I Cor.* VI). Et inde est quod tantus luctus et dolor adhibetur, ut vix ab universis etiam videri vel intelligi credatur. Cæterum C anima quæ jamjam ex oris judicio suppliciis castigatur, jure confitetur, quod justus est Dominus in iis quæ patitur : quia prius pravis illecta desideriis, os Domini (ut dignam pro pœna peccati sententiam contra eam proferret) ad iracundiam provocavit. Non enim aliter potest, quia *justus est in omnibus viis suis, atque operibus suis* (*Psal.* CXLIV). Qua ergo sententia confusionis suæ anima opprobrio perfusa, non audet oculos ante justum judicem, quem ad iracundiam provocavit, erigere, sed ad universos sui consortes clamare non cessat, ut ejus dolorem audiant, ejusque luctum videant. Denique, quia talis est naturæ nostræ affectus, vel doloris nostri vel gaudii, alios quæramus quam sæpe comparticipes, quatenus eorum solatione suffulti, pondus tristitiæ D vel gaudii splendorem levius jucundiusque feramus. Unde ille in Evangelio (*Luc.* XV), qui ovem perditam requisivit, vel mulier quæ drachmam adinvenit, convocant amicos et vicinos volentes habere comparticipes gaudii sui, et consortes lætitiæ. Quanto magis anima debet convocare omnes, quæ suos non audet oculos erigere, pudore confusionis suæ oppressa ad Deum, quem malis suis ad iracundiam conduxerat, ut apud clementem judicem intercessores, per compassionem doloris et amoris, existant? Quod autem juvenes ejus et virgines captivantur, ostendit se magis inde dolere, dum viderit robustiores cordis ejus affectus, vel virgineas cogitationes, in confusionem ire miseræ captivitatis, spem uteri sui ab hostibus violari. Profecto, quia quando quisque viderit sobolem deperire suam, certus est spem futuræ generationis suæ amisisse.

COPH.

Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei, et senes mei, in urbe consumpti sunt : quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam. Primum ergo Coph quærendum quod interpretetur. Coph quidem *vocatio* dicitur. Unde continuo, quasi alludens ad litteram : *Vocavi*, inquit, *amicos meos, et ipsi deceperunt me.* Ægyptios volens significare, quorum semper usi sunt Judæi amicitiis. Sed in tempore primæ captivitatis, aut ultimæ sub **1352** Romanis, ipsi deceperunt illos, quando vocantes eos, in quibus teste Isaia (*cap.* XXX), maxime confidebant, nullum præbuerunt auxilium. Hoc et Rabsacen in eodem prophetæ libro clamasse legimus, quod multam in eis fiduciam habuerint (*Isa.* XXXVI). Sed quomodo eos deceperint vocati, Isaias prodit : *Quia erit*, inquit, *terra Judæ Ægypto in die vastationis eorum, in formidine et pavore : omnis qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam* (*Isa.* XII). Ex quo jure decepti dicuntur, quia magis speraverunt in eis derelicti Dei auxilio : ex quibus non dico quod eis auxilium fuerint, verum exinde magis offenso Deo, etiam eis formido atque pavor pro recordatione eorum accreverit. Quod autem sacerdotes et C senes in urbe consumpti planguntur, nulli dubium quin sub Babyloniis et sub Romanis id accidisse : juxta anagogen vero, Ecclesia vocat sæpe amicos, eos videlicet quos in fide socios habere putat. Ipsi vero eam decipiunt, corrupti fide intus, quia latent, certe aut foris dum ex nobis exierunt, e contra quia pugnant (*I Joan.* II). Necnon et mali Christiani quilibet sublimioris præfecturæ in fascibus constituti, quorum sæpe utitur Ecclesia amicitiis, interdum eam decipiunt quibuslibet pravitatis suæ ingeniis, vel illecebrosæ vitæ exemplis : non quod amici sint hi, sed juxta antiphrasin, eo quod sint quasi socii mensæ, scelerati fide, et operibus Ecclesiæ deceptores; et quod pejus est, tunc tales contra eos crudelius sæviunt, cum sacerdotes et senes (quos Græci γέροντας vocant) in nobis fame verbi Dei consumpti laborant : præsertim, quia sectantes carnalis vitæ lucra, magis quærunt cibum quo miseram refocillent vitam (uti jam supra exposuimus), quam epulas illas cœlestes de ferculo Salomonis (*Cant.* III), et ex prandio quod paratum in Evangelio prædicatur (*Matth.* XXII), sapientiæque convivio, ad quod omnium vocatio Coph littera designatur, quæ, ut diximus, *vocatio* interpretatur. Vocat autem et anima moraliter amicos suos, dulces videlicet suavesque carnis suæ affectus, sed ipsi quorum dum fruitur amicitiis, mox eam decipiunt : et quæ *regale sacerdotium* (*I Petr.* II) esse debuit, voluptatibus et desideriis illecta, quasi pro cibo ad refocillandas

Introdusă în format electronic de Google

carnis suæ concupiscentias laborat. Quibus consumpta dignitatem sacerdotii et maturitatem consilii, per indigentiam sapientiæ et inopiam virtutum, perdit. Ægyptus vane quidem auxiliabitur (*Ezech.* XXIX): quia mundus transit, et omnis concupiscentia ejus. Est autem baculus arundineus atque **1353** confractus, idcirco potius super se innitentes lacerat ac manus perforat, nec unquam suis amatoribus perfectam prosperitatem conferre potest.

RES.

Vide, Domine, quoniam tribulor, venter meus conturbatus est, subversum est cor meum in memetipsa. Nunc Jerusalem pudore confunditur, nec audet oculos levare ad Deum, nunc spe veniæ sublevatur, et de misericordia præsumit. Idcirco, *vide, Domine,* inquit, *quoniam tribulor,* quatenus pium judicem cruciatus flectat ad clementiam, et pudor ad veniam. Nam ventrem quod dolet, formam exprimit mulieris in utero periclitantis: *quia* repleta *sum,* inquit, *amaritudine.* Ex quo non ex parte se tactam insinuat, sed repletam omni amaritudine doloris et mœroris, cor ejusque subversum pondere tribulationis deflet, eo quod foris desæviat gladius persecutoris, intus vero mors similis pro amaritudine tribulationis. Et ut ad anagogen veniatur, RES littera quid innuat videamus. Si quidem Res *capitis* interpretatur. Conturbatio autem ventris, vel subversio cordis, mentis est gemitus. Mens vero cujuslibet animæ caput est, ac per hoc jure perturbatio capitis et subversio dicitur ipsa, dum repletur amaritudine multis suorum casibus vulnerata. Nec dubium quin dolorem tribulationemque suam quotidie clementissimo exponat judici et insinuet. Sed habet Ecclesia ventrem, de quo in sponsi laudibus ab ipsa declamatur in Canticis. *Venter ejus,* inquit, *eburneus distinctus sapphiris* (*Cant.* V). Nemo igitur ventrem escarum omnium receptaculum ignorat, ubi totius corporis victus et substantia congesta decoquitur; per quem illi recte intelliguntur, qui, licet alios non studeant suo sermone docere, cibum tamen animarum, panem videlicet *qui de cœlo descendit* (*Joan.* VI), una cum Spiritu sancto intus condere, ac ruminare more mundorum animalium (*Levit.* XI), non omittant. Quem sane cibum primum susciplunt per fidem, deinde concoquunt igne charitatis per bonam conversationem vitæ, et meditationem. Quorum vox per Isaiam prophetam clamat, dicens: *A timore tuo concepimus, Domine, et peperimus spiritum salutis* (*Isa.* XXVI). Hunc quandoquidem ventrem gemit Ecclesia conturbatum, quoties variis alliditur tentationibus: ntantum etiam ut ipsi foris intusve tormentis præ-raventur. Ac deinde *cor meum,* ait, *subversum est,* uia **1354** omnino illud quod sponsus jusserat in anticis non impletur: *Pone me,* inquit, *ut signaculum super cor tuum* (*Cant.* VIII). Quod si poneret, ostis eam non adiret ut subverteret. Et ideo, quia oluit retinere dulcedinem tanti amoris, ut esset rtis quasi mors ejus dilectio, repletur quam sæpe

A omni amaritudine, intus forisve tribulationis; quatenus feriatur exterius gladio persecutorum, interius vero felle amariori doctrina hæreticorum; aut certe pro improbitate morum, morte, quam simili salsura vitiorum. Porro moraliter anima variis vexata doloribus, ventrem valde turbatum, pro mente gemit, quia in sacro eloquio solet ventris nomine vel uteri mens designari. Et hinc est quod per Salomonem dicitur: *Lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris* (*Prov.* XX). Ergo lux Dei omnia secreta ventris investigare dicitur, quia occulta mentis penetrat, ut facta quæ ipsam latebant animam ante ejus flenda oculos reducat. Et ideo, ut dixi, quia mens caput animæ designatur, bene capitis est iste gemitus, qui per B RES litteram ostenditur. Ex quo in se omnia conturbata et subversa insinuat, dicens: *Vide, Domine.* Hinc quoque ipse Jeremias longe supra: *Ventrem meum, ventrem meum doleo* (*Jerem.* IV). Et ut ostenderet quid dixisset, adjungit: Sensus cordis mei conturbati sunt. Ventris namque nomine recte mens accipitur, quia, sicut proles in utero, sic cogitationes in mente generantur; et sicut in ventre cibi, ita et in mente continentur. Fidelis enim anima tentationibus variis fatigata, merito se intus forisve morte simili attritam deplorat, quia foris persecutionibus, et intus angustiis lacerari se non ignorat. Sæpe enim foris flagellis atterimur, intus vero carnalibus fatiganur suggestionibus. Hinc est quod ait: *Foris interficit gladius, et domi mors similis est.* C Foris quidem gladius interficit, cum nos exterius feriens vindicta conficit; sed domi mors similis est, quia et flagella quidem sustinet, et tamen intus conscientia a tentationum sordibus munda non est. Unde quam bene capitis vox est, id est mentis plangentis ac dolentis. Vide, *Domine, afflictionem meam,* etc. Unde sequitur:

SIN.

Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti. Nulli dubium, quod omnes inimici Judæorum, Isaia teste, lætati sunt in eorum **1355** vastatione, maxime quod videbant eos Dei auxilio et consolatione destitutos, de quo D prius plurimum gloriabantur. Quia profecto Jerusalem sic sita erat inter hostes, quasi navis inter medios maris fluctus. A quibus quam sæpe propellebantur, tamen nunquam, nisi cum Deum offenderent, lædi poterant. Quod et ipsa cognoscens, divinis edocta institutis, non suis attribuit inimicis, neque illorum deputat viribus, sed Dei judicio, quod protestatur: *Unde et lætati sunt,* inquit, *quoniam tu fecisti,* ac si dicat: Licet illi lætentur quasi ex eventu, tu tamen decrevisti justo judicio quod patior pro reatu. Sequitur: *Adduxisti diem consolationis, et fient similes mei.* Vidit ergo Jerusalem diem consolationis suæ futuram; imo propheta et quam quasi præteritam repromittit, venturam sub Cyro,

Introdusă în format electronic de Google

non dubitavit. Interea et quod exoratur magis spiritu prophetiæ, ut deterreat, annuntiat, quam destructis et captivatis cæteris undique regnis, novissima scilicet quod ipsa Babylon et regnum ejus destruendum esset. Hinc est quod sequitur, *fient similes mei*. More loquitur eorum qui sibi semper animos judicum conciliari satagunt, et contra hostes infligere.

Spiritualiter vero Ecclesia plorans mala impræsentiarum, quæ sibi suisque inferuntur, gemit quasi per SIN litteram, quæ *dentium* interpretatur. Dentium est itaque fletus eorum, de quibus legitur in Canticis : *Dentes tui sicut greges detonsarum quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* IV). Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. Quos nimirum dentes eos esse opinor, qui (*Hebr.* V) non lacte doctrinæ indigent, sed jam infantiæ transcendunt ætatem, qui non solum solidum sibi cibum queunt mandere, verum etiam et virtutum ossa fortia quælibet membris Ecclesiæ dividere ac ruminare. Unde uni eorum Dominus cum universa repentia de cœlo submitteret : *Macta*, inquit, *et manduca* (*Act.* X). Tales igitur discretissimi doctrinarum acumine sciunt mactare vitia, et animas credentium in Christi corpus mandendo trajicere. Sed quia dentium incurrimus mentionem, noverimus eorum diversa esse mandendi officia ; alii quidem dividunt, alii comminuunt et ruminant, alii formant voces, et cum lingua sonos discernunt. Sicque sancti alii sunt ut greges detonsarum, qui, sua exspoliati vetustate, fetibus suis lac doctrinarum, et indumenta virtutum ministrant ; alii ut de Judæ dentibus prophetizantur, quod (*Gen.* XLIX) lacte candidiores essent, pulchritudinem decoris ex officio ad summam subtilitatem verbi ministrant. **1356** De quibus tantumdem dentibus dicit Apostolus ad Hebræos, quod perfectorum est cibus solidus (*Hebr.* V), qui pro possibilitate sumentium, exercitatos habent sensus ad discernendum boni et mali. Qui profecto dentes, quia præ omnibus curam et sollicitudinem gerunt, *audierunt*, inquit, *quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me.* Audierunt scilicet inimici, quos mox lætatos insinuat. Audierunt, inquam, quod sponsa lugeat ab sponso destituta, licet promiserit quod cum ea semper sit affuturus *usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Quia, etsi adest semper præsens, qui nusquam et nunquam abest per majestatem, quam frequenter tamen multis ex causis dimittit sponsam tentari sine consolatione, ut videtur, sui auxilii, ex quo ait : Viderunt *quia ingemisco ego* ; ac si diceret : Viderunt quod nunquam suspicati sunt, quod semper optaverunt et viderunt, non solum quod ingemisco, verum etiam mala ingentia quæ sustineo, et inde lætati sunt ; quoniam audierunt malum meum quo patior, quo lugeo, quo sine consolatore, etiam in membris meis pejora committo. Quinam sint Ecclesiæ inimici, manifestum est quod omnes *nequitiæ* spirituales *in cœlestibus* et aerii spiritus et potestates tenebrarum harum quæ ei adversantur (*Ephes.* VI) ; necnon et hæretici et falsi Christiani, a quibus intus forisve impugnatur. Tamen novit sponsa Christi, licet illi sæviant, quod nonnisi Dei dominantur permisso, et hinc est quod dicit, *quoniam tu fecisti*, sicut ipse dicit per prophetam alibi : *Ego Dominus creans malum, et faciens pacem* (*Isa.* XLV). Facit ergo pacem et creat malum, quando justo suo judicio permittit illud fieri. *Adduxisti*, ait, *diem consolationis, et fient similes mei.* Hæc magis Ecclesiæ congruunt, quia nulla consolatio restat Judæorum captivitatis extremæ. Unde Paulus apostolus: *Justum est*, inquit, *apud Deum retribuere tribulationem his qui tribulant ; et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu Christi in cœlo cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi* (*II Thes.* I). Et hæc est consolationis dies quam omnes electi Dei in spe habent, pro qua tam patienter omnia impræsentiarum sustinent, quod et oppressoribus supplicia, et sanctis præmia sit daturus, qui *reddet unicuique juxta opera sua* (*Matth.* XVI). Secundum tropologiam vero plorat anima, quod audierint inimici quia ingemiscit offenso Deo, et exaggerat mala quæ tolerat ; præsertim quia anxianti animæ et doloribus afflictæ hoc videtur sæpe augmentum sui mœroris, **1357** quod ille, in quem spem habuerat, suæ consolationis differt opem ferre et auxilii solatium. Hinc et maximum ei mœrorem indidit, quod eam inimici derideant, scilicet et hostes invisibiles, qui prius intus male blandiebantur, et non solum hi, verum et propria conscientia gravius accusando insultat, ipsaque vitia quæ dudum dulcia videbantur, atrociora se ostendunt et amara. Quod si ad notitiam eorum, etiam qui consortes sunt tanti mali, aliquando nostra pervenerint facinora, discernuntur utrumne inimici sint an amici, dum derident, qui compati debuerant et lugere. De quibus David : *Qui custodiebant*, inquit, *animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat* (*Psal.* LXX). Sed quamvis ita sæviant adversarii, habet anima dentes suos de carne Christi et de ossibus ejus in animo elimatos, quorum vox est ad Deum, ut ingemiscat et lugeat, cogitatus videlicet spe fortes, qui sciunt dividere inter prospera et adversa, qui sciunt consolantem spiritum requirere, nec de Dei misericordia unquam desperare. Unde, inquit, *adduxisti diem consolationis*, quia scit fortis anima et pœnitentes post angustias veniam promereri, et insultantibus, supplicia retributionis, a justo judice irrogari. Hincque sequitur :

THAU.

Ingrediatur omne malum eorum coram te, et vindemia eos sicut vindemiasti me, propter omnes iniquitates meas. Hi versiculi habent Thau, et hæc signa quibus plurima in litteris passim divinis significantur, quæ non minus hic quam et alibi habentur. Si-

Introdusă în format electronic de Google

quidem Thau *signa* interpretatur, plurali numero : quoniam ob hoc signum illud præmonstratur, ex quo cuncta secreta Dei, quæ signata sunt, reserantur. De quo sane signo Ezechieli prophetæ angelus, imo ipse Dominus : *Transi*, inquit, *per mediam Jerusalem, et signa Thau in frontibus virorum gementium et dolentium* (*Ezech.* IX). Per quod nimirum signum, nulli dubium, crux Domini et ejus recte passio designatur, sicuti et ex ipsius charactere cognoscitur : in qua parum deesse crucis, nisi quod supra telum præeminet; unde jam et ex mysterio in frontibus virorum gementium et dolentium signari commendatur. Et ne parum tibi videatur, scias eam novissimam Hebræorum litteram, sicut et ω Græcorum. De qua Dominus : *Ego sum*, inquit, *α et ω, initium et finis* (*Apoc.* I *et* XXII). Quod si ipse Christus α dicitur, finis videlicet, quid putas minus **1358** per Thau crucem significari posse, qua jubentur omnium gementium ac dolentium frontes consignari et consecrari, ne lædantur ab his in quorum manibus vasa interfectionis per mediam Jerusalem ad perimendas animas deferuntur? Nam omnes litteræ signa sunt verborum ; verba vero et dictiones, rursus signa sunt rerum et operum gestorum, ex quibus et in quibus omnia, non dico præsentia, verum etiam et futura præsignantur. Sed quia Thau *signa* interpretari diximus, quæ sint ipsa signa, vel cujus sint signa videamus. Omne enim signum alicujus est signum : quia omnino aliud est quod signat, et aliud quod signatur. Idcirco quæ sint signa, quæ hujus litteræ designantur charactere, vel ea cujus sint signa, non absurde quæritur. Diximus jam supra quod Thau signum est, imo juxta interpretationem ejus, signa sunt crucis, et ut verius loquar, pene ipsa est crux. Unde et signari, quomodo præmissum, in frontibus gementium et dolentium jussa est; sed tunc signum erat futuræ crucis, nunc vero jam ipsa crux, vel in ea potius res est nostræ redemptionis. Sed quia Thau finis est Hebræorum elementorum, ipsa vero elementa totidem sunt quot et libri Veteris Testamenti, quorum ipsa sunt signa. Unde non inconvenienter reor, quod sicut omnium elementorum finis est, ita totidem librorum Veteris Testamenti, finis est crux, passio videlicet Jesu Christi, qui finis est totius legis ad justitiam. Propterea omnia illa librorum divinæ auctoritatis signa, dominicæ incarnationis et redemptionis nostræ sunt sacramenta. Et ideo jure Thau *signa* interpretatur, ut per eadem hoc unum annuntietur, ex quo, ut dixi, omnia reserantur signa et patefiunt universa. Necnon et lamentationis nostræ a principio, in quibus multa cucurrerunt signa judiciorum Dei, dignus est finis : ut et in gementibus impræsentiarum et dolentibus, quorum in frontibus crux signata promicat, merces laborum compensetur a Domino ; et his qui eos tribularunt, nec signa tanti operis voluerunt agnoscere, digna retributionis consequatur ultio. Et hinc est quod dicitur non optantis affectu, sed prophetantis spiritu : *Ingrediatur omne malum eorum coram te, et vindemia eos sicut vindemiasti me, propter omnes iniquitates meas.* Quantum ad litteram spectat, sic factum est et in cæteris regnis Judæorum inimicis. Lege prophetas, et omnia completa reperies. Sed ad nostram Jerusalem hæc omnia melius congruunt, quæ orat **1359** indesinenter, etiam de sub ara Dei sicut legitur : *Quare, Domine, non defendis et vindicas sanguinem nostrum?* (*Apoc.* VI) et cætera quæ sequuntur. Ita et hic chorus fidelium, ut rememoretur in conspectu Dei persecutorum crudelitas, et ultionis vindicta justum Dei judicium eos jamjamque apprehendat, humiliet et perdat, qui superbiendo crudeli non timuerunt persecutione Christi Ecclesiam vexare, affligere vel punire. Unde inquiunt, *ingrediatur omne malum eorum coram te.* Quia profecto, quando talia et tanta eorum incanduit malitia, quasi Deus nescire et non videre putabatur, quem nulla latent (*Hebr.* IV). *Ingrediatur omne malum eorum coram te*, ex his in pondere, ut puniantur sine fine qui finem suis pravis operibus noluerunt imponere. *Vindemia eos* qui me vindemiaverunt. Vindemiare enim unumquemque est operum suorum fructu colligere, et servat metaphoram ex vinea quam ex Ægypto adduxerat (*Psal.* LXXIX), vel ex ea quam in Evangelio ipse plantarat (*Matth.* XXI). Vindemiat ergo hostes suos Dominus, qui sanctos ejus in hoc sæculo vindemiarunt, quos ad probationem eorum opprimere ipse permiserat, quando in futuro judicio perpetuam ultionem unusquisque recipiet, prout gessit. Sed aliter vindemiati sunt sancti quodam modo in hoc sæculo, et aliter impii in futuro ; quia sancti temporalia amiserunt et contempserunt bona, impii vero et amatores sæculi, sempiterna. Et hæc est æqua compensatio, quia sicut hi vindemiati sunt ab omnibus hujus vitæ gaudiis, ut ipsi ex confessione veræ humilitatis confiteantur propter iniquitates suas, ita et illi a futuris propter impietates et mala sua privantur. Deinde, sicut sancti eorum, justo Dei judicio pertulerunt pressuras, ita et illi pro erratibus suis pœnas sempiternas. Unde ne contingant talia, plorans ac gemens dicit Ecclesia : *Multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.* Siquidem, quia multi excessus, multi et gemitus ; et quia multus dolor, multus et cordis mœror. Si quo modo tandem queat dicere, Domino miserante : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Sed hic multitudo dolorum, licet in spiritu spe intus interdum consoletur, alibi vero consolationis erit remuneratio. Et ideo donec venient quæ ventura sunt, plenius **1360** edocta de omnibus dicit Ecclesia seu anima sancta : *Multi gemitus mei et cor meum mœrens.* Quæ nimirum anima etiam moraliter expensa coram Domino rogat, dicens : *Ingrediatur omne malum eorum coram te.* Quod malum (quia mihi frequenter ingerunt, et ostendunt intus forisve frequenter et infligunt) ingrediatur coram te, ut revincas et enerves; quia meis nequeo viribus evadere. Nam ubicunque me verto, non nisi mala

Introdusă în format electronic de Google

eorum video, et quod gravius est, etiam in memetipsa fabricata supra dorsum reperio (*Psal.* CXXVIII). Idcirco quia figmentum agnoscis, *ingrediatur coram te malum eorum*, ut exuar, et tu *vincas cum judicaris* (*Psal.* L), talia non curare. *Vindemia eos* ab omnibus fraudibus suis, ne fructum de me capiant; *sicut et me vindemiasti*, quando et tua mihi dona furore commotus subtraxisti, et impræsentiarum gaudium perfectæ vitæ *propter omnes iniquitates meas* abstulisti; ut et mihi de mœrore rursus gaudia, et illis de sua irrevocabili crudelitate supplicia excrescant. Et hæc sunt signa propter quæ omnia signorum facta sunt miracula. Unde David in psalmo : *Dedisti metuentibus te significationes, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX). Quas qui noluerint præcavere, deveniant ad ea quæ consonanter Scripturæ sanctæ præmonstrant. Hinc quoque et sapientia ad extremum oculum intendens : *Innova signa*, inquit, *immuta mirabilia. Glorifica manum et brachium dextrum. Excita furorem, et effunde iram. Extolle adversarium, et afflige inimicum. Festina tempus, et memento finis* (*Eccli.* XXXVI). Ergo rogat innovare signa quæ quotidie fiunt, ut convertatur justitia in judicium, ne semper affligantur sancti, sed unusquisque recipiat prout gessit; ac si dicat : Quia usque ad præsens facta sunt ut effugerent, nunc immuta mirabilia, juxta quod significatæ sunt, ut perveniant. Et ideo in fine hujus lamenti, per Thau litteram signa præmonuit, et versibus lacrymabiliter, quæ futura sunt prophetando cuncta complevit. Propterea et nos finito alphabeto primo, prout potuimus, libri finem demus. Et oro suppliciter omnium votis, cunctorumque lamentis, abluat in visceribus Jesu Christi ; quia mihimet non sufficio, quatenus qui cum omnibus, et præ omnibus immaniter deliqui, etiam in omnibus clementer et cum omnibus ad veniam mercar exaudiri.

PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

1361 Inter nos ex parte, ut dictum est, virorum charissime, in dandis accipiendisque muneribus, præcipue ea æstimanda sunt officia, si liquido constiterit, nihil me aliud quod tibi congruentius afferrem, juxta quod potui, explicitum; nec a te unquam quod charius benevolentia complecteretur acceptum. Profecto quia consenescentibus nobis, hoc longævum semper constat fuisse officium, orationibus incumbere, insistere lamentis, et vel nostra vel aliena facinora deflere. Hinc est quod explicito, in Lamentationibus, primo litterarum alphabeto, ad secundum manum porrigimus, ut habeas amplius quod defleas, charitate compunctus, si non est in me quod gaudeas malis amaricatus.

LIBER SECUNDUS.

Reddidi ergo in prioribus singulis sapphici metri clausulis ternorum versuum, singulas cum interpretationibus suis litteras : forte non ut idem propheta perfectius intellexit, cur sic eas indiderit. Sed juxta ingenioli mei sensum, saltem lector ex hoc ut agnosceret, quod nihil in eisdem litteris vacat a mysterio. Et si vellent capaciores quique tam diligenter divina perscrutari eloquia, nec dubium quin altiora et profundiora invenissent. Ea etiam in sermone, quam ullius sæcularis disciplinæ eloquentiam, non quod sancti viri eam studuerint sectari, sed ipsa quasi ancillula videtur sapientiæ deservire. Unde prophetæ (quia viginti duo elementa sunt, per quæ scribitur Hebraice omne quod loquuntur, et eorum indiciis vox humana comprehenditur) placuit totidem principia versuum eisdem exoriri litteris, ut et versibus poetica deserviret disciplina, et nobis ex ipsis divina aperirentur **1362** sacramenta. Sed quia longum est per singulas secundi hujus libri clausulas, singulas interpretationes earumdem interserere litterarum, sensusque ex eis exponere, decrevimus earum connexiones, more doctorum, in principio annotare, relinquentes lectoris arbitrio, quomodo et ipse suo ingenio singulas intelligentias suis reddat sensibus. Est enim :

Prima connexio quatuor litterarum, ALEPH, BETH, GIMEL, DALETH, ut sit sensus, *doctrina, domus, plenitudo, tabularum*. Quod si earum duæ jungantur extremæ, erit doctrina tabularum, in quibus lex digito Dei scripta est. Plenitudo domus, quatenus ex doctrina librorum aut tabularum, plenitudo domus Dei repleatur. Sin autem plenitudo rursus tabularum junxeris, erit sensus, quod de plenitudine Scripturarum doctrina repleatur domus. Et quia omnis domus Salomonis intrinsecus tabulata legitur (*III Reg.* VI) : Si tabularum super eos volueris interpretari, quorum junctoris et latitudine charitatis inter quælibet tota domus eminentiora vestitur et compaginatur, oportet intelligi quod doctrina eorum plenitudo sit totius domus. Quarum itaque doctrinarum intelligentia de fonte nascitur timoris Dei, ut perveniatur ad culmen sapientiæ, sicut propheta : A *timore tuo*, inquit, *concepimus, Domine, et peperimus spiritum salutis* (*Isa.* XXVI).

Secunda connexio est, HE, VAV, ZAIN, HETH, quæ interpretatur, *ista, et, hæc*, vita. Ubi si harum jun-

Introdusă în format electronic de Google

gas extremitates, duasque connectas medias, erit intelligentia, quid et hæc quæ præmisimus, in ista sint vita necessaria : et scientia Scripturarum ista sit vita per quam Christus agnoscitur, et sempiterna credentibus præparatur. In cujus nimirum tabularum libris, non alia Ezechieli quam carmen et lamentationes, et væ supra monstrantur. Et ideo, ut æstimo, talia præsignantur, qualia sectari oportet, ne væ illud ultimum aliquis incurrat, et ista sit impræsentiarum vita eorum, qui de infantia in virum ablaetantur perfectum.

Tertia connexio est, TETH, IOD, quod sonat, *bonum, principium*. Et hoc vere bonum principium jure creditur, in quo cum doctrina a timore Dei concepimus, lamentationum instituta donec ad spiritum salutis plenissime veniatur : quia sicut supra ostensum est, in hac valle lacrymarum congruunt, et hoc bonum principium est threnos et lamentationes sectari, eo quod Evangelio teste : *Beati qui lugent*, **1363** *quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v), demum ad illa cœlestis vitæ cantica pertingatur. Alioquin nisi hoc bonum principium hic accipiatur, ad ea minime pervenitur. Etenim quia ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Nunc quidem per speculum videmus in ænigmate, tunc vero facie ad faciem (*I Cor.* XIII), quando Deus absterget omnem lacrymam ab oculis electorum, et luctus cessabit (*Apoc.* XXI). Porro :

Quarta connexio quæ et media de septem habet. CAPH, LAMECH, quod est, *manus cordis vel disciplinæ*. Manus quidem ad hoc, ut extendantur ad opera perfectæ charitatis ; cordis vero luctus vel meditatio et disciplinæ intelligentiam ad ea, ut omnia munda sint nobis coram Domino, referuntur. Quid satis :

Quinta nobis explanat litterarum periocha, ubi legitur, MEM, NUN, SAMECH, quod est, *ex ipsis, sempiternum, adjutorium*. Et puto quod tria hæc nulla explanatione indigeant, nimirum quia tam ex duabus mediis superiora supplentur, quam etiam et inferiora tria ex ipsis remunerantur. Unde :

Sexta connexio hoc habet, AIN, PHE, SADE, *fons* scilicet sive *oculus*, et *oris justitiæ* ; quoniam ex cordis gemitu, fons manat pietatis, et oculus intus a Deo illuminatur, quo Deum in novissimis videre valeamus. Si quidem et ex manu orisque eloquio, zelo justitiæ reconduntur, uti bene quidam de aliqno epitaphium condens : Hic vir, inquit, despiciens mundum et terrena triumphans, divitias cœlo condidit, ore, manu. Quas recte divitias perfectæ vitæ, justitias congruit intelligere, Spiritu sancto attestante, qui ait : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* III). Sequitur autem :

Extrema connexio quæ est septima, in qua sunt, CORF, RES, SIN, TAU, et interpretantur *vocatio capitis, dentium, signa*, ut perdentes, articulata vox intelligatur, eo quod hæc elementorum vocabula, quæ præmissa sunt, et lamentandi operis signa sunt omnium vocum sanctarum Scripturarum, et vocatio summi capitis nostri Jesu Christi, per quem venitur ad Patrem, et ad regnum sempiternum (*Joan.* XIV). Nec dubium quin sancti Patres, imo Spiritus sanctus, in septenario isto numero, mysticos indidere intellectus, unde et medius eorum ad utrosque ternarios litterarum ordines respondet. Etsi volueris animadvertere elementorum juncturæ sensibus, **1364** suarum e contra connexionum consonat. Jam quid ipse textus lamentationis afferat videamus.

ALEPH.

Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion : projecit de cœlo, in terram inclytam Israel. In his tribus sapphici metri alphabetis, unum principium est dictionis, unaque exclamatio, plena doloribus, plena omni admiratione et stupore. Idcirco velim non transitorie, lector, talia perpendas, sed affectum tanti luctus diligentiori intuitu consideres, et intelligas quanta charitate, quanto amore sancti afficiebantur, quantaque dilectionis flamma intus movebantur ad omnia : ita ut omnium causas suas esse facerent, et cum ingenti sollicitudine singula procurarent. Quapropter Jeremias, quia Jerusalem quæ acciderint considerare non sufficit, non solum semel et secundo, verum et tertio idipsum exclamationis verbum per principia repetit lamentationum : *Quomodo sedet*, vel *Quomodo obtexit Dominus*, vel *Quomodo obscuratum est aurum optimum*, tam improvise atque insperate, quam ex omnibus gentibus sibi elegerat, ut esset in Deum, et ipsa illi in populum (*Deut.* XXVI). *Quomodo*, inquit, *obtexit Dominus caligine in furore suo filiam Sion*. De qua profecto caligine quæstio esset, nisi addidisset, *in futuro suo* : quia omnino alia est caligo ad quam accessit Moyses in monte, in qua erat Deus (*Exod.* XIX), et alia quæ sub pedibus inibi visa est (*II Reg.* XXII), et in psalmo sub pedibus prædicatur (*Psal.* XVII) ; alia vero quæ in furore Dei Jerusalem obtexitur ; quia nimirum hanc tenebrosus turbo possidet, qui et quam sæpe furor Dei recte interpretatur. In illa vero Deus esse dicitur, sicuti et ei, quæ sub pedibus est, illa præesse prædicatur. Unde considerans omnia quæ Deus huic populo fecerat, quam magna, quam innumera, quam horribilia vel inscrutabilia, et cernens quæ acciderant, cum ingenti gemitu exclamare non sufficit, quod de tanta adoptione, ut filia vocaretur Dei, de tam immensa gloria, de summo cœli vertice, et magna felicitate, ad tam maximam miseriam, in die furoris Domini et vindictæ, devenerit. In die siquidem furoris, et non in die Domini : quia licet ipse furor Domini esset, tamen hæc dies vindictæ, dies furoris fuit. Habet quidem filia Sion diem Domini (et quia in die salutis **1365** suæ, noluit observare diem Domini) quam Abraham pater ejus viderat, et gavisus est (*Joan.* VIII). Idcirco impegit in die furoris Dei. Juxta anagogen vero non minus ingemiscendum, quoties

Introdusă în format electronic de Google

Sion, mater nostra, caligine obtexitur peccatorum, erroris aut ignorantiæ, quæ tantis muneribus adeo ditata creditur, et laudibus prædicatur. Sed quod pejus est, habebat illa tunc quamvis offenso Deo, qui eam indefessis gemitibus lamentarent. Nostra vero nescio si vel raros habeat, qui ea intelligant, aut recogitent, quibus patimur et afficimur malis. Projectam namque de cœlo inclytam Israel conspicimus, quando terrena sectari eam et carnalia videmus : præsertim (secundum Apostolum) nostra conversatio cum in cœlis (*Philip.* III) esse deberet, nos e contrario, nunc temporis non nisi caducis et mundanis incumbimus negotiis, et turpia meditamur. Quid amplius putas, nisi quia Dominus abjecit nostris intervenientibus malis, et projecit nos in terram? *Nec est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui* (*Joel.* III). Quia, etsi illa Sion pulcherrima Dei legitur habitatio, angelico ministerio, et ducatu, ac Dei protectione suffulta, et in deserto multis miraculis, ac divinis solatiis diutissime per Moysen et Aaron, cæterisque sanctis patribus educata, ut vocabulo scabelli pedum Domini, propter statum divini cultus merito potiretur : tamen nostra Sion gloriosior, ab utroque testamento prædicatur, ita ut videret et prævideret eam Moyses quando ascendit in montem, Aaron scilicet, Nadab et Abiu, una cum Septuaginta de senioribus, et viderunt Deum Israel, inquit, et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cum serenum est (*Exod.* XXIV). In quibus profecto verbis patet sensus, quod Ecclesiam in spiritu præviderit Dei sub pedibus affuturam, propterea quasi cœlum cum serenum est, ait : Quia *cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII). Quam retinere volens Dominus, baptismi sacramentis, in specie sapphiri lapidis eam sibi sub pedibus in ænigmate demonstravit. Et ideo propheta in spiritu, reor, quod non minus illius populi ruinam, quam et nostræ Sion discrimina, divinitus prævidens, flebat nobiscum, adeo dejecta multoties in die furoris Dei, ut non recordaretur Deus scabelli pedum suorum. Quod sæpe contigit propter peccata populi, et nunc accidisse jure plangitur : cui præesse debuerat Christus et deambulare, quod ei nunc temporis pessimæ dominatur inimicus. Nec recordatus solii sui **1366** aut scabelli pedum suorum in die furoris sui, quando Dei impugnantur jura in nobis, et dominantur mala. Cæterum anima peccatrix moraliter, quæ quondam lumen scientiæ et speculum divinæ contemplationis habuit, cujus et nomen in cœlo scriptum fuit, non minus lugenda creditur, quando in terra prostituitur et profanatur, quando vitiis polluitur et inquinatur, quando pedes Domini, vestigia videlicet præceptorum ejus, de corde explosis gressibus abolentur Dei. Cum esset templum Deus habitans in ea et deambulans, e contrario nunc propter cæcitatem cordis et nequitiam pravæ actionis, de culmine virtutum, quasi de summo cœli vertice, in fœditatem vitiorum prolapsa, in die furoris Domini ab hostibus conculcatur, diripitur, et dilaniatur ; nec est Dominus recordatus ejus, quia noluit stare in luce virtutum. Propter quod et tradidit eam in die furoris sui. De qua sane die præsens propheta loquitur : *Maledicta*, inquit, *dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea, et non sit*, inquit, *benedicta* (*Jer.* XX). Quæ nimirum dies, ut supra jam dixi, dies furoris Domini jure appellatur, ad quam anima, quæ deciderit, tollens se de membris Christi peccando, faciensque se membrum meretricis, id est diaboli cum quo meretricatur, non recordatur in die iræ, quia non stetit in die quam fecit Dominus. Idcirco spreta et derelicta a Deo, conculcata ab hostibus, non minus a propheta quam et ab omnibus Christi membris, digne plangitur, quæ se de tanti honoris culmine, ad tantam devolverit irrisionem et insaniam, et ad tantam se ruinam dejecerit. Unde sequitur :

BETH.

Præcipitavit Dominus nec pepercit omnia speciosa Jacob, destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, dejecit in terra, polluit regnum et principes ejus. Hæc omnia Judæis accidisse manifestum est. Sed quia id Dominum fecisse plangitur, non sic accipiendum quasi eo impellente Jerusalem peccaverit, sed quia justo veroque judicio primum peccare hic aut alibi per innumera peccata, deinde propter pœnam peccati præcipitare, vel cætera quæ sequuntur permisit. Propter peccata enim Judæorum ad similitudinem gentium cæterarum quæ circa eos erant, irritatus Dominus, tradidit populum suum in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. *Nec pepercit* **1367** *omnia speciosa Jacob*, quæ habebat in ornamentis famosissimi templi, et cultu cæremoniarum quo se gloriosiores cæteris gentibus credebant. Quæ nimirum *Dominus præcipitavit et destruxit in furore suo*, ut intelligeres Dominum non ea, sed ipsos requisisse sibi incultum et gloriam et laudem nominis sui ; illi vero e contrario, illa præferentes in quibus gloriabantur, se impudicitiis et sceleribus tradiderunt. Sed plenius in hac ultima, quæ sub Romanis accidit, hæc omnia complentur, quasi si in testeis vasis universa illa quæ in lege leguntur, adumbrata ferrentur in regno, in populo, in ducibus et ministris, in templo et vasis omnibus, in Sabbatis et solemnitatibus, in vestibus et sacrificiis, in cultu religionis, et in omnibus quæ de his adumbrata prædicantur. Nempe, quia nihil aliud fuerunt ista omnia, nisi quasi quidam magnus propheta vel prophetia. Veniente vero Christo, cum completa essent singula de eo, quæ in eisdem vasis tegebantur, præcipitata sunt omnia illa et confracta, destructa et dejecta, polluta et profanata, ut cuncta in orbe terrarum viderent mystica et ineffabilia sacramenta, quæ tegebantur, luce clarius reserata. Et ideo, inquit, polluit regnum et principes ejus, quando cuncta speciosa eorum despexit, nec peperceit perempto Christo, et sine ipso, de quo erat omnis ista prophetia, omnia prostituta et coinquinata

Introdusă în format electronic de Google

judicavit, in tantum ut de omnibus nec remaneret testa, in qua portetur ignis de incendio. Et hæc est lamentatio prophetæ tam immanis et intolerabilis.

Mystice autem ad Ecclesiam, peccante populo, hæc jure referuntur; quia, secundum Apostolum, si naturalibus Deus non pepercit ramis, quanto magis nobis, qui cum essemus oleastri, inserti sumus in bonam olivam (*Rom.* XI)? Et si eorum despexit officia, quanto magis et nostra polluuntur, cum polluta fuerit et mens et conscientia? Ergo quam speciosa sit Ecclesia et pulchra, sæpe in Canticis collaudatur, sed et in Psalmis : *Astitit*, inquit, *regina in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* XLIV). Unde constat quod speciosa valde est et suavis, *pulchra* quidem *ut luna, electa ut sol* (*Cant.* VI). Sed quam sæpe excrescentibus culpis, aut per partes, aut in toto, dejicit Dominus speciosa ejus ad contumeliam et ignominiam in manibus hostium. Speciosa quidem, quia candet *sicut lilium inter spinas* (*Cant.* II), quando pulchritudinem ejus simul exortæ spinæ suffocant (*Luc.* VIII). Dejicere autem Dei est, justo suo **1368** judicio permittere unumquemque ire post concupiscentias, et destruere, auxilium gratiæ suæ ac misericordiæ non præstare. Pro quibus si nobis essent lacrymæ, jugiter conspiceremus, unde flere deberemus; sed quod gravius est, jam talia rarus qui recogitet. Destruuntur itaque munitiones ejus, quando pervigiles, et custodes Ecclesiarum, qui eam munire et circumdare suo auxilio et doctrina, cum omni cura et sollicitudine deberent, oblectamentis hujus vitæ et voluptatibus depravantur. Quos, quia non se intelligunt destructos, et dissipatos suis pravis actibus, gemit et ploratchorus sanctorum : quia in illis et pulchritudo deperit, et fortitudo gregis infirmatur. Est namque Ecclesia Christi quasi *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas* (*Psal.* CXXI), et *sicut turris David cum propugnaculis suis. Mille clypei vendent ex ea, omnis armatura fortium* (*Cant.* IV). Sed cum muri ejus pastores, pastores videlicet ac custodes animarum, suis destruuntur actibus, facilis hostis omnia introrsus speciosa civitatis dejicit et diripit, fitque quasi civitas quæ vastatur. Unde sequitur, *Dejecit eam in terram*. Ergo Ecclesia dejicitur in terram, quando terrenis actibus et vitiis occupatur, nec est qui sustentet eam, doctrinarum virtutibus, vel bonorum operum exemplis. Propterea cum talia in qualibet Ecclesia contigerint, mox divina ultio juste sequitur : *Polluit*, inquit, *regnum et principes ejus*. Tunc itaque eos polluit, quando ejus æquitas pollutos ostendit, qui debuerant seipsos et alios coram Deo atque immaculatos custodire. Et facti genus regale sacerdotium sanctum (*I Petr.* II). Jure tunc polluti pronuntiantur, quando de tanti culminis throno dejecti, servi vitiorum inveniuntur. Unde magis cum propheta lugendum, quam aliquid in his verbis exponendum censeo, quia sicut alibi legitur : Culpa sacerdotum, ruina populi est, uti et Judæorum fuit. Tropologice vero dejicit Dominus speciosa cujuslibet animæ nec parcit, quando se mens occupaverit pravis desideriis, relicto intrinsecus casto Dei amore, cui dictum fuerat : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam* (*Psal.* XLIV), etc., donec concupiscat rex decorem tuum, et destruit omnes munitiones ejus in gyro in ira furoris sui (*Eccle.* IX). Quando fide infirmatur, nec valet tentationes hostium sustinere quæ inferuntur : quia intus primum perdidit speciem et pulchritudinem casti amoris. Alioquin nisi prius intus anima corrupta esset, et fœdata **1369** vitiis, nequaquam Dei destituerentur auxilio, ita ut muri destruerentur exterius virtutum, quibus prius ab hostibus, ne irrumperent, muniebatur. *Et projecit eam*, ait, *in terram*; quia omnino tunc de throno regni corruit in terram, quando intus connubium casti amoris violavit, et sordibus vitiorum se admiscuit. Unde valde omnis cum propheta lugendum, qui de cœli culmine projicimur in terram, quoties terrena sectamur et implicamur vitiis, nequando dicatur nobis : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Quia nisi prius anima speciosa virtutum perdidisset, nequaquam munitiones ejus exterius Dominus destrui permitteret; et nisi in gyro destructa esset, nunquam de cœlo in terram cecidisset, ut totum terrena saperet. Sed quia intus pulchritudinem amisit, thronus Dei esse desiit. Hinc est quod et in terra dejicitur, et Dominus eam pollait. *Polluit*, inquit, *regnum et principes ejus*. Regnum ergo polluere est, eam pollutam judicare, in qua Deus templum sibi statuerat, sed ipsa a diabolo, vitiis prostituta, profanatur, et polluitur una cum eisdem suis sensibus, qui ei male carnaliter principantur, quam Dominus mox exspoliat honore regni et principatu ejus quem habuit ex perceptione baptismatis et unctione sacri chrismatis. Hinc quoque sequitur :

GIMEL.

Confregit in ira furoris omne cornu Israel, avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici, et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. Non solum enim regnum Judæorum Dominus destruxit, quod est omne cornu confringere, et defensionem dexteræ suæ ab eis avertit, terramque eorum in manus hostium ad devastandum tradidit; sed et Jerusalem nostram, quæ sponsa jure a Domino appellatur, quando recesserit ab eo, et iis qui non sunt dii, diversis sceleribus servierit, polluit Dominus, et omne cornu ejus confregit, quod ei erexerat in domo David pueri sui (*Luc.* II), quatenus nulla sit ei vis ad resistendum inimicis. Verum et manum suam retrorsum convertit a facie inimici, quam extentam tenebat ad ultionem eorum qui eam insectantur, nisi ipsa prius a Deo retrorsum rediisset. Sed quia prior retrorsum abiit, juste Deus ei quandoque auxilium dexteræ suæ subtraxit. Per dexteram namque virtus Patris, id est, Filius intelligitur, qui ab Ecclesia mox auxilium gratiæ suæ subtrahit, **1370** cum ipsa se amatoribus adulteris exposuerit. Nec immerito, cum sponsum, vadens post amatores suos (*Jer.* III),

Introdusă în format electronic de Google

spreverit, si ab ea sponsus dexteram defensionis subtrahit. Unde mox cum taliter auxilio desolatur, omne cornu ejus Dominum confregisse a propheta plangitur. Habet namque Ecclesia sua cornua, habent et hæretici et falsi prophetæ sua Sed tunc jure omne cornu ejus confringitur, quæ neglecto sponsi amore, qui sibi cornu salutis erexit, post suarum concupiscentiarum illecebram ire non metuit. Hinc Dei destituta manu privatur bonis, corrupta luxu libidinis. Propterea lugens propheta subdit : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro;* quia eum Dei desolatur gratia, et suis enervatur viribus, immergunt se variæ concupiscentiarum libidines, quibus succensa flammis in gyro, ne possit evadere, quasi ab igne intus forisve devoratur. Typice autem ad mores bene refertur, quandoquidem et anima cornua sua habere perhibetur. De quibus sane cornibus : *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi* (*Psal.* xcxvii). Cornua namque animarum sunt fortia quælibet virtutum, quibus novit fidelis anima omnia sibi adversantia repercutere, et quasi fenum aut pulverem in aerem ventilare vel dispergere. Nemo igitur qui ignoret quod cornua non simul cum altilibus nascuntur, inest tamen eis causa nascendi. Anima vero non ex naturæ instinctu virtutibus armatur, sed Dei munere : licet et ipsa prius habuerit a naturæ bono concipiendi gratiam, et nutriendi quæ conceperat efficaciam. Sed quia et se perdidit, et libertatem naturæ, alia sunt quæ confringuntur de peccati origine nascentia. Alia vero quæ exaltantur et crescunt de vigore divinæ gratiæ. Hæc quia sibi invicem adversantur, Dominus confringet omne cornu ex Israel carnali, ne diutius se vitia extollant. Unde propheta gemit, non quia franguntur, sed quia in furore Dei una cum anima conteruntur. De quo furore tremens David aiebat : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal.* vi). Contrahit autem et avertit manum suam Dominus a facie inimici, animam insequentis : quia ipsa se prius hostibus exposuit, et recepit intus adulterum. Idcirco quia de sinu Dei egressa foris anima, una cum Dina, ut videret filias regionis hujus sæculi (*Gen.* xxxiv), vulnerata est a diabolo, et in membris ejus compacta : jam in furore suo avertit Dominus manum a facie **1371** inimici, ne præbat auxilium contra eum, cui male prius se subdiderat. De qua causa etiam Israel carnalem, Judæos videlicet abire permisit in exterminium : quoniam et ipsi prius leprosi erant, non qualicunque lepra, sed perpetua; quod manu Moysi signabatur, cum extenderet, leprosa fiebat ; cum vero revocabat eum in sinum munda erat (*Exod.* iv). Hinc quoque David ad Deum : *Ut quid avertis*, inquit, *manum tuam, et dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?* (*Psal.* lxxiii.) Quia manus Moysi extensa designabat Judæos exiisse a Deo, et extensos esse ad prava opera, idcirco et manus Moysi leprosa fiebat. Revocati vero clementer quasi in sinum, uti manus Moysi, mundi fiebant. Et hinc est quod David cernens irrevocabilem eorum captivitatem, quasi offenso Deo loquitur : *Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?* ac si patenter dicat : Quandiu tu avertis manum tuam, nec remittis eam in sinu, ipsi extensi inter gentes immundi et leprosi erunt. Hæc idcirco dixerim, anima quæ de sinu Dei se projecerit ad sæcularia desideria, contaminata erit. Neque enim Dominus alios fovet et defendit, nisi quos sub alis aut in sinu gestat et nutrit. Reliquos vero qui se inde projecerint, audi quid sequitur : *Et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.* Quia profecto miseram animam semel de sinu Dei, excrescentibus culpis, egressam in furore suo Dominus eam libere possidere immundis spiritibus permittit (nisi forte misereatur ejus rursus ut convertatur ad sinum), qui eam succendant igne concupiscentiarum, in modum flammæ devorantis. Et videndum si non septuplum ac si fornax illa Babylonis (*Dan.* iii) succendatur et concremat, quoscunque repererit de Chaldæis.

DALETH.

Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne quod pulchrum erat visu. In tabernaculo filiæ Sion effudit quasi indignationem suam. Tunc hæc omnia constat fecisse Dominum, quando dimicantes hostes contra Jerusalem, Chaldæos scilicet sive Romanos explere sua permisit judicia, nec refellit. Ipsi namque quasi arcus in manu Dei parati longe fuerant et extensi ad ultionem; sed quia Sion noluit redire ad eum, neque eum suscipere, in cujus manu distensi servabantur, usque ad plenitudinem **1372** temporis : ut de plenitudine et completa mensura delictorum, plenitudo vindictæ procederet. Et quia noluerunt esse amici jure factus est eis inimicus, quia juxta vocem Psalmi : *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente, innocens* (*Psal.* xvii) : necnon et cum perverso, pervertitur. Sic et cum inimicis jure plangitur inimicus; *firmavit autem manum suam quasi hostis*, quia et ipsi adversarii exstiterant divinæ legis, ut vel sic addiscerent quod non in suo gladio possederant terram, et brachium eorum non salvaverat eos (*Psal.* xliii), sed dextera Dei et brachium ejus et illuminatio vultus illius (*Exod.* xv). Quod quia noluerunt animadvertere, *occidit omne pulchrum visu in tabernaculo filiæ Sion*, quando universa exterminari permisit et demoliri ; nec distillare fecit, sed effudit quasi ignem indignationem suam. Quod melius de captivitate quæ sub Romanis accidit intelligitur, quando tota effusa indignatio Dei cernitur. Allegorice vero, contra Ecclesiam quam sæpe Dominus *tetendit arcum suum quasi inimicus*, cum ipsa sibi inimicatur, nec vult sponsi monita obaudire, ut ad eum redeat per humilem satisfactionem. Idcirco arcum extendit quasi inimicus, digne plangitur. Per arcum namque judicium intelligitur, quo unusquisque impræsentiarum aut percutitur ut corrigatur, aut quia diu tenditur in extremis, peccata cum consummata fuerint gravius

Introdusă în format electronic de Google

ad puniendum, relaxetur, in uno eodemque arcu diversæ judiciorum Dei sagittæ ad jacula præparentur. Siquidem aliæ sunt fulgurantes, quasi sagittæ mittuntur electæ de pharetra Domini ad veterem hominem perimendum, et vitia ferienda. Aliæ sunt quæ mittuntur ad affligendos quosque, certe aut ad coronam, aut ad correptionem, aut ad pœnam supplicii. Sed de illis gemit Ecclesia et plangit, quas Dominus quasi inimicus aut per hæreticos, aut per ipsum diabolum aut per membra ejus, ad vulnerandos quosque in Ecclesia intendit, de quibus in Psalmo : *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* x). Nam hujusmodi sagittæ de arcu Dei, scilicet divino suo judicio, veniunt; ex quibus unus electorum : *Sagittæ Domini*, inquit, *in me sunt* (*Job* VI). Et David : *Quoniam sagittæ tuæ*, inquit, *infixæ sunt mihi* (*Psal.* XXXVII). Pro quibus itaque sagittis, arcus quia tenditur a Domino, ut durius feriantur delinquentes, amare plangitur : imo non quia percutimur, ut corrigamur, **1373** sed quia arcus in furore extenditur, ut amplius quisque peccans corde induratur, demum quo gravius ab immanitate scelerum feriatur. Hinc quoque et in Psalmis : *Dedisti metuentibus*, inquit, *te significationem, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX). Quia omnino quanto magis ex Dei patientia judicii tempus extenditur, tanto retributionis vindicta durior accumulatur. Firmat ergo dexteram suam quasi hostis contra Ecclesiam delinquentem, cum eam incessanter vindictis prosternit, et duris excruciat pœnis, donec aut ipsa correcta redeat ad eum post verbera aut indurata in his quæ pereunt, tradatur ad supplicia post culpas. Porro interdum quousque iratus manum obfirmat, quasi hostis occidit in tabernaculo ejus omne quod visu pulchrum est : quia omnia pretiosa ejus membra diripere permittit et trucidare, quod utinam tale fieri ne videremus. Unde magis nobis flere cum propheta congruit, quoniam effusa est quasi ignis ad devorandum indignatio Domini quia peccavimus. Et quia ista ex peccatis impegimus, atrociora sunt et irremediabilia jam ex causa peccati, quam quotidie admittimus, nec tamen sic aut sentimus, aut ad percutientem nos Deum redire conamur. Sed effusa contentio super principes, nos omnes errare fecit in invio et non in via. An non putatis quod hæc in spiritu prophetæ cernerent, qui cuncta in eo videbant quæ loquebantur, in quo sunt ea quæ necdum sunt, ut futura sunt quæ nostris accidisse temporibus deploramus? Nequaquam igitur dixerim : Videntes eos appellatos aliunde, nisi quia plurima longe post prævidebant in spiritu. Unde continuo quasi de nobis diceret : *Et effudit*, inquit, *quasi ignem indignationem suam* (*I Reg.* IX). Effudit ergo quasi ignem indignationem suam, ita, ut videas omnia conflagrari discordiarum incendiis, et concupiscentiarum flammis cremari, et nequaquam opus sic deflere ea olim quæ contigerant, cum et ipsi nunc scelestiora committimus in ecclesiis, et graviora peccamus. Siquidem moraliter contra delinquentem Dominus arcum suum quasi inimicus extendit cum eum peccantem conspicit, nec emollit ad pœnitentiam, sed manus ejus adhuc extenta, post numerosiora ire permittit crimina, nec avertit intantum, ut quidquid visu pulchrum in ea naturaliter intus in moribus, quasi in tabernaculo videbatur, Dominus perimere dicatur, quando fœditatem vitiorum eam constuprare permittit, et omnia morum honesta **1374** interius violari. Tunc demum quasi jam pro pœna peccati, malis ejus exacerbatus, secundum Apostolum (*Rom.* I), quandoque tradit eam in passiones ignominiæ, et effundit flammam libidinis, ut eat mira jam captiva post incendia desiderii sui faciens quæ non conveniunt, etiam illa, quæ sunt contra naturam. Hincque sequitur :

IIE.

Factus est Dominus quasi inimicus : præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit omnes munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam. Hæc omnia ad litteram de Judæis manifesta est relatio, ut fontem lacrymarum commoveant verba, et ad lamenta sensus inclinent, quod Dominus qui eis ductor olim fuerat et custos, qui cum eis gradiebatur, et loquebatur de singulis, quasi amicus ad amicum, clemens et pius (*Gen.* XXVIII ; *Exod.* XIV, 15, 33) : nunc e contrario, cum vindictam rependit, fit eis quasi inimicus, suo agente judicio. Quantum ad litteram exspectat jam supra eadem planxerat, ubi ait : *Nec pepercit omnia speciosa Jacob, destruxit in furore suo munitione virginis Juda*, nisi quod hic addidit *in furore suo*. Sed tantumdem est, cum ait, quia *factus est ei inimicus*, et mœnia propter speciosa civitatis, metro allusit : non ut alia essent quæ deflet, sed ut retexendo amplius se ad lacrymas provocaret.

Qua de causa in hoc eodem opere, quisque intrasti ad ea quæ planguntur, magis magisque, charitate devotus, lacrymas debes requirere, et ad singula, quid defleas, una cum propheta retexere, quam quod fastidias invenire : ne forte (quia Dominus Deus exercituum nos vocat per Isaiam in die discriminis ad fletum, et ad planctum, et calvitium, et ad cingulum sacci (*Isa.* XXII) e contrario nos ad gaudium et lætitiam vanam erigamur, comedere seu bibere quasi cras morituri : ut deinceps nihil experiamur boni malive, sed quasi lanugo impræsentiarum sumus auferendi (*Sap.* V). Unde et Salomon : *Melius est ire*, inquit, *ad domum luctus, quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII). Propterea et nos quia intravimus ad hujus operis instituta Ecclesiæ flentes, videamus spiritualiter quid acciderit (*Cant.* II). Quia quoties sponsa et amica quæ vocatur, seu speciosa atque immaculata, se averterit ab amplexibus casti amoris, inimicitias, contra ejus agendo præcepta, sibi contrahit, fitque sponsus ejus quasi inimicus. Et mira **1375** dispensatione temperat sententiam severitatis, dum quasi et non ex toto inimicus dicitur : quia etsi videatur eam deserere in manibus hostium, et affligere

Introdusă în format electronic de Google

aliquoties, in tantum, ut penitus destituta credatur : non de crudelitate inimicitiarum forte venit, si se demum converterit, sed de providentia pietatis, saltem malis perpessa, ut ad eum flagellata redeat. Sed notandum, quod primum præcipitat Israel quando munditiam cordis aufert, ne divina possit videre : tum deinde præcipitavit, inquit, et omnia mœnia ejus. Habet igitur Jerusalem nostra sua mœnia, quæ ad pulchritudinem et decorem pertinent nostræ religionis. Habet et munitiones quibus muniatur civitas ne irrumpatur ab hostibus. Habet quidem bonesta, habet et inhonesta, *Sed quæ inhonesta sunt*, inquit Apostolus, *nostra abundantiori circumdamus honestate* (*I Cor.* XII). Quia sunt in Ecclesia simpliciores et sancta conversatione viri, sunt et rustica vilitate contecti, tamen utrique valde necessarii, qui omnes etsi videantur in muris Ecclesiæ honestiori vita coædificari, nec valent fide vel doctrina eam munire. Unde frequenter Dominus, excrescentibus malis, præcipitare aliquos permittit, qui videbantur ornamentum esse Ecclesiæ, aut in hæresim aut in aliqua vitæ flagitia. Sed et munitiones ejus quam sæpe dissipat, cum eos qui defensores esse deberent, errare sinit, et pravis suis actibus dissipari. Deinde replet ex utroque sexu, id est multiplicat humiliatum et humiliatam : quando fraude dæmonum in Ecclesia plurimos constuprari delictorum operibus permittit. Porro moraliter anima habet sua virtutum mœnia ; quia sicut sunt in urbibus, pro ornamento decoris, nonnulla quæ mœnia vocantur, et munitiones in defensione, quibus civitas tueatur : ita sunt dona alia quæ nos muniunt, alia quæ ornant animam simul et Ecclesiam, ut puta prophetiæ dona, genera linguarum, interpretatio sermonum, curationum genera. Quæ nimirum quasi quædam mœnia mentis sunt, etsi quisque non habeat, stare per fidem et justitiam potest : quamvis ornatus altitudine donorum et virtutibus, sine quibus salvari valet, minime esse videatur. Nam fides, spes atque charitas non nostra mœnia, sed munitiones sunt, quæ si habere negligimus, hostium insidiis paremus. De Judæa vero, quia prophetiam atque doctrinam vel miraculorum signa abstulit Dominus, mœnia ejus præcipitavit : quia fidem, et spem, atque charitatem, **1376** propter ejus duritiam auferri permisit. Munitiones ejus dissipare studuit. Ub nimirum rectus ordo servatur : quia cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea virtutum dona, quæ ad manifestationem spiritus data sunt, postmodum fidei, et spei, atque charitatis fundamenta destruuntur. Quæ cuncta Dominus a perfidis ablata Judæis, gentilitati tribuit : et ex iis quæ infidelibus abstulit, montes fidelium ornavit. Quibus cum rursus anima exspoliatur, fit ei Dominus una cum eisdem Judæis inimicus, et qui prius dicebat : *Inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te affligam* (*Exod.* XXIII), ipse demum eidem inimicatur animæ et affligere permittit. Unde et repletur in ea, humiliatus et humiliata, cogitationes videlicet immundæ atque nefandi sensus, ut ex utroque intus forisve contumeliis augeatur, donec confusione induta forte reverea-tur et convertatur ad pœnitentiam. Sequitur :

VAU.

Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et Sabbatum, et opprobrio in indignatione furoris sui, regem et sacerdotem. Ubi primum notanda est structura verborum, quanto splendore in Hebræo reniteat, quæ translata in nostra per principia versuum, tam diffusam sermonum elegantiam habet. Nam postquam luxit : *Quomodo obtexit Dominus caligine filiam Sion :* sic deinceps per singula concinentia gradatim verba deflevit, ut possit ad omnia *quomodo*, quæ non minus interrogantis est particula, quam et dolentis et admirantis coaptari, ut dicatur : *Quomodo projecit, quomodo præcipitavit, destruxit, dejecit, polluit*, et cætera quæ dicuntur. Sic itaque plangit simul et dolet omnia, ut nunquam videatur stupor et admiratio vel gemitus immutari, dum ad singula se distendit. Hinc quippe quasi dicatur : *Quomodo dissipavit quasi hortum tentorium suum*, vel *Quomodo demolitus est tabernaculum suum*, vel cætera hujusmodi quæ plangantur. Quæ nimirum omnia propter peccata contigerunt Israelitarum, quod Dominus dissipavit tentorium suum quasi hortum et tabernaculum demolitus est, quia hostibus demoliri permisit. Sed tentorii nomine et tabernaculi, quamvis unum videatur sentire quia tabernacula inde videntur dicta quod cortinæ **1377** funibus distentæ, tabulis interstantibus appenderentur, quæ tenteria sustinerent : tamen in tentorio tabernaculum, quod Moyses erexit in deserto, possumus accipere, et in tabernaculo templum, quod Salomon demum ædificavit. Quæ utraque propter scelera Judæorum Dominus in manibus inimicorum dissipanda et demolienda tradidit. Primum quidem repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum ubi habitavit inter homines (*Psal.* LXXVII). Deinde sicut ipse per prophetam ait : *Faciam domui huic, templo scilicet Salomonis, in quo invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Silo : et projiciam vos sicut projeci universos fratres vestros semen Ephraim* (*Jer.* VII). Cæterum juxta anagogen valde plangendum, quod multos in Ecclesia sic dissipari conspicimus, et demoliri quasi hortum. Sed de quo dicatur horto videamus, ad cujus similitudinem Dominus tentorium suum, scilicet Synagogam Judæorum reprobam, vel Ecclesiam oberrantem a Christo, quæ per tabernaculum jure accipitur, dissipare vel demoliri dicatur. Est namque et ipsa hortus de qua dicitur in Canticis : *Hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* IV). In quo nimirum horto puteus aquarum viventium emanat, et fons hortorum ubi aspirat Auster, removetur aquilo, fluuntque aromata illius, inter quæ sponsus fructum pomorum et favum cum melle comedit. Nunquid ad hujus similitudinem Sy-

Introdusă în format electronic de Google

nagoga vel Ecclesia reproba dissipantur membra, cujus emissiones nihil aliud sunt, quam paradisus ? Nequaquam hoc dixerim, sed est alius hortus deliciarum quasi paradisus Dei, de quo Moyses in Genesi, quod levaverit Lot oculos suos et vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam, sicut paradisus Domini, et sicut Ægyptus (*Gen.* XIII), ut esset hortus deliciarum, et voluptatis. Ad quas itaque delicias Judæi suspirantes gemebant super ollas carnium, allia et cepas, peponesque ac cucumeres Ægyptiorum desiderantes (*Exod.* XVI ; *Num.* XI), quæ omnia sunt in animo eorum , qui terrena sapiunt. Ad cujus horti similitudinem, dissipat Dominus non minus de Ecclesia lascivientes , et ad Sodomitica Ægyptiorumque desideria prava reflectentes, quam et de Synagoga oberrantes. Demolitur ergo Dominus tabernaculum suum, quando in Ecclesia degentes sceleribus et flagitiis permittit exterminari, et vitiis intus omnia concremari. Alioquin, Spiritu **1378** sancto teste, nisi qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, non potest conversari in tabernaculo Dei (*Psal.* XIV), neque absque iis quæ sequuntur in eo coædificari. Quibus prætermissis præceptis, etiam oblivioni tradit Dominus, qui nonnunquam oblivionem patitur, festivitates et sabbata nostræ quietis : non quod solemnitates ei non placeant nostræ religionis, sed quia Dei prius tabernaculum vel templum Spiritus sancti in nobis violatur, non est in quo reliqua Deo ut placeant offerantur. Unde oblivioni ea tradere censetur, quia nobis profecto ad justitiam sine bonis justisque operibus imputantur : imo rex et sacerdos opprobrio traduntur, qui sanctam Dei Ecclesiam nutrire, juxta Isaiam, debuerant, ex quo *et erunt*, inquit, *reges nutritii tui* (*Isa.* XLIX). Sed quia templum sancti Spiritus pravis violant operibus, opprobrium sunt magis hi in Ecclesia quam decus. De quibus David : *Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui judicatis terram : Servite Domino in timore* (*Psal.* II), et cætera quæ sequuntur. Unde insinuat quia genus regale et sacerdotium sanctum sumus (*I Petr.* II), si pias et salutares Deo hostias offerre volumus. Tabernaculum sancti Spiritus, in quo digne offerantur, etenim ne demoliatur vitiis, diligentius necesse est observemus. Moraliter autem anima habet tentorium et tabernaculum , in quo sæpe sanctus Spiritus cum ea confabulatur, quod mox dissipatur quasi hortus , si se resolverit in luxum, et varia oblectamenta pravæ delectationis. Dissipantur quidem tentorium et tabernaculum ut hortus, non ille deliciarum Dei sed quasi hortus super quam Sargon dux Assyriorum præesse legitur (*Isa.* XX). Sargon quippe *princeps hortorum* interpretatur, voluptatibus et luxuriæ dedicatus. Denique et Achab rex Israel vineam Naboth vertere vult in hortum (*II Reg.* XXI). Quod ille, juxta leges tropologiæ, intelligens, mori maluit, quam consentire, ut hæreditas paterna tantaque virtutum possessio, impii regis in delicias verteretur. Sed quia infelix et misera anima tentorium suum, carnem videlicet quæ ossibus et nervis compaginatur deliciis et luxu dissipari exterius consentit, et tabernaculum, seipsam scilicet, interius voluptatibus demoliri : quid aliud, quam vineam et hæreditatem summi Patris, in hortum concupiscentiarum, nequissimo regni, transmutare permittitur ? Et ideo demum omnes festivitates ejus et sabbata Dominus oblivioni tradit, quia templum, in quo offerri deberent vota et solemnia celebrari, his **1379** demolitus est deliciarum illecebris, et destructum carnis tentorium voluptatum oblectamentis. Cujus rex et sacerdos dantur in opprobrium, eo quod his omissis officiis, infelix anima regibus se subdiderit impiissimis : uni eorum qui Azotos (*Isa.* XX) devastat generationi ac libidini servientes, quia Azotus *generatio libidinis* interpretatur : alteri vero qui florentes Christi vineas in hortum concupiscentiarum vult sibi commutari. Et hinc est quod sequitur :

ZAIN.

Repulit Dominus altare suum, et maledixit sanctificationi suæ : tradidit in manus inimici muros turrium ejus. Altare suum repulisse, ut sanctificationi suæ maledixisse dicitur : quia omnia sacrificia legis et altare cum universis utensilibus, in quo victimæ offerebantur, sprevit, atque simul cum urbe et populo in manibus hostium una cum propugnaculis diripienda tradidit. Hic quoque ingressi in templum universæ terræ sanctius vocem dederunt in domo Domini, ubi quondam laudes solemnibus diebus, per diversa canebant organa, ritu inviolabili, et Domini augustius renitebat gloria. Quod et Isaias deplorat, dicens : *Respice*, ait, *ecce populus tuus omnes nos, et civitas sancti tui facta est deserta Sion, deserta facta est Jerusalem, desolata domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ. Ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas* (*Isa.* LXIV). Allegoricus autem sensus congruere satis non videtur, quod repulerit Dominus altare suum de Ecclesia, in qua Christus altare creditur esse hostia et sacrificium, pontifex et sacerdos. Non enim aliud altare recte dicitur Ecclesiæ fore, quam hoc unum, in quo vota et sacrificia omnium offeruntur fidelium, licet et altaria leguntur plurima, de quibus in Psalmis : *Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus* (*Psal.* LXXXIII). Sed sic sunt sancti altaria quemadmodum lux, seu cætera quæ de ipsis prædicantibus, idcirco hoc unum altare sub quo sanctorum animæ requiescunt, ut altaria ex eo jure nominentur : quia nequaquam fas est dicere quod eum repulerit Dominus, nisi forte in passione quando pro Judæis orat, dicens (*Luc.* XXII) : *Pater, transfer a me calicem istum* ; et deinceps : *Quod si non potest transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua* ; et hoc sit repellere non eum pro eis audire, imo per eos pro quibus rogat mortem passionis suscipere. Unde quasi repulsus a **1380** Judæis, paterno judicio translatus

Introdusă în format electronic de Google

est ad gentes. De quo sane David : *Tu vero*, inquit, *repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum* (*Psal.* LXXXVIII). Distulisti autem, ne ultra Judæis, amisso sacrificio, altare esset, super quo suas offerrent hostias. Quia profecto sicut omnia illa de sacrificiis figuram gerebant Christi (*I Cor.* X) : ita et altare de impolitis lapidibus quos ferrum non attigerat, ædificatum (*Deut.* XXVII), corpus præfigurabat Dominicum, nullo humano opere contaminatum. Sed quia translatus est Christus ad Ecclesiam, in ea fideles devoti sua offerunt vota, pro quibus et compassa una cum apostolis plangit Ecclesia, non quod a se depulsum et translatum doleat, sed quia ejus pro morte contristatur cum apostolis, ut una cum eisdem de resurrectione gaudeat. Unde mos inolevisse creditur ab eisdem apostolis, cum traditur eo die quo passus est, quod nulla mystica in orbe terrarum corporis et sanguinis Christi offertur hostia, tribus reor de causis : vel, quia ipse in veritate immolatur, cujus hæc cæteris diebus mystica sunt sacramenta : vel, quia ipse pontifex Christus qui ea recte offert, eo die peremptus per seipsum descendit ad inferos : vel, quia templo soluto et altari in mortem depulso, non est ex mysterio, in quo alio altari corporis et sanguinis offerantur victimæ. Sequitur : *Et maledixit*, inquit, *sanctificationi suæ*, præsertim quia cum peccatum non haberet, pro nobis, secundum Apostolum, peccatum factus est (*II Cor.* V). De quo Moyses in lege : *Maledictus*, inquit, *omnis qui pependit in ligno* (*Deut.* XXI). Hoc est ergo maledixisse sanctificationi suæ, in quo omnis nostra sanctificatio manet, pro nobis in ligno crucifixum fuisse. Sicque accidisse quod deflet : quia tradidit muros turrium ejus in manu inimici, quando apostolos, qui muri recte creduntur, turrium ejus, cæterorum scilicet sanctorum, tradidit in tentationem inimici, qui eos expetierat sicut triticum ad cribrandum (*Luc.* XXII), et nisi pro eis orasset pastor bonus, a fide lassati, in ejus victi remanerent manu. Quod autem sequitur : *Quia dederunt vocem in domo Domini sicut in die solemni*, nullus ignorat legentium Evangelium, quanta confusio tunc fuerit in domo Domini, quanta in atriis et in plateis, quantaque in tota civitate illa : præsertim cum esset dies solemnis, sed non de illa meditabantur, qui voces dabant ubique altissimas, et confusas clamore plenas. Hinc quoque Isaias de Synagoga : *Exspectavi*, ait, *ut faceret judicium, et ecce clamor* (*Isa.* V). **1381** Qui profecto clamor jam tunc in auribus prophetarum resonasse creditur. Tropologice vero, in anima repulit Dominus altare suum, quando ara cordis intus profanatur, et prostituitur, ut polluta sit mens et conscientia ejus. Non enim alibi acceptum Deo sacrificium offertur. De quo David : *Sacrificium Deo*, inquit, *spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L). Sed cum ara cordis ab immundis spiritibus intus contaminatur, non inconvenienter una cum ipso sacrificio quod repellitur, etiamsi et sanctificatio ejus maledicatur, dum maledictionibus subjacere probatur. Quod quia nomen Dei in se sanctificari noluit, maledictionibus multatur, et traduntur muri turrium ejus in manus inimici. Turres vero animæ sunt fides, spes, vel cæteræ virtutes, quibus profecto turribus anima erecta ad cœlum usque attingit. Sed quia istæ turres suos habent muros, quibus muniantur cæterarum scilicet virtutum opera : muri turrium ejus tundantur in manu inimici, quando intus forisve anima suis actibus dissipatur. Et dant vocem hostes in domo Domini sicut in die solemni, quando universa vitiorum portenta intus perstrepunt, eo quod violato templo Spiritus sancti, non alii quam immundi spiritus in eo habitant, quo nulla nisi sancti Spiritus organa virtutum harmoniam resonare desiderat. Hinc est quod sequitur :

HETH.

Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion : tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione. Nimis ergo profundæ cogitationes Dei sunt, et ideo inscrutabiles. In qua denique profunditate fuit, quod cogitavit Dominus murum dissipare filiæ Sion, et ne daretur cogitandi, more humano, libera facultas, tetendit, inquit, funiculum suum, quatenus secundum mensuram delictorum pœna procederet ultionis : non quod Dominus cogitandi habeat affectus, sed nostro loquitur usu : quia omnia præsentia sunt ei, et nulla effugiunt ejus notitiæ. Propterea et secundum plenitudinem impietatis eorum, funiculus extensus est perditionis. A qua sane perditione dicitur, quod non averterit manum suam donec eis ad mensuram cuncta rependerit : ita ut et in funiculo distributionis, inimicus sibi terram eorum sorte diviserit. Unde et in prophetis alibi ipsa eademque manus (quia illi non **1382** convertantur adhuc) legitur extenta. Hoc quippe est quod plangitur, quia non avertit manum suam a perditione eorum, ut in sinum eos revocaret suæ protectionis, ne ipsi tota die inter gentes, ac si manus Moysi extenta, leprosi et immundi parerent. *Luxit*, inquit, *antemurale, et murus pariter dissipatus est*. Luxisse autem antemurale tropice dicitur, eo quod videntes se recedentibus angelis, quorum servabatur auxilio, lugentes fecerit. Sed melius ad nostram Sion refertur, quoties Dominus super eam funiculum mensuræ peccatorum nostrorum et normam districtionis judicii extendit, ut secundum merita delictorum Ecclesia affligatur. Hinc est quod frequenter muri ejus, defensores videlicet et rectores, dissipantur, cum aut per mortem immaturius subtrahuntur, aut viventes hostium impugnationibus destruuntur. Sed quia justo Dei fit judicio, manum suam a perditione eorum qui corruunt non avertere deploratur, eo quod urbs fortitudinis nostræ multoties offenso Deo, non minus ab invisibilibus interius, quam et a visibilibus exterius devastatur. Hæc est, inquam, urbs fortitudinis nostræ, in qua Salvator, juxta Isaiam, ponendus decantatur murus et antemurale (*Isa.*

Introdusă în format electronic de Google

xxvi). Sed non immerito luxisse plangitur in hac peregrinatione nostra, dum lugubres et lugentes nos insinuat, eo quod in nobis Moab scilicet de patre necdum est humiliatus et contritus usque ad pulverem, nostris sub pedibus conculcatus. Alioquin nisi Moab sub pedibus Ecclesiæ conteratur, nequaquam in ea recte canticum istud cantatur. Unde et sancti: *Quomodo*, inquiunt, *cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* xiii, 6) : namque terra est, in qua de patre diabolo Moab adhuc nec devictus regnat. Ideo luxisse antemurale ejus jure plangitur : quia totum ad caput refertur, quidquid in membris lugendum invenitur. Unde et murus dissipatus plangitur, quoties ipsa divino auxilio desolatur : non quod murus dissipari queat, sed quia protectio ejus ex ea, culpis congruentibus, auferatur. Nam et Dominus quando perituram lugebat Jerusalem, dicens : *Si cognovisses et tu* (*Luc.* xix), etc. Quid aliud quam antemurale ejus flebat? Sed quia indignos se faciebant tanti muniminis, transpositus est ad gentes Salvator, quasi antemurale, qui scit compati et condolere nostris infirmitatibus, et factus est nobis murus. Moraliter autem, Dominus cogitavit dissipare murum filiæ Sion, id est animæ, quæ **1383** filia nominatur, ut in Psalmo canitur : *Audi, filia, et vide* (*Psal.* xliv). Sed quia videt eam Dominus de arce contemplationis suæ ad ima tendere ac refrigerari, cogitavit dissipare murum ejus, nec tamen libere (licet omnia nuda sint ei et aperta) donec tendat funiculum suum, et videat cujus mensura vel pondere punienda sint uniuscujusque peccata. Primum quidem deliberat, ut facultas sit animæ redeundi ad pœnitentiam, et cogitat quatenus et ipsa antequam dissipetur muris auxilii ejus, de se recogitet extenditur funiculus super eam jam quanta sint ejus delicta vel qualia, si quomodo intelligat. Sin autem noverit quod non avertit manum ultionis suæ Dominus a perditione, et hoc est quod sequitur : *Luxit antemurale, et dissipatus est murus ejus.* Hoc igitur cogitaverat Dominus, necdum libere, sed scrutans et pertractans ac deliberans, ut et convertendi daretur libertas. Illa vero quia noluit, nec ipse avertit manum a perditione, sed in fine, excrescentibus malis, dissipatur murus ejus undique, et illa diripitur ab hostibus. Videant qui temere de singulis indicare non metuunt, neque volunt causas perpendere : cum ipse Dominus per se non absque mensura et deliberatione dicitur inferre judicium : cujus examen non potest humana fragilitas apprehendere, in cujus profecto arbitrio, et magnitudo pœnarum est et mensura. Quod autem lugere dicitur antemurale, dissipato animæ muro, fides est : non illa quæ per dilectionem operatur, sed qua dæmones credunt et contremiscunt (*Jac.* ii). Per quam itaque fidem antequam murus ejus dissiparetur, virtutum scilicet cæterarum constructio, erat ei Christus murus et antemurale, per eamdem fidem in anima collocatus. Sed quia noluit infelix custodem et defensorem Christum habere, dissipantur virtutum opera, et luget antemurale, fides videlicet qua credit futurum Dei judicium et contremiscet : nec tamen adeo se valet, hostibus jam exposita, expedire vel defendere: non quod ei locus non pateat pœnitentiæ dum vivitur, sed quia impius in profundum malorum cum venerit, contremuit (*Prov.* xviii). Quod cernens propheta, plorat amarissime profecto : quia videt animam virtutibus destitutam, quam, prius quam peccaret, fluminis impetus lætificabat quasi civitatem Dei (*Psal.* xlv). De qua propheta cecinerat, quod Salvator ponetur in ea murus et antemurale, habitans, per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* iii). Nunc vero ab hostibus **1384** obsessa, pro cantione lætitiæ solum in ea antemurale luget, quod destinata sit ad inferos, ubi est inexpiabilis luctus et stridor dentium sine fine habendus (*Matth.* viii ; *Luc.* xiii). Sequitur :

TETH.

Defixæ sunt in terra portæ ejus : perdidit et contrivit vectes ejus, regem ejus et principes ejus in gentibus. Non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. Juxta historiam, per portas defixas in terra et vectes perditos et contritos, doctores Synagogæ vel defensores vult ostendere, qui mentem in terrenis fixerunt rebus, dissipati sunt et contriti. Regem ejus et principes ejus in gentibus, idipsum repetere videtur, ut per portas, reges intelligantur, et per vectes, principes. Qui simul omnes confracti et perditi sunt in gentibus, atque quasi in terra defixi, nec valentes redire ad eum, quem ex lege repromissum suscipere noluerunt. Quod autem dicit, *non est lex*, vel ideo dicit, quia concremata est a Chaldæis, vel quia illis jam nulla est, eo quod in omnibus, omisso Christo, violata est et destructa, in tantum, ut jam ejus apud Judæos nulla sit observatio. Sed et prophetæ nullam deinceps repererunt visionem a Domino, quia ipsum verum legislatorem et Dominum prophetarum, de quo lex et prophetæ usque ad Joannem cecinerunt (*Matth.* xi), præsentialiter ad se venientem recipere contempserunt. Spiritualiter autem : Propheta gemit super Ecclesiam, imo ipsa in suis gemere probatur, quod portæ ejus defixæ sunt, doctores videlicet et magistri, in quibus clavis vertitur scientiæ in terra, dum carnalibus et terrenis occupantur operibus. De quibus jam supra planxerat, quod destructæ essent, nunc vero aliquid magis dolet, quia defixæ sunt in terra. Quod enim infixum est, non facile movetur. Et hinc est quod David in Psalmis orat : *Eripe me de luto, ut non infigar* (*Psal.* lxviii). Quoniam quod infixum est, ut dixi, non facile resolvitur. Vel nescio si removeri queat, nisi ab eo cui cedunt omnia antequam demergatur, ut urgeat super eum puteus abyssi os suum (*Apoc.* ix). Porro vectes perditi et contriti fiunt, quando hi qui divinæ legis januas credentibus aperire vel non credentibus obserare debuerant, vel in circulos intromitti ad divina mysteria perferenda, hæreticorum conteruntur viribus, vel suis perditis depravantur moribus. Quibus defixis et contritis in **1385** limo terreni desiderii, etiam ipsi reges, de

Introdusă în format electronic de Google

quibus jam supra dixi, et principes in vitiis carnalis vitæ quasi in gentibus captivantur. Quod autem dicit, quia *non est lex*, non ideo quod non sit spiritualis, sed quia excrescentibus malis apud improbos non imputatur aliquid esse, dum cogitant se sine legis vindicta peccare. Tales quippe doctores ecclesiarum, ac prophetæ Judæorum visionem non merentur divinæ inspirationis, ut recte doceant in futuris, qui se impræsentiarum vanis et pravis implicant erroribus. Secundum tropologiam vero, anima jure plangitur, cujus sensus defixi sunt in terra, scilicet in limo peccati, et nulla est virtutum substantia evadendi : quæ, quia per angustam noluit intrare januam, portas suas, sensus videlicet, in terrenis confixit oblectamentis, et perdidit ac contrivit vectes et seras virtutum, ne ullus ad eam immundorum spirituum prohibeatur ingressus. Quibus ita confractis, jam deinceps omnis, quo regebatur mandatorum Dei, principatus captivatur vitiis, in tantum, ut non sit ei lex, nec visio a Deo inveniatur, ut corde audiat quid ei Deus loquatur intus, sed effrenis vadit post vana suæ mentis, et sui sectatur cordis desideria. Et hinc est quod sequentibus verbis plangitur.

JOD.

Sederunt in terra, conticuerunt senes, filiæ Sion consperserunt cinere capita sua : virgines Jerusalem accinctæ sunt ciliciis. Abjecerunt in terra capita sua virgines Juda. Patet sensus, quod more paterno, tantis oppressi tribulationibus Judæi, tali se continentiæ habitu plangebant. Tamen hi maxime, non sine causa, aut plangunt, aut planguntur, in quibus plurima virtus esset honestatis, et auctoritas religionis, si suæ servarent vota proprietatis. Mystico autem sensu, senes ecclesiarum Dei tunc merito tacent, quando sedent in terra. Unde nescio, si senes vocari debeant : aut quia in terra sedent, aut quia tacent, nisi forte tales intelligantur, qualis ille senatorum chorus cum quibus venturus ad judicium, qui sciunt eorum in se formam assumere, pro quibus lugent : et ipsi tamen a solio arbitri non descendere, quamvis videantur una cum peccatoribus, quasi in terris positi, nostræ vitæ maculas deflere. Sed utinam in nobis tales essent, nequaquam igitur dixerim quod lugendi essent : magis vero eos lugent, quos πρεσβυτέρους Græci vocant, **1386** qui nullo senectutis opere decorantur, sed quasi fatui torpentes, in terra sedent, dum terrenis et carnis occupantur operibus. Tales itaque plangit, quales in Daniele super Susannam insanisse legimus, de quibus dicit : *Inveterati dierum malorum, nunc venerunt peccata quæ operabamini* (*Dan.* XIII). Cæterum filiæ Sion quæ consperserunt cinere capita sua, et virgines Jerusalem, necnon et virgines Juda, unius significationis esse videntur, quamvis diversa introducantur nomina. Quia renatorum animæ, illius cœlestis Jerusalem sunt filiæ, sed habent differentias suas, aut ex speculatione divinæ contemplationis : quas bene in Canticis languens anima, præ amore sponsi : licet percussa ab hostibus et custodibus hujus sæculi vulnerata, necnon et exspoliato pallio justitiæ, ardenter adjurat, dicens : *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo* (*Cant.* v). Has igitur adjuratrices quas implorat, non puto quod cinere conspersas, aut cilicio indutas credat, quas non dubitat cum sponso posse confabulari. Alioquin, nisi excelsiores Jerusalem filias eas intelligeret, supernasque virtutes et sanctorum sublimium animas, nunquam tam lacrymabiliter eas pro se adjuraret, ut dignaretur una cum intercessionibus lamentationem sui languoris amoremque sponsi auribus intimare : quatenus idem errantem revocet inter greges sodalium, consoletur mœstam, percussam relevet a plaga, et sanet vulneratam suo vulnere, necnon et exspoliatam vestiat salutis indumento. Novit igitur talis quod plurimum valeat apud dilectum sponsum sanctarum intercessio animarum : ideireo ardenti animo adjurat eas, nec dubium quin licet pro se adhuc dubitanter dicat quod per eum a quo nihil eis aliquid charius esse existimat. Sed nunquid tales esse creduntur filiæ, quas propheta luget? Vel nunquid aspergunt capita sua cinere et cilicio vestiuntur, quæ festinant venire, vel pervenisse se gaudent ad amplexus et oscula sui sponsi? Nequaquam recte hoc aliquis dixerit, sed istæ sunt filiæ Sion, nomine tantum et regenerationis sacramento, quæ ceciderunt de throno regni, aut in hæresim, aut ad pulvereas vitæ actiones, quibus oppilatum est os, nec audent oculos sursum levare ad Deum, sed capita sua, mentes videlicet, pulvereis aspergunt operibus, et sacco vestiuntur cilicino, **1387** peccatorum contexto setis caprarumque pilis. Et quia semel dejecerunt capita in terram, mentes scilicet in terrena convolventes oblectamenta, nolunt se erigere, neque excutere de pulvere : si quomodo prius, rursus induantur ab sponso, suis ornamentorum vestibus. De quorum igitur collegio et numero fortassis illa quæ sic adjurat, licet male vulnerata, et nuda jam evaserat, quærens dilectum suum, amore languida : nec tamen per se accedere præsumit ad eum quasi impudica. Ideo supplex, ante se intercessores et legatos adjuratos, ardenter dirigit et exoptat. Sed miseræ interdum animæ, licet filiæ dicantur Sion, Jerusalem et Juda, sic se hactenus delictorum circumdant exuviis, et mentem terrenis obvolvunt indumentis, quasi nunquam velint assurgere. Pro quibus sane non dico Jeremias, fratrum amator, verum et omnis sanctorum chorus jure plorat, nostraque immanissima plangit excidia. Quia et si recte vellent, amisso sponso, post persecutiones multiplices et vulnera, post nuditatem et maculas, forsitan et si non mox dilectum, saltem filias Jerusalem sanctorum scilicet invenissent animas, quæ illam suis precibus et meritis suis, denique monitis et exemplis, ad dulcia sponsi oscula reveherent, si se de pulvere excuterent, mentemque a terrenis erigerent. Unde adhuc et filiæ vocantur Juda et Jerusalem, quatenus, audito

Introdusă în format electronic de Google

nomine, veræ fidei confessionem recipiant, et ad visionem pacis quandoque per bonam voluntatem intendant, donec rursum per adoptionem, contemplationem divinæ inspectionis clementer recipiant. Moraliter autem, anima cum spiritum consilii amiserit, quasi de senectute gravitatis, et dignitate maturæ vitæ, in terrenis residens, infatuatur : quia nullo sapientiæ sale conditur, dum terrena inhiat, carnisque sectatur illecebras : et hoc est senes sædere in terra, omnes consilii cogitatus, et prudentiæ actus, in voluptatibus hujus vitæ, et lucris sæculi versari. Quibus cum occupatur anima curis, conticescunt apud Deum omnes animi conatus. Unde et David gemens : *Quoniam tacui*, inquit, *inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die* (*Psal.* XXXI). Ergo ea quæ intus quasi inveterascunt, dum veteris hominis lucra sectantur, quid aliud quam cariosi senes, de specula cœlestis vitæ prolapsi in terra, conticescunt a bonis : et si videantur tota die, impræsentiarum videlicet, negotia vitæ hujus clamare ac requirere? Unde et filiæ Sion, scilicet animæ, **1388** mentem quam polluere talibus non pertimescunt actibus, quid aliud quam pulvere aspergunt caput? Deinde vitiorum setis circumamicta et caprarum pilis gloriam, quam in cœlestibus habere poterat, mente jacens in terra devolvit, donec in pulverem revertatur caro unde sumpta est, et finis ejus interitus fiat sempiternus (*Gen.* III ; *Philip.* III).

CAPH.

Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum. Nec dubium, quin videns propheta contritionem populi, nullique sexui vel ætati hostes in nece parcere, ingenti dolore turbatus, fletu maximo deplorat, ita ut oculi præ lacrymis deficerent, et omnis jucunditas delectamenti vertatur in anxietatem cordis. Quid enim magis dolendum, quam quod natio antiqua semen patriarcharum atque amicorum Dei, divinis legibus erudita, et prophetarum oraculis sæpius confortata, in tantam apostasiam venerit, ut Dei sui oblita, propter immanitatem scelerum, traderetur in manus hostium? Ergo spiritualiter, Quomodo defecerunt oculi prophetæ præ lacrymis, nequaquam reor simpliciter accipiendum, sed sicut David canit : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me?* (*Psal.* CXVIII.) Laudabilis quidem et felix defectus, non veniens ex infirmitate carnis, sed ex fortitudine desiderii : quia omnino mens sanctorum, cum ea ardentius intentiusque intendit quæ non videntur et sempiterna sunt, deficit ab intuitu eorum exterius, quæ præsentis vitæ et vana sunt. Siquidem alii sunt isti oculi carnei, alii qui aperti sunt, quando Adam (*Gen.* III) gustavit vetitæ arboris pomum : alii, qui laudantur in sponsa, de quibus dicitur in Canticis, *Oculi tui columbarum* (*Cant.* I). Sed cum isti qui columbarum laudantur divinitus illustrati, purius atque ardentius cœlestia contemplantur mysteria, omnes reliqui deficiunt : quia tanto minus concupiscibilia exterius intendunt, quanto isti ardentius divina introrsus penetrant et intelligunt. Unde et videntes prophetæ sunt vocati (*I Reg.* IX), eo quod illa quæ manent in Spiritu perspicacius conspicerent. Nequaquam igitur eos otiose defecisse ingemuit præ lacrymis, sicut et David *in eloquium tuum* addidit. Felix quidem defectio, quæ non detrimentum, sed augmentum capit, dum ad ea crescit oculus quæ intendit. Ergo prophetæ oculi, cum deficiunt præ lacrymis, **1389** non minus ea cernunt quæ diligunt, quam quæ dolent et plangunt. Unde et ardentius tanto adeo se dirigunt, quæ manent, quanto vident clarius amariora esse et dura pro quibus dolent. Alioquin sanctis semper dulces sunt lacrymæ, et ad omnia impræsentiarum congruentes. Propter quod David, *Fuerunt*, inquit, *mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI), in prosperis videlicet et in adversis, quia sicut panis ad omnia, quæ in usibus vitæ veniunt, videtur congruere : ita lacrymæ in doloribus et angustiis, in pressuris et tribulationibus, in desiderio et fervore amoris, etiam in gaudio et compunctione divinæ recordationis. Fateor quod nullus humor corporis tanto sale conditur, neque eo magis anima, qualibet afflictione mota consolatur. Et hinc est quod Ecclesia una cum Jeremia ad lacrymas quasi ad consueta doloris sui medicamenta, recurrit, seque totam pro suis male perpessis membris in lacrymis transfudit, ita ut vere cum propheta dicat : *Defecerunt oculi mei præ lacrymis, et omnia viscera mea conturbata sunt.* De quibus nimirum visceribus jam supra planxerat, quando ventrem suum turbatum dolebat : quippe, quia hoc sunt viscera, quod venter, eo quod intra ipsum sunt quasi receptacula colluvionis. Per quæ, ut jam dictum est, multitudo fidelium, quæ divinis quotidie infra uterum Ecclesiæ repletur alimentis, accipitur. Sed commota pressura tentationis, aut pro eruditate doctrinæ, aut morum pravitate mox conturbantur, et velut mare fervent, pro quibus excelsiores animæ indesinenter curam et sollicitudinem gerunt. Unde et Ecclesia, quasi parturiens : *Conturbata sunt*, inquit, *viscera mea*, et *effusum est in terra jecur meum*. Nam per jecur, existimo, illi recte intelliguntur qui locupletes in Ecclesia curis et voluptatibus deserviunt : sicut et physici philosophantur, quod in jecore voluptas et concupiscentia sedem habeant ; unde tales monet Apostolus revocari, ne sperent in incerto divitiarum, sed, *qui habent*, inquit, *sic sint quasi non habentes ; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint ; et qui possident, tanquam non possidentes* (*I Cor.* VI). Alioquin cum hi se effundunt per varia mundi desideria, et relaxant frena concupiscentiarum, quid aliud quam jecur Ecclesiæ in terra effunditur? Nam qui, sicut docet Apostolus, habent, ut ita dicam, concupiscentias hujus vitæ et voluptates, eas videlicet res in quibus concupiscentia nutritur **1390** vix sine sua relaxatione in terra ea valent amplecti, quanto magis cum omnes concupiscentiarum habenæ laxan-

Introdusă în format electronic de Google

tur? Unde gemens Ecclesia, pro talibus *effusum est*, ait, *jecur meum in terra*. Et notandum quod non hepar sine felle habetur : ita et divitiæ, nescio si unquam sine amaritudine possideantur. Dicitur autem quod ad se calore suo succum ciborum trahat, vertatque in sanguinem, quem sane ad usum pascendi nutriendique singulis membris præbet, et hoc forte est, quod Apostolus docet : *Et qui habent, sic sint quasi non habentes*, ut in sanguine redemptionis suæ ea vertant, et singulis Ecclesiæ membris, quasi ex abundantia sanguinis, pastum et alimentum præbeant. Hinc quoque sequitur : *Super contritionem filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi*. Ac si diceret : *Effusum est jecur meum in terra, super contritionem filiæ populi mei :* quia Ecclesia Christi, quæ filia sanctorum jure vocatur, tunc conteritur et afficitur tentationibus, quando jecur ipsius, divites videlicet et potentes, in terrenis se effundunt desideriis, et sola quæ præsentis vitæ sunt inhiant. Tunc itaque *parvulus et lactens in plateis oppidi* deficiunt, quando tales omni felicitate sæculi abundare videntur. Sin alias, nisi parvuli et lactentes essent in fide et doctrina Christi, pro talibus nunquam in plateis deficerent. Hinc et David, *Mei autem*, inquit, *pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* (*Psal.* LXXII). Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quandoquidem moventur pedes cum fide parvuli, et in doctrina necdum idonei, zelant eorum felicitatem qui terrenis incumbunt lucris, relinquentes viam angustam, *quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII), exeunt in plateis, et effundunt se ut pereant. Porro tropologice bene anima plorans : *Defecerunt*, inquit, *præ lacrymis oculi mei*, quando amore languida videt viscera sua interius conturbari, nec valet conceptiones mentis suæ ad ea quæ oculus intendit dirigere. Viscera quippe ejus sunt conceptiones cogitationum. Quas itaque conceptiones videt interius conturbari oculus rectæ intentionis, et deficit præ lacrymis, nec valet libere contueri ea quæ cupit, dolore pressus amaritudinis. Quia *effusum est*, inquit, *in terra jecur meum*, id est omnis ejus voluntas et concupiscentiarum luxus, quarum colluvione etiam in ea divinus ignis exstinguitur. Et quia ignis humani corporis in jecore, ut aiunt philosophi, sedem habere creditur, inde usque ad cerebrum **1591** subvolvat : deinde usque ad oculos, cæterosque sensus et sic per membra diffunditur. Unde (*Gen.* VIII) cum prona est mens et concupiscentia ejus in malum, et ignis ille de jecore in terra effuso ad oculos usque attollitur, quid aliud quam defectum rectæ intentionis inferre creditur? Et hinc est quod plangit : *Defecerunt oculi mei præ lacrymis*, quia ex dolore quo lacrymæ nascuntur defectus divinæ contemplationis generatur. Et notandum quod effusio jecoris ad terram, non nisi de contritione animæ, quæ filia sanctorum esse debuit, eo quod conculcata est ab hostibus evenit : unde tam exterior sensus, virore gratiæ, parvulus, quam et mens introrsus lactens, defecta virtutibus, per plateas hujus sæculi male dilapsa, non est quo se vertat, nisi ad lacrymas, ex quibus, licet oculi graventur, saltem fletibus consolatur. Unde sequitur·

LAMED

Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum? Judæis quod etiam atrociora contigerint nulli dubium. Nostra vero Jerusalem amara plorat, quia numerosior ejus pars vulnerata in plateis exhalatur cum relicto angusto itinere, vias arripit latiores (*Matth.* VII). Inter quas illa nimirum corruit, quæ recordata sui fœderis, in Canticis, gemebunda sponsum quærit : *Quæsivi*, inquit, *eum, et non inveni, vocavi et non respondit mihi;* ac deinde : *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem : percusserunt me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum* (*Cant.* 5). Quæ profecto, si sponsi frueretur intus amplexibus, foris vulnerata non esset. Sed quia parvulus et lactens, ut uterque sexus comprehendatur, latiores vitæ vias expetunt, et longius plateas hujus sæculi requirunt, pervagando una cum prodigo ex Evangelio filio, universis exspoliantur bonis, et fame pereunt (*Luc.* XV). Et hinc est quod sanctorum chorus luget. *Matribus*, inquiunt, *suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis?* Sed miseræ matres, quæ filios suos ad tantam inopiam longe a patre abduxerunt.

Ex quo notandum quod parvulus et lactens ipsi sunt, adolescentior filius, generosæ nobilitatis indoles, sed sua pervagatione et consumptione rerum inopes, unde norunt quibus in domo patris usi sunt cibis : Non enim aiunt : Ubi est hordeum, **1392** aut siliquæ, quæ famelici gratanter accipiunt, sed *ubi est triticum et vinum?* Norunt igitur, etsi degeneres suo vitio, quales eos primum pater genuerit : propterea et prodigus ille filius concupierat saturari de siliquis, quas porci manducabant. *Quanti*, ait, *mercenarii abundant panibus in domo patris mei?* (*Ibid.*) Sed et Isaac de filio suo Jacob : *Frumento*, inquit, *et vino stabilivi eum*. Quia profecto duobus istis libertas pascitur, ut pane confirmetur cor hominis et vino, id est gaudio Spiritus sancti lætetur interius (*Gen.* XXVII). Non enim alio pane libertas nostra utitur, nisi (*Joan.* XII) qui de grano frumenti, quod in terram cecidit, et mortuum fuit, conficitur. Qui profecto panis de cœlo venisse creditur, neque alio vino, nisi quod de vinea Sorech, et vite, quæ Christus est, vindemiatur (*Joan.* VI; *Isa.* V; *Joan.* XV). Hoc quippe vinum, et hunc panem, parvulus et lactens a matribus requirunt : sed quia in plateis non invenitur, neque vulnerati eum digne accipiunt, exhalant animas suas in sinu matrum suarum, quæ illos male aluerant, et in sinu oblectationis pessime illexerant. Eruditior enim ille filius, qui ad patrem suspexit egens, quam isti qui a voluptatibus carnis quasi a matribus ea requirunt (*Luc.* XV) : quoniam paterna sunt ista. Alioquin, si cum Patre essent, aut ad Patrem domum redirent, animas fame

Introdusă în format electronic de Google

non exhalarent : Sed quia caro eos decipit, errant : et si non in eo quod panem vinumque requirunt, saltem quia in carne torpentes, ab ea ista petunt. Nesciunt miseri quod qui in carne sunt Deo placere non possunt (*Rom.* VIII). Idcirco in sinu carnis intereunt, quoniam hi filii Patris sunt, *qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I). Moraliter autem, pene idem est sensus : quia anima, relicto districtionis itinere, cum cœperit se dilatare exterius, quasi per plateas voluptatis arripit latam et spatiosam viam, quæ ducit ad mortem. Et ideo Dominus ex Evangelio : *Esto*, inquit, *consentiens adversario tuo, dum es cum eo in via* (*Matth.* VII), id est verbo Evangelii, quod adversari videtur vestris pravis desideriis, *ne forte tradat te judici*, et cætera (*Matth.* V). Alioquin parvuli, cogitatus vestri, et lactens animæ scientia, si ad exteriora carnis et plateas delectationis se projecerint, non habent a matribus quid reposcant, scilicet ab illecebris sibi male blandientibus; quoniam eis nec panis est qui cor hominis confirmat, doctrina videlicet spiritualis : nec vinum quod lætificat; Spiritus sancti gratia intus, qua mentes inebriantur fidelium. Et ideo bene, dum requirunt ab iis in quibus et cum **1393** quibus ista nunquam inveniuntur, exhalant animas, qui talia sunt sicuti in sinu gehennæ ad mortem, quæ illas genuit, dum caro, quam quasi matrem crediderunt, in terram rediit. Unde quam bene per quemdam sapientem dicitur : *In die bonorum, ne immemor sis malorum* (*Eccli.* XI); et : *Beatus homo qui semper est pavidus; quia qui mentis est duræ, corruet in malum* (*Prov.* XXVIII). Quod quia gens illa noluit emolliri digne ad pœnitentiam, plangentis affectu, propheta gemebundus ad ipsam Jerusalem, querelas suas convertit, dicens :

MEM.

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem, cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Certum quod sicut sub cœlo nulla fuit antiquitus gens tam gloriosa, uti Jerusalem illa præ omnibus regnis inclyta : ita nulla felicior quam nostra, quæ est mater omnium nostrum, et filia cœlestis patriæ, quæ sponsa Christi appellata est, et conjux, nec non et anima in ejus corpore consecrata, gloriosissima creditur, cujus in cœlo municipium esse non dubitatur et hæreditas. Quarum justificatio, non nisi ex Deo creditur, cum una ex omnibus in cœlestibus futura Ecclesia prædicatur : ut sit corpus unum cum capite suo (*Gen.* II), de carne ex ossibus ejus in fide et charitate compaginatum; et sicut in cœlis una ex omnibus est civitas gloriosa, quæ colligitur, de qua David : *Gloriosa*, inquit, *dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI), ita et una est illa Babylon a Christo quæ degenerat et fornicatur. Unde pro brevitate legentium, super harum trium ruinas, contra cœptum explanationis ordinem : quia pene unus est casus, unus adhibendus est luctus, ut dicatur de omnibus, dicatur et de singulis : *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem, cui exæquabo te, virgo filia Sion?* Quia sicut nulli est mortalium gloria excelsior earum, quæ pervenerunt *ad bravium supernæ vocationis* (*Philip.* III) : ita nulli est comparanda ignominia tam immanissimæ confusionis. Nam et trina repetitio verborum diversa sub una significatione, harum trium, videtur lugendo unam colligere, incomparabilem amentiæ cæcitatem, quæ de tanta vocationis suæ gloria, et dignitatis culmine, non dicam de angelorum consortio, verunt et Dei in cœlestibus ut cohæredes essent, ad tantam se ruinam, et informitatem dedecoris projecerit, ut casus earum nescio, nisi diabolo, cui **1394** sit comparandus. Unde in Psalmis : *Ego dixi*, ait, *Dii estis, et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI). Alioquin, qui dii fuerant, et filii Dei adoptati (*Rom.* VIII), nisi ad hominum carnalium redissent actus, et diaboli imitatores essent magis quam Dei (*Galat.* IV; *Ephes.* I), nunquam ut homines morerentur, et quasi unus de principibus corruerunt. Nunc autem, quia de tanta gloria ad tam nefandam ruinam prolapsa est gens illa, vel Jerusalem, quæ filia Dei appellata, seu quælibet anima, lugens propheta, vel chorus electorum Dei, de illa quæ ceciderit, ait : *Cui comparabo te, vel cui te assimilabo?* ac si dicat : Nulli, nisi cujus es imitatrix, illi te coæquari liceat, quia digna est. Nulla est comparatio, vel assimilatio, ubi nulla species vel formositas invenitur; sed totum informitas, horror, vastitas et contritio possidet, et ad non esse tendit : et quod ad non esse tendit, revocari nescio si possit ad essentiam. Et ideo cui comparentur, anima prolapsa, vel Ecclesia ab sponso oberrata, seu gens illa de solio gloriæ dejecta, non facile invenitur. Propterea non est ex quo alterius casu, vel ruina ulla earum consoletur. *Magna est*, inquit, *velut mare, contritio tua*. Quod autem contritio gentis illius, aut Ecclesiæ corruptæ vel animæ prolapsæ, velut mare, magna plangitur : inde est, quod una earum postquam hostibus suis substrata, vel subjecta fuerit, a fervore conculcationis, ac si mare nunquam quiescit; sed, sicut illud magis undarum suarum fluctibus indesinenter alliditur, ita et istæ, postquam in manibus inimicorum provenerunt, ruinis et tentationibus fractæ, conteruntur : a fervore peccati non quiescunt, donec gehenna eos excipiat. Hincque sequitur : *Quis medebitur tui?* Ac si dicat : Nullus, donec ad eum redeas, a quo averteris. Hoc autem loco : Quis, aut pro impossibilitate ponitur, eo quod aliqua earum irrevocabilis post lapsum probatur, aut pro nimia raritate, quia qui mederi possit corruptæ, nullus est nisi unus qui peccaverat, et hoc difficile est utrum ipse velit. Quarum nimirum ruinæ causas, et difficultatem curationis, mox aperit, cum subjungit :

NUN.

Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta : nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam

Introdusă în format electronic de Google

provocarent. Habuit quidem Jerusalem suos pseudoprophetas, ut in plurimis ostenditur locis : habet et Ecclesia, aut hæreticos, aut schismaticos, aut pravos doctores suos, qui **1395** absque temperamento liniunt parietem, juxta Ezechielem, qui singuli dolosis argumentationibus, vel falsis opinionibus, simplicium corda, a veritate rectæ fidei, et statu bonorum operum, subvertunt, teste Petro apostolo : *Fuerunt*, ait, *pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis : et eum qui emit eos, Dominum negantes, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur : et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat, et perditio non dormitet* (*II Petr.*, II). Nec dubium, quod culpa sacerdotum, et eorum qui in lege versantur, ruina sit populi : qui aut falsa docent absque temperamento, quasi quæ vi leant, aut iniquitatem suam populo, seu scelera, sollicite ad pœnitentiam cum provocent, non annuntient. Insuper et plures, quamvis recte doceant, ea quæ bene docuerint, suis pravis (non dico minima, verum etiam et majora) exemplis dissolvunt. et omnia, aut lucri causa faciunt, aut erroris, aut actantiæ, vel desidiæ. Neque enim curam gerunt animarum, sed cuncta sui causa faciunt, sub hypocrisi loquentes, tantum ut ea obtineant quæ sectantur. Falsi (*Isa.* III, VII, XXIII) igitur prophetæ in omnes probantur, qui viam Dei in veritate non docent. Unde sequitur : *Viderunt tibi assumptiones falsas et ejectiones*. Nam in Isaia, ubi noster interpres, onus transtulit Babylonis, vel Tyri, aut Damasci, LXX *visio* verbum dixerunt, Symmachus vero et Theodotio *assumptio* interpretati sunt. Et hoc est quod falsi prophetæ quando vident onus populi, quo verbo, semper tristia quæ sequuntur, et imminentia delictorum supplicia levigare, quasi scripturarum exemplis, et consolationibus suis contendunt, et dejicere suo judicio a dorso peccatorum onera, quæ fabricata sunt : sed utrasque falsas vident, assumptiones videlicet et dejectiones : quia sæpe pro suo libitu, ex levioribus culpis, graviora onera, vel assumptiones pronuntiant, et imponunt populo, et ex gravioribus et innumeris, dejectiones falsas vel levigationes quasi ex divina auctoritate faciunt peccantibus; et nesciunt miseri quod væ illis immineat; quia (*Isa.* V) dicunt bonum malum, vel malum bonum. Et ut Aquila interpretatus est manifestius : væ qui dicunt bono : Malus es, et malo quia bonus. Duobus ergo istis litteris, propheta doctores simul pravos et auditores plangit, juxta interpretationem earumdem litterarum, ut **1396** sit sensus : quod ex Mem, id est ex istis qui male docent, Nun, quod est sempiternum, eis utrisque immineat supplicium, vel quia isti prave, pro meritis eorum, pravos docent : vel, quia illi maledicentes, malos non refugiunt. Habet igitur et anima falsos prophetas suos exterius, cum ipsa se illis subdiderit : sensus videlicet carnis, qui ei semper præsentia ostendunt, et futura negligunt. Habet et interius, pravos siquidem cogitatus, ex prudentia carnis genitos : qui et falsa exhibent nostris obtutibus et stulta. Hi enim quam frequenter damna judicant, quidquid impræsentiarum mens de voluptatibus relaxat; neque iniquitatem esse pronuntiant, quidquid aut acquiritur, aut inimicis rependitur, carni censent indulgeri, longiora nobis promittunt tempora, severa Dei extenuant judicia, et plurima quæ dicuntur non esse futura, vel aliter esse, quam dicuntur, prophetant. Hoc quidem levius fore, illud vero gravius suggerunt, et sua semper leviora putant faventque commissis. Unde Apostolus : *Prudentia*, inquit, *carnis, mors est, quia cogitatus ejus vident jugiter, aut assumptiones falsas, aut dejectiones* (*Rom.* VIII). Rarum quod sibi ignoscant, ut alteri consentiant : et quod uni, ut omnibus : sed semper aut exaggerant, aut assumunt, aut dejiciunt, et imminuunt, et ex istis quidem sibi obedientibus, sempiternum acquirunt supplicium. Et exinde sequitur :

SAMECH.

Plauserunt super te manibus, omnes transeuntes per viam : sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Jerusalem. Alii quidem super Synagogam vel Ecclesiam, aut animam, hunc planctum interpretantes : eos qui plaudent manibus super eas, inimicos esse dixerunt, quasi ex irrisione et gaudio insultantes : sed nos sanctos Patres e contrario esse dicimus, et amicos, zelo et charitate, nimio dolore affectos, qui quoties unam earum projectam a Deo cognoverint, plaudent manibus, non irridentis fastu, sed dolentis et plangentis affectu, quod de tanto culmine et gloria, Synagoga vel Ecclesia, aut anima prolapsa, ad tantam subito et improvise pervenerit ruinam. Unde et transeuntes hi per viam dicuntur. Cæterum hostes Ecclesiæ, aut animarum vel Synagogæ, nequaquam dixerim, quod transeunt per viam : quia *viam pacis* nescierunt (*Psal.* XIII), sed oberrantes a via, huc illucque **1397** tumultuantes, ad ima corruunt. Quod autem dicit : quia *sibilaverunt*, et moverunt capita sua super filiam Jerusalem, subitum et improvisum tam dolentis quam admirantis affectum insinuat eorum, qui ad divina semper tendentes, gemunt et obstupescunt quid acciderit, quod de tam ineffabili gloria, insperate, ad tantam pervenerint apostasiæ insaniam. Solent namque isti motus manuum vel capitis, et sibilus, diversos animi affectus ostendere, et ideo non minus mœrorem cordis et dolorem dicimus significare, quam et insultationis et gaudii seu derisionis. Hincque sequitur : *Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, et gaudium universæ terræ?* Nequaquam igitur hostes Ecclesiæ vel animarum, perfecti decoris eam putant, aut gaudium universæ terræ, cum floret in opere : sed soli sancti sunt et amici, qui eam perfecti decoris esse credunt, uti prophetæ, seu auctores divinarum Scripturarum, in quamplurimis locis decantant, et gaudium universæ terræ indubitanter asseverant.

Introdusă în format electronic de Google

Sed quanto gloriosiorem et pulchriorem eam constare gaudebant, tanto magis admirantur et lugent, cum eam constupratam, et dejectam in manibus hostium vident. Non enim hæccine est, quod aiunt, percunctantis, aut lætantis animo, sed confitentis, quasi hæc est et plangentis : dicunt ut quantum hilarescunt cuncti de illa, quia manet : tantum lugeant, quia fœdatur sordibus, et ad ima ruit. Verum sanctorum gemitum super eam propheta et ipse gemens exhibuit, nunc de inimicorum gaudio et insultatione ploraus, dicit :

AIN.

Aperuerunt super te, inquit, *os suum omnes inimici tui, sibilaverunt et frenduerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus*. Ex utrisque ergo propheta afficitur : vel quia amici gemunt de his tribus, ex quibus una civitas colligitur ; vel quia inimici derident et insultant pro ea de illis quæ ceciderit. *Aperuerunt super te*, inquit, *os suum omnes inimici tui*. Os ergo inimici tunc in nobis aperiunt, cum multa sunt de nobis mala quæ dicuntur. Aliter autem apud judicem qui in nullo fallitur clausum esset, nisi ex nobis innumera forent scelera et peccata, hostis quæ objiceret. Aperiebant ergo contra Jerusalem dejectam os suum ; aperiunt et contra Ecclesiam delinquentem, nec non contra animam, in sanguine peccatorum suorum **1398** conculcatam. Hinc quoque David, *Deus*, inquit, *laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est*. (*Psal.* CVIII). Felix namque cui etsi sint culpæ, quæ objiciantur, sunt et laudes pro ea quæ dicantur. *Sibilaverunt*, inquit, *et frenduerunt dentibus*, quasi leones, inquam, avidi ad devorandum : quia sicut charitate compuncti atque stupore permoti supra sibilasse dicuntur dolentes, ita isti plaudentes et irridentes, quando viderint unum eorum corruisse, Dei auxilio et gratia destitutum. Unde sequitur : *En ista est dies quam exspectabamus, invenimus, vidimus*. Illam enim diem semper hostes nostri exspectant venire, qua liceat eis non minus animam uniuscujusque, quam et totam simul Ecclesiam, quasi in gladio ultionis divinæ, vel perditionis devorare. Sed quia hoc minime provenire potest, nisi pro multitudine impietatum nostrarum, Dominus justo suo judicio fieri permiserit, sicuti et Jerusalem fecisse probatur, continuo plangens propheta subjungit :

PHE.

Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis : destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, exaltavit cornu hostium tuorum. Sæpius ergo Synagoga Judæorum, Dominum irritans malis suis jamdudum justam promeruisset pœnam, nisi Conditoris sui bonitas, diu tolerans, diu et patienter sustinuisset ad pœnitentiam. Sed quia converti noluit post culpas, nec cessare a nequitia : tantum secundum merita sua, quia vicit sceleribus Dei patientiam, condignam ultionem recepit ; uti olim ad Moysem Dominus, quando pro populo ad idololatriam converso, rogabat, respondit, dicens : *Dimittam juxta verbum tuum ;* verumtamen, *in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*Exod.* XXXII). Non quod in uno eodemque peccato Dominus judicare debuerit in die ultionis : quia non judicat bis in idipsum, sed quia ipsi ab hoc idololatriæ peccato nunquam perfecte cessaverunt vel pœnituerunt. Idcirco et in die ultionis, hoc non minus quam et in futuro, in eos qui permanserint, Dominus visitare dicitur. Et hinc est quod nunc ait : *Fecit Dominus quæ cogitavit et complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus destruxit et non pepercit*, quando plagas quæ in lege ac prophetis frequenter comminando prædixerat, tandem ad iracundiam provocatus, super eos induxit. Quod si hæc **1399** inimici corporei contra Jerusalem illam tunc fecerunt, quid spirituales nequitiæ, et ministri antiqui hostis facturi sunt erga Ecclesiam, quando eam pro suis iniquitatibus, sibi a Domino traditam, pœnis et doloribus circumdabunt? Siquidem non de illa dico, adversus quam *portæ inferi non prævalebunt* (*Matth.* XVI), sed de his qui corruerunt intus forisve. De quibus Joannes dicit : *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis* (*I Joan.* XXI). *Exaltavit* inquit, *cornu hostium suorum*, quia cum infirmatur Ecclesia Christi, tunc cornu inimicorum ejus, regnum videlicet vel potentia, amplius contra eam exaltatur et prævalet. Terribilia sunt valde quæ planguntur, quando anima in potestate traditur hostium. Quæ longe, in die felicitatis, noluit prævidere futura, quæ imminebant mala ; idcirco impegit diem quam sui semper exspectabant hostes, quando Dominus fecit et complevit sermonem suum, juxta quod in sacris litteris prædictum erat. Unde Dominus, in typo perituræ Jerusalem, videns animam hujusmodi malis circumdari, flevit, dicens : *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis : quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique* (*Luc.* XIX). Suam ergo diem habet anima perversa, quæ transitoriis lætatur bonis. Cui ea quæ sunt, ad pacem sunt ; quia dum ex rebus temporalibus gaudet, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla venturæ pœnæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ grave damnationis scandalum habebit in die aliena, cum pro suis iniquitatibus, suis tradetur adversariis, qui suis eam circumdabunt pœnis et cruciatibus ; nec jam tunc juvabit quidquid in præteritis aliquid de terrena felicitate habuit, sed ibi affligenda est ubi justi lætabuntur : et cuncta quæ modo ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem tormentorum vertentur. Tuncque rixari secum incipiet cur damnationem quam patitur non expaverit, cur a prospiciendis malis sequentibus oculos mentis clauserit. Unde dicitur ei : *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis :* quia mens voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia, dum videre futura refugit, quæ perturbant præsentem lætitiam : et cum ea prævidere negligit, facit Dominus subito quæ diu

Introdusă în format electronic de Google

exspectans deliberavit, et complet sermones quos præcepit, dum ea venire jubet **1400** quæ prædixit. Destruxit, et non partim, ne semper peccandi facultas maneat : et quæ sibi parcere neglexit, hostibus decipiendam tradit. Et hoc est exaltare cornu eorum, potestatem eis tribuere dominandi super eam, quæ se de jugo inimicorum noluit eripere. Unde sequitur :

SADE.

Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion. Clamor hic magis intentionem cordis, quam exsultationem vocis insinuat. Clamant enim perversi homines, aut invisibiles inimici super muros filiæ Sion, animæ videlicet vel Ecclesiæ, cum potestatem qua dominantur eis suæ ascribunt potentiæ non judicio permissionis divinæ. Quorum blasphemia quia contra Deum clamat, condigna non effugiet tormenta; nam sicut murus protegit et defendit, ita et potentia divina quos munierit. Sed cum suum subtraxerit auxilium, hostes super muros eorum quos diripiunt clamare dicuntur contra Dominum, cum totum sibi ascribunt, suæque potentiæ tribuunt, quidquid contra eos possunt : cui prius Dei muniebantur auxilio, quasi eos nequiverit liberare, præsertim cum non de imbecillitate virtutis, sed de ultione et judicii æquitate venit. Propterea et propheta inter cætera plorationis suæ lamenta, etiam ista deflere non omittit. Et notandum quod hæc clausula versus, magis lege metri ad superiora quam ad sequentia respicit. Qui quoties uno nequeunt versu vel duobus explere sensum transponunt necessitate poetica, et in alterius medio aut principio, sensum conceptum explicant, et hinc est quod ad ipsam Jerusalem mox sermo vertitur : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Multis propheta miseriarum expletis lamentis et enumeratis quæ acciderant malis, vertit se ad ipsam, et hortatur quasi torrentem ad placandum Deum pro suis erratibus deducere lacrymas. Quia torrentium cursus non semper uno eodemque impetu fluit, sed justa quod inundatio pluviarum de cœlo venerit : ita et lacrymæ non nisi ex divina inspiratione et compunctione cordis generantur; non quod tantæ esse possint, ut torrens, licet per exaggerationem dicere videatur, sed ut semper parata sit mens, et oculi ad effusionem lacrymarum, juxta gratiam divinæ inspirationis. Et hæc una exhortatio est omnibus, indesinenter flere in prosperis et in adversis, nec ullam requiem adhibere **1401** fletibus : non quod ullus mortalium semper sine cessatione id valeat exhibere, sed ut nemo dum vivit, sibi parcat ut torpeat, quasi jam securitate accepta, sed sine requie, absque ulla determinatione, saltem in mente pœnitentiam gerat, donec ad illam veram requiem quandoque finito luctu securus perveniat. Unde quam bene in Apocalypsi dicitur : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (*Apoc.* XXI). Ac si diceret : Illi dum irent, euntes et *mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV), flebant absque ulla requie, nolentes luctus sui sibimet finem imponere, quousque judex veniat qui absergeret. Absterget autem Deus omnem lacrymam eorum, qui sibimet parcere noluerunt. Erant enim oculi eorum, ut in psalmo canitur, semper ad Dominum, *sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ* (*Psal.* CXXII), donec ipse misertus absergeret a lacrymis oculos eorum. Et ideo non cessandum a luctu, quousque Dominus absterget omnem lacrymam eorum, qui ad eum corde ingemiscunt. Ipse quidem absterget ut misereatur, et non te tu justifices, aut torpeas et requiescas. Et istæ sunt veræ justitiæ animæ, quæ per SADE litteram significantur. *Neque taceat pupilla oculi tui :* non quod pupilla oculi loqui debeat, sed quia ipsa cum compungitur, ex divina inspiratione, magis quam loquentis verba, impetrandi effectum habeat. Hinc quoque David in psalmis : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes : Quando consolaberis me* (*Psal.* CXVIII), ac si diceret : Dicentes quando consolaberis me, ut abstergas oculos a lacrymis, libertate perfecta reddita : quia impræsentiarum nulla est a miseriis relevatio, eo quod necdum completi sunt dies luctus, quousque tu finem malis imponas, ut maneat perseverantibus futura consolatio. Et notandum, si non alia sit pupilla interius in eo oculo, de quo Dominus in Canticis loquitur : *Vulnerasti cor meum, soror mea, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* (*Cant.* IV). Quia sponsa Christi cum sit plena oculis ante et retro habet tamen unum, in quo semper clarior viget obtutus. Cujus nimirum pupilla nunquam tacens silet, sed stillat semper, ut alibi legitur, ad Dominum : quæ cum compungitur intus, exterius tunc lacrymas bene producit, quoniam *fluminis impetus lætificat civitatem Dei, et sanctificat tabernaculum suum Altissimus* (*Psal.* XLV). Alioquin ista exterior, etsi videtur lacrymas coacte producere, silet eas steriles et quasi mutas generare. Unde semper ille est oculus purgandus, illa **1402** ejus pupilla requirenda, quæ ut torrens de montibus et altioribus fluunt locis : ita de supernis inebriata imbribus, nesciat silere, nesciat requiescere neque deorsum intendere, sed jugiter ad Deum indefessa clamare. Sed quia, ut dixi, nemo qui semper uno impetu queat affluere, ideo temperavit egregius lacrymarum doctor, ut ad eum stillet flagrans ex desiderio impræsentiarum, in cujus non valet irreverberata acie fixus permanere obtutus. Hincque sequitur :

COPH.

Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum. Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Consurgit in nocte, qui de tribulatione vel angustia præsentis vitæ spe levatus, torporem negligentiarum excutit a se, et indefessus contra omnia sibi adversantia, quasi miles accinctus ad prælium pugnat, deinde cuncta quæ acciderint dura et aspera, semper Deum laudat. Unde monet : *Consurge et lauda in principio vigiliarum tuarum.* Quia hostis callidus

Introdusă în format electronic de Google

quoties flagella ingerit, Deum mox blasphemare persuadet. Quod bene Job intelligens, quando mulier ei persuasit : *Benedic Deum et morere* (*Job* II), quasi una de insipientibus, respondit, et seniora consilii verba non tacuit : *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). Et hoc est laudare Deum in principio vigiliarum, omnia quæ agimus aut patimur, ad gloriam et laudem nominis ejus referre, ne in principio torpentes operis somno opprimamur deceptionis. De quo Apostolus : *Omnia*, inquit, *in gloriam Dei facite* (*I Cor.* X). Et ut explere possimus quæ jubet doctor egregius, quia sunt multæ vigiliæ, in quibus Deus laudandus est, maxime vigiliarum in principio præcavendum, ne forte opus ex initio intentionis condemnetur : et cum bene ad laudem Creatoris opus incipitur, restant reliquæ, quibus ad finem in gloriam ipsius bene consummetur. *Effunde*, inquit, *sicut aquam cor tuum*. Ille ergo effundit sicut aquam cor suum ante conspectum Domini, qui ex intimo affectu cordis producit lacrymas compunctionis, quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L). Sed cum tantus lacrymarum imber non affuerit, nequaquam mox desperandum. Unde David ex persona pœnitentis : **1403** *Quia persecutus est*, inquit, *inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam* (*Psal.* CXLI), vel cætera quæ sequuntur; et paulo post : *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Animam ergo arentem, sicut terram sine aqua, penitus coram Domino expandit, ut suis irriget imbribus, qui sicca de rupe aquas manare jussit (*Exod.* XVII). At vero cor altiori gratia perfusum sicut aqua effunditur, quando liquefactum, præ amore Dei et proximi, quasi glacies ex calore resolvitur. Et hinc est quod subjungit : *Leva ad eum manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame et siti, in capite omnium compitorum* (*Cant.* V). Levat ergo pro his manus ad Deum, qui opera misericordiæ pro humilibus et parvulis Christi membris, fame et siti usquequaque in terrenis laborantibus, curam adhibet, ex sincera dilectione proximi. Et hæc est perfecta charitas, ut et cor quasi aqua fundatur ad Deum ex amore veræ dilectionis, et manus leventur proximo, una cum Moyse, parvulo Ecclesiæ, vel animæ, exigui cogitatus vincantur ab hostibus. Ex quo illa in Canticis, a qua sponsus declinaverat atque transierat : *Liquefacta est*, inquit, *anima mea, ut locutus est. Quæsivi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi*. Non enim cor aut anima liquefacta, recte ut aqua resolvitur a frigore infidelitatis, nisi ex calore divinæ inspirationis. Et ideo semper orandum ut surgat aquilo, veniat auster, fluant aromata illius : quia tunc fluunt aromata orationum intus, cum mens divino afflatur spiritu. Sed ne sola Dei dilectio sufficere videatur sine dilectione proximi (*Luc.* XVIII) : levandæ sunt manus, ut dixi, et cura impendenda pro parvulis, et his qui fame verbi periclitantur in capite omnium compitorum (*Amos.* VIII). Alioquin nisi in viis et in capite compitorum exissent, non fame vel siti laborassent. Revocandi sunt ergo de triviis et platearum exitibus, ex capite omnium compitorum, ad convivium ad prandium Domini (*Matth.* XXII), ne fame usque ad finem periclitentur inediæ. Levandæ sunt manus, ut vincatur Amalech, ne parvuli conterantur. Unde propheta, ne forte dum aliis prædicat, ipse reprobus inveniatur (*I Cor.* IV), postquam miseram civitatem Jerusalem, vel potius Ecclesiam, aut animam uniuscujusque ad pœnitentiæ et orationis lacrymas provocarat, mox ad ipsum Dominum, si quo modo eum a vindicta culparum revocet, verba supplicationis convertit, dicens :

1404 RES.

Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita. Nescio si ullus nunc temporis queat considerare mentem prophetæ, quæ propter multitudinem charitatis ad diversa rapitur : nunc ergo gentis suæ mala dolens replicat, nunc peccata luget, nunc bona quæ habuit prius ingeminat, et omnia desiderabilia ejus quæ perdidit, flens commemorat, nunc Deum offensum dolet, nec tamen pro eis ad eum preces fundere cessat. Propterea et nunc ait : *Vide, Domine, et considera*. Rogat ergo videre qui cuncta conspicit, et eum nulla latent (*Hebr.* IV) : non quod ignoret quia videt, sed ut implorando eum ad misericordiam flectat. Novit igitur eum clementem natura, et ideo considerare poscit mala gentis suæ quæ tolerat, *vindemiaveris ita*, ac si dicat : Quia sicut nulla gens est, cui tanta contuleris beneficia, sic nulla justis ex causis, cui tanta irrogata sint supplicia : quia pro uvis *fecit labruscas*, et pro fructu spinas (*Isa.* V). Non enim quem vindemiaverit Dominus ita, nisi qui ejus imitantur exempla. A quibus abstulit omnia legis et cæremoniarum, quæ leguntur, ornamenta, sua responsionis oracula. Vel quid longius prosequar, cum eum peremerint, qui eis cuncta præstiterat? Amiserunt omnia interius et exterius, cœlestis vitæ, et terrenarum rerum bona præsentia et futura : qui de tanto amore Dei mercati sunt offensam, et de tanta gloria dedecoris ignominiam. Et ideo considerare rogat Deum, non ut acrius excruciet, sed ut quia iratus est, misericordiam recogitet. *Ergo ne comedent mulieres fructum suum*, ac si dicat : Quomodo istæ faciunt, quod et in Regum volumine eas fecisse legimus, et sub Tito accidisse Josephus testatur : *parvulos ad mensuram*, et, ut alii codices expressius habent, *ad palmæ mensuram*. Quid igitur incredibile quod eos ad palmæ mensuram comederint, inter quas tanta erat victus penuria, ut ad hoc necessitas et angustia, et, ut magis dicam, dementia eos compulerit? *Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta*. Ubi ostenditur, quia illud prius polluerunt sanguine prophetarum, quando illos etiam inter templum occidebant et altare, et lapidabant qui ad eos missi erant (*Matth.* II). Idcirco justo Dei judicio de reciprocatione dignam ibidem messuerunt

Introdusă în format electronic de Google

reatus sui vindictam. Ex quibus profecto malis, non minus Ecclesiæ Christi quam et animæ pavendum : quia quidquid illis accidit ad litteram, nobis quoties **1405** divinis mancipati officiis talia committimus, eadem in sinu remetietur offensa, et omnis religio nostra profanatur. Mulieres quoque animæ videlicet delinquentium, ad mensuram palmæ filios uteri sui comedent : quoniam quidquid ex se vitiorum genuerunt, ad mensuram operum suorum recipiunt, suisque saturabuntur miseriarum fructibus. Unde magis lugendum censeo pro talibus quam exsultandum : ne forte quia exaltavi usque ad cœlos pro religione extollimur, apud æquissimum judicem pro innumeris etiam gravioribus culpis atrocius condemnemur. Sequitur :

SIN.

Jacuerunt in terra foris puer et senex, virgines meæ et juvenes mei ceciderunt in gladio. Omnia mala eorum quasi sua plangit propheta : quia charitate perfusus, novit deripere quidquid in membris mali acciderit. Sic et fidelis quisque ut dilectione Dei et proximi induatur, debet ad omnia se extendere, nostraque communia mala quasi propria fiere. Intendit ut videat, si qui ex nobis, qui videmur Ecclesiæ membra, quales et quanti jaceant in terra, foris scilicet terrenis occupati negotiis : *Quia nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II). Foris quidem jacent, qui exeunt a nobis, et non permanent in fidei operibus : sed plures quasi intus sunt, qui etiam cum corrumpuntur, apud divinum arbitrum perditi computantur. Unde puer, quia jacet in terra virtute senum, non roboratur : et senex *puer centum annorum*, maledictionibus multatur (*Isa.* LXV) : virgines et juvenes floridæ ætatis, gladio adversariorum in animo feriuntur; et quod est gravius : *Interfecisti*, ait, *in die furoris tui.* Quia aliud est interficere vetus homo noster ut corruat, et resurgat novus, aliud in die furoris sui percutere et occidere, qui videbantur stare ut pereant, nec misereri. Unde nascitur fletus irremediabilis : quia planguntur hi qui nesciuntur ; planguntur eo quod gladio furoris Dei jam sint perempti, non quod ejus arbitrio præscripti ad æternam mortem pervenerint, sed quia sibi eam manibus et votis super se attraxerint. Unde quia non revocavit, interfecisse illos plangitur.

THAU.

Vocasti, ait, *quasi ad diem solemnem*, **1406** *qui terrerent me circuitu : et non fuit in die furoris Domini, qui effugeret et relinqueretur.* Describit enim in figura ultimæ captivitatis, et deflet non solum propheta, verum omnium electorum chorus, reproborum ultimam omnium perditionem. In quo lamento THAU littera prætitulatur, ut in frontibus gementium ac dolentium consignata inveniatur (*Ezech.* IX) : alioquin in quibus non inventa fuerit, non effugiant; sed statuentur in medio, inimicis undique quasi ad diem solemnem congregatis. De qua supra hostes dixerant enim : Ista est dies quam exspectabamus, invenimus, vidimus. Dies ergo solemnis eorum idcirco dicitur, non quod Deo illa complaceat, sed quia eorum tunc lætitia, quam semper cupierant, perditio scilicet omnium reproborum, implebitur. Ad cujus solemnitatis diem, id est examinis, etiam satanas de carcere solvetur. Et hoc est quod in electorum planctu dicitur : *Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me in circuitu* : Quia videbunt eos etiam electi undique aggregatos, visione horribili et perterriti, in die furoris Domini purgabuntur, nec erit qui effugiat, aut qui relinquatur indiscussus. Et hinc est quod gemebunda omnium sanctorum vox deplorat, pro membris sibi ademptis. *Quos educavi* disciplina tyrocinii, *et enutrivi* lacte doctrinæ (*I Cor.* III; *Hebr.* V) : quia non pervenerunt in virum perfectum, ut dimicarent contra immanissimos hostes, qui vocati dicuntur quasi ad diem solemnem, seque cœlestibus defenderent armis, *inimicus meus consumpsit eos.* Et quia prius consumpsit eos virorum oblectamentis, ideo nullus est eorum qui effugiat, nisi is qui signa Thau litteræ in fronte præsignata tulerit. Unde et Dominus : *Qui vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam*, quam crucem plane per Thau supra diximus significari *et sequatur me* (*Luc.* IX). Reliqui vero omnes non effugient, in quibus non repertum fuerit hoc vexillum, a gladio furoris Dei : etiam ipsi quos Ecclesia peperit, educavit et enutrivit, quos inimicus culpis consumpserit. Et hoc est, ex quo Sanctorum omnis ordo plorat atque gemit, quod inimicus consumpsit eos. Sed quia domum Iocus intravimus, diversa lamentationum genera introspeximus diversasque personas : explicito secundo litterarum alphabeto libri secundi, votorum finem fletibus abluendum congruenter imponimus.

1407 PROLOGUS LIBRI TERTII.

Non nostri operis est, frater et consenex, falsas poetarum fabulas jam revolvere, vel Milesias : quoniam nostra institutio alios reposcit mores ; neque philosophorum perscrutari libros, quia in altero ludus et oblectatio est : in altero vero difficultas et sudoribus admistus labor. Verum magis threnis nos decet et lamentis indesinenter insistere, si forte (et in Judicum legitur) monente et enumerante angelo mala quæ gessimus, una cum eo ad locum flentium de Galgala (*Judic.* II), id est de volutabro usque ascendimus. Ubi cum loqueretur ad omnem Israel, elevaverunt vocem hi et fleverunt. Unde vocatum

Introdusă în format electronic de Google

est nomen loci illius, flentium vel lacrymarum. Quæ quia tristia sunt, difficile, imo impossibile est placere omnibus. Sed quia novi cujus sit omne quod vivimus, ideo huic me studio totum tradidi, quasi in quadam mentis specula mundi hujus turbines, inter ista quæ plangimus, et naufragia nostri sæculi cum gemitu ac dolore cernere. Unde ad tertium alphabetum quasi ad quosdam decrevi calentes prophetæ fontes, quia excelsiora sunt sub alterius genere metri, ea quæ aptantur trimetro, promulgata profundius manum mittere. In quo nimirum opere terni versus una eademque incipiunt littera, quod non ita in tribus Sapphicis constat alphabetis. Sed quia quædam de Ecclesia sunt, et multa ibi quæ de passione Christi altius aperiuntur, altior est sensus requirendus, licet non inveniri posse credam sine fletibus. Propterea quasi desuper asino sedens carnis indomitæ, a te consenex posco : quia mihi arentem Dominus dedit cordis agrum, tuis precibus obtineas et deposcas gemitibus, si non irriguum superius, saltem inferius, pius concedat medicus ; quatenus qui nostrorum ejulantium attigi venas, infra domum lamenti fonte devotus vel sero abluar lacrymarum.

1408 LIBER TERTIUS.

Quantum conspicio in hac quasi funebri totius corporis lamentatione, profundiora de Christo et ejus corpore aperiuntur mysteria : ita ut vicissim luctuosa vertatur oratio, nunc ad Synagogam, nunc specialiter ad Ecclesiam, nunc ad passionem Christi, nunc simul de Christo et ejus corpore, ut prior hujus lamenti versus insinuat : nunc et moralia miscet, luctifica tamen ex omnibus, si quo modo mœstitia cordis augeatur, ut pro his qui labuntur de Christi corpore, aut qui lapsi sunt in Judaismo, aut pro iis, qui fiunt in capite, aut pro malis quibus patiuntur membra, vel etiam pro iis, quibus hactenus privamur bonis. Sed ut hæc quæ ad caput pertinent, quæve ad corpus melius discernantur, commemoranda est illa regula, quam Tichonius unam de septem esse voluit (*Aug. de Doct. Christ.*), ex quibus etiam eruditissimi ad intelligendas Scripturas plurimum adjuvantur. Quarum prima est ipsa de Christo et ejus corpore , quando a capite sine permutatione personæ ad corpus, vel a corpore transitur ad caput, vel quando ipsa eademque sententia non minus capiti, quam et corpori congruere videtur : nec tamen ab una eademque persona receditur, sicuti in quamplurimis locis Scripturarum recte probatur, sed et in hac lamentatione interdum invenitur, ut est.

ALEPH.

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus; et illud : *Vetustam fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea.* Quoniam horum unum, quamvis omni corpori conveniat, melius tamen capiti, alterum vero membris : ut per pellem et carnem atque ossa illi intelligantur, qui infra Ecclesiam vetustate contagionis efficiuntur, et conteruntur pressuris tribulationum. Nam quod dicit : *Ego vir videns paupertatem meam*, licet prophetæ **1409** plangenti congruere videatur, manifestius tamen Christi vox esse intelligitur, qui in manibus prophetarum assimilatus est, et omnes colligit in se per generationem et aggregat, ut occurramus singuli in virum perfectum et plenitudinem corporis ejus, Ideirco, licet omnium videatur esse quod ait : *Ego vir videns paupertatem meam*, excellentius tamen de Christo pronuntiatur : quoniam sicut excellunt omnia in eo quæ de illo sunt, ita et hæc visio paupertatis. Alioquin quid mirum, si videat aliquis paupertatem suam, qua pene omnis multitudo affligitur : sed sicut est gloriosior hæc paupertas Christi, et mirabilior omnibus divitiis sæculi, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II) : ita et hæc visio paupertatis profundior. Unde non qualitercunque accipiendum, sed cum magno intuitu mentis legendum et magna cordis intentione cogitandum, quod ait : *Ego vir videns paupertatem meam.* Quam bene David paupertatem in spiritu prævidens aiebat : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL). Quia non nisi intellectu capitur, sin alias hæc paupertas communis esset, sensu sentiri ac discerni poterat, et non intellectus requirendus esset. Nunc autem ex hoc beatitudo repromittitur. Nec itaque mirum, si paupertas Christi gloriosa et admirabilis creditur, cum et Apostolus sanctorum paupertatem altissimam prædicat et divitiis locupletem. Quæ nimirum non facile ab omnibus intelligitur, quanto magis illa de qua et angeli mirantur, et omnis beatitudo nostra nascitur? Quia etsi sunt beati pauperes, eo spiritu beati creduntur et prædicantur quo ista intelligitur, quoniam non nisi Spiritu sancto reserante comprehenditur. Propterea horum trium versuum principia apud Hebræos, ut ferunt, ab ALEPH incipiunt. Aleph quidem, ut supra dixi, *doctrina* interpretatur. Reor quod multa doctrina egeat hic sensus, de quo summus auctor gloriatur, et quasi singularis sit qui videat et intelligat, ita dicit : *Ego vir videns paupertatem meam;* ac si dicat : Ego meam video paupertatem, cui insunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, quam sponte pro aliis suscepi, quam ipsi miseri, non dico eam intelligere, verum nec suam omni genere miseriarum convulsam, volunt animadvertere vel cognoscere. Interea et sanctorum omnium vox ista esse potest, quantum in corpore Christi sunt **1410** uniti, et quantum imitati fuerint eamdem paupertatem, quantumque in virum

Introdusă în format electronic de Google

perfectum, fide atque operibus collecti. Unde sequitur : *In virga indignationis ejus.* Aliam quidem esse puto virgam furoris Dei, aliam directionis virgam, et virgam regni ejus ; aliam vero indignationis, quoniam alia est illa ferrea reflexibilis qua conteruntur impii, tanquam vasa testea in ira furoris Dei : alia qua in æquitate sancti reguntur donec perveniant *ad bravium supernæ vocationis* (*Philip.* III) ; alia illa de qua Jerusalem Dominus : *In indignatione*, inquit, *mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui* (*Isa.* LX). Sub hac enim virga, ad hoc percutit Deus ut misereatur : ad hoc vulnerat ut sanet. De qua et Christus vulneratus est, non quod in eo aliqua indignationis essent, sed propter scelus populi mei percussi eum, virum dolorum et scientem infirmitatem (*Isa.* LIII). Hoc est quod dicit : *Ego vir videns* B *paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Quia ob indignationem scelerum nostrorum, paupertatem passionis sustinuit, ut livore ejus omnes sanemur. Cujus sane paupertatis mysterium, nescio, si sanctorum sit qui videat ad plenum, quanta bonitas Dei, quanta dilectio super filios iræ, quantaque misericordia in filios reconciliationis se infuderit, et ideo quasi solius vox est ejus cum dicit : *Ego vir videns paupertatem meam.* Videt enim suam in se miram et ineffabilem, videt membrorum suorum paupertatem, quam et ipsi complectuntur spe gaudentes : facti imitatores ipsius, scientes quod patientia pauperum non peribit in finem (*Psal.* IX). Unde recte una vox est capitis ac corporis : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Quia *castigat Deus omnem filium quem recipit*, et *flagellat* ad vitam quos erudit (*Hebr.* XII). Nam prolepsis est in hoc loco, id est præsumptio rerum secuturarum, eo quod in principio hujus lamentationis sic ejus dicit, quasi fuerit præmissum cujus vice sustinere debuerit : quia omnibus membris notum esse non ambigit, quod Pater Filium passionis virga percusserit. Unde non mirum, si et ipsa membra ejus, eadem percutimur virga indignationis, ad correctionem perpetuæ sanitatis, ut sit omnium vox unus in hac valle lacrymarum gemitus et ploratus. Hinc quoque sequitur :

ALEPH.

Me minavit, et adduxit in tenebras, et **1411** *non in lucem.* Quando voluit eum conterere in infirmi- ℵ tate, juxta Isaiam prophetam : quia reputatus est quasi leprosus, et percussus a Deo atque humiliatus (*Isa.* LIII), tunc utique quasi adductus est in tenebras, et non in lucem, et tenebræ eum non comprehenderunt. Quid autem ait, quia *minavit* eum, non solum ad eum respicit (*Joan.* I), quem terroribus sæculi et passionibus Pater tradidit, verum et ad omnem Ecclesiam, quam sibi minis subjecit et terroribus, *et adduxit non in lucem* hujus vitæ prosperitatis, sed *in tenebras* angustiarum pressurarumque afflictiones. Cujus itaque vox est *me minavit*, quia multis eam disciplinis erudit atque provehit. Verumtamen impræsentiarum in tenebras et non in A lucem : quoniam magis eam ad luctum et mœstitiam, quam ad lætitiam et gaudium vocavit. Hinc est quod sequitur :

ALEPH.

Tantum in me vertit et convertit manum suam tota die. Quæ nimirum vox æque ad caput et ad membra refertur : quoniam qui volunt pie vivere in Christo, omnes persecutionem patiuntur, et ideo totius corporis vox est : *Tantum in me vertit et convertit manum suam ;* quia quos disciplina fidei non convertit, libere abire permisit, et unumquemque ingredi vias suas. Ecclesiam vero, quam de Judæis aut de gentibus vocavit, multis disciplinarum affligit angoribus et erudit. Hinc est quod ait : *Tantum in me vertit et* B *convertit manum suam.* Vertit quidem ad castigandum manum suam (*II Tim.* III) : quia *flagellat* et corripit *omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII), et convertit clementer, ut misereatur ejus, quam paterno affectu coangustat multis tribulationum pressuris. Convertere namque de utroque accipitur, quando manum ad feriendum extendit, vel quando ad defensionem, vel remunerationem clementer admittit. Vertit enim Deus manum suam tota die, tantum ut supra membra ejus quæ colliguntur in virum perfectum, et mensuram plenitudinis Christi (*Ephes.* IV), ut ea excruciet, emendet, et corrigat impræsentiarum dum vivitur, et convertit parcendo, auxiliando in futuro, ut misereatur. Cæterum hi nullo Dei tanguntur verbere, quibus *non est respectus* C *morti eorum* (*Psal.* LXXII). In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate **1412** sua, seu cætera quæ sequuntur. Quod bene de templo Salomonis dicitur cum ædificaretur (*III Reg.* VI) : Non est auditus in eo malleus et securis, quia omnia sic parata sunt exterius et compaginata suis percussionibus, ut singula dolata suis bene coaptarentur junctarum locis. Et hoc est dicere, *vertit manum suam* omnia limando, cædendo, ac feriendo, sic producere, ut possint in structura convenire, et convertit ab his cessando cum justificatos suis instaurat locis, et coaptat mansionibus a sæculo præparatis (*Matth.* V). Quorum itaque sanctorum structura una est, una et compago membrorum, una vox, unusque ploratus. Et ideo Christi Ecclesiæ sic coaptatur corpus, ut unus sit integer Christus. Moraliter autem, spiritus qui est in homine solus, scit quæ sunt hominis, et ideo quoties divino tangitur spiritu paupertatem suam intelligens, mox fletibus affectus gemit, dicens : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus ;* quia cum Dei verberatur flagello ut afficiatur in luctu, subito nihil in se remansisse virium cognoscit, dum nulla est virtutis operatio, de qua videatur præsumere. Nemo igitur sanctorum bene gloriatur se castum cor habere, ideo humiliter cum fletibus confitetur : *Ego vir videns paupertatem meam ;* quia de se in nullo præsumit, maxime cum virga indignationis Dei intrin-

Introdusă în format electronic de Google

secus ad correptionem castigatur. Unde ait: *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Profecto quia omnis anima cum recordatur minarum Dei, et terrores discutit judiciorum ejus, suaque ante oculos facta, quasi in exitus hora ponit, se non nisi mœroribus infectam in tenebras versari videt. Et hoc est dicere, quoties intus suorum discutit paupertatem meritorum in virga indignationis Dei, *me minavit et adduxit in tenebras:* quia nihil de se nisi infirma sentit, et dum se considerat et revolvit se adductam ut se conspicere, quasi in tenebras, et non in lucem, plangit. Talis quippe anima cum virgam discussionis Dei, et omnia minarum ejus eloquia intus contemplatur et intendit, suaque mala facta, ut David (*Psal.* L), coram se semper replicans, quid aliud quam se adductam in tenebras, et non in lucem recte credit? Ad hoc quippe se adductam in tenebras, ut se perpendat novit, ne dum bene mens de se elata præsumit, humilitatem, quæ custos est omnium virtutum, amittat, et superbiendo incidat in judicium diaboli, et **1413** ideo quia *beati pauperes spiritu* prædicantur. Bene spiritus humilis, qui novit ea quæ sunt in homine, paupertatem suam semper videns contremiscit, dum se adhuc versari sub virga indignationis Dei non ambigit. Quibus profecto plagis correctionis, anima quasi minatam se et adductam ut ad se rediret jure intelligit: et hæc est doctrina, quæ per Aleph intus in anima operatur, ut semper in se versetur, se suaque retexens lugeat, donec illustret eam *oriens ex alto*, qui venit illuminari iis *qui sedent in tenebris et umbra mortis* (*Luc.* I). Sequitur: *Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die.* Materno quidem affectu Deus aliquando animam exponit tentationibus et abjicit, aliquando ad se plorantem ac dolentem intus in sinum retrahit, et lac doctrinæ in corde suggerit, suaque consolationis verba inspirat, et sempiterna promittit. Et hoc est dicere, *in me vertit et convertit manum suam tota die,* dum eam omni tempore præsentis vitæ nunc minis et terroribus, nunc tentationibus et pressuris, etiam delictorum afficit spinis, nunc vero inspiratione divina et rediis ad se invitans, beneficiis exhortatur innumeris: quatenus in nullo insolescat, in nullo frangatur discrimine, sed subjecta in omnibus, quidquid acciderit, ad laudem et gloriam nominis Dei conversa referat.

BETH.

Vetustam, inquit, *fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea.* Hæc namque vox plangentis, licet capitis esse videatur, Ecclesiæ potest congruere: non quod Christus vetustate, ut jam supra dixi, affectus sit peccati, sed quia sunt infra ejus corpus, quorum vita actibus inveterata corrumpitur, pro quibus gemit recte caput nostrum, gemunt et ejus omnia electionis membra: quia multos vident infra Ecclesiam delictorum vetustate consumptos. Unde David plorans quasi una de sacris pellibus: *Inveteravi*, inquit, *inter omnes inimicos meos* (*Psal.* VI). Habet igitur vir iste, *videns paupertatem suam*, pellem et carnem vetustam; habet et pelles arietum rubricatas ad operiendum tabernaculum suum, habet et hyacinthinas ad decorem et laudem nominis sui (*Exod.* XXV *et* XXVI). Sed in istis pauper, quæ vetustate afficiuntur: in illis vero dives, quæ ad decorem nominis ejus, sanguine proprio rubricantur, aut cœli coloribus comparantur. Porro pelles arietum rubricatæ corpora sunt sanctorum martyrio **1414** dedicata, de quibus canitur: *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII). Hyacinthinæ vero sunt eorum quos virginitas ad cœli speciem provexit: quia tales neque nubent neque nubentur (Evangelio teste), sed sunt sicut angeli in cœlo (*Luc.* XX). Unde et in tabernaculo proximiores cœlo fiunt. Propterea et Ecclesia loquens de se in Canticis: *Nigra sum*, inquit, *sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis* (*Cant.* I). Non enim de illo Salomone, sed de Christo recte accipiendum, cujus pelles sunt omnes sancti, qui se mortificaverunt crucifigendo cum Christo carnem suam, ad instar pellium mortuorum, sub quibus teguntur vitalia totius corporis membra, quatenus possint in se Christi portare similitudinem passionis. In cujus nimirum persona introducitur Salomon, qui pacificus interpretatur, cujus quicunque pellis esse meruerit, procul dubio continebit in recessibus animæ, uti infra sancta sanctorum divina summi regis mysteria. Est autem Ecclesia ut tabernacula Cedar, qui tenebrosus mœror interpretatur, quando eos qui de tenebris errorum convertuntur suæ consolationis doctrina, mœrentes sub alis suis suscipit pœnitentes. Est et ut pellis Salomonis, quando intra se orthodoxos continet viros, et omnia illa quæ in tabernaculo figurantur. Sed quia varius pellium effectus, in aliis quidem pulchritudo laudatur, in aliis profunditas mysteriorum Dei cooperta tegitur, in aliis defensa Christi Ecclesia et munita exterius ut Satan ait ad Dominum, ostenditur: *Pellem pro pelle, et universa quæ habet homo, dabit pro anima sua* (*Job* I). Quia profecto universos sanctos suos Deum ad hoc dedisse constat in passiones et pressuras vitæ, ut et ipsorum atque omnium animæ salvarentur, quæ erant eorum doctrina et exemplis creditiræ. Ac si diceret, quando sanctum appetebat virum. Quid istum passioni ac tentationibus dare retrahis, cum universos sanctos tuos, quasi pellem pro pelle quandoque daturus est in passionem, et universa quæ habent pro animabus eorum? Unde quia tanta gloria pellium prædicatur, gemit vir videns paupertatem suam, Christus videlicet et Ecclesia: quia nonnulli afficiuntur ex membris ejus vetustate peccati, imo generaliter impræsentiarum cuncti tinguntur sordibus peccati. Unde Apostolus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Quid enim quod peccato se infectum confitetur, **1415** nisi vetustate sauciatum se ingemiscit? Cunctis igitur liquet peccantibus,

Introdusă în format electronic de Google

quod omnes vetustate inficiuntur, eo quod vitia pertineant ad vetustatem, virtutes vero ad novam vitam. Unde et Paulus dicit : *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum* (*Col.* III). Atque iterum : *Vetus homo noster simul crucifixus est* (*Rom.* VI). Quia nimirum vetustate Christi Ecclesia confecta, quia necdum impræsentiarum sine macula et ruga esse potest (*Ephes.* V), jure Christus in membris suis plangens dicit : *Vetustam fecit pellem meam et carnem meam.* Per carnem quippe, vulgi multitudo, vel etiam universitas infra Christi corpus, propter teneritudinem designatur plebis. Unde David gemens : *Dum appropiant*, inquit, *super me nocentes, ut edant carnes meas* (*Psal.* XXVI). Alioquin nisi caro essent vetustate peccati consumpti, esca inimicorum non essent. Quos plangit propheta in suis lamentis, imo Christus caput et omnis ejus Ecclesia, quasi corpus vetustate delictorum consumptos. Et adjecit : *contrivit omnia ossa mea.* Per ossa namque fortiores quique intelliguntur : quia in passione Christi etiam ipsi apostoli contriti sunt, et pavore mortis fugati. Sed quod ait hæc omnia Deum fecisse, insinuat justo suo permisisse judicio ad consummandas passiones, et in ejus corpore veraciter quæ planguntur accidisse. A principio enim hujus alphabeti nulla immutatur persona, sed alia quidem horum, ut dixi, ad caput pertinent ; alia vero ad corpus, ut præsens versus, quoniam in Christo neque interius aut exterius ulla vetustas peccati attigit, neque os ejus contritum fuisse probatur, sed hæc in membris contigisse jure planguntur, eo quod interius et exterius, etiam quæque fortia, contrita in ejus corpore et vetustate delictorum consumpta videantur. Præterea et Jeremias non minus in illa prima captivitate, quam etiam et in secunda talia sceleratorum ex causa provenisse, aperte plorans connumerare videtur. Porro moraliter peccatrix anima, merito deflet vetustatem suorum scelerum, ita dicens : *Vetustam fecit pellem meam et carnem meam.* Neque enim pluraliter pelles, sed pellem singulariter, vetustate infectam lugens gemit, qua primi homines, expulsi a paradiso, sunt induti (*Gen.* III). Merito siquidem multorum una est pellis vetustate fuscata : quia mortalitas procul dubio livore peccati contracta, prævaricationem primi hominis, una omnes vestivit delictorum et mortis conspersione, qua non minus et **1416** caro peccati exterius, quam et illa omnia, quæ infra conscientiam teguntur, commaculata jure planguntur. Unde Psalmista, quasi voce humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus : *Inveteravi*, inquit, *inter omnes inimicos meos* (*Psal.* VI). A fervore etenim mentis inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, aliquo modo usu vivendi veterascimus, assumptæ novitatis speciem fuscamus. Idcirco gemens dicit anima. [Vetustam fecit pellem meam et carnem meam,] dum ejus conscientia quasi exterius ut pellis inveteratur, et omnis ejus interius decor quasi caro corrupta tabo peccati consumitur. Hinc quoque David ait : *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas* (*Psal.* XXVI). Per quas nimirum carnes, carnales in anima affectus designat, ad quos quasi ad suas leges diabolus appropiat, ut eos, in quibus sunt, quasi carnem edens in suo corpore trajiciat. Quibus profecto finitis carnibus, quid aliud nos quam Spiritus erimus, ut nihil in nobis, quod edat, reperiat inimicus ? Sed quia mens et conscientia nostra, intrinsecus hujuscemodi affectibus quotidie repletur, quid aliud quam pellis mortalitatis nostræ, et caro desideriorum carnalium, vetustate corrumpitur ? *contrivit*, inquit, *omnia ossa mea.* Per ossa namque virtutes animæ demonstrantur : quia sicut ossa firmamenta sunt corporis, ita virtutes fortitudo sunt animæ. Quibus confractis, aut oblectamentis sæculi, aut terroribus minarum, aut fallis insidiarum dolis, recte plangit anima mœrens : quia contrita sunt ossa ejus, et omne corpus ejus interius exteriusve ad nihilum vetustate consumptum. Sequitur :

BETH.

Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. Quibus profecto versibus, juxta historiam, ostenditur Jeremiam non minus deplorare populi sui casus et ruinam, quam et tribulationis suæ angustias, super quos *vertit et convertit manum suam Deus tota die*, ut experiretur utrum eum sequi vellent. Pro quibus etiam pellis et caro Jeremiæ affecta est fame, quasi vetustate senectutis confecta, atque omnis vigor populi malleo percussoris comminutus, ita ut nulla in eis remanserit virtus bellandi. Sed et nunc obsidionem plangit inimicorum, dum ait : *Ædificavit in gyro meo.* Quod et Dominus in Evangelio prius defleverat, dicens : *Si cognovisses* **1417** *et tu;* ac si diceret : *Si cognovisses mala quæ imminent, et tu quoque fleres : quia circumdabunt te inimici tui vallo, et coangustabunt te, et ad terram* consternent *te et non relinquent in te lapidem super lapidem* (*Luc.* XIX), scilicet omnia defensionis munimina, interius exteriusve dejicient et disperdent. Hinc quoque est quod modo propheta luget : *Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore.* Quod est dicere : Circumdedit me, scilicet populum gentis meæ tribulatione miseriarum et labore angustiarum : non minus in secunda obsidione sceleratæ civitatis, quam et in prima, sub qua fuit et ipse Jeremias a populo nimia cordis amaritudine vexatus, etiam et pro populo labore tribulationis afflictus. Interea mystice, Christi Ecclesia recte gemit, imo Christus in membris suis, quia et ipse in passione deprehensus : *Traditus sum*, inquit, *et non egrediebar* (*Psal.* LXXXVII). Quoniam coædificaverat ei pater in gyro obsidionem, quando cum armis et fustibus eum, a Juda traditum, apprehenderunt : et ne posset effugere, vinctum eum ad præsidem perduxerunt (*Matth.* XXVI). Quo nimirum vallo circumseptus, quasi felle amaritudinis et labore tribulationis affligitur humanitas Christi. Et hoc est dicere : *Ædificavit in gyro meo.* Quia ex ipsa obsidione armatorum eum apprehendentium, traditus est ad passionem, ubi cibatus

Introdusă în format electronic de Google

est felle amaritudinis et labore tribulationis. Unde et in Psalmista : *Dederunt*, inquit, *in escam meam fel, et in siti potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII). Per fel quippe omnis amaritudo passionis interius designatur, et per laborem exterior in carne tribulatio exprimitur : ut integra passio Christi in corpore et anima intelligatur : quoniam et pro nobis intus doluit, et exterius in carne vere passus fuit. Quibus profecto passionibus adhuc quotidie in carne sua et in membris suis, scilicet in Ecclesia patitur : quia de carne, quæ et de ossibus ejus ipsa formatur, ut compleat, in se ea quæ desunt passionibus Christi. Ex quibus profecto passionibus et pressuris, plangit, dicens : *Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore*, quoniam impræsentiarum, omnibus obsessa malis, in medio laqueorum ambulat, ubi sedes est Satanæ. Hinc est quod hæreticorum quam sæpe vallatur excercitu, et intus falsorum fratrum affligitur, et repletur laboribus, ac si felle amaritudinis. Quo nimirum felle, Simon ille Magus perfusus, omni commotus impietate, zelo invidiæ moliebatur Christi subvertere discipulos, et Ecclesiam electorum **1418** Dei corrumpere. Hinc quoque quod exterorum atque persecutorum opprimitur suppliciis, hinc quod oblectamentis sæculi hujus, et rerum permulcetur blanditiis, quatenus his oblectata, sempiternis fraudetur bonis. Hinc dolis hostium quotidie invisibilium propulsatur et fraudibus, intantum, ut felle videatur repleri mœroris, et laboribus tribulationum. Et ideo videns se sponsa Christi tantis præpediri laqueis, gemens dicit : *Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et laboribus.* Quibus undique malis conclusa intus forisve, alibi : *Quis dabit*, inquit, *mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* (*Psal.* LIV.) His igitur obsessa fraudibus, et inimicorum laqueis, intus dolore amaricatur animi, foris vero ut vincat laboribus, fatigatur. Sed et anima quælibet lugens dolet quod ædificatur in gyro ejus, et concluditur felle malitiæ, multisque fatigatur laboribus, maxime quando se circumspicit undique coangustatam, et intus suis se repleri iniquitatibus. Agunt enim indesinenter maligni spiritus, si quomodo miseram animam, permittente Deo, pravis involvant delectamentis, et pessimis eam repleant desideriis, quorum novissima fiant ei felle amariora, omnique labore intus forisve duriora. Quibus nimirum laqueis obsessa, jure dolet lugens, eo quod circumvallata sit malignis in gyro, et intus felle repleta amaritudinis. Sequitur :

BETH.

In tenebris collocavit me, quasi mortuos sempiternos. Hic namque versus aperte Jeremiæ congruit, quia retrusus in imo carceris, nimia asperitate excruciatur, ita pene ut vitam amiserit, quasi unus eorum qui pro reatibus inter mortuos deputatur. Verumtamen quia prophetarum actibus futurorum de Christo prophetia texitur, ex quo Paulus ait : *Multifarie et multis modis olim Deus locutus est in prophetis* (*Hebr.* I). Assimilatus in manu omnium Prophetarum ex sua passione factis hujus vaticinium explevit. Unde idem, imo Dominus per eum, *in tenebrosis collocavit me*, inquit. Quod sane lamentum magis ad caput, quam ad membra pertinere videtur : quia pro nobis mortuus est, sed non pro mortuis sæculi : quia mortui sæculi, mercedem recipiunt iniquitatis suæ et mortem sibi ducunt ex peccati propagine : Christus vero venit in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII). Idcirco similitudine collocatus in tenebris, traxit de morte peccatum. Unde signanter ait : *Collocavit me in tenebrosis, quasi mortuos sempiternos.* Quasi quidem licet vere mortuus : **1419** quia die tertia surrexit, et non in sempiternum repulit eum Dominus. Collocatus autem est in tenebris, tanquam in inferno, tanquam in sepulcro, tanquam in passione, quasi mortui sempiterni : sed factus est sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII). Liber quidem, quia sine peccato fuit, propterea de tenebris cito ad vitam lux rediit. Expletur autem his tribus versibus Beth littera quæ secundum aliam interpretationem, *confusio* interpretatur, ut sit sensus. Quod omnis qui ad vetustatem decidit, fractis viribus, obsidione vallatur antiqui hostis, et felle intus repletur amaritudinis. Quibus profecto laboribus circumseptus, quo alibi locatus quam in confusione, scilicet in tenebris, versatur? Idcirco quia pro confusione plangit humani generis, merito sub hac littera, totius domus ruinam, et maculas vetustatis plangit : Beth quippe etiam et *domus* interpretatur. Quæ profecto domus pro confusione sua gemens dicit : *Vetustam fecit pellem meam*, et cætera quæ sequuntur. Potest siquidem referri et ad caput hæc vetustas pellis, propter indutam mortalitatem carnis : reliqua vero omnia sub hac littera de capite, scilicet de Christo, magis dicta intelliguntur. Moraliter vero anima sub confusione posita, his versibus gradatim se ruinosius deprehensam luget : primum, quod vetustate peccati, fractis viribus, corrupta jacet, deinde, quod circumvallata fraude inimici ultra exire ad libertatem, venundata sub delicto, non valet, et intus infra laqueos adversariorum repleta, a majoribus fellis amaritudinibus circumsepta, laboribus concupiscentiarum fatigata, et ponderibus suorum facinorum deprehensa luget; insuper et amisso lumine, collocata in tenebris, jam quasi mortua in sempiternum, nec se ipsam qualis, quam misera, quam infelix, quibusve oppressa malis, et nudata bonis, jam videre valet. Auferuntur enim judicia Dei ab hujusmodi anima, ne ultra se respicere queat, ut in directo judiciorum Dei videat abyssum multam (*Psal.* XXXV), sed ea solummodo quæ sunt cæcitatis, semper orbata lumine, conclusa sub confusione sua sentiat. Hoc semper inimicus gaudet, ne se misera anima de tenebris ad lucem explicare queat. Hinc est quod Philisthæi capto Samson oculos eruunt (*Judic.* XVI), ac deinde cæcum ad molam mittunt, ut semper in circuitu gyrans, viam vitæ, privato lumine, nunquam inveniat. Hinc quoque Sedecia (*Jerem.* XXXIX)

Introdusă în format electronic de Google

Nabuchodonosor capto, primum ei effodit oculos, deinde vinctum in cavea Babylonem ducit, ne ultra jam unquam, **1420** intra confusionem clausus, lucem videat. Tamen quælibet talibus illecta malis anima dum adhuc in carne devincta plorat, non vere, sed quasi mortuam se luget, dum locus ad pœnitentiam datur, antequam absorbeatur profundo, et *super eam urgeat puteus* abyssi *os suum* (*Psal.* LXVIII). Quia vere cum hoc impletum fuerit nullus regressus ad pœnitentiam erit. Interim vero, cum in peccatis jacet profundioribus, quasi mortui in sempiternum conclusa dolet, sed quam sæpe per Christi gratiam, miserante Deo, de profundo iniquitatis ad vitam redit. Sequitur Gimel littera, quæ *retributio* vel *plenitudo* interpretatur; ut ex ipsius interpretatione, cognoscat lector plenitudinem retributionis. Quæ vel qualis ex plenitudine delictorum retributio sequatur, tres sequentes versiculi insinuant, cum dicitur :

GIMEL.

Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum. Sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. Quod satis propheta pro se, imo et pro populo plangere videtur, qui vinctus in carcere compedibus aggravatus, ædificatam adversus civitatem et populum obsidionem amarissime deflebat, eo quod ab hac liberari eos non posse, culpis exigentibus, in spiritu prævidebat. *Sed et cum clamavero*, inquit, *et rogavero, exclusit orationem meam.* Unde Dominus : *Ne assumas*, inquit, *laudem et orationem pro eis* (*Jer.* VII). Quia profecto clamor operum ascenderat contra eos, ne propheta exaudiretur rogans pro eis. Et hic est quod ait : *Exclusit orationem meam;* quando pro peccatis eorum gemens ac dolens, nec exaudiri meruit. Sed conclusæ sunt omnes eorum viæ, et si per aggerationem cum eo loquar, lapidibus quadris, semitæque subversæ, ne forte primam aut secundam obsidionem possint effugere. Et notandum quod sua propheta conclusas plangit vias, semitasque subversas, dum omnes exitus miseræ civitatis hostium in subversione conspicit obstrusos, et ad persuasionem populi illaqueatos. Cæterum istorum sensus versuum, æque ad caput, æque et ad membra potest referri, cum dicit : *Circumædificavit adversum me ut non egrediar*, ac si patenter dicat : Excitavit adversum me corda Judæorum, et circumædificavit legiones atque cohortes contra me sævientes, ut non egrediar de manibus eorum, quousque vadam sicut scriptum est de me, et compleantur **1421** vaticinia prophetarum. Idcirco exclusit orationem ejus, cum clamaret : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI), ut omnia complerentur. Sed et Ecclesia Christi multoties hæreticorum conclusa dogmatibus, certe aut persecutorum vallata suppliciis, usa hac voce plorans ac lugens, totum Deo tribuit, quidquid passa est ab hostibus, ac si propria voce dolens dicat : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum* ob immanitatem tormentorum, vel multitudinem laqueorum, seu propter condensitatem pravi dogmatis, quod frequenter contigisse minime dubitatur, ita ut generalis Ecclesia, quasi una navis in medio collisa fluctibus, multoties quasi subversa et prægravata doleat. Inter quæ nimirum pericula, quamsæpe ad probationem sui, suam a Domino exclusam orationem ingemuit, habens cum Apostolo anchoram suam (*Hebr.* VI), scilicet spem fixam in cœlo, ne forte, quod absit, qui præsciti sunt et prædestinati submergantur fluctibus. *Conclusit enim vias ejus lapidibus quadris,* dum omnia sanctarum Scripturarum itinera, quasi quadris philosophorum eloquiis obseravit, ne recto tramite per eas, gressibus fidei, quantocius ad patriam properaret, et omnes semitas eorum, scilicet subtilissimas divinarum rerum intelligentias, sæcularibus, vel pravi dogmatis, subvertere permisit, disciplinis. Cæterum anima quælibet, cujus jam retributio ob immanitatem scelerum suorum imminet, et plenitudine delictorum submersa jacet, quia GIMEL litteram utrumque interpretari diximus jure in se reversa deflet. *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar.* Sicuti et ille cui dicebat : *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me* (*Psal.* CXIV). Quibus profecto prægravata compedibus formidat, ne non possit evadere a suppliciis : quia et si ejus fuit corruere, miserantis Dei est, eam de tantis laqueis liberare. Quid autem miserabilius esse potest animæ delinquenti, quam ut sic conclusa teneatur carcere pessimæ captivitatis, ne ultra egredi queat ad libertatem bonæ actionis, insuper et vincta compedibus delictorum atrocius aggravatur flagitiis saltem ne se promoveat pœnitentiæ ad remedium? Compedes enim ipsius, sunt omnia concupiscibilia sæculi, et oblectamenta carnis, necnon et omnes inimici doli, quibuscum profecto pedes constringuntur fidei : quoniam (*II Cor.* V) per fidem ambulamus et non per speciem, nequeunt libere ad ea quæ non videntur **1422** et sempiterna sunt, intendere. Aggravantur autem quotiescunque iniquitatem super iniquitatem apponimus, quia recte iniquitas super talentum plumbi sedere dicitur (*Zach.* V). Ergo adhuc connumerat miseriarum ejus immanitatem, cum dicit tantis prægravata malis. *Et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam.* Nam inter supplicia solummodo lacrymæ et preces ad judicem solantur reas, tandem ut his promota pietas veniam impendat delictis. Sed valde in novissimis contristari potest, quando mens rea sic sentit offensum judicem, etiam culpis exigentibus, ne possit oratio transire, et ad fontem pertingere pietatis. Excludit autem supplicum preces Dominus, quando nos sic peccare permittit, etiam ut ipsa contra nos insurgant flagitia, et concludant omnia pietatis itinera offenso judice, ne possit ad eum pertingere, qui præsens ubique est, et audit omnia, quia profecto sicut scriptum est : *Qui claudit aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.*

Introdusă în format electronic de Google

xxviii). *Conclusit*, inquit, *vias meas lapidibus quadris.* Habent enim scelera et peccata quadraturam suam, sicut quidam poetice ait :

Hi metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.

Quibus profecto quadris lapidibus, conquadrantur omnia vitia nostrorum scelerum. Unde tandem aliquando redeat ad se infelix nimium anima, vetustate infecta, confracta viribus, in gyro ab inimicis obsessa felle iniquitatis et miseriarum vallata, vanis fatigata laboribus, in tenebris ignorantiæ, et sub caligine cæcitatis locata, contra quam innumeri hostes ne queat egredi, et vitia desæviunt. Redeat vincta compedibus et prægravata, pium roget judicem indesinenter, cum omni improbitate clamoris : quia et si non eo quod amica sit, propter improbitatem petentis, promittit veritas, indignatione remota, quotquot vitæ panes pulsans rogaverit ad januam se dare (*Luc.* x). *Quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus* qui invocant *eum in veritate* (*Psal.* cxliv). Alioquin anima, et si his omnibus exuta esset malis, quomodo vias lapidibus quadris obsessas, et semitas ad patriam subversas, transire posset? Quid enim aliud est in mundo, nisi concupiscentia oculorum et superbia vitæ? Quod si ad Scripturas sanctas quasi ad pascua vitæ se convertit, in quibus recte vita invenitur æterna (*I Joan.* ii), continuo quadrati occurrunt lapides hæreticorum, quibus obsessa fides quasi muris ne recta inveniantur, involvitur, et subversio semitarum eorum laqueis ibidem **1423** pro fonte præparatur. Unde dicat fidelis anima cum Propheta : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* (*Psal.* liv.) Et cum Apostolo : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* vii.) Scilicet gratia Dei, ut sciamus de his omnibus quod non nisi per gratiam liberamur. Propterea his excitata angustiis, anima ad Dominum indesinenter deflectat articulum, et sub Daleth littera atrociora plorans et gemens videat quæ sequantur. Daleth namque juxta quamdam interpretationem, *timorem* significare videtur, licet superius tabularum dixerim. Hinc restat ut animus a timore Dei salutem concipiat, sicut scriptum est : *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus spiritum salutis* (*Isa.* lxii). Et alibi : *Cum timore et tremore salutem vestram operamini* (*Philip.* ii).

DALETH.

Quid enim terribilius dici potest, post tam dira peccati supplicia, quam ut sub hac littera de Deo dicatur : *Ursus insidians factus est mihi leo in absconditis. Semitas meas convertit, et confregit me, posuit me desolatam. Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam?* Quid terribilius dici potuit, quam ut auctor salutis nostræ, dicatur quasi ursus insidians nobis factus, et velut leo in absconditis? Ursus namque fera est fraudibus plena, et nimiam gerens in brachiis fortitudinem atque in lumbis. Sed nequaquam per se Dominus, hoc loco, hinc bestiæ comparatur, imo per ea utraque, Nabuchodonosor certe, aut Titus vel Vespasianus designantur, qui alibi aper et singularis ferus appellantur : in quibus profecto Dei potestas ultionem iniquorum et vindictam fuit ac per hoc Deus ursus vel leo factus plangitur, quia cum sit clemens ac pius indulgentiarum Dominus, (*Psal.* lxxix); justo suo adduxit judicio contra Jerusalem, qui eam omni insidiarum genere obsideret, et suæ devastaret fortitudinis potentia. Quem Dominus servum suum et columbam vocat (*Jerem.* xxv), eo quod in ultione prævaricatricis servierit Jerusalem, cæterasque civitates subverterit, et præposuit eam desolatam vastitate hostili, sicut historia prodit, et tanquam *tugurium in cucumerario*, vacuam sine custode reliquit (*Isa.* i). Posuit ergo eam Dominus tanquam signum ad sagittam procul dubio : quia sic in medio suorum hostium posita est, ut ex omni parte circumdaretur, quibus frequenter quasi sagittis vulnerata, saltem ad medicum rediret necessitate compulsa. Quas sane **1424** gentes suo modificante judicio, Dominus quasi extenso arcu contra eam sæpe misisse legitur, ut vel sic addisceret timere Deum et propugnare se, ne ab insidiis hostium suorum, quasi sagittarum vulneraretur jaculis. Illa vero relicta a Deo, jure se plangit, quasi signum ad sagittam positam : quia justo agente judicio, ac si extento arcu quam sæpe ab hostibus est vulnerata. Cujus et idem adversarius semitas subvertit et confregit, quas jam supra etiam se lugere se dicit. Interea vox capitis est pariter et corporis, quod factus sit is ursus insidians ei, qui est incommutabilis et sempiternus Deus : non quod ipse, ut dixi, a sua immutetur natura bonitatis et pietatis, sed propter efficientias rerum, eo quod ipsum contra unicum Filium suum, caput nostrum videlicet Christum, erigere permisit, qui velut ursus insidians fraude et fortitudine sua perimere tentavit ac decipere : non solum cum omne corpus ejus, scilicet credentes in eum, ab initio sæculi usque ad finem tentabit. Et sicut *leo*, inquit, *in absconditis.* In quibus profecto duabus bestiis, omnis diaboli sævitia demonstratur. Unde signanter et per leonem ipse humani generis adversarius describitur : per ursum vero ejus, omnia membra, scilicet hæretici et falsi fratres, monstrantur, quoniam ursus licet foris sit viribus, tamen infirmum gerit caput, sicuti et hi omnes diabolum, qui semper in manifesto et abscondito, de unitate corporis Christi quærit quos devoret vel decipiat. In abscondito quidem, quia dolo et fraude semper sævit : in manifesto, quia de fortitudine sua multum confidit, et fiduciam habet quod influat Jordanis in os ejus (*Job* xl). Hinc quoque Apostolus ait : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* v). Alioquin nisi de sua consideret virtute, nunquam rugiens indignatus et frendens iret, nisi vero fraude insidiarum incautos deciperet : nunquam (Psalmista) insidiatur in abscondito tanquam leo in cubili suo, diceret, sed quia viribus omnia

Introdusă în format electronic de Google

dejicere non prævalet, insidiarum fraudes adhibet (*Psal.* IX). Per quæ nimirum duo virtutis suæ arma, non minus contra caput, quam etiam et contra omnia ejus membra pugnat. Quod gemens propheta, imo Christus et Ecclesia dicit : *Ursus insidians factus est mihi sicut leo in absconditis*, ut per hæc duo mala, duasque, ut dixi, bestias, omne corpus diaboli et caput usque ad Antichristum, contra electos Dei desævire jure plangendum **1425** ab omnibus censeatur. Hæ namque sunt bestiæ, quæ venire consueverant contra David pastorem ovium, et insurgere ut gregem diriperent (*I Reg.* XVII). Contra quas quam sæpe idem insiliens, eruebat ovem etiam de ore leonis, et discerpebat fauces in frusta brachiaque superabat. Iste est namque David noster, qui et oves suas perducit ad pascua vitæ, et eruit eas de ore leonis, et ursorum brachia constringit. Nos enim *populus ejus et oves pascuæ ejus* (*Psal.* VIII *et* CXIV). Ad quos itaque quam sæpe leo iste et ursus veniunt, hostes scilicet nostri adversarii, et contrariæ potestates, tolluntque etiam arietem de medio gregis. An non eumdem ipsum David tulit, et quasi arietem pervasit : quem si non Dominus de faucibus ejus eruisset, evadere non posset (*I Reg.* XVII). Unde in persona Christi, quod persequeretur eos, dictum est : *Percutiebam* (inquit) *et eruebam de ore eorum* (*Marc.* XIV), scilicet Christus oves suas pervasas, David, Petrum, et omnes qui in ejus fugierunt passione, et deinceps quoscunque eruit jam pene consumptos. Sed illi, sicut Scriptura refert, consurgebant adversus David (*Psal.* II) : quia non minus adversus caput, videlicet Christum insurgunt, quam et adversus ejus membra. David autem, *Apprehendebam*, inquit, *mentum eorum et suffocabam, interficiebamque eos* (*I Reg.* XVII). Gratias omnipotenti Deo, quia quidquid propheta doluit eos prævaluisse in gregem Christi, totum virtute Dei superatum est, tantum ne oves se eorum faucibus ingerant : quoniam morte sua eos leonem de tribu Juda interfecisse patet. Hinc quoque David, *Leonem*, inquit, *et ursum interficiebam ego servus tuus* (*Ibid.*). Sequitur : *Semitas*, inquit, *meas subvertit et confregit*. Hoc idipsum repetit dolens, quod jam supra defleverat, *et posuit me desolatam*, scilicet Hierusalem, quam supra Propheta desolatam sedere plangebat. Nunc vero fortassis, jam in seipsam reversa, imo Christi sponsa dotata ejus sanguine, gemit se positam desolatam a Christo : quia cum adulterum in quibuslibet recipit suis membris, secum sponsum minime habere potest. *Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam*. Positus ergo Christus a patre quasi signum ad sagittam dicitur : quia non minus ipse, quam et omnis ejus Ecclesia in titulum contra omnes aerias potestates, et eorum fallaciam erectus cernitur. Unde unus ex militibus ejus, *spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo et angelis ejus* (*I Cor.* IV). Quod in se solum Christus erigere curavit, quasi monomachiam expleturus contra omnes **1426** bestias silvæ, contraque earum sævitiam contra obiectamenta sæculi, et contra omnia nomini ejus adversantia (*Psal.* CIII). Unde quasi signum ad sagittam se plangit positum, quia non minus in se, quam et in suis membris, ad repellendum omnia jacula suscepit inimici. Cæterum sub Daleth littera, anima timore perculsa plangit, dicens : *Ursus insidians factus est mihi, et leo in absconditis*, quia non minus in aperta quotidie vi sagittarum, quam et in abscondito insidiarum ejus suscipit vulnera, et se talibus decepta dolis, positam jure plangit desolatam. *Tetendit*, inquit, *arcum suum*. Per arcum namque extensum, vis divini judicii exprimitur. Quod diu venire differtur, quia mavult Christus invenire quos remuneret, quam quos feriat. Hinc David ait : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX). Fortassis ergo per arcum, Scripturas sanctas libenter accipimus, ex quibus quasi fortitudine Novi Testamenti, et nervo quodam duritia veteris perplexa et edomita esse creditur, ex quibus tanquam sagittæ mittuntur ad feriendam cordis duritiam. Quia enim alia sagitta percussa est anima, quæ dicit : Inducite in domum vini, constipate me inter unguenta, constipate me inter mella : quoniam vulnerata sagittis charitatis ego sum; *quia amore langueo*. Habet enim ex hoc arcu judiciorum Dei Christus alias immittere sagittas ad perimendum vitia et peccata : alias vero ad vulnerandas animas amore charitatis. Inter quæ nimirum omnia anima constituta est quasi signum ad sagittam, ut hinc suscipiat vulnera charitatis, illinc repellat omnia jacula inimici, quatenus suis triumphet de hostibus, et victrix cum corona recipiat paradisum.

Sequitur He littera, quæ *vivo* vel *est* interpretatur. A principio enim hujus alphabeti, exinanitio Christi ostenditur, sicut ait Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo, propter quod omnia proba et passiones usque ad mortem sustinuit* (*Philip.* II). Unde necesse fuit, sub hac littera clarescere inter agones et certamina passionis, quod is, qui semetipsum intantum exinanivit, semper idem est, et incommutabiliter est, et qui est, utique vivit, sicut et qui vivit est, ac per hoc una vox est credentium, etiam inter supplicia tormentorum; dum dicitur **1427** animæ nostræ, non est salus illi in Deo ejus (*Psal.* III). Est, quia omnino semper idem et ubique est, qui nusquam a suis, et nusquam longe abest. Et hoc solum incommutabiliter tenet fides Ecclesiæ omnino, quia est. Ille vero jure de se ita fidentibus, licet pro nobis mortuus credatur, respondet semper et ubique vivo. Unde etiam deliquentibus clamat, dicens : *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Convertatur autem ad vitam : quia vita nunquam vult mortem, sed ut omnes vita vivant, et convertantur de morte ad vitam. Hæc namque consona vox est sponsi ac sponsæ, ut illa confiteatur corde

Introdusă în format electronic de Google

et ore, qua est. Sponsus autem ei mox respondeat, vivo : quatenus in nullo dubitare queat de illo. Unde idem post mortem, imo ante mortem, vel semper et ubique sine morte; resurrexi, et adhuc tecum sum, qui nunquam abfui, sed semper tecum, et in te, sicuti tu et in me, fui. Quod est dicere : Vivo in te, quia et tu in me vivis, ut omnes audiant quod vivo, et cónfiteantur interrogantibus : *Ubi est Deus tuus?* (*Psal.* XLI) dicantque, est. Est autem ubique, in cœlo, in terra, intra omnia, et extra omnia. Est et in corde meo per fidem, in ore per confessionem : ac per hoc ipse in me est, ut ego sim in ipso, sicut ipse ad Patrem ait : *Volo Pater, ut et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII). Jam quid ipse planctus insinuet videamus.

ne.

Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. Quod satis Hierusalem accidisse manifestum est, cum Dominus justo suo judicio, quasi de arcu diu extenso : quia præcavere noluit ne feriretur, fulgurantes emisit sagittas filias pharetræ suæ in renibus ejus, ut ibi exciperent primum vindictam judiciorum Dei quo magis peccaverant. Quoniam sicut idem testatur propheta : *Unusquisque intrabat ad uxorem proximi sui* (*Jerem.* V). Per pharetram namque, abyssus et profunditas judiciorum Dei designatur. De qua nimirum abysso, Nabuchodonosor vel reliqui omnes contra prævaricatricem Hierusalem, ac si sagittæ ab arcu directi sunt, ut vulnerarent eam, expositam a Domino quasi signum ad sagittam. Quos cum propheta increparet saltem ut jam obsessi converterentur, illi vero omnia verba ejus verterunt in derisum. Unde gemens ait : *Factus* **1428** *sum in derisum omni populo meo canticum eorum tota die.* Quod evidenter de seipso retro factum insinuat. *Replevit*, inquit, *me amaritudinibus.* Dolet completum, quod Dominus exercituum Deus Israel supra comminaverat : *Ecce ego*, inquit, *cibabo populum istum absynthio, et dabo potum eis aquam fellis* (*Jerem.* IX). Quibus Hierusalem jam repletam et inebriatam propheta luget : quoniam repleta fuit angustiis et tribulationibus innumeris, non minus in secunda captivitate sub Tito, quam et in prima sub Chaldæis, quando capti sunt, et dispersi sunt in gentibus, quas non noverant ipsi et patres eorum : atque in toto orbe, ut hodie cernitur, sunt dispersi, ubi potati sunt absynthio, scilicet necessitatibus innumeris et angustiis ab hostibus : et acceperunt potum aquam fellis, per quam significat multitudinem malorum, et sempiternum captivitatis eorum, jugum, aut certe ignorantiam legis Dei, eo quod sint repleti amaritudine fellis, et pro Christo recepturi sint Antichristum. Cæterum Christus, qui est, et qui vivit, plangit quasi caput nostrum, non minus pro nobis, quam et pro illis. *Misit itaque filias pharetræ suæ in renibus meis.* Pharetra namque patris, recte Scriptura sancta accipitur, ex qua judicii Dei quasi ex arcu A sagittas plagarum excipit quotidie Christi corpus, quas et ipse in carne passus prior pertulit sine vulnere peccati. Variæ quidem emittuntur de pharetra Scripturarum sagittæ, quas nonnunquam ardentes facit, ut corda frigida, calore charitatis concalescant, et amore vulnerent. Ex qua etiam et hæretici sagittas pravitatis suæ quasi de pharetra toxicatas, veneno infidelitatis producunt, et corda feriunt innocentum. Sumuntur autem ex ipsa Scriptura et sagittæ judiciorum Dei, quibus exterior homo afficitur. Unde Psalmista : *Confige*, inquit, *carnes meas a timore tuo, Domine* (*Psal.* CXIII). Nam quod ait : *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ*, affectiones divini amoris vel timoris insinuat, ex ipsis Scripturarum sagittis, quasi in propagine emissas. B Propago quippe fidelium jure renes accipiuntur : quia sicut in renibus propago seminis esse dicitur, ita in fide et per fidem in credentibus, omnia virtutum semina propagantur. Unde posteritas Christi, ac si de renibus ejus enascatur. Habet etenim Christus in integritate omnia sui corporis membra, inter quæ habet et renes, de quorum fidei semine propagantur, et alia ex utero castæ matris Ecclesiæ. **1429** Et misit, inquit, filias pharetræ suæ in renibus meis, scilicet sagittas, quibus animæ ad amorem vulnerentur, aut ad timorem : quatenus ex his et vitia perimantur, et virtutes calore dilectionis adurantur. Unde David : *Ure*, inquit, *renes meos et cor meum* (*Psal.* XXV). Nulla igitur anima quæ non ex judicio Dei quasi ex arcu protenso, his Dei aut ad vitia aut ad virtutes vulneretur sagittis. De quibus profecto C sagittis idem David : *Quoniam*, inquit, *sagittæ suæ infixæ sunt mihi* (*Psal.* XXVII). Nam et omnes sancti prædicatores, quasi sagittæ de pharetra Domini, directi sunt. Unde hoc ipse ex persona Domini : *In pharetra sua*, inquit, *abscondit me* (*Isa.* XLIX). Ac si patenter dicat : Verbum Patris abscondit me longo in tempore, quasi sagittam electam in pharetra sua : quatenus diu occultarum scripturarum caligine, suo producat ex arcu, ut probem renes et corda judex omnium constitutus. Jam cætera in his versibus quæ sequuntur, manifesta sunt de Christo, quod ipse factus est in derisum populo Judæorum, et canticum eorum tota die, quandiu in carne versatus est. Unde alibi : *Ego sum vermis*, inquit, *et non homo, opprobrium* D *hominum et abjectio plebis* (*Psal.* XXI). Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput, subsannando scilicet et insultando, sicut ipsius Domini passio apertissime declarat : *Replevit me amaritudinibus, et inebriavit me absynthio.* Unde et in passione myrrhatum vinum dederunt ei bibere (*Marc.* XV) : quoniam versa erat vinea Domini (quam plantaverat ipse vinea Sorech) in amaritudinem vitis alienæ (*Isa.* V). Quod autem inebriatum se dicit absynthio, ostendit eum non minus intrinsecus omni cordis dolore affectum, quam exterius amaritudine passionis vulneratum. Quibus profecto doloribus et suppliciis, omne corpus Christi usque ad finem, donec omnia consummentur, in eo intus foris ve excruciatur,

Introdusă în format electronic de Google

et derisiones patitur a persecutoribus, ab hæreticis, a falsis fratribus, ab invisibilibus hostibus, et ab omni pressura sæculi (*II Cor.* XI). Sed et anima quælibet talibus et hujuscemodi amaritudinibus se quotidie sentit inebriari, ita, ut nihil impræsentiarum boni sentiat, dum tantis indesinenter afficitur malis. Hinc sequitur :

VAU.

Confregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. Et repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum. Et dixi : Periit finis meus, et **1430** *spes mea a Domino.* Quod male tractatus sit Jeremias a populo, quod etiam et populus ab hostibus, nulli dubium. Unde, inquit, *cibavit me cinere*, quia Propheta fame pene peremptus, et populus omni pœnarum genere est depassus. Pro quibus miseriarum angoribus, quasi cinere plangitur cibatus, ita ut repulsa anima de corpore credatur. Ergo bonorum memoria inter supplicia cito labitur : sicuti e contrario, et malorum inter æternæ fruitionis gaudia non recordatur : intantum ut lugeat propheta finem populi sui, et spem convertendi a Domino deperiisse, quod sicut impius cum in profundum malorum venerit (*Prov.* XVIII), hi Dominum contempserunt. Interea vox capitis est, quod confregerit ad numerum dentes ejus in passione, scilicet apostolos et discipulos, qui recte dentes intelliguntur : quoniam sicut dentibus omnia mandimus ac comminuimus quæ in corpore trajicimus, ita per apostolos, Christus credentes in suo admisit corpore et transposuit ; qui denique eo relicto, timore perculsi, omnes fugierunt (*Matth.* XXVI). Cibatus autem cinere etiam per David dicitur : *Quia*, inquit, *cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI). Repulsa est, inquit, anima mea, scilicet omnibus retro annumeratis malis, ita ut tæderet vivere : quoniam hi quos plurimum dilexerat, et propter quos venerat, omni eum insequebantur odio. Ergo sub Vau littera doloris et mœroris ista exaggerantur, et per eam quæ durius dicta sunt temperantur. VAU namque sonare videtur vel sic non ille : licet alius interpres dixerit, et aut certe et non ille, quia licet sic dixerit : *Periit finis meus, et spes mea a Domino*, non sic ille arbitratus est, et non est oblitus adeo bonorum, ut cum Patre quæ sunt sempiterna non habuerit, aut secundum humanitatem in unitate personæ illa percipere non crediderit. De quibus profecto bonis David : *Credo*, inquit, *videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI). Et ideo, vel sic non ille, ut dixi, arbitratus est finem periisse suum, neque spem suam a Domino, et non est oblitus bonorum, licet repulsa sit anima illius in eo præ cordis duritia Judæorum. Sed nimium animi dolorem insinuat et mœrorem, ut adeo sit inebriatus passionis amaritudine, ne recordari possit bonorum, et dicat malis exacerbatus : *Periit finis meus et spes mea a Domino*. Quod si non est ita apud internum judicem, apud homines vero qui tunc aderant periisse videbatur intantum, ut **1431** dicant insultando : Qui alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potuit. Sic et Ecclesia multoties repulsa hæreticorum malis atque persecutorum, præteritorum oblita bonorum, innumeris oppressa doloribus, adeo ut sinis ejus adeo periisse et spes videatur : et non dico ab infidelibus, verum etiam et interdum a fidelibus. Unde Propheta ; *Mei autem*, inquit, *pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei : quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII), et cætera quæ sequuntur. Porro moraliter, anima intus fastidio scripturarum sanctarum sauciata, recte plangit ; *Confregit ad numerum dentes meos*, quibus ruminare debui verbum Dei. Alioquin omnis qui intus scripturarum sanctarum mystica audiendo percipit, nisi rursus meditando vel cogitando ad liquidum ea ruminaverit, procul dubio immunda erit. Hinc quoque et in lege, omne animal nisi ruminet, et dividat ungulam, immundum esse censetur (*Levit.* XI ; *Deut.* XIV). Ex quo peccatrix anima jure luget, eo quod inimicus etiam et ad numerum confregerit dentes ejus, ne aliquid in eo residuum sit, quo ruminare queat. Propterea immundam se sentiens, plangit quod confracti sint dentes ejus, ex quibus comminuere debuit pabulum vitæ : *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Deut.* VIII ; *Luc.* IV). Verbum ergo Dei sensibus evolvere et ruminare, sanitas vitæ est. Idcirco laudatur, quod dentes Moysi usque ad ultimum vitæ non fuerint commoti, quia verbum vitæ semper in ore et corde ruminavit, panemque angelorum indesinenter comedit. At vero, cui confracti sunt dentes ad numerum, recte cibatam se cinere plangit, ut per cinerem ejus mœstitia cordis et pœnitentia designetur. Unde Job cum auditu auris Deum audisset, et oculis ejus eum vidisset, idcirco inquit : *Ego me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere* (*Job* XLII). In favilla enim ac cinere pœnitentiam agere, est nihil aliud quam favillam se ex contemplatione Dei et cinerem recognoscere. Unde et civitati reprobæ in Evangelio Dominus dicit : *Si in Sidone et Tyro factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI ; *Luc.* X). In cinere namque pœnitentiam agere est, cinerem se sentire esse mortuorum. Ideo et ad pœnitentiam abhiberi solet, ut ex favilla et cinere perpendamus, quid per judicium Dei et culpæ ruinam facti sumus. Hinc quoque lugens dicit : *Cibavit me cinere ;* ac si patenter dicat : Culpis exigentibus justo suo judicio, **1432** quia verbum vitæ ruminare distuli, satiatus cinere mortalitatis, ingemisco. *Et repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum.* Repulsam ergo a Deo se dolet, et expositam ad tentationes, ne ultra jam ad bona, quæ sentit, libere tendere possit, imo ab omnibus vitiorum reperculsa malis intus sauciata jacet, in tantum ut bonorum recordari nequeat, atrocioribus pressa doloribus. Hinc est quod sequitur : *Periit finis meus, et spes mea a Domino.* Quod bene Vau littera insinuat, quæ, sicut dixi, *et non est* interpretatur. Perit namque et non est in Domino, qui vere finis totius consummationis prædicatur. Aut

Introdusă în format electronic de Google

certe, vel sic non ille, sicuti a quodam interpretatur : quia vel sic non ille finis est, de quo plangit, in quo omnia finiuntur, sed ille qui perit et non est : in quo fine non essentia rerum, sed interius deploratur. Hinc et spem suam a Domino periisse luget, quia talibus præpedita laqueis, ad ea quæ sentit, erigere se non valet. Propterea et signanter et Zain littera anteponitur. Zain quippe *duc te*, juxta quosdam, *aut huc*, sonare videtur, quod satis aperte insinuat quid velit, ac si patenter dicat ex persona Dei, aut ex persona doctoris : Duc te jam hinc longe retro multis convoluta malis. Et ne indifferenter quasi errans, nesciens quo eat, duplex interpretatio demonstrat, quasi dicat : Duc te ab his quibus adversaris : et illa interroget quo ire debeat : ille vero huc inquit, et sequere, deprecandi viam quam insinuat. Et quid est quod rogare debeat, mox infert :

ZAIN.

Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis. Memoria memor ero, et tabescit in me anima mea. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. Ab initio hujus alphabeti miserias describit miseræ civitatis, et passiones Christi, et Ecclesiæ tribulationes, adeo pro his omnibus, ut ostensum est, plangit, quod perierat finis ejus, et spes ejus a Domino, quasi ob desperationem ex miseriarum oppressione. Sed ex eodem elemento quasi divinitus, ut audivit, Propheta commonitus, duc te, mox ac si novæ spei genere tactus, animo recreatus, conversus ad Deum, preces mittit, et miræ novitatis gratia promittit se deinceps meliora sperare, ac si oblitus præteritorum delictorum. Unde animadvertat prudens lector quod hæc elementa non sine magno mysterio in divinis litteris **1433** prænotata inveniuntur, neque sine intelligentiæ sacramentis, voluit propheta ab his versibus, quasi metro lugens inchoari. Denique nec existimare congruit, quasi ego hujuscemodi interpretationes singulis versibus confinxerim, præsertim cum et summos doctores Ecclesiæ Christi invenias ita eas interpretatas esse : vel etiam alibi, licet in alio opere, eas intelligentias suis versibus reddidisse : quoniam sermo Dei oculosus est, hinc inde et mysteriis adumbratur. Quibus reseratus patet sensibus, quam egregie Spiritus sanctus per eos qui scripturas ediderunt, talia et hujuscemodi curaverit prævidere, scilicet ut et fastidium detergeret legentium, et animos etiam inter lacrymas recrearet pii operis exercitium. Nec dubium quin de Christo et ejus corpore ista interpretari debere : profecto cum in hac miseræ lamentationis voce, jungat cum principio finem, ut is qui dicit : *Ego vir videns paupertatem meam*, dicat et in fine, *Recordare paupertatis et transgressionis meæ*. Hanc igitur paupertatem magni aliquid esse putat, et ideo quasi pro se agens, ejus recordari rogat. Unde et Ecclesia tantæ paupertati compartici pari gaudet : quoniam fide credit quod dictum est a Domino : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Propterea etiam et ipsa dicit cum capite : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ*. Sed quærendum cur transgressionis ejus recordari petat, cum nec Christus transgressionem admiserit peccati, nec recte transgressionem suam aliquis offert judici qua puniatur, imo rogat cum David : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele?* (*Psal.* L.) Sed est, quod Christus transgressionis suæ orat recordari : quia cum transgressionem legis, tamen præceptorum Dei, nulla admiserit : transgressio pro nobis factus est. Hinc sane et Apostolus : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Pro nobis peccatum factus est et maledictum (*II Cor.* V) : quia maledictus ex lege omnis qui pendet in ligno (*Deut.* XXI). Et ideo, ut dixi, quia pro nobis factus transgressio, ut nostras deleret transgressiones, magnum est igitur rogare Deum Patrem recordari paupertatis et transgressionis ejus : quia, cum dives esset, pro nobis pauper factus est, ut nos sua ditaret paupertate (*II Cor.* VIII); et jungit corpus cum capite, quatenus deprecatione capitis corpus purgetur. Corpus autem, quia sine transgressione **1434** præsentem non potest ducere vitam, ideo repletur impræsentiarum multis amaritudinibus, et ærumnis absynthii et fellis. Non enim dixit simpliciter, *Recordare paupertatis et transgressionis meæ :* sed addidit, *absynthii et fellis*, quoniam et paupertas ecclesiarum et transgressio in absynthio versatur et felle, cum multis sponsa coangustatur laboribus, et doloribus fatigatur, si quo modo camino paupertatis decocta ab his quæ pro transgressione sua patienter tolerat, intus purgetur, et sponso suo passionibus afflicta deinceps acceptior fiat. Hinc est quod dicit, *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis;* non quod a Domino transgressionis suæ recordari velit, sed laborum ac certaminum quæ pro his tolerat, id est absynthii et fellis. *Memoria memor ero*, inquit, *et tabescet in me anima mea.* Quæ nimirum vox pia recordationis est et æternæ vitæ : quia cum memoria, id est recte memoratur, mox tabescit anima in se ad eam suspirantis. Hinc David aiebat, *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavit* (*Psal.* CXVIII). Sic itaque et propheta tabescens in se ait : *Hoc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Quia cum profecto corpus Christi ad ejus vitæ contemplationem totum se dirigit, utique in se tabescens gemit, idque recolens, ideo, inquit, sperabo. Nam quod ait : *Memoria memor ero*, idioma Scripturarum est : ut est, vita vivere, et gaudio gaudere, vel morte mori, et cætera quæ homini in Scripturis sanctis inveniuntur, non superflua quidem locutione, sed necessitate plenæ significationis, quoniam aliud est simpliciter vivere vel gaudere, et aliud est vita vivere et gaudio gaudere. Itaque et memoria memorari, longe aliud significantius insinuat quam simpliciter memorari : quia illa memoria memorari, est ex illa memoria æternæ vitæ, quæ inspirata est affectus mentis nostræ, memorando introrsus vivificare, ut addiscant Christi membra nihil aliud memorari, aut cogitare, aut dili-

Introdusă în format electronic de Google

gere, quam ex illa memoria, omnia in nobis de vetustate in novitatem reformare. Hinc rogo, videat prudens lector quantum profecerit fidelis sponsa Christi, in tam subito sub hac littera, postquam divinitus audivit : duc te. Nam retro inter lamenta usque ad desperationem venit, nunc vero in voce quam audivit, quasi in verbo Dei cœlestia in se tabescens meditando concupivit, ac deinde ea recolens quæ retro perpessa est, longe jam in **1435** verbo quod audivit ab his adducta, ideo sperabo, inquit. Sic itaque et illi ex Evangelio per totam noctem laborantes, nihil ceperunt. Unde Petrus : *In verbo autem tuo laxabo rete, et concluserunt multitudinem piscium* (*Luc.* v). Sic nimirum et sponsa Christi retro multis querelarum vocibus afflicta et fletibus, mox ut percepit verbi vocem, duc te, convaluit contra spem, et ad spem rediit, memoriaque illius sempiternæ vitæ recreata, propterea, inquit, sperabo. Animæ quoque post dira flagitiorum crimina, et sui reatus supplicia, vox est paupertatis, sed mox in verbo renascitur et vivificatur, cum audierit, duc te, ut ille ex Evangelio, surge. Unde continuo sub hac littera ad Deum vocem supplicationis emittens, *Recordare*, inquit, *paupertatis et transgressionis meæ*, quoniam in Adam quasi in primo flore transgressa est, et paupertate nuditatis confecta, verumtamen, licet occulte, dum sub hac littera se abducere jubetur, mox memoria memorari dicitur, et ut filia Abrahæ per repromissionem contra spem ad spem rediit, et venit ad Heth litteram, quæ *vita*, ut diximus, vel, juxta alios, *pavor* interpretatur : quatenus post amaras querimoniarum lacrymas, primum pavorem, id est Dei timorem concipiat, sicut scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* cx ; *Eccli.* i) : et tunc demum gustet nihilominus bonum Dei. Accedit confessionis voce.

HETH.

Misericordia Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus, ac cætera quæ sub hac sequuntur littera. Incipit ergo deinceps, dispositis lamentationum querimoniis, moraliter revertendi ad Deum viam explanare, ac de se nihil præsumere : quia neque currentis, neque volentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* ix). Hinc quoque ait : *Misericordia Domini quia non sumus consumpti*, eo quod gratia Dei ex Israel reliquiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* xi), *quia non defecerunt miserationes ejus*. Sed et anima quælibet tantis afflicta malis, recte totum tribuit misericordiæ Domini, quod non est consumpta inter tam dira flagitia reatus sui, inter infirmitates carnis suæ, inter oblectamenta hujus sæculi, inter insidias et fraudes hostium : inter etiam falsos fratres, et laqueos diaboli, et cum tot sæviant doli et fraudes inimici, crebrescentibus malis, quod non consumitur anima : totum ut dixi recte **1436** Deo tribuit et misericordiis ejus. *Quia non defecerunt*, inquit, *miserationes ejus*. Quod bene David post reatum suum intelligens, orat : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam : et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam* (*Psal.* l). Magnam siquidem misericordiam contra aliquod magnum delictum, licet immanissimum, implorat, multitudinem vero miserationum, contra innumera peccata, credens et confitens : quia nullum tam magnum potest esse delictum, neque tam innumera, quibus magnitudo et multitudo misericordiarum Dei non excedat ad veniam, tantum si convertatur anima ut vivat. Et hinc est quod ait : *Quia non defecerunt miserationes ejus.* Quia in nullo deficiunt, ut non de fonte fluant pietatis, si cujuslibet conversatio non defecerit. Et hoc est initium conversionis nostræ, pavor vel timor Domini, et ab ipso initium vitæ quasi indultum a Domino munus : quoniam, sicut David ait, *Beatus vir qui timet Dominum* (*Psal.* cxi). Quia timentes Deum, utique sapientes, atque beati. *Beatus enim quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* xciii). Nam sanctorum pavor esse consuevit, sicut pavor cecidit in Abraham cum sacrificium offerret (*Gen.* xv), et David ait : *Ego dixi in pavore meo : Omnis homo mendax* (*Psal.* cxv). Unde constat quod qui timent Deum, beati sunt. Sanctus igitur est timor Domini quia vere sanctorum est pavor. Ex quo liquet, quicunque hunc habuerit pavorem, ad vitam transit. Cujus confessio vel conversio sub pavore Dei, quam accepta sit, sequens versus insinuat : *Novi diluculo, multa est fides tua.* Et quid est dicere Novi, nisi post querimoniarum lacrymas, post dira supplicia, post confessionem scelerum, post tribulationes et angustias, post preces et misericordiarum Dei confessionem, mox Dei adesse vocem miserentis accidere? Novi tribulationem tuam et patientiam tuam, novi angustias et paupertatem, novi quod exclusam orationem tuam ingemiscis. Hæc omnia cum coram me sunt, novi veram confessionem tuam et fidei constantiam, quia confessa es quod non defecerint miserationes meæ. Ac si dicat, *Et ego novi diluculo, multa est fides tua.* Et quid est dicere, Novi, nisi inter tot discrimina approbo, quæ humiliter gemens enumerasti, et nosse tibi facio post noctem cæcitatis et angustiarum tuarum tenebras, quod diluculo multa est fides a Domino. Laudatur quæ prius ob infirmitatem periisse videatur, sicut ait : **1437** *Periit finis meus et spes mea a Domino.* Consuetudo quippe est prophetarum cito permutare personas, necnon et in Canticis canticorum (*Cant.* ii) : quia nunc sponsus ad sponsam, vicissim et sponsa ad sponsum, nunc vero ad sodales et amicos, nunc idem sponsus absens saliens super montes et transiliens colles, frequenter quasi absens videtur, ut amor sponsæ acrius inflammetur, sed inde subito multoties, quasi pius consolator, adesse cernitur : sicuti et impræsentiarum, postquam sub Heth scilicet confusionem suarum angustiarum attigit, quasi derelictum a Deo se planxit, sed rursus audiens, duc te, convaluit quasi de tenebris ad lucem, de confusione ad gaudium, ut sub pavore et timore Dei,

Introdusă în format electronic de Google

puritatem fidei conservaret. Cui continuo adest sponsus, quasi blandus consolator : *Novi diluculo, multa est fides tua*, id est approbo, et exhibeo me præsentem, quem absentem quasi crudelem effectum lugebas : *Quia diluculo multa est fides tua.* Et illa quasi de Canticis post lamenta : *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum.* Quam rarus in terris qui possit dicere : Pars mea Dominus ! Quam alienus a vitiis, quam segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum sæculo ! Nam et David sub hac eadem littera octavo in loco similiter posuit : *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam* (*Psal.* CXVIII). Quia solummodo ei vox esse potest, qui de septima transit ad octavam, scilicet ex præsenti ad futuram et novam vitam. Nam is tantum jure potest dicere : *Pars mea Dominus*, qui sub octava versatur, qui nihil sibi hujus mundi vindicat, cui non est carnalium possessio cupiditatum, quem non inflammat libido, non stimulat avaritia, non lascivia effeminat, non sternit ambitio, non macerat invidia, non alia negotiorum cura sollicitat sæcularium, qui Deo, non sibi, vivit. Talis namque recte potest dicere : *Pars mea Dominus, propterea exspectabo eum.* Unde ad Teth litteram exinde venitur, cujus interpretatio sonat *exclusio*, vel *bonum*. Et mira dissonantia videtur assurgere duarum interpretationum. Si enim sic excluditur quasi a domo aliquis hospitioque dejicitur, a regno Dei bonisque fraudatur ejus, sicut exclusæ sunt virgines, quæ secum oleum non tulerunt (*Matth.* XXV). Quod si ita est, quomodo bonum poterit percipere exclusus a regno Dei ? Quod non arbitror, sed magis accipiendum cui pars Dominus fuerit, totus inhæreat bono, totumque **1438** possideat illud et sempiternum bonum, totusque exclusus sit et sæculi actibus et præsentis vitæ oblectamentis : quoniam perfecta charitas foras excludit timorem. Unde sequitur :

TETH.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Vel, sicut alia habet interpretatio : *Bonum est sustinere et sperare salutare Dei.* Quis enim sustinet Dominum, nisi qui a studio charitatis exclusus est ab omni labe vitiorum ? Quis est qui sperat, nisi qui id quod sperat et optat et diligit ? Quod enim speramus, per patientiam exspectamus. Ergo qui sperat sustinet, qui sustinet per patientiam, excludit omnes affectus carnis, et molestiarum omnium tumultus. In bono enim excluditur ab omni malo. Et ideo uterque sub hac littera sibi congruit sensus interpretationum, ut bonus sit Dominus omnibus sperantibus in eum : Quoniam qui sperant in eum, juxta David, non delinquunt (*Psal.* XXXIII). Unde alibi et in Psalmis sub hac eadem littera : *Bonitatem fecisti, Domine, secundum verbum tuum* (*Psal.* CXVIII). Et quid est dicere : Bonitatem fecisti, ut esses mihi bonus ? *Quam bonus* ergo *Israel Deus iis qui recto sunt corde !* (*Psal.* LXXII.) Cæteris autem in quamplurimis insinuat locis, licet natura sit bonus, imo bonitas : quoniam cum perversis pervertitur, et cum adversantibus adversatur. Idcirco sperantibus in se jure bonus dicitur. Et ne otiosa sit spes, addidit *animæ quærenti illum.* Quoniam qui sperat, necdum habet in re quod jam tenet et fruitur in spe. Propterea restat, ut quærat per desiderium, non qualecunque, sed summum bonum ; sicut sponsa in Canticis : *In lectulo meo*, inquit, *in nocte quæsivi quem diligit anima mea* (*Cant.* III). Ubi quam pulchre quatuor insinuat omni quærenti, quam valde necessaria : ut primum deliberet quid quærat : et ubi illud, vel quando quærat : aut quandiu quærat. Nam cum dicit : In lectulo quæsisse eum in noctibus quem diligit ejus anima : nec dubium quod sponsa de Christo loquitur, quasi quæsierit eum in nocte, atque in tenebris præsentiarum, necnon et in perturbationibus rerum. Sed facile est intelligere ex Evangelio quomodo perturbatur cor discipulorum suorum, et tenebrantur oculi cordis eorum : quotiescunque mens non sapit ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. **1439** Quoties ergo homo noster non videt ea quæ Dei sunt, dormire merito dicitur, et in noctibus esse. Claudit enim oculos ignorantiæ cæcitatis velut somnus. Propterea Apostolus filios Dei negat esse in nocte. *Vos enim*, inquit, *fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur arripiat : omnes vos enim estis filii lucis, et filii diei : non estis noctis neque tenebrarum* (*1 Thess.* V). Undenec dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus et sobrii simus. Quia etsi bonus est Dominus sperantibus in se, signanter addidit, *animæ quærenti eum.* Quia qui dormiunt, nocte dormiunt : et nocte quærunt, quem in nocte dormiendo invenire non possunt : neque resoluti in lecto quietis, possunt in prima inveniri vigilia, neque in secunda, neque in tertia vigilia vigilantes. Idcirco et Dominus pervigilans in oratione frequenter secessisse refertur, et pernoctans in orationibus incubuisse (*Luc.* XII). Verumtamen qui quærit, nosse eum debet, quatenus quærat quem diligit anima ejus. Quærit enim quam sæpe et non invenit, vocabit eum et non exaudiet. Neque enim quandiu delectabitur loco in quo dormitat et dormit, potest illic invenire quem quærit. Audiet ergo dicentem Salomonem : quod sicut ostium in cardine suo vertitur, sic piger in cubili suo (*Prov.* XXVI). Sic piger vertitur ille quem quærit, et in lectulo suo quem desiderat, quærit et non invenit eum : et ideo relinquenda est dormitatio dormiendi, excutiendus somnus ex oculis nostris : et quamvis adhuc nox sit dandæ, sunt tamen vigiliæ, ut possit, qui quæritur, inveniri. Licet alia interpretatio habeat, odor thymiamatum in lectulo meo, tamen dormientibus non recte invenitur. Unde et sponsa quæ cum non invenisset in lectulo : *Exsurgam*, inquit, *et circuibo civitatem, et in nundinis et plateis quæram quem diligit anima mea. Quæsivi eum et non invent* (*Cant.* III). Quia licet diligentiam et sollicitudinem adhibuerit, non ut oportuit quæsivit. et ideo minime

Introdusă în format electronic de Google

invenire vaiuit. Hinc quoque animæ quærenti Deum, primum requirendus est modus quærendi, ut invenire queat, videlicet non cum desidiosis in lecto, neque in nundinis, neque in plateis, neque in nullo istorum loco, ubi aut cæcitas vertitur, aut odiosa sæculi negotia meditantur, vel lascivia pervagatur. Unde et Jesus arrepto flagello vendentes et ementes omnes de templo ejecit, ne domus Patris ejus, domus negotiationis esset (*Marc.* XI; *Luc.* XIX). Quid enim prodest in plateis eum quærere, ubi, sicut **1440** propheta dicit, vox ejus non est audita? Merito igitur sic quærentem animam, custodes civitatis hujus circumeuntes civitatem, errantem eam inveniunt et comprehendunt, erroremque ipsius revelant, quod neque in plateis, neque in nundinis, neque in lecto, aut in nocte cæcitatis bene quæritur. Custodes autem civitatis nostræ, doctores vel sermones sunt prophetarum, in quibus, si recte interrogatum fuerit, manifeste citius invenitur, sicut sponsa deprehensa non præterivit interrogare eos, sed ait : *Nunquid quem diligit anima mea vidistis? Et cum pertransissem*, inquit, *paululum ab eis, inveni quem diligit anima mea* (*Cant.* III). Ex quo profecto liquet, quod velamento operti sunt sermones prophetarum atque eloquia, ac testimonia Scripturarum sanctarum, in quibus Christus latet absconditus. Quos cum pertransissem, inquit, inveni quem dilexit anima mea, scilicet patriarchas et prophetas, necnon et eorum adumbrata dictorum eloquia, in quibus et præmonstratus et declaratus ostenditur Deus homo. Tribus namque modis dilectus, scilicet Verbum Patris, fide et confessione, et conversione cum probitate doctrinæ quæritur. Unde David : *Quærite Dominum, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV). Ecce quousque quærendus donec invenias quem diligit anima, in perfecto Patris lumine refulgentem. Porro ubi quærendus sit, insinuat Moyses : non quasi sursum aut deorsum, seu cætera quæ in Deuteronomio continentur (*Deut.* IV), sed in corde tuo, inquit, et in ore tuo tantum, ut pacem indultam a Deo retineas : quia in pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion. Loquitur autem pacem in plebem suam, et in eos qui convertuntur ad cor. Ubi si recte quærimus, ibi quærendus est, ubi propinquus invenitur : quia profecto verbum eodem legislatore teste, in ore tuo, et in corde tuo. Invenitur autem, ut diximus in sanctis suis, vivet intus autem et in Scripturis. Ergo quia quærendus est, ibi utique quo inveniri queat : et tunc utique, quando prope est, monente Propheta : *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est* (*Isa.* LV). Quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant eum in veritate. Igitur quia immensus est sine fastidio cum fide quærendus, et quia unus idemque est, semper magis magisque sine ulla permutatione amandus. Hinc quoque sequitur, *Bonum est cum silentio præstolari salutare Dei.* Videat prudens **1441** animus de tanto mœrore (postquam moraliter cœpit vires resumere) quantum profecerit mens cœlestibus instituta disciplinis, exclusa ab omnibus quæ mundi sunt, etiam ultra angelicam dignitatem, et ea quæ sunt recondita, ut inveniat quem dilexit. Unde summo deliciarum invento bono, fatetur sustinere et sperare in salutare Dei : et ut huic bono semper inhæreat, *Bonum* esse fatetur *viro, cum portaverit* grave *jugum adolescentiæ suæ. Sedebit* singulariter *solitarius et tacebit.* Hæc ergo bona exclusio est, ut sedeat secum solus cum Deo. Quicunque se sentit portare jugum grave in juventute sua, sedebit, inquit, singulariter et silebit, quia tulit jugum grave. Sed quia hæc institutio tantum moraliter addiscitur, quærendum de quo jugo dicatur : quia est et jugum grave super filios Adam a die ortus eorum : est et jugum infidelitatis : est autem et jugum Domini leve, quod suarum virtutum onus spe remunerationis solatur. Et hoc fortassis jugum grave, id est jugum emendationis jure dicitur, juxta illud : *Venite ad me, omnes qui onerati estis, et tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI). Si quis autem antequam gravi oneretur sarcina peccatorum tulerit jugum, singulariter sedebit, non cum plurimis est conferendus, sed cum illo qui cum Deo singulariter in spe est collocatus (*Psal.* IV). Verumtamen quærendum quomodo jugum grave sit, cum Dominus jugum suum suave esse dicat : et Græcus tantum jugum posuit, nec addidit, grave. Etsi ita sit, porro jugum suave dixit, et onus leve, nec tamen jugum leve dicere voluit. Propterea potest jugum verbi grave esse, sed suave : grave adolescentibus, quorum ætas est florulentior, noluntque jugo verbi subjiciendo animi præbere cervicem. Potest et grave verbi jugum videri, Christi Ecclesiæ, propter onera disciplinæ austeritatemque correctionis, pondus abstinentiæ, restrictionem lasciviæ. Siquidem hæc omnia operatur Christus in suo corpore, quatenus suave sit onus ferendi fructu gratiæ, spe remunerationis æternæ, suavitate puritatis conscientiæ. Namque jugum verbi suave dixit et onus obedientiæ leve : quoniam qui jugum verbi patienti cervice susceperit, disciplinæ onus grave ferre non poterit. Ergo qui tulerit in juventute jugum grave, propter juventutis suæ æstus, sederitque singulariter cum Deo et siluerit, revelata sibi gaudens divinæ remunerationis æterna mysteria, sub jugo præstolabitur salutare Dei. Certe aut silebit, cum opus habens excusatione **1442** peccati, cum matura confessione pervenit, et propera correctione deposuit. Non enim dicetur huic : Quæ in juventute non congregasti quomodo invenies in senectute? Simpliciter autem potest et sic intelligi : qui a primævo portaverit jugum verbi, hoc est, a juventute non se miscuerit cum juvenibus, is autem sedebit seorsum donec plena se perfectione virtutis erudiat, et magnam animi inducat patientiam : ita demum, ut percutienti se, possit præbere maxillam, ita ut cædis cum tempus injuriam perferendo mandatis obsequebatur cœlestibus. Magnum est autem a vitiis abstinere juvenibus, et ea in ipso vestibulo juventutis deserere. Lubricæ enim et perplexæ sunt

Introdusă în format electronic de Google

viæ juventutis. Unde Salomon tria sibi impossibilia intelligit, et quartum quod non cognoscit : vestigia videlicet aquilæ, viam serpentis, et semitas maris, et viam viri in adolescentula (*Prov.* xxx). Et David : *Delicta*, inquit, *juventutis meæ* (*Psal.* xxiv). Juvenis enim non solum fragilitate lubricæ ætatis prolabitur, verum ignorantia cœlestium mandatorum plerumque delinquit. Et quis est qui levat jugum grave super se a juventute sua, nisi qui omnibus sæculi renuntiat deliciis, luxuriam fugit, et molestiarum omnium æquanimiter fert tumultus? Super se quidem levare dicitur jugum grave : quia nisi gratia Dei adjutus, secundum se ferre non poterit. Idcirco recte super se tulisse dicitur : quoniam ultra vires est corruptæ naturæ, quidquid de ecclesiastibus, aut ad novitatem vitæ imperatur. Sequitur Iod littera, quæ forte *principium*, aut *desolatio*, interpretatur. Sub qua plangitur pro viro supra præmisso, quod ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Vel etiam juxta aliam interpretationem, *Dabit in sepultura fossuram os suum, et tamen est spes patientiæ.* In quibus valde discors vel dissona videtur interpretatio, quo modo principium sit, quod ponet in pulvere os suum propter spem; vel qualis esse potest desolatio, nisi quia nunc moraliter agens post miseriarum suarum supplicia, post diras tormentorum angustias, fide sibi reddita, principium est nostræ professionis in pulvere os ponere, et momentis singulis quod cinis, quod pulvis sumus cogitare, ex quo rursus spes nobis germinetur, ac dilatetur charitas. Interdum tamen bonum principium est nosmet primum cognoscere, omnia pro Domino tolerare : licet hæc omnia superius de Domino dicta intelligantur : quia et si compatimur, et conregnabimus. Unde *dabit*, inquit, *percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Et Dominus in **1443** Evangelio docens virtutem patientiæ, ait : *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram* (*Luc.* vi). Vult enim nos et injuriarum esse patientes, nec referire facile, sed necdum ferire. Patientia enim humilitatis indicium est. Et ideo quoniam desolata, ac destituta, erat illa Jerusalem, *Dabit*, inquit, *percutienti se maxillam suam.* Sed melius de Christo et Ecclesia, id est de toto corpore suo accipitur : cui bonus est Dominus sperantibus, et cui bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, cui etiam bonum dare percutienti maxillam suam, ut non se subducat injuriæ, nec declinet cædis dolorem, sed percutienti maxillam offerat. Nimirum postquam audivit, longe retro, duc te, moraliter Evangelium describit, et ideo ait : *Dabit percutienti se maxillam*, ut intelligas, si percutere voluerit, sive qui jam percusserit ultroneum corpus Christi, se offerre debere pro omnibus quæ gratia Christi contulit nobis : ut sit indicium Christi Ecclesiam non aliter salvandam esse quam per Evangelii disciplinam, et tunc bonum principium ei incipere, cum cœperit Evangelii præcepta servare, et operibus mandata Domini implere : Ac si cum Propheta dicatur : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* cxv). Alioquin quomodo jugum captivitatis de sua deponat cervice grave, nisi cum se subdiderit jugo Christi levi? Et *satiabitur*, inquit, *opprobriis* : non dixit, subibit opprobria, sed satiabitur : quia facile est unam aut alteram sustinere contumeliam. Unde addidit, *satiabitur opprobriis*, quoniam facilius Domini moveret misericordiam opprobriorum, quam plurium deformitate miserabilis, ubi ostenditur aviditas desideriorum et libertas gratiæ, cum dicitur : *Dabit percutienti se maxillam, et satiabitur opprobriis*, quoniam omnis saturitas ex aviditate sumendi nascitur. Ideo magna gratia commendatur, cum dicitur, *satiabitur opprobriis*, sicuti et David fugiens Absalon, satiabatur opprobriis Semei, et convictus maledicebat ei, virum sanguinarium eum appellans. Ipse vero, magis humilis coram Deo volens videri, ut mitigaret offensam Domini : cum Abisai vindicare eum vellet : *Quid mihi*, inquit, *et vobis est, filii Sarviæ? Ideo maledixit mihi, quoniam Dominus jussit illi ut maledicat, si quo modo videat humilitatem meam, et retribuat mihi bona pro maledicto* (*II Reg.* xvi). Nam ideo voluit opprobrio satiari, quoniam cum impleta fuerit humilitas, peccatum solvitur, sicuti Isaias insinuat, dicens : *Loquimini*, ait, *ad cor Jerusalem*, **1444** *et consolamini eam, quia completa est malitia ejus* (*Isa.* xl). Et ut alii codices habent : Humiliato solutum est peccatum ejus, dimissa est iniquitas illius : quia suscepit duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis suis. Felix igitur desolatio sub hac littera monstratur, quia ubi desolatio, ibi sequitur humilitas : et recto ordine humilitatem patientia : patientiam autem probatio : probationem vero spes. Quod habes et in Apostolo : *Spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui utique nostrorum est consolator affectuum* (*Rom.* v). Idcirco bonum est viro cum tulerit jugum, ut sedeat solitarius, aut certe in spe singulariter constitutus : quia Deus, ut aiunt, semper impari gaudet numero. Unde egenus ille et pauper in Psalmis gemens ac lugens : *Vigilavi*, inquit, *et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Psal.* ci). Quod autem ait (ut supra dixi juxta aliam interpretationem), dabit in sepultura os suum vel in fossuram : ostendit ad modum quemdam patientiæ taciturnitatem, ut tanquam sepultus non loquatur, imo quodam virtutum aggere obstruat vocem, ne doloris admittat querimoniam, tantumque ponduş asserens patientiæ quam spes foveat, ut vocem ipsam vel quodam busto ac tumulo sepeliat atque includat, quam nulla extorquere, nullaque excitare possit injuria. Quod Dominus bene de se in passione sua exemplum præbuit, qui sicut propheta ait : *Quasi ovis ad occisionem ductus, et quasi agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum* (*Isa.* liii). Videat prudens lector, vir iste videns paupertatem suam post flagella, post contritionem, post angustias, post querelarumque voces, moraliter quantum

Introdusă în format electronic de Google

profecerit, et sic deinceps ad Caph litteram edoctus veniat.

Caph quippe *manus*, vel etiam, secundum aliam interpretationem, *curvatus* interpretatur, eo quod omnes qui recte sentiunt, sub manu Domini curvantur. Manus autem super omnes est, ut aut puniat, aut certe corrigat. Et ideo ut tantis humiliatus pressuris, et correctus disciplinis, cervicem sub manu Domini curvare gaudet, dum humiliatur ad pœnitentiam, et secundum interiorem hominem, cervicem cordis ac mentis flectit ad Dominum, spem habens quod non repellit in sempiternum Dominus.

CAPH.

Quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim, inquit, *humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum.* Siquidem ipse sonus versuum insinuat quid sit curvari sub potenti manu Dei, patienter scilicet **1445** omnia sustinere eo quod non repellit in sempiternum Dominus. Quotiescunque vir jugum ferens, inclinatur ad flagella, ad pœnitentiam, ad contumelias, ad opprobria, quasi curvari videtur ad humilitatem. Unde et propheta David sub hac littera inquit : *Paulo minus consummarunt me in terra* (*Psal.* CXVIII), abjectum se sentiens et expositum ad certamina. Unde cervicem mentis flectit ad Dominum, de qua profecto cervice dicitur : Non sic flectas ut circulum collum tuum. Qui enim cor suum non flectit ad humilitatem et misericordiam, frustra cervicem suam curvat exterius ad supplicandum. Propter quod jam hic satiatus opprobriis singulariter in spe subvectus fidenter ait : *Quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.* Ad hoc quippe affligit Dominus et corripit, ut misereatur. Quod bene intelligens, vir videns paupertatem suam, fiducialiter agens de Deo : *Non enim*, inquit, *humiliavit ex corde suo.* Deus ut satietur pœnis nostris, *neque abjecit filios hominum;* mavult ergo ut humiliemur et curvemur coram eo, quatenus et misereatur. Propterea in superioribus idem propheta sub hac littera ostendens gemitus plebis et humilitatem, ait : *Omnis populus ejus ingemiscentes quærentes panem : dederunt desiderabilia sua in escam, ut reficiant animam. Vide, Domine, et aspice : quia facta sum vilis* (*Thren.* I) vel sine honore. Ergo qui animæ suæ quærit refectionem, jure humilitate curvatur, quo possit citius pervenire ad Domini misericordiam, ac sentire in bonitate : *Quia si abjecit et miserebitur.* Ideoque tanquam curvatus multo amplius anima et mente quam corpore totum se flectat ad multitudinem misericordiarum Dei, sciens quod non abjecit, neque humiliavit ex corde suo filios hominum ut perimat ad supplicium, sed ut emendet et relevet ad salutem. Cujus profecto sensus consequentiam sub Lamech littera prosequitur.

LAMECH.

Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ, ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi, ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit. Et est quantum ad nostram exspectet [al. lenitatis] lamentationis eloquentiam, mira versuum compositio, more metri, ut tres ab una incipiant versus parte, unaque terminentur clausula verbi, quasi Dominus; ut contereret sub **1446** pedibus suis omnes vinctos terræ ignoravit : ut declinaret judicium viri Dominus ignoravit; et perculeret hominem in judicio suo ignoravit. Quia profecto Deus mavult salvare correctos quam damnare protervos. Et hæc est sub Lamech littera magna versuum disciplina vel cordis confessio : quia, ut supra jam dixi, Lamech *disciplina* interpretatur, vel cordis aut certe *servo.* Quibus nimirum sensibus magna decoloratur obscuritas, ut intelligamus sub omni integritate et disciplina Christi, cum omni puritate cordis sollicite servanda esse quæ dicuntur : quoniam qui habet disciplinam Christi, servare se profitetur præcepta salutis, et cordis puritatem. Neque enim sic abjecit omnes vinctos terræ sub pedibus suis ut contereret. Vincti autem terræ sunt omnes terrenis criminibus obligati. Quos ut contereret Dominus sub pedibus suis ignoravit; quia nec sic abjecit ut repelleret, imo ut sub ditione sua omnes constitueret, eo quod de filio inquit : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII). Unde quia constitutus est judex omnium, fideliter confitetur judicium viri ut declinaret, Dominus ignoravit, sed reddet unicuique juxta opera sua. Et ut perverteret hominem in judicio suo, licet impræsentiarum indifferenter accipiatur, etiam cum judicatur, Dominus ignoravit : quoniam mala quæ a Domino inferuntur, aut justa supplicia sunt meritorum, aut futurorum probationes sunt præmiorum. Ergo adversitas, quæ a Domino est, plena justitiæ, plena æquitatis, plena misericordiæ est. Unde secundum disciplinam Christi profitetur cordis innocentiam : et dicit vir videns Deum servo divinorum eloquia præceptorum : quoniam et si sunt hæretici, qui falso Deum criminentur crudeliter affligere animas luteis devinctas domibus, et in Veteri Testamento quasi ex præjudicio quosque punire : hic autem sub disciplina Christi flagello eruditus, juxta quod propheta inquit : Virga castigaberis, filia Sion, cordis confitetur puritatem, quod omnia justo Dei moderamine agantur, ut salutem omnibus se tribuat invocantibus in veritate (*Psal.* CXLIV). Et secundum interpretationem litteræ, libere de se clamat : Servo disciplinam castigationis, servo pietatem professionis, servo cordis integritatem, servo illibatam inter omnes hæreticorum fraudes virtutem fidei, servo dilectionem in spe singulariter subvectus, sub Dei protectione animam retractabiliter gerens, quod non repellit in sempiternum Dominus. Magnus igitur provectus animæ monstratur, ut inter **1447** tot tantaque vitæ discrimina, separari nequeat a charitate Christi. Sed dicit cum propheta David etiam inter flagella : *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Domi-*

Introdusă în format electronic de Google

num Deum nostrum, donec misereatur nostri (*Psal.* CXXII). Post hujus fidei constantiam, venit ad Mem litteram, et surgit quasi propugnatrix justitiæ contra omnes Epicureos, vel etiam contra eos qui dicunt Deum non curare mortalia. Contra quos etiam Psalmus LXXII attollitur, in quo aiunt ipsi perversa sentientes : Quomodo scit Deus, aut si est scientia in excelsis? Pro quo etiam præsentes versiculi increpare videntur eos.

MEM.

Quis est iste, inquit, *qui dixit ut fieret, Domino non jubente : ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?* Hæc, ut dixi, sub Mem littera plangutur. Mem quippe *ex intimis* vel *ex ipsis* interpretatur ; et ut alii dicunt : *ignis ex ultimis*, sed utrumque non discordat a textu hujus lamenti ; quia magni ex ardore amoris est, quod jam non pro se contra improbos, quam pro Deo fide certare videtur. Arbitratur enim obsequium se præstare Deo, si contra obloquentes, quasi de celso vertice subsannando dicat, *Quis est iste qui dixit ut fieret, Deo non jubente?* ac si patenter dicat, Quis est iste, cum sit cinis et pulvis, suo inflatus spiritu, qui audeat de immenso et incircumscripto Deo, suæ sortis disputare verbis, et subsannare nos qui flagellamur, ac si filii adoptionis necdum hoc mundo damnemur? Quibus profecto verbis patet, quod nihil non jubente justo vero Dei judicio fit in nobis, ac propterea quidquid superius contra Deum lacrymando protulit, magis ex fonte pietatis venit, quam ex querimoniarum præjudicio. Unde præsens littera ex intimis sonare videtur; quoniam quidquid causa confessionis intulit, ex intimis visceribus fluxit, et ignis charitatis Dei ex ultimis præcordiorum manavit medullis, ut quodam nexu caloris Dei, intus concremarretur ossibus. Sic denique longe supra in eisdem threnis, ejusdem textus litteræ hoc continere videtur, *Ex alto*, inquit, misit ignem in ossibus meis (*Thren.* I). Bonus ergo Deus, qui nobis hunc immittit ignem, unde diligentes eum, gratiam et gloriam meritorum in conspectu ejus invenire possimus, et quem in nobis mittat ignem, ipse nos doceat. Ait enim, **1448** *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Bonus igitur ignis, quem vult omnium Salvator magis magisque accendi, præsertim cum et ipse sit ignis vorax, qui nostra peccata consumet, intimisque pectoribus divinæ cupiditatem cognitionis infundat, quatenus redeat in nobis cor nostrum, ut capiat divinarum seriem Scripturarum, et hauriat fontem aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). Hoc namque igne Cleophas cor suum dicebat ardere, cum Christus eis aperiret Scripturas in via (*Luc.* XXIV). Profunda igitur in verbis Dei videmus mysteria, idcirco ex intimis, vel etiam, ut alius interpres ait, ex ipsis debet ignis accendi, quasi ex ultimis viscerum ossibus exurat in nobis fenum, stipulam, vel plumbum iniquitatis, vel quidquid sæcularis est vitæ, quatenus liquefiat igne divino ferreus quidem peccati rigor, et superno mollescat incendio, intantum, ut etiam contra insolentiam reproborum, ipsi pro fide certare videamur ac dicere : *Quis est iste qui dixit, ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona?* præsertim cum et mala non nisi justo suo judicio ab ipso sunt, nec bona nisi ejus misericordia præstantur : non dico bonis et sanctis, verum etiam quam sæpe reprobis et damnatis. Unde professionis voce de utrisque : *Quid murmuraverit*, inquit, *homo vivens, vir pro peccatis suis?* Quod et Paulus : *O homo*, inquit, *tu quis es qui respondeas Deo : Nunquid potest dicere vas figuli*, scilicet testa de samiis terræ, *Quare me sic fecisti?* (*Rom.* IX.) Alioqui in omnibus quid murmuravit homo vivens, aut certe quid dicturus est vir pro peccatis suis, cum omnia concluserit Deus sub peccato, ut omne os obstruatur, et fiat omnis mundus subditus Deo (*Gal.* III). Cæterum desides aut vecordes, fingant de cordibus suis Deum, ut dixi, non curare mortalia : ab ipso sunt, ut anima confitetur disciplinis Christi erudita mala vel bona. Idcirco oppilata est omnis iniquitas, nec habet quid respondeat homo compositus Deo, et si fiat vas in contumeliam, dum quotidie meliorantur vasa aurea flagellis Dei, et argentea in honorem. Hoc quippe habet ex intimis : hoc et ignis ex ultimis, hoc ex ipsis, ut omnis sapientium sensus, omnis sermo prudentium, omnis flagrantium tentatio passionum, omnis conatus actionis calore recoctus amoris Dei, incipiat esse pretiosior. Bonus igitur ignis charitatis Dei, bonus ex intimis visceribus affectus amoris, bonus ex ipsis timor perseverans, operationis quoque corpus omne Ecclesiæ in **1449** mutuam adolescit gratiam. Bonus quidem dilectionis ignis, quo unusquisque sanctus ad reverentiam sui auctoris accenditur : sed qui Deum diligit igne charitatis accensus, non perfunctorie diligit, sed ex intimis diligit legem ejus, et ex ipsis præcepta ejus custodit, et ex ipsis justificat cor suum : non auditu dictorum, sed studio adimpletionis, atque imitationis factorum. Verumtamen ab his omnibus non habet vivens homo quid murmuret pro peccatis suis. Justus autem, inquit Spiritus divinus, meus ex fide vivit (*Hab.* II). Quod si homo vivens non justificatur ex fide, justisque operibus fidei justificatus non habet quid dicat, quanto magis impius et peccator? Unde signanter ait : *Vir pro peccatis suis.* Vir namque sexus est nomen : homo vero commune est omnibus. Unum siquidem eorum ex natura : aliud vero contingens ex gratia, ut neque qui ex propagine originis primæ naturæ flagellatur, neque vir qui jam ex gratia discernitur. Uterque tamen, licet vivens fide, dum pro peccatis affligitur, non habet testa quid contra figulum respondeat, vel quid dicat, Cur me fecisti sic, vel quare ita facis? Quod bene intelligens Job, licet multis excruciatus suppliciis, in omnibus jure pene laudatur, quod non peccavit labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est (*Job* II). Unde cum aliquis fide vivens, ut augeatur meritis : neque vir jam gratia discretus a

Introdusă în format electronic de Google

sexu infirmitatis, ut a suis purgetur delictis, tamen pie a domino corrigitur, non habet quid objiciat Deo; quanto magis is qui jure in massa perditionis connumeratus, damnatur? Quorum omnium nec mala nec bona, nisi justo Dei judicio provenire recte creduntur. Nunc ad Nun litteram moralis (quod sempiternum sonat) sensus venire gaudet, cujus, ut dixi, secundum Hebraicam veritatem, *sempiternum* interpretatio sonat: et si alius interpres, *unicus*, dixerit: aut certe pascua eorum illud significare voluerit, quod nulla Ecclesiæ alia sint pascua, quam Christus, in cujus se pascuis locatum Propheta lætatur, dicens: *In loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* XXII). Ipse enim nos reficit et pascit bonis pascuæ suæ, sacramentis scilicet divinis, ex ubertate agri cui benedixit Dominus, cujus odor emanat odor suavitatis, quasi de novo flore sanctæ resurrectionis. De cujus nimirum plenitudine ubertatis in persona Patris, et plenitudo, inquit, agri mecum est. Ex quo profecto lilium nascitur convallium, ob candorem æternitatis, necnon et rosa propter sanguinem **1450** Dominicæ passionis, quæ sane pascua sunt Scripturarum mystica sacramenta, in quibus monemur admodum, *ut scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum.* Tria siquidem proposuit; ut scrutemur quasi ad unguem, juxta philosophos, vias nostras; et quæramus certe quid facti sumus, aut quid fuimus, aut quid esse debuimus, et cum inventum fuerit, quod ad non esse tetendimus, necessitate compulsi, revertamur ad Dominum. Ubi principium litteræ nos invitat, quoniam ut præmisi, et *principium* interpretatur. Hinc unicus Patris et Filius ait: *Ego principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII). Ex quo liquet litterarum interpretatio sensus, quod ab infantia parvulos elementa Hebræorum, quibus ætas puerilis assuevit, usque ad maturitatem virtutis excrescere, non informant ad divinas latenter et mysticas intelligentias intendere. Unde et eadem Nun littera *unicus* interpretari dicitur, qui verum principium esse creditur, et pascua eorum qui revertuntur ad ipsum. Bona quidem pascua sunt et Scripturarum studia cœlestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, recreamur gratia, reficimur disciplinis, dum ea quæ scripta sunt degustamus, aut percepta frequentius ruminamus. Bona igitur pascua Christi, quibus grex Domini saginatur. Bona etiam, in quibus unicus patris principium vitæ pascitur inter lilia splendore sanctorum. Unde monet egregie: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlum.* Ubi vera sunt gaudia, bona sunt pascua, lilia convallium, vernantia rosarum. Sed neque ad ea recte corda sine manibus levantur, neque manus sine puritate cordis: ut et integritas fidei nos commendet Deo, et operatio fidei, quæ per dilectionem operatur (*Gal.* IX), non minus nos, quam et nostra referat in cœlo, sicque recolentes paupertatem nostram, dicamus Deo: *Nos inique egimus*, ut et omnis integritas confessionis declaretur, nos *ad iracundiam*, inquit, *provocavimus*: Quia profecto aliud est, quod inique egimus: et longe aliud quod hactenus male agendo, pium judicem ad iracundiam provocamus.

NUN.

Idcirco, inquit, *tu inexorabilis es.* Hæc namque trium versuum intelligentia, omnem Scripturarum reddit doctrinam, *ut scrutemur vias nostras*, scilicet actiones, *et quæramus, et revertamur ad Dominum* per lamenta, a quo male discessimus **1451** per flagitia. Magnum igitur est unumquemque seipsum nosse: idcirco jubemur ut scrutemur vias, scilicet actiones nostras, actiones fidei nostræ, ut nosmet cognoscere possimus. Unde Moyses in lege: *Attende tibi*, inquit, *ne fiat verbum absconditum in corde.* Tibi, inquit, attende, et non utique pecuniæ tuæ, non possessionibus, non viribus tuis, sed animo tuo, ac menti tuæ, unde omnia consilia et facta cogitationesque manant. Ibi enim te attende, ubi potiorem te nosti. Quod Apollini Phitio gentiles assignant, quasi ipse auctor fuerit hujus sententiæ, qua dicitur, Nosce teipsum, cum de nostro, ut credimus usurpata ad sua translata sit: quoniam longe anterior Moyses, quam hi philosophi, qui ista finxerunt. Hinc quoque Salomon oraculum secutus divinum, ait in Canticis: *Nisi scias te decoram inter mulieres* (*Cant.* I). Hoc est dicere, nisi cognoscas te mortalem ad imaginem Dei factam rationabilem, et nisi tua fatearis prior delicta, nisi iniquitates tuas coram te habueris cognitas ut justificeris, nisi convertaris, e prior accuses antequam claudatur janua, antequam dies mortis ut fur veniat (*I Tim.* V). Et hoc est dicere: *Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum*, ut scias ex confessione fateri quid amiseris, et requirere in soliditatem fidei quæ perdideris. Nisi scias te, inquit, o pulchra et decora inter mulieres, et dicas, Fusca sum, quia peccavi sed decora, quia diligor, ex fide Abrahæ renata genus electum, sacerdotium sanctum (*I Petr.* II), alioquin abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos, juxta tabernacula Cedar. Multum igitur profecit vir videns paupertatem suam, flagellis eruditus: multumque convaluit, postquam venit ad Zain litteram, audiens, duc te, multumque postquam intulit jugum grave super se, et sedit solitarius. Inter quæ nimirum alta silentia plene cognovit, quod hæc sit salus nostra, ut scrutemur vias nostras, et quæramus: quia lubricæ sunt et tortuosæ viæ juvenum in adolescentia sua. Quod si sero aliquis tulerit super se jugum, et sederit saltem senex solitarius: quantum deflendus threnis, quibus deflentur peccatores, qui vias vitæ, et vias justitiæ nolunt apprehendere! Unde prævenire congruit annos juventutis correctione congrua, ut dicamus singuli: *Deus pascit me a juventute mea* (*Psal.* LXX). Et alibi: *Nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* XXII.) Et hæc sunt sub hac littera. Illa vero pascua sempiternæ vitæ, ubi unicus Patris pascit inter lilia: quia donec aspiret dies, **1452** et inclinentur umbræ (*Cant.* II),

Introdusă în format electronic de Google

hoc solum nobis vitæ subsidium est, ut levemus ad eum corda, cum manibus, in cœlum, et dicamus : *Delicta juventutis meæ, et ignorantiæ meæ, ne memineris* (*Psal.* XXIV). Quoniam graviora sunt senectutis, quam juventutis vulnera. Nam unum eorum debilitatis est remedium : aliud vero robur salutis. Salutis medicina vulneri quæritur : gratia vero sanitati. Ideoque ait : *Bonum est viro cum portaverit jugum in juventute sua*, eo quod (etsi senibus remedium est desinere peccare) stimulant eos peccata sua, exagitat conscientiam consuetudo peccandi, et longior usus erroris sæpe instabilem facit. Unde huic in periculo res est : juveni autem in bono. Et nescio cum sederitis singulariter, si facile inveniat æqualem una cum unico patris Filio solitarius, in loco pascuæ locatus, cum et ipse singularibus donabitur præmiis, et ditabitur donis. Hinc est quod quietus et feriatus ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis, et voluptatibus, divinis vacans oraculis, *Levemus*, inquit, *corda cum manibus ad Dominum in cœlum*, ut singulariter ea referamus quæ cum Deo viventibus solent felicius dari. Interim tamen pro præteritis curemus Deum cum lacrymis et precibus instantius exorare, et confiteri quod nos sumus qui inique egimus, nos qui ad iracundiam provocamus. Idcirco quia præterita abundant, nec præsentia cessant, dicamus cum propheta : Quia tu inexorabilis es. Et quia nos non audit, non ejus inexsuperabilis bonitas, sed nostra malitia facit. Unde recte Samech littera sequitur, quæ *audi* vel *firmamentum* sonare videtur : et ut noster interpres ait, *adjutorium* interpretatur, quod ipse textus versuum insinuat.

SAMECH.

Operuisti enim, inquit, *in furore, et percussisti nos : occidisti, nec pepercisti. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. Eradicationem et indignationem posuisti me in medio populorum.* Quibus profecto verbis, liquet sensus litteræ, quod adjutorium juste auferetur ab eis, qui et multa de præteritis aggregata non plangunt : insuper et nova veteribus addentes, pium judicem ad iracundiam provocant, et quotidie delinquendo, inexorabilem reddunt : et sicut superius idem propheta sub eadem littera Samech plangit, *Abstulit*, inquit, *Dominus de medio mei omnes fortes meos* (*Thren.* I), vel, ut nostri codices **1453** habent, magnificos vocavit adversum me tempus : ut contereret in me electos meos. Non enim tunc abstulit omnes Judææ fortes Dominus, quando in Babyloniam regionem Judæorum captivus ductus est populus, sed quando Christo advenit, et libertatem animæ suæ synagoga captiva non vidit, nesciens gravibus incurvata peccatis, mentis suæ erigere cervicem, et quædam fidei colla ad lucem cogitationis attollere. Idcirco Christus quasi eradicatio et indignatio positus est in medio populorum. Hinc ipse ait : *Ego veni, ut videntes non videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX). Et Simeon eum suscipiens : *Ecce positus est hic in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur* (*Luc.* II). Unde, quia abstulit Dominus omnes fortes et magnificos, merito eis sublatum plangitur adjutorium, eo quod adjutorem Deum, indurato corde, reliquerunt. Nam et idem propheta longe jam supra vocem Dei præmisit, dicens : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et dissipes, et disperdas, et plantes* (*Jer.* VIII). Contra quæ quatuor tristia, duo læta opposuit : quia non poterant ædificari bona, nisi destructa essent mala, nec plantari optima, nisi eradicarentur pessima. Hic autem eradicationem et indignationem se plangit positum in medio populorum : quia omnes, quia a Christo in passione oberraverunt, eradicati sunt de terra viventium, indignatione perpetua. Idcirco et propheta propter eos quatuor inducit, scilicet : *Operuisti in furore, et percussisti nos : occidisti, nec pepercisti.* Operuit quidem in furore suo velamento cæcitatis faciem Judæorum, ne agnosceretur Christus. Unde et velamen positum erat super faciem Moysi (*Exod.* XXXIV), quod usque hodie legitur. Et percussit eos plaga dispersionis in gentibus, nec tamen sensisse eos cernimus. Occidit vero, quando spiritum gratiæ vitæ abstulit : quia lex spiritualis est (*Rom.* VII), ne spiritum vitæ in eadem lege perciperent. Nec pepercit, quando et gratia a templo, a lege, a solo patriæ, et ab omnibus expulit fidei sacramentis. Unde nubes opposita peccatorum contra nos, ne transeat oratio eorum, jure plangitur. Qui nimirum locus, non minus supra personam Christi intelligitur, quam et super Jeremiæ interpretatur : quia Jeremias *excelsus Domini* dicitur. Dominus autem destruxit regna diaboli, quæ sibi in excelso montis ostenderat, et adversarias perdidit potestates, delens chirographum earum in cruce (*Col.* II). A **1454** quibus, qui membra sunt hujus corporis, ablatum est omne adjutorium, et statutum est chaos magnum inter eos qui præsciti et prædestinati sunt ad vitam, atque inter eos qui præordinati sunt, justo et vero Dei judicio, ad supplicium. Unde ex Evangelio Abraham ad divitem : *Inter nos et vos chaos magnum*, inquit, *firmatum est ut non possint inde huc, neque ex hinc illuc transmeare* (*Luc.* XVI). Propterea recte a quibusdam interpretibus hujus litteræ interpretatio, *firmamentum*, aut *audi* interpretatur. Non enim otiose dicit audi, quod commune est omnibus, et suppetit universis ipso jure naturæ. Non est otiosum, inquam, quod dicitur audi, etiam cum inviti aut aliud agentes, sonum tamen aut vocem audire solemus. Sed quia non est hoc solum audire, quod suppetit audire officio naturæ, sed illud quod majus est, ut audias non usu tantum corporis, quam intellectu mentis : ideo diligentius considera istius litteræ interpretationem, seriemque versuum, post moralem intelligentiam, quid sequatur eos, quorum in sempiternum furor peccandi perseverat.

SAMECH.

Unde *opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Alia

Introdusă în format electronic de Google

quippe nubes levis legitur, super quam ascendit Christus : alia nubes lucida et candida : alia vero tenebrosa. Sed nubes quæ opposita plangitur, densitatem peccatorum significat. Nam et columba nubis, quæ præcedebat, Hebræis exeuntibus ex Ægypto, mediam se opponens, inter Ægyptios atque Hebræos : ipsa eademque lux erat exeuntibus filiis Israel, et cæcitas Ægyptiis (*Exod.* XIII). Ita et nubes corporis Christi lux credentibus : non credentibus autem, cæcitas, et petra scandali, necnon et lapis offensionis. Unde, inquit, *Operuisti in furore.* Quid enim operuit, nisi quia seipsum Dominum in homine occultavit? *Et percussisti*, ac si dicat, vulnere infidelitatis. *Occidisti* sui in pœnitudine cordis. *Nec pepercisti*, inquit, propter severitatem judicii. Et hæc, inquam, nubes opposita est coram oculis divinæ majestatis, quam non potest transire quandiu cæcitas ex parte Israel manserit infidelitatis oratio. Idcirco Christus jure eradicatio et indignatio positus esse plangitur, sicut de infidelibus comminatur; propterea inquit propheta et præcedentibus quæ sequuntur, *Deus destruet te, in finem evellet te, et emigrabit te de tabernaculo, et radicem tuam de terra viventium* (*Psal.* LI). Et hoc est textus hujus litteræ, sicut dicitur, audi : quoniam incomprehensibilia **1455** sunt judicia Dei. Idcirco monet per hanc litteram qua dicitur, audi, ut omnes ad intelligentiam redeant, et ex his quæ dicuntur cordis intelligibilia percipiant. Unde et supra sub hac littera : Lacum calcavit Dominus, inquit, virgini filiæ Judæ, non quod tunc Dominus, ut dixi, fores abstulerit, quando ductus est captivus populus, sed quando Christus advenit. Tunc quippe lacus factus Judæis passio Salvatoris, quæ gentibus portam salutis ostendit. Nam crux Domini, sicut non credentibus præcipitium est, ita credentibus portus salutis. Et ideo præmisit propheta, audi, ut futura cognosceres quoniam torcular (aut lacus juxta aliam interpretationem) quem calcavit Dominus virgini filiæ Judæ, calcavit ut ex ipso passionis prælo fides credentium claresceret, aut fæx infidelitatis in amuream transiret. Moraliter autem, recte se plangit anima, quando caligine operuit iniquitatis, ut percussam atque occisam sentiat justo Dei judicio, agente vulnere pravitatis suæ. Cui opposita nubes plangitur delictorum, quæ magis contra nos clamare quam exorare videtur. Unde Dominus ad Cain : *Ecce vox sanguinis fratris tui de terra clamat ad me* (*Gen.* IV). Et quid est dicere, de terra clamat ad me, nisi quia terrena cogitatio, et suffocatio boni, atque immanitas delictorum facit ne possit nostra oratio transire ad Deum, nec ipse orantibus parcere nobis, dum clamor quotidie contra nos de terra crescens augetur? Jam deinceps usque ad finem hujus alphabeti, passio Domini luce clarius reseratur. Idcirco his ita præmissis, quid Ain littera significet, pandamus. Ain quippe, juxta Hebraicam veritatem, *oculus*, vel *fons* interpretatur. Unde propheta sub hac significatione, quia oculus interpretatur, valde allusit.

AIN.

Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies, et in tertio sub hujus litteræ versu : *Oculus meus deprædatus est*, inquit, *animam meam* (*Thren.* III). Quoniam oculorum est officium, nuntiare quod viderint. Et Christus aliis positus est in ruinam, aliis in resurrectionem. Per Ain litteram oculorum officia declarantur, ut sane defleant pro offensis; vel etiam ex desiderio gratiæ ingemiscant : quorum officium est semper delectari suavibus, offendi autem adversis. Unde Ennon sæpe oculus suppliciorum dicitur, **1456** oculus tentationis, oculi hœdi, oculi vitulæ, oculus generationis, aut fons generationis, in quo baptizabat Joannes : quatenus eorum afflictione per fontem generationis in adoptionem renata transirent filiorum Dei. Et hoc est dicere : Oculus meus afflictus est, oculis et doloribus, nec tacuit. Itaque quia nullus clamor ad Deum ascendere creditur, quam clamor lacrymarum : quia et si voces surdæ sunt, nonnunquam coram Deo lacrymæ semper, teste Spiritu sancto, maxilla in cœlum, cum omni clamore cordis ascendere probantur. Quod autem Ennon oculus suppliciorum interpretatur, in quo baptizat Joannes, quid aliud innuit, nisi quod renatus desiderat sibi propria peccata dimitti, quorum supplicia corde provido perhorrescat? Itaque licet oculus suppliciorum dicatur, prævidentis est tamen supplicia, non sustinentis. Porro oculus tentationis, quia per eum sæpe tentamur. Unde Salvator : *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Et non dixit simpliciter, qui viderit mulierem, sed ad concupiscendum. Oculum quidem absolvit, mentem ligavit. Unde non dixit, adulteravit eam oculo sed in corde. Oculus autem hœdi qui ad sinistram est, quod ea quæ a dextris sunt, peccator videre non possit. Propterea sanctus dicit : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear* (*Psal.* XXV). Est et oculus vitulæ : quia sicut a jugi loro attrahunt iniquitates, non disrumpentes, neque abscindentes proprium, sed longe trahentes fune peccatorum. Oculus quoque generationis, aut fons generationis dicitur : quia ex oculorum aspectu, aut bona aut adversa generantur. Idcirco et Ain merito oculus vel fons dicitur : quia sicut de fonte tractus fluviorum emanare cernitur ita ex visu oculorum, quasi de fonte, longo profluvio bona vel mala generantur. Quotiescunque ad bona nobis aperiuntur perficiendi, quasi fons justitiæ et origo gratiæ nobis adoritur : quoties vero ad malum, illi utique, qui aperti sunt Adæ propter pœnam peccati, nobis reserantur. Unde idem propheta longe supra in eisdem threnis sub eadem littera Ain : *Ego plorans*, inquit, *et oculus meus deducens aquam, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam* (*Thren.* I). Non igitur abductum se propheta de terris suis esse dolebat, sed a Christo populum relinquendum, consolationemque futuræ vitæ cernebat amissam. Et hæc est

Introdusă în format electronic de Google

1457 inquam dolenda captivitas, quæ æterna est A libertate privata. Unde impræsentiarum afflictus plangitur oculus nec tacuisse, eo quod nulla esset requies. Nulla igitur requies, ubi qui consolabitur Spiritus sanctus recesserit. Paracletus namque spiritus, consolator dicitur, et ideo qui ab ejus sanctificatione recesserint, nullam diei Sabbati, in qua Deus requievisse legitur, requiem invenient (*Gen.* II). Quos longe prævidens oculus prophetalis, eorum perpetuæ captivitatis ærumnam, quam perfidiæ pretio damnatorum populus habet exsolvere, jure requiem se non invenisse luget. Sed quia licet afflictus nec tacuit, Dominum respexisse et vidisse de cœlis infert : quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Sunt enim oculi Domini, cujus figuram Propheta gerit, sicut sponso dicitur B in Canticis : *Oculi tui ac si piscinæ in Hesebon, in portis filiæ multitudinis* (*Cantic.* VII). Quid enim sunt piscinæ in Hesebon, nisi rationabilitas et abundantia doctrinarum in cogitationibus, quæ est Ecclesiæ in portis? Cui merito defertur multitudo doctrinæ. Filiæ enim multitudinis, posteritas est plurimarum sententiarum, quoniam Propheta inquit : *Pertransibunt dies plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII). Quarum oculus non tacet, cum multis inebriatur lacrymis, donec respiciat et videat Dominus de cœlis. Interim tamen inquit : *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Ex quo propheta evidenter futurum Christi judicium denuntiat, eo quod prævideat quæ ventura sunt civitatibus Judæ, et ea omni profusione lacrymarum C deflet : quia malam impiæ plebis suæ perfidiam providebat, qua pertinaciter proprium negaverat auctorem. Sed oculus animam deprædari dicitur, quando omnes affectus doloris et mœroris effuderit, quando omnem languorem et ardorem animi per lacrymas monstraverit, quando omne quocunque est in ea quasi fluvius de fonte sic effluxerit, sicut propheta David dicit : *Defecit anima mea in salutare tuum, et oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me?* (*Psal.* CXVIII.) Ad hoc quippe anima ab oculo deprædatur, ut suo adhæreat Creatori, suis exspoliata viribus, et se totam refundat fonti piæ ubertatis. Defecit quidem, eo quod concupiscit eum, cujus passione est salvata. Defecit, ut in D unum spiritum transeat, et fit unus spiritus cum Deo. Unde signanter : *Deprædatus est*, inquit, *oculus meus animam meam*, et non oculi, ut una mens cum Deo intelligatur **1458** sicuti Christus in Canticis ad sponsam ait : *Vulnerasti cor meum, vulnerasti* (inquit) *in uno oculorum tuorum* (*Cant.* IV). Et merito, quia Christus in uno oculo videtur, non quidem carnali, sed spirituali, ac diligitur. Alii quidem sunt oculi carnis, alii qui, ut diximus aperti sunt in Adam (*Gen.* III), alii mentis, qui transeunt in unum, ut sit mens una cum Deo, alii oculi Ecclesiæ : quia sponsa duos gerit oculos, moralem ac mysticum. Sed mysticus plenius videt Deum et acutius, licet moralis dulcior videatur. Idcirco oculus amore Christi repletus, deprædari dicitur animam, ut totum se exspolietur a se, et transfundat se in Deum ultra se. *In cunctis*, inquit, *filiabus urbis meæ* : quia per singulas delictorum affectiones, et æternæ vitæ cogitationes, totam se quasi deprædatam a se refundit in Deum, ut una cum Deo inveniatur. Et hæc est littera quæ *fons* vel *oculus* interpretatur, ut nec oculus sine fonte inveniatur, nec fons sine oculo dilectionis ex nobis et in nobis manare credatur : quatenus pro suis excessibus fonte rebaptizetur lacrymarum, et fons isto nutriatur oculo sanctæ contemplationis, ut possit dicere anima Deo devincta : *Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* x, 14). Sequitur Phe littera tribus suis versibus explicata. Phe namque *oris*, ut supra præmisi, interpretatur, juxta alios vero interpretes, *erravi*, sive *os apertui* sonare videtur. Unde propheta plangens quasi ex ipsius litteræ textu :

PHE

Aperuerunt, inquit, *super nos os suum omnes inimici nostri.* Sic quidem in plurimis lamentationum litteris alludere invenies, ut et litteræ sensus verborum aperiant, et verba consona voce sensum litterarum expleant. Unde non minus errasse propheta se fatetur, secundum sensum litteræ, quod textus versiculi sequentis insinuat, cum ait : *Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio et contritio.* Ex quo profecto liquet, quod erroris sit sensus, quoniam vaticinatio prophetarum, et contritio cordis eorum, correctionem et satisfactionem pœnitentiæ magis persuadebant, quam errorem in populo. Unde e contrario quia ex prophetæ vaticinio formido insanabilis peccantibus acciderat, et laqueus facta est contritio prophetæ gementis, idcirco sub hac littera significanter insinuat, erravi, non quod propheta motus sit gressibus fidei suæ ut erraret, sed quia populus oberraverat intantum, ut ejus contritio et vaticinium, laqueus ruinæ, et formido **1459** correctionis esset. Unde ex persona plebis oberrantis, ut elementum exponeret eorum infamiæ, indidit suis verbis quid eisdem acciderat : quoniam propter incredulitatem eorum, vaticinium prophetarum, et contritio cordis eorum, laqueus erat illis et ruina, ita ut perimerent eos, ne in nomine Dei loquerentur ad eos. Quod cernens Propheta : *Divisiones aquarum* (inquit) *deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.* Verumtamen alia contritio prophetarum ex devotione divinæ inspirationis, alia vero eorum qui, pro peccatis omni contritione afflicti, spiritu vexabantur erroris. Alioquin Deus contritum et humiliatum non sperneret, nisi et ipsi vaticinium et contritionem eorum, qui pro ipsis gentibus fatigabantur prius sprevissent, et immutaverunt formidinem quæ nulla erat nisi Deum repellerent. Idcirco et vaticinatio facta est eis laqueus. Quod in passione Domini accidisse nulli dubium, super quem, ac si hæc persona omnium dicatur membrorum : *Aperue-*

Introdusă în format electronic de Google

runt super nos omnes inimici nostri os suum. Quibus formido facta est omnis prophetarum vaticinatio : non ut ex ea corrigerentur propter duritiam cordis eorum, sed ne contingerent de illo quæ legebantur. Quapropter passio et contritio humilitatis Christi facta est eis laqueus omnibus non credentibus in ruinam. Unde Propheta quasi ex ipsius litteræ sono : *Quia os aperui, et attraxi spiritum* (*Psal.* CXVIII). Divisiones aquarum deduxit oculus meus ; quasi dicat illud ex Evangelio : *Nisi locutus eis essem et prædicarem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV). Nunc autem inexcusabiles facti, laqueus facta est eis vaticinatio, eo quod non crediderint in quibus os aperui (*Joan.* I) , ut inexcusabiles essent. Propterea et sub hac littera, longe supra lacrymabiliter series ostenditur : *Expandit Sion manus suas, et non est qui consoletur eam*, ac si patenter dicat : Dignam remunerationem erroris recipit, quæ expandentem manus in cruce audire neglexit, et sub alis ejus succedere refugit. Dignum igitur ut ipsa postea expanderet manus, et consolantem invenire non posset. Hinc signanter ait Propheta : *In contritione filiæ populi mei*, quia etsi ante adventum Domini , captivitatem Judæorum illatam esse a Chaldæis deflere videatur, tamen prophetico spiritu, istam magis captivitatem prævidens , qua eos intelligibilis Chaldæus sub perpetui erroris vincula subjecit , et domesticæ virtutis extorres de statu patriæ devotionis eliminans , longinquæ affecit **1460** dominationis exsilio. Quæ profecto miserabili deplorat dolore. Nulla enim patria verior omnium in hac peregrinatione , quam *fides*. Quæ nimirum eos qui longe erant prope esse fecit, et advenas atque peregrinos, civitatis supernæ patriæ, jure connexuit, sicut scriptum est : *Ergo jam non estis*, ait Apostolus, *hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei* (*Ephes.* II). Sed quia ab his omnibus, scilicet a solo patriæ, a Deo, et fide, et lege, et testamento sancto, contritione dispersi erant, recte ait : *Divisiones aquarum deduxit oculus meus.* Optabat enim se cum Paulo apostolo, ut æstimo, anathema esse cum fratribus suis (*Rom.* IX). Ex quo patet, quod magna sit possessio charitatis, et hortus deliciarum præcipuus, in quo omnium virtutum genera nutriuntur, ex quo quasi de paradiso voluptatis fons ascendit , qui irrigat omnia virtutum genera. Primum se attollens in quatuor virtutum capita, ac si demum per omnes divisiones aquarum, ut omnia inebrient fidei et morum germina. Granditer enim affectum gerentis pœnitentiam expressit, aut nimirum dilectionis amorem designavit, secundum illud quod in Canticis scriptum est : *Fons hortorum, puteus aquarum viventium , cum impetu descendens a Libano* (*Cant.* IV). Istæ igitur divisiones aquarum, non minus abluunt peccata, cum etiam per omnes deliciarum areolas fluunt, ut omnia aromatum irrigent genera. Quas divisiones Christi Ecclesia, cum impetu deducit a Libano abluendo peccata, ex cujus impetu puri fontis, affluit a Libano sponsa : ita ut a principio fidei transierit sæculum, et sic demum pertransierit ad regnum. Hæc siquidem gratia Spiritus sancti aliis fons est, aliis puteus, aliis vero hortus conclusus, fons signatus, aliis hortorum rivus, quæ in Ecclesia quasi divisio connumeratur. Aliis impetus descendens a Libano et magnus quidem impetus qui nunquam deficit. Quod autem divisiones oculus deduxisse gemens ac plorans insinuat, sive quia quam meatus inundantium fluentorum : ita ut exuberantium lacrymarum ductus per singula sui cordis effuderit amoris germina , sive quod abluendos superfuderit cordis crimina, intantum, ut etiam easdem ipse oculus deduxerit divisiones per omnia timoris discrimina, vel etiam amoris vulnera. Unde sponsa in Canticis : Vulnerata charitatis ego sum. Habet enim vis summi doloris vel amoris, ut cum lacrymis quodammodo ipse oculus mentis se videatur **1461** effundere, easque deducere lacrymas, ex quo tanquam ex divisionibus aquarum, impetus doloris vel amoris vehementior declaratur. Felix igitur talis decursus, et beatæ divisiones, quæ de unitate oculi, et puritate fontis veniunt Spiritus sancti. Bonus impetus, qui nescit lædere, et novit implere : quoniam sancti repleti apostoli (*Act.* II), quasi vehementiori gratia musto inebriati ac repleti culpabantur. Deducebat et illa ex Evangelio has divisiones aquarum, quæ irrigavit pedes Domini, et fidei suæ pretio emit animæ suæ et corporis sanitatem. Deduxit ergo et David has divisiones secundum magnitudinem et multitudinem delictorum suorum, ex quibus de peccato gratiam retulit, et pro reatu ex divisionibus aquarum virtutum quæque cumulavit dona. Ex quibus et apostolus, post trinam negationem, gratiam sui recepit apostolatus (*Luc.* VII). Quid igitur ex his dicam divisionibus, cum magis vis eloquii minuitur, quam ubertas nobis lacrymarum corde obdurato vel gratia aperitur? Unde David et alii quamplurimi ad medium deducantur, ut ex his percipere possimus, quid ipsi pro eisdem retulerint, qui pro modo criminis lamenta lacrymis coauxerint. Dicit enim : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Atque iterum : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes* (*Psal.* CI); necnon *et poculum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CXVIII). Et ut videres Jeremiam imitantem illum : *Exitus*, inquit, *aquarum deduxerunt oculi mei.* Et non dixit, quia affligor, quia flagellor, quod maledicor, et a proprio dejicior solo vel persequor; sed quia non custodivi legem tuam, Domine. Ac si diceret : Fluentibus oculis meis, deploro ea quæ illis aspicientibus admisi. Habuit quidem idem multa alia quæ defleret, vel incestum filiæ, vel interitum filiorum (*II Reg.* XIII) : sed hic, non hoc se flevisse dicit, sed quia non custodivit legem Domini. Quandoquidem a sanctis viris plus culpa, quam ærumna plangitur. Unde et filio in morte posito (*II Reg.* XII), nec cibum sumpsit, nec regium thronum, nec cubile ascendit, sed stratus

Introdusă în format electronic de Google

in terra, jejunus cum lacrymis planxit : ubi non tam filii mortem, quam peccati pœnam removere desiderans, flevit. Sic et Jeremias : *Divisiones*, inquit, *aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei*. Siquidem non tantum vitæ præsentis contritionem lugens, quam passa est ab hostibus, quam etiam propter æterni supplicii pœnam, eo quod propter impœnitudinem et duritiam **1462** cordis eorum noverat : quia duplici contritione (juxta quod scriptum est) de sub cœlis contereret eos Dominus. Flevit igitur propheta populi sui ærumnas et angustias, flevit et excidium patriæ : sed magis flevisse creditur quod et ipsi super Dominum os aperuerint, ut legimus in passione, Christum blasphemantes et maledicentes, unde et ipsi a diabolo quasi de reciprocatione vindictam habuerunt. Flevit et Christus in passione (*Luc.* XXII), quando prolixius positus in agonia oravit, quando et gutta sanguinis ab eo, pro nobis dolens, in terram decidit. Flevit et super ipsam miseram Jerusalem (*Luc.* XIX) ; flevit autem et super Lazarum : ut ex hoc cognosceres, quantis atterimur malis, vel quibus egemus lamentis (*Joan.* X). Flent autem et sancti, euntes et mittentes semina sua, ac per singula divisiones ducunt aquarum, ut melius æterni germinis fructus in messem surgat. Quas sane lacrymarum divisiones melius precibus impetrare possumus, mittendo semina pietatis, quam doctrinis ediscere. Idcirco et ad consolationem devoti transeamus. Siquidem Sade littera sequitur, quæ *consolatio* vel *justitia* interpretatur. Post lacrymarum divisiones, post graves torrentium fletus, post amaritudinem tanti doloris, post formidinem immensi discriminis, post laqueos contritionis, post apertionem et insultationem oris inimicorum, satis opportune consolatio, id est Sade littera intercessit, ut qui gravioribus ærumnis pœnas commissorum luerint criminum, sperent indulgentiam justitiæ et consolationem remissionis : et qui fletibus ac lacrymis propria delicta laverint, requiem mereantur adipisci. Sed requies nulla, nisi ex passione Christi, vera probatur. Ideo voce Redemptoris quasi pro nobis jure plangitur.

SADE.

Venatione cœperunt me quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum ; dixi : Perii. Quibus profecto versiculis, ex passione Domini, consolatio fidelium ostenditur, et justitiæ quibus justificamur, luce clarius prædicantur : licet perfidorum impietas accreverit, qui quasi venatione avem cum gladiis et fustibus, Christum videlicet apprehenderunt gratis (*Matth.* XXVI). Porro de Jeremia propheta quod captus sit gratis, manifesta est interpretatio, quod in lacu positus, quod inundaverunt, ac si aquarum fluctus **1463** persequendo super caput ei nulli dubium : sed de Christo manifestius datur intelligi : qui ut avis captus venatione plangitur in peccatis nostris. Ipse enim est avis illa, de qua legitur in Job : *Semitam avis ignorabit homo* (*Job* XXVIII). Alioquin si eum cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). Cujus nimirum semitas ignoravit homo, quod etiam, teste Apostolo (*Col.* I), sæculis et generationibus ignotum fuit ; et generationem ejus quis enarrabit? (*Isa.* LIII.) Beata igitur avis in spe repromissionis nobis calore et adumbratione sancti Spiritus progenita, sine coitu, quæ licet in terris venatione inimicorum sit capta, semper cœlestia tenuit. Fortassis ergo ipse est aquila, quæ dum provocat pullos suos (*Deut.* XXXII), scilicet Judæos, ad volandum, expandit alas suas super eos, et assumpsit, atque portavit in humeris suis, laqueo eorum captus est, in insidiis (*Matth.* XXIII). Qui dum voluit eos aggregare sub alis suis ac si gallina, infirmatus apprehensus est ex infirmitate carnis. Unde signanter ait : *Lapsa est in lacum vita mea.* Quem profecto lacum ipse calcavit solus (*Matth.* XV), dum mortem moriendo peremit, et vitam resurgendo reparavit. *Posuerunt*, inquit, *lapidem super me.* Quid igitur apertius de passione Christi, quid evidentius, cum et lapis (*Matth.* XXVII, XXVIII), longe diu ad monumentum super eum prædicatur, qui postea in passione, sigillo una cum custodibus assignatus legitur, et ab angelo revolutus gloriosius prædicatur? Æstimatus est igitur Christus cum descendentibus in lacum (*Psal.* LXXXVII), sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. Quoniam a *summo* cœlo *egressio ejus* (*Psal.* XVIII). Et si ad novissima laci devenit, et occursus ejus usque ad summum ejus. Sequitur : *Inundaverunt aquæ super caput meum.* Per aquas namque multitudo plangitur insurrexisse super Christum, qui caput totius Ecclesiæ creditur. Ex quo (quamvis et ad ejus dicta pertineat propter immanitatem angustiæ passionis) tamen plenius vox Ecclesiæ, scilicet totius corporis, deflere videtur, quod inundaverunt, ac si fluctus aquarum mole magnitudinis super Christum inimici gratis ut eum perimerent. Unde sponsa, quæ jam quantisper videbatur collecta in membris Christi, mox quasi spe decepta, voce dubitationis dixisse plangitur : Perii. Periit namque omnis aggregatio discipulorum Christi, quando relicto eo singuli fugerunt ; periit quando negaverunt ; periit quando omnes dubitaverunt. Propterea igitur his versibus recte ante posita est Sade littera, quæ consolatio **1464** interpretatur : quoniam nisi consolatio adesset Spiritus sancti ac pii pastoris Domini, mox eorum fides abiisset, et omnes hi periissent. Ex quo patet, quod omnis tentatio illa passionis, non sine consolatione Spiritus sancti fuit : qui eos relevaret de infidelitate ad fidem, de desperatione ad spem, de mœrore ad gaudium, de lapsu peccati ad veniam. Hinc quoque Dominus ad Petrum : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII). Verumtamen quantum ex ipso fuit, negasse non dubitatur : quantum vero ex Deo, in præscientia mansit : ita et vox omnium quantum ex ipsis, recte sonuit, Perii ; quantum ex

Introdusă în format electronic de Google

promissione et præscientia pii magistri, consolatione recepta, fides invicta mansit. Consolamur autem interdum multis scripturarum modis, consolamur et ex Dei misericordia, consolamur et alio consolationis genere, quando delictorum graves persolvimus pœnas, ut habes in Isaia : *Consolamini, populo meus, consolamini, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam, quia completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius* (*Isa.* IV). Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Cui sane Jerusalem etsi fides deerat, pœna satisfaceret. Revelantur autem consolatione pœnarum, qui absolvuntur consolatione meritorum. Consolamur autem etiam et quam sæpe tentationibus variis et sermonibus præfati discipuli Christi : quoniam tentatio patientiam operatur, patientia vero spem. Consolamur et lacrymis, cum abluuntur crimina : ut est illud in Psalmis : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei* (*Psal.* VI). Consolamur vero quam sæpe flagellis : quia non obliviscitur Deus misereri, neque in æternum projiciet quos putaverit castigandos. Unde decursis suppliciis, quæ propter peccata tulimus, frequenter cernimus in spe quod ad veniam pertinemus. Pœna enim corrigit, et emendat errantem. Quod si talis est qui nequeat emendari, nonnunquam aut aufertur ex medio, aut facit pœna ne graviora committat. Ex quibus et aliis quamplurimis tentationum aut angustiarum modis patet sensus, quod nunquam flagellis aut tentationibus abest consolatio Spiritus sancti, si non permanserit duritia et impœnitudo cordis. Et hæ sunt justitiæ Domini, quibus justificamur. Sade namque, ut diximus, etiam et *justitiæ* interpretatur, ut sit sensus, quod ex passione Domini multis misericordiarum modis, consolante **1465** nos Spiritu sancto, etiam et ipsi flagellis ac passionibus, necnon et tentationibus Domino justificamur correcti. Quod bene diviti ex Evangelio de Lazaro dicitur : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI). Ex quo patet, quod nulla est tribulationis angustia, sine consolatione mercedis, nisi prohibeat mentem ne corrigatur impietas aut impœnitudo cordis. Jam post passionem, post tentationes, post consolationem spei, quid sequatur videamus.

Sequitur autem Coph, quod *vocatio* dicitur, vel juxta alium interpretem, *conclusio*, sive *aspice*, sonare videtur. Unde et ad sonum litteræ, qua vocatio dicitur, mox consonanter allusit.

COPH.

Invocavi nomen tuum, Domine. Quod etiam supra fecisse dicimus, ubi cum eamdem litteram præposuit, ac si ex ipsius sono mox, inquit, vocavi amicos meos. Est autem vox Christi secundum assumptam formam hominis passione ad Patrem : quia supra doluerat. Lapsa est in lacum vita mea. Nunc vero etiam de novissimis lacis confitetur se invocasse Deum Patrem, in cujus nimirum typo Jonas de ventre ceti clamasse ad Deum legitur (*Jon.* II). Propterea quod supra præmisit quasi ex persona Domini non desperantis, sed ex forma eorum, qui fugerunt relinquentes Dominum, vox dubietatis vel incredulitatis fuit : quia necdum erant fide firmati, nec sancti Spiritus gratia corroborati. Alioquin Job passionibus jam probatus, certus Dei auxilio, quod si in profundum inferni, inquit, demersus fuero, inde me liberabis : quanto magis auctor vitæ de semetipso certus fuerit, qui ad Patrem fidenter ita loquitur, dicens : *In die qua invocavi te, Domine, dixisti, noli timere.* Propterea et hic vocem meam ait audisti : *Ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus appropinquasti me.* Ergo cui Pater præsto erat, perire non poterat : cujus vocem exaudierat, dubitare nequaquam poterat. Sed quia Coph etiam conclusio interpretatur, jure quis perierit, gemens orat : *Ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus.* Qui incarnatus etiam, juxta alium prophetam, ad extrema montium descenderat, terræ vectibus conclusus fiducialiter agebat cum Patre, quod sublevaret de corruptione vitam ipsius, sub qua suppressus una nobiscum pro nobis **1466** dolens lugebat. Unde inquit : *Invocavi nomen tuum, Domine, de lacis novissimis* (*Jon.* II). Quod et Jonam fecisse de ventre belluæ legimus in prophetia hujus mysterii. Et idcirco recte Coph conclusio dicitur, quoniam conclusit Deus omnia sub peccato, ut aperiatur nobis janua vitæ, qui conclusi eramus sub peccato (*Gal.* III), per eum qui detentus est in corruptione carnis, et venit usque ad novissima laci. Ille quidem invocando exauditus est tanquam filius, non alter Deus, alter homo, sed unus idemque Christus, mediator Dei et hominum (*I Tim.* II). Nos autem duplici vallati conclusione, peccati scilicet et corruptionis, exaudimur per ipsum, et quod in illo præcessit nobis in spe, credimus profuturum. Propterea ergo, *appropinquasti me*, inquit, *in die quando invocavi te, dixisti : Ne timeas*, ut quod ille scilicet caput nostrum de se fiducialiter præsumpsit tanquam filius, nos etiam in eo et per eum speremus tanquam membra. Formam nobis imprimit invocandi, orandi, suspirandi, clamandi, cum omni contritione cordis præsumendi fiducialiter et sperandi. Idcirco quia juxta litteræ sensum, duplici concludimur vallo : circumspicere debemus nosmet et aspicere sicut præsens littera insinuat. Dicitur enim interpretari, aspice, ac si patenter clamet : Aspicite quod mortalitas et corruptio, atque aspera conditio sortis usque ad novissima laci adduxit. Quo te peccati laqueus irrevocabiliter conclusit aspice, et causam periculi noli dissimulare, maxime cum lethale sit discrimen unicuique conditioni sua pericula non aspicere. Concluditur enim unusquisque tumescentibus visceribus Ecclesiæ, concluditur hostibus laqueis insidiarum, et innumeris periculis concluditur : ut femina quando parit (secundum Evangelium) tristitiam habet (*Joan.* XVI,

Introdusă în format electronic de Google

cum περιδρομὴ matricis, qua principale pectoris ipsius premitur, immensas et innumeras patitur angustias : concluditur ergo non minoribus angustiis mentis quam corporis. Majores enim æstus febresque animorum sunt quam corporum. Conclusus enim viscerum tumoribus medicum quærit, ut possit propulsare pericula, et constricta laxare. Ad quem veniens medicus, tentat omnia, explorat interna. Unde et nos monemur nosmetipsos aspicere, mentis oculo, quibus concludimur malis, nostrasque considerare miserias, et cognoscere nosmet, orationisque medicinam quærere. Propterea ergo Coph recte *vocatio* dicitur, quatenus medicum jugiter invocemus, qui de cœlo venit languores **1467** nostros curare. Hinc quoque ipse ait : *Non opus est sanis medicus, sed his qui male habent* (*Matth.* IX). Habes igitur vulnera, ne differas medicinam. Aspice oculis quomodo conclusus sis, oculis scilicet quibus David auxilium quæsivit et meruit. *Levavi*, inquit, *oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino* (*Psal.* CXX). Aspice ergo et semper aspice : quia oculi justi semper ad Dominum. Hoc quippe monet idem sub hac littera retro, dicens : *Consurge, expergiscere in nocte in principio vigiliarum : effunde sicut aqua cor tuum ante conspectum Domini, extolle ad eum manus tuas* (*Thren.* II). Ex quo insinuat partum conclusionis nostræ, ostendit angustias, et monet sub omni intentione cordis remedium nobis salutare quærere. Idcirco sub hac littera proposuit nobis Redemptoris nostri formam : quomodo etiam de lacis novissimis invocat patrem, quomodo fidenter orat, quomodo gemit et clamat, non voce, sed contritione cordis, et magno clamore mentis, quomodo Deum ubique præsentem sentit, quomodo appropinquantem se in die invocationis, etiam inter angustias intelligit : quomodo auditu cordis audit Deum dicentem : Ne timeas, imo omnibus profecto, cum dicat : *Ego vici mundum* (*Joan.* XVI). *Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* V). Unde David aiebat : *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* (*Psal.* XXVI.) Ac si patenter dicat : Nullus qui Deum præsentem sentit, timere debet. Etsi in ipso vivimus, movemur et sumus (*Act.* XVII), recte omnino trepidare non possumus. Talis igitur vox cordis, talisque fides, magnus est ad Deum clamor, non vocis magnitudine, sed magnanimitate cordis. Est enim vox cordis et clamor lacrymarum : quia est et vox sanguinis quæ ad Deum pervenit. Clamat ergo cor nostrum, non sono vocis, sed cogitationum sublimitate, concentuque virtutum. Grandis fidei clamor, per quam in spiritu adoptionis clamamus, Abba pater. Et ipse spiritus clamat in nobis vel pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). Magna vox justitiæ, et magna charitas, per quam mortui loquuntur, non solum loquuntur, verum etiam sicut Abel clamant (*Gen.* IV). Magna fuit vox apostolorum, quæ exiit in omnem terram, et magnus clamor, qui pervenit usque ad fines orbis terræ (*Psal.* XVIII). Qua profecto voce clamat caput nostrum, clamant et membra ipsius, clamat Rachel plorans filios suos. *Ne avertas*, inquiens, *aurem* **1468** *tuam a singultu meo et clamoribus*. Clamat et Moyses, cui dicitur : *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV), quando orabat pro populo. Sed alii clamant in corde, alii loquuntur. Loquebatur autem Anna (*II Reg.* XI), quia pro privatis orabat rebus, id est, pro filiis. Clamabat et Moyses magno ardore charitatis : clamant et sancti sub ara Dei immenso clamore affectu pietatis. Unde signanter sub hac littera conclusio nostræ demersionis exprimitur, et invocatio, ut amplius clamemus ostenditur, atque unicuique dicitur : Aspice quod conclusus tenearis, quibus appulsus angustiis. Clama in fortitudine ad eum qui præsto est : *Ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus*; quia conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Unde Apostolus : *Miseri estote et plorate, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos* (*Gal.* III). Ac si aperte dicat : Aspicite conclusionem vestram, et plangite miserias quibus conclusi estis. Invocate de novissimis lacis Deum, clamate sapienter : quia sapientia foris clamitat, etiam in plateis dat vocem suam (*Prov.* I). Quia tanto in excelso amplius auditur, quanto in corde ardentius cum fide et desiderio ad Deum transfunditur, qui semper ubique rectæ fidei præsens sentitur : quoniam prope est Dominus omnibus invocantibus se, omnibus qui invocant eum in veritate. Unde ad RES litteram confidentius veniatur. RES siquidem *caput* aut *capitis* etiam vel *primatus* interpretatur. Caput est ergo vel forma capitis, ut consideremus auctorem vitæ, caput videlicet nostrum, ex quo omnium foventur membra, qui regit et implet sensibus omnia. Sensus enim sapientis, in capite ejus. Inde ductus spiritus per omnes venarum meatus, totas in partes corporis vires derivat, sanguis lustrat omnia, ornat omnia. Sublato ergo capite, corpus sine nomine est, nec agnoscitur, nec ulla superest causa vivendi. Unde quid vox capitis de se sentiat, vel quid de se præsumat, audiamus.

RES.

Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. Vidisti, Domine, iniquitatem adversum me : judica judicium meum. Vidisti omnem furorem eorum adversum me, universas cogitationes eorum. Hæc vox non minus capitis est, quam et corporis : ita ut nec corpus sine capite, nec caput sine corpore inveniatur. Idcirco judicium et redemptio simul, **1469** quasi in una persona precibus Patri commendatur. Nam judicium in causa animæ, ut justa inveniatur, totius corporis summa capiti tribuitur : redemptio vero, ut de morte ad vitam proficiant, corpori præstatur : quoniam nec ille redemptus jure dicitur, qui nunquam est venundatus sub peccato, nec iste suis viribus confisus Deum ad judicium provocat.

Introdusă în format electronic de Google

nisi justitia capitis Patri in uno corpore commendet. Causa igitur Christus fuit totius redemptionis nostræ. Et ideo post causam judicium, post judicium redemptio vitæ sempiternæ sequitur : quoniam nisi causa Christi nullum nobis nisi supplicii judicium manet. Hinc more oratorum clementem judicem ad pietatem invocat. Primum justum judicem confitetur, deinde causam animæ suæ cur venerit, insinuat; redemptionem propter quam venit retexit, seipsum pretium affert, nostramque vitam, propter charitatis spiritum, suam esse declarat, quatenus sicuti nos in illo, ita et ipse in nobis vivat. Postremum vero adversariorum furorem adversus se commemorat, ut æquissimum judicem ad æquitatem judicii, quasi æquissimus supplicator devotis precibus inflectat : Vidisti, Domine, furorem eorum adversum me; vidisti iniquitatem, licet reprobando causam animæ meæ judicem eligendo. Ex quibus verbis patet, quam omnia judicia ei pendeant quod iniquitatem ipse reprobando puniat, quam judicium divinitus intendat, quod omnem furorem adversus Ecclesiam Christi, quam cogitationes singulorum excutiat : et prius, ut dixi, more rhetorum sibi propitium pium judicem reconciliet : deinde partes adversariorum insinuat, ac per hoc quasi ad omnia membra spiritum agendi et præsumendi atque credendi diffundit. Hæc namque vox electorum in corpore Christi, qui primatum benedictionis adepti sunt. Res quippe primatus sonare videtur, quoniam alius est populus qui per Esau primogenita sua vendidit, alius ille qui emit. Nam, Jacob primatum benedictionis quietus acquisivit, Esau vero philargyriæ deditus, perdidit. Iste namque est primatus, quod Res littera sonare videtur. Unde singula corporis membra gratiam capitis participari debent, et primatum gratiæ frugaliter custodire : quatenus ad singula capitis membra vigor perveniat. Alioquin sine decore suo, corpus mortuum jacet. In capite etenim jugum vitæ, in capite primatus hæreditatis nostræ, in capite gratia vetustatis. Fertur enim coluber **1470** cum urgetur periculis caput abscondere semper, et in orbem se colligere objecta reliqua parte corporis. Ita et membra Christi caput, quod Christus est, custodiunt et primatum observant quia : In ipso omnia constant, et ipse est caput corporis Ecclesiæ. Hoc quippe quia miseria vivendi usum et fructum non habebit. In quibus nimirum tribus versibus omnia electorum præmia per caput quod Christus est Patri commendantur, ejusque judicio redempta et justificata offeruntur. Deinde vero omnis iniquitas et furor adversantium, cogitationesque reproborum condemnantur, et mira totius corporis Christi unitas declaratur, cum sub jugo omnium quasi in persona capitis Deo Patri aufertur? *Redemptor*, inquit, *vitæ meæ*, ubi alia interpretatio habet *defensor*. Ex quo liquido ostenditur, ut dixi, quod redemptio membris congruit, defensio vero æque membris et capiti : quatenus redemptio ac defensio totius summæ nostræ salvationis, per Christum Deo Patri offeratur, ut per simplicem ejus mortem, nostræ duplæ mortis redemptio exhibeatur. Idcirco restat ut capiti primatus servetur Ecclesiæ, et per primatum capitis integra salus custodiatur. Alioquin nullus primatum perdere potest, cui non sublatus est Christus. Propterea fit caput servandi summa studii atque operis nostri, summa negotii, summa spei, summa virtutum. Omnis autem summa studii nostri est, ut simus in unitate corporis Christi, et compaginati in unitate capitis, ex quo omne corpus per compaginationem et colligationem subministratum crescit copulatum in augmentum sanctum in Domino. Et Isaias : *Aufert*, inquit, *a Judæa caput et caudam* (*Isa* IX), scilicet initium et finem. Hoc sane caput Judæa tunc amisit, quando Jesum Dominum non recepit, in quo Ecclesiæ primatus et principium eligitur, qui est primogenitus ex mortuis, in quo vitæ negotia Deo Patri offeruntur. Ipse quidem est primatus noster et finis, quia ipse est primus et novissimus : ipse est finis legis ad justitiam omni credenti : per quem omnis iniquitas contra nos erecta dejicitur, judicium nostrum erigitur, furor adversantium condemnatur, et per cogitationes eorum quasi a radice opera inspecta reprobantur, ut et noster primatus cum capite glorificetur, atque eorum philargyria condemnetur.

Jam deinceps Sin littera contra nos quid afferat vari lamento, introspiciamus.

SIN.

1471 *Audisti, Domine*, inquit, *opprobria eorum omnes cogitationes eorum, adversum me. Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. Sessionem eorum, et resurrectionem vide : ego sum psalmus eorum.* Nam Sin ut præmissum est, *dentium* interpretatur : et ut alii dicunt, super vulnus. Dentium quippe adversus Christum opprobria plangitur. Et Psalmista : *Dentes eorum arma, et sagittæ et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI). Quorum labia insurgentium contra veritatem, ac si labia dolosa in corde et corde locuti sunt. Propterea igitur et David sub hac littera : *Principes*, inquit, *persecuti sunt me gratis* (*Psal.* CXVIII), ut ostenderet fletum hujus litteræ quod super vulnus dicitur. Nam et alibi vaticinando, cum ejus, quasi Evangelio describeret passionem, inter cætera dicit, ac si ad Patrem : Quoniam quem tu percusisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt (*Psal.* LXVIII). Super dolorem namque vulneris addidisse, est de medicina mortem sumpsisse. Unde apposita est iniquitas Judæorum super iniquitatem ipsorum, ob duritiam cordis ipsorum, ne intrarent in justitiam Dei, et cætera quæ dicuntur. Et hoc ex sono hujus litteræ, quæ super vulnus interpretatur textus lamenti : quoniam ex medicina dura curantur vulnera. Hi vero superaddiderunt, qui et mala pro bonis reddiderunt, et perfidiam ex fide vaticinantium messuerunt, atque perfidiæ suæ homicidia subjunxerunt. Quæ nimirum mala consummata justus arbiter, quasi consummato judicio, Deo Patri puniendo offert. Incredulitas nam-

Introdusă în format electronic de Google

que eorum vulnus fuit, super vulnus autem perfidia et peremptio Domini. Porro super vulnus, quid recte nisi medicamentum apponitur, quo vulneris acerbitas mitigetur? Super vulnus igitur oleum infunditur, ut omnis vulneris molliatur asperitas. Super vulnus malagma, vel fibula, super vulnus alligatura, quibus omne vulnus foveatur. Sed hi de reciprocatione, rejecto medicamento, super vulnus infidelitatis, perfidiam sibi et mortem addiderunt, sicuti et omnes reprobi ex patientia Dei (*Rom.* II). Nam bonitas Christi et patientia, omnes ad pœnitentiam invitat, ipsi vero secundum duritiam cordis eorum, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. In quibus profecto versibus, Deum ubique præsentem insinuat (*Isai.* I), cui et cogitationes **1472** et meditationes cordis eorum profectæ sunt. *Audisti*, inquit, *opprobria et omnes cogitationes eorum*. Quia hoc est illi audire quod et videre, videre vero quod et scire, quem nulla latere queunt, nulla subterfugere. Sed reprobi, ex patientia Dei, quasi super vulnus peccati in pœnitentia sibi thesaurizant in die iræ. Unde sequitur : *Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide, ego sum Psalmus eorum*. Quoniam insultando et subsannando reprobe non minus contra caput, quam et contra corpus sæviunt, quasi pravi judices et doctores in cathedra residentes pestilentiæ, quorum jam nullus fovetur medicamine, ubi spes nulla est refundendæ salutis, quia ubi omne caput languidum et omne cor mœrens, a vertice capitis usque ad plantam pedis, nulla est in eo sanitas, ubi non portio, sed universitas periclitatur, et quadam corruptio totius corporis tabe consumitur. Ibi non est jam malagma imponere, neque oleum, neque alligaturam, sed super vulnus, quia impœnitudine consumitur, plaga mortis apponitur. Hinc igitur commodius est vulnus habere quod foveas atque constringas, super quod medicamentum adhibeas, quam sine vulnere mors in toto serpat interius. Est namque non solum corporis vulnus, verum etiam mentis, quod oleo sancti Spiritus medetur, quod mollioribus eloquiis et pacifici sermonis suavitate curatur. Sunt enim fomenta verborum, sunt et medicamenta cœlestium præceptorum, quibus omne nequitiarum virus pellitur, et abolentur maculæ. Sunt legis vincula, quibus magis alligati solvuntur, quibus collisa quædam Christi membra solidantur, et hoc est quod præsens littera sonare videtur. Sed sub his tribus versibus irrevocabilis reproborum contra Christum et ejus membra insania plangitur (*Luc.* XVIII), eo quod medicum repellentes, omnium rejecerunt vulnerum medicinam. Medicamentum igitur super vulnus est, quia medicus ipse Dominus Jesus, ut vulnera curaret nostra, infudit vinum et oleum super eum, qui semivivus in via jacebat relictus, et alligans vulnera ejus, commisit stabulario qui curam illius ageret. Caveat ergo unusquisque, ne ab Jerusalem in peccando descendat, imo meritis ascendat ad illam. Quod si contigerit peccasse, custodem habemus oris nostri, custodem legis et gratiæ, qui vulneribus nostris adhibeat medicinam, qui alligaturam verborum cœlestium super vulnus imponat **1473**, dicens : *Pœnitentiam agite, appropquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Bona igitur alligatura, quæ vulnerata curat, confracta connectit. Et ideo eos propheta sub his versibus infatigabiliter plangit, qui omni arte omnique ingenio, contra Christum, contraque ejus Ecclesiam incessabiliter desæviunt exprobrando, meditando, docendo, insurgendo, ita ut nihil sit eis nisi deridere et subsannare eos, qui pie volunt in Christo vivere. Jam deinceps Tau litteram perscrutemur, ut ex ipsa cognoscere possimus ut exhortatum est verbis, quid perseverantibus justo Dei judicio reddatur.

. TAU.

Reddes eis, inquit, *vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. Persequeris in furore tuo, et conteres eos sub cœlis, Domine*. Nam Tau, ut prætuli, *signa* interpretatur. Et alius interpres, *voluit*, *erravit*, vel *consummavit*. Quibus profecto sensibus patet intelligentia, quod omnia hæc in Threnis lamenta signa sunt et ostensiones futurorum. Unde Psalmista ait : *Ostendisti populo tuo dura, et dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX). Sed quia reprobi noluerunt animadvertere, *Reddes eis*, inquit, *vicem, Domine, juxta opera manuum suarum*. Ergo Judæis primum vicem reddidit, quia irrefragabili corde obduruerunt, ut a fide et veritate amplius pellerentur, ne possint intrare justitiam Dei, et vitam salutis apprehendere. Hanc vicem juste quippe eis reddidisse dolet secundum opera manuum suarum, quia vitam postquam peremerunt, nunquam nisi mortem inveniunt. Et hoc est quod Tau littera etiam *erravit* interpretatur. Erravit autem a via populus Judæorum, errat etiam et omnis reproborum cœtus, propter duritiam et impœnitudinem cordis eorum. Propter quod et Dominus consummavit justitiam suam, hoc et ipsam Tau litteram sonare diximus. Hinc quoque est quod sequitur : *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*. Quia dum passionis Christi laborem dedignati sunt venerari et credere, quasi eumdem laborem pro scuto tenuerunt, ne prædicationis spicula eorum corda penetrarent. Sic itaque et reprobi, dum eos Dei patientia ad pœnitentiam invitat, opponunt sibi scutum cordis eamdem Dei patientiam, quasi non videat dum diu sustinet, et thesaurizant sibi iram, ut Apostolus testatur, in die iræ (*Rom.* II). Tenditur autem arcus judicii, **1474** dum ejus patientia prolongatur. Sed hi duritiam sibi prætendunt, et excusationes varias, ne verba vitæ suscipiant. Eo igitur ad se transire ejus prædicationis verba non permittunt, quo eum laborare vel sustinere usque ad mortem viderint. Quod et Judæis accidisse propheta plangit, dum ipsi sibi scutum duritiæ opponunt; quia mortalem Dei filium quem

Introdusă în format electronic de Google

ipsi peremerunt, secundum carnem credere noluerunt. In qua nimirum carne, laborem passionis sustinuit. Unde et propheta dicit : *Laboravi sustinens* (*Isa.* I). Quem laborem passionis dum perfidi viderunt, cum ut Deum venerari contempserunt. Quem enim videbant carne mortalem, dedignati sunt credere immortalem esse divinitatem. Unde (ut dixi) post signa et significationes signorum, quia contempserunt ut fugerent a facie arcus judicii, recte sequitur, magis prophetando quam exhortando, sententia condemnationis, qua dicitur : *Persequeris in furore, et conteres sub cœlis, Domine*, ut sint quia perduraverunt in suis pravis meditationibus, sedentes in cathedra pestilentiæ, et surgentes contra Dominum, tanquam pulvis quem projecit ventus a facie terræ. Qui sub cœlo ergo conteruntur, quia nec ipsi cœlum esse, nec cœlestibus inhærere voluerunt disciplinis. Idcirco quia ipsi persecuti sunt Christum, ut ejus membra atque omnia vitæ bona, jure et ipsi persequuntur in furore, et conteruntur æquissime a bono et justo Deo, ut audiant : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Hæc namque sunt signa quæ cucurrerunt, et significationes quæ monstraverunt, ut fugerent a facie arcus, ut liberentur electi. Sed quia reprobi contempserunt, longe supra sub hac littera præmissum est, in voce totius Ecclesiæ : Ingrediatur omne malum coram te, et devindemia eos propter omnes iniquitates eorum (*Matth.* I). Necnon et in alio alphabeto sub hac eadem littera : Non fuit, inquit, in die furoris Domini, qui effugeret et relinqueretur, ut subaudias ex omnibus reprobis : quoniam inimicus meus consumpsit eos. Propterea recte Tau, ut dixi, *consummatio* interpretatur, quatenus sub ipsa omnis impietas et injustitia cum converterit eam Deus in judicium, finem, et consummationem accipiat, justitiam scilicet finem, qui Christus est, et consummationem perfectionis : impietas vero consummationem suæ damnationis, et finem ne ultra queat progredi, quatenus in utrisque, signa quæ præcesserunt, veritatem **1475** exhibeant suæ significationis. Nam ideo Dominus prius ostendit populo suo dura sub signo crucis, ut liberarentur electi : illis vero, qui signo crucis voluerunt signari, veritas sequetur signorum atque contritio æterni supplicii : quia contra virtutum documenta, contra sanctorum miracula, scutum perfidiæ tenuerunt. Idcirco contritio furoris Dei eos persequitur, ne ultra vires habeant repugnandi. Habent enim electi scutum bonæ voluntatis, quo ex divina protectione coronantur : quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat. Habent et reprobi scutum perfidiæ suæ, de quo ex persona diaboli bene per Job dicitur : *Corpus illius quasi scuta fusilia* (*Job* XLI). Quid enim per corpus illius, nisi omnes reprobi accipiuntur, qui quasi scuta fusilia fragiles esse perhibentur? Scuta ergo, sibi sunt fusilia, in suscipendo sagittarum percussiones robusta sunt, sed casu fragilia. Ictu quidem ferientium minime penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissolvuntur. Unde corpus maligni hostis, id est omnes iniqui, quia jure per obstinationem duri sunt, per vitam vero fragiles, scutis fusilibus comparantur : cum verba prædicationis audiunt, nulla correctionis jacula se penetrare permittunt : quia in omni peccato, quod faciunt, scutum superbæ defensionis, aut pravæ negationis sibi opponunt. Nam cum quis talium de reatu suæ iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, sed quid in adjutorium suæ opponat defensionis. Nulla igitur veritatis sagitta penetratur, quia verba sanctæ correptionis, in scuto excipit pravæ defensionis. De quibus hoc in loco recte plangitur : *Dabis eis scutum, Domine, laborem tuum*, quia ipsi propter pœnam peccati duritiam sibi cordis asciscunt in protectione pravæ defensionis. Siquidem Dei abutentes patientia in superbiam, dum cogitant Deum talia non curare : recta et satis non intendere, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Hoc quippe scutum primus homo tenuit (*Gen.* III), qui requisitus cur vetitum lignum contigisset, non ad se culpam retulit, sed ad mulierem quam Dominus ei dederat, et reatum suum oblique ad auctorem dati **1476** inique retorsit, qui ei mulierem dederat. Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neque ipsa ad se culpam inflexit, sed serpentis illud persuasionibus replicavit, volens et ipsa reatum suum in creatorem flectere, qui illic intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Hoc quippe et Cain scutum habuit, cum interroganti, imo increpanti Domino : *Ubi est Abel frater tuus?* superbe et contumeliose respondit : *Nescio, Domine. Nunquid ego custos sum fratris mei?* Ecce cum dicit, *Nescio, Domine*, fraudulenta humilitas et falsa negatio prætenditur, cum vero dicit : *Nunquid ego custos sum fratris mei?* Contumax objurgatio contra Deum erigitur. Jam talis et hujusmodi excusatio pœna peccati est, et dum quisque Dei patientia abutitur in superbiam, subito ejus perditio et contritio de sub cœlis venit. Quorum igitur hucusque culpa in usu peccantium trahitur, justum est ut vindicta damnationis sequatur : quia unde finiri reatus debuit, inde per duritiam cordis sibi supplicium quisque trahit : et quia signa judicii metuere noluit, neque signum hujus litteræ in fronte gessit, justum est ut vindictam excipiat damnationis suæ : quia profecto non solum erravit, verum etiam consummavit et complevit mensuram scelerum, ut cum reprobis sine fine damnetur. Unde Dominus Patriarchæ suo : *Nondum*, inquit, *completa sunt peccata Amorrhæorum* (*Gen.* XV). His itaque completis, mox et promissio simul et vindicta venit. Quod satis Jeremias per hanc litteram insinuat, quæ *consummavit* interpretatur : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Consummatio itaque ex duritia cordis et de impœnitudine generatur. Idcirco nobis orandum et ingemiscendum est, ut emolliat Dominus cordis nostri duri-

Introdusă în format electronic de Google

tiam : quatenus ejus signa metuere possimus, potati vino compunctionis, et deflere mala quæ gessimus. Quibus ita præmissis, quia finis est Tau littera, et consummatio hujus alphabeti, finiatur et liber tertius earumdem Lamentationum expositionis fletibus relegendus.

1477 PROLOGUS LIBRI QUARTI.

Tribus decursis in Lamentationibus litterarum alphabetis, superest ut quartum quadrato mysticæ significationis recenseamus numero, quoniam materialis est : ut ex ipso conficiamus omnia virtutum ornamenta. Materialis quidem, quia homo et mundus quatuor constat elementis compactus ; materialis, quia nulla temporalium nisi ex quatuor constat : ut puta quatuor rerum omnium temporalium elementis quatuor et plagis. Sic et ætas sæculi quatuor constat temporibus. Materialis ergo iste numerus, etiam conquadrat omnia ut subsistant : quia solidus est et quadratus : verum non materialia, sed et cœlestia. Unde cum unum sit Evangelium, quatuor evangelistæ leguntur. Quatuor et virtutes generales numerantur, ex quibus reliquæ omnes oriuntur, quasi ex quatuor paradisi fluminibus, ut omnia virtutum semina uberius irrigentur. Et quia sub his quatuor elementis quibus subsistimus, interius exteriusve delinquimus, justum fuit, ut sub eodem numero una cum propheta defleamus, et quasi ex materiali numero nostrum interius hominem ad novitatem vitæ fletibus reparemus, quem vanis concupiscentiarum gaudiis corrupimus. Sunt etenim, mi frater et consenex, quatuor afflictiones morum, quibus præfatæ quatuor animi nostri corrumpuntur virtutes. Et ideo recte provisum est sub his quatuor alphabetis, totum hominem interius exteriusve deflere debere (*Psal.* CXXXVI), et ad integritatem veræ dilatationis, nostra omnia lacrymis vel gemitibus restaurare : ita ut singulis rebus morum corporumve vitiatis, singula opponantur litterarum lamenta : sicque super flumina Babylonis abducti, nostra solvatur captivitas, et reddatur nostræ Sion vera in Christo libertas.

LIBER QUARTUS.

ALEPH.

1478 *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus. Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Per aurum namque obscuratum, propheta Judæorum plangit perfidiam : quia in eis antiquus ille fidei vigor, atque innocentiæ splendor, ingruente perfidia malitiæ se nocte fuscavit : et ipsi dispersi sunt, non solum per omnia vanitatis negotia, verum etiam usque ad exteras nationes ducti sunt in captivitatem : et recte, quia per prius publica sæculi negotia, dispersi sunt in capite omnium platearum, latam scilicet et spatiosam appetentes mundi vitam. Justum quippe fuit, quia expulerunt de sanctuario Dei ad nefandos sæculi actus, ut pellerentur a fide in perfidiam : et inde in captivitatem ut diximus, usque ad exteras et reprobas gentium nationes. Quæ nimirum vox non minus dolentis est, quam et increpantis, sicuti et illa qua dicitur : *Quomodo sedet sola civitas.* Sub qua profecto voce, Judæorum duritia plangitur : ex quibus Patres, patriarchæ atque prophetæ repulsi sunt, quasi aurum et lapides pretiosissimi in sanctuario Dei, fide atque operibus clarissimi : sed reprobi ac degeneres facti, propter duritiam cordis eorum, Christo adveniente, conversi sunt ad perfidiam. Unde cernens eos propheta sordibus et vita degenerari objurgat et plangit : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus ?* Aurum quippe erant propter notitiam Dei, et naturam patriarcharum : obscurati vero sordibus delictorum et perfidiæ inquinamentis. Cæterum mystice Christi Ecclesia plorans pro suis, ac lugens dicit : *Quomodo obscuratum est aurum.* Per aurum namque obscuratum reprobam electorum seu sacerdotum vel ministrorum Dei in diversis ordinibus deplorat vitam, quondam per gloriam virtutum claram, nunc vero per actiones infimas et negotia sæculi obscuratam : ac deinde color optimus fertur immutatus, quia ille sanctitatis nostræ **1479** habitus, per terrena et abjecta præsentis vitæ opera, ad ignominiam despectionis venit. Unde felices illi, quos tanquam aurum in fornace tribulationis et angustiæ probavit Dominus, et quasi holocaustum accepit illos. Nos vero miseri, quos prosperitas sæculi atque oblectamenta vanarum rerum ad tantam dilectorum perduxere obscuritatem, et vilitatem agendi, ut etiam a propheta et omnibus Dei electis jure noster plangatur color et habitus sanctitatis in deterius propter usum peccandi pravissime commutatus : intantum ut etiam perversi dum Christi conculcant sacramenta, plerumque et si reprobi inter electos locum honoris sumant, et ipsi contra sanctam Ecclesiam quasi ex auctoritate sæviant, profecto cum omnia præceptorum Dei eloquia quasi sciendo atrocius contemnunt, atque ecclesiasticarum doctrinarum jura pravis suis moribus rescindunt. *Hinc et lapides sanctuarii planguntur dispersi in capite omnium platearum*, qui prius intrinsecus semper habebantur, nec sumebantur etiam in summi sacerdotis usibus et honore, nisi cum

Introdusă în format electronic de Google

intra Sancta sanctorum ingrediens, in secreto sui conditoris apparebat. Quid ergo putas sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum dispersi, nisi sacerdotes Christi et ministri sacri altaris, etiam et monachorum sancta et Deo consecrata societas? necnon et virginum et sanctimonialium numerositas: qui semper debent Dei apparere in secreto conspectibus, quos nunquam necesse est foris conspici, nunquam extraneis et sæculi actionibus occupari. Sed quod gravius est, ideo dispersi deplorantur, quasi lapides sanctuarii in capite omnium platearum, quia dum per vitam et orationem intus esse in contemplatione Dei semper debuerant, per vitam reprobam foris passim vacant. Ecce jam pene nulla est sæcularis vitæ actio, quam non sacerdotes Christi administrent: nulla mundi negotia in quibus ministri altaris se non occupent, nulla rerum improbitas, qua se monasticus ordo non implicet: pene nulla illecebris vitæ blanditiis, qua se castitas sanctimonialium non commaculet. Dum ergo in sancto habitu et religione constituti, exteriora sunt quæ exhibent, et vana vitæ oblectamenta quæ sectantur, quasi lapides sanctuarii foris in capite omnium platearum dispersi jacent. Græca enim lingua platea πλατεῖα a latitudine vocatur. *Lata enim via est et spatiosa, quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII). Sanctuarii ergo lapides **1480** in plateis sunt dispersi, cum religiosi quippe lata mundi itinera sectantur, et non solum in plateis, sed in capite platearum disperguntur, dum per desiderium, hujus mundi opera peragunt; et tamen de religioso habitu culmen honoris vel laudis quærunt. In capite ergo platearum dispersi sunt, quia et jacent per ministerium operis, et honorari volunt de imagine sanctitatis. Quorum itaque ordinem lapidum dum Ecclesiæ suæ Dominus per prophetam pollicitationes suas ostenderet, repromittit, dicens: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles: universos filios tuos doctos a Domino* (*Isa.* LIV). Stravit namque Christus in Ecclesia per ordinem lapides, quia in ea sanctas electorum animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in sapphiris, qui scilicet lapides coloris aerei in se similitudinem tenent: quia robur Ecclesiæ in animabus cœlestia appetentibus solidatur. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula ejus posuit, quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt, qui in illa ariditate temporis reprobi inarescunt. At vero quia in diversis Ecclesiæ ordinibus nostro in tempore multi sæculi amatores connumerantur, jure plangitur, quia lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum, dum susceptæ religionis mysterium vertimus ad ambitionis augmentum, dum locum sanctitatis ad terrena negotia deflectimus: dum terrenis actibus implicamur, ita quod pejus est, ut lupi, pastores fiant; ministri altaris, negotiatores sæculi; monachorum societas, vitiosorum contubernium; sanctimonialium aggregatio, domicilium vitiorum. Idcirco recte cum propheta corpus Christi scilicet ejus Ecclesia plangit: Quomodo obscuratum est aurum fuligine peccatorum, immutatus est color decoris et sanctitatis, in fœditatem vitiorum. Quomodo dispersi sunt lapides strati per ordinem sanctuarii, in capite platearum, dum ad negotia delapsi exteriora, ruunt. Aliud ex honore susceptæ religionis quærunt, atque aliud ex officio actionis exhibent, et quotidie per multas nequitias pereunt. Curis enim sæcularibus intenti et vitiorum, tanto insensibiliores redduntur, quanto ad ea quæ foris sunt et carnis concupiscentiarum, cum studio avidiores inveniuntur. Usu quippe rerum longe a cœlesti desiderio obdurescit animus: **1481** et dum ipso suo usu durus efficitur, exactione sæculi ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. Et dum solummodo in corde fides confessionis remanet atque baptismi adoptio, merito aurum vocatur et lapides sanctuarii: sed obscurati propter vitiorum fœditatem, atque dispersi in capite platearum plangimur. Quod autem aurum Deo in baptismo renati, vel etiam in circumcisione ascripti, jure intelligantur, testatur Job cum de Judæa typice loquitur: *Locus sapphiri ejus*, inquit, *lapides: et glebæ illius, aurum* (*Job.* XXVIII). Tantopere augit reatum culpæ sequentis, præconium gloriæ præcedentis. Nam uniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto prius quam caderet, majoris potuit esse virtutis. Unde dicatur de Judæa renata ex circumcisione: dicatur et de Ecclesia renata ex sacramento baptismi, quid fuerit quantave gloria sublimata: ut gratiæ magnitudo atque virtutum numerus crescat, ex cumulo sequentium delictorum. Unde ad Job dicitur ut præmissum est, locus sapphiri, lapides ejus, et glebæ ejus, aurum. Quid enim hoc loco lapides, nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus, qui quasi ex gratia et constantia mentis, jure lapides sanctuarii vocantur? Unde Apostolus: *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales.* Qui profecto lapides sanctuarii, quia ad ima carnalium se diffundunt, quasi dispersi jure planguntur in capite platearum. Nam et in Judæa prius sanctæ animæ nunquam defuerunt, qui cœlestem vitam apte ducerent. Unde recte non minus de ea, quam et de Christi Ecclesia dicitur: Locus sapphiri, lapides ejus. Et quia in ea magna vitæ ac sapientiæ claritate fulgent per fidem electi adjungitur, et glebæ illius aurum. Quid per glebas nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudinis unitas designatur? Glebæ etenim ex humore et pulvere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi, ex mortis debito se pulverem esse veraci cognitione confitentur, dum vitæ virtutibus clarescunt, quasi aureæ glebæ in Ecclesia renitescunt. Habuit et Synagoga glebas in prophetis; habuit et in doctoribus, necnon et in Patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ, in professionis et operis unanimitate tenuerunt. De quibus recte di-

Introdusă în format electronic de Google

citur: Et glebæ illius aurum; quia in ea multitudo spiritualium tanto majore virtute claruit, quanto se in Deum ac proximum majore unanimitate constrinxit. Sed hoc aurum perfidiæ, est post **1482** modum tenebris obscuratum, cujus profecto nigredinem hic propheta intuens, deplorat, dicens; *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* Sed et Christi Ecclesia membra electionis considerans terrenarum rerum fuligine denigrari, plorat quod obscuratum est aurum, et immutatus est color renatorum optimus, fulgens prius etiam in posterioribus in pallore auri, nunc vero e contrario, delictorum tenebris obscuratus. Cæterum anima se jure deplorat, quæ fuit prius per fontem baptismi nive candidius dealbata, et per infusionem sancti Spiritus auro pulchrius colorata, nunc vero aut hæresi est infecta, aut intus et sceleribus obfuscata. Fulget namque animarum sanctarum eloquium auro clarius, claritatis vero splendor pulchrius omnibus irradiatur coloribus, sed cum ab ejus fulgore anima concupiscentiis oblectata malis deciderit, quid aliud in ea quam aurum obscuratur? Et dum intus carnalium rerum denigratur, quid nisi color candoris optimus et pulchritudinis in deterius commutatur? Habet enim anima verbum divini eloquii auro pretiosius in se fulgens, quod charitate intrinsecus incomparabiliter coloratur, sed cum concupiscentiis rerum afficitur, quid aliud quam quod aurum obscuratur, et color immutatur optimus? Pessima igitur commutatio, dum amor æternarum rerum et concupiscentia cœlestis patriæ, in amorem temporalium, et concupiscentiam vanarum rerum vertitur, pro quo recte plangitur: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* Unde quia concupiscentia æternæ vitæ versa est in amorem et concupiscentiam carnis, jure lapides sanctuarii Dei, reliquæ scilicet virtutes animæ, in capite disperguntur omnium platearum; quoniam charitate amissa, virtus nulla in anima solidatur, imo omnes affectiones suas ad lata viarum itinera, et spatiosa concupiscentiarum conamina, in capite transponit platearum. Quod lapides pretiosarum virtutum speciem in animabus sanctorum teneant, multis locis luce clarius Doctorum eloquiis declaratur. Sed cum mens ad exteriora et præsentis vitæ oblectamenta suas diffundit concupiscentias, quasi in capite platearum omnia sua dispergit virtutum ornamenta, et lapides quos super rationale judicii ad nexos in pectore portare debuit ad gloriam et laudem Dei, suique decoris, demum colore dilectionem Dei in deterius commutato, dispersos in capite platearum, ac jacentes **1483** atrocius expoliat bonis, luget; tamen verbi Dei subsistentia in nobis, licet nostris obscuretur peccatorum tenebris, incorrupta manet. Propterea signanter non naturæ subsistentia violata, sed obscurata in nobis nostris ex culpis recte plangitur. Nam et hæretici quamvis verbi Dei integritatem corrumpere videantur, ipsa tamen verbi ipsa et natura, quantum ex se est, integra manet.

A Obscuratur quidem propter non credentes, vel etiam propter non recte intelligentes: manet tamen inviolata veritas, quia et si obscurari ad tempus potest, corrumpi omnino non potest. At vero color verbi, charitas videlicet qua perfundimur et vestimur, commutatur in pejus, dum ex dilectione Dei et proximi transitur in concupiscentias rerum terrenarum: et dum mens ad singula se exponit, quasi in capite totius vitæ latitudinis, actiones suas et desideria mittit. Quas cum ad se redierit misera anima, quid aliud quam dispersas inter lata et spatiosa mortis itinera dolet et gemit? Ac si patenter dicat: Quomodo in me mihimet obscuratum est illud Dei verbum ignitum et splendidum, ita, ut mea ignavia cæcatus, præceptum Dei lucidum videre, quod con- B vertit animas, nequiverim. Quomodo mihimet obscurari potuit illud, quod omnibus lucet; et convertit etiam refugas? Verum quod me latuit, nec videre potui, sibi fulsit: idcirco et in me immutatus est color optimus, et dispersi sunt lapides sanctuarii. Sanctuarium quidem erat anima fidelis Deo, dum aurum scilicet verbum divinum, in ea fulgebat ignitum. Sed mox obscurari cœpit in perfidia et caligine delictorum: immutatur etiam color optimus, fitque fœda quæ pulchra erat, et disperguntur omnia intrinsecus: ita ut nulla remaneant vitæ ornamenta, dum cuncta pelluntur foras bona, et repletur intus malis. Magna igitur hujus vis lamenti: magnus et tanti vigor doloris prophetæ, qui ad omnia se extendit. Plangit enim cæcitatem Judæorum: plangit C et Ecclesiarum Dei dispersionem ac damna: plangit nuditatem animarum, atque fœditates omnium: recolit exordia, deplorat amissa, et cum gemitu se diffundit ad universa. Unde sequitur.

BETH.

Filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Ex quo Judæorum, et prærogativæ **1484** sanctorum insinuat patrum dignitatem: quod non solum illius terrenæ Sion fuerunt filii, verum etiam cœlestis Jerusalem inclyti: ut legis doctrina ac gratiæ privilegio adoptati, inclyti quidem genere, cultu et doctrina: ita ut præ cunctis gentibus filii Dei dicerentur, et amici sint appellati: quibus facta est repro- D missio et legislatio: quorum patres et ex quibus Christus. Unde profecto jure valde inclyti vocantur, quorum Deus doctor mirabilis, in medio eorum, et protector fuisse laudatur. *Amicti*, inquit, *auro primo.* Per aurum namque sapientia Dei fulgida designatur. Unde divinus sermo ait: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* (*Prov.* XXI). Quo profecto Judæi amicti auro fulgebant olim præ omnibus quasi luminaria in mundo; et non solum quolibet auro, sed auro signantur primo et purissimo, per quod cœlestis intelligitur sapientia. Unde Salomon: *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia* (*Prov.* III). Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri primi et purissimi fructus eius.

Introdusă în format electronic de Google

Qua profecto Judæi imbuti sapientia, præ cunctis gentibus amicti laudantur auro primo : quia si juxta Scripturam, Radix sapientiæ, est timere Deum, fructus sapientiæ, qui sunt, nisi videre? (*Eccli.* I.) Et hi sunt primi ac purissimi fructus, de primo sapientiæ auro geniti. Quo profecto primo pulchritudinis auro, non solum Synagoga, verum et Ecclesia Christi gloriosius amicta, gloriatur. Sed quod lacrymabilius est, et illa et ista in suis immutata est : ut et Judæi reprobi facti reputati sint in vasa testea et Ecclesiæ viliora sint membra facta. Pro quibus omnibus merito propheta, imo vox omnium electorum luget, quod multoties filii Sion inclyti, scilicet cœlestis Jerusalem, amicti auro primo, sapientia imbuti dilectionis Dei et proximi corruunt, ad quam fragilia hujus mundi opera : ut et ipsi fiant vasa testea, qui fuerant parata fieri ad incorruptionem cœlestia. Pulchra igitur Ecclesia Christi (*Cant.* VI), amicta auro primo, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies prædicatur. Et ideo filii ejus inclyti, dicuntur amicti auro primo : in quorum novitatis gratia, nihil coinquinatum incurrit ; sed reformati ad contemplationem Dei, prima induuntur gratia, ut ad eam redeant, qua creati sunt dignitatem. Propterea et adolescentior filius ubi ad patrem pœnitens redit, primam stolam recepisse memoratur (*Luc.* XV), scilicet immortalitatis gratiam. Unde et filii Sion inclyti, jure **1485** amicti auro primo laudantur. Est enim aurum Arabicum purissimum, quod et de Saba Domino affertur. Est autem pretiosissimum, quod et de Ophir allatum esse Regi Salomoni dicatur (*III Reg.* IX). Per Ophir namque *risus* vel *herbosum* interpretatur : de illo scilicet risu veniens, in quo sunt omnia vitæ gaudia, ubi sanctorum animæ requiescunt in herbis virentibus. Quapropter nec immerito primum prædicatur, quia sapientia et immortalitas ad vitam cum renascimur, pretiosior est cunctis opibus (*Prov.* III) : et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Quo sane auro induti filii Sion jure planguntur cum deliquerint, quod reputati sunt in vasa testea. Quod bene Job lugens aiebat : *Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri* (*Job* XXX). Et Dominus in Psalmis : *Ut lutum*, inquit, *platearum delebo eos* (*Psal.* XVII). De luto enim vasa testea finguntur : sed tamen ex his alia sunt, quæ in honorem parantur, ut sunt vasa aurea et argentea ; alia vero vasa fictilia, et permanent in contumeliam. Denique Paulus apostolus : *Habemus*, inquit, *thesaurum istum in vasis fictilibus* (*I Cor.* IV). Quo profecto thesauro filii Sion inclyti, amicti gloriantur : sed cum ea exspoliati fuerint vasa testea ac fictilia in contumeliam præparata, planguntur. Verumtamen et de his quandiu hic vivitur, potens est Deus aliud restituere in honorem, aliud in contumeliam. Sed quæ fornax tribulationis, et angustiarum probaverit, vertuntur in aurum, ut sint vasa honoris, de quibus dicitur : *Vasa aurea fornax probat : et virum justum angustia* (*Eccli.* XXVII). Unde David ex persona Domini : *Aruit*, inquit, *tanquam testa virtus mea* (*Psal.* XXI). Excocto igitur luto carnis, cum repletur interius per bonam conscientiam anima thesauro desiderabili, et fulget exterius homo amictus auro intelligentiæ, quid aliud fit, quam vas honoris? Unde et opera manuum figuli dicuntur : quia sicut figulus potestatem habet de eadem massa aliud vas formare in contumeliam, aliud vero in honorem ; ita et Christus verus fictor noster, potens est nos erigere de luto ad speciem decoris, et quos decrevit in confusionem deserere damnationis ; et nequaquam nisi recto ac vero suo judicio exspoliamur intus thesauro cœlesti, et exuimur foris auro primo ut degeneres simus ; alioquin omnes filii Sion illius cœlestis, inclyti per adoptionem sanctæ regenerationis effecti, nunquam intus vasa deputarentur testea, nisi prius intus forisve exspoliarentur rebus divinis. Sed licet culpis exigentibus jam prolapsi **1486** sint, quia opera manuum figuli sunt, recolendum est illud, ubi Dominus Jeremiam ad domum mittit fictoris. Quo cum venisset, mox vas luteum de manu ejus cecidisse ac confractum fuisse legitur (*Jer.* XVIII)). Ex quo nimirum rursus luto aliud vas formasse signanter memoratur. Unde Dominus mox prophetæ insinuat quod et ipse potens sit ex nobis siquidem luteis, vasa restaurare honoris, et suo sacro mysterio dignos efficere. Propterea et propheta eos deplorat, qui degeneres fiunt, et exspoliantur rebus cœlestibus, ita ut vasis comparentur testeis ac luteis : ut et ipsi compuncti redeant per pœnitentiam et lacrymarum effusionem, ad immortalitatis gratiam. Hinc et angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribitur : Memento unde cecideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac ; quod est aperte dicere : Scito et intellige cujus dignitatis fueris per gratiam et adoptionem Dei : quam inclytus et nobilis, vestitus auro primo et purissimo, indutus siquidem stola immortalitatis, ac deinde quam vilis et luteus, propter corruptionem et pœnam peccati, vasis fictilibus compararis. Sic ne in desperationem venias, prophetam imitare lugentem ac plangentem, quod talis effectus sis, et prima opera fac, id est opera charitatis ac dilectionis Dei, ut per eamdem charitatem Dei et proximi, in adoptionem redeas filiorum, unde cecideras propter pravæ persuasionis oblectamenta. Ex quo sequitur.

GIMEL.

Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Per lamiam namque Scribarum et Pharisæorum exprobrat duritiam, et doctrinæ in populo improbitatem, quod nec tam dementes fuerint, ut præberent lac vel mammam doctrinarum filiis Synagogæ, veluti lamia crudelissima omnium bestiarum. Dicitur enim de ea, quod crudelior sit fetibus suis, cunctis bestiis. Unde et nomen accepisse signanter legitur. Siquidem lamia, quasi *lania* a multis sonare dicitur, eo quod dilaniat catulos suos ac dilacerat

Introdusă în format electronic de Google

quod et in fabulis satis aperte legitur. Sic Pharisæi crudeliores bestiarum, nec nudaverunt mammam parvulis et lactentibus, ut sugerent cibum vitæ ; imo crudeles facti, ut struthio, qui mox ut ova sua exposuerit, deserit, nec recolit ea, **1487** neque apposuit contovere aut calefacere, quia de suis nihil recogitat fetibus ; ita et Judæorum perversitas exstitit Dei in populo , ut nihil agerent, quam ut eos dilacerarent, diriperent, et cuncta distraherent : ita sicut Scriptura dicit, ut ad promissa vitæ nec ipsi introirent nec alios introire permitterent. Quos propheta lugens et plangens, dicit quod lamiæ lactent catulos suos : quod nec eos fecisse parvulos in populo, dolet; lamia namque Hebraice *Lilith* לילית dicitur; quam quidam Hebræorum ἑρμηνῦν, id est unam de furiis suspicantur : quæ parcæ dicuntur, eo quod nulli parcant : sicuti Scribæ et Pharisæi, qui non solum proximis in populo, verum nec prophetis pepercerunt. Quid ergo dicam de prophetis, cum etiam nec ab ipso Deo patribus repromisso, manus subtraxerunt? Idcireo crudelis filia eorum Synagoga plangit; crudelior facta lamiis : et quasi struthio nullam sibi spem aut proximis, reliquerunt in posterum. Sed et Christi Ecclesia plangit per lamias, hypocritarum atque hæreticorum callidam perversitatem : qui humanam quidem faciem gestantes, belluina per impietatem corda gerunt. Qui tunc mammam nudant , quando errorem suum libere prædicant : tunc vero catulos lactant, quando male sequaces parvulorum animas perversa docent : et ad impietatem male nutriendo conformant. Unde alibi propheta ejulando dicit, hæreticorum atque hypocritarum deplorans facta : *Ibi cubavit lamia et invenit sibi requiem* (*Isa.* XXXIV); ibi habuit foveam ericius, scilicet in plebe Christi, in populo gravi et pleno peccatis. Per lamiam namque ut dixi, hypocritæ vel hæretici; per ericium vero, malitiosi quique, qui diversis se defensionibus contegunt, designantur. Lamia enim, ut dixi, faciem habere humanam perhibetur, sed corpus bestiale. Ita et omnes hypocritæ atque hæretici, in prima quidem facie quod ostendunt, quasi ex ratione sanctitatis esse videtur, sed bestiale est corpus quod sequitur : quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. Ericii autem nomine, malitiosarum, ut dixi, mentium defensio designatur : quia videlicet ericius cum apprehenditur, ejus et caput cernitur, et pedes videntur, et corpus omne conspicitur : sed mox ut apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit : pedes introrsus cum capite abscondit : et intra tenentis manum simul amittitur, quod totum simul amisisse videbatur. Sic nimirum, sic malitiosæ mentes **1488** sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur, ut adductis repente excusationibus, malitiosa mens introrsus caput et pedes colligat; ita ut cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondat. Caput quidem subtrahit; quia miris defensionibus nec inchoasse pravum aliquid ostendit, et quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripitur, cuncta quæ jam cognoverat, subito amittens involutum intra conscientiam peccatorum tenet, et qui totum jam deprehendendo viderat conversatione pravæ excusationis delusus, totum pariter ignorat. Quibus appulsi miseriis , jam ad lamenti ordinem redeamus. *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Quæ enim filia populi, nisi Ecclesia plangitur? Quia profecto et filia Sanctorum, quia renata est in Christo, prædicatur. Sed talibus et hujuscemodi involuta more bestiali peccandi usibus, crudelis quasi struthio in deserto efficitur, nihil nisi præsentia cogitans, nihil in spe agens, etiam actus et opera quæ admittit, sine calore charitatis jacere prætermittit, nullam futuræ vitæ gerens curam, nullam filiorum habens sollicitudinem, sed tantummodo præsentia, ut diximus, intendens, etiam eorum obliviscitur operum, quasi struthio ova sua quæ posuerit. Quibus Ecclesiarum relictis malis, jam anima moraliter in se quid defleat, videamus; quando bestialis feritas animarum quam sæpe permulcet, ad pietatem fidei Christi receptum ; ita ut et nudent mammam doctrinarum, suosque lactent mores quasi lacte pietatis, ut quidquid prius introrsus criminosum apparuit, totum ubertas recompenset pietatis, atque amoris Dei et proximi. Solent namque quam sæpe bestiales animæ, quæ prius videbantur per rationem, humanam formam prætendere, per sævitiam vero, feritatem et mores bestiarum gignere, cito quidem converti ad melius, et ubera doctrinarum suis exuere tegumentis, ac deinde sagacissimos vitæ actus, lacte nutrire eloquiorum Dei ; atque animum inclinare ad pietatem et dilectionem Dei et proximi. Unde Dominus : Utinam, inquit, frigidus esses aut calidus. *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III). Ac si diceret : Utinam te seniorem per frigus impietatis, ac bestiales monstrososque tuos aspicerem mores, certe aut calidus ex dilectione Dei et proximi, per flammam charitatis efficereris. Nunc autem quia inter utraque tepidus es, incipiam te evomere atque ejicere **1489** a corpore unitatis. Propterea igitur morum probitas semper sequenda est , feritas edomanda , tepiditas vero fugienda. Hinc quoque fidelis anima dicat cum gemitu tandem actibus suis : dicat et moribus, quod et lamiæ nudaverunt mammam. Per lamiam namque recte prudentia carnis designatur. Porro prudentia carnis, catulos suos, actus videlicet quos genuerit, quasi sævissima bestiarum, quo aliunde quam morte lactat et nutrit? Sed quam sæpe in melius commutata , de prudentia carnis, quæ mors ab Apostolo nominatur, in prudentiam spiritus cum transierit, detegit crudelia, et nudat flagitiosa, et lacte doctrinarum quasi ab ubere pietatis, lactat et nutrit catulos suos, scilicet mores et actus, ut de feritate ad mansuetudinem transeant, de sævitia ad pietatem, de morte ad vitam, de infantia ad maturitatem. Sed prudentia carnis quæ longe diuque obduruerat, jure quasi filia populi mei crudelis, et quasi struthio in deserto plangitur. Fertur enim, ut sæpe dictum est, quod struthio ova sua cum posue-

Introdusă în format electronic de Google

rit in deserto, quia sine calore amoris, sine fomento pietatis, sine spe futuræ prolis, absque cura et sollicitudine dereliquit. Ita et prudentia carnis, omnes affectionis actus quos peperit, tantummodo impræsentiarum intentans, sine spe et cura in morte dereliquit. Unde, ut fassus sum, recte mors appellatur. Propterea quasi filia virtutum et si crudelis, a propheta plangitur : quia dum prævidere sibi in posterum fecunditatem seminis debuit, solummodo actus suos carni deditos, sine fomento spei, sine dilectionis amore, quasi struthio ova sua in morte dereliquit. Sequitur.

DALETH.

Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti. Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Manifesta lamenti narratio de Judæis, exstinctis matribus, quod lingua lactentis præ siti ad palatum adhæserit, et parvuli grandiores panem cum peterent sine viribus, nec erat qui frangeret eis, præsertim cum et ipsi cibus essent matribus. Unde minusculi siti consumpti, grandiores vero sine cibo periere fame perempti. Porro secundum allegoricos sensus, lingua lactentis ad palatum adhæret in siti sine lacte doctrinæ, quando cura doctorum crudelis quasi struthio sine sollicitudine pro gregibus aliud **1490** diligens, torpuerit, nec cum Apostolo lacte doctrinarum Dei parvulos lactentes pastor aluerit (*I Cor.* III). Hinc quoque Apostolus suis ait parvulis : Lac vobis potum dedi, non escam, quia necdum poteratis, sed neque adhuc potestis. Sunt enim in Ecclesia Christi lactentes parvuli, sugentes ubera præceptorum Dei, sunt et majores, qui jam queunt solidum capere cibum, scilicet profundiora mysteriorum Dei intelligere, si esset qui eis frangeret panem, secretiora scilicet sacramenta Scripturarum sanctarum. Sed cura pastorum ac sollicitudo deest, nec est qui minoribus mammam denudet doctrinarum, neque qui majoribus frangat panem. Quos bene intuens propheta, jure eorum reprobam deplorat vitam, et istorum plangit crudelitatis mortem, eo quod multi doctores impietate sua pellecti, crudeliores jure lamiis censeantur, et negligentiores struthionibus : quoniam etsi lamiæ crudeliores suis fœtibus videantur, nudant tamen mammam, et quodammodo lactant catulos. In quorum profecto comparatione, quia sectantur et terrena quærunt, atrociores merito planguntur, ex quorum negligentia quam sæpe lingua lactentium ad palatum tabo consumpta, adhæret in siti. Necnon et struthio, et si ova sua sine cura et ullius pietatis affectu ponere videtur, tamen physici dicunt, quod ea in sabulo ubi nimius solis fervor quotidie candescit, exponunt : ubi calore solis et confotu sabuli, usque ad concretionem pullorum temperanter confoventur. Quibus isti sine cura ac sollicitudine pastorali aliud meditantes, recte negligentiores deplorantur : qui etiam parvulis cum petierint panem, saltem frangere fugiunt. Scriptura enim sacra aliquando cibus est, aliquando potus lactis. Cibus est in locis obscurioribus, quando quasi exponendo a doctore frangitur, et mandendo ab auditoribus glutitur. Potus est autem lactis in locis apertioribus, quia ita scribitur aut sugitur ab uberibus Scripturarum prolatis et detectis, sicuti invenitur. Ergo propheta jure docet in Spiritu, quando filios Ecclesiæ lactentes et parvulos videt fame et siti tabescere. Profecto cum et ipsi parvuli jam didicerint panem exposcere, et non est qui frangat eis, gratias tamen Deo, qui per se quinque jam et septem fregit panes, Veteris scilicet Testamenti sacramenta et Novi : sicque dedit discipulis, et discipuli turbis, ex quibus de his qui superfuerunt **1491** his qui manducaverant, relati ac repositi sunt duodecim cophini fragmentorum (*Marc.* VI). Inter quæ nimirum eloquiorum Dei mystica sacramenta, necessarii sunt doctores, ut infirmi quique cum petierint valentiores Scripturæ sacræ sententias exponendas comminui, valeant aperire : et in singulis necessaria apponere. Sed luget propheta, quando qui exponere debet, inveniri non valet. Est etiam Scriptura sancta potus lactis, de quo propheta dicit : *Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite absque ulla commutatione vinum et lac* (*Isa.* LV). Ex quo liquido patet, cum dicit, *venite ad aquas*, quia Scriptura sancta verus est potus : cum dicit, *comedite*, verus est cibus. Cum autem dicit *vinum et lac*, nutrimentum infantiæ, et ebrietas Spiritus sancti designatur, ut per lac teneritudo nostra nutriatur : per vinum vero corda inebrientur. Quod si omnino aperta mandata Dei Scripturis sanctis non essent, per semetipsam Veritas non clamaret : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII). Ipse namque est nobis potus, ipse cibus : ipse vero vinum et lac. Quæ simul idem propheta in hoc eodem opere vidit Judææ defuisse, cum diceret :

Nobiles ejus interierunt fame : et multitudo ejus siti exaruit. Paucorum quippe est fortia et occulta cognoscere : multorum vero historiæ aperta sentire. Et idcirco Judææ nobiles, non siti, sed fame interisse asserit, quia hi qui præesse videntur, dum totos se exterioribus tradunt curis, et intelligentiæ vanæ disciplinis, quid de intimis discutiendum mandent, non inveniunt. Quibus ab interno intellectu cadentibus, parvorum intelligentia etiam in exterioribus exsiccantur. Unde recte illic adjungitur. *Multitudo ejus siti exaruit.* Ac si aperte diceret : Dum vulgus vitæ suæ studia deserit, jam nec fluenta historiæ requirit, quia, secundum Job, terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subversa est (*Job* XXVIII), quia profecto pastorum atque doctorum corda, de quibus panis vitæ oriri consueverat, atque eloquiorum verba affluere, cum terrenis curis et vitiis cœperint repleri, recte plangitur, quod terra de qua oriebatur panis, qui de cœlo descendit, aut hauriri debuerat in loco suo, igne subversa est. In loco autem suo igne subvertitur, quando mens infidelium, sacramenta conculcans, vitiorum facibus concrema-

Introdusă în format electronic de Google

tur. Idcirco arsit, quia flammis vitiorum se tradidit. Unde lamentis et fletibus agendum est, **1492** ne lingua nostra præ siti adhæreat palato, neque parvuli petentes panem, Dei reprobati judicio, egestate et fame verbi consumpti pereamus, neque terra de qua panis oriebatur igne submersa depereat, imo precibus et lacrymis pulsemus ad ostium patris, tres illos ex Evangelio petentes panes; ut et ipse eos nobis tribuat, qui pulsare ac quærere rogat et petere (*Luc.* XI). Ad hoc igitur ut tribuat rogemus etiam ut ille magister verus et auctor, qui eos fregit in eremo, nobis quoque simul tribuat et frangat; quibus refecti, ne ullus nostrum in via lassescat, quoniam propter pessimam vitam sacerdotum et crudelitatem morum, lactentium præ siti ariditas plangitur; et parvulorum, quia non est qui eis frangeret panem, interitus deploratur. Pulsandum igitur est et petendum, quod nulli negatur quærenti in veritate, ne, culpis exigentibus, nobis subtrahatur, sicuti Dominus alibi comminatur: *Mittam in eos non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei* (*Amos* VIII). Quia cum prædicatio et intelligentia verbi subtrahitur, auditus quoque cessat, et fames atque inedia simul horum morte grassantur. Jam quid moraliter lugeat videamus. Quando parvuli cogitatus nostri, atque affectiones intimæ mentis sine lacte blandæ persuasionis, et rore sancti Spiritus præ siti cito arescunt, quorum lingua prolationis palato carnis adhæsa, obtumescere facit teneræ mentis infantiam, et suffocat gladio infidelitatis cordis nostri, vitæ conceptus, ne ad lucem queant contingere. Unde recte dicitur: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Alioquin quidquid est boni quod mente concipitur, nisi lacte nutriatur doctrinæ et gratia sancti Spiritus, cito arescit; et lingua adhæret palato, ne possit proferre confessionem salutis, gratiam sancti Spiritus in septem dividit donis, qua tot habeat filios. Qui bene designantur cum dicitur quod Job septem habuerit filios et tres filias: *Et ibant*, inquit Scriptura, *filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo* (*Job* I). Filii per domos convivium faciunt, dum virtutes singulæ per septem dona sancti Spiritus deitate, juxta modum proprium in qua sunt, mentem pascunt. Unde et bene dicitur, unusquisque in die suo. Dies enim uniuscujusque filii, est illuminatio uniuscujusque virtutis. Singula enim dona singulos habent dies suos, quia non est hoc sapere quod **1493** intelligere: quia multi quidem æterna sapiunt, sed intelligere nequaquam possunt. Sapientia ergo in die suo convivium facit, quia mentem de æternorum spe et certitudine reficit. (*Gregor.*) Sed nostra ne protrahere videamur, sancti doctoris verba Gregorii, ex integro prælibata, ponamus. Intellectus, inquit, in die suo convivium parat; sed hæc agere nesciunt; nisi qui cogitationes antequam ad opus prodeant, internos suos motus sollicite circumspicientes frenant, atque persuasibus doctrinarum et fide Christi intus lactant. Hæc agere nesciunt, nisi qui omni custodia munire mentem norunt; et lacte doctrinarum, affectiones et suggestiones pias in Christo nutrire intelligunt. Horum igitur lingua quid aliud nisi adhæret palato carnis, dum interna virtutum spiramina vanis suffocantur curis, et pravis confessionem fidei, antequam proferatur, illigant nexibus. Unde recte sequitur: *Parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.* Scilicet parvi cogitatus, cum de Christo et sempiterna vita concipiuntur, mox requirunt panem illum qui de cœlo descendit; sed mens male suo depressa torpore atque ignavia, vanisque dedita curis, nescit illis petentibus frangere panem intelligendo, neque comminuere ruminando, neque distribuere accipiendo. Idcirco recte plangitur, *Nec erat qui frangeret eis.* Quia etsi divinitus inspirata virtus, ad tempus vitæ esurie intus animatur, foris tamen exinanita concupiscentiis, tabefacta viribus vacuatur. Hinc quoque sequitur:

HE.

Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Per quæ nimirum Judæorum perfidia luce clarius reseratur, quoniam obscurati sunt, et color eorum optimus immutatus est quem habuerunt in Patribus et patriarchis atque prophetis; atque dispersi sunt quod adhuc hodie cernimus, in capite omnium platearum quanquam induti et amicti auro primo, secundum prærogativam Patrum, etiam reputati sunt in vasa testea et opus manuum figuli, sæviores lamiis, crudeliores struthionibus. Ob quorum perfidiam lactentes et parvuli perierunt; ita ut qui vescebantur voluptuose, interierunt fame in viis Dei Christo adveniente: quoniam omnia mystica Scripturarum sacramenta, atque significandarum rerum instituta, in quibus vescebantur **1494** voluptuose Patres et patriarchæ, interierunt ipsi in viis Dei, qui Deum et Dominum non suscipientes, negaverunt esse verum Filium Dei; quia ipse principium omnium viarum est; et ideo sine ipso interierunt in viis sæculi. Unde sequitur: [Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.] Quoniam croceus color, igneus esse comprobatur. Quo profecto igne, flammantia corda efficiuntur, dum donis sancti Spiritus replentur; in quibus sane sancti Patres croceis enutriti gratiarum sacramentis, Judæi perfidi abnegantes Dominum amplexati sunt stercora. Quæ nimirum stercora Paulus abjecerat, cum dicebat de Christo: *Propter quem omnia*, inquit, *detrimentum feci, et arbitror ut stercora*, scilicet omnia legis quæ secundum litteram prius velut stercora etiam a cunctis catholicis deputantur *ut Christum* lucrifaciant; *et* inveniantur *in illo, non* habentes eam *justitiam, quæ ex lege est*, sed *quæ ex fide est Jesu Christi* (*Philip.* CXVII). Quam sane justitiam et legis litteram perfidi Judæi velut stercora amplexantes, justitiam quæ in Christo est, nolunt recipere. Sed et obsidione quam sæpe coangustati, etiam stercora

Introdusă în format electronic de Google

pro cibo sumentes, uti et in Regum (*IV Reg.* VI) legimus, quod columbinum stercus pretio distrahebatur; nec sic tamen in toto corde ad Deum converti maluerunt. Sed et Christi Ecclesia juxta mysticos intellectus, suos deplorat relinquentes, qui charitatem cæterasque virtutes, in quibus propter nitorem gratiæ quasi voluptuose in croceis nutriebantur, demum corruentes, stercora dilectorum amplexantur. Quos bene alibi Propheta plangebat, dicens : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I). Computrescere quippe jumenta in stercore suo, est carnales quosque in fetore luxuriæ suæ secundum desideria cordis eorum, flagitiis deservire. Quod nimirum stercus circa ficulneam cultor vineæ infructuosam, cum jam succidenda esset, ponere se promittit. Domine, ait, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam cophinum stercoris (*Luc.* XIII). Quid igitur est cophinus stercoris, nisi memoria peccatorum? Unde David aiebat: *Et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L). Peccata etenim carnis, recte stercora vocantur, quæ dum ad memoriam delinquentium reducimus, quasi infructuosæ arbori cophinum stercoris apponimus; ut malorum quæ gessit recolat, ad memoriam, et ex compunctionis gratia et mœroris quasi de fetore **1495** pinguescat. Mittitur ergo cophinus stercoris ad radicem arboris quæ præcidenda erat, quando conscientia pravitatis suæ mens afficitur, et tangitur memoria cogitationis, cumque se per pœnitentiam ad lamenta mens excitat, cumque ad bonæ operationis gratiam se reformat, quasi per tactum stercoris, tandem redit ad fecunditatem operis. Ex fetore namque ad fructum reviviscit, quando ex consideratione peccati ad bona se opera animus resuscitat. Sed quia sunt plerique qui ad pœnitentiam redire nolunt, plangit eos Ecclesia, qui nesciunt cur planguntur, eo quod delinquendi studio amplexantur stercora vitiorum. Omne enim quod amplectimur, cum desiderio tenere videmur. Idcirco illi jure planguntur, qui ex amore peccandi, stercora, scelera videlicet et flagitia, irremedicabiliter amplexari videntur. Juxta tropologiam vero virtutes animæ croceis vestiri videntur, cum dilectionis Dei et proximi radiis efficiuntur : quoniam croceus color sæpe in Scripturis sacris claritatem designat sanctæ dilectionis; et ideo cum charitas amittitur, reliquæ virtutes stercora amplexantur; qui de bono Dei et proximi odore dilectionis mox transeunt in fetorem pravitatis. Unde angelus Ephesinæ Ecclesiæ: *Habeo*, inquit, *adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memento igitur unde ceciderís, et age pœnitentiam. Et priora opera tua fac, videlicet opera castæ dilectionis, sine qua nulla invenitur virtus boni odoris* (*Apoc.* II). Quod bene Paulus enumerat: ita ut quidquid virtutis summum videatur, sine charitate quidem nihil prodesse possit. Propterea etiam ipsæ virtutes operum, quæ sine dilectione fiunt, recte planguntur, quod amplexi sint stercora, dum sine ipsa amittunt fragrantiam boni odoris, et veniunt in fetorem pravæ intentionis. Sequitur :

VAU.

Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento; et non ceperunt in ea manus. Per exaggerationem quippe peccati, describit Jerusalem, et deflet Synagogæ casus atque scelera, quæ filia fuit Sanctorum patriarcharum et prophetarum; ita ut Isaias dicat: A planta pedis usque ad verticem capitis, quod nulla esset in ea sanitas. Et ideo multis ex causis, major effecta est iniquitas ejus peccato Sodomorum. Quod enim fuerit peccatum eorum, Ezechiel **1496** exprimit dicens : *Hoc quippe*, inquit, *fuit peccatum eorum superbia et abundantia, et saturitas panis, et otium :* nec non et quia egeno et pauperi manum non porrigebant; et hoc est quod præsens versus sonat, quia non ceperunt in ea manus. Quid enim est dicere, [non ceperunt in ea manus.] Nisi ut subaudias boni aliquid agere? Quod Synagogam fecisse legimus. Sed tamen licet innumera bona perceperit, et operibus sacramenta Dei plurimis compleverit, quia scelestiora commisit, recte major iniquitas ejus effecta plangitur. Hinc quoque Ezechiel ad eam : *Justificata est*, inquit, *Sodoma soror tua ex te* (*Ibid.*). Hæc quippe primum cœpit manus extendere ad omnia præceptorum Dei mandata, quia credita erant ei eloquia Dei. Postremum vero a Deo cum cœpisset apostatare, in tantum supergressa est malitia ejus, ut nec dimidium scelerum ejus Sodoma peccaverit, quæ vacabat otio, atque egeno et pauperi manum non porrigebat, neque, ut præsens versus insinuat, cœperant manus ejus in ea, antequam subverteretur, boni aliquid agere. Jerusalem vero cum et notitiam Dei haberet, et mandata vitæ percepisset, manus misit ad omnia, quamvis ad ultimum auctorem vitæ peremerit, et eas jam multis polluta menstruis ad idola levaverit. Pro quibus omnibus malis, quia tanta Dei omnipotentis beneficia calcavit, et mala pro bonis reddidit, consideranda est ejus vindictæ pœna. Cum sic subito subversa est in momento Sodoma pro culpis superius enumeratis, quanto atrociora Judæi promeruerunt, qui et beneficia spernentes, auctorem vitæ peremere, et majora atque numerosiora commisere delicta? Cæterum Christi Ecclesia jure deplorat peccata populi, quod major effecta sit iniquitas ejus peccato Sodomorum, maxime nunc in tempore, quando fides et veritas recessit, quando humilitas et benignitas, atque pene omnis bonitas interiit; quando discordiarum atque concupiscentiarum incendia omnem flagrant orbem, voraxque flamma invidiæ atque insidiarum, consumit universos, quando rapinis et fraudibus, Christi deploratur Ecclesia, exossantur pauperes; et pene jam noster orbis incultus jacet; quando omnium legum violantur jura, et simul humana atque divina temerantur; quando fas nefasque simul confunditur; quando ubi vel ubi pax nulla neque regio ulla integra **1497** servatur; quando abjurantur nominis

Introdusă în format electronic de Google

consanguinitatisque et fidei fœdera ; quando levitas omnia tentat, et conscientia boni nulla manet ; quando cuncti obloquuntur quæ agimus, vix aliquis recte vivit. Intestino depopulatur patria bello ; hostili hinc inde exterius ferimur gladio ; nec sic tamen habendi atque acquirendi cum omni molimine doli habetur finis ; quoniam veluti vulcanalis olla suis succensa incendiis, æque virorum et mulierum corda flammantur, et pene ætas nulla nullusque ordo excipitur. Pro quibus et hujusmodi malis jure plangit Ecclesia, imo sermo propheticus : quoniam et illa quibus damnatur Sodoma, crebrescunt mala ; et alia quam plura quotidie post innumera Dei beneficia contra Deum committimus. Propterea igitur et major iniquitas nostra recte plangitur, quam eorum qui non cœperunt in fide Christi aliquid boni agere. Hinc et supplicia pertimescamus atrociora, quam ejus fuere, quæ subversa est in momento. Momentaneum namque est omne quod vivimus ; et ideo peccando quotidie, quasi in momento ad pœnam subvertimur. Fortassis ergo illa pro suis ad inferos leviora culpis supplicia tulit ; nos e contrario qui manum ad fidem, et vota fecimus multa, peccando quotidie, deteriora meremur, juxta quod Apostolus ait : *An nescis homo quia patientiam Dei ad pœnitentiam te adducit? Thesaurizas enim tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II). Sed et moraliter eorum planguntur morum scelera, qui ad hypocrisim labuntur, quoniam major efficitur iniquitas eorum peccato Sodomorum, præsertim cum omnia qui agunt etiam bona, plena sint culpis septempliciter dæmoniis dedicata ; et ideo major est iniquitas operum eorum atque morum peccato Sodomorum. Idcirco quælibet anima sub hypocrisi vitiis repleta, jure plangit lugens et dicit : *Major enim iniquitas populi mei peccato Sodomorum*. Quia sicut populus contra populum erigitur, ita hypocritarum mores et actus confligunt, ut virtutes qui agere videntur exterius, nequiores vitiis Sodomorum comprobentur interius ; quia *cum spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa quærens requiem et non inveniens ; tunc*, inquit : *Revertar in domum meam unde exivi*. Cum autem venerit et invenerit *eam vacantem, et scopis mundatam et ornatam, vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se ; et ingressi habitant ibi* (*Matth.* XII). Egreditur ergo spiritus immundus ab homine, quando **1498** renascitur in Christo. Revertitur vere in domum suam, quando rursus animam ab affectu boni operis vacantem invenit, per hypocrisim quasi scopis mundatam a sordibus et ornatam pravis simul actionibus ; ita ut duplicato numero immundorum spirituum teneatur anima amplexa ; et fiant novissima hominis illius pejora prioribus. Ex quo talibus repleta anima immundorum spirituum populis et vitiorum catervis, non incongrue deplorat, quod major sit iniquitas ejus peccato Sodomorum ; quoniam ai oer apertum malum in momento ad inferos devenerunt, ista vero non minus simulatis virtutibus, quam etiam interius occulte vitiis repleta ad ima tormentorum quotidie quasi mundata et ornata, demergitur. Propterea et major iniquitas populi ejus, actuum videlicet et operum, peccato Sodomorum prædicatur, quæ manus non miserat ad fructum boni operis ; ut hypocritarum societas quæ multis decorata videtur operibus, sed iniquioribus illecta vitiis, quam qui in aperto teneri videntur peccatorum criminibus. Propterea sequitur :

ZAIN.

Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Pulchritudo Nazarenorum secundum litteram recte describitur, quando candor abstinentiæ et venustas vultus eorum, nitidius lacte candebat olim in populo et jucunditas ruboris resplendebat in facie. Sed in deflendo amplius laudatur, ut fœditas eorum major appareat, propter penuriam famis ; quorum facies super carbones denigrata plangitur, ita ut agnosci non possint in plateis præ afflictione famis. Cæterum sancta Dei Ecclesia habet Nazaræos suos candidiores nive et lacte nitidiores ; per quos nimirum abstinentium et continentium vita signatur : quæ nive vel lacte nitidior, merito in electis Christi prædicatur. Nix enim ex aqua, quæ de supernis venire cernitur, congelatur ; lac vero de carne mulgetur, quæ in inferioribus nutritur. Quid ergo per nivem nisi candor vitæ cœlestis, quid per lac nisi temporalis dispensationis administratio demonstratur? Ita ut Christi Ecclesia suos habeat Nazaræos, qui etiam per contemplationem vitam cœlestem ducant ; et per actualis vitæ dispensationem, lacte candidius ad laudem sui Creatoris reniteant, in tantum plerumque, **1499** ut continentes viri tam mira virtutum opera faciant, quatenus ab eis qui cœlestem vitam tenuerant multi, qui terrena bene dispensaverant, superari videantur. Ideo jure candidiores nive, et nitidiores lacte utrique. Qui profecto etiam quia per fervorem spiritus antiquorum ac fortium patrum, nonnunquam vincere vitam videntur, recte adjungitur : *Rubicundiores ebore antiquo*. Dum enim ruboris pulchritudo laudatur, flamma sancti desiderii exprimitur. Ebur namque, os esse elephantis non ignoratur. Sed quia ebore antiquo rubicundiores signanter laudantur, patet profecto sensus, quia nonnulli sanctorum sæpe ante humanos oculos quibusdam præcedentibus patribus studio ferventiores existunt. De quibus ut totum simul pandatur, adjungitur : Sapphiro pulchriores ; sapphirus itaque ætherei coloris est. Et quia precedentes multos non minus per actualem vitam ad superna tendentes, quam etiam per inspectivam cœlestis vitæ conversationem præcellentes videntur vincere Nazaræi Christi, ecclesiarum meritorum narrantur sapphiro pulchriores. Sed utinam quod ad decorem Christi et laudem sponsæ prædicatur, favor vanæ laudis, et deceptio pravæ simulationis pro dolore non obfuscaret ; quia plerumque dum virtutum copia etiam

Introdusă în format electronic de Google

plusquam expedit prosperatur, in quadam sui fiducia mens adducitur ; et male decepta propria præsumptione certæ aut vanæ laudis, repente peccato subripiente fuscatur ; et quod diu videbatur virtutibus nitidius resplendere, diaboli fraudibus depravatur : Unde recte subjungitur sub Heth littera :

HETH.

Denigrata est super carbones facies eorum ; et non sunt cogniti in plateis. Adhæsit cutis eorum ossibus ; aruit et facta est quasi lignum. Nigri ergo post candorem fiunt : quia emissa Dei justitia, cum suæ laudis favorem quærunt, aut cum de se male præsumunt, ad ea etiam quæ non intelligunt, neque prævidere queunt, peccata delabuntur. Et quia post amarum ignem ad frigus corporis, vel etiam post candorem vitæ ad ignaviam vanæ laudis veniunt, non immerito facies eorum exstinctis carbonibus nigrior comparatur. Propterea igitur via regia gradiendum est; et Scriptura : *Ne sis*, inquit, *nimium justus*. Quia profecto, dum quidam nonnunquam **1500** Dei timorem ex sui fiducia præsumentes deserunt, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus recte subditur : *Et non sunt cogniti in plateis.* Platea quippe a Græco sermone veniens, pro latitudine præsentis vitæ dicitur. Quid vero est humanæ mentis angustius quam voluntates proprias abnegare, desideria carnis frangere, nullius laudis gratia vel deceptionis a justo et recto deflectere? De cujus nimirum vitæ ingressu Veritas dicit : *Intrate per angustam portam* (*Eccli.* XIX). Sed quid latius quam nullis subire legibus, propriisque deservire voluntatibus, et nullis obviare impulsibus? Alioquin nisi tales sua quærerent, nunquam tantis decorati virtutibus in plateas devenissent. Platearum namque latitudo eorum est, qui sua quærunt, et ad omnia se defendunt. Idcirco hi non sunt cogniti in eisdem plateis; quia non sunt qui videbantur, cum, Dei justo judicio inspiciente, reprobi inveniuntur. Qui ergo per fiduciam sanctitatis postposito meliorum judicio voluntates proprias sequuntur, quasi per plateas pergunt, sed non sunt cogniti in plateis : quia de vita sua ut aliud ostenderent, quando frangendo voluntates proprias, in angusto calle se retinebant, aliud vero cum de se præsumentes, post sui cordis intentionem fiducialius vadunt. Unde sequitur : *Adhæsit cutis eorum ossibus.* Quid per ossa nisi duritia fortitudinis designatur? quid per cutem nisi mollities nostræ infirmitatis exprimitur? Cutis ergo adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prave sentientibus, infirmitas vitiorum duritia virtutis putatur; vel etiam quia cutis omnia interiora circumtegit, recte ossibus adhærere dicitur, dum omnia quæ exterius geruntur intus favoribus vanæ laudis quasi ossibus junguntur. Hæret namque cutis ossibus, dum adulatio pro rebus exterius bene gestis intus virtutibus sociatur. Quibus ita conjunctis, merces evacuatur; dum et infirma sunt quæ faciunt, atque elationis fiducia decepti, fortioribus de se suspicionibus blandiuntur. Unde quia magna de se sentiunt, proinde ex sua nequitia se emendare contemnunt. Hinc quoque adjungitur : *Aruit et facta est quasi lignum.* Culpā quippe eorum tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam ac si vera virtus laudabilis habetur. Quam recte mox aridam asserit, quia nulla veræ virtutis gratia intus viridescit : sed facta plangitur quasi lignum. Hinc sane est quod nonnulli a proximis dum corriguntur, **1501** quasi lignum insensibiles remanent, atque ab omni virore gratiæ alieni, intus arescunt. Quod et sæpe eis contigit, qui altiora se appetunt et intus bonorum consortia, quasi bona habeant opera, occulte vitiis deserviunt. Candent quidem exterius nive pulchrius, et lacte candidius ; sed conscientia vitiis denigrata est, eo quod omnem calorem Dei ardoremque intus amittunt. Qui bene a prudentioribus in plateis non sunt agniti, quia dum per latam intus et voluptuosam vitæ viam ambulant, non cognoscuntur esse quod se fingunt. Sed aridi Spiritus sancti gratia inveniuntur, qui cum correpti a suis vel increpati fuerint, tanto insensibiliores ut lignum inveniuntur, quanto aridiores intus fuerint, et occultius peccare probantur. Dedignantur igitur aliud videri quam quod se fingunt : unde et rubicundiores se jactant ebore antiquo, scilicet sanctis præcedentibus electis meliores ; atque eisdem inter eos qui jam cœlestem ducunt vitam pulchriores ; quo longe diu indurati impudentiæ supercilio, quasi lignum arefacti, insensibiles intus fiunt. Unde nonnunquam nullis verberibus, nullis correptionibus, nullisque terroribus, et nullis persuasionum seu blandimentorum alloquiis emendantur, sed semper deteriores fiunt. Quid et moribus eorum qui sub hypocrisi honestiora virtutum atque præcipua meritorum opera jactant se habere, bene congruunt utrique versus ; quia dum sapphiro pulchriora exterius suorum facta operum ostentant, intus omnia morum ornamenta, et nigriora carbonibus, et mortua jacent. Quorum arefacta est virtus, et ut lignum, cuncta eis sine fructu putribilia jacent, neque potest sentire anima talis, falsis decepta coloribus, quantum intus a Deo præcisa insensibilis jaceat. Unde sequitur :

TETH.

Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame : quoniam siti extabuerunt, consumpti a sterilitate terræ. Qui profecto versus, satis maxima in illa ultima obsidione, Judæis congruit quam levius fuisse occisis gladio probatur; dum vitæ dispendium in momento tulerunt sub ictu gladii quam interfectis fame, qui diuturnis, atque acrioribus cruciatibus mortem sustinuerunt, variisque affecti suppliciis siti extabuerunt, et a quolibet pœnarum **1502** genere sunt consumpti. Porro Christi Ecclesia feliciores judicat interfectos gladio verbi Dei, quam interfectos fame, quoniam hi ad hoc perimuntur ut vivant, illi vero culpis exigentibus consumentur, ut intereant. Unde rogat Apostolus assumere armaturam Dei, et gladium spiritus inquit, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI). Quo pro-

Introdusă în format electronic de Google

fecto gladio bene perimuntur sancti et electi Dei, ut moriantur sæculo, et vivant Deo. Sed quia gladius Dei multis in locis diversis adumbratur significationibus, eligendus est ille, quo perimitur mors, ut sequatur vita ; et non ille, qui præcidit vitam in æternum, ut moriatur anima. Unde Dominus in Cantico : *Et gladius meus*, inquit, *inebriatus est in cœlo* (*Gen.* III). Sed et romphæa versatilis atque flammea, ante paradisum posita , ad custodiendam viam ligni vitæ, nec non et per prophetam mucro Domini bene limatus et exacutus dicitur, et propter sævitiam interfectionis. Quousque, inquit, non reverteris in vaginam tuam? Nam et Mariæ animam gladius pertransisse, dicente Domino, creditur : *Et tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II), quoniam nimirum gladio passionis dolor Christi exprimitur, quo vulneratam Mariæ animam in passione nemo fidelium dubitat. Suavis igitur gladius et valde optabilis, verbum Dei, quo melius quisque occiditur ut vivat, quam si vita vixerit qua pereat. Propterea Christi Ecclesia melius de hujuscemodi interfectis gaudet, quam si fame perierint audiendi verbum Dei. Hinc quoque eos luget quos consumptos fame vel siti, præ sterilitate novit, quia nulla pejor esse potest mors quam qua anima perimitur. Unde Dominus per Prophetam : *Mittam in eos*, inquit, *non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei* (*Amos* VIII). Qua denique fame quisque peremptus fuerit, morte æterna morietur, quia sicut ipsa Veritas dicit : *Non in solo pane vivit homo*. Siquidem integer homo ex duabus constat substantiis, anima videlicet atque carne, et sicut caro sine cibo potuque vivere non potest, ita et anima sine pane verbi Dei potuque spirituali. Propterea et quotidie rogamus in oratione Dominica : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Per panem namque non minus iste quotidianus victus, quam et ille qui de cœlo descendit panis, intelligitur; nec non et iste qui de Scripturis sacris ab esurientibus et sitientibus indesinenter percipitur. **1503** *Beati*, inquit Evangelista, *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V). At vero hi qui tali perimuntur inedia, jure planguntur mortui atque consumpti, præ sterilitate terræ. Sterilitas vero terræ est Ecclesiæ infecunditas, quando doctores deficiunt, et ipsa nullis eloquiorum Dei inebriatur imbribus. Unde constat quod culpa sacerdotum et negligentia docendi, mors et consumptio fit plebis. Moraliter autem melius est occisis gladio verbi, sensibus ne se defendant exterius, intus anima jam quasi mortuos vivere, quam aggregatis virtutibus sine pabulo divini amoris, quasi fame sitique perire. Sterilitas namque virtutum, privatio charitatis est ; qua cum sterilis fuerit anima, virtutes reliquæ omnes fame sitique tabescunt. Et ideo septem filii Job, tres sorores suas per singula vocabant convivia, ut suis reficerentur in domibus : quoniam fides, spes et charitas, septem pascuntur donis Spiritus sancti. Bene igitur singula Spiritus sancti dona, singulis suis in domibus parant convivia, ut ex omnibus una sit domus. Quam sane domum Christus sapientia ædificat, quæ septem fulcitur columnis ne ruat, et septem pascitur donis ne intereat. Alioquin quantalibet virtutum sint dona in animo, nisi eisdem septem Spiritus sancti pascantur donis, quibus charitas in cordibus diffunditur nostris, fame utique sitique deficiunt præ sterilitate terræ. Unde orandum est cum Propheta : *Sicut adipe et pinguedine, ut anima nostra repleatur* (*Psal.* LXII).

JOD.

Manus mulierum per misericordiam coxerunt filios suos : facti sunt cibi earum in contritione filiæ populi mei. Jod quoque littera sequitur, quæ *principium* vel *desolatio* interpretatur. Principium namque desolationis Judæis tunc imminebat, quando mulieres eorum, natos suos quos videbant fame sitique consumi, quasi per misericordiam in cibos coxere. Nulli dubium esse poterit, quicunque historias legerit, eos hoc fecisse : maxime in illa obsidione, teste Josepho, quæ sub Tito et Vespasiano accidisse legitur. Cæterum in hac Christi Ecclesia illi quasi per misericordiam filios decoquunt suos, qui culmine regiminis sublimati, zeli et invidiæ flamma urunt animas natorum, dum minis justi ipsi videri cupiunt, et dum per tyrannicam potestatem eos excruciant, quasi per misericordiam eos zeli flamma **1504** decoquunt. Habent quidem et ipsi secundum Apostolum zelum Dei ita duntaxat, sed non secundum scientiam (*Rom.* X). Quorum profecto cibus decoctio est, cum eos non solum crudeli dominatione quasi pro justitia adurunt, verum etiam cum infirmam et carnalem eorum vitam dentibus rodunt. Hæc namque omnia in contritione Ecclesiæ, quæ est filia populi Dei, apostolorum videlicet et sanctorum ab eis fiunt, qui aut ecclesiastica potestate certe, aut officio sæculari animas tyrannica vexatione exurunt, dum concupiscentiis suis inflammati, filios aut subjectos quos nutrire lacte debuerant doctrinarum, adustione pravæ afflictionis consumunt. Sic itaque tropologice virtutes hypocritarum conceptus suos in animo faciunt, dum simulate quasi per misericordiam, laudis amore vel favoris gratia, in tenera sua adhuc conceptione, virtutes perimunt; et decoquunt in cibos suos : dum non futura, sed præsentis vitæ lucra quærunt, et dum suarum virtutum pascuntur laudibus, quasi proprios et decoctos favoris adustione natos comedunt. Quæ bene mulieres fuisse, taliaque gessisse perhibentur; quia si non muliebria simulatæ virtutis animo sectarentur, non utique conceptus animi bene formatos ad vitam, in mortem vanæ laudis adducerent. Unde sequitur :

CAPH.

Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ, et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus. Tunc sane super Jerusalem complevit Dominus furorem suum, quando completa est malitia illius, sicuti et peccata Armorrhæo-

Introdusă în format electronic de Google

rum, quando deleti sunt. Effudit vero iram indignationis suæ, quando et ipsa se diffudit ad omnia vitiorum scelera; et devoravit fundamenta ejus, quando fundamentum, quod Christus est, noluit recipere. Rejecit sane illum lapidem pretiosum, angularem, fundatum in fundamento totius structuræ nostræ. Qui cum vidisset eamdem miseram Jerusalem, flevit super illam dicens : quod in ea nec lapis super lapidem relinquendus esset (*Matth.* XXIV); seu cætera quæ leguntur. Porro nos, quod valde dolendum est, super nostra Jerusalem pene omnia completa cernimus, quæ propheta irremediabiliter pro suis deflebat profusis lacrymis. Alioquin nisi completus fuisset furor **1505** Domini, effusa contentio super principes non esset nostros, quæ ut cernimus, facit eos errare in invio, et non in via ob iram indignationis Dei. Completa quidem malitia complevit furorem Dei; quia secundum mensuram delictorum, sequitur et pœna. Nam jam hæc omnia quæ cernimus, pœna peccati sunt. Alioquin nisi completa essent scelera nostra, nec Dominus furorem suum complevisset. Quod si alicui necdum completus videtur, cernat jam qui in sordibus sunt, tantum sordescant : sic utique videre poterit ac deflere, quod talia ex completione divini furoris veniant. *Quoniam succensus est ignis in Sion :* non ignis utique ille qui super apostolos de cœlo descendit, sed ille qui oves Job puerosque consumpsit. Habet enim Deus diversum ignem quem emittit de thesauris suis, secundum dispensationis suæ modum : cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem. De quo nimirum igne alios inflammat ut erudiat; alios incendit, ut exurat. Quos cum succenderit, etiam omne fundamentum eorum diripit. Super quod itaque fundamentum si quis ædificaverit ligna, stipulam, fenum, stannum, et plumbum, detrimentum sui patietur; quia uniuscujusque opus ignis probabit, et tunc fundamenta ejus subruunt, quando integra et vera fides a corde, pravis et perversis operibus destruitur. Et quia jam talia in nobis cernimus, non necesse est oculum deflectere cum propheta super Judæorum miserias, verum probabilius, nunc in tempore nostras deflere calamitates : quando ignis concupiscentiarum nostrarum succensus est; quando, ut dixi, universos pene vorax flamma insidiarum ac seditionum devastat; quando in divinis rebus et facultatibus Deo collatis, Babylonis olla succensa a facie aquilonis atque fornax Chaldæorum septuplum succensa, cuncta diripit, et succendit quosque reperit de Chaldæis. Nam sicut prædecessores nostri succensi fuere igne divini amoris, qui hæc Deo dedere, et sanctam Christi Ecclesiam suis ditarunt sumptibus, ita probantur succensi alieno ab igne, qui modo ea devorant et diripiunt; pauperum quidem diripiunt patrimonium, et ideo homicidarum jure rei plectuntur : quoniam, teste Scriptura, qui tollit substantiam eorum, quasi qui mactat in conspectu patris filium. Unde valde timendum est quod furor iste cessare non debeat, donec compleatur ira indignationis Dei, et devoret etiam regni fundamenta. Tropologice vero, quod cuncta fundamenta hypocritarum **1506** seu hæreticorum devorentur ab igne furoris Dei, nulli dubium; eo quod in mente eorum jam ignis ardeat indignationis, et completus sit furor Domini super eos. Unde Job : *Vidi*, inquit, *stultum fixa radice : sed statim maledixi pulchritudini ejus* (*Job* V). Quid igitur scelestius, quam hypocritarum stultia esse probatur? Qui cum suis videantur quasi sanctis operibus stare ac si firma radice, in initio quoque sui decoris vel pulchritudinis suarum virtutum, maledicti habentur et reprobi coram Deo : quorum corda vanis flammantur laudibus, et adulantium concremantur favoribus. Pro quibus omnibus quam bene sequitur :

LAMEI.

Non crediderunt reges terræ et universi habitatores orbis, quod ingrederetur hostis et inimicus portas Jerusalem. Verum secundum litteram, quandiu hæc civitas vallata fuit auxilio Dei, et munita præsidio angelorum, quando fuit in eo judicium et justitia, quando virtutum replebatur bonis, nullus regum vel habitator orbis credere poterat, quod ingrederetur hostis aut inimicus in eam; quia confortaverat Dominus seras portarum ejus, et posuerat finem ejus pacem. Cum autem ipsi aversi sunt ab eo, cujus beneficio muniebantur, recessit ab eis omne Dei præsidium, et facti sunt inter hostes præda; sicuti, nostra nunc Ecclesia juxta mysticos sensus, hinc inde ab hostibus diripitur, ut ita loquar. Quis unquam crederet, vel quis unquam cogitare potuisset in nostris partibus, quod transcurso tempore omnes accidisse conspeximus, doluimus ac deflevimus, et valde pertimuimus? Unde et adhuc hodie non minus pertimescimus, ut piratæ diversis admodum collecti ex familiis, Parisiorum attingerent fines, ecclesiasque Christi hinc inde igne cremarent circa littus. Quis unquam, quæso, crederet quod latrones promiscuæ gentis unquam talia auderent? vel quis æstimare potuisset quod tam gloriosum regnum, tamque munitum et latissimum, tam populosum et firmissimum, talium hominum humiliari vel fœdari sordibus deberet? Et non dico hi quod censum plurimum asportare, et prædas diripere, vel captivos transducere : verum quis credere posset quod tam vilissimi nostros adire fines auderent? Fateor enim, ut ne **1507** æstimo non longe retro, quod nullus ex regibus terræ ista cogitaret, neque ullus habitator nostri orbis audire potuisset, quod Parisium nostrum hostis intraret. Propterea hoc in loco, et si non est quod exponam, est tamen quod defleam et plangam; quoniam, ut sequens versus insinuat, propter peccata populi hæc omnia contigerunt; et propter iniquitates sacerdotum et principium, hinc inde tanta crebrescunt mala : quia perverterunt longe jam diu in medio nostrum, ut ita dicam, judicia justorum, et sanguis sanguinem tetigit; quo cuncti polluti, jam suis cuncta repleverunt dolis et fraudibus. Unde hi versus la-

Introdusă în format electronic de Google

mentis potius sunt exponendi et fletibus, quam ullis sententiarum eloquiis retexendi ; neque triplicitas sensuum requirenda, cum unus sit omnium nostrum casus et ruina. Idcirco dolor cordis in talibus ululatibus et gemitibus est requirendus : ut cum propheta, nostra quæ gessimus mala, deflere possimus, quoniam vibrat Dei gladius, et pendet in cervicibus nostris. Jam securis ad radices arborum posita est : quia infructuosa est mens nostra, Ergo desævit gladius Barbarorum evaginatus ex vagina Domini; et nos miseri torpentes vivimus, inter tam immania Barbarorum mala, inter tam crudelium civium bella, inter diripientium prædas, inter seditiones et fraudes, sed quotidie ad majora exardescimus scelerum mala. Propter quod quasi de nobis, vox plangentis Prophetæ sequitur ·

NUN.

Erraverunt cæci in plateis polluti sanguine. Cumque ingredi non possent, inquit, *tenuerunt lacinias suas.* Patet sensus, quod Scribæ et Pharisæi cæci erraverunt in plateis suis , et quando sanguine cruentabantur humanæ effusionis, fortassis pudore pressi, abstinebant se ab ingressu templi. Et quia effuderunt in medio Jerusalem sanguinem justorum, polluti per plateam incedentes, abstinebant se a templo non sua lugentes peccata, sed adblandientes sibi, per plateas lascivientes ibant. Errabant autem ut cæci, æstimantes quod eos tales purgabat temporis dilatio solummodo, si a templo se cohiberent, de se jactantes quasi fortia quæque gestorum opera haberent, et humilitas monstraretur, *cumque ingredi non possent, tenuerunt lacinias suas.* Laciniæ enim sunt panni vestimentorum veterum, vel cincinni scissurarum, quibus induti, **1508** quasi cæci se invicem sequentes tenebant, ut alter eorum alteri jungeretur, quatenus sub · hac falsa humilitate sacerdotes, qui effuderant sanguinem justorum et prophetæ, populo satisfacerent.

MEM.

Propter peccata prophetarum ejus et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. Unde nostra Jerusalem abundantius luget cum propheta sacerdotes suos et doctores, qui in medio Ecclesiarum Dei effundunt sanguinem justorum, qui utique justi esse possent, nisi ex negligentia eorum deperissent. Unde Dominus per Ezechielem : *Quod si non annuntiaveris*, inquit, *impio omnes iniquitates ejus, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* XVIII). Ut quid igitur sanguis impii de manu sacerdotis exquiritur, nisi quia ipsius culpa sanguis ejus, peccatum scilicet, usque ad mortem funditur? Etiam et nonnunquam qui videbantur justi, eorum exemplis et doctrina pravitatis, ad terram usque veniunt, et peccati profusius sanguine polluti perimentur. Qui profecto sacerdotes et prophetæ cæci erraverunt in plateis, dum latam et spatiosam præsentis sæculi viam apprehendentes, angustam ex Evangelio noluerunt ingredi viam, quæ ducit ad templum cœlestis patriæ, ita polluti suorum inquinamentis delictorum, nec ipsi introierunt, nec alios intrare permiserunt. Et hoc est quod ait : *sanguinem justorum effuderunt in medio ejus.* Id est, in medio Ecclesiæ quæ vera est Jerusalem; et est mater omnium nostrum. In cujus nimirum medio cæci errantes effundunt sanguinem justorum, quando suis pravis vitæ exemplis, eos ad peccandum proclivius invitant, et scelestius effundunt. Qui cum ad illud veri Dei templum ingredi jam suis polluti contagiis nequeunt, tenent lacinias suas, id est discissam et dilaceratam vetustatis suæ vitam, quasi cæci oberrantes. Tenent invicem lacinias suas sacerdotes Christi, vetustam videlicet et contaminatam vitam, ut comprobetur illud ex Evangelio : Quia *si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV). Et hoc est quod deplorat propheta, imo electorum omnium chorus, maxime nunc in tempore, quando sic omnes cæcati latam et spatiosam viam ambulant, et tenent ad invicem lacinias suas polluti sanguine, nec valent apprehendere vias vitæ, neque se a suis explicare viarum anfractibus. Tenent igitur lacinias suas **1509** ad invicem, uti cæci se sequentes, quia ducem Christum sequi nolunt : et ideo vetustate delictorum vestiti, discissam et disruptam vitam sequuntur. Sed et hæreticorum deplorat cæcitatem, qui relinquentes rectum Scripturarum tramitem, catholicamque fidei regulam, latitudinem erroris delegerunt polluti sanguine eorum, quorum suis erroribus animas perimunt deceptorum. Qui cum catholicam nequeunt introire, quia nolunt, Ecclesiam, tenent lacinias suas invicem : discissiones videlicet Scripturarum, vel dilacerationes quas ipsi sua diripuerunt fraude. Sic itaque et virtutum chorus moraliter amissa prudentia, populositate ejus intus cæcati ambulant. Ambulant siquidem viam appetitus vani ut cæci in plateis : quia carent luce quæ Christus est ; et dum viam eumdemque Christum tenere nequeunt, dum extra se semper ob vani favoris gratiam se diffundunt, tenent invicem lacinias vetustatis suæ ; et explere vias virtutum nequeunt : quoniam vetustate vitiorum vestiuntur, dum polluta eorum mens et conscientia, platearum semper vanæ laudis amplissima sectantur. De quibus bene subditur :

SAMECH.

Recedite, polluti, clamaverunt eis : recedite, abite, nolite tangere. Jurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes : Non addet ultra, ut habitet in eis. Fortassis ergo per exaggerationem propheta Judæorum immanissima deflet scelera : intantum, ut sic vitiis et peccatis fuerint deturpati, quatenus hostes eorum et adversarii portas Jerusalem insperate ingressi obruerint, et clamaverint eis exprobrando : Recedite vestris polluti criminibus ; recedite a sanctuario Dei, vestris multis et immensis fœdati delictorum contagiis. Ac deinde scelesti Judæi atque hostes eorum quid egerint, propheta lugendo infert : *Jurgati quippe sunt*, inquit, *et commoti.* Sci-

Introdusă în format electronic de Google

licet illi commoti ad jurgia : isti vero ad lacrymas, et contritionem cordis ; illi ut magis magisque opprobria inferrent et blasphemias : isti ad luctum et confusionem diræ calamitatis. Et dixerunt inter gentes : *Non addet ultra, ut inhabitet in eis Deus eorum.* Ad utrumque igitur, inter gentes, referri potest : ut sit sensus, quod illi captivitatis hæc dixerint inter gentes, aut certe. Non addet ultra inter gentes ut habitet in eis : inter quas etiam Deum verum et vivum deserentes, idola coluerunt. Sed **1510** et ipsi, ut sequens versus insinuat, quia facies Domini divisit eos, fortassis inter se jurgati sunt, ut polluti sanguine delictorum, eisdem simili modo pollutis clamaverint : *Recedite;* uti mos est eorum, qui volunt justi videri, et aspernantur cæteros. Unde et jurgium inter eos quam sæpe contingere solet. Quod Ecclesia Christi cum propheta talia inter membra sua cernens, quasi profanos luget. Illos siquidem, quia cæci et polluti ingredi nequeunt Dei vivi Ecclesiam, et sacris participare mysteriis, forte sub pœnitentia redacti : istos vero cum sint et ipsi polluti, quasi pro zelo Dei, quia cæteros aspernantes despiciunt. Cum ergo tales justi appetunt videri, qui necdum in aperto deprehendi queunt, et ad alios qui jam aut lapsi sunt et correcti, aut labuntur adhuc, in manifesto delinquunt, erecto despiciunt supercilio et objurgant, quid aliud agere videntur, quam clamare illis ac dicere : Recedite a nobis, et a sacramentis Dei, quibus nos jure fruimur? Recedite a nobis, et abite ad eos quorum consortes estis. Nolite tangere sancta Dei his qui indigni estis. Quæ nimirum jurgia inter nos et ipsi quam sæpe sentimus, dum quidam male inflati, suis se delitescentes occultant fraudibus, et dum sanctiores semper appetunt videri, non solum quosdam publice deprehensos aut confessos despiciunt, verumetiam sanctiores derogant quasi pestes Ecclesiæ, et corrodunt. Qui profecto quotidie quid aliud, quam dum aut omnes immundos esse et pollutos, solummodo ut se justos esse commendent, et exprobrant cæteros. De quo forte clamore Apostolus : *Omnis ira*, inquit, *et indignatio, clamor et blasphemia, tollatur a vobis, cum omni malitia* (*Ephes.* IV). Quoniam talis clamor non nisi aut ab ira, aut ab indignatione cordis, de supercilio superbiæ, certe aut ex aliqua malitia nascitur. Et ideo quam pulchre dixit : *Cum omni malitia tollatur a vobis.* Alioquin quando proximos nostros corrigimus, aut reprehendimus, aut exprobramus foris, nisi prius intus a nobis tollatur malitia, clamorem facimus. Unde quam sæpe lites inter proximos et jurgia fiunt, quia nonnullæ increpationes eorum et correptiones, ex malitia pravæ invectionis, et non ex amore castæ dilectionis **1511** cum discretione veniunt. Ideo et signanter ait : *Jurgati sunt et commoti,* siquidem commoti, quia jurgati, et jurgati quia commoti. Alioquin non commoverentur, nisi jurgati prius intus essent in animo ; neque invicem jurgarentur, nisi et prius commoti essent. Commoti quippe sunt, quia in eo non steterunt, qui semper idem est et jurgatur. Pacem prius intus amiserunt ac delectionis amorem. Propterea et de talibus recte inter gentes dicitur. Non addet ultra, ut habitet in eis Deus, quoniam ubi pax et concordia non est, Deus esse non potest : quia factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in specula sacræ contemplationis. Inter gentes namque propter nos, sicut ait Apostolus, quia nomen Dei blasphemetur. Talis quippe est sceleratorum inflatio, talia superborum jurgia, talisque adinvicem despectio et abjectio reproborum, hæreticorum quoque contra catholicam fidem, maxime Donatistarum, et eorum qui Catharos se vocant. Hæc vobis qui dicunt : *Recedite* a nobis, quoniam ex omnibus nos mundi sumus, vos autem polluti ; recedite et abite, nolite nos tangere, ne forte a vobis coinquinemur. Sed et ipsi hæretici inter se jurgati sunt, dum diversis se impugnant hæresibus. Commoti vero, quia in recta fide stare noluerunt. Moverunt quidem pedes ab oriente, donec venirent in campum confusionis suæ, id est Babel, ubi turrim superbiæ construentes, divisionem meruerunt percipere linguarum. Qua ex causa apte sequitur :

AIN.

Facies Domini divisit eos : non addat ut respiciat eos. Et ideo satis congrue, quia et ipsi, sicut sequitur, facies sacerdotum non erubuerunt : imo in sacerdotibus suis Deum contempserunt, ac propterea quia in eis faciem Domini non sunt reveriti, divisit eos ipsa facies Domini, ut de reciprocatione vindictam exciperent suæ damnationis. Nam sicut in Psalmo canitur, quia non timuerunt Dominum perfidi Judæi, extendit manum suam in retribuendo. Sed nec sicut, cum multis prius corrigerentur angustiarum flagellis, conversi sunt, ut Christum ex lege repromissum susciperent ; imo contaminaverunt testamentum ejus, cum eum qui testamento legis ad salutem pronuntiatus fuerat, repulerunt. Et ideo quia repulerunt eum, neque facies erubuerunt sacerdotum et prophetarum, merito divisi sunt ab ira vultus **1512** ejus : et hoc est dicere, facies Domini divisit eos. Illos autem ab ira vultus sui civitate ad ultimum eversa divisit, quando partem eorum in perfidia reliquit, ponens eos cum infidelibus ; ac dispersit in omnia regna terrarum : partem vero ut Scriptura testatur (*Luc.* XII), ad fidem sanctam Christus recepit. Eadem quippe est facies Dei, quæ et vultus. Sed ira quæ in vultu aut facie sæpe demonstratur, divisit eos : quoniam mitissimum Deum ad iracundiam provocaverunt, quando de malis actibus suis pœnitudinem cordis recipere noluerunt. Cæterum Christi Ecclesia plangit eos irremediabiliter qui timorem Dei a se rejicientes, facies sacerdotum infra eamdem Ecclesiam non erubescunt : quia jam eorum excrescentibus culpis, facies Domini et ira vultus ejus divisit eos ab his qui præsciti et prædestinati sunt ad vitam : *Nec addat ut respiciat eos.* Et notandum quam terribile sit sacer-

Introdusă în format electronic de Google

dotes Christi contemnere, coramque facie eorum non revereri, neque illis monentibus a malis actibus cessare, quod est eorum facies non erubescere. Unde idem per se Dominus de ipsis : *Qui vos audit*, inquit, *me audit ; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Sane non audire, non obedire ; non obedire vero, spernere : porro spernere, non erubescere est. Ac propterea valde horrendum est quod infertur : *Nec addat ut respiciat eos.* Quia quos non respicit, non convertuntur, et qui non convertuntur, utique damnantur, quoniam facies Domini divisit eos a sanctis suis. Hinc quoque ne Petrus divisus esset ab ira vultus ejus, respexit eum Dominus ; et quia ille respexit, conversus idem, flevit amare ; sicque receptus in corpore, meruit audire : *Petre, amas me? pasce oves meas* (*Matth.* xxvi). Unde velim nostri intelligant quam terribile sit facies sacerdotum, aut eorum quos vice Christi susceperunt, non erubescere : ne forte offensus Dominus non addat ut convertantur, et respiciat eos. Jam vero hujuscemodi divisio quid aliud insinuat, nisi quod in illa extremi examinis judicatione futurum est, quando dividentur perfidi et scelerati a sanctis, et fidelibus, et justis : quando arsuræ paleæ segregabuntur ab ira vultus Dei a granis tritici, ut triticum colligatur in horreum Dei ; paleæ vero dentur igni inexstinguibili ? Quod autem dicitur, quia *facies Dei divisit eos*, quid est aliud dicere, nisi quia ira Dei segregavit eos a bonis et justis atque electis Dei ? Ira quippe vel facies pro vindicta ponitur ; quoniam idem Dominus **1513** cum tranquillitate judicat omnia : eo quod facies ejus incommutabiliter cuncta judicat, et disponit, et placide quæque decernit. Sed quia facies contempserunt sacerdotum, nec miserti sunt senum, recte facies Domini divisit eos. Et notandum quod supra eosdem sacerdotes quasi homicidas planxerit, ita dicens : *Propter peccata prophetarum et iniquitates sacerdotum ejus, hostis et inimicus ingressus est in Jerusalem.* Ex quo patet, quamvis mali sint quod non sint contemnendi, sed in eis venerandus est ille et colendus cujus sunt sacerdotes, et in cujus nomine ac persona veniunt. Et ipsi quidem oberrant cæci in plateis ac polluti sanguine, non ideo sunt a populo conculcandi, et eorum officio mox sine præjudicio contemnendi ; quoniam hinc jurgia nascuntur et despectio Christianæ religionis : hinc inde indignatio et clamor, hinc blasphemiæ et contemptus ; quod prior versus satis dolens deflevit, cum dicerent hi clamantes : *Recedite, polluti, recedite : abite et nolite tangere.* Constat igitur quod ubi nostra religio sic confunditur, ibi Dei desævit ira, et nullus ordo servatur ; quando hinc inde dextra lævaque isti se applaudunt hypocritarum sub specie : illi aut publicis se polluunt criminibus, aut se male delitescunt sub ignavia torporis. Qui omnes quamsæpe jurgantur ad invicem ; quoniam facies Domini divisit eos a sanctis et fidelibus, etiamsi intus eos versari corpore videatur. Interea et hæreticorum diversitas designatur, qui se suis adinvicem impugnant errorum falsitatibus, eo quod jam propter pœnam peccati damnati recipere nolunt sanam doctrinam Christi. Divisi quidem sunt adinvicem propter proprietatem pravæ adinventionis, et ideo nec sibi nec ulli catholicorum convenire possunt : unde facies eorum qui sanam confitentur doctrinam minime erubescunt, neque miserentur senum. Talibus enim quia vindicta Dei propter peccata divisit, non minus adinvicem inter se quam et ab omnibus orthodoxis, non addit ultra ut misereatur neque respiciat, sicuti nec Cain fratricidam, neque munera ejus respexisse dicitur (*Gen.* iv). Horum itaque omnium jurgia commoverunt eos de statu rectæ fidei, et ad vana quælibet ut superbe saperent, pepulerunt. Pro quibus adhuc vox plangentis prophetæ apte sequitur :

PHE.

Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi **1514** *nostri ad auxilium nostrum in vanum : cum respiceremus autem ad gentem quæ salvare nos non poterat.* Hoc quippe loco secundum historiam miseræ gentis deplorat propheta errorem, quod magis auxilium Ægypti et Pharaonis quam Dei expetierint. Qui cum adhuc subsistere viderentur, jam pene consumpti erant, et oculi eorum ad eos respicientes tabefacti, respicientes ad gentem quæ nec se, nec eos salvare poterat. Quod satis idem Jeremias longe supra latius exponit, et si nunc hoc in loco illud acrius atque immanius deplorat. Sic itaque et eorum vox est infra Ecclesiam plangentium, qui se longe diu vanis demulcent spebus, et sæculi occupantur actibus. Qui cum tacti fuerint mortis infirmitate, aut tentatione aliqua, inveniunt se non solum nudos, verum etiam cæcos ita gementes : *Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum.* Adhuc ergo subsistit quodammodo, quisquis in carne positus fidem, quamvis sine operibus rectam tenet. Sed cum vana sectatur sæculi, aliqua tactus molestia, invenit oculos defecisse suos, quod ad caduca et labentia sæculi defixerat, vanumque auxilium quæsisse ; quia quanto intentionem cordis ad ea posuerat obtinenda, tanto ab interno lumine intus et gratia emarcuerat. Unde bene ad se réversus gemens, probat vanum fuisse, ad quod quærendum oculos defixerat. Et quia sæpe ob concupiscentiam rerum acquisitarum, totam spem suam in divitibus sæculi et potentioribus committunt, ut per eos obtineant ardentius quæ ambiunt, apte sequitur : *Cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat.* De qua profecto gente, id est divitibus, propheta : *Ululate*, inquit, *miseri, et plorate super miseriis quæ advenient vobis.* Ad quos cum attenditur et speratur in eis auxilium salutis, quid nisi miseriarum luctus eveniet, cum nec se nec alios salvare potest ? *Maledictus*, inquit propheta, *omnis qui spem suam ponit in homine, et ponit carnem brachium suum, ut a Domino recedat cor ejus.* Quod satis etiam et de hæreticis congrue accipitur, et de his qui eorum vanum auxilium requirunt ; quoniam oculi eorum vana

Introdusă în format electronic de Google

scrutantes, et falsa Scripturarum eloquia, magis magisque tabescunt ac deficiunt : et cum eos eorum auditores diligentius intendunt ad gentem quæ salvare non potest, oculos in vanum levant. Quapropter adhuc vos dolentium ac gentium eorum ex persona recte sequitur.

1515 SADE.

Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum : appropinquavit finis noster : completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. Nulli dubium quod hæc lamenta Judæis congruant, quando sub articulo mortis sua singuli revolvebant gestorum facta. Sed et propheta eorum omnium in se assumit fletus ac lamenta, quod tam amara et insperata captivitatis mala exigentibus culpis gentis suæ, subito contigerint. Quod non minus etiam de Ecclesia Christi jure plangitur, quando eos qui latam et spatiosam sæculi viam arripiunt aspicimus. Plangit enim Ecclesia eorum lasciviam, qui lubricam vitiorum sectantur viam, qui necdum supra petram, quæ Christus est, rectos fixerunt gressus. Pro quibus lugens ita gemit : *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.* Alioquin nisi platearum itinera quæsissent, pedes a recto non lubricassent. Unde Dominus : *Exi cito*, inquit, *in plateas et vicos civitatis : pauperes ac debiles compelle intrare, ut impleatur domus mea* (*Luc.* XIV). Ex quo patet sensus : qui adhuc latam et spatiosam tenent viam, ante oculos interni judicis, quod foris sint, et si corpore intro videantur. Extra domum quæ Christi est Ecclesia, lascivientes lubricant. Lubrica sunt enim itinera platearum et proclivia. Idcirco David gratulabundus canit : *Statuit*, inquit, *supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Psal.* XXXIX). Et alibi : *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuit* (*Psal.* XVII). Cæterum lata platearum via, feculenta, plena luto et sordibus : in qua qui ambulat non absque lapsu ruinæ suæ graditur. Ili vero quorum supra petram solidantur pedes, recto calle viarum ambulant, tanquam pedes cervorum, nulla serpentium venena timent, dum semper ad ardua et excelsa festinant. Nolunt enim lubrica vitare vestigia, et non in incerto divitiarum, vel labenti sæculo spem ullam ponere : imo beatos cum propheta existimant, eo quod vanitates non attendant : neque sectantur insanias stultorum falsas. Qui cum prævidere nolunt quam cito labantur quæ diligunt, subito appropinquasse finem vitæ gemunt, dum insperate falsa fuisse sentiunt, quæ tenuerunt. Hinc est quod formidolosius lugent : *appropinquavit finis noster : completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.* Non enim semper completio **1516** in bono ponitur, sicuti habes, quia necdum completa sunt peccata Amorrhæorum (*Gen.* XV). Quorum completio finis fuit eorum qui compleverant atque exterminium : uti et istorum, quorum ex persona prophetæ talia contigisse amarius luget. Completi namque dies plangantur, qui compleverant illis scelera et mensuram patrum suorum. Qui nimirum dies peccandi cum completi fuerint, finis venit. Prius enim appropinquat, quandiu securis ad radicem posita suspensa in manu pendet. Cum vero completa fuerint scelera delictorum, complentur dies, quia venit finis æternæ retributionis. Interea et hæreticorum vox est, quando sero intellexerunt quam lubrica in Scripturis sacris eorum vestigia fuerint, et quam latam arripiunt viam, dum nolunt regulas catholicorum Patrum tenere, neque viam, quæ Christus est, rectis gressibus ambulare ; sed unusquisque eorum easdem Scripturas Dei a recto deflectere, et ad suæ perversitatis vias latius diffundere : et dum nec præfinitos Patrum terminos neque tritam Scripturarum semitam volunt incedere, lubricaverunt vestigia eorum in itinere platearum, quia amplam et laciniosam sectati sunt disputationis suæ doctrinam ; et non dico Scripturarum sanctarum, verum etiam philosophorum corruperunt eloquia. Idcirco lubrica tenentes deciderunt in mortem, et venit finis cum omni confusione atque perditione suæ damnationis. Hinc sequitur.

CCPII

Velociores fuerunt persecutores nostri aquis cœli, super montes persecuti sunt nos : in deserto insidiati, sunt nobis. Hæc hyperbolice dicta sunt de Judæis, sicuti Jonathas et Saul, velociores aquilis fuisse, in threnis David laudantur. Cæterum quia propheta omnium in se lamenta, personas et voces, ut diximus, assumit, plangit persecutiones Ecclesiæ ; cujus utique persecutores velociores aquilis cœli jure planguntur : quia immundi spiritus ad dilacerandum et devorandum velociores sanctis prædicatoribus fiunt suæ fraudis nequitia, et agilitate naturæ. Habet namque Ecclesia aquilas suas sibi ad obsequium electas ; de quibus in Evangelio Dominus : *Ubi fuerit corpus*, inquit, *ibi congregabuntur aquilæ* (*Luc.* XVII) : quia ubi passio Christi celebratur et corpus immolatur nostræ salutis, ibi aquilæ cœli aggregantur quasi ad escam et adveniunt : ut de **1517** morte carnis ejus, vitam percipiant, et refectionem perpetuæ satietatis. Ex quo profecto propheta luget, luget et Ecclesia Christi : quia velociores sunt hostes nostri, scilicet aereæ potestates, et immundi spiritus, eo quod nulla potestas super terram sit quæ valeat eis comparari. Unde potestas eorum et violenta celeritas persequendi deploratur, quando non dico per suos, verum etiam per seipsos velocius circumeunt ac desæviunt, quærentes ab Ecclesia diripere violenter quos devorent. Super montes quoque persecuti sunt nos, quia dum ad altiora ecclesiastici ordinis culmina extollimur, acrius eos ad persequendos nos excitamus, et licet super specula apostolicæ celsitudinis positi, quasi in monte videamur, non ideo securi esse debemus, quia eos fortius persequuntur, quos ad hoc super montes elevatos viderint, ut cæteros diligentius inspiciant, et ad culmina virtutum perducant. *In Deserto*, inquit, *insidiati sunt nobis.* Per desertum namque eorum

Introdusă în format electronic de Google

vita designatur, qui aut sub monastica degunt disciplina, aut anachoreticam longe diu probati ducunt vitam. Hi duo in Ecclesia ordines, agonizando contra invisibiles instantius decertare hostes, et ideo contra hostes velocius atque fortius bella persequendo movent. Illos siquidem in manifesto quasi super montes debellando; istis vero remotiorem ducentibus vitam, insidiando. Qui profecto utrique cœli aquilæ dicuntur, quia cœlestia sectantur et ardua. Sed, quod gravius est plangendum, velociores quam sæpe illis hostes inveniuntur ad decipiendum, quam hi ad præcavendum, certe aut reluctandum. Unde et, cum propheta, Christi interdum plorat Ecclesia, quod velociores sint hostes ejus et adversarii electis suis, qui jam calcatis omnibus terrenis cœlestia incolunt : ita ut interdum plures decipiant, non dico ex plebe toto ordine, verum et ex ipsis, qui aut pastores sunt, aut perfectæ quietis elegere vitam. Ex quo longe supra idem propheta valde plorat dicens :

Grex perditus factus est populus meus : pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. Ubi non solum hæreticorum plangit seductionem, verum et eorum qui in Ecclesia malis suis exemplis animas decipiunt subditorum. Quas transire faciunt de monte ad collem, dum per fastum superbiæ obtinere nituntur dignitates rerum, et potentiam **1518** sæcularis gloriæ. Transeunt ergo et hæretici de monte ad collem, quando de una ad aliam insiliunt pravitatis suæ doctrinam, semper quidem vagi, et nunquam stabiles. Propterea et grex Domini perditus est : quia idem hæretici quam sæpe in disputando velociores sunt aquilis cœli, scilicet Ecclesiæ doctoribus et rectoribus plebis quos persequuntur, super doctrinam scilicet apostolorum et sanctorum omnium electorum. Illis vero qui remotioris vitæ sectantur otium, insidiantur fraudibus, et decipiunt calliditatis suæ eloquiis. Quos omnes sub uno lamento recte Christi deplorat Ecclesia, quia in his omnibus infirmatur, et sub hujuscemodi præstigiis, quasi alarum avium præpeditur remigiis. Hinc est quod tantis urgemur malis non minus in occulto quam et in aperto. Siquidem in occulto, si in die vigent; in aperto vero contra Christi athletas persecutio super montes sævit, ut et eos perimat, et plebem deinceps illis dejectis crudelius sternat. Hinc quoque Dominus per prophetam : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII). Quo percusso, apostoli omnes fugerunt; et inde est quod sequitur :

RES.

Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris : cui diximus in gentibus : Sub umbra tua vivemus. Hoc namque Judæi de Josia dictum accipiunt, quod justissimus rex non suis, sed populi peccatis captus sit in mortem, in quo totam spem suam posuerant, etiamsi in gentibus devenissent. Sed super eum videtur non stare hic sensus, quoniam nec ipse spiritus oris eorum fuit, nec in umbra ejus demum in gentibus translati vivere potuissent. Imo de Christo velint nolint accipiendum, quod spiritus oris nostri Christus Dominus, captus sit in peccatis nostris. Ex quo manifeste, non minus divinitas ejus quam et humanitas sub una eademque persona capta designatur. *Spiritus*, inquit, *oris nostri Dominus Christus.* Nam cum dicit : *Spiritus oris nostri*, ejus divinitas declaratur : cum vero *Christus Dominus*, manifeste humanitas exprimitur, quia recte Spiritus Deus tota Trinitas intelligitur ; quamvis hoc in loco solummodo Patris Verbum accipiatur. Unde Moyses in Deuteronomio : *Prope est*, inquit, *verbum in ore tuo et corde tuo.* Quod est dicere : Prope est spiritus oris **1519** nostri et cordis nostri Deus, quia omnia replet et continet : in quo *vivimus*, juxta Apostolum, *movemur et sumus.* Et ideo sanctus David supplicando, cum Trinitatem vellet distinguere in personis, *Spiritum rectum*, inquit, *innova in visceribus meis* (*Psal.* L) : ex quo Filius designatur; *et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, cum persona sancti Spiritus aperitur. Quod autem ad ultimum Spiritu principali confirmari exoptat, Patris manifestatur proprietas; tamen tota Trinitas Deus recte Spiritus prædicatur. Hoc vero in loco spiritus oris nostri Christus Dominus catholice captus dicitur, quia in una eademque persona divinitas simul Verbi et humanitas tenetur. Unde jure incomprehensibilis comprehensus creditur, et incapabilis capitur, nec non et alia quamplura, quæ simul de Deo et homine sub una Christi persona prædicantur. Sed spiritus oris nostri quam bene Christus Dominus appellatur, quia quem corde per fidem intus gustamus, ore confitemur; ut sit illis nobis ad justitiam, istud vero confessionis ad salutem. Oris est autem aspirare et respirare, quatenus per infusionem gratiæ, quod intus trahitur, foris respiretur confessionis ad profectum. Verumtamen eorum ista vox est, qua dicitur : *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* Qui nihil aliud in ore habent, nisi verbum veritatis, quod Christus est : nihil in corde, quoniam ex abundantia cordis os loquitur, ac per hoc sanctorum est iste gemitus et ululatus. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Quia idem pro omnibus captus et mortuus est, ut omnium peccata deleret; non enim pro suis, qui nulla habuit vestigia delictorum, sed pro nostris et in nostris tentus est peccatis : quatenus ea deleret, et auferret chirographum quod adversum nos erat delictorum. Neque credendum, quod talis tantusque propheta de spiritu isto aereo dicat aut flatu, quem ex aere infra nos trahimus, cum aspirando eum percipimus, vel cum respirando rursu reddimus; sed de spiritu qui Deus Verbum est : quem corde credimus ad justitiam, ore autem confitemur ad salutem. Alioquin flatus oris nostri aut spiritus iste aereus, nec Dominus nec Christus est, nec capitur nec tenetur cum rejicitur : non dico pro peccatis, verum nec pro ullis usibus, neque de quolibet alio

Introdusă în format electronic de Google

accipi potest, nisi de eo, qui in duabus substantiis unus est Christus; **1520** ac per hoc, spiritus oris nostri, scilicet Verbum Patris et homo Christus Dominus, unus idemque Deus, qui captus est pro peccatis omnium; cui recte diximus : *In umbra tua vivemus in gentibus.* Propterea et nos ipsi etiam cum propheta exspectantes promissæ adoptionis gratiam, infra nosmet gemimus atque dicimus : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Et tunc sane hoc digne cum nihil aliud in corde aut in ore gestamus ; sed totum quod infra interiorem hominem trajicimus, aut ipse aut ex ipso est, et quod ore proferimus, de ipso et ad ipsum est. Sic quippe interior homo vivificatur, pascitur , sicque animatus continuatim renovatur. Vivificatur vero quotidie in eo in quo est, et qui in eo est, enutritur : atque per fidem intus forisve Christus amplectitur et profertur; et sicut flatus iste aereus ex eo habet quod capitur ad quem respirat, rursus exterior homo vivificatur ut aspiret, ita et noster homo interior necesse habet per fidem, spiritum Deum intus corde susceptum habere, quatenus ab eo, atque per eum, atque in ipso possit vivere, vivendo vero votis omnibus ad eum respirare, atque sua quæque intima in eum et coram eo effundere. Qui profecto talis apte potest dicere : *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.* Captus est ergo in peccatis nostris, ut peccata a nobis expelleret, seque intromitteret, ut nos Deus Spiritus inter possessos vivificaret, vivificatos vero semper possideret, quatenus nos a se et in se, ad se ipsum respirare concederet. Quo denique spiritu intus recreati, dicamus cum Propheta : *In umbra tua vivemus in gentibus.* Quoniam ipse est exspectatio gentium et Salvator earum : ipse est semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes gentes terræ. Cui profecto propheta bene corde dixerat, et ore confessus fuerat : *In umbra tua vivemus in gentibus.* Quoniam ipse venturus in carne erat Christus Dominus, quem gentes regem et Deum susceptura sub ejus umbra deinceps salvatæ cum sanctis requiescerent; et hoc est dicere : *Sub umbra tua vivemus in gentibus.* Non de præsenti aut præterito, sed de futuro. Quasi diceret : Quia tunc melius cum eis gentibus vivemus, cum ipse advenerit repromissus spiritus oris nostri Christus Dominus, qui captus est in peccatis nostris, in **1521** quibus mortui eramus; et vivificaverit mortalia corpora per inhabitantem spiritum ejus in nobis, et tulerit quod adversum nos est chirographum peccati. Unde alibi David : *Sub umbra,* inquit, *alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt* (*Psal.* XVI). Senserat enim ardores concupiscentiarum æstu vexatos libidinis, et ideo sub umbra alarum Dei se protegi exoptat, quatenus a flamma tam diræ exustionis illæsus requiescat. Hinc quoque et beatæ Mariæ promittitur : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I), ne ullis concupiscentiarum motibus vaporaretur, ut adustionem incendii sentiret, quæ de Spiritu sancto conceptura erat. Captus enim Christus Dominus cum dicitur, caro ejus nihil aliud quam umbra fuit, quoniam sub umbra passionis suæ nos protexit, et sub umbra corporis ejus nos salvavit. Quid igitur putas, quantum nobis aperta conferre poterit claritas virtutis ejus, et sol justitiæ cum refulserit, si tantum contulit humilitas carnis, et exinanitio divinæ majestatis? Per umbram namque lepra curata est, et per fimbriam Dominicæ vestis, illius feminæ stetit sanguis : per umbram quoque eum vidimus, quando non habebat speciem neque decorem. Caro quippe ejus, ut diximus, umbra fuit, quæ nostrarum refrigeravit æstus cupiditatum, quæ restinxit ignes libidinum : quæ avaritiæ diversarumque passionum incendia temperavit. Et quid dicam de umbra Domini, sub qua vivimus inter gentes, et in quam gentes sperasse legimus, quando et apostolorum umbra sanabat ægrotos, vivificabat languidos? Veniente enim Petro, offerebantur infirmi : quos transeuntis apostoli umbra reddebat sanitati (*Act.* V). Unde caro Domini, quid aliud quam umbra fuit? De qua profecto carne propheta dicit : *Ecce Dominus sedet super nubem levem, et venit in Ægyptum* (*Isa.* XIV). Sed et nubes levis et lucida obumbrabat apostolos, ne sol iniquitatis eos exureret. Sub cujus nimirum umbra quod futurum propheta denuntiabat, jam vivimus in gentibus et requiescimus sub umbra protectionis ejus. Nam idem propheta in umbra eum videbat, quamvis in spiritu, cum adhuc fides prima hæc de eo gentibus nuntiabatur ; sed nunc jam totum illuminat mundum, quamvis adhuc eum per sui corporis, quæ est Ecclesia Dei vivi, umbram videmus. Nondum enim facie ad faciem, quia nullius corporis oculi divinitatis ejus possunt recipere fulgorem, et ideo quasi sub umbra quotidie totum protegit orbem terrarum, et nos in gentibus **1522** spe viva regeneratos quasi sub umbra vivere concedit. Nullum enim remedium erat, nisi in adventu Domini nostri Jesu Christi, qui solis desperatis possit afferre medicinam. Unde et supra sub Coph littera, quasi conclusus jacebat. Hoc quippe Coph *littera* sonare dicitur. *Appropinquavit enim tempus nostrum, completi sunt dies nostri , quia venit finis noster.* Hæc namque conclusio desperationem afferret, nisi adventus Domini nos relevaret. Unde idem in spiritu recreatur. *Spiritus,* inquit, oris nostri ante faciem nostram, Christus Dominus comprehensus est in peccatis nostris. Et notandum quod omnis lamenti intentio ad hunc decurrit finem, in quo totius mœroris ac doloris finis imponitur ; ac deinceps in sequentibus versibus, quasi bivium demonstratur, quoniam cœlestis et redempta Jerusalem dexteram tenet ; eadem vero sanguinibus peccatorum fœdata lævam petit. Unde huic væ futurum imminet : ab Jerusalem vero Christus Dominus omnem lacrymam absterget : quoniam crux Domini tribunal judicii fuisse probatur, dum unus eorum qui hinc inde pependerant, per fidem assumitur, alter blasphemia damnatus in interitu æternæ mortis relinquitur ; quia pendentem coram oculis per fidem recipere contempsit vitam

Introdusă în format electronic de Google

Nam quod dicit *captus est*, præteritum posuit quod futurum erat, more omnium eorum, qui in divinis repromissionibus pro futuris præterita posuere. Est itaque et hoc in ejulatu, nimia sequentis discretio lamenti, quo sanctorum omnium luctus terminatur, et gaudium post mœrorem et tristitiam incipitur. In illis vero duobus lamenti versibus, a gaudio væ ultimum inchoatur : quod nullo terminatur doloris ac cruciatus remedio. Unde sequitur :

SIN.

Gaude et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra : Ad te quoque perveniet calix : inebriaberis atque nudaberis. Inimicos semper fuisse Jerosolymitis non dico Edom, verum etiam omnes gentes per circuitum, nemo qui historias aut prophetas legit, dubitat. Et ideo quia contra Dominum contraque ejus auxilium, hi exsultando de malis quæ acciderant lætati sunt, digne quasi de reciprocatione percepere vindictam furoris Domini. Inebriatur autem Edom de vino ex quo omnes gentes supra biberunt, et ex poculo illo Babylonis aureo. Propterea dicitur : *Ad te usque perveniet calix : inebriaberis et nudaberis.* Quia hæc dicit **1523** Dominus : Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent; et ad ultimum civitates ejus, inquit, erunt in solitudines sempiternas, et a voce ruinæ ejus commota est omnis terra. Quæ omnia licet completa sint in illa vastatione gladii Babylonis, et rursus Babylon ipsa exterminata in ira furoris Dei, tamen melius de illo ultimo judicii die cuncta accipiuntur, quando post vindictam solitudo sempiterna sequetur. Et ideo non minus planctus iste contra Babylonem assumitur, quia juxta mysticos intellectus per Edom et Babylonem unum est quod significatur. Nam ab initio sæculi quæ tantummodo colliguntur civitates et ædificantur : quarum una Jerusalem, altera vero Edom aut Babylon : una earum quæ plangit cum propheta, et dolet et parturit; altera vero quæ nescit in quibusdam suorum cur plangatur, siquidem unam earum Christus ædificat; alteram vero diabolus, qui quam sæpe in prophetis, Nabuchodonosor vocatur. Et Babylon illa est civitas perditorum, quæ inebriat omnem terram vino iniquitatis suæ. De qua idem propheta : *Calix aureus*, inquit, *Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram* (*Jerem.* LI). De vino furoris ejus biberunt omnes gentes. De quo nimirum calicis vino etiam Edom potata plangitur, et ideo contra eam non monentis vox, sed per ironiam insultantis profertur, vel contradicentis, quod nunquam gaudere debeat neque lætari, ad quam in fine furor Domini pervenerit. Edom namque *sanguinolentus* vel *rufus* interpretatur. Ille est igitur sanguinolentus atque hispidus populus, qui quæ carnis sunt sectatur, et, pro præsentis vitæ illecebris, redemptionis æternæ perdidit primogenita. Hinc est quod dicitur : *Quæ habitas in terra*. Alioquin nisi in terrenis actibus mentem posuisset, nequaquam inebriaretur aureo illo Babylonis poculo, neque suis nudaretur virtutum indumentis. At vero Jerusalem quæ sursum est, mater est electorum Dei; non in terra, sed in cœlis habitat, ubi se totam transposuit sicut Paulus aiebat : *Nostra autem conversatio in cœlis est;* et : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Philip.* III). Pertimescebat namque illud, quod Joannes in Apocalypsi sua ait : *Væ, væ habitantibus in terra, quia diabolus descendit ad vos in ira furoris Domini* (*Apoc.* VIII). Propterea auditores suos monebat : *Quæ sursum sunt sapite.* Sed Edom quod elegit habitare in terra, totam scilicet vitam suam in terrenis et cruentis peccatorum operibus sordidare, licet impræsentiarum **1524** videatur gaudere et lætari, paulo post aureo jam inebriata Babylonis poculo, ex ira furoris Dei nudabitur. Nec immerito : quæ magis decrevit non dico in terra simpliciter conversari, verum, ut quidam codices habent, in terra Hus. Hus quoque *consiliator* interpretatur, non ille utique qui consilii angelus dicitur, sed ille qui versantibus in terra perversa contra Deum consuetus est dare consilia. Nam et Edom etiam *terrenus* interpretatur. Unde per Edom nec immerito illi designantur, qui non cœlestia, sed terrena semper sectantur, astutia decepti et consilio diaboli. Ad quos usque calix ille aureus pervenit, quo cunctæ inebriantur gentes, et nudantur gratia Dei, Unde sequitur Tau.

TAU.

Completa est iniquitas tua, filia Sion : non addet ultra ut transmigret te; visitabit iniquitatem tuam filia Edom : discooperiet peccata tua. Hæc namque juxta litteram utrisque contigisse videntur; sed melius generaliter de omnibus accipienda, qui in ultimo magni judicii examine, ut recipiat unusquisque prout gessit, judicandi sunt. Sion quidem, ut de mœrore transeat ad gaudium et lætitiam sempiternam; Edom vero rubicunda sanguine delictorum, visitanda est ut supplicia recipiat perpetuæ ultionis. Hæ namque sunt, ut diximus, quæ ab initio construuntur; quarum una hoc loco Sion vocatur, altera vero Edom. Sed Sion etiam dicitur per Isaiam prophetam quod completa sit malitia, quia dimissa est iniquitas illius, secundum quod David ait : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Hinc est sane et hoc loco quod ait : *Completa est iniquitas tua, filia Sion.* Completa quidem, quia remissa. Unde in remissione scelerum completa malitia, id est finita prædicatur, quia impræsentiarum suscepit duplicia de manu Domini. Ex quo satis læta repromissio mox subjungitur : *Non addet ultra ut transmigret te.* Quia finito judicio cum iniquitas cessaverit, et perventum fuerit ad requiem, deinceps nulla erit immutatio neque transmigratio de virtute ad vitium, de beatitudine et gaudio ad mœrorem, de gloria ad supplicium. Et e contrario super Edom visitabit iniquitates ejus Dominus, non ut remittat, sed ut puniat : neque ut relaxet, quia permanserunt in eisdem, sed ut condemnet; quibus dicturus est : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui*

Introdusă în format electronic de Google

1525 *paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Unde sequitur : *Discooperiet peccata tua.* Quorum igitur peccata tecta non fuerint, et iniquitates remissæ per misericordiam, visitabit eas Dominus tunc ut puniat et aperta fiant; quia profecto patebunt omnia in futuro prævaricatorum crimina, et remissa erunt ac deleta eorum, qui præsciti ac prædestinati sunt ad vitam facinora. Recte igitur ibidem eorum discooperientur scelera, qui hic ea detegere et manifestare noluerunt ad pœnitentiam ; illorum vero qui sua confitentur per lamenta et gemitum, penitus in eis non erunt quæ appareant omnino, quia deleta et remissa erunt quæ per culpam delinquentes contraxerant. Hæc siquidem signa sunt futuri examinis, ad quod omnia decucurrerunt divini eloquii præconia : quod per Tau litteram bene significatur. Tau namque *signa* interpretatur; propterea et hæc lamenta sub eadem littera tali conclusione determinantur. Ad hoc quippe metuentibus se Christus dedit significationes et signa, ut fugerent a facie arcus. Sed quia prævidere nolunt, justum est ut eo durius feriantur, quo a facie arcus extenti fugere neglexerint. Libeat in calce tanti lamenti mentem altius attollere, ut videre simul queat mens, quam præcelso Jeremias in culmine cœli ascenderet, unde contemplando dilatato corde, tanta quasi in palæstra hujus sæculi agonizantium discrimina vidit, ita ut nunc ad omnes generaliter oculum mentis extendat: nunc ad singulos Judæorum casus defleat et ruinas, nunc Ecclesiæ lugeat detrimenta. Sed et morum uniuscujusque animæ deplorat improbitates, et diræ captivitatis, ejus cum lacrymis depingit dispendia : nunc gloriam et solium contuetur Jerusalem, atque simul omnium electorum Dei ; nunc miseræ servitutis eorum, qui jugo excruciantur adversariorum ; nunc cum omni dolore cordis commemorat. Verum et ipsam Ecclesiam lugentem nunc se, nunc suos introducit. Vertitur ergo planctus ejus interdum ad mœnia civitatis, et ornamenta virtutum, interdum vero ad sacerdotes et optimates plebis, quod eorum ex culpis non minus ipsi quam et grex capti sunt atque vincti, cum omni fœditate peccati loro iniquitatis, nec non et ad parvulos et lactentes sermo dirigitur gementis, eo quod fame sitique extabuerint, dum nullus in plebe doctor egregius invenitur, virgines quoque ejus et continentes squalidæ deplorantur, quia id eis ob inediam verbi Dei nullus vigor, **1526** nulla pulchitudo vultus, vel venustas decoris, eo quod egressus sit a filia Sion omnis decor ejus. Quid plura? Nulla est vexatio, nullus casus animæ, nullaque scelerum aut adversariorum afflictio intus forisve, quam non defleat et connumeret; nulla boni privatio, quam non retexat mœstus, non minus in genere quam et in specie; et, sicut nulla sunt ornamenta virtutum quæ non amiserint hi per partes, ita nec ulla est mœroris aut doloris quibus non moveantur vox lamentationis et lacrymarum fluenta : et dum varias intromittit tam vulgi quam et nobilium personas, variis movetur fletibus, et innovantur per singulas personas afflictiones et fletuum incrementa. Et sicut nullus est præsentis vitæ reatus, quo illa non deliquerit, ita nec ulli fletus, quibus iste non ingemuerit, ad ultimum pro eisdem nostris reatibus Deum et Dominum captum et passum in carne insinuat, nec si tamen omnes de morte redisse immanissime dolens, deplorat. Quapropter eorum ad extremum qui audierint et conversi fuerint, completam malitiam et iniquitates prænuntians, gaudet quod ultra non addat eos, ut affligat Dominus, neque ut transmigret de infirmitate suæ virtutis; sed erunt sicut angeli in cœlo, et cum Christo sine fine regnabunt. Eorum vero qui in vitiis et sceleribus vitam finierint, contraque sanctos et electos Dei semper commodi ad invidiam et fraudem egerint, visitabit iniquitates, non ut relevet et remittat, sed ut puniat et condemnet, et discooperiat atque detegat omnia peccata eorum. Unde prudens lector, diligenter perpende, a principio lamenti hujus quod præmisi, quia in Scripturis sacris, non nisi lamentationes et carmen atque væ inveniuntur. Quorum trium impræsentiarum lamentationes valent; in illa vero æternæ vitæ patria, carmina hymnidicis angelorum vocibus, et sanctorum omnium cum jubilo exsultationis erunt. Hinc rogo adhibeantur in hac nostra peregrinatione lamentationes et lacrymæ, quatenus illic in carminibus Deum laudare possimus cum sanctis. At vero quos hic præsentis vitæ gaudium et lætitia extulerint ad inania, illic væ perpetuum erit : quorum iniquitates visitabuntur in ira furoris Dei, non ut finiantur et luctus cesset ut requiescant, sed acrius ultio ut innovetur, et puniantur eorum sine fine delicta, qui hic sine fine peccare decreverunt, si licuisset.

PROLOGUS LIBRI QUINTI.

1527 Quintus igitur liber non eadem lege est editus, qua præmissi quatuor : sed eorum conclusio in hoc uno recapitulatur, lege rhetorum, qui sub epilogo in fine concludunt et determinant ac dinumerant singulas res breviter, quas attigerant. Agunt enim hoc reminiscendi causa, dum res dispersas et diffusas uno loco quasi sub aspectu subjiciunt conquerendo, ut indignationem vel clementiam moveant pii judicis. Clementiam scilicet in se aut in suos : indignationem vero contra hostes ; quatenus judex gravius odio concitetur, et offensam contrahat ex his rebus quæ personis aut negotiis sunt attributæ. Ad hoc quippe maxime conquestio valet, ut misericordiam judicia imploret, et auditoris animum mitem ac misericordem faciat. Cujus itaque primus locus est per quem quibus in bonis fuerint, et nunc per quem quibus

Introdusă în format electronic de Google

in malis sint, cum dicitur : Memento quid factum sit nobis vel quid *acciderit*. *Hæreditas*, inquit, *nostra versa est ad alienos*. Deplorat igitur coram clementissimo judice omnia eorum incommoda, resque turpes et humiles sibi accidisse, et omnia quasi ante oculos sigillatim apponit ; ut videantur quæ oræter spem eis contigisse dolet, et ad summas miserias devolutos se suosque commemorat, more, ut dixi, oratorum. Unde si ibi bene perpenditur, magis invenies ex nostris easdem loquendi artes progressas, quam ex eorum disciplinis nostros talia mutuasse. Quæ melius per singula inspicies verba, si intentionem et affectum prophetæ consideres, qui celsa in spiritu levatus arce, non suas suorumque tantummodo deflet, quam etiam prophetali gratia singulorum singulas et quæ omnium sunt mortalium, quasi sub suorum specie deplorat ruinas. Hoc quippe distare videtur inter pœnitentes et lamentantes, quoniam sunt utrisque tristes lacrymæ communes. Pœnitentes vero pro suis rogant peccatis aut pro excessibus aliorum, ut Dominus delicta ignoscat delinquentium, ne puniat errata malorum cum judicat. Lamentantes ergo sunt, qui pietatis intuitu celsa mente deflent **1528** civitatum ruinas, excidia patriæ, depopulationes et vastitates, nec non et interitum suorum civium, inter quæ connumerant quæ jam passi aut certe passuri sunt variis cruciatibus, et contumeliis innumeris (*Rom.* XII). Unde monet Apostolus, charitatem proximi persuadens, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Et quia hic est fratrum amator, teste angelo, qui multum orat pro populo et pro civitate sancta Dei Jerusalem, merito lamentationibus suis vincit omnium lamentationum lamenta : et suis fletibus provocat omnes, ut simul defleant totius sæculi ruinas et peccata.

LIBER QUINTUS.

Recordare quid acciderit nobis, vel, sicut alii codices habent : *Memento, Domine, quid factum sit nobis*. Quod sane lamentum miro modo canticum Jeremiæ appellatur ejus vaticinio decantatum ; præsertim cum captivitatem gentis suæ et plurimas miserias deploret quas eis Babylonius tyrannus ingessit. Unde constat quod et lamenta carmina recte dici possunt ; quia impræsentiarum sicut nulla fine miseriis plena sunt gaudia, ita sine lamentis vix aut nulla inveniuntur cantica. Idcirco recte canticum hoc lamentationibus ultimis junxit, Domini poscens clementiam, ut finem malis imponeret. Quod tamen monasticus usus bene invenit psalmorum more decantari debere, quamvis cantici vocabulum ab eodem accipere, nullis præhotetur titulis debere, quoniam solummodo cantica in illa cœlesti Sion decent ; lamentationes vero, in hac nostra peregrinatione : mixtim vero quasi in meditullio, antequam illud væ ultimum perveniatur, jure lamenta carminibus atque carmina fletibus permiscentur, ubi et mala plangantur, et in spe gaudia cum fide celebrantur. Nam cum dicit : *Recordare, Domine, et vide quid acciderit nobis, et intuere, et respice opprobrium nostrum*, barbaram historiæ captivitatem deflet, miseriasque quas pertulit gens illa ingerit aspectibus Creatoris ; plus tamen **1529** quam rhetorica disciplina omni ex parte propheta sententiam suam temperat, non ut exaggeretur odium judicis contra adversarios, sed ut clementiam imploret pro suis factis et criminibus. Unde non dixit : Memento, Domine, inimicorum nostrorum, ut suis digna factis exsolvant, *sed recordare quid acciderit nobis*. Ac si patenter diceret : Reminiscens auferas mala quæ patimur, factoribus autem ignoscas. Ubi cum dicit *quid acciderit* vel quid factum sit nobis, distinguit mala quæ perferimus a natura ; quoniam non naturalia sunt, sed accidentia multis delictorum ex causis. Hoc quippe est intueri vel respicere, quod etiam videre. Sed iteratio orantis, afflictionem vel intentionem ostendit cordis. Unde isti versiculi cum affectu sunt dolentis relegendi. Porro opprobrium eorum erat gens tam sancta, tamque inclyta, olim miraculis prædicata, et Dei illustrata præsentia, ad tantum devenisse discriminis exitium Dei justo judicio, ob immanitatem scelerum. Aliter vero martyrum vox esse monstratur, qui pœnis afflicti et cruciatibus subjecti, Deo dicunt : *Memento, Domine, quid factum sit nobis*. Dum enim impræsentiarum non ulciscitur et patienter patitur persecutores sanctorum grassari, quodammodo obliviscitur : idcirco recordari exoratur, sicuti ille qui lacrymabiliter proclamabat : *Usquequo, Domine, obliviscéris me in finem* (*Psal.* XII) ; atque iterum : *Obliviscéris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ?* (*Psal.* XLIII). Cum autem recordatus fuerit, nos quoque a pressuris persequentium liberabit, quia solummodo indulgentia ejus, liberatio erit. Liberatio vero nostra, utique ultio persequentium sequetur. *Hæreditas nostra versa est ad alienos : domus nostræ ad extraneos*. Connumerat mala per partes quæ acciderant, quando populus transportatus in captivitatem, alieni possederant terram ; et quæ fuerat hæreditas populi, facta est possessio prædatoris ac vastatoris. Tangit etiam prærogativam Patrum, et auctoritatem divinæ largitatis : cujus obtentu delectis gentibus, facta est hæreditas eorum, idemque populus pars et possessio Dei ; quorum auctoritas gravissima, et defensio hæreditatis semper sub cura et protectione Dei fuit ; deinde, quod atrocissimum est doloris, hæreditas tantæ prærogativæ, non ad superiores, non ad æquales, neque ad qualescunque, sed ad alienos a Deo atque extraneos, culpis exigentibus, quod indignissimum et iniquissimum est, pervenit, ad in-

Introdusă în format electronic de Google

feros videlicet atque superbissimos. **1530** Interea adversus hæreticos hæc conclusio currit, qui hæreditatem Ecclesiæ Christi, aut dæmonibus, aut pravis dederunt institutis. Unde alia interpretatio signanter ait : *Hæreditas nostra conversa est alienis : et domus nostræ extraneis.* Quia quidquid convertitur, erat quidem : sed postea in aliena commutatur. Ita et de Scripturis sacris recte intelligi potest, quæ sunt hæreditas fidelium de qua dixi. Hæc translatio non ait, conversa est ad alienos, sed conversa est alienis, illis videlicet qui a Deo facti sunt alieni, eo quod Scriptura sacra *aliis* est *odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Ideirco alienis convertitur ad perfidiam, cum fidelibus catholice intelligentibus maneat ad salutem. *Et domus nostræ extraneis vel peregrinis.* Ex quo patet sensus : quidquid exterius interiusve idem habuit populus, ad liquidum quod ab extraneis totum sit possessum vel transmutatum. Sed et tropologice domus Scripturarum, intelligentiæ cognoscuntur divinæ, in quibus habitaculum nostræ mentis sæpe firmamus. Aliter enim in eisdem habitare non possumus, nisi sensibus tanquam januis patefactis, intelligentiarum latitudinem teneamus. Quas dum hæretici male secundum suæ pravitatis inventionem convertunt, domus nostræ alienis incolis transferuntur. Sed et spiritales nequitiæ extranei possunt congruenter intelligi : qui perversis cogitationibus, divinarum Scripturarum sermonibus falsas inserunt pravitates. Nec non domus nostræ mentes videlicet humanæ convertuntur ad extraneos et immundos spiritus, cum prævaricatione peccati ad vitia animas inclinant. Quarum scilicet hæreditas ad extraneos convertitur, dum pervia immundi spiritus corda nostra possident. Aliter enim ad nos ingredi non possent, quia non ex natura originem possidendi, sed ex culpa sumunt. Quam propheta retexens coram summo judice miseriam, non minus eum contra hostes, quam etiam ad nostri clementiam invitat. Unde sequitur : *Pupilli facti sumus absque patre : matres nostræ quasi viduæ.* Ubi alius interpres : Orphani facti sumus, inquit, velut non habentes patrem. Ex quo liquet quod propheta ad Deum Patrem oculum intendit, qui plebem Judaicam sibi adoptaverat in filios. Ex quo ait : *Filius meus primogenitus Israel* (*Exod.* IV). At vero hi facti sunt velut non habentes patrem, qui suis ex culpis quamvis eum haberent per invocationem adoptionis, tamen quia irritaverant **1531** eum malis suis, jam non habebant propitium per affectum pietatis ; et ideo signanter ait : *Sicut non habentes patrem*, ut flectat per lamenta obsecrationis paterna viscera ad misericordiam piæ recordationis. *Et matres nostræ*, inquit, *sicut viduæ.* Matres vero, synagogæ intelliguntur septem, quæ principaliter in monte Oliveti fuisse constitutæ noscuntur : de quibus lac doctrinarum flueret, vel a quibus lex nuntiaretur ; sed obsidionis tempore vel Chaldaicæ vastitatis, sublatis filiis, destitutæ sunt et ignibus concrematæ. Quas bene quasi matres deflet, et viduas deplorat, quæ solebant in lege filios educare, et nutrire populos. Porro secundum anagogen, quam sæpe vox ista Christi Ecclesiæ congruit qua dicitur : *Facti sumus sicut non habentes patrem.* Quoties in angustiis et tribulationibus, minus ejus paterna pietatis viscera per affectum sentimus dignæ consolationis. Quod illi patenter dicere queunt, qui sui causa peccati patrem amiserunt Deum. Unde orphani procul dubio facti debite plangunt, quod proprium perdiderint genitorem. Ex quo unus interpretum, non habentes patrem dixit ; alter vero, velut non habentes, quia interdum sæpe pro culpis totus amittitur. Sæpe vero et si nos ad modicum deserit in terris, ut patrem non habere videamur inter pressuras persequentium, tamen eum habere in cœlo minime dubitamus. Propterea velut non habentes, interdum sumus. Unde non absolute dixit, et non habentes patrem, sed velut non habentes, quoties variis vexamur tribulationibus, ut et habeamus per affectum piæ recordationis, quamvis et habere non videamur per auxilium suæ defensionis. Sed et Ecclesiæ Christi quæ jure matres nominantur, sæpe persecutionis tempore sicut viduæ fiunt, quando a suis viris, sacerdotibus fugientibus, relinquuntur : velut etiam, quando in tempore pacis, ob desidiam et vecordiam, nullam Deo prolem per officium suæ prædicationis gignunt. Dum enim aut lucra sectantur sæculi, aut suis implicantur flagitiis, vel ignavia suæ pascuntur imperitiæ, Christi Ecclesiæ quæ vere matres sunt Christianorum, sicut viduæ fiunt. Propterea quidem non viduæ, quia viri earum vivere videntur, sed quasi viduæ, quia ex ipsis nullum fructum Deo ferunt. Quas bene eorum vox in Ecclesia deplorat, quia adhuc per intentionem cordis et dilectionis amorem, ad Deum suspirant. Sed et hæreticorum plangit sterilitatem, **1532** quorum jure Ecclesiæ quasi viduæ dicuntur ; quia, etsi Domino Jesu Christo viro fortissimo ex parte junguntur, in eo quod eum quodammodo confitentur, baptismum sequuntur, sacras litteras legunt, ecclesiastica sectantur officia, tamen digne quasi viduæ deplorantur, quia nullum ex suis doctoribus Deo fructum pariunt. Quod bene concubinæ illæ David designant, ad quas verus David noster in initio ingressus, sed non eas sibi pleno et maritali copulavit conjugio : ad quas Absalom crudelior natus, sub specie Satanæ ingressus, adulterio fœdavit suæ pravitatis. Unde David æterna damnatione illas infra suas tenebras reclusit. Quæ bene quasi viduæ planguntur, quæ matres esse debuerant electorum Dei, si recta cum Christo fidei conservassent fœdera, et casta conjugii sacramenta. Cæterum moraliter, matres nostras, id est matres omnium virtutum, recte fidem, spem, et charitatem accipimus : ex quibus non solum nos renascimur Deo, verum etiam omnes reliquæ virtutes animi generantur. Sed cum cœperint in nobis vanitatibus seculi vitiari, Christique charitas per quam verum servatur connubium, et substantia quæ Deus est, in aliud nobis demutari, tres

Introdusă în format electronic de Google

istæ virtutes sicut viduæ, potius quam veræ viduæ plorantur : quia et si videantur forinsecus verbotenus virum complecti Christum per consuetudinem Christianæ religionis, jam intrinsecus amiserunt virtutem boni operis generandi, et fecunditatem castæ procreationis in Christo : quia quidquid non est in fide, peccatum est ; et quæ sine charitate aguntur, prodesse non possunt. Sequitur : *Aquam nostram pecunia bibimus : ligna nostra pretio comparavimus.* Immanem propheta describit crudelitatem et afflictionem gentis suæ. Inopiam siquidem eorum atque privationem boni, intantum ut aquam quæ gratis omnibus præstatur, etiam suo pretio comparaverint. Unde movere cum lacrymis indulgentiam pii judicis per singula festinat, dum ea coram clementissimo deplorat patre, quæ vix ullis accidisse gentibus unquam leguntur. Congruit autem iste sensus adversus cupidos sacerdotes templorum Dei, qui domum Dei domum faciunt negotiationis ; quia, propter baptisma et doctrinam prædicationis tuæ, seu propter charismata donorum Dei, lucra sectantur et impensiones quærunt sui quæstus : contra quos plebs Christi jure deplorat et plangit. Aquas nostras, **1533** doctrinam scilicet Scripturarum et dona sancti Spiritus in pecunias accipimus præmiorum : de quibus nobis olim Isaias propheta promiserat, et ad aquas nos gratis invitaverat : *Omnes sitientes*, inquit, *venite ad aquas ; et qui non habetis argentum, properate, emite, et bibite vinum et lac, absque ulla commutatione* (*Isa.* LV). Quas cum profecto cupidi sacerdotes pretio distrahunt, recte plebs luget, eo quod ligna, Scripturarum scilicet et donorum Christi elementa, quibus ignis quotidie sancti Spiritus enutritur in altari Domini, pretio comparantur pecuniarum ; et omnia quæ nobis in commune gratis data sunt, in proprietatem nostræ salutis crudeliter venalia sunt. Cæterum moraliter, aquas proprias pecunia bibunt, quia lacrymarum suarum liquoribus gemendo saturantur : pecunia scilicet Scripturarum, dum præmia æternæ vitæ in eisdem perpendunt ac supplicia. Quarum profecto meditatione charitatem intus nutriunt ac timorem : fitque tanto pronior animus ad dolendum, quanto ampliori fuerit inflammatus dilectionis amore, aut aculeo ob immanitatem scelerum confixus timoris. Sicque fit ut pecunia Scripturarum, aquas bibamus lacrymarum nostrarum. Hinc quoque David : *Cibabis nos*, inquit, *pane lacrymarum : et potum dabis nobis in lacrymis in mensura* (*Psal.* LXXIX). Ligna quoque in pabulum Dominici ignis pretio emimus, quoties terrena et caduca pro spiritualibus commutamus. Et hoc est aquas nostras pecunia bibere, sapientiam atque scientiam rerum sæcularium pro spiritalibus dare. Certe aut e contrario virtutes animi intus vitiis excrescentibus quasi pro commutatione amittere. Sed neutrum eorum sine pretio laboris commutatur aut doloris : quia nullum injustum lucrum sine justo damno, neque lucrum sanctum sine labentium rerum dispendio comparatur. *Cervicibus* (inquit) *minabamur : lassis non dabatur requies.* Contemptum itaque captivorum et vexationem insinuat, coram æquissimo judice, qui superbos disperdit, et exaltat humiles. Enumerat autem quomodo manus superborum adjectionem in cervicibus percussi propellabantur : ut etiam lassi ac fessi crudelitate hostili nolentes currerent, et sine requie laborem operis præferrent. Sed et spiritaliter Ecclesia Christi gemit in martyribus suis, quando colaphis percussi et manibus persecutorum in cervicibus vexati, multisque opprobriis et cruciatibus afflicti, de alia in aliam civitatem **1534** passim fugere sine requie compellebantur. Unde dicitur quod requies non dabatur nobis. Porro per minas in cervicibus, omnis afflictio insinuatur, et despectio humilitatis, quamvis juxta Evangelium (*Matth.* V), percussi in unam maxillam, et ipsi ultronei alteram præberent. Ergo moraliter per cervices superbia nostra designatur, sicut Job ait : *Posuerunt cervicem suam sicut scutum : superbiam scilicet suam protectionis auxilium.* Per hanc quippe superbiam tanquam in cervicibus nostris ferimur ad laborem et fugamur a requie, quando ex conscientia reatus nostri intus percutimur : quod *Deus excelsus humilia respicit, et alta a longe cognoscit.* Cognoscit quidem, novit, approbat, sed ut feriat et condemnet. Et hoc est dicere : *Cervicibus minabamur, et lassis non dabatur requies ;* quia peccatis et vitiis post finem laboris nulla manet requies. Omnis enim sicut quieta spiritalis est vita : ita inquieta et carnalis et laboriosa. Et hinc est quod dicitur, quia *lassis non dabatur requies. Ægypto*, inquit, *dedimus manum et Assyriis ut saturaremur pane.* Ubi alia interpretatio longe aliter ait : *Ægyptus*, inquit, *dedit manus Assyriis, in satietate ipsis.* Historice autem plangit, quod tanta nobilitas generis prærogativam patrum habet ex genere prophetarum ac patriarcharum, quod Ægypto cui ante servitutem, ut saturarentur panibus, sicut alibi scriptum est (*I Reg.* II) : *Repleti prius, pro panibus se locaverunt*, et non solum Ægypto se tradiderunt, verum etiam et Assyriis ob inediam panis : quibus olim Deus manna de cœlo pluerat, et miraculis coruscantibus, in regnum coram cunctis gentibus sublimarat : cæterum quod dicit : *Ægyptus dedit manus Assyriis in satietatem ipsis*, significat Ægyptios Assyriosque milites unanimiter ad captivitatem Israeliticæ plebis convenisse, ut spolia distraherent eorum, suasque cupiditates divitiis satiarent. Juxta allegoriam vero, contra Ecclesiam Christi Ægyptus simul cum Assyriis conspirat, non charitatis gratia, sed ut Ecclesiæ firmitatem oppugnent. De quibus unus sanctorum : *Non timebo*, inquit, *millia populi circumdantis me* (*Psal.* II). Siquidem Ægyptus *tenebræ* interpretatur : Assyrii *dirigentes :* in quibus aereæ potestates intelliguntur, qui se Assyriis hominibus, videlicet potentioribus adjungunt, ut per eos persecutiones ingerant Dei electis : de quibus Dominus in Evangelio : *Veniet hora* **1535** (inquit) *ut omnis qui vos occiderit, arbitretur obsequium se præstare Deo*

Introdusă în format electronic de Google

(*Joan.* XVI) : et hoc quidem faciunt, quatenus suæ sævitiæ feritatem satient, impietate pœnarum. Ergo tropologice Ægyptus dat manus Assyriis in satietatem ipsis, quando hæretici junguntur hæreticis, Donatistis scilicet Maximianistæ, et Valentinianis Marcionistæ vel Manichæi, in satietatem acquisitionis populi jam seducti. Sed juxta Hebraicam veritatem plorat Ecclesia suos, quando membra Christi et ministri altaris, pro terrenis etiam rebus dant manus potentioribus et sæcularibus viris, qui suis obfuscantur divitiarum vel delictorum tenebris: necnon et Assyriis, qui *dirigentes* interpretantur, ut saturentur pane : qui se ad omnia quæ mundi sunt dirigunt, ut divitiis affluant, et extollant honoribus. Quibus cum ministri Christi pro caducis et vanis rebus manus dederint ut serviant eorum imperiis, quid aliud quam mundi lumina, etiam et ipsi tenebræ fiunt ? Quibus profecto verbis monemur, potius levare manus ad sancta, et cum Moyse ad cœlum eas semper extendere, ne graves fiant: de quibus David propheta : *Qui statis*, inquit, *in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum* (*Psal.* CXXXIV). *In noctibus*, inquit, ne si remissæ fuerint in tenebris hujus sæculi et Ægypto deditæ, obligatiores fiant, et servituti obnoxiæ. Idcirco ait : *In noctibus extollite manus vestras*, ut semper quæ sancta sunt, juxta Apostolum, meditantes, jugiter in laudem Dei vivamus. Sequitur : *Patres nostri peccaverunt et non sunt, et nos iniquitates eorum portavimus.* Ubi alius interpres ait : Et nos iniquitates eorum exsolvimus. Quæ nimirum sententia vehemens est et abstrusa, multis involuta caliginibus, licet super Judæos satis soluta et aperta videatur : qui vetustatem litteræ sequentes, omnia maledicta legis super se traxerunt, gravissimum legis jugum portantes : quod nec ipsi nec patres eorum ferre potuerunt, nolentes Christum recipere, qui eos a maledicto legis exsolveret. Unde Dominus in Evangelio : *Ut veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ : et omnia hæc*, inquit, *a generatione ista requirentur* (*Matth.* XXIII). Atque alibi : *Complete mensuram patrum vestrorum* (*Ibid.*). Quibus profecto verbis ostenditur, quod imitatores Patrum etiam præcedentia patrum delicta trahant, si eorum ad malum fuerint sectatores. Quod satis gravissimum **1536** est nobis, qui nostra non sufficimus delicta portare, si præcedentium patrum nostrorum oneribus prægravemur. Quam sane sententiam Ezechiel absolvere videtur, qui ait: *Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii : sed unusquisque in peccato suo quo peccaverit, in ipso morietur* (*Ezech.* XVIII). Quæ profecto sententia soluta esse videretur, nisi per Moysen in Exodo Dominus loqueretur : *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, et qui reddo peccata patrum in filios, usque in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me : et facio misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea* (*Exod.* XXXIV). Quæ non minus hic quam et alibi in parabolis esse dicuntur et proverbio : ita ut aliud prætendat verbis, aliud in sensibus sonare videatur, non quod Dei injustitia alium peccare impune permittat, et alium pœnas luere pro delictis aliorum : sed ex hoc quod sequitur : His qui oderunt me, comminationis sententia sive præcepti scandalum solvitur. Potius enim patres qui fuerunt et non sunt, quasi peccatores punire debuerant. Sed quia patrum exstiterunt æmulatores, et oderunt hæreditario malo et jure impietatis, in ramos de radice crescentibus culpis, juste vindicta pervenit. Et hoc quippe est dicere : *Nos iniquitates eorum portavimus*, coram æquissimo judice, etiam sicut finem imponat malis, implorare sententiam absolutionis. Quod nullo modo filii ideo puniuntur, quia patres peccaverunt, sed quia jugum traxerunt iniquitatis, eorum magis coaugescit et coacervatur cumulus et mensura iniquitatis. Quæ nimirum scabies sæpe viguisse in Ecclesia Christi jure plangitur, quod sacerdotibus, principibus terræ delinquentibus, quia sæpe populus quasi pro eorum delictis flagellatur, quorum vox est : *Patres nostri peccaverunt et non sunt, et nos iniquitates eorum portavimus.* Ac si patenter dicatur : Non sunt quod debuerant, et nos culpis exigentibus, una cum ipsis vindictam iniquitatum eorum portamus. Unde, quæsumus, utrique quam terribiliter propheta lugeat audiant, cum et patres pro suis percellat culpis, et auditores ne se vanis deludant blandimentis, quoniam et doctores pro merito eliguntur plebis, et plebs detrimenta patitur ex negligentia doctoris. Neque enim succedentibus culpis minuitur pœna, sed augetur : uti de Cain septies pœna datur ; de Lamech vero septuagies septies. Quia etsi homicidarum **1537** ulla est distantia, nec assectator post præceptum et exemplum, minorem jure contrahit pœnam, quam inventor et auctor mali. Potest et ad originalia peccata hæc sententia deferri, cum uno peccante, etiam ira in omnes desævit, nisi fuerint gratia liberati. In quo sane confinio, neque pater iniquitatem filii, neque filius iniquitatem patris trahit : sed unusquisque eorum, aut in justitia sua liberatur, aut in peccato proprio morietur. Quod autem ait : *Patres nostri peccaverunt et non sunt* non vacat ab intellectu quomodo non sint, qui omnino etiam et post mortem esse creduntur. Omnis quippe peccator ex eo quod delinquit et peccat, ad nihilum redigitur et non est : et ideo non est, quia ab eo qui semper idem est, corruit ut non sit, et dilabitur. Neque dixit quia patres peccaverunt et non est peccatum eorum, sed non sunt ipsi : quia, peccatore defuncto, peccati omnino causa manet : quam filii sententiam duplici modo sæpe persolvunt. Dum aut paternis iniquitatibus, afflictionibus deprimuntur variis, ut exsolvant peccata patrum impræsentiarum ; aut finem non imponendo malis suppliciis deputantur æternis. Quod si filii melioribus fue-

Introdusă în format electronic de Google

rint institutis vel gratia liberati, nullo premuntur jugo iniquitatis, sed per baptismum disruptis vinculis delictorum unusquisque eorum, aut suis punitur malis, aut absolvitur. *Servi*, inquit, *dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum*. Epilogum retexit miseriarum, et per singula novos infert cruciatus sui doloris : quatenus multis modis benevolentiam pii judicis inflectat ad misericordiam. *Servi*, inquit, *dominati sunt nostri*. Ac si patenter insinuet gloriosam libertatem eorum et dicat : Tu redemisti et liberasti nos in brachio virtutis tuæ ; tu exaltasti et sublimasti in regnum, tu virtutibus et signis glorificasti : et nunc non qualescunque, sed servi dominati sunt nostri : nec fuit qui redimeret nos de manu eorum. Hæc idcirco replicat, ut ad beneficia clementissimi Dei consuetam lacrymis provocando clementiam invitet, in toto mentis affectu, sua in eis potius beneficia, qui eorum errata considerat. Cæterum typice luget chorus sanctorum, gens sancta, populus acquisitionis, regale sacerdotium, quoties spirituales nequitiæ qui cœlestem perdiderunt libertatem, dominantur nostri et affligunt nos servitute peccati : vel quando carnales quique aut criminosi principantur in Ecclesia, et in eis quos Redemptor **1538** Dominus ad modicum in manu eorum deserere videtur. Luctus ergo iste recte pœnitentium est, qui Satanæ laqueos evadere cupientes, cujus domino fuerant subjugati et addicti, ad Deum respirare seu preces intendere præsumunt. Sed et hæreticos servos esse cognosce peccati, qui dominantur eorum, quos suis pessimis instruxerunt moribus, qui servi facti sunt vitiorum : et dum nesciunt moderari jugum doctrinæ, nemo est qui absolvat interdum eos, quos ipsi suis irretiunt disciplinis. *In manibus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto*. Ubi alius interpres ait : In animabus nostris acquisivimus panem nostrum. Ex quo immensi laboris vexatio describitur, quando non minus mens, quam et corpus fatigatur. Erat siquidem exterius labor in acquirendo victum quotidianum : interius vero timor immensus a facie gladii, et hoc est dicere : In animabus nostris, quia panis cum periculo vitæ quærebatur. Sed typicus optabilis est sensus : quia flexit conscientia et mens beata, quæ in animo semper sibi manibus panem vitæ acquirit, vel cibum Scripturarum sanctarum, variarumque virtutum affert sibi sine tædio. Quos profecto panes in Evangelio fregisse legimus, tam triticeos, quam et hordeaceos, ut animus copiosissimam sibi Novi ac Veteris Testamenti frugem aggreget : unde panem suis sensibus et labore acquirat, a facie gladii solitudinis. Gladius quippe solitudinis, insidiæ diaboli recte accipiuntur : contra cujus faciem, semper clypeus provide opponitur fidei : quatenus tuta salvetur mens ab impugnatione et facie percussoris. De quo dictum est : Ante faciem ejus paradisus, et post eum solitudo deserti, quia priusquam invaserit fidelem animam virtutibus floridam, jure paradisus accipitur : invasam vero in solitudinem reddit. Desolatur vero et relinquitur a Deo, qui supplantatur ab hoste et vitiis subvertitur. Moraliter autem anima suis laboribus panem acquirit virtutum, dum bonis operibus intus forisve exercetur corpus, verbi gratia, dum ad benevolentiam seu charitatem et pacem, pietatemque intenditur. Quibus cum vivificatur virtutibus, cœlestem æternumque acquirit panem, a facie gladii in deserto : quia devictis hostium insidiis et tentationibus variis, semper in Deum quasi in deserto solitudinis laborantes versamur. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est, a facie tempestatum famis*. Aut aliter : A facie plagarum famis. Ubi per exustionem pellis, magnitudo et immensitas famis : seu per **1539** lividam carnem, ut alius interpretatur, exprimitur. Quam sane famem si quis velit rescire, Josephum legat : qui filios devorasse parentes ait, et devorantium fauces latrunculos præfocasse : ut jam deglutitos cibos pene de ipsis visceribus evellerent, sicque raptores absque horrore easdem carnes sumerent. Allegorice autem vox sanctorum est quæ plangitur : *Pellis nostra quasi clibanus livida facta est, aut exusta est*. Pellis utique, quia primi sunt parentes nostri induti, miserabiliterque finibus paradisi propulsi. Unde signanter non ait, pelles nostræ, sed pellis nostra, quia ex ipsis unam omnes contraximus mortalitatis pellem. Mortalitas quippe nostra livore peccati fœdata, quasi clibanus, id est quasi diabolus, qui est fornax vitiorum, quotidie novis concupiscentiarum exustionibus ipsos inflammante peccati auctore, aduritur. Unde sequentes auctorem, gehennam damnationis incurrimus : per quem tempestatis fame affligimur, ne ullis æternæ vitæ epulis a facie plagarum famis satiemur. Non enim sine causa alia inerpretatio, *a facie plagarum*, aut nostra, *tempestatum* pluraliter dixit, cum corporaliter una sit plaga vel tempestas famis. Unde magis propter internam doluit famem, quæ multis coauget tempestatibus et diversis afficitur plagis. Cum enim cibum vitæ anima amiserit, per omnes sensus corporis, et per omnes affectus animi diversis plagarum patitur vulneribus, dum interno cæcat lumine : neque auribus intus verbum potest audire salutis. Unde Dominus : *Mittam in eis, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei* (*Amos* VIII). Qua nimirum fame dum mens affligitur, diversis verberibus plagarum cruciatur, et tempestatum jactatur procellis. Unde sequitur : *Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Judæ*. Quod ad litteram Judæis accidisse, nulli dubium est. Multas autem Christi ecclesias ob inediam famis, et sitim audiendi verbum Dei, sæpe hæreticorum pravitate corruptus, et humiliatas in fide fuisse, nemo qui dubitat : quibus aiebat apostolus Paulus : *Timeo enim, ne sicut serpens Evam astutia sua decepit, ita corrumpantur sensus vestri a charitate, quæ est in Christo Jesu ;* et infra : *Despondi*, inquit, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Quas profecto virgines sæpe humilitas, quæ

Introdusă în format electronic de Google

Christo fuerant in fide desponsatæ, merito sermo propheticus luget : quæ nisi mulieres essent et sectarentur vulnera muliebria, **1540** non essent hæreticorum fraudibus deceptæ, neque adulterino humiliatæ connubio. Tropologice autem, quoties peccatorum fœditate gravamur, et de alto, id est de Sion ad humilia miserabiliter proruentes consternimur, mulieres, animæ videlicet nostræ, in Sion, id est in culmine ecclesiastico collocatæ, humiliantur. Aliud quippe est in Sion, aliud vero extra humiliari : quia et si peccatores quidem sumus, infra Ecclesiam Christi angustias scelerum nostrorum in domo Domini confitentes et gementes pandimus, non desperantes boni pastoris veniam subrogari : et si in Sion lugentes humiliamur. Hujuscemodi mulieribus alibi idem propheta clamans dicit : *Audite, mulieres, verbum Domini, et assumat auris vestra sermonem oris ejus. Docete*, inquit, *filias vestras lamentum, et unaquæque proximan suam planctum.* (*Jerem.* IX). Hinc quoque liquet, quod moneamur omnes affectiones animarum nostrarum lacrymis abluere, et quasi filias ut doleant et pœniteant, ad planctum consuescere, propriasque corporis nostri operationes, lamentationibus, quasi proximas emundare : ut qui sumus humiliati nostris ex culpis, castificemur per eum, qui amator est pœnitentium et castitatis. Nam fidelium mentes quasi virgines sunt Domino dedicatæ, quæ corruptelam fidei per Dei gratiam induentes, integritatem deposuerunt. Civitates vero Judæ, in quibus sunt humiliatæ, diversæ sunt professiones infra Ecclesiam Dei. Siquidem quia alia est professio sacerdotum, alia levitarum, alia vero monachorum, alia diversorum graduum, alia virginum, alia viduarum et cælibatorum, alia conjugatorum, et in his singulis gradibus aliquæ virgines, scilicet intelligibiles animæ clarificantur virtutibus, dum proficiunt, ad interiora tendentes per intentionem bonæ voluntatis. Nonnullæ vero vitiis humiliantur, dum non secundum propositum suum Christum sequuntur, vel quod est gravius deflendum, aliquæ interius constupratæ consternuntur. Has præterea virgines idem Jeremias in eisdem Threnis longe supra deflet, dicens : *Audite, obsecro, universi populi, et videte*, inquit, *dolorem meum. Virgines meæ, et juvenes mei, abierunt in captivitatem* (*Thren.* II). Virgines scilicet, quæ mentis incorruptionem susceperunt : et juvenes, qui novitatem vitæ induentes, deinceps hostium insidiis, et scelerum flagitiis corrumpuntur. Quas bene plangit propheticus affectus, qui ad fœda et humilia inquinamenta rapiuntur. *Principes manu suspensi* **1541** *sunt : facies senum non erubuerunt.* Quod ipsi Judæi crudelitate hostium manibus suspensi sint equuleo, aut cæteris tormentorum suppliciis, manifestum est ex aliis atrocioribus pœnarum generibus. Certe aut ipsi hostium sunt suspensi, certe aut propriis manibus equuleo sunt constricti. In quibus profecto suppliciis, ut eis parcerent, *facies senum non erubuerunt.* Mystice autem, principes vel rectores plebium tunc hostium manibus suspenduntur ad alia, quando intentionem boni operis, seu nutum rectum deserentes, ad voluntatem hostis jam propter pœnam peccati, quasi tota suspensi, quæ conceperint adimplent : imo suis devictis manuum operibus, quasi in equuleo quæ patiuntur miserabiliter tolerant. Hinc que sequitur : *Facies seniorum non glorificaverunt.* In quibus profecto lamentis ostendit tentationum procellam in omnibus pertransire. Nec enim novit callidissimus ille draco pueris parcere seu juvenibus ad peccandum : neque cum adolescentulos illecebris irretierit, senibus præstat requiem, imo omnem ætatem, omnemque ecclesiastici ordinis dignitatem, una convolvit tempestate, et prosternit fraude sexum, conditionem, professionis gratiam : quoniam voluntas impia nescit miserorum lapsibus satiari : sed tanto magis unumquemque festinat decipere, quanto procivius eos viderit et infelicius suis suggestionibus obedire. Sed et a persecutoribus talia sæpe sustinuit Ecclesia Christi, quando principes senioresque populi morte, contumeliis et tormentis vexatos suspenderunt, et projecerunt ad ignominiam : quod utinam mereremur assequi, ut pro Domino talia pati digni essemus, quatenus vel sic ejus sanguinis pretio nostrum emundaretur corpus, et sanctificaretur anima proprii cruoris unda respersa, quæ tantis suis fœdatur criminibus irretita. Sequitur : *Adolescentibus impudice abusi, et pueri in ligno corruerunt.* Alia vero interpretatio longe aliter habet : Potentes, inquit, molis molebant, et juvenes ligno confixi sunt. Ubi Sedechiam secundum historiam regem potentem plangit, cujus oculos rex Babylonis in Reblatha evulsit, eumque ad molam molere fecit : sed et alios principes vel juvenes, quos ligno crucifixit. Cæterum quod nostra editio ait : *Adolescentibus impune abusi sunt.* Romanorum tangit flagitium, qui masculis coitu femineo **1542** contebantur ad lasciviam : et de quibus Paulus apostolus ait : *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; putantes se esse sapientes, stulti facti sunt;* paulo post : *Propter quod*, inquit, *tradidit eos Dominus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Nam feminæ eorum mutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam : similiter et masculi in masculos turpitudines operantes* (*Rom.* I). Quod et eosdem in eisdem quos ceperant ex Judæis juvenibus, talia perpetrasse plangunt, prodit propheta cum dicit : *Adolescentibus impudice abusi sunt.* Quod autem crucifixerunt eos in ligno, etiam manifestum est, ob immanitatem crudelitatis suæ. Sed quomodo juxta nostram interpretationem, pueri in ligno ceciderunt, non alius patet sensus, nisi quia in Christum pendentem in ligno, credere noluerunt. Unde quidam Apostolus : *Crux*, inquit, *gentibus stultitia est, et Judæis scandalum* (*II Cor.* I). Ergo ideo in ligno corruerunt, quia pendentem vitam in eo ut mortem destrueret, suscipere noluerunt. Qui profe-

Introdusă în format electronic de Google

cto potentes, quia scandalizati sunt in ligno, quasi pueros dimisit eos inanes. Unde molis molebant, dum legem ad litteram eisdem suis vestigiis utentes, cæcitatem perpetuam impegerunt. Ad quam cum Samson ille fortissimus advenisset, eum Allophyli molere fecerunt, quatenus per hoc nullis se explicaret gressibus : sed eamdem vertendo in suis se per vestigia ut Judæi recollocaret erroribus. Porro mystice infra Ecclesiam potentium genera duo sunt : unum eorum, qui corporalibus sunt potentes divitiarum facultatibus, et potentiam obtinent temporalium vanitatum : aliud vero eorum, qui spiritualibus pollent honoribus. In his quippe cupiditatum concupiscentiarumque malitia, pertinaciaque volvuntur : qui autem spirituales fiunt potentes, legis molam vertunt, dum eamdem relegunt, terunt, repetunt et frequentant : sicque fit ut quædam sit spiritalis mola, qua molent similaginem triticei grani, polentamque intellectuum, unde Deo possit sacrificium offerri, conficiant. Qui profecto juvenes ligno confixi, etiam martyres efficiuntur. De quo nimirum ligno Paulus apostolus : *Absit mihi gloriari*, inquit, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* II). Quia pueri transpositi in Domino, mundo mortui sunt, et affixi ligno **1543** Dominicæ crucis. Sequitur : *Senes de portu defecerunt ; juvenes de choro psallentium :* quia veterani et longo confecti senio ita in eis fame consumpti sunt, ut cum per portas egredi vellent ad herbas vel ad quælibet alia victus conquirenda, in ipsis eisdem portis ita sint semineces inventi quasi mortui : et hoc sit dicere, *de portis defecerunt :* vel certe cum ab hostibus huc illucque distenti perimuntur, merito quasi consiliarii civitatis et legis doctores, de portis defecisse, uti et juvenes de plateis a suis perterriti officiis, deplorantur. Typice autem senes sunt, qui canitiem sensuum per remissionis gratiam consequuntur, ac in mansuetudinem quietudinis opus perficiunt. Qui si Deum offenderint, in portis deficiunt, quæ dicuntur esse justitiæ ; de quibus David : *Aperite portas justitiæ : ingressus in eas, confitebor Domino* (*Psal.* CXVII). In his ergo deficiunt senes, dum crescentibus scandalis fatigantur : ita recto itineris cursu destituuntur, ut interciso pœnitendi ac lugendi tramite, quadam negligentia consternantur. Juvenes eorum de choro psallentium deficiunt, quando decantatio spiritaliter conquiescit. Sed moraliter incontinens animus Dei memor jam dum a semet repellit, dicere non potest : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Unde debet sine cessatione pia mens in conscientia proclamare, ne quandoque Deo cantare desistat : imo choro sanctorum semper laudans Deum, assistat. *Defecit*, inquit, *gaudium cordis nostri : versus est in luctum chorus noster.* Patet sensus de Judæis, quia Deum ad iracundiam provocaverunt, quod deciderit omne gaudium cordis, et dissoluta sint omnia eorum lætitiæ viscera in mœrorem et tristitiam, atque in diversas miseriarum ærumnas, sicut a principio luctus prophetalis connumerat : necnon et chori quos in diversis solebant solemnitatibus ducere, recte in luctum versi erant, quando inter hostes cruciamentorum generibus torquebantur. Aliter autem in Ecclesia pœnitentium est ista vox, qui contritionem cordis sui Deo offerunt in sacrificio, uti David dicens : *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Quorum igitur conscientia, scelerum et delictorum sauciatur vulneribus, jure dicunt : *Dissolutum est gaudium cordis nostri.* Quod sane gaudium rursus David sibi dari deposcit : *Auditui meo*, inquit, *dabis gaudium et lætitiam : reddesque lætitiam salutaris tui.* Qui spiritali contritione et corde coangustato spiritus quiescit, quoties **1544** anima miseriarum suarum compuncta vulneratur cruciatibus. Cujus utique medelam contritionis Isaias suo vaticinio repromittit dicens : *In die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit, eo quod est et in eis vulnus et livor ac plaga tumens* (*Isa.* XXX). Moraliter autem, quoties anima livore peccati vulneratur, tum et plagata suorum scelerum spiculis. Cujus gaudium mox dissolvitur, cum mens ad conscientiam reducitur, et chorus virtutum in luctum commutatur. Quod bene Asael contigisse legitur, qui cursor erat velocissimus, tanquam unus ex capreis quæ morantur in silvis, nesciens veloces animi motus patientia et gravitate temperare. Unde dum velocius insequitur hostem, ictus vulnere deperiit, ubi fornicationis sævitia dominatur in inguine, et lasciviæ morbus desævit. Sed Achab in corde sagitta percussus occubuit (*III Reg.* XXII), inter pulmones et scapulas, eos designans, quibus sapientiæ virgo falsitatum vulneratur jaculis. Et merito inter pulmones, ubi vitalia vigent flabra, ubi salus vitæ temperatur : et scapulas, ubi Christi onera portantur lævia. Cujus nimirum dissolutum cordis gaudium est et peremptum : quia defecit ipse, et præsentis vitæ gaudium. Quod autem conversus est in luctum chorus noster, perfectæ pœnitentiæ luctus designatur, quando virtutum chorus harmoniam tenet lugendi quod amisimus, et concentum servat pœnitendi : quatenus idem chorus post mœrores et lacrymas ad gaudia possit pertingere mansura. *Cecidit corona*, inquit, *capitis nostri. Væ nobis, quia peccavimus.* Humiliationem atque dejectionem Judæorum a regno, designat : quando honor regis et gloria deperiit. Unde idem propheta longe supra : *Dic*, inquit, *regi et dominatrici : Humiliamini et sedete, quoniam cecidit de capite vestro corona gloriæ vestræ.* Ubi alius interpres : *Descende*, ait. Sed multum interest, quando cadant corona capitis, vel quando descendat : quia levior est descensio quam ruina. Paulatim ergo dum desidiose vivitur, per neglectum gloriam amittere, descendere est : quia dum quisque ad altiora non currit, ad inferiora descendit. Sic et regnum Judæorum per singulos regressus usque ad Joachim, de excelso ad ima descendit : deinceps vero per Sedechiam et eos, qui residui fuerunt, de populo. **1545** ad integrum cecidit. Hincque sequitur vox om-

Introdusă în format electronic de Google

nium captivorum lugentium : *Væ nobis, quia peccavimus*. Ex quo patet, quod ruentibus væ immineat: peccantibus per desidiam, lamentum restat. Quod bene Ecclesiæ congruit, quando sacerdotes in ea et virgines ruunt, qui videntur ornamenta ejus esse, et quasi corona decoris. Sed et fidei gratiam interdum dum amittit gloria ejus de capite ruit : quia Dominum decoris in perfidiam commutat falsitatis. Quod autem Dominus corona sit Ecclesiæ, Isaias testatur, dicens . In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et diadema exsultationis residui populi sui. Quam nimirum coronam capitis tunc Ecclesia perdit, quando sanctiores in ea in perfidiam ruunt. Quæ nimirum corona interdum cadit, sed potest lamentationibus reparari, atque integritate fidei reindui. Alioquin Ecclesia Christi speciosa esse non potest, nisi coronetur Christo veniens a Libano, uti in Canticis canitur : *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis : de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon : de cubilibus leonum, de montibus pardorum* (*Cant.* IV). Sed et ipsa corona Christi creditur, de qua in Canticis pulchre ait : *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem, in diademate quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus* (*Cant.* III). Quam sane coronam Ecclesia, quæ vere sponsa Christi est, tunc perdit, quando decorem fidei, et integritatem operum ejus amittit in his qui summi videntur in membris Christi. Aut certe corona capitis nostri tunc ruit, quando hi qui videbantur ad decorem et gloriam insigniri, pro diademate in Christo, qui caput est totius Ecclesiæ, in perfidiam, vel in scelera, vel flagitia cadunt. Cadit quippe corona capitis nostri, cum hi defluunt, qui in Christo ornamentum videbantur esse decoris : sed tunc væ imminet, cum et hi per diversa corruunt, qui videntur summi : deinde vulgus lasciviens, in peccata et flagitia venit. Hinc est quod propheta simul cum populo, imo pro eo plangit : *Væ nobis, quia peccavimus*. Evigilant ergo peccatores et væ sibi imputant, quoniam Deum offenderunt peccando. Unde dolor oritur in corde, aut delinquendo suffixus, aut pœnitendo commotus. Cæterum moraliter, corona capitis nostri tunc perit, cum bona voluntas amittitur. De qua sane recte Propheta gratulabundus canit : *Scuto*, inquit, *bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos, Domine* (*Psal.* V). Tunc ergo mens nostra corona virtutum decoratur, cum **1546** scuto bonæ voluntatis in omnibus non solum ornatur, verum etiam in protectione Dei defenditur. Sed cum bona voluntas in mentem cadit, quid aliud quam corona virtutum, et decor nostræ salutis amittitur? Hinc quoque est quod recte plangitur. Væ nobis, quia peccavimus, quia omne quod agimus, nisi coronetur scuto bonæ voluntatis peccatum est. Et tunc imminet, quia peccavimus amissa bona voluntate, jam non per excessum, sed per desideria, cum intentione pessimæ voluntatis delinquimus. *Propterea*, inquit, *mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri*. Porro cor Judæorum in utraque captivitate, cum variis vexarentur cruciatibus, quam mœstum fuerit, forte nec est qui sentiat : et quam tenebrati oculi præ lacrymis et doloribus, nemo qui apprehendat, est tamen ejulatus omnium delinquentium, qui sibi imputant peccasse in Deum. Sed duplex mœstitiæ ac doloris species æstimatur. De qua sane Jeremias : *Dolor meus super dolorem : in me cor meum mœrens* (*Jer.* VIII). Hoc quippe dicto significat, dolori peccatorum dolorem compunctionis adjunctum, ut sit dolor super dolorem. Est igitur malus dolor, ut est illud : In dolore paries filios : est et bonus ut est : et dolor meus renovatus est, nimirum pœnitendo. Qui ergo post peccatum salubriter luget, in mœstitia cor humiliat : ut medicinali dolore, dolor infirmitatis abscedat. Propterea David inquit : *Cor contritum et humiliatum Deus non* spernit (*Psal.* L). Propterea sit in animo omnium delinquentium humilitas et pudor de perpetrati operis facinore : dolor vero ex pœnitudine infixi vulneris. *Ideo*, inquit, *contenebrati sunt oculi nostri, propter montem Sion quod disperiit*. Quorum ergo oculos malitia infecerat delinquendi, jure planguntur contenebrari, quia excæcavit eos malitia eorum : ut Christus qui est lapis abscisus de monte sine manibus, et crevit in montem magnum, videre non possunt quia disperiit, id est cum esset æqualis Deo Patri, semetipsum exinaniens : ut hi qui videbant prius, jam non videant ; et qui contemplabantur legem, cæci fiant : ita ut neque Christum, neque ejus Ecclesiam, montem videlicet spiritualem toto orbe terrarum crescentem, prospicere queant : quia contenebrati sunt oculi omnium perfidorum, propter nomen Sion quia disperiit. *Vulpes*, inquit, *ambulaverunt in eo*. Persecutores videlicet vel hæretici : quia male de incarnatione Christi senserunt, **1547** dilaceraverunt omnem Ecclesiam Christi, et omnem catholicam intelligentiam, de ea fraude et dolo corruperunt : idcirco et ipsi partes vulpium erunt. Fuit namque Herodes persecutor Christi, et peremptor Joannis vulpes, de quo Dominus : *Dicite*, inquit, *vulpi illi*. Sunt et omnes hæretici vulpes insidiantes : de quibus sponsa in Canticis : *Capite nobis vulpes, quæ demoliuntur vineas* (*Cant.* II). Demoliuntur ergo hæretici vineam Domini Sabaoth, quam plantavit ipse, vineam Sorech. Idcirco plangendum est cunctis catholicis, propter insidias eorum et fraudes, contenebrati sunt hi etiam, qui videbantur oculi in Ecclesia (*Luc.* XIII), et lumen scientiæ reliquis præstare membris in corpore dedicatis. Unde dicamus singuli, dicamus omnes : *Illumina, Domine, cordis nostri obtutus, et digna fidei claritate nos illustra* (*Cant.* II) : ut quæ digna sunt, videamus; quæ autem indigna, vitemus. Sequitur : *Tu autem, Domine, in æternum permanebis, et solium tuum in generatione et generationem*. Ubi alius interpres ait : *In æternum habitas : quia recte inhabitans, in æternum permanere dicitur*. Æterna quippe mansio est illi : idipsum vero esse, est quod permanet : et esse

Introdusă în format electronic de Google

Patrem in Filio, Filiumque in Patre . ut sit in eis una æternitas, unaque substantialis sempiternitas, non habitatio localis, neque mansio temporalis : sed in seipsum una et individua permanendi essentia. Quamvis enim filius semetipsum exinanierit formam servi accipiens, tamen in æternum unus idemque recte incommutabiliter permanere creditur, licet non inconvenienter sedes ei secundum humilitatem, in sæculum sæculi præparata prædicatur : quæ propter mortalitatem assumptam, suscepta cognoscitur. Idcirco in æternum utraque natura permanere dicitur. *Et solium tuum*, inquit, *in generatione et generationem*, ut dum solium regnantis intendis, judicem summæ potestatis expavescas : et si humana mortalitas multis attrita corruptionibus, ut vestimentum veterascit, ejus essentia et majestas, indeficiens et incommutabilis credatur. Convertat autem se Propheta totum ad Deum, cuncta despiciens labentia, qui semper idem est : ut ex hoc inter varia discrimina vitæ consolationem accipiat. Unde querelosis precibus auxilium implorat : *Quare*, inquit, *in perpetuum oblivisceris nostri, derelinquis nos in longitudine dierum?* Non quod Deus thesauros memoriæ amiserit aut scientiæ, sed quia differt occulto quodam judicio auxilium præstare statim, dum quasi **1548** despicit obsecrantes, et corda non consolatur in angustia depressorum : imo ad modicum cum deserit, ut per patientiam probet, et per victoriam remuneret quos probaverit, ex humana fragilitate mens quibusque pressa molestiis Deum existimat oblivisci. Nam oblivio fontem cooperit charitatis, miserendi cito subtrahit facultatem : obtundit aciem præstandæ gratiæ, nec sinit auxilium præstare mox in miseria constitutis. Quod bene Propheta cognoscens deflet : Quare, inquit, in perpetuum oblivisceris nostri? qui si ad modicum quasi oblitus, gratiam præstare distuleris, multis, depressi ruinæ casibus, vitiis subjacebimus. Idcirco semper exorandum est, ne derelinquas nos in longitudinem dierum. Unde necesse est semper ejus memores simus : ut et ipse nostri memor misereatur. Nec enim obliviscentes se recordabitur, nisi ad hoc tantum, ut ejus per gratiam insinuet requirendum, quod prius mens male nescia inquirere nesciebat. Ergo dum ea quæ memoriæ inseruerit dilabuntur, nisi rursus per occultam gratiam itidem inspiraverit, passione oblivionis in animo obliterantur. Præsidet enim Deus thesauris memoriæ nostræ, qui sunt abyssus multa : et occulta quadam dispensatione sua, quæ illic recondita, quodammodo temperat, medetur et disponit. Unde dictum est : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum, universi fines terræ* (*Psal.* XXI). Reminiscentur quidem prius, ne et ipsi mandatorum Dei obliviscantur : deinde rursus convertentur ad Dominum : ut quæ memoriæ inspirata sunt, per occultæ inspirationis gratiam vobis omnibus compleantur. Quid enim reminiscitur, nisi ejus, quod memoriæ commissum fuit? Aut quid obliviscitur, nisi quod sine dubio insitum fuit animo? Unde Dominus : *Populus*, inquit, *meus oblitus est mei diebus innumeris*. Ac propterea totum rogat Propheta, ne nostri obliviscatur Dominus, non dico ad modicum ne tentemur, sed in perpetuum ne absorbeamur; ac deinde reminiscentes regat, ne derelinquat nos passionibus subjacere, sed confirmet ut convertamur ad eum, quem toto corde diligere jubemur. Hinc est quod sequitur : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, innova dies nostros sicut a principio*. Novit igitur Propheta aversiones nostras, multas esse; ideirco rogat post multa naufragia et tempestates confractis viribus. Converte nos, Domine, et convertemur. Quibus perfecto verbis pietatis, primum implorat gratiam : deinde per **1549** gratiam repromittit arbitrium, ut effectus capiat salutis. Alioquin nisi per gratiam, nullus est qui convertatur aversus, quia nostrum est quod cecidimus : Dei autem quod resurgimus; aut sit secundum Apostolum : *Neque volentis neque currentis : sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Et notandum quod ad te, inquit, intelligas, quidquid est quod alibi intendimus, quia aversio est. Neque enim sufficit ut convertat nos Deus, nisi et nos ad eum per gratiam nostra convertamur voluntate. Est autem quodammodo velamen infirmitatis nostræ, sensibus nostris objectum : quod nisi fuerit illuminatione Christi submotum, converti ad Deum nulla ratione valemus. Unde fit ut et libertas reddatur per gratiam, et gratia libertatis cooperentur arbitrio bonæ voluntatis. Et ideo exorandus est Deus, ut nos ad se post apostasiam nostræ aversionis convertere dignetur. Quis enim septus tenebris, potest solis contueri claritatem? Aut quo in loco requiritur, quem scimus, in terris invenire non possumus? Restat igitur quamvis tenebris obsessi simus, fulgentibus radiis per gratiam, ut sol justitiæ oriatur in nobis, qui nullis obtinetur voluptatibus, per libertatis arbitrium, sed ex infusione sancti Spiritus charitas radiatur. Unde Propheta a conversis : *Et nunc*, inquit, *sequimur in toto corde, timemus te, et quærimus faciem tuam, Domine, ne confundas nos*. Qui ergo ex toto corde sequitur, conversus, post tergum Dei sui ire non retardat : ac propterea sequitur : *Innova dies nostros sicut a principio*. Ut *ad bravium* quandoque *conversus supernæ vocationis* pertingat : quia conversio initium est reparationis antiquæ vitæ. Porro innovatio dierum, perceptio est æternitatis. De qua sane dierum æternitatis, in persona Christi Propheta canit : *Et egressus ejus*, inquit, *sicut a principio dierum æternitatis*. Ad quod sane principium innovationis revocamur, cum convertimur : cum autem perventum, fuerit ad id innovabimur. Renovatur autem quod inveteratum est et corrumpitur, quia dies nostri in paradiso, quos habuit primus homo, immortales erant, in mandatis Dei si permansisset, priusquam averteremur ab eo. Unde quia **1550** per aversionem cecidimus in vetustatem, et perdidimus dies æternitatis, novit Propheta per conversionem eos posse restaurari, idcirco etiam alibi orat : Converet

Introdusă în format electronic de Google

me, Domine, et convertar ad te; seu cætera quæ sequuntur. *Sed projiciens*, inquit, *repulisti nos : iratus est contra nos vehementer*. Ob immanitatem scelerum iram deplorat pii judicis, quando tempore furoris desævit ultio peccatorum. Quos iratus etiam expulisse plangitur a se, qui ubique totus esse creditur. Nam repulsionis differentias duas esse intelligimus. Prima qua tradimur tentatori peccatores : secunda quia succumbimus tentamentis. Unde cum ad tentandum exponimur, utique sine Dei ira repellimur. Cum vero vincimur, neque pœnitet repulsionis, repellimur. Quam sane repulsione sicut David ait : Quam præscivit et prædestinavit, nunquam repellit Deus plebem suam : interdum autem donec pœniteat. Quando sic repellimur ut vincamur, vehementer contra nos iratus esse Deus ostenditur. Ex quo David : *Quis novit*, inquit, *potestatem iræ tuæ ?* (*Psal.* LXXXIX) et quis poterit præ timore tuo iram tuam dinumerare ? Quoniam aliquando ut pater, aliquando ut Dominus, aliquando vero indignatur ut judex. Ut pater quidem irascitur, quando verbis aut correctionibus increpat delinquentem, et tamen pœnitenti non subtrahit medicinam : uti longe supra idem Propheta : Saltem amodo, inquit, voca me, pater meus, dux virginitatis meæ es tu. Nunquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem ? Ex quo liquet patrem irasci merito non in finem, sed usque ad tempus conversionis. Ergo quando paulo durius percutimur, Dominus irascitur : et statim de peccato sumit vindictam. Quod bene Moyses cum sensisset : *Domine*, inquit, *ne irascatur furor tuus contra populum tuum*. Porro ut judex tunc iratus ostenditur, quando dicturus est impiis, peccatoribus; *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Cujus post præsentiam, jam veniæ locus non datur. Sed hic interdum contra nos iratus esse ostenditur, quando nec finis malis imponitur, neque per pœnitentiam excrescentibus culpis, flagella cessant.

S. PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI

LIBER,

Secundis ejus curis expolitus et auctus, nunc demum ad manuscriptos codices et antiquas editiones recognitus.

(Marten., ampliss. Collect., tom. IX.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Quæ sequuntur Paschasii Radberti abbatis Corbeiensis opuscula duo, ambo ad petitionem Warini Corbeiæ Novæ abbatis, sui olim discipuli, scripta fuere, ambo ad juniorum fratrum, *quos necdum unda liberalium attigerat litterarum* condita, ambo jam lucem viderunt, et tamen ambo nihilominus nova prodeunt et apparent. Liber de Corpore et Sanguine Domini, primus Paschasii fetus, longe antequam ad abbatialem esset dignitatem evectus, eo præsertim tempore fuit compositus, quo abbas Arsenius, *quem sua tempora alterum Jeremiam ferebant*, exsul agebat. Hinc qui nomine Arsenii sanctum Adalardum ab anno 814 ad 821 in Herio insula exsulem intellexerunt, hi anno circiter 818 scriptum fuisse communi consensu tradiderunt : quæ quidem opinio apud eruditos omnes fere hactenus invaluit. Verum cum Warinus, cui suum Paschasius opus inscripsit, nonnisi defuncto Adalardo suffectus, Corbeiæ Novæ administrationem anno 826 assumpsit, stare non potest eorum argumentandi ratio. Præterea cum sanctus Adalardus, aliquando Antonius, interdum Augustinus, dictus, nusquam Arsenius aut Jeremias sit cognominatus, concidit prorsus illorum sententia. Satius est ergo, cum Mabillonio et Coiatio, asserere Paschasii librum de Corpore et Sanguine Domini conscriptum fuisse tempore exsilii Walæ abbatis sui, cum *discordiarum anfractibus pene laberetur orbis, effusa super magnates contentione imperii*, quod ab anno 830 ad 832 contigisse docet nos Paschasii ipsius Dialogus de gestis Walæ, sive, ut fert libri inscriptio, *Epitaphium Arsenii*. In eo quippe Wala perpetuo Arsenius et Jeremias appellatur.

Posteaquam vero anno 844 Veteris Corbeiæ creatus est abbas Paschasius, cum intelligeret non sine fructu ab universis pene legi librum suum, eum denuo recognitum et variis accessionibus auctum Carolo Calvo regi obtulit. Hinc conjicies quanti tunc æstimatus æstimandusque sit aureus ille liber, quem vir tantus regum maximo dignum duxit offerri. Et certe traditam ab apostolis sanctisque Patribus de sacramento altaris doctrinam, præsertim de reali, ut aiunt, Christi præsentia in Eucharistia, de panis et vini in ejus corpus et sanguinem conversione, quam vulgo transsubstantiationem vocant, aliaque mysteria ita clare et perspicue explicuit, ut viam cæteris, qui eo de argumento multi postea scripserunt, aperuerit; quia, ut ait Possevinus, « tanquam propheticus scriptor est habitus, quod ducentis ferme annis Berengarii hæresim antequam nasceretur, exstinxit. » Unde nec immerito Mabillonius asseruit in negotio controversiæ Eucharisticæ tantam esse necessitudinem inter Radbertum et catholicam fidem, ut fere

Introdusă în format electronic de Google

perinde sit hanc an illum impugnare aut defendere, » cum et « Romana Ecclesia Radbertum velut apostolicæ traditionis hac in causa eximium interpretem ac defensorem agnoscat. » Quin et S. Odo, Cluniacensis abbas, in lib. II Collationum, relatis aliquot locis ex libro Paschasii, cap. 30 et 31, hæc subdit : « Hæc et alia multo plura ex dictis Patrum ad reverentiam ipsius mysterii commendandam atque majestatem ejus demonstrandam conscripsit, quæ si quis, licet sciolus, legerit, tanta credo discet, ut de hoc mysterio parum se hactenus cognovisse putet. »

Quanti ergo sit momenti textum ejus purum et ab omni mendo expurgatum, ab eodem auctore præsertim recognitum et auctum, viris eruditis ac piis exhibere, nemo non videt. Et hanc quidem in se provinciam jam pridem susceperat noster Petrus *Sabbatier*, qui cum sanctos Patres de Eucharistia ex professo tractantes, ad manuscriptos codices recogaitos publicam in lucem edere meditaretur, ipsum Radberti librum cum manuscriptis viginti jam contulerat; sed cum ad restituendam sacrorum Bibliorum antiquam versionem Italicam omnia studia sua convertisset, integrum laborem mihi ultro concessit.

Codices autem ab eo collati hi sunt :

Aniciensis ecclesiæ codex antiquissimus, atque ipsius Radberti ætate conscriptus.

Puteanus, annorum circiter 900, qui modo exstat in bibliotheca regis Christianissimi, n. 4556.

Bibliothecæ ejusdem alii tres codices 4070, annorum circiter 500, qui factas temporis decursu a Paschasio accessiones continet, 4074 et 4357, annorum circiter 600.

Colbertini duo 939 et 3682, annorum circiter 800.

Reginæ Sueciæ duo, 1547 et 1544, quorum variantes lectiones Romæ existens excipi curaverat noster Mabillonius. Ex his unus supradictas continet accessiones.

Vaticanus, n. 3472, qui olim Brixiensis sanctæ Euphemiæ monasterii fuit.

Laudunensis ecclesiæ B. Mariæ codex.

Turonensis Majoris-Monasterii, annorum minimum 700. Turonensis alter S. Martini, annorum 600.

Rhemensis S. Remigii.

Rothomagensis S. Audoeni, annorum 500.

S. Germani a Pratis tres, scilicet n. 462, annorum 600; et n. 647, annorum 200, cum altero non multo antiquiore.

Corbeiensis monasterii duo, n. 297, annorum 500, optimæ notæ, et n. 361, annorum 600.

His adjeci Florentinum codicem fratrum Minorum monasterii sanctæ Crucis, ex quorum bibliotheca piæ memoriæ cardinalis Bona Gezonis abbatis Dertonensis tractatum de Corpore et Sanguine Domini describi curavit, atque ad nostrum Acherium transmisit. Quo in opere, paucis exceptis, integer Paschasii libellus continetur. Atque ut nihil diligentiæ nostræ desideraretur, antiquas etiam editiones consuluimus, de quibus aliquid dicere operæ pretium est.

Paschasii Radberti librum de Corpore et Sanguine Domini primus Hagenoæ apud Joannem Secenum edidit, aut potius depravavit, anno 1528, Hiobus Gastius, homo Lutheranus, cujus editionem *novatorum cacodoxorum propudium et dedecus* post cardinalem Perronium merito appellat Philippus Labbeus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis tom. II, p. 157. De ea pauca hæc Mabillonius in præfatione ad sæculum VI Benedictinum, tom. II, disserit : « Ex Lutheranis Hiobus Gastus Hagenoensis Paschasii librum vulgavit anno 1528, eumque penitus pervertere demum ausus est, pudendo plane ac detestando facinore. Cum enim Paschasium non minus transsubstantiationis et sacrificii, quam realis præsentiæ patronum ubique animadverteret, eo processit hominis impudentissimi temeritas, ut non solum integra hujusce libri capita expunxerit, verum etiam alia subinde verba atque sententias subornarit intruseritque, quo Paschasium errori suo patrocinari persuaderet. »

Duodecim post annis, nimirum 1540, Guillelmus Ratns. doctor theologus, ecclesiæ Rothomagensis canonicus et pœnitentiarius, cum a Francisco Quadrato, Beccensi monacho, Lanfranci, archiepiscopi Cantuariensis Beccensisque olim monachi, Dialogum in Berengarium hæresiarcham accepisset, illum publicam in lucem emittere statuit, atque ut justum efficere posset volumen, ei Paschasii Radberti librum de Corpore et Sanguine Domini adjunxit, præfixo ipsi hoc titulo : *Ex vetustissimis orthodoxorum Patrum Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Isichii, et Paschasii, de genuino Eucharistiæ negotii intellectu et usu libellus, ex divinis Scripturis ab iisdem dexterrime conflatus, contra omnes vesano sacramentario spiritu vertiginosos, qui cum ipsi Patrum opinionibus pertinacissime inniteniur, plane Achilleum telum nuper ex vetusto exemplari, bonis avibus, in fanaticorum omnium interniciem depromptus.* Cujus seditionem cum manuscriptis collatam cum discussissem, eamdem esse reperi cum editione Gasti, quam ille absque ullo alio examine, bona fide recudit.

Idem sentiendum esse opinor de illa editione, quæ Lovanii, anno 1541, facta fuisse dicitur, nam illam non vidi.

Primus hæretici fraudem et virus detexit Nicolaus Mameranus Luxemburgensis, qui, depravatoris librum cum manuscriptis conferens, mirari satis haud potuit perversissimi hominis impudentiam. « Scire, inquit, non possum, quidnam illi homini in mentem venerit, aut quem tum potius in mente vexatorem spiritum habuerit, cum ita hunc auctorem nequiter dilaniaverit, ut in toto fere libro nihil salvi, nihil integri et incorrupti reliquerit : adeo ut etiam ipsum verborum contextum passim inverterit, multa verba omiserit, quædam mutaverit, plurima noviter intexuerit, totas clausulas sustulerit ac variaverit, et alicubi medias, alicubi integras paginas, integra capita abjecerit, et de suo aliquid in abjectorum locum suffarcinaverit. Sic misere et inique tractatus nullus, credo, unquam alius a quopiam auctor est. » Et paulo post : « Sic ille ritus Ecclesiæ Romanæ exosos habuit, ut ubicunque in Paschasio vel sacerdotis vel altaris, vel immolationis, vel consecrationis, vel pœnitentiæ nomen invenit, id aut omiserit, aut expuncto eo, aliud subrogaverit. Nimirum loco sacerdotis, ubique ministrum Ecclesiæ, aut ministrum verbi Christi posuerit, quod non est Paschasianum; loco altaris, mensam Domini; loco immolationis, intercessionem; loco consecrationis, benedictionem; loco pœnitentiæ, agnitionem peccati et commissæ inobedientiæ. Item pro celebrari, alicubi posuit, nullo rationis sensu, manducari, et hujusmodi alia plurima. Ubi si in toto non plus peccasset, non satis alieno in libro designatum audaciæ et flagitii videri posset. Verum hæc nihil sunt ad alia quæ corrupit plurima », etc.

Igitur cum falsarii nequitiam deprehendisset vir catholicus et sincerus, prætermisit omnino nihil, ut Paschasius integer et incorruptus in lucem prodiret, et, ut ipse ait, nec laboribus maximis, nec impensis ullis parcere voluit, quo publicum promoveret commodum, quin et quamprimum postpositis omnibus quamlibet seriis negotiis, optimum auctorem suæ integritati restitueret et in lucem daret, ne iterum alicubi Hagenoica adulteratione monstrosus prodiret per orbem, cum magno suæ existimationis et Ecclesiæ detrimento distrahendus. Quapropter cum vetustissimos duos Paschasii codices offendisset Coloniæ, unum in celeberrimo ordinis S. Benedicti S. Pantaleonis cœnobio, alterum in Fratrum Prædicatorum ejusdem urbis conventu, ad eorum fidem Paschasium sincerum et ab omni hæretica fæce expurgatum dare non distulit, vulgavitque Coloniæ anno 1550.

Consimile per id temporis studium aggressus fuo-

Introdusă în format electronic de Google

rat Joannes Ulimmerus, Lovanii apud S. Martinum canonicorum regularium prior, qui acceptis ex Anglia aliquot Paschasii Radberti codicibus manuscriptis, novam libri de Corpore et Sanguine Domini paraverat editionem; sed a Maneranо præoccupatus, totum exspectavit decennium, quo exspirante ejus privilegio, atque tota et integra editione distributa, Paschasium denuo Lovanii prelo commisit anno 1561.

Demum anno 1618 recolendæ memoriæ Jacobus Sirmondus, societatis Jesu presbyter eruditissimus, omnia Paschasii opera, ac proinde librum de Corpore et Sanguine Domini ex ms. bibliothecæ Corbeiensis, Nivellianis typis subjecit, unde in varias Patrum Bibliothecas tandem transiit.

His in omnibus fere editionibus atque mss. Paschasii opus in viginti duo capita distributum cernere licet. Sed Maneranus in quadraginta novem divisit, recens sancti Germani a Pratis codex sectiones sexaginta duas habet, Laubiense nonaginta novem. Eam retinuimus divisionem, quæ omnium fere est manuscriptorum, titulos capitulorum, quos Laubiensis exhibet codex, propter suam antiquitatem, in inferiori margine adnotare contenti.

VERSUS

Quos scripsit ad Carolum regem PASCHASIUS RADBERTUS *abbas,* [a] *quando ad eum misit librum suum de corpore et sanguine Domini.*

[b] Audenter nunc nunc gelida de rupe Camenæ
Ut veniant petimus : verum te, Sophia virgo,
Fulgentis niveum quæ servas culmen [c] olympi,
Aurea lux [d] mundum irradians, cui vertice surgit,
Et Phœbæ radios facies gratissima mittit,
Componitque humeros ignitis purpura gemmis ;
Deprecor ut precibus degneris cedere nostris,
Regis et ad solium pro majestate verendum
Incessu properes gravido vultuque modesto,
Ut coram steteris niti lo sic ore loquaris :
Rex virtute potens, sophiæ quem splendor adornat,
B Karole, cui nomen serie descendit avita,
En offert famulus devoto pectore munus
Abbas Radbertus, placide quod diva potestas
Accipias, necnon oculis et pectore cernas
Quid habeat, seu quid calamo signante peroret.
Non terrenum aliquid, sed cœli mystica promit.
Nam corpus Christi, roseam seu sanguinis undam
In lucem retegit, quæ sint mysteria monstrans,
Legerit ut quisquis devota mente fidelis,
Visibili specie cœlorum arcana pavescat [e].

[a] Quod quidem non contigit ante annum 844, quo, defuncto Isaaco abbate Corbeiæ-Veteris, subrogatus est Paschasius Radbertus.

[b] Codex Colbertinus hoc modo incipit : *Idoneæ nunc nunc gelida*, etc. : cujus auctoritate expunximus *gelidæ*, quod præfert codex Aniciensis, ex quo hos versus primus edidit Mabillonius.

[c] Sic optimæ notæ cod. Colbertinus; cum Aniciensis legat *lumen*.

[d] Id est, mense Decembri.

[e] Anic. ms., *drcana pavescit*.

EPISTOLA

Ejusdem PASCHASII *ad Carolum regem.*

Domino præcellentissimo regi humilis et exiguus PASCHASIUS RADBERTUS [a] vester, etsi indignus abbas ac [b] levita Christi, monachorum omnium peripsema, plurimam [c] salutem, rex inclyte, vobis.

Hinc inde, ut condignum est, ad superventura diei Dominici [d] festa missuri sunt auri argentique et vasorum diversi generis munera, necnon et variæ D supellectilis vestium ornamenta, falerata equorum, cæterorumque animalium quæque præcipua : inter quas nimirum, etsi ultimus, fide devotus quia monuistis, et mea, ut opto, vos delectant ; decrevi non ignavi ponderis metalli vestræ majestati munus offerre : scilicet libellum, quamvis exiguum corpore, magnum tamen de [e] Sacramentis sacræ communionis, quem dudum *Placidio* meo [f] *Warino* abbati devoto et fideli vestro consecrans, ideo sic communius volui stylo temperare subulco, ut ea quæ de Sacramento corporis et sanguinis Christi sunt necessaria rescire ; quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum et salutis haustum

[a] *Proprium huic nomen erat Radberto ; quo nomine subscribit synodo Parisiensi, eidemque scribit Lupus. Ascititium Paschasio, quod agnomen proprio nomini præponere ipse solet*, inquit Mabillonius in elogio ejus historico, cap. 1.

[b] Quippe Radbertus ne quidem factus abbas ad sacerdotii gradum voluit promoveri vir modestissimus.

[c] Excidit ab editis vox *plurimum*, quam exhibent et Aniciensis codex et Colbertinus.

[d] Id est; ad Natale Domini, ut conjicit Mabillonius Præf. ad sæc. x. Bened. part. II, p. 9.

[e] Ex hoc loco refutata manet Ludovici Cellotii sententia, qua duos de Eucharistia Paschasii Radberti libros distinguit, unum breviorem *de Corpore et Sanguine Domini*, hactenus vulgatum ; alterum prolixiorem *de Sacramentis*, quem ait excidisse. Hinc enim patet librum de Corpore et Sanguine Domini alium non esse a libro *de Sacramentis*, quo nomine illum appellat libro XII Comment. in Matth.

[f] Hinc collige Warino Corbeiæ-novæ abbati ascititium fuisse nomen Placidio, quo agnomine diu ignotus jacuit.

Introdusă în format electronic de Google

planius caperent ad medelam. Nunc autem dirigere non timui [a] vobis, quatenus nobis operis præstantior per vos exuberaret fructus mercedis pro sudore, cum per vos ad plurimos pervenerit commendatus, et gratia nobis responderit oblati muneris : quia pecunia verbi (sicut plenius, Domine mi rex, nostis,) quantos repleverit suis sumptibus auditores, tantis copiosius in se amplificatur meritorum opibus [b]. Qua de causa velim non levi animo ista perlegat vestræ solertiæ magnitudo; verborum ad alia pretiosorum amore ductus : sed sic super hanc intendat prudentia vestra mensulam paupertatis, ac si ad ferculum Salomonis, quod ambiunt ex fortissimis supernorum civium electorum sexaginta fortes (*Cant.* III, 7, 9). Ubi profecto si quis superciliosus aut invidus, vel indignus accesserit usquam, eorum tutus loquor præsidio, de quibus est sermo, non ista absque periculo contemni, quoniam uniuscujusque ensis hinc inde vibratur (*Ibid.*, v. 8), tam ut talium retundat audaciam, quam ut regis excubias custodiat [c] contra hostes (*IV Reg.* XI, 7). Qui etsi minus est in eloquio, multo præstantius in materia, qua digne credentibus vita præstatur incorruptibilis et æterna! Idcirco ne me putes, Augustorum charissime [d], fabulam vobis contexere de Maronis salsura. Imo cavendum ne ullus in his offendat; quia nihil felicius, si digne ad ea gustu intelligibili quisque pertingat. Ubi, si recte sapio, quotieslibet quicunque recumbit inter ea de quibus agitur, inter angelorum frequentiam et sanctorum omnium epulas versatur : quia convivium æterni Regis est ad quod ingreditur, ubi sponsus et sponsa dulcibus deliciarum fruuntur muneribus, et Rex totius creaturæ quotidie ingreditur, ut videat discumbentes, si vestem in qua renati sunt habeant nuptialem (*Matth.* XXII, 11, 12). Quapropter non pervipendere debemus tantam gratiam : sed cogitare qualiter possimus cum fiducia æternæ vitæ pascua contingere. Hinc ergo, præstantissime rex, de hoc exiguæ [e] lectionis eloquio placeat diligenter intendere, quanta sit virtus in eisdem mysticis sacramentis, vitam æternam impræsentiarum accipere, et angelicis escis Christi in corpore quotidie saginari. Quoniam etsi a Deo plena sunt omnia, nosque coram oculis divinæ majestatis semper versamur, et perfidis ubique nullus tutus est locus, tamen plurimum coram sanctis altaribus frequentiam angelorum vultum Dei contemplantem, [ac] divina obsequia observare oportet et vereri, taliaque mente et anima instantius perscrutari. Et ut hæc diligentius vestra perlegat sagax intelligentia, licet humilia videantur, prostratis imploro precibus, quatenus vestro examine comprobatus codex, etsi jamdudum ad plurimos pervenit, deinceps securius haberi possit : quia non de nostro ista edidimus, sed catholicorum Patrum doctrinam, veritatis calamo conscriptam, nostro stylo commendavimus. Quod si dignitas vestra ea quæ devotus offero, digunter acceperit, meaque [f] taliacunque grata fuerint, illud Maronis in fine cantabo :

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

(*Virg. Bucol.*, eclog. III.)

[a] Ms. Colbertinus legit *curavi*.
[b] Eadem fere in epistola ad Placidium.
[c] Ms., *custodiant*.
[d] Forte, *clarissime*.
[e] Colbert., *exiguo*.

[f] Hunc locum emendavimus ope codicis Colbertini, qui legit *meaque*, non *in ea quæ*, ut in editis habetur, manifesto amanuensis errore, qui ex una *m* litteras duas fecit *in*, et *quæ* posuit pro *que*.

VERSUS PASCHASII RADBERTI

De Corpore et Sanguine Domini.

Regis [a] adire sacræ qui vis solemnia mensæ,
Almificum Christi corpus contingere votis,
Delicias [b] vesci, roseum potare cruorem,
Bacchica nostra velim, puero [c] quæ misimus olim,
Et niveos casto condas in pectore flores :
Rustica forte animo sordent, sed mella [d] manabunt
Tantum [e] quæ calamus Christi de fonte ministrat,
Unde sitim pueri [f] possint restinguere (*al.*, restringere) saltem
Si libeat digne sectari jussa Tonantis.

Libertas etenim fidei nunquam abnegat ulli
Eximios vitæ fructus de cespite carnis :
Vita, salus, pax, lux, sapientia denique cunctis
Unde manat per eum [g] cœli sub cardine quadro,
Hu quoque muneribus si dignus vixeris istis
Accipies palmam regni virtute beatus [h].

Disponit causam nostris Deus usibus aptam,
Ut panis corpus, vinum sanguisque sit ejus,

[a] Mameranus et Ulimmerius manifesto errore legunt *Legis*, quo posito, acrostichus in prima littera claudicaret.

[b] Editi *Deliciis vesci* contra fidem decem mss. qui constanter legunt *Delicias vesci*, nec male; nam etsi frequentius *vescor* cum casu ablativo jungatur, nonnunquam tamen cum accusativo apud optimos auctores ponitur, ut apud Plinium lib. X, cap. 38; Propertium lib. II, eleg. 6; Tacitum in Vita Agricolæ. Ex hoc porro loco patet Radberti nomen cum *d*, non cum *t* legendum hoc modo, *Radbertus* non *Ratpertus*.

[c] Warino scilicet, seu Placidio abbati, quem *puerum* vocat, quod a primis eum annis erudiisset.

[d] Ita Mameranus cum mss. At vero Ulimmerius et Sirmondus legunt *mella meabunt*.

[e] Aniciensis codex, duoque Colbertini, *Iste tamen calamus*.

[f] Sic restituimus hunc versum ope manuscriptorum optimæ notæ. Nam editi antea legebant :

Unde sitim possis flammasque exstinguere mortis.

[g] Ita Mameranus cum mss. duodecim. Quatuor vero mss. legunt *Inde fluit testor*; duo vero mss. habent *Inde manat sem er*. Aniciensis : *Inde manat per æon*.

[h] Hic desinit carmen a Martenio præpositum libro

Introdusă în format electronic de Google

Sed queat ut submisit, odor, color, ac sapor isdem.
Fit fidei merces, cujus est maxima virtus.
Lex ea naturæ est verti in quod jusserit auctor.
Imperium sequitur de se, mox transit in illud
Quod jubet Omnipotens, res in miracula vertens.
Protinus ergo vicem mutat natura suetam.
Mox caro fit panis, vinum mox denique sanguis,
Datque sacerdotes, sibi quos incorporat omnes,
Hæc ut agant per eum mysteria, et ipse per illos.
An homo naturam per se mutaverit ullam,
An homo triticeam præstaverit esse Dealem?
Vox sed id explet opus, quæ condidit omnia prorsus.
Nam semel ut terram jussit, quod germinet herbam,
Quod facit illa, dehinc per cuncta volumina sæcli
Jussit et hoc fieri, sic se substantia vertit,
Hoc opus et cœnæ per eum patratur ubique.
Plurima visibili semper virtute peregit,
Nam mare cum scindit, coluber fit virga vicissim,
Petraque fudit aquas, nimbus quoque præbuit escas,
Fertque columna ignem, pellitve subinde vaporem.
Ista patent coram, virtus manifesta videtur;
Illa palam fecit, hoc clam gerit attamen ipse.
Hoc opus absconsum quod signa patentia produnt,
Nam manifesta Deus fecit, credatur ut istud.
Dum videt illa oculus, cernat fidei id quoque visus,
Quæ neque veracem dubitat, nec omnipotentem.
Frumentum et vinum generantia virginitatem
Hæc generant turmas de virginitate decoras.
Virginis has species legit quam maxima proles,
Hinc ut castificet numero quos prolis adoptat.
Horrea frumentum replet hoc, cellaria vinum,
Cor hominis facit hoc, illud quoque firmum,
Hæc duo virgineas generant sic ergo choreas.

A Participes calicis mundos perstare necesse est.
Abluit inde pedes, cœnæ cum tempus adesset,
Discipulis mundam suadens hos ducere vitam,
Participes divini, quo mundentur, sacramenti,
Ne ut Judæ similes capiant mage damna salutis,
Immundi mundam quoniam audent sumere libam.
Nam docet in calicis quosdam natale futuros,
Qui sibi judicium sacra per mysteria sumunt.
Hinc sinit inter eos qui convivantur amicos,
Ut Judas epulum gustet canis ille polosum.
Officit infirmo, prodest quod denique sano.
Qui pluit injustis, solemque ministrat iniquis,
Esseque vult salvos, et verum agnoscere cunctos.
Hoc commune bonum cunctis largitur ad usum;
Quisque tamen videat, qualis, vel qualia sumat,
B Præmia cui vitæ, cui sint augmenta gehennæ.
Cætera sanciret cum lex, quæ hæc causa reposcit,
Hoc posuit primum, jussitque vorantibus agnum,
Ut quicunque suos studeat præcingere lumbos,
Quod magis expediat, hoc primo locans manifestat.
Convivas epuli castos docet esse superni,
Qui litat in veteri, libat velitamina ritu,
Lotus et a licito se conjugis abstinet usu,
Hinc licito ad tempus, quia fert tribus una ministros.
Umbra tamen veteris sunt illa, typusque holocausti.
Quam magis esse decet nitidum, qui talibus hæret?
Mors necat hunc, umbræ cultum qui spreverit; inde
Collige quid maneat, rem ipsam qui forte profanat;
Cum gravet omnes scelus multum pollutio pejus.
C Virgineæ proli nihil est adversius illa,
Majestasque rei, si non discernitur, obstat;
Judicium sumit, qui non dijudicat, inquit.

de Corpore et Sanguine Domini. Sequentes versus ex Anecdotis Muratorii, tom. III, excepimus. EDIT. PATROL.

---

[a] INCIPIT

PROLOGUS PASCHASII RADBERTI

Ad PLACIDIUM *discipulum suum de opere subsequenti.*

PASCHASIUS [b] RADBERTUS Levita, monachorum omnium peripsema, dilectissimo filio, et vice Christi præsidenti, magistro monasticæ disciplinæ, alternis successibus veritatis condiscipulo.

D Novi igitur, [c] nec ambigo tua experimento disciplinarum solertia, quod Arsenius [d] noster, quem nostra nunc nobis sæcula Jeremiam alterum tulerunt ab illo, in fidei te mihi commiserit ratione : propter

[a] Ita titulum præfert codex Colbertinus antiquissimus. Sic vero regii duo mss. : *Incipit prologus Paschasii diaconi in libro de Corpore et Sanguine Domini.* Corbeiensis unus, *In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Incipit liber Ratberti Paschasii levitæ de Corpore et Sanguine Damini. Incipit prologus sequentis operis.* Cui, paucis mutatis, consentiunt sancti Germani et Turonensis S. Martini. In Vaticano, *Prologus libri ad Placidum*, atque ita in duobus reginæ Sueciæ mss. et apud Sirmondum. In pluribus tamen tam scriptis quam editis deest hic titulus.

[b] Plures mss. præfationis inscriptionem habent hoc modo : *Paschasius Radbertus Placidio suo salutem*, tum *dilectissimo filio vice Christi præsidenti.* At magis genuina et genio auctoris accommodata nostra lectio, quæ est Corbeiensis codicis et Germanensis.

[c] Ita Mameranus cum octo optimæ notæ mss. Editio Sirmondi, cum quibusdam codicibus, *Novit igitur*, minus quidem proprie.

[d] *Arsenii* nomine plerique hactenus intellexerunt Adalardum abbatem Corbeiensem, quem Paschasius in ejus Vita *Antonium* et *Augustinum* aliquando appel-

Introdusă în format electronic de Google

quod a primævo indefessus curavi te rapere de inter undas ; sed fateor tibi magis melotam patris supra verticem profuisse : qua denique subvectum [a] te congratulor evasisse, me quoque jucundor non in vacuum cucurrisse. (Præfatus [b] autem pater, uti justitiæ faventibus moris est, exsilium [c] fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum veritatem sciens silere noluit. Unde adhuc suspecti sumus quid Dei dispensatio ex eo ulterius velit, quem jam inspicimus promissionibus meritorum hinc inde divinitus [d] agitari. Tu tamen non es secutus juvenilia, ut assolent, desideria, qui diutinis premuntur inviti disciplinarum compedibus, sed radicatus fide Christi ultroneus moribus et vita quotidie ad meliora, Domino juvante, proficis. Neque, ut frequenter tibi objeceram, supra glaciem scribens ad solem posui, sed in soliditate fidei et charitate Christi interius spiritu [e] solidante semina vitæ sevi.

Unde, votorum filii, censura fidei, et dilectionis [f] gratia etiam inter mundi turbines, præsertim dum nostrarum [g] suis discordiarum anfractibus pene labitur orbis, effusa super magnates contentione imperii, divino arbitrio, quorum lite multum diuque concussus, tandem patent [h] occulta, quæ a principio per partes hinc inde concreverant, delictorum habenis ubique concupiscentiarum refusis, jam sua summos feriunt fulgura montes ; ita ut nihil nostras nisi confusio undique per singula horarum spatia repercutiat aures : tamen non supersedi, ne unicum ac specialem te divinis duntaxat, quamvis clausus [i] in custodia, curarem eluere votis, et ad immortalia æternorum, licet sermone inelimato, pulsum a lacte annuis angoribus ut gliscas felicius [j] invitarem. Quod ideo placuit communi [k] stylo temperari subulco, et ea quæ de sacramento Dominici sanguinis et corporis tibi exigis necessaria, tui prætextatus [l] amore ita tenus perstringere, ut cæteri, quos necdum unda [m] liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum et salutis haustum planius [n] tecum caperent ad medelam, et nobis operis præstantior exuberaret fructus [o], atque merces pro sudore : quia pecunia verbi, sicut plenius nosti, quantos repleverit suis sumptibus auditores, tantis copiosius in sese amplificatur meritorum opibus. Ideo velim non puerili animo ista perlegas, verborum ad alia pretiosorum amore ductus, sed sic sedeas ad hanc mensulam paupertatis, ac si ad ferculum Salomonis. Ambiunt ergo eum electorum sexaginta fortes ex fortissimis supernorum. Ubi si quis superciliosus aut invidus [p] vel indignus accesserit usquam, eorum tutus loquor [q] præsidio, ista non absque periculo contemnit. Quoniam uniuscujusque ensis super femur vibratur [r], tam ut talium retundat audaciam, quam ut regis excubias custodiat contra hostes ; quia etsi minus est in eloquio, nihil præstantius in materia qua digne credentibus vita præstatur incorruptibilis et æterna.

Hinc ergo ne putes me tibi, fili, fabulam de Maronis salsura contexere, imo crede, post lac infantiæ nihil magis cavendum, ne in his offendas ; nihilque felicius, si digne ad ea gustu intelligibili pertingas ; ubi, si [s] recte sapio, quotienslibet recumbis, inter angelorum frequentiam et sanctorum omnium epulas, quia convivium [t] est regis æterni, admisceris. Ubi sponsus et sponsa dulcibus deliciarum fruuntur muneribus, et Rex totius creaturæ quotidie ingreditur, ut videat discumbentes, si vestem in qua renati sunt habeant nuptialem. Unde quia, charissime [u], talia periculosius est præsumere, opesque deliciarum Christi fœdare vitæ criminibus, et quæ sancta sunt impudenter attingere, velim caveas ad hæc una cum iniqua gerentibus introire. Imo lava inter innocentes

latum fuisse observat, nusquam *Arsenium*. Sed hoc nomine designatum fuisse Walam ejus fratrem, qui et *Jeremias* dictus est, demonstravit Mabillonius in ejus Vita quam primus edidit sub hoc titulo, *Epitaphium Arsenii*.

[a] Septem mss. legunt, *subvectus tui te gratulor*. Laudunensis : *subvectus tunc gratulor*.

[b] Isthæc in parenthesi desunt in editione Sirmondi, et in ms. S. Germani. Reperiuntur tamen in omnibus fere manuscriptis et apud Mameranum.

[c] Varia subiit Wala exsilia, primo anno 850 ad Lemanum lacum, deinde anno insequenti ad Herum insulam, in qua septem annis exsul egerat S. Adalardus ejus frater ; ac demum ad quoddam Germaniæ monasterium.

[d] Tres optimæ notæ mss., scilicet Puteanus, Colbertinus et Rhemensis S. Remigii legunt *actitari*, cujus loco Mameranus cum mss. Vaticano et Rothomagensi S. Audoeni habent *accitari*.

[e] In editione Sirmondi desideratur *spiritu*, quod omnes mss. proferunt.

[f] Vatic., *devotionis gratia*.

[g] Ita fere mss. omnes Editi : *noster*.

[h] Ita codex Majoris-monasterii cum Sirmondo ; sed in plerisque mss. et apud Mameranum desideratur *patent*.

[i] Quid causæ fuerit cur Paschasius clausus in custodia fuerit, non facile est divinare. Forsitan hic Walæ designat exsilium ad lacum Lemanum, quo jussu Augusti ad eum missus, aliquandiu demorari potuit.

[j] Vatic., *facilius*.

[k] In plerisque manuscriptis legitur *communius*, in quibusdam *communiter*.

[l] Editi, *quæ tui prætexantur amore*.

[m] Editio Sirmondi *unde*, sed melius *unda*, ut in ms. Majoris-monasterii et aliis, vel ut habent Laubiens., et unus regius codex, *undæ liberalium attigerant litterarum*.

[n] Laub. et Mart., *plenius*.

[o] Mamer., *fructus mercedis*.

[p] Vaticanus codex non *invidus*, sed *immundus* legit.

[q] Mamer., *præsidia ista non absque periculo contemni*.

[r] Editi, *vibrat, tam ut talium retundant audaciam, quam ut regis excubias custodiant contra hostes*.

[s] Optimæ notæ codices Puteanus, Colbertinus, Vaticanus, Rhemensis S. Remigii, Laubiensis, Rothomagensis S. Audoeni, Turonensis, Majoris monasterii, regius unus legunt, *Qui si recte sapias*. Mam., *quæ si recte sapias*. Codex vero Majoris-monasterii addit : *Quandocunque tibi placet illud sacrosanctum celebrare vel participare mysterium, quotiescunque recumbis*, etc.

[t] Cod. regius unus, *qui ad convivium*.

[u] Editio Sirm., *commune*, contra fidem omnium mss. qui legunt *charissime*.

Introdusă în format electronic de Google

manus, quia jam sacris es officiis mancipatus, ut sine periculo possis accedere ad commissa, et cum fiducia contingere vitæ pascua, quibus sane refectus et usque ad finem vitæ digne nutritus, valeas pervenire ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis, ubi sonus est epulantis. Noli ergo parvipendere tantam gratiam, sed de hoc exiguo lectionis intellige, quanta sit virtus vitam æternam impræsentiarum accipere, et angelicis escis quotidie saginari. Quoniam etsi a Deo [a] plena sunt omnia, nos quoque coram oculis divinæ majestatis semper versamur, et perfidis ubique nullus tutus est locus, tamen plurimum coram sanctis altaribus frequentiam angelorum vultumque Dei contemplante, divina obsequia observare oportet et vereri [b]. Hæc autem ut securius tua perlegat infantia, placuit, charissime, catholicos Ecclesiæ doctores in principio adnotare, ex quibus pauca de pluribus quasi lac teneritudinis eliquaverimus [c], Cyprianum scilicet, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Joannem, Hieronymum, Gregorium, Isidorum, Isicium et Bedam [d], quorum doctrina et fide imbutus, melius possis ad altiora proficere. Nostro quidem stylo nunc sensum eorum commendans, nunc vero propriis eorum verbis [e] utens, quæ apta erant meo studio temperavi. Interdum autem quæ manifesta non dubium [f] videbantur, vera ratione firmavi, et contra quæque in ejusdem libri margine litteras doctorum quos præmisi, ex initio nominis e regione figere curavi, propter quod lege securus et perfice quæ monui devotus.

Explicit Prologus.

[a] Ita Mameranus cum octo mss. Sirmond. vero legit *etsi Deo plena sunt omnia.*
[b] Ms. S. Audoeni, *venerari.*
[c] Tres mss., *eliquaverim.*
[d] Mameranus omisit *Isidorum* et *Bedam.*
[e] Manuscripti duo regii, *verbis et exemplis utens.*
[f] Ms. S. Audoeni, *nondum videbantur.* Vatic., *non dubia videbantur.*

[a] INCIPIT

LIBER S. PASCHASII RADBERTI DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

CAPUT PRIMUM.

Christi communionem verum corpus ejus et sanguinem esse non dubitandum.

1. Quisque catholicorum recte Deum cuncta creasse ex nihilo corde credit ad justitiam, et ore confitetur ad salutem, nunquam dubitare poterit ex aliquo aliquid rursus fieri posse, quasi contra naturam aliud, imo jure naturæ, quod necdum erat. (*August.*) Nam natura omnium creaturarum non ex se est, neque ex sese creat rursum omnia, quæ vel sunt naturalia rerum nascentia [b], sed voluntate Dei omnium rerum natura condita est. Propterea quisque recte sapit [c], non naturam causam dicit esse rerum, sed omnium naturarum et ex natura sui generis nascentium [d] voluntatem Dei esse confitetur. Porro voluntas Dei tam efficax est et omnipotens, ut ejus velle solum fieri sit, ac per hoc voluisse illum, fecisse est. Unde nimirum omnium rerum et naturarum causa sola voluntas Dei jure creditur. Ideoque quotieslibet in seculo videtur quasi contra naturam aliquid evenire, quodammodo non contra naturam est, quia potissimum rerum natura creatarum [e] hoc habet eximium [f] ut a quo est, semper ejus obtemperet jussis, ut sicut velle Dei ejus profecto est esse, ita quoque quidquid eam rursus Dei virtus esse decreverit, jure aut crescendo augeatur, aut nascendo [g], licet pro nostris offensis diminuatur, aut mutando in aliud omnino quod non erat, prætermisso naturæ ordine, convertatur, rectissime confitetur. Hinc ergo pulchre a quodam poetarum nostrorum (*Sedulio scilicet*) dictum est:

. . . . . Subditur omnis
Imperiis natura tuis, rituque soluto,
Transit in adversas jussu dominante figuras.

Quoniam extra potentiam Dei nihil est, ideirco omnia potest [h]. Neque enim sic condidit omnium

[a] Variant circa hunc titulum codices mss. Rhemensis S. Remigii sic legit: *Incipit textus libri de corpore Christi.* Duo regii: *Incipit liber Paschasii diaconi de mysterio Corporis et Sanguinis Domini Jesu Christ.* Codex S. Germani: *Incipit liber Paschasii Radberti Levitæ de Sacramento Corporis et Sanguinis.* Corbeiensis, *Incipit liber de Sacramentis.*
[b] Ita optimæ notæ codices Laubiensis, Vaticanus, Turonensis S. Martini, Rothomagensis S. Audoeni, Rhemensis S. Remigii, et duo S. Germani, sex Corbeienses. Editi: *Quæ pascuntur naturalia rerum nascentia*, quibus concinit codex Majoris monasterii.
[c] Editi, cum codice Florentino, *si recte sapit.*
[d] Mameranus et Sirm., *denascentia.* Laub. Vaticanus, Rothomagensis S. Audoeni, et unus regius, *denascentium.*
[e] Editi, *creaturarum*, melius et rectius mss., *creaturarum.*
[f] Ms. Tur. S. Martini, *hoc habet proprium.*
[g] Ms. S. Audoeni, *aut decrescendo.*
[h] In codice Laubiensi hic incipit caput primum cum hoc titulo: *Quod Dei voluntas causa sit omnium creaturum, et ideo neminem movere debere quod vera sit caro Christi, et verus sanguis, quem de altari sumimus.*

Introdusă în format electronic de Google

artifex Deus rerum naturas, ut suum velle ab his auferret, quia omnium creaturarum subsistentia [a] in eadem Dei voluntate subsistit et virtute, a qua causam habet, non solum ut subsistat quidquid est, sed etiam ut sic sit sicut ipsa Dei voluntas decreverit, quæ causa est omnium creaturarum. Alioquin nec subsisteret ulla creaturarum existentia, nisi in ejus voluntate, a quo totius ejus esse manat : et ideo natura creaturæ quoties mutatur, aut augetur, vel subtrahitur, non ab illo esse divertitur in quo est, quia sic est, et sic fit, ut ille decernit in quo est [b].

2. Patet igitur quod nihil extra vel contra Dei velle [c] potest, sed cedunt illi omnia omnino. Et ideo nullus moveatur de hoc corpore Christi et sanguine, quod in mysterio [d] vera sit caro et verus sit sanguis, dum sic voluit ille qui creavit : *Omnia enim quæcunque voluit fecit in cælo et in terra* (*Psal.* CXIII, 2), et quia voluit, licet in figura panis et vini maneat [e], hæc sic esse omnino, nihilque aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt : unde ipsa Veritas ad discipulos : *Hæc* [f], inquit, *caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI, 52) [g] : et, ut mirabilius loquar, non alia plane quam quæ nata est de Maria et passa in cruce et resurrexit de sepulcro. (*Ambros.*) *Hæc*, inquam, *ipsa est, et ideo Christi est caro, quæ pro mundi vita adhuc* [h] *hodie offertur, et cum digne percipitur, vita utique æterna in nobis reparatur.* Quod si minus alicui quam dicimus credibile videtur, attendat universa Veteris ac Novi [i] Testamenti miracula, quæ contra naturæ ordinem ob fidei firmitatem a Deo gesta sunt, et videbit luce clarius quod Deo nihil impossibile sit, dum omnium esse Dei voluntas est, et quidquid voluerit Deus, hoc singula sunt [j].

3. At vero si quis ista non credit, si vidisset Christum in cruce in specie servi, quomodo Deum illum intelligeret, nisi per fidem prius credidisset. Ita et in hoc corpore, ubi species alia monstratur, quomodo carnem Christi videat, nisi per fidem prius veraciter [k] credat. Cogitet ergo si mare Rubrum olim habuit in natura dividendi se [l], ut populus pe medium sicco vestigio transiret, aut si habuit omnis illa Ægyptiorum aqua ex se, licet per Moysen, vim se convertendi in sanguinem, et cætera. An in voluntate Dei fuit ut impios permulceret ad fidem, er monstraret in specie coloris ejus, quod omnis eorum doctrina et morum aspersio versa esset in sanguinem ? (*Aug.*) Deinde in Evangelio aqua [m] perhausta de fonte, unde habuit potentiam se in vini demutandi saporem ? Et ut de innumeris pauca commemorem, unde habuit ignis ille Babylonius, ubi tres pueri missi sunt, per naturam ne caleret [*al.* arderet] ? An in voluntate fuit ut fieret tanquam spiritus roris flantis [*f.* flans], ut refrigerium magis quam incendium præstaret sanctis ? Cogitet ergo quisque panes illi in eremo quinque aut septem, si habuerunt substantialiter ex se, ut tot homines satiarent, et deinde tot sportas replerent, an in gratia [n] fuit quod factum est Creatoris : minuendo enim multiplicabantur, necnon etiam et Maria virgo habuit ut Virgo pareret sine coitu Deum, an in virtute Dei ? Et ut apertius dicam, caro nostra vel animalium, nunquid non terra [o], imo terra, quia dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Quamvis ergo terra vera sit caro, licet corruptibilis, si servaverit jura legis et mandatorum Dei præcepta, vestietur adhuc immortalitate. Per ista quæ exponimus quamvis caro, tamen incorruptibilis erat [p].

4. Quæ velim diligenter attendas, o homo, et per omnia quæcunque naturaliter videntur esse, vel quæ contra naturam facta leguntur ab initio creaturæ, enucleatius obsecro considera, utrum ex sese in sua natura fiant singula [q], vel quæ demutantur in aliud quod non erant, utrum per ordinem sui juris, ut sint mirabilia, aut certe, quod magis fateberis, et illa quæ sunt quasi naturalia, et justa ; quæ quasi contrat naturam veniunt, prorsus omnia in voluntate Dei esse et in sapientia singula pro utilitate rationabilium procreari, et ideo causam omnium existentium voluntatem Dei recte fatemur, nec immerito, quoniam voluis-

[a] Anic. regius unus, et Rothom. S. Audoeni, *substantia*.

[b] In editione Sirmondi desiderantur hæc verba : *In quo est, quia sic est, et sic fit, ut ille discernit in quo est*, quæ tamen exstant apud Mamer. et Ulimmerium. In duobus mss. sancti Germani, duobus regiis, reginæ Sueciæ duobus, Vaticano, Laubiensi, Puteano, Colbertino, Laudunensi et Turonensi S. Martini.

[c] Quatuor mss., *contra Dei voluntatem*.

[d] Ms. S. Audoeni, *in ministerio*, Anic. vero et Colbertinus unus, *mysterio*, omisso *in*.

[e] Puteanus, Anic. Remigianus, Vatic. et Florentinus, *licet figura panis et vini*, omisso *in* ; tres alii missæ addunt *maneat*, Ulimmerius vero sic legit, *licet figura panis et vini hic sit*.

[f] Anic., *hoc, inquit*.

[g] In codice Laubiensi hic incipit cap. II, cujus hic titulus : *Quod non sit aliud quod sumimus in Eucharistia, nisi caro de intemerata Virgine nata, et sanguis qui fluxit de latere Christi*.

[h] In cod. Vaticano desideratur *hodie*, desiderantur et hæc mox subsequentia verba : *Et cum digne percipitur, vita utique æterna in nobis reparatur*.

[i] Apud Mameranum et in tribus mss. desideratur *Novi*, quod tamen optime quadrat. Nam infra Novi perinde ac Veteris Testamenti refert miracula.

[j] Mamer. et Laub., *hæc singula fiunt*. Rothom. S. Audoeni, *hoc singulariter fit*.

[k] Editi, cum quibusdam mss., expungunt *prius*, octo vero mss. pro *veraciter* legunt *veracius*.

[l] Vatic., *habuit naturam dividendi se*.

[m] Editi, *si aqua perhausta de fonte habuit potentiam ;* at melioris notæ mss. expungunt *si*, leguntque hoc modo : *aqua perhausta de fonte unde habuit potentiam*. Nec male, nam interrogando hic loquitur Radbertus.

[n] Editi, cum quibusdam mss., addunt *Dei*, quod superfluum est, nam mox subditur *Creatoris*, cujus loco Laub. legit *creantis omnia*.

[o] Quinque mss., *nunquid non de terra*.

[p] Mamer. et Sirm. expungunt *sit*. Laub. *Quamvis ergo terra vera sit caro, corruptibilis est*. Flor. *Quamvis ergo terra sit vera caro, tamen corruptibilis est*.

[q] Vatic., *Fiant singula, quæ augentur, aut minuuntur, aut demutantur*.

Introdusă în format electronic de Google

se ejus [a] fecisse fuit. Unde [b] quotiescunque aliquid fit ex aliquo, [c] virtute voluntatis fit, et in sapientia ejus qualiter fiat, præparatur. (*Hilar.*) Neque igitur voluntas sine virtute, neque virtus sine sapientia quippiam efficit; quia [d] voluntas Dei virtus et sapientia est; ideo quidquid vult, ita fit ut vult, et in nullo fallitur : quia in sapientia sua omnia vult, imo ipsa sapientia ejus voluntas est : et propterea nihil mali [e], nihil quod non possit vult. Unde quia sic voluit, ut caro ejus esset et sanguis hoc mysterium, in nullo dubites, si Deum credis : sed vera fide habeas [f] in animo quod hæc est caro illa quæ oblata est pro mundi vita, quam qui digne comederit, mortem non videbit in æternum [g]. (*Ambr.*) Nihil enim Christus Ecclesiæ suæ majus aliquid in mysterio reliquit, quam hoc baptismique sacramentum, necnon et Scripturas sanctas, in quibus omnibus Spiritus sanctus, qui pignus totius Ecclesiæ est, interius mystica salutis nostræ ad immortalitatem operatur. Sed in his denique nihil incredulis mirabile, credentibus vero nihil melius, nihil mirabilius, nihilque locupletius in hoc sæculo præbetur, non ut mirabile visui pareant oculorum, sed ut in fide et intellectu divinis redoleant mysteriis, et in eisdem æternitas [h] mortalibus et participatio Christi in unitate corporis concedatur.

5. Hac igitur de causa longe ab omnibus quæ facta sunt a sæculo miraculis [i] distat hoc mysterium, quia omnia illa ideo facta sunt, ut hoc unum credatur quod Christus est veritas; veritas autem Deus est, et si Deus veritas est, quidquid Christus promisit in hoc mysterio, utique verum est; et ideo vera [j] Christi caro et sanguis, quam qui manducat et bibit [k] digne, habet vitam æternam in se manentem; [l] sed visu corporeo et gustu propterea non demutantur, quatenus fides exerceatur ad justitiam, et ob meritum fidei merces in eo justitiæ consequatur. Alia namque Christi miracula hoc unum passionis confirmant [m] sacramentum, et ideo non ob miraculum ista mutantur exterius in speciem, sed interius, ut fides comprobetur in spiritu, verissime confitemur : ut quia justus ex fide vivit, habeat justitiam fidei in mysterio, et per fidem vitam in se suscipiat manentem, qua securior adhuc mortalis immortalitate pastus, quantocius ad immortalia festinet, ubi non pedibus, sed fide cum bonis operibus pervenitur.

6. Constat igitur modis omnibus, quod sicut in paradiso lignum [n] fuit, ex quo jugis subsisteret status hominis, si mandata servasset, et immortalitas : ita provisum est in Ecclesia hoc mysterium salutis, non quod eidem ligno hoc esset in natura, sed re [o] visibili virtus invisibilis intrinsecus operabatur. Ita siquidem et in isto communionis sacramento visibili, divina virtus ad immortalitatem sua invisibili potentia, quasi ex fructu ligni paradisi, nos et gustu sapientiæ sastentat et virtute, quatenus per hoc immortales in anima, quandiu ex hoc digne sumimus, demum in melius transpositi ad immortalia feramur. (*Hilar.*) Ad hoc ergo, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14), ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum, quæ nimirum caro Verbi fit esca in hoc mysterio, cibusque fidelium, dum vere creditur esse caro pro mundi vita, neque aliud aliquid, quam caro corporis Christi, ex qua Christus manet in nobis, ut et nos per eam transformemur in illum; qui nihil aliud factus est, quam Deus caro dignatione sua, ut habitaret in nobis. Si ergo habitat in nobis, ut nos membra corporis ejus maneamus in illo, justum est quia in illo sumus, ut ex eo vivamus [p], et ideo carne Verbi vescimur et potamur sanguine. Hæc est, inquam, firmitas fidei nostræ, hæc unitas et vitæ communicatio, ubi si naturæ ordo requiritur, succumbit ratio, et tamen manet extra humanam rationem facti veritas, ita ut in ratione fidei vis Deitatis et potestas efficax modis omnibus credatur, quia dubietas mentis, licet bonæ vitæ sit qui accipit, excludit [q], ne ad hujus sacramenti intelligentiam pertingat.

CAPUT II [r].

Quod hoc mysterium Christi nullus fidelium debeat ignorare.

1. Sacramentum Dominici corporis et sanguinis, quod quotidie in Ecclesia celebratur, nemo fidelium ignorare debet, nemo nescire quid ad fidem, quidve ad scientiam in eo pertineat : quia nec fides in mysterio sine scientia recte defenditur, nec scientia sine fide, quæ nondum capit, quandoque ut percipiat,

[a] In quinque mss. deest *ejus*.

[b] Vatic., *Unde quoniam ita est, quotiescunque*, etc. Regius unus et S. Audoeni, *Unde quoniam quotiescunque*.

[c] Ms. Majoris Monasterii, *ex aliqua virtute* codices reginæ Sueciæ, *virtute et voluntate fit*.

[d] Editio Ulimm. et Sirmondi, *quia ergo voluntas*. Sed Mameranus cum plerisque mss. expungit *ergo*.

[e] In editione Sirm. desideratur *nihil mali*, quod habent omnes mss. et alii editi.

[f] Laub. et Laud. cum Mamer., *sed veram fidem habeas*.

[g] Hic in codice Laubiensi incipit cap. III, cum hoc titulo : *Quod nihil magis Christus Ecclesiæ contulerit, quam* et *baptismi sacramentum*, etc.

[h] Flor. et Prædic. *æternitatis mortalibus participatio*.

[i] Duo mss. regii, *mirabilius distat*. Laub., *mirabilia distat*.

[j] Ulimm. et Sirm. legunt, *vera est Christi caro*. Sed apud Mameranum et plerosque mss. deest *est*.

[k] In editis desideratur *bibit*.

[l] Hic in codice Laub. incipit cap. IV. *Quare non demutatur caro Christi et sanguis in visu et gustu*.

[m] Editi, cum Flor., *confirmat*.

[n] Editi, cum tribus mss., *lignum vitæ fuit*.

[o] Cod. Majoris-monast., *rei visibili*.

[p] Laub., *Sumamus*.

[q] Aniciensis *excludit eum*.

[r] Cod. Laub. cap. V. *Quod hoc mysterium nullus fidelium debeat ignorare, quia etiamsi bonæ vitæ sit qui accipit, dubietas menti excludit, ne ad ejus sacramenti intelligentiam perveniatur.*

Introdusă în format electronic de Google

enutritur. Ac per hoc tanti sacramenti virtus investiganda est, et disciplina [a] Christi fides erudienda; ne forte censeamur ex eo indigni, [b] saltem si non satis discernimus illud, nec intelligimus, mysticum Christi corpus et sanguis quanta polleat dignitate quantaque præemineat virtute, et discernatur a corporeo gustu, ut præstantius sit omni sacrificio Veteris Testamenti.

2. Hoc sane si quis ignorat non discernit; et ideo timendum, ne per ignorantiam, quod nobis provisum est ad medelam fiat accipientibus in ruinam; unde Dominus in Levitico (*Levit.* XXII, 14) : *Qui comederit de sanctificatis*, inquit, *per ignorantiam, addat quintam partem cum eo quod comedit, et dabit sacerdoti in sanctuario : nec contaminabitis* [c] *sanctificata filiorum Israel quæ offerunt Domino, ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint.* Et addidit : *Ego Dominus, qui sanctifico eos.* Ac deinde : *Sancta sanctorum sunt* (*Isid.*). Ubi profecto mysterium corporis Christi et sanguinis designatur; ex quo non habet potestatem edendi, non solum omnis alienigena, inquilinus et mercenarius, verum nec qui per ignorantiam tanti mysterii obcæcatur. Per ignorantiam autem illud percipit, qui virtutem ejus et dignitatem atque circumstantiam ipsius sacramenti penitus ignorat : qui nescit vere quod corpus et sanguis sit Domini secundum veritatem, licet in sacramento accipiatur per fidem; quidem mysterium accipit, sed nescit mysterii virtutem, unde Salomon, imo per eum Spiritus divinus jubet : *Cum sederis ad mensam* [d] *potentis, ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apponuntur coram te;* quoniam talia te oportet præparare, id est mortificationem Christi in corpore circumferendo quotidie prædicare. Diligenter ergo intelligere et spiritalia sacramenta palato mentis et gustu fidei digne percipere, quasi legaliter quintam partem ad ea quæ prius per ignorantiam comederat, super addere est, dum divina intelligibiliter interior homo noster per Christi gratiam excipit, et per ea virtute fidei [e] Christo incorporatur. Alioquin quomodo lex juberet ad ea quæ comederat aliquis per ignorantiam, quintam superaddere partem, cum jam illa non superessent [f], quibus ulterius addi quippiam possit; non enim superadditur illi rei quæ jam non est, sed ei utique quæ hactenus est. Unde bene Septuaginta super ipsam addi quintam partem jubent. Quinta igitur pars illius tunc recte a nobis superadditur ei, quod prius per ignorantiam accipiebatur, si quinque sensus corporis intus ad intelligibilia spiritaliter convertantur; quia si recte sapimus, vel recte percipimus, divinus Spiritus qui in nobis est, etiam et per eamdem gratiam ampliatur [g], eosdemque sensus nostros ad ea percipienda instruit et componit; ita sane ut non solum gustum interius ad mystica perducat, verum et visum atque auditum, necnon odoratum et tactum ita tenus illustrat quodammodo [h], ut nihil in eis nisi divina sentiantur, nihilque nisi cœlestia, et [i] quod terribile satis est quod communicatur; unde quam bene dicitur : *Addat quintam ejus partem super eum;* vel sicut alii codices habent, *cum eo, et dabit sacerdoti :* quia [j] omnem sanctificationem mystici sacrificii et efficaciam quomodo sensibilis res intelligibiliter virtute Dei per Verbum Christi in carnem ipsius ac sanguinem divinitus transferatur, vel qualiter per hæc communicantes ad spiritalia nutriantur, siquidem Christo, qui verus et summus sacerdos est, catholice totum tribuere oportet, totumque ejus virtuti [k] atque ipsius potentiæ [l] designare : nempe quia ipse liberat ab omni ignorantia et removet nos a carnalibus hujus vitæ illecebris [m]; neque utique sinit terrenum aliquid aut vile ibidem suspicari, sed mystica et spiritalia in his sapere, ita ut nostri corporis sensus ad ea interius sanctificandi avidius transferantur [n], si quo modo dicere possit præeminentior pars hominis : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII, 3).

3. Recte igitur in Deum vivum totus homo exsultat, quia licet ab omnibus Christi caro et sanguis quotidie comedatur [o], ipse tamen Agnus vivus et integer permanet; non enim jam moritur, *mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9); sed tamen in mysterio quotidie veraciter immolatus [p], in ablutionem delictorum comeditur (*Isid.*). Unde illico in eadem legis sententia infertur. *Ego Dominus qui sanctifico eos* (*Levit.* XX, 16); sanctificat autem eos, qui per hæc competenter ad Deum sanctificantem tendunt, et cum devotione modo quo oportet ea percipiunt : quia sanctificationis causa, et non contami-

[a] Vaticanus cod., *et disciplina Christi fide erudienda.* Al. *et per disciplinam Christi fides erudienda.* Anic. vero ms. et unus Colb. non *erudienda* legit, sed *enutrienda.*

[b] Mam. Cum Aniciensi et Majoris-monasterii codd., *indigni salute.*

[c] Ita mss. fere omnes. Editi, *contaminabunt*, unus codex ms., *contaminabimini;* al., *contaminabit.*

[d] Colbertinus unus, *ad mensam divitis.*

[e] Rothomagensis. S. Audoeni et unus regius, *et per eam virtutem fidei.*

[f] In quibusdam mss. et apud Mamet. et Ulimmer. deest *illa*, codex vero Majoris Monasterii ita legit, *cui jam non superessent.*

[g] Al. *amplificatur :* al. *impletur.*

[h] Ulimm., *ita quodam modo illustrat;* quidam ms., *ita tenemus illustret quodam modo.*

[i] Ita Laub. cum quibusdam mss. Editi, *terribile satis est*, omisso *et quod.* Germ. ms., *et quidem terribile satis est.*

[j] Ita fere omnes mss. Editi legunt, *qui advertat omnem*, etc. Unus vero codex regiæ Bibliothecæ, *et quia omnis sanctificatio mystici sacrificii et efficacia.* In ms. Majoris-monasterii post *efficaciam* additur *debemus scire.*

[k] Roth. S. Audoeni addit *tribuere.* In Flor. vero deest *totumque ejus virtuti.*

[l] Vatic. et Flor., *deputare.* Editi, *designare.*

[m] In quibusdam ms. desideratur *illecebris.*

[n] Mamer. et Vatic. *ad ea interius sanctificanda transferantur.*

[o] Unus codex regius addit *et bibitur.*

[p] Editi, *immolatur.*

Introdusă în format electronic de Google

nationis, renatis in Christo ista proposuit : *Alioquin portabit iniquitatem delicti sui* (*Ibid.*), ut lex ait, qui sanctificata contaminaverit, comedens per ignorantiam, vel indigne appetens ea ex contemptu. Hinc ergo erudiri oportet eos qui percipiunt vitæ sacramenta, ne forte si quis desidiose salutaria ignorat fidei rudimenta, et ipse a Domino penitus ignoretur.

CAPUT III [a].

Quid sint sacramenta, vel quare dicantur.

1. Sacramentum igitur est quidquid in aliqua celebratione divina nobis quasi pignus salutis traditur, cum res gesta [b] visibilis longe aliud invisibile [c] intus operatur, quod sancte accipiendum sit : unde et sacramenta dicuntur aut a secreto, eo quod in re visibili divinitas [d] intus aliquid ultra secretius efficit per speciem corporalem ; aut a consecratione sanctificationis, quia Spiritus sanctus manens in corpore Christi, latenter hæc omnia sacramentorum mystica [e] sub tegumento visibilium pro salute fidelium operatur. Magis igitur vis divina ex hoc mentes credentium ad invisibilia instruit, quam si visibiliter ea monstraret quæ interius præstat ad effectum salutis : *Per fidem enim ambulamus et non per speciem* (*II Cor.* v, 7).

2. Sunt autem sacramenta [f] Christi in Ecclesia baptismus et chrisma, corpus quoque Domini et sanguis, quæ ob hoc sacramenta vocantur, quia sub eorum specie visibili, quæ videtur [g], secretius virtute divina caro consecratur ; ut hoc sint interius in veritate, quod exterius creduntur virtute fidei. (*Isich.*) Est et sacramentum juris, in quo post electionem partium jurat unusquisque quod suo pacto [h] decreverit : unde et sacramentum dicitur quod secretius fides invisibilis per consecrationem invocationis Dei, vel alicujus sacri teneatur, ex eo quod foris visu vel auditu vox jurantis sentitur. Fit ergo et Christi nativitas, atque omnis illa humanitatis dispensatio magnum quoddam sacramentum, quia in homine visibili divina majestas intus [i] ob consecrationem nostram ea quæ fiebant secretius potestate sua invisibiliter operabatur. Unde mysterium vel sacramentum, quod Deus homo factus est, jure dicitur ; sed mysterium Græcum [j] est, eo quod secretam et reconditam habeat in se dispositionem. Est autem et sacramentum in Scripturis divinis ubicumque sacer Spiritus in eisdem interius aliquid efficaciter loquendo operatur ; sed sacramento Scripturarum eruditi [k], divinitus introrsus pascimur, et pasti ad operationem disciplinam Christi erudimur. Sacramento vero nativitatis et humanitatis [l] ejus, et nos redimimur ad veniam, et Scripturæ aperiuntur ad intelligentiam, et via nobis per eum monstratur, et potestas largitur, ut in adoptionem filiorum ex servitute transeamus. Porro baptismi sacramento intrandi ad eamdem adoptionem ostium credentibus panditur, ut deinceps in membris Christi per eamdem renascentiam liberati a malo unum corpus efficiamur : in quo nimirum baptismo et deinceps Spiritus sanctus in animam renascentis diffunditur, ut universa Christi Ecclesia uno spiritu percepto vivificetur, et corpus unum efficiatur ; quia sicut omnia membra corporis nostri una vivificantur et reguntur anima, ut ex compage membrorum unum corpus fiat ; ita totius Ecclesiæ membra uno sancto reguntur et vivificantur Spiritu, ut unum corpus Christi efficiant. *Quia si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9).

3. Nemo [m] igitur dubitat quod unusquisque nostrum utero matris adhuc clausus accipiat, licet occulte, animam, ut sit homo in animam viventem ; ita interdum ut mater nesciat, quando per eam in illo priusquam exeat vita ingrediatur. Sic plane nemo dubitare debet, quod in alveo [n] baptismi priusquam infans a fonte surgat, Spiritus sanctus in eum qui renascitur adveniat, etsi non videatur, quia non minus est divina virtus provida et præstabilis ad regenerationem sacræ adoptionis, quam fuit prius in nativitate carnis, ut vivificaret sata hominis membra, licet concepta sint in delicto. Qua de re fit [o] non dubium nobis argumentum, quod Deus scrutator omnium et præstabilis, semper proficua [p] dispenset gratia, ne quod disposuit immutetur. Si inter paterna interdum stupra et materni criminis flagitia ex libidine sata, vivificat hominis membra, quando magis ubique præsens Spiritus sanctus, quia replet orbem terrarum, offert ut omnibus per fidem renascentibus se promptus ingerat, quatenus per eum membra Christi unum sentiant, et ex omnibus unum fiat corpus.

4. Cæterum sacramento corporis et sanguinis tantumdem pascimur in via et potamur, ut ex eo

[a] In codice Laubiensi cap. VI.
[b] Ms. Majoris Monast., *gestu*.
[c] Flor., *invisibiliter*.
[d] Vatic., *divina virtus aliquid ultra capacitatem nostram secretius efficit*.
[e] Tres mss., *mysteria*.
[f] Ex septem sacramentis tria tantum enumerat hoc loco Paschasius, exempli duntaxat causa. Neque enim ex professo hic agit de numero sacramentorum sed ad institutum satis ei erat aliqua sacramenta commemorasse, ut hic observat Sirmondus.
[g] Editi, *qua videntur*.
[h] In uno codice legitur, *quod suæ parti*.
[i] Mamer. cum tribus mss., *intus obsecrationem*. Ita omnes pene mss. melioris notæ. Sirmondus cum quodam ms. expungit *Græcum est*. Codex vero Laub. : *Græcum est, ideoque dicitur, eo quod secretam et reconditam habeat in se dispensationem*.
[k] Editi cum paucis mss., *erudiendo*, et infra *pascendo*.
[l] Flor., *et humilitatis ejus*.
[m] Ita omnes pene mss. Editi, *sicut nemo*.
[n] Hunc locum restituimus ope codicis Flor. Nam editi et mss. plures legunt *alveo*.
[o] Ita melioris notæ mss. Sirmond. cum paucis mss., *sit non dubium*.
[p] Mam. Ulim. et Sirm., *proficuam dispenset gratiam*.

Introdusă în format electronic de Google

nutriti in Christo unum efficiamur, quo nimirum vegetati gustu ad immortalia et æterna præparamur [a], quatenus spiritaliter jam angelica gratia saginati in eo vivificemur. Operatur autem nobis in his omnibus sacramentis Spiritus divinus: Si quidem in Scripturis sanctis corda nostra illustrat, *quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus* (*I Cor.* III, 7). Hinc sane Ezechiel ait: *Quia spiritus vitæ erat in rotis* (*Ezech.* I, 21). Et Joannes: *Qui habet*, inquit, *aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis* (*Apoc.* II, 7). Cæterum in Christo idem cooperatur Spiritus, quia conceptus creditur de ipso et Maria semper [b] Virgine. Simili quoque modo et in baptismo per aquam ex illo omnes regeneramur, deinde virtute ipsius Christi corpore quotidie pascimur et potamur sanguine. Unde [c] nec mirum Spiritus qui hominem Christum in utero virginis sine semine creavit, etiamsi ipse panis ac vini substantia carnem Christi et sanguinem invisibili potentia quotidie per sacramenti sui sanctificationem operatur, quamvis nec visu exterius nec gustu saporis comprehendatur. Sed quia spiritualia sunt, fide et intellectu pro certo, sicut Veritas prædixit, plenissime sumuntur.

CAPUT IV [d].

Utrum sub figura an in veritate hoc mysticum calicis fiat sacramentum.

1. Quod in veritate corpus et sanguis fiat consecratione mysterii, nemo qui verbis divinis credit dubitat; unde Veritas ait: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI, 56). Et ut discipulis non recte intelligentibus claresceret de qua dicebat carne, vel de quo sanguine, manifestans insinuat: *Qui manducat meam carnem*, inquit, *et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (*Ibid.*, 57). Ergo si vere est cibus, et vera caro; et si vere est potus, utique et verus sanguis; alioquin quomodo verum erit quod dicit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (*Ibid.*, 52); nisi vera sit caro? utique et *panis qui de cœlo descendit* (*Ibid.*, 51), verus panis [e]? sed quia Christum vorari fas dentibus non est, voluit in mysterio hunc panem et vinum vere carnem suam et sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari, creando vero quotidie pro mundi vita mystice immolari, ut sicut de Virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur, ita per eumdem ex substantia panis ac vini mystice idem Christi corpus et sanguis consecretur; de qua videlicet carne ac sanguine: *Amen, amen*, inquit, *dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis* (*Ibid.*, 54). Ubi profecto non aliam, quam veram carnem dicit et verum sanguinem, licet mystice; unde quia mysticum est sacramentum, nec figuram illud negare possumus; sed si figura est, quærendum quomodo veritas esse possit. Omnis enim figura alicujus rei figura est, et semper ad eam [f] refertur, ut sit res vera, cujus figura est. Nam figuras Veteris Testamenti umbras fuisse, nemo qui sacras litteras legit, ambigit: hoc vero mysterium aut veritas est, aut figura, et per hoc umbra est. Aut certe quærendum hoc totum utrum veritas dici queat sine falsitatis umbra, quamvis mysterium hujuscemodi res appellari debeat, sed figuram videtur esse dum frangitur, dum in specie visibili aliud intelligitur, quam quod visu carnis et gustu sentitur, dumque sanguis in calice simul cum aqua miscetur. Porro illud fidei sacramentum jure veritas appellatur; veritas ergo dum corpus Christi et sanguis virtute spiritus in verbo ipsius ex panis vinique substantia efficitur; figura vero, dum [g] sacerdote, quasi aliud exterius gerente, ob recordationem sacræ passionis ad aram quod semel gestum est quotidie agnus immolatur.

2. Sed si veraciter inspicimus, jure simul veritas et figura dicitur: ut sit figura vel character veritatis, quod exterius sentitur; veritas vero, quidquid de hoc mysterio interius recte intelligitur aut creditur. Non enim omnis figura umbra vel falsitas [h]; unde Paulus de unico Dei Filio ad Hebræos loquens, ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens* [i]. Quibus profecto verbis duas in Christo substantias declarat, et utrasque veras. Nam cum dicit, *qui cum sit splendor gloriæ* divinitatis, consubstantialem [j] prædicat. Cum vero figura vel character substantiæ ejus, humanitatis designat naturam, ubi corporaliter plenitudo inhabitat Divinitatis, et tamen in utroque unus et verus Christus Deus catholice commendatur. Unde unam rem sumit ad demonstrationem duarum substantiarum, quam figuram substantiæ vel characterem nominavit: quia sicut per characteres vel figuras litterarum infantia nostra prius pertingit gradatim ad lectionem, deinde ad spiritales Scripturarum

[a] Editi cum Flor., *præparemur*.

[b] In plerisque mss. omittitur *semper*. In Turonensi vero ms. S. Martini ad marginem hæc quasi prætermissa leguntur. *Et Maria semper Virgine, non ut Spiritus sanctus, quod absit, in ejus sanctissimo utero fieret pro semine sobolis, sed usus est potius virtute et potentia Creatoris.*

[c] Ulm. cum Flor.: *Unde nec mirum si Spiritus sanctus, qui hominem in utero Virginis sine semine creavit, etiam ipse panis et vini substantiam carnem Christi et sanguinem*, etc.

[d] Laub., cap. VII.

[e] Cod. regius, *verus panis est*.

[f] Septem mss., *ad eum refertur*. Vatic., *ad illud refertur*.

[g] Mamer. Sirm. cum plerisque mss. legunt, *dum sacerdos... gerens... agnum immolat*. Ulmm. Flor. et quidam alii mss., *dum sacerdos... ad aram venit, et quod semel gestum est, quotidie agnus immolatur*.

[h] In cod. Laub. hic incipit cap. VIII, cum hoc titulo: *Quod omnis figura sit umbra vel falsitas*.

[i] In codice regio additur: *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis*.

[j] Hic variant editi et mss. Laub. Puteanus, duo S. Germani legunt, *consubstantialem prædicat*. Vatic. et Flor., *divinitati consubstantialem prædicat*: al., *divinitatem consubstantialem prædicat*. Editi, *divinitatis consubstantialitatem prædicat*.

Introdusă în format electronic de Google

sensus et intelligentiam ; sic ex humanitate Christi ad Divinitatem Patris pervenitur ; et ideo jure figura vel character substantiæ illius vocatur. Quid enim aliud sunt figuræ litterarum quam characteres earumdem, ut per eas vis et potestas, ac spiritus prolatio [a] oculis demonstretur? Sic itaque formatur Verbum caro, ut per carnem nostra infantia ad divinitatis intelligentiam nutriatur. Verumtamen neque characteres litterarum, falsitas, neque aliud quam litteræ : neque Christus homo falsitas dici potest, neque aliud quam Deus, licet figura, id est, character substantiæ Divinitatis jure dicatur; quia nostram infantiam per se ad spiritalia interius intelligenda provehit et sensibus nostris, ut ea quæ in illo sunt capiamus, visibilem se ostendit. Sed quia illum secundum carnem cœlos oportuit penetrare, ut per fidem illuc in illo renati, confidentius [b] appeterent, reliquit nobis hoc sacramentum visibile [c] in figuram et characterem carnis et sanguinis, ut per hæc mens nostra et caro nostra ad invisibilia et spiritalia capescenda per fidem uberius nutriatur. Est autem [d] figura vel character hoc quod exterius sentitur, sed totum veritas et nulla adumbratio [e], quod intrinsecus percipitur, ac per hoc nihil aliud hinc inde quam veritas et sacramentum ipsius carnis aperitur.

3. Vera utique Christi caro, quæ crucifixa est et sepulta, vere [f] illius carnis sacramentum, quod per sacerdotem super altare in verbo Christi per Spiritum sanctum divinitus consecratur : unde ipse Dominus clamat : *Hoc est corpus meum* (*Luc.* XXII, 19). Et ne mireris, [g] o homo, neque requiras naturæ ordinem ; sed si carnem illam vere credis de Maria virgine in utero sine semine potestate Spiritus sancti creatam, ut Verbum caro fieret, vere crede et hoc quod conficitur in verbo Christi per Spiritum sanctum corpus ipsius esse ex Virgine. Ubi si rationem quæris, quis explicare poterit aut verbis comprehendere? imo scias, quæso, quia ratio in virtute Christi est, scientia in fide, causa in potestate, effectus vero in voluntate ; quia potentia Divinitatis contra naturam ultra nostræ rationis capacitatem efficaciter operatur. Idcirco habeatur scientia in doctrina salutis, teneatur fides in mysterio veritatis, quoniam in his omnibus per fidem ambulamus et non per speciem [h].

CAPUT V [i].

Quid sit inter immolationes veterum figurasque legalium, et inter sacramentum Dominici corporis et sanguinis.

1. Immolationem illam agni figuram fuisse passionis Christi et nostræ communionis recte nullus fidelium ignorat. Sed quantum sit inter illud et hoc sacramentum, seu inter cibum qui de cœlo descendit, necnon et aquam quæ de petra fluxit, atque inter istud spiritale divinumque commercium, quærendum arbitror, præsertim cum beatus apostolus clamet : *Quod omnes patres nostri eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt* (*I Cor.* x, 3). Ubi si eamdem percepérant escam, et eumdem potum, quid necesse fuit immutari quod ipsum erat, aut dari quasi aliud, si nihil amplius est? Ex quo fatendum, sic eamdem fuisse quam nunc percipimus, escam, eumdemque potum, sicut eamdem fuisse petram de qua manarunt aquæ, ubi Christus Apostolo teste prædicatur. Eadem quippe fuit esca, quia manna spiritaliter percipientibus typus fuit escæ corporis Christi, et aqua illa quæ de petra fluxerat, potus et figura sanguinis. Si [j] quidem in præfiguratione idem et umbra corporis atque exemplaria erant, sed non idem in adimpletione veritatis : quia quod tunc adumbrabatur in designatione futurorum imago [k] veritatis; nunc autem mysterium impletæ veritatis, et facta est Eucharistia ex resurrectione caro Christi, quæ prius per agnum vel per eamdem [l] ecclesiam figurabatur credentibus adfutura. De hoc vero pane David cecinerat in parabolis : *Panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 25). Alioquin esca illa, licet de cœlo venerit, et potus, quia corporeus erat, angelis non congruebat, sed utique ille panis et potus qui per hæc præsagabatur [m]. Christus ergo cibus est angelorum, et sacramentum hoc vera [n] caro ipsius et sanguis, quæ spiritaliter manducat et bibit homo [o]. Ac per hoc unde vivunt angeli, vivit et homo, quia totum spiritale est et divinum in eo quod percipit homo.

2. Patet igitur quod et agnus ille legalis et manna, et omnia hujusmodi quæ figuram gesserunt carnis ac sanguinis Christi, quod passus semel in pascha

[a] Ita Ulimm. et Sirm., at mss. legunt *prolatione*.
[b] Editi, *sequi appeterent*.
[c] Vatic. Majoris Monast. S. Audoeni, S. Remigii, regius unus, duo Colb. Putean. Mamer. et Ulim. legunt *visibilem figuram* : Sirm., *visibile, figuram*.
[d] Al., *figuralis caracter*.
[e] Duo mss., *obumbratio*.
[f] Sirm., *verum illius carnis sacramentum*.
[g] Anic. : *Et ne moreris homo*.
[h] Ad calcem hujus capituli Sirmondus hanc apposuit observationem : *Solet interdum Paschasius ita loqui, ut creari corpus et sanguinem Domini sumat pro incipere esse in sacramento, et ita transsubstantiari panem et vinum. Alioquin scimus a theologia, ut differant transsubstantiatio et creatio, tametsi in aliquo conveniant*. Vid. S. Thom. III. p. q. 75. a. 8.
[i] Hoc caput, quod nonum est in codice Laub., hunc in eo præfert titulum : *Quid sit inter figuras legalium hostiarum et Dominici corporis et sanguinis sacramentum, et quod agnus et manna et omnia hujusmodi figuram gesserint ejusdem sacramenti*. In Vaticano : *Quid distat inter immolationem veteris et novi agni*.
[j] Editi et quidam mss. sic legunt : *Siquidem in præsignatione idem, sed non idem in adimpletione veritatis : quia quod tunc adumbrabatur in designatione futurorum, imago veritatis et umbra corporis, atque exemplaria erant*.
[k] In ms. Turonensi S. Martini desideratur *et umbra veritatis*.
[l] Editi et Flor., *per eamdem e cœlis escam*.
[m] Edit, *præsagiebatur*, contra fidem omnium mss.
[n] Editi cum quibusdam mss., *vere caro*.
[o] Quæ sequuntur usque *Patet igitur* desunt in Puteano et in Rhemensi S. Remigii codicibus.

Introdusă în format electronic de Google

et quotidie super altare mane ac vespere immolatur, non nisi figuram istius habuere [a] mysterii, et si qua in his virtus sacranda latuit, totum ex ista gratia fidei qua fruimur præfulsit : quam profecto illi per hæc quasi promissam [b] suspirantes participabantur tantumdem per fidem, et de figuris sacramentum veritatis intelligebant. Nos vero longe ante patribus hanc gratiam repromissam jam suscepimus, et susceptam veneramur, venerantes autem ex ipsa pascimur et potamur : non figuris quidem legalium ænigmatum [c] adumbratam, sed his detectis [d] et evacuatis, sola veritate fruimur, et veram carnem Christi et sanguinem in mysterio sumimus; unde Salvator : *Caro*, inquit, *mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; hanc qui manducat carnem, et hunc qui bibit sanguinem, habet vitam æternam* (*Joan.* VI, 49). Cæterum Dominus ad Judæos : *Patres vestri*, inquit, *manducaverunt manna in deserto et mortui sunt*. Nunquid et nos qui ista comedimus, temporaliter non moriemur sicut et illi ? Moriemur autem, sed non sicut illi in anima. quia illi carnaliter [e] manducantes, mortui sunt in æternum [f] ; nos autem dum nihil carnale in eo sapimus, imo spiritale [g] totum spiritaliter intelligentes in Christo manemus. Idcirco de his qui recte percipiunt clamat ipse : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Non enim a nobis propter hanc vitam, ne moriamur temporaliter, sed propter æternam caro Christi et sanguis sumitur spiritaliter ; ad quam nimirum vitam nec illi sunt ingressi, qui prius digne in figura ista percipiebant, donec veniret gratia nobis et illis pariter repromissa.

3. Unde patet quia multum interest, quamvis eadem esca idemque potus ab Apostolo prædicetur, quia idem necdum in re, sed in specie [h] ac figura, ubi promissio veritatis inerat : de qua spiritalis intelligentia, atque fidei sacramenta illis licet futura impertiebantur, ita ut nec illis deesset in spiritu, quid jam spe [i] potarent, nec nobis quid de ipsis recolendo ad fidei firmitatem et vitam percipiendam copiosius proficiat. Nos autem [*al.*, tamen] et illos spiritales perceptio vivificat, quia bibebant illi de spiritali consequenti eos petra, significans quod Christus post eos venturus esset. Bibimus quoque et nos spiritaliter ac comedimus spiritalem [j] Christi carnem, in qua vita æterna esse creditur; alioquin sapere secundum carnem mors est, et tamen veram Christi carnem spiritaliter percipere vita æterna est.

CAPUT VI [k].

Quid sit autem digne ad vitam percipere corpus et sanguinem Christi.

1. Hoc sane Christus exponit : *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (*Joan.* VI, 57). (*Aug.*, trac. 26, in Joan. sub fin.) Hoc est ergo, manducare illius carnem et sanguinem bibere, si in Christo maneat, et Christus in illo, qui percipit digne, manere possit. Ille igitur in Christo manet, qui renatus ex aqua et spiritu, nullo mortali crimine reus tenetur ; et Christus in eo utique qui aperuit illi januam fidei in Spiritu sancto consecrante [l], ut membrum esset in ejus corpore, et templum est Spiritus sancti : quia *si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Qui autem ejus non est, vere nec in illo, nec in corpore ejus esse potest; et qui in illo non manet, neque vita spiritus vivit in corpore, in illo utique nec Christus est, neque ille in Christo potest esse ; quia omnino Christus vita est : hic autem mortali crimine reus a vita longe alienatur. Hinc quoque est quod ait : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (*Joan.* VI, 57); alioquin nisi prius in me maneat et ego in illo, carnem meam manducare non potest, neque sanguinem bibere.

2. Et quid est quod manducant homines? Ecce omnes indifferenter quam sæpe sacramenta altaris percipiunt [m]. Percipiunt plane, sed alius carnem Christi spiritaliter manducat et sanguinem bibit, alius vero non, quamvis buccellam de manu sacerdotis videatur percipere. Et quid accipit, cum una sit consecratio, si corpus et sanguinem Christi non accipit? vere, quia reus indigne accipit, sicut Paulus apostolus ait : *Judicium sibi manducat et bibit, non probans se prius, nec dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* XI, 29). Ecce quid manducat peccator, et quid bibit [n], non utique sibi carnem utiliter et sanguinem, sed judicium : licet videatur cum cæteris sacramentum altaris percipere? Et quare? Quia non se probat, nec dijudicat Domini corpus. Cogitat enim infidelis quod digna et sancta indignus possit accipere, non aliud quidem attendens, nisi quod videt, neque intelligens nisi quod ore sentitur [o]. Nequaquam igitur credit aut intelligit, quale vel quantum judicium sumit ; nempe quia simul omnes ex uno edere visibiliter cernit, nec si aliqua sit ultra virtus in eo satis ex fide sapit. Propter quod illi virtus sacramenti subtrahitur, et in eodem ob præ-

[a] Tres mss., *habuerit*.
[b] Puteanus codex, *quasi promissa suspirantes participantur*.
[c] Mamer. cum Puteano, Colbertino uno, Remigiano, et Turonensi Majoris-monast., *et ænigmatibus*.
[d] Sirm., *defectis*, contra fidem omnium mss.
[e] Editi, *carnalia*.
[f] Mamer. Ulimm. cum quibusdam mss., *in anima*.
[g] Editi, *spirituales*.
[h] Editi, *spe*.
[i] Tres mss., *jam sæpe*.
[j] Al., *spiritualiter*.
[k] Laub., cap. X.
[l] Quinque mss., *consecrato*, quidam *consecratus*.
[m] In codice Laubiensi hic incipit cap. XI cura hoc titulo : *Quid sit quod in Eucharistia sumunt vel indigni vel digni*.
[n] Flor. addit, *non probans se prius*.
[o] Ms. S. Audoeni, *quod ore sentis*.

Introdusă în format electronic de Google

sumptionem judicium [a] reatus duplicatur, unde Apostolus : *Probet se homo prius, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (*Ibid.*, 27). Quibus duobus servatis, videat utrum digne accipere possit, videlicet ut dijudicet corpus Domini, quid est quantumve sacramentum, qualisque virtus sacramenti, quia divinum ac spiritale est. Deinde semetipsum probet utrum ipse sit in corpore Christi, vel si Christus in eo maneat, alioquin nisi et illud spiritaliter judicet [b], et semetipsum ad percipiendum idoneum probet, judicium sibi manducat, quia bono male utitur : unde non illud ad vitam, sed in eo judicium ad pœnam sumit [c].

3. Et ut ea quæ diximus certioribus exemplis approbemus, referemus de quodam infideli, qui non dijudicans corpus Domini, nec seipsum secundum Apostolum probans, hæc mysteria indigne præsumpsit accipere, quid sibi inde contigerit. Beato namque Syro Ticinensium primo episcopo missarum solemnia celebrante in Ecclesia beatorum martyrum Gervasii et Protasii, quam ipse dedicaverat, dum copia filiorum ejus, quos verbi semine juxta Apostolum Deo genuerat, devote sanctis mysteriis interesset, quidam Judæus audenter ingressus, maligno instigante spiritu, corpus Dominicum sumere, eumque in sterquilinium projicere molitus est. Qui inter turbas fidelium sacram Eucharistiam de manu pontificis percipientium, ad manus viri Dei perveniens, ausu nefario, immundo ore corpus suscepit Dominicum, quod ut rejiciendi [causa] os operuit; digna ultione perculsus, sine effectu verborum, cunctis audientibus et videntibus clamare cœpit. Volebat labia jungere, nec valebat; cupiebat verba edere, sed lingua rigida loquendi officium non præbebat, et quasi ignitum jaculum in ore portans, immensis torquebatur doloribus; resonabat omnis illa ecclesia ineptæ vocis clamoribus, et de tam egregii virtute miraculi Christi fidelium lætabatur conventus, impleturque illud : *Derisores ipse deridet* (*Psal.* LVIII); et quod Apostolus ad Galatas scribens ait : *Nolite errare, Deus non irridetur : quæ enim seminaverit homo, hæc et metet* (*Psal.* VI, 7); illud quoque quod in Evangelio ipsa Veritas promittit dicens : *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Marc.* IV, 24). Judæus ergo hic incredulus nec audierat nec legerat ista præconia Scripturarum, qui putavit Christo sanctoque Spiritui stropham inducere. Quem vir Dei suo conspectui præsentari præcepit, eique advenienti dixit : Incredula et perfidiæ mens plena, quare tam iniqui hostis implesti consilium, ut æstimares corpus Christi vilissimum? Ecce quis clandestinus persuasor te miserum illexit ut faceres, cunctis fidelibus suis divina virtus ostendit. Judæus autem, nimio dolore superatus, voces emittere absque sermonibus non cessabat, habens in gutture malitiæ suæ cruciatum, quia secundum sanctissimi vaticinium Simeonis, sicut incredulis est pernicies ac ruina, ita fidelibus suis vita et exaltatio est verbum Dei. Nam subtiliter aspicientibus miserabili libratione corpus Dominicum in ore videbatur Judæi dependere, ita ut nec linguæ subter compagi insideret, nec desuper immundo adhæreret palato. Postulantibus autem cunctis fidelibus pro ejus miseria, vir Domini Syrus manum propriam tetendit, et sanctæ Eucharistiæ mysterium a sacrilego abstraxit ore, dicens : Ecce nunc, incredule, liberatus es, de cætero cave hujusmodi simile ne facias, et ne ulterius repetere, ne deterius tibi aliquid simile contingat. Judæus ergo pedibus ejus advolutus, se Christo Domino crediturum, si sacri eum baptismatis unda perfunderet, ac pio ejus conventui eum copularet, confitebaturque qua intentione Dominicum corpus percipere temere præsumpsisset. Prioris etiam culpam incredulitatis, ac deinceps veræ fidei firmitatem se habiturum. Tibi, inquit beatus pontifex Syrus, Deus omnipotens Pater, refero gratias, qui Judaicam etiam perfidiam non dedignaris corrigere, sed ad tui Unigeniti fidem ampla pietate illam convertis. Baptizato autem illo, multi etiam ex Judæis in Christum credentes cum eo sacro sunt renati baptismate, ac Christi fidelibus spiritalique cœtui sunt uniti. Hanc autem ultionem cunctis divinitus ostensam huic nostro opusculo ideo inseruimus, ne quis infidelis antequam corpus Domini dijudicet quid sit aut mortali crimine reus, priusquam Christo, per pœnitentiam se ipsum probans, in pace reconcilietur, de hoc pane edere et de calice bibere temere ac negligenter præsumat. Hæc pro assertione sacræ communionis dicta sufficiant, nunc ad propositum redeamus.

CAPUT VII [d].

Quibus modis dicitur corpus Christi.

1. Tribus sane modis in Scripturis sacris corpus Christi appellatur; profecto quia generalis Christi Ecclesia corpus ejus est, ubi Christus caput, et omnes electi membra dicuntur, ex quibus unum colligitur quotidie corpus in virum perfectum in * mensuram plenitudinis Christi. Corpus autem Christi, sponsa videlicet Dei Ecclesia jure dicitur : juxta illud quod Apostolus ait (*I Cor.* VI, 16) : *Ei erunt duo in carne una. Hoc*, inquit, *sacramentum magnum est* [f] *in Christo et in Ecclesia*. Quod si Christus et Ecclesia in carne [g] una sunt, utique unum corpus [h], ubi sponsus caput, singuli autem electi alter alterius membra. Ex quo videlicet quisquis tollit membrum Christi et facit membrum meretricis, aut certe per quodlibet grave

[a] Tres mss. *judicii reatus*.

[b] Al., *dijudicet*.

[c] Quæ sequuntur eruimus ex optimæ notæ codice 1554, reginæ Sueciæ, et codice 4070 bibliothecæ regis Christianissimi.

[d] In cod. Laubiensi : caput XII.

[e] Editi, *et mensuram*. Mss. reginæ Sueciæ, Flor. et regius unus, *in mensuram ætatis*.

[f] Cod. regius addit : *Ego autem dico vobis*.

[g] Cod. Majoris Mon. : *Quod si Christus et Ecclesia una sunt*, omisso *in carne*.

[h] In eodem codice et altero Coloniensi fratrum Prædicatorum, *unus sponsus*, præterquisso *ubi*.

Introdusă în format electronic de Google

delictum membrum diaboli hic profecto jam non est in corpore Christi, quia factus est alterius membrum. Idcirco ei jure non licet edere de hoc mystico corpore Christi ; quod sane corpus, ut vera caro sit Christi, pro mundi vita quotidie per Spiritum sanctum consecratur ; ex qua non habent potestatem edere qui ex adverso sunt. [a] Vescuntur [b] autem eo condigne qui sunt in corpore illius, ut solum corpus Christi [c], dum est in via, ipsius carne reficiatur, et discat nihil aliud esurire quam Christum, nihil sit ire nisi Christum, nihil aliud sapere [d] quam Christum, non aliunde vivere [e] non aliud esse, quam corpus Christi [f].

2. Cæterum illud corpus quod natum est de Maria virgine, in quod istud transfertur, quod pependit in cruce, sepultum est in sepulcro, resurrexit a mortuis, penetravit cœlos, et nunc pontifex factus in æternum, quotidie interpellat [g] pro nobis ; ad quem si recte communicamus, mentem dirigimus, ut ex ipso, et ab ipso nos corpus ejus, carnem ipsius, illo manente integro, sumamus : quæ nimirum caro ipse [h] est et fructus ipsius carnis, ut idem semper maneat, et universos qui sunt in corpore [i] pascat. Si enim hydria farinæ vel lecytus olei, seu panes secundo [j] crescunt, et non minuuntur dum satiant, quid putas facit caro Christi? Arbor quidem ligni vitæ Christus nunc in Ecclesia est, cujus imago in paradiso arbor illa fuit. Idcirco scire convenit, quod veritas hinc completur, quam prius figura præmisit. Nam si homini ex illa semper, Dei servatis mandatis, edere licuisset, nunquam [k] mortalis esset : sic itaque ex hoc ligno corporis quicunque spiritaliter comedunt; si mandata observaverint, nunquam in spiritu mortales erunt : alioquin præcidendi sunt, ut melius reinserantur, unde [l] et lignum vitæ jure dicitur, quia sicut illud immortalitatem corporis sumptum præstitisset, ita istud imo solidius vitam præstat cum observatione mandatorum Dei æternam. De quo in laude sapientiæ : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Et in Apocalypsi Joannes : *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei :* quia profecto non aliis largitur etiam in mysterio quam vincentibus.

3. Sed quoniam de tribus vocabulis corporis Christi diximus, restat etiam intelligere Scripturas sanctas, doctrinamque Christi, quam sæpe typice corpus Christi interpretari debere, ut unum corpus ex omnibus perficiatur, quia hæc sunt dotalia, hæc mystica, ut Christus et Ecclesia unum corpus solidius confirmetur ; alioquin quomodo auderet apostolus Christi Ecclesiam de carne et de ossibus ejus constare? utique hoc sacramentum velint nolint inimici, magnum est in Christo et in Ecclesia, quod *erunt duo in carne una*, et si una caro Christus et Ecclesia, jam unitas naturæ amborum plenius commendatur. Quapropter illo integro [m], Agni carnes, nostra ut tollat peccata, mundi accipiamus ; quatenus hoc Christus in nobis maneat, et nos in ipso renati unum efficiamur.

CAPUT VIII [n].

Quod in hac communione aut judicium percipitur, aut præmium.

1. Nihil impræsentiarum periculosius quam lethaliter peccare, et a Christi corpore coram interni judicis oculis decidere. Deinde nihil damnabilius, antequam quis corrigatur, propter perfidiam humanam, cum Juda a mysterio sanctæ communionis pedem non retrahere. Unde a primordio hujus celebritatis judicium male accipientibus minatur, dum continuo post buccellam de manu Domini perceptam, Judam diabolus pervasit. Ubi mox ostenditur futurum in Ecclesia judicium, quia Sancta sanctorum sunt ; si quis ea, lapsus de corpore Christi factus membrorum meretricis vel diaboli, præsumpserit ; nec dubium quin ob id judicium excipiat, et cum Juda, culpæ societur obnoxius ; tam quia corruit, quam quia in conscientia damnatus ausus est sine pœnitentia et correctionis venia, sancta mysteria temerare, nec præsentiam divinæ majestatis veritus, dum cogitat nihil amplius, quam quæ videntur ; nec intelligit miser, quod nunquam caro Christi, nisi de manu ejus et sublimi ara ubi Christus pontifex futurorum bonorum pro omnibus [o] assistit, jure accipitur. Unde sacerdos cum hæc incipit immolare, inter cætera : *Jube*, inquit, *hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ.* Et cogitas, o homo, aliunde illud accipere quam de altari, ubi sublimius transpositum consecratur ?

2. Sed fortassis ad hæc cæca cogitatio dicit [p] : Et quomodo in cœlum ante conspectum divinæ majestatis tam subito effertur, [q] cum hic aut panis aut

[a] Hic incipit in codice Laub. cap. XIII : *Quod illi soli qui eo digne vescuntur, sunt in corpore ejus.*

[b] Puteanus codex, Flor. Laub. Colbert. unus, *vescuntur eam :* Sirm., *vescuntur ea.*

[c] Regius unus codex addit, *quod est Ecclesia.*

[d] Laub., *sentire.* Tres mss. expungunt sequentia verba, *quam Christum.*

[e] Tres mss. addunt, *nisi de Christo.*

[f] Hoc in codice Laub. incipit cap. XIV : *Quod illud sit veraciter corpus quod natum est de intemerata virgine* Maria.

[g] Al., *interpellans.*

[h] Editi cum pluribus mss., *caro ipsa est.*

[i] Tres mss., *in corpore ejus ;* cod. S. Audoeni, *in corpore Christi.*

[j] Vatic., *edendo crescunt.*

[k] Quatuor mss., *mori non posset.* Editi, *nunquam mori potuisset*, sive, ut habet Flor., *posset.*

[l] In cod. Laubiensi deest *unde et lignum vitæ jure dicitur.*

[m] Vatic. : *Illam integram agni carnem ut tollat*, etc.

[n] Laub. : CAP. XV. *Nihil in præsenti sæculo damnabilius quam corpus Domini indigne percipere.*

[o] Regius ms., *pro hominibus.*

[p] Cod. Laub. : CAP. XVI. *Quid cæca cogitatio sibi interius dicat.*

[q] Ita septem optimæ notæ mss. editi, *offertur.* Flor., *transfertur.* Vatic., *transferatur.*

Introdusă în format electronic de Google

caro licet dicatur [a], in manu sacerdotis visibiliter semper teneatur. Hoc quippe est, o infelix [b] homo, quod sacramentum vel mysterium vocatur. Si enim totum visibile fieret, nullum in eo mysterium vel secretum esset, nulla fides, nulla vis spiritalis, nulla alia res, quam quæ oculis et gustui subjaceret. Nunc autem longe aliter virtus divina interius operatur, quia per fidem ambulamus, et non per speciem : habet enim fides præmium meritorum, ut quidquid per fidem tibi sapuerit, hoc interius totum præbeat ; unde scriptum legimus : *Dedisti eis, Domine, panem de cœlo, habentem omne delectamentum, et omnem saporem* (*Sap.* XVI, 20). Alioquin nisi per fidem et intelligentiam quid præter panem et vinum in eis gustantibus sapit? Et ideo populus ille carnalis manna fastidivit, quia inibi non nisi carnalia quæsivit. Cæterum quibus omnem saporem et omne delectamentum præbuit, eamdem de cœlo escam, quam nunc percipimus, spiritalis et typica illa perceptio in ore sapuit, hinc apostolus patres nostros eadem comedisse escam spiritalem testatur, sed non in pluribus eorum bene placitum fuisse Deo (*Aug.*) : profecto quia fastidientes spiritalia carnaliter sapiebant, non quidem patres nostri spiritalia prægustantes, sed infideles plane patres Pharisæorum, de quibus Dominus dicebat : *Quod mortui sint in deserto.* Illi utique mortui sunt in quibus beneplacitum non fuit Deo, isti vero mori non potuerunt spiritaliter comedentes, quia eis esca illa cœlestis saporem et delectamentum immortalitatis præbuit. Simili itaque modo nunc in Ecclesia cibus iste quibusdam vita est, quibusdam vero pœna et supplicium peccati. Porro illis vita est, quibus Christus est vita ; illis vero mors, qui per carnem et ignorantiam membra sunt diaboli. Unde, homo, disce aliud gustare, quam quod ore carnis sentitur; aliud videre [c], quam quod oculis istis carneis monstratur. Disce quia Deus spiritus illocaliter ubique est. Intellige quia spiritalia hæc sicut nec localiter, sic utique nec carnaliter ante conspectum divinæ majestatis in sublime feruntur. Cogita igitur si quippiam corporeum potest esse sublimius, cum substantia panis et vini in Christi carnem et sanguinem efficaciter interius commutatur; ita ut deinceps post consecrationem jam vera Christi caro et sanguis veraciter credatur, et non aliud quam Christus panis de cœlo a credentibus æstimetur. Putasne aliud esse altare ubi Christus pontifex assistit quam corpus suum, per quod et in quo Deo Patri vota fidelium et fidem [d] credentium offert; quod si veraciter corpus Christi altare illud cœleste creditur, jam non aliunde carnem et sanguinem quam de ipso Christi corpore sumere te putabis.

3. Cæterum [e] de angelorum præsentia dubitare omnino non debes, quia ad hoc secundum apostolum Paulum administratorii spiritus positi sunt in ministerio pro [f] his qui hæreditatem accipiunt salutis. Idcirco inter angelorum frequentiam, quam terribile sit indigne ad communionem accedere debet quisque cogitare; imo quam terribile sit ipsum corporis ac sanguinis sacramentum, ubi plenissime virtus Christi accipitur, et neque ab alio quam ab ipso Christo pontifice porrigitur, licet visibilis sacerdos assistere et singulis tribuere videatur; quia quod iste per ignorantiam omnibus indifferenter tribuit, Christus virtute majestatis suæ interius, cui ad remedium, cuique ad judicium tribuatur, divinitus [g] discernit. Quis enim carnem ipsius et sanguinem, nisi ab ipso jure percipit, cujus est caro? Et ideo alius accipit mysterium ad judicium damnationis, alius vero virtutem mysterii ad salutem. [h] Nam is qui cum Juda pro contemptu suo et vitio criminis reus tenetur, cum Juda utique condemnatur, [i] et qui cum Petro ac cum cæteris fideliter ac devote participatur, [j] cum Petro quoque et cum cæteris apostolis in corpore consecratur. (*Isid.*) Hoc ergo judicium in natali [k] calicis mox excipitur, ut doceatur quid contemptoribus immineat, si damnari a conscientia pedem de mensa Domini non retraxerint. Unde Dominus in Levitico ad Moysen : *Loquere*, inquit, *ad Aaron et ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, et non contaminent nomen sanctificatorum mihi. Ego Dominus : Dic ad eos*, inquit, *et ad posteros eorum : Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum*, inquit, *Dominus* (*Levit.* XXII, 2). Ubi non solum sacerdotes tangit et ministros altaris, verum etiam omnem de stirpe veræ fidei licet ultimus in Ecclesia habeatur, ut hanc legis sanctionem in commune custodiant. Alius quippe Israel carnalis nomine tenus appellatur, alius vero vere [l] videns Deum, de cujus nimirum stirpe nemo immundus debet accedere ad ea

[a] Cod. Majoris Monasterii, S. Audoeni, et unus regius, *licet videatur*. Vaticanus vero hunc locum sic legit : *Licet dicatur aut caro videatur in manu sacerdotis, et visibiliter super altare teneatur.*

[b] Editi cum aliquot mss., *felix homo*. Flor., *homo*, omisso *felix*.

[c] Cod. Majoris Monasterii, *aliud vide*. Mamer., *disce aliud videre*.

[d] Plures mss. cum editis legunt, *Et fides credentium offertur*.

[e] In eod. Laub. hic incipit cap. XVIII : *Quod dubitare non debemus de angelorum præsentia*.

[f] Editi, *propter eos*; sed melioris notæ mss. legunt *pro his*.

[g] Puteanus cod., *divinitas decernit;* plures mss., *divinitus decernit*.

[h] Hic in codice Laub. incipit cap. XIX : *De Jude et quod consecrata Domino non aliorum sit cibus, nisi qui sunt in Domino, quia hi soli visuri sunt Dominum.*

[i] Mam., *contemnatur*.

[j] Flor., *participat*. Apud Mameranum desiderantur hæc verba : *Fideliter et devote participatur, cum Petro quoque.*

[k] Vatic. et Flor. : *In Dominica cœna, in exordio calicis.*

[l] Ita sex mss. editi, *alius vir videns Deum*. Duo mss., *alius vero videns Deum*, omisso *vere*.

Introdusă în format electronic de Google

quæ consecrata sunt filiorum Israel [a]; quia nemo nisi mundus a mortali crimine digne potest ea sumere. Si quis autem indigne [b], id est in cujus anima est immunditia peccati, [c] peribit coram Domino. Hunc igitur ut Septuaginta interpretes ediderunt : *Deus aversatur et ab omni repellit communione spiritus.* Unde postea si Domini resuscitante [d] misericordia in Christi corpore talis quilibet forte reinsertus fuerit, et per pœnitentiam vivificatus, debet non minus de contemptu, quam de prioris culpæ reatu, quia salutaria vitæ mysteria sumpsit ad judicium, medullitus corde ingemiscere, et ad uberiorem amoris gratiam, eo quod evaserit, inardescere.

4. Hæc igitur quæ consecrata sunt Domino, non aliorum est cibus, nisi qui sunt in Domino, quia hi soli visuri sunt Dominum. Unde illorum jure [e] consecrata, id est filiorum Israel dicuntur. Nec putes legislatorem Deum de his tantum quæ in lege consecrabantur ista sanxisse, præsertim cum illa nihil aliud fuere quam umbra futurorum. Unde terribilius est ad ea immundum accedere, ubi sacerdos est ille, qui potestatem habet corpus et animam perdere in gehennam. Ex quo in fine concluditur : *Ego Dominus;* ac si patenter dicat : *Ego sum scrutans corda et renes Deus* [f] (*Psal.* VII, 10). Ego sanctificans digne accipientes, ego qui solus potestatem habeo animam perdere male accipientium. Et quisquis accedis, hunc attende, et time pontificem : non enim [g] quem fallere te putas, sed illum cui cuncta [h] patent ; et timeas percipere non virtutem Spiritus sancti, sed judicium sacramenti.

5. [i] Judicium autem sacramenti est, ut habeat reus prioris culpæ delictum, deinde contemptus sui, peccatum superbiæ vel sacrilegii contra Deum, quia ausus est sancta contingere, quod non licet nisi mundis. Hinc igitur patet quod [j] gravioris est tali cuilibet, quod excipit, facinoris, quam quod prius admiserat. Nam Judas, donec buccellam acciperet (*Joan.* XIII), quamvis mente saucius, interdum tamen a Domini bonitate leniter, crebroque nunc cum aliis, nunc solus monetur : sed postquam indignus mystica præsumpsit, invasit eum diabolus, et qui prius nutabat [k], ut accepit, continuo foras exivit. Hinc quoque in libro Samuelis, cum de peccato sacrificii filios suos Heli moneret, dictum legimus : *Non est enim bona fama, filii, quam audio de vobis. Si peccaverit vir* [l] *in virum, placari ei potest Deus. Si autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo?* (*I Reg.* II, 24) id est quem apud Deum pro se intervenientem inveniet, qui Dominum totius creaturæ contemnens, in ejus injuriam, ad sanctificata, imo nunc ad corpus et sanguinem ipsius indignus accedit : [m] talis profecto nec Dei veretur [n] præsentiam, nec frequentiam formidat angelorum, sed sic se ingerit, quasi nullus sit, qui ejus conscientiam videat : (*Hier.*) propter quod Dominus cum peccata Jerusalem et abominationes quæ fiebant in templo, per visionem [o] ostenderet, inter cætera dicuntur sex viri de via portæ superioris advenisse : *Et ecce unusquisque eorum in manu sua ferebat vas interfectionis* (*Ezech.* IX, 2). Ubi Septuaginta securim attulisse dixere, de qua Dominus : *Ecce securis ad radices arborum* (*Luc.* III, 9), videlicet ad cogitationes singulorum posita est. In quorum medio vir unus vestitus lineis et atramentarium habebat scriptoris ad renes suos, qui profecto ingressi steterunt juxta altare æneum quod erat in atrio templi ; [p] per quod nimirum præsens altare, quo cibum vitæ et stipendium militiæ nostræ sumimus, manifestissime designatur, quia illud aliud interius infra Sancta sanctorum aureum fuisse legimus.

6. Ex quo illud intelligibile demonstratur altare, ubi orationes omnium et vota offeruntur singulorum a summo pontifice Christo Domino ; et ideo ad illud mundo corde pertingere, ad istud vero mente simul et corpore absque ulla immunditia debemus [q], quia [r] sacramentorum vota in illo pro nobis offeruntur altari, quo nimirum Christus concordiam videt omnium, fidemque convenit singulorum, illucque Deo Patri hæc precamur [s] per manus angeli gloriosius deferri, et ex illo coram nobis in isto visibili (*Hier.*), quia necdum ad illud corporeo

[a] In tribus mss. deest *Israel.*
[b] Regius ms. addit *accesserit;* editi, *sumit.*
[c] Laud. addit : *ad hoc altare accesserit.*
[d] Editi, *resuscitante gratia et misericordia.* Quæ sequuntur verba, *In corpore Christi,* desunt in duobus mss.
[e] Vatic., *illorum juri consecrata.*
[f] In mss. sex deest *Deus.*
[g] Editi cum pluribus mss., *non eum.*
[h] Laud., *cui tanta valent.*
[i] Hic incipit in codice Laubiensi cap. XX : *Quod judicium sit sacramentum.*
[j] Hic multum variant mss.; editi cum quibusdam mss. : *Quod gravius est quod talis quilibet plus excipit facinoris.* Cod. Majoris Monast. cum uno Colbertino : *Gravius est talis quilibet quod excipit facinoris,* Vatic. : *Gravius est talis quilibet quod exhibet facinoris.* Al. : *Gravius est talis quilibet quod excipit facinus.* Denique Laub. : *Quod gravioris est talis cuilibet quod excipit facinoris.*
[k] Laud. cum uno regio miss. et Mamerano, *mutabatur.* Turonensis Majoris Monasterii et S. Audoeni, *nutabatur.*
[l] Sirm., *vir virtutum.*
[m] Hic in codice Laubiensi incipit cap. XXI : *Quod nec Dei veretur præsentiam, nec frequentiam formidat angelorum, qui se ad communionem ingerit, quasi nullus sit, qui ejus conscientiam videat.*
[n] Cod. regius, *veretur potentiam, nec præsentiam angelorum.* Cod. reginæ Sueciæ, post *veretur potentiam,* omittit *nec frequentiam formidat angelorum, sed sic se ingerit quasi nullus sit qui ejus conscientiam,* his omissis prosequitur : *videat propter quod Dominus.*
[o] Duo mss. addunt *Ezechielis prophetæ,*
[p] In Laubiensi codice hic incipit cap. XXII : *Quod æneum altare istud nostrum significat, ubi cœlestem sumimus panem, et qui indigne ad illud accesserit, nisi corrigi festinet, ab angelis, altaris utique custodibus, interemptus in æternum peribit.*
[q] Codices reginæ Sueciæ addunt *accedere.*
[r] Vatic., *quia Sancta sanctorum sunt quæ in illo.*
[s] Editi, *precantur,* Colbertinus unus, *hic precatur*

Introdusă în format electronic de Google

ingressu possumus introire, verissima caro Christi et sanguis quotidie ministratur. Idcirco signanter juxta illud æneum, quod erat in atrio, stetisse dicuntur, quia ad illud interius qui semel intraverit, nunquam ulterius mortem patietur; [a] ad istud vero quod in atrio est, id est in præsenti sæculo, si quis indigne accesserit, judicium damnationis excipit. Ad hoc ergo unusquisque illorum in manu sua vas interfectionis tulisse scribitur. (*Hier.*) Unde et gloria Domini, quæ assumpta fuerat de Cherub, stetit ad limen domus, ut ingredientes plenius dignosceret: *Et clamavit ad virum, qui indutus erat lineis, et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis:* quem profecto virum Christum intelligimus vestitum in habitu pontificis, de quo scriptum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4); et habet atramentarium scriptoris ad renes suos, ut omnium peccata describat, et sanctorum a peccatoribus numerum segreget, maxime dum ad altare veniunt, et ideo bene juxta illud stare perhibetur, ut milites ad stipendia vitæ percipienda accedentes divinitus discernat. Cui cum in medio candelabrorum aureorum assisteret, dictum est: *Transi per mediam Jerusalem, et signa* thau *super frontes gementium et dolentium super cunctas abominationes quæ fiunt in medio ejus* (*Ezech.* IX, 4). Hinc quoque alibi de ipso: *Et ambulabo*, inquit, *inter eos, et ero illorum Dominus* (*Levit.* XXII, 12, II *Cor.* VI, 16). Quorumvis? illorum utique super quos signatum est [b] signum crucis, mortificationem scilicet Jesu in corpore suo circumferentes, qui non solum sua, sed aliorum quotidie delicta lugent, et [c] possunt dicere cum Propheta: *Signum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7). Cæterum ad eos in quorum manibus vasa interfectionis erant, fit illico vox, propheta audiente: *Transite post eum per civitatem et percutite. Non parcat oculus vester, neque misereamini senem* [d], *adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite* [e] *usque ad internecionem. Omnem*, inquit, *super quem videritis* thau *non occidatis; et a sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX, 5), sive ut Septuaginta, [f] *a sanctis meis*, id est a sacerdotibus et ministris altaris: non quod sancti sint, sed quia pro ministerio sancti [g] vocantur in populo, ut qui sunt causa peccati in plebe, primi excipiant supplicium: quia tempus est ut judicium a domo Dei incipiat. Sed ne putares sine causa juxta altare stetisse, fit ad eos vox divina, quæ utinam in nobis non compleatur: *Contaminate domum, et implete atria interfectis*, quia nulla est regio, [*f.* religio] ubi offensio peccati offerentes contaminat: et ideo jure unde peccatum, inde judicium incipit, quia peccato mortuus contaminat prius atria templi, et profanat [h] sancta, dum immundus ea contingit; neque fit error judicii, ubi judex est et descriptor suorum militum *Verbum Dei Patris Christus penetrabilior omni gladio ancipiti, discretor quoque cogitationum et medullarum, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* (*Hebr.* IV, 12). [i] Unde Apostolus de his qui indigne sumunt, non dijudicantes corpus Domini; propterea, inquit, *imbecilles fiunt et dormiunt multi* (*I Cor.* XI). Dormiunt ergo inde [j] multi, non somno pacis, sed somno mortis; quia ministerio eorum qui ad hoc positi sunt angelorum perimuntur. Imbecilles vero fiebant quia variis languoribus ideo cruciabantur quidam, ut corrigerentur, quidam vero ut jam inciperent torqueri, et metu eorum cæteri sanarentur. Alioquin plagæ et infirmitates nunquam in populo Christi tantum crebrescerent, præsertim cum in his qui ex Ægypto in figura sanctæ Dei Ecclesiæ egrediebantur, lectum sit, *nullum fuisse infirmum* (*Psal.* CIV, 37).

7. Nam et ideo lignum vitæ dicitur, quod hanc virtutem divinitus acceperit, ut si quis ex eo manducaret, sanitate corporis ad immortalitatem firmaretur. Quanto magis ex hoc præstatur, non ne moriatur in carne, sed ne lædatur quisque a diabolo, dum eum virtus [k] sanguinis defenderit [l]? Sed ne forte [m] ad hæc quæratur. Si propterea [n] infirmantur et dormiunt multi, cur non aperte? præsertim cum magis illi puniantur, qui Dei correptione judicantur indigni: nimirum quia fides renatorum exercenda et probanda, necnon et doctrina præceptorum homo erudiendus. Tamen nec dubium quin fidelis vitam, contemptor vero mortem accipiat. Alias si semper in peccantibus aperta ultio fieret, terror homines compesceret, non fides vel religio ad probitatem morum imbueret. Unde secundum Apostolum (*Jac.* XV), cum aliquis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, post sanctificatio [o] unctionis: quia impossibile est per medicinam sanari ullius artis, quem divina ultio premit; et si medicina est sectanda, tamen hoc prius agendum Christiano; quoniam si in angelis pravitas est

[a] In cod. Laub. hic exhibitur cap. XXIII: *Quod ad istud altare si quis indigne accesserit, judicium damnationis excipit.*

[b] Editi., *signatum est signum Thau, id est signum crucis.* Sed mss. expungunt hæc verba: *signum Thau, id est.*

[c] Editi, *ut possit dicere.*

[d] Sirm. *Semen*, contra fidem omnium mss. qui legunt *senem.*

[e] Al., *mulieres percutite.*

[f] Cod. Laud. hic repræsentat cap. XXIV: *Quoa qui sunt causa peccati in plebe, primi accipiunt supplicium in ultione.*

[g] Ms. Majoris Mon., *sanctificantur.*

[h] Mam. Ulim. et Sirm., *profana sancta*, contra fidem omnium mss.

[i] Hic in codice Laub. incipit cap. XXV: *Qui sint imbecilles multi, et qui secundum Apostolum pro indigno sumpto sacrificio dormiunt.*

[j] Vatic., *in die multi.*

[k] Codices reginæ Sueciæ et unus regius: *Dum eum virtus carnis et sanguinis Domini defenderit.*

[l] Hic in codice Laubiensi incipit cap. XXVI: *Cur non aperte infirmantur et dormiunt corporaliter, qui indigne communicant.*

[m] Editi cum quibusdam mss., *sed forte ad hæc.*

[n] Tres mss. addunt *inquit.*

[o] Laub., *unctio sanctificationis.* Cod. reginæ Sueciæ, *sacrificium unctionis.*

Introdusă în format electronic de Google

inventa, et astra non sunt munda coram eo, quanto magis homo immundus probatur, si non confessione et bonis operibus quotidie purgetur!

8. [a] Verumtamen quia sæpe gravius peccantibus divina patientia, licet præsumant indigne, parcit ad tempus, et exspectat ad pœnitentiam, non ideo securitas [b] subripiat, quia thesaurizat sibi contemnendo [c] iram in die iræ, et peccata magis in Deum accumulat. Certus sit enim, quia ultores angeli nec semel indigne communicanti parcerent, nisi bonitas Christi, in cujus judicio pendent omnia, et cui commissum est, ut signum ponat suorum [d] in frontibus, gladium suspenderet, et removeret interdum momentaneam mortem. Unde postea resipiscentibus [e] duplex in pœnitentia debet esse luctus, vel quia male quis gessit, vel quia demum ad judicium male præsumpsit : quod sane delictum nullo alio, nisi Christo interveniente, donabitur. Unde in lege pro hoc quia in sanctificatis deliquit, aries per quem intelligitur Christus offerri jubetur, ut apud Deum Patrem Deus homo pontifex in æternum interpellare per fidem credatur, atque ipsum pro se moribus et vita quotidie reindutum [f] per fidem offerat; alioquin qui in Deum peccavit, quis orabit pro eo, nisi Deus, qui nostras infirmitates ideo assumpsit, ut compatiatur nobis, et per eum donet veniam ex delictis etiam in Deum admissis? Nec hoc dicimus, ut idoneus aliquis pro nobis in [g] istis non debeat intervenire, sed Christo totum debemus ascribere, qui suas etiam injurias libenter remittit, et pro delinquentibus in se, sicut prius in cruce fecerat, etiam se Patri offerendo idoneus exorator intervenit.

CAPUT IX [h].

Quid necesse fuerit quod semel gestum est in re, Christum quotidie immolari. [i] *Vel quid boni tribuant hæc mysteria digne accipientibus.*

1. Iteratur autem quotidie hæcoblatio, licet Christus semel passus in carne, per unam eamdemque mortis passionem semel salvaverit mundum, ex qua morte idem resurgens ad vitam, *mors* [i] *ei ultra non dominabitur* : quia profecto sapientia Dei Patris necessarium pro multis causis hoc providit; primo siquidem quia quotidie peccamus, saltem peccatis sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest, quia licet omnia peccata donata [k] sint in baptismo, infirmitas tamen peccati [l] adhuc in carne manet. Unde Psalmista : *Benedic, anima mea, Domino, qui propitiatur omnibus* [m] *iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas* (*Psal.* CI, 1 *et* 3). Et ideo quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus mystice immolatur, et passio Christi in mysterio traditur, ut qui semel moriendo mortem vicerat [n], quotidie recidiva delictorum per hæc sacramenta sui corporis et sanguinis peccata relaxet.

2. [o] (Quod totum in nobis Christum facturum prospiciens, ille magnus lucerna ardens et lucens, Joannes videlicet Baptista, quo *inter natos mulierum major* nemo *surrexit*, mox ut eum ad se venientem conspexit, digito eum demonstrans, divino tactus Spiritu exclamat : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata* [al., *peccatum*] *mundi* (*Joan.* I, 29). Et nos ergo in eum corde credentes, et ore ipsum esse qui peccata mundi tollit confitentes, cum eodem plus quam propheta Christi præcursore alacres in ejus laudibus proclamemus : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce innocens et ab omni peccato immunis, utpote qui os quidem de ossibus Adam, et carnem de carne Adam, sed nullam de carne peccatrice traxit maculam culpæ. Ecce qui justus inter peccatores, mitis inter impios, hoc est quasi agnus inter lupos apparens, etiam peccatores et impios justificandi habet potestatem. Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine justificet impios, apostolus Petrus ostendit, qui ait : *Non corruptibili argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Jesu Christi* (*I Petr.* I, 18). Et in Apocalypsi Joannes apostolus : *Qui dilexit nos,* inquit, *a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I, 5), non solum autem lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum in cruce pro nobis dedit, vel quando unusquisque nostrum in mysterio sacrosanctæ passionis illius baptismoque ablutus est aquæ, verum etiam quotidie tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. Sic quoque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur et occiditur, si fidelium ore suam sumitur in salutem, cujus recte figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Ægyptiaca

[a] In cod. Laub. hic incipit cap. XXVIII : *Quod thesaurisat sibi iram contemnenter accedens, et peccata magis accumulat.*

[b] Editi, *subrepat.*

[c] Mam. Ulm. et Sirm., *contemutor*, sed contra fidem omnium mss.

[d] Ms. Majoris Monast., *servorum.* Vatic., *servorum suorum.*

[e] Ita Vatic. et Flor. Plures mss. legunt *resipiscentibus* in plurali, sed sequentia exposcere videntur singularem num.

[f] Ms. reginæ Sueciæ, *in holocaustum*, loco *reindutum.*

[g] Ulm. Sirm. cum Flor. *injustis*, contra fidem omnium manuscriptorum.

[h] In codice Laubiensi cap. XXIX cum hoc titulo : *Cur iteratur hæc quotidie oblatio.*

[i] In duobus mss. : *Et de exemplis quid boni tribuant.*

[i] Codd. reginæ Sueciæ et unus regius : *Mortem sibi ultra dominari non permittit.*

[k] Al., *nobis donata sint.*

[l] Vatic., *peccandi.*

[m] Laub., *omnibus iniquitatibus meis Israel.*

[n] Codices reginæ Sueciæ addunt : *Et peccata mundi morte tulerat.*

[o] Inclusa parenthesi adduntur in duobus mss. uno regis Christianissimi, altero bibliothecæ reginæ Sueciæ.

Introdusă în format electronic de Google

servitute liberans, in memoriam ejusdem liberationis per omnes annos immolatione sua populum eumdem sanctificare valebat, donec veniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque Patri pro nobis in hostiam odoremque suavitatis, mysterium suæ passionis, oblato Agno in creaturam panis vinique transferetur [*al.* transferret] *sacerdos* factus *in æternum secundum ordinem Melchisedech*, accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis. Quia ergo redemptor noster hoc totum quod tempore passionis suæ semel gessit, adhuc usque hodie quotidiana ejusdem beatæ passionis commemoratione peragit, hanc in primis præcipuam esse causam puto, quare nos sacrosanctæ mortis ejus recordationem sacratissimum corpus et sanguinem ipsius quotidie super altaris aram immolantes assidue replicamus.) Unde oramus : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 4) ; quia si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

3. Secundo agitur, ut sicut fuit arbor vitæ in paradiso, ita sancta Dei Ecclesia, quæ paradisus deliciarum in canticis appellatur, habeat in se mysterium vitæ, quod in eodem ligno figurabatur ; ex quo qui edunt servantes mandata vitæ nequaquam possunt mori in æternum. Quod si veluti Adam inobedientes, a diabolo rursus peccato mortis perempti fuerint, sicut ille de paradiso removentur a sanctis altaribus et a ligno vitæ, scilicet a corpore et sanguine Christi, qui est verum paradisi lignum ; cujus *folium non defluet et omnia quæcunque faciet prosperabuntur* (*Psal.* I, 3) : removentur autem ne sumant de ligno vitæ, et male vivant ut moriantur, imo ut resipiscant a malis suis, et per pœnitentiam reconciliari, Christi [a] per hunc cibum rursus reinserantur [b] visceribus, et feliciter deinceps vivant in æternum. Hoc quippe agunt sacerdotes Christi in Ecclesia, et monstrant quod futurum est in illo ultimo examine, quando separabuntur justi ab injustis. Sed hic sicuti Adam expulso spes mansit redeundi ad vitam per pœnitentiam, ita præcisis a ligno vitæ patet facultas, si velint redire ad veniam. Ubi cum pœnitentia intercesserit, certa spes percipitur, quia jam vitæ admistus, mori non poterit, si reconciliatus maneat in Christo.

4. Tertio, [c] ut quicunque digne hanc vitam sumunt, renati unum efficiantur, ut sicut jam per baptismum Christo [d] induuntur, ita Christus in eis per hoc sacramentum corporaliter [e] maneat, ut sint credentes unum in Christo, et Christus in eis maneat, quatenus illud impleatur quod ipse ad Patrem orat : *Non pro his autem rogo*, inquit, *tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi* [f] *sint in nobis* (*Joan.* XVII, 20). Hæc itaque unitas non sicut hæretici volunt sola voluntate inter Patrem et Filium prædicatur, et sicut laborant ex eo quod ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Tentant igitur ad unanimitatis illud conferre consensum, ut unitas voluntatis in his sit, non naturæ, sicut multitudinis credentium in Jerusalem dicitur *cor unum et anima una fuisse* (*Act.* IV, 32) ; sed nos Patrum vestigia sequentes, credere [g] oportet quod Deus ex Deo substantialiter genitus, naturaliter hoc est quod Pater (HILAR. lib. VIII. *de Trinit.*), ac per hoc [h] unitate naturæ Pater et Filius unum esse probantur, necnon et Christus hodie in nobis non solum per concordiam voluntatis, sed etiam per naturam in nobis, sicut et nos in illo, recte manere dicitur. Nam si *Verbum caro factum est*, et nos vere Verbum [i] factum carnem in cibo Dominico sumimus, quomodo in nobis Christus manere naturaliter jure non æstimatur, qui et naturam carnis nostræ inseparabilem sibi homo natus Deus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam [j] æternitatis sub sacramento hoc nobis communicandæ carnis admiscuit ? Et ideo per hoc omnes in Deo Patre et Filio ac Spiritu sancto unum sumus, quia [k] Pater in Christo et Christus in nobis esse probatur. Hinc igitur est quod et nos in Christo naturaliter unum corpus efficimur, et si quis Patrem in Christo naturaliter confitetur, confiteatur se naturaliter (quia Verbum [l] caro est) unum esse in illo, ut naturalis unitas, per sacramentum appareat veritatis. Hinc ergo dicit : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 57). Vere igitur sicut per naturam deitatis Deus Pater in Filio est, ita et Filius Deus homo per humanitatem [*al.* unitatem] carnis in nobis esse jure dicitur, ac per hoc mediator Dei et hominum prædicatur ; quia per eum communionem unitatis habemus ad Deum, dum ipse in Patre manens, et in nobis quoque manere dicitur. Qua de causa unum nos esse in ipsis superius Pater a Filio secundum humanitatem exoratur.

5. Ecce duo ista sacramenta quid efficiunt : per

[a] Ita melioris notæ mss. Sirm. cum quibusdam mss., *reconciliati Christo.*

[b] Duo codices regii, unus reginæ Sueciæ, *reinserantur visceribus paradisi, id est Ecclesiæ, et feliciter.* Alter ms. reginæ Sueciæ, *reinserantur ejus visceribus, et fideliter.*

[c] Codices reginæ Sueciæ, duo regii : *Tertio etiam Christi passio reputatur, ut quicunque digne ad vitam.*

[d] Ita fere omnes mss. Editi., *Christum induunt.*

[e] Vatic., *spiritualiter maneat.*

[f] Editi, *et ipsi unum sint in nobis*, atque ita in textu Joannis. Sed in omnibus mss. desideratur *unum.*

[g] Tres mss., *credere indubitanter debemus.*

[h] Vatic., Flor. et Colb. 1, *ac per hanc unitatem naturæ.*

[i] Editi, *Verbum carnem*, Colbert. unus, *et nos veram carnem in cibo.* Colb. alter, *et nos vere Verbum carnem factum in cibo.*

[j] Tres mss., *æternitatis suæ.*

[k] Duo mss. regii, et duo Sueciæ reginæ : *Quia Pater in Christo Filio et in Spiritu sancto unum existit, et Christus in Patre et Spiritu sancto unum permanens, in nobis etiam per assumptæ carnis naturam unum esse probatur. Hinc ergo*, etc.

[l] Editi, *Verbum caro factum est.*

Introdusă în format electronic de Google

baptismum ergo renascimur in Christo, et per sacramentum corporis ac sanguinis Christus in nobis, non solum fide, sed etiam unitate carnis et sanguinis manere probatur; et ideo jam membra Christi ejus carne vescimur, ut nihil aliud quam corpus ejus, unde vivimus, et sanguis inveniamur. Hinc igitur est, quod *nemo ascendit ad cœlum, nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III, 13), quia cum illo per hæc mysteria unum sumus. Iteratur autem hoc mysterium, et ob commemorationem passionis Christi, sicut ipse ait : *Hæc quotiescunque agitis, in meam commemorationem facite* (*Luc.* XXII, 19). *Quotiescunque* ergo *hunc panem* sumitis, et bibitis hunc *calicem*, *mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (*I Cor.* XI, 26). Non itaque sic accipiendum, donec mors Christi veniat, qui jam ultra non moritur, sed donec ipse Dominus ad judicium veniat. Interdum [a] autem semper mors est Christi pro sæculi vita posteris nuntianda, ut discant qua charitate suos dilexit, qui pro eis mori dignatus est : cui omnes vicem debemus rependere charitatis, quia ad hoc nos prior dilexit, cum essemus gehennæ filii, ut diligeremus eum a morte jam liberati.

6. Dicunt etiam quidam, quod et ideo quotidie celebratur, ut qui de Judæis credidissent, haberent per hanc gratiam, assueti diebus singulis Domino hostias immolari [b] quo possent sua [c] religionis vota celebriter offerre et omnium veterum sacrificiorum atque holocaustomatum [d] figuris postpositis, hujus mysterii præferre veritatem •. Sed licet ita videatur, tamen plenior et perfectior sententia est, quam præmisimus. Quia non minus pro nobis quam pro illis in Ecclesia hoc mysterium celebratur. Hæc quippe figura præcessit in Melchisedech, sicut fides in Abraham, sed quia lex quasi medius paries se injecit, potius in omnibus legum sacrificiis, veritas hujus mysterii adumbrabatur, quibus profecto remotis quod prædictum erat, secundum ordinem Melchisedech Christus verus pontifex successit, sacerdotium habens æternum. Hoc itaque Abraham in Melchisedech fide conspexerat, et ideo decimas ei obtulisse legitur, atque benedictionem ab ipso percepisse. Unde [f] rex ille Melchisedech, rex justitiæ vel Salem, et sacerdos dicitur, ut per eum Christus, cujus typum ille gessit, evidenter rex et sacerdos monstretur; alioquin mortalium quis rex justitiæ jure queat vocari, cum nullus, nisi justitia [g] fidei, saltim justus invenitur? Idcirco teneamus nos ad istum pontificem et sacerdotem Christum, et in illo maneamus, quia per hoc quod ille in nobis est, et nos in illo, etiam et ipsi omnes sacerdotes dicimur et sumus. Fecit enim nos regnum et sacerdotes Deo, et ideo *gens sancta, sacerdotium regale, populus acquisitionis* ab Apostolo prædicamur. Hoc igitur notum, quia nos in ipso et ille in nobis per hanc gratiam concorporatur, transfigurans nos in corpore claritatis suæ, ut cum ipso et in ipso sit nobis regnum pacis. Hoc quippe Salem interpretatur et *sacerdotium æternum*. Hinc quoque Propheta canit : *Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te* (*Psal.* CXLVII, 1, 3). (*Hilar.*) De quo nimirum frumento cœlestis illa Jerusalem saginatur : et notandum quod hoc frumentum, corpus videlicet Christi, adipem habeat, et non solum adipem, sed et omnes delicias, ita et potus sanguinis. Unde quod de petra typice manavit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoque potus dicitur, quia quidquid prægustare spiritaliter potueris, hoc totum ibidem invenies. Et hinc est quod tradunt Judæi, quod manna quando comedebant carnaliter, secundum voluntatem uniuscujusque sic sapiebat unicuique in ore, verbi causa, si pirum, si mala [h], si uvam, si panem, si carnes desiderasset, seu alia quæcunque, omnia manna præstabat [i] in ore desiderantis. Hæc illi carnalia semper quærentes, nos vero fatemur fide, quod spiritalia et æterna potius, non solum ista, sed et illa in cordibus fidelium præstabant : unde per hæc confidenter oportet credere, si quis digne perceperit, quod vitam percipiat immortalitatis, et deliciis fruatur cum omni delectamento, in spe positus æternorum [j].

7. [k] Sed quia, juvante Christo, quid boni hæc mysteria digne ea percipientibus tribuant, ostendere curavimus, perutile multis in posterum arbitror, si ea quæ verbis diximus, exemplis quibusdam certa reddamus. Hæc igitur subsequentia libenter, quæso, perlege, quorum quædam ex dictis beati ac præcellentissimi viri Gregorii Romanæ sedis antistitis excerpsimus, atque uti isdem egregius doctor in suis scriptis reliquit, huic nostro opusculo inservimus, ut tanto auctore in medium adducto, firmius verba nostra roborentur.

8. Judæi cujusdam vitrarii filius, cum apud Chri-

[a] Editi, *interim* ; sed omnes mss. legunt *interdum*, quæ vox familiaris est Radberto ad significandum *interim*.

[b] Ita editi cum pluribus mss. Quidam legunt *immolare*.

[c] Editi, *suæ religionis vota*.

[d] Hic multum variant mss. Vatic. legit : *Holocaustomatum sacris hujus mysterii*. Regii codices et Sueciæ reginæ, *Holocaustorum figuris hujus mysterii*. Mam. cum quinque mss. *Holocaustomatum hujus mysterii*. Ulm. et Sirm., *Holocaustomatum legitimis hujus mysterii*.

[e] Vatic., *virtutem*.

[f] Vatic. ita hunc locum legit : *Unde Melchisedech ille rex Salem, id est justitiæ et pacis, et sacerdos*, etc.

[g] Quinque mss., *justitiæ fide*.

[h] In tribus mss. desideratur *si mala*.

[i] Editi cum ms. Majoris, Mon. *sapiebat* ; omnes alii mss., *præstabat*.

[j] In cod. Vatic. Majoris, Monast. S. Audoeni additur : *A Deo detur in se* (vel *in ipso*) *sperantibus. Sic fiat. Amen*. In codice regio, *supernorum, et ideo detur in ipso sperantibus. Sic, sic fiat*. Mamer. *A Deo detur ipso sperantibus. Sic, sic fiat, amen*.

[k] Quæ sequuntur hujus capitis suppeditarunt reginæ Sueciæ codex unus, n. 1554, signatus, et codex regiæ Bibliothecæ, 4070.

Introdusă în format electronic de Google

stianos pueros ad studia litterarum exerceretur, quadam die dum missarum festa in basilica beatæ Dei genitricis semper virginis Mariæ celebrarentur, et populus ex more ad eucharistiam de manu sacerdotis accipiendam accederet, ad participationem gloriosi corporis et sanguinis Domini cum aliis infantibus, coævis suis, prædictus infans Judæus accessit : quo dum propinquaret, divina, ut æstimo, providentia sibi revelante, videt super altare mulierem quamdam honestæ admodum formæ in cathedra sedentem, parvulumque puerum super genibus suis tenentem, qui propria manu sacram communionem sacerdoti porrigebat, ut et ipsi plebi fideliter accedenti distribueret. Qua et idem Judæus puer percepta, gaudens ad domum revertitur, ac patri operi suo intento, inter amplexus et oscula quæ acceperat cum gaudio refert. At ille Christo Domino et suis legibus inimicus, felle amaritudinis commotus, ait ei : Si cum infantibus Christianorum religioni communicasti, ad ulciscendam Mosaicæ legis injuriam, oblitus paterna pietate, parricida in te durus existam. Et apprehensum puerum in os fornacis ardentis projecit, adjectisque lignis quo vehementius urereiur institit. Sed non defuit illa misericordia, quæ tres quondam Hebræos pueros in Chaldaico camino projectos nube rorulenta resperserat. Ipsa enim et hunc inter medios ignes et prunarum moles jacentem penitus consumi non passa est : quod cum audisset mater, quod scilicet filium communem crudelis pater deliberasset exurere, cucurrit ad liberandum eum ; sed cum vidisset incendia ab ore fornacis patulo, huc illuc que, flamma dominante, dispergi, ornatum capitis ad terram projecit, discissaque cesarie, se miseram clamitans, civitatem vocibus implevit. Quod cum Christiani cives quid actum fuerit didicissent, concurrerunt omnes pariter ad tam iniquum spectaculum, retractisque ignibus ab ore fornacis, inveniunt puerum quasi per plumas mollissimas recumbentem : quo extracto, admirantur omnes illæsum, clamoribusque locus ille repletur, et sic magnalia Domini ab omni populo benedicuntur. Conclamant etiam ut auctorem sceleris hujus in ipsas projicere flammas debeant. Projectum autem ita totum ignis absorbuit, ut vix de ossibus ejus parvum quid relinqueretur indicium. Interrogantes autem infantulum Christiani, quale ei umbraculum fuisset, ait : Mulier illa quæ in basilica, ubi panem de mensa accepi, in cathedra sedebat, parvumque infantem in sinu gestabat ; hæc me pallio suo, ne ignis voraret, operuit. Esca etiam illa quam de manu sacerdotis acceperam, in tantum me juvit, ut ne spiraculum quidem ignis sentire me putarem ; unde indubitatum est beatam ei Mariam apparuisse. Aguita ergo infans fide catholica, credidit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac salutaribus aquis ablutus, una cum genitrice sua denuo est renatus. Multi quoque Judæorum hoc exemplo in urbe illa ad fidem conversi sunt.

9. Si ergo hæc mysteria illi, qui absque fide et nondum sacro baptismate renatus, inter membra Christi deputatus est, ad tantum munimen salutis suæ profuerunt, quanto magis indubitanter credendum est fidelibus et jam membra corporis Christi, quod est Ecclesia, cujus ipse caput est, per regenerationem effectis, cum digne ea percipiunt, saluti corporis et animæ suæ hæc sacramenta proficere?

10. Beati etiam Gregorii summi antistitis, sicut promisimus, exempla ad medium deducamus, qui refert (*Hom.* 37, *in Evang.* et l. IV *Dialog.*, cap. 57), quod quidam dum ab hostibus caperetur, longe transductus est : cumque diu teneretur in vinculis, eumque uxor sua ex eadem captivitate non reciperet, exstinctum putavit, pro quo jam velut mortuo sacras hostias hebdomadibus singulis omnipotenti Deo, ut animæ ejus vincula solverentur, curabat offerre : cujus toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab ejus conjuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ ejus absolutione. Nam longa post tempora reversus, admirans valde, suæ indicavit uxori quod diebus certis hebdomadisque singulis ejus vincula solvebantur, quos videlicet dies ejus uxor atque horas discutiens, tunc eum recognovit absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, mi dulcissime, certa consideratione collige, oblata a nobis sacra hostia quantum valeat solvere in nobis ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solvere vincula corporis. Sed quia te sacris altaribus mancipatum ad hæc sacrificia offerenda scio, devotior et præparatior [*al.*, promptior], hanc hostiam immolare assidue studeas. Audi, obsecro, ejusdem venerabilis viri Gregorii exemplum, quod ideo præsenti pagina subscribo, quatenus in ara cordis temetipsum mactare sacrificium ardentius accendaris.

11. Narrat enim prædictus doctor quemdam Cassium nomine, tunc episcopum, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus transiret, quo non omnipotenti Deo hostias immolaret : cujus cum sacrificio valde concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione primitus sacrificium mactabat : quadam autem nocte ejus presbytero per visum Dominus assistit, dicens : Vade et dic episcopo : *Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam.* Surrexit presbyter; sed quia e vicino jam apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus sibi diem episcopo suo nuntiare pertimuit. Aliaque nocte Dominus rediit, ejus inobedientiam vehementer increpavit, atque eadem jussionis verba retexuit. Tunc presbyter surrexit ut pergeret, sed rursus infirmitas cordis facta est impedimento indicandæ revelationis, admonitioneque iteratæ jussionis obduruit pergere, et quæ viderat manifestare neglexit : sed quia magnam mansuetudi-

Introdusă în format electronic de Google

nem contemptæ gratiæ major sequi solet iræ vindicta, tertia visione Dominus apparens, jam verbis verbera addidit, et tam districta cæde maetatus est, ut in eo duritiam cordis emollissent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad episcopum, eumque jam ex more paratum, juxta beati Juvenalis martyris sepulcrum ad offerendum sacrificium consistere reperit, secretum a circumstantibus petiit, seque ejus pedibus stravit, cumque eum ubertim flentem episcopus ad se levare vix potuisset, lacrymarum causas cognoscere studuit. Ille vero relaturus ordinem visionis, prius vestimento ex humeris devoluto, detexit plagas corporis, et, ut ita dicam, testes veritatis et culpæ monstravit quanta animadversionis districtione membra illius accepto verbere, livore inflicto, sudaverant: quæ mox ut episcopus vidit, exhorruit, et qui sibi talia facere præsumpsisset, cum magnæ obstupefactionis vocibus inquisivit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excrevit cum tremore admiratio, sed nullas jam presbyter inquisitionis ejus moras ducens, secretum revelationis aperuit, eique visionis Dominicæ per ea quæ audierat verba narravit, dicens: *Age quod agis, operare quod operaris; non cesset manus tua, non cesset pes tuus, natali apostolorum venies ad me, et retribuo tibi mercedem tuam.* Quibus auditis episcopus in oratione cum magna cordis contritione se prostravit, et qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad horam nonam usque protelavit, atque ex illo jam die magis magisque ei aucta sunt lucra pietatis, factusque est tam fortis in opere, quam certus ex munere: quippe qui eum, qui ipse debitor fuerat, ex promissione jam cœperat habere debitorem. Huic autem consuetudo fuerat annis singulis natalitio apostolorum die Romam pergere. Itaque ex hac revelatione suspensus, venire juxta morem noluit. Eodem ergo tempore sollicitus fuit, secundo quoque anno vel tertio in mortis suæ exspectatione suspensus, quarto, quinto et sexto similiter: qui desperare jam de veritate revelationis poterat, si fidem verbis verbera non fecissent: cum ecce anno septimo usque ad exspectati natalis sacras vigilias incolumis pervenit: sed lenis hunc in vigiliis calor attigit, atque ipso die natalitio filiis suis se exspectantibus missarum solemnia implere se posse recusavit. Illi vero qui de ejus erant pariter egressione suspecti simul ad eum omnes venerunt, sese unanimiter astringentes, ut die eodem nequaquam acquiescerent missarum solemnia celebrare, nisi pro iis apud Deum idem antistes intercessor accederet. Tunc ille, compulsus in episcopi oratorio, missam fecit et manu sua corpus Dominicum pacemque omnibus tribuit; qui cuncto ministerio oblati sacrificii peracto, ad lectum rediit, ubi jacens, dum sacerdotes suos ac ministros circumstantes se cerneret, quos, ultimum vale dicens, de servando eos vinculo charitatis admonebat, et quanta debuissent concordia inter se unire prædicabat, A cum subito inter ipsa sanctæ exhortationis verba, voce terribili clamavit dicens: Hora est! Mox assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur: quo tenso, spiritum emisit. Sicque sancta illa anima, ad gaudia æterna perveniens, a carnis corruptione soluta est. Quem itaque, charissime, quem vir iste in morte sua invitatus est, nisi eum quem in vita sua fuerat contemplatus? Dicens enim hora est, de corpore exiit, quia et Jesus, peractis omnibus, cum dixisset *consummatum est*, inclinato capite tradidit spiritum. Quod igitur Dominus ex potestate hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidie hostia illa cum eleemosynis et lacrymis oblata, quantam cum Redemptore nostro concordiam habuit. Hanc B itaque et tu, vir Dei, in quantum prævales cum charitatis fervore et cordis contritione offerre stude: vult enim omnipotens Deus nostris placari precibus, qui scit quia portari a nobis non possit iratus, singulariter autem ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, et benignitatem mentis sacri altaris hostia suffragatur, quia is qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Hac enim hostia animæ purgantur, peccata solvuntur, vitia pelluntur, dæmones fugantur, virtutes acquiruntur, salus animarum et corporum possidetur, totus mundus salvatur. Sed quia quantum vivis corC poribus profuerit, aliquantulum prolixe ex dicti beati Gregorii ostendimus, necesse est ut quantum defunctorum animabus prosit demonstremus.

12. Refert enim jam sæpe dictus doctor Gregorius quemdam fuisse presbyterum, qui, ob necessitatem corporis sui, a medicis admonitus est, ut in Angulanis thermis, quo aquæ vapores nimios faciunt, lavare consuesceret: quas thermas cum die quadam ex more fuisset ingressus, invenit quemdam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, ut exeunti e caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cumque hoc sæpius faceret, presbyter die quadam ad balnea iturus, intra semetipsum D cogitans dixit: Viro illi qui mihi solet tam devotissime ad lavandum obsequi, ingratus apparere non debeo; sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit: qui mox ut pervenit ad locum, hominem invenit, atque ex more ejus obsequio in omnibus usus est. Lavit itaque, et cum jam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens ut benigne susciperet quod charitatis gratia ei offerret. Cui ille mœrens afflictusque respondit: Mihi ista quare das, Pater? Iste panis sanctus est: ego hunc manducare non possum; me etenim quem vides, aliquando loci hujus dominus fui, sed pro culpis meis hic

Introdusă în format electronic de Google

post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare aliquid vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro peccatis meis intervenias, et tunc exauditum te esse cognosce, cum huc ad lavandum veneris, et me minime inveneris : in quibus verbis disparuit, et is qui esse homo videbatur, evanescendo innotuit quia spiritus fuit. Idem vero presbyter hebdomada continua sese pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, et post reversus ad balneum, eum jam minime invenit. Qua ex re quantum prosit animabus fidelium immolatio sacræ oblationis etiam post mortem facile ostenditur, quando hanc et ipsi mortuorum spiritus a viventibus petunt, et signa indicant, quibus postea absoluti videantur. Denique si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse innumeris etiam mortuis victima sacræ oblationis potest. Sed sciendum nobis est quia illis sacra victima mortuis prodest, qui vivendo obtinuerunt, ut etiam post mortem ipsa bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est quod tutior via sit, ut bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat dum vivit ipse. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. Debemus itaque nosmetipsos Deo, dum vivimus, in cordis compunctione mactare : quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vera pro nobis Deo hostia erit, quam offerimus, cum nos ipsos hostiam fecerimus. Igitur dum per indulgentiam temporis spatium habemus, dum judex nos sustinet, dum conversionem nostram is qui culpas examinat exspectat, conflemus in lacrymis duritiam mentis nostræ, formemus in proximis gratiam benignitatis, et fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si dum in hac convalle lacrymarum vivimus, Deo hostia ipsi fuerimus. Hæc pro assertione sacræ oblationis dicta sufficiant, nunc ad propositum redeamus.

CAPUT X.

[a] *Cur in pane et vino hoc mysterium celebratur.*

1. Igitur in pane[b] ideo celebratur, quia Christus panis est qui de cœlo descendit; sed sicut panis[c] longe aliud ab isto pane[d] intelligitur, ita longe in aliud caro a mortali jam nostra carne secernitur. Caro itaque per passionem et vera caro redemptionem suæ conditionis explet : panis vero victum ad æternitatem renatis immortalitatis præbet. Atque ideo nec mirum, si caro Christi panis dicitur, cum[•] et caro sub specie panis visibili nihil aliud quam caro porrigitur; sed caro, quia in eadem carne passus in veritate creditur; panis vero, quia granum frumenti cadens in terram, et nos ex ipso nihil aliud quam frumentum per fidem genuit. Unde per hoc seipsum suis membris ex se natis vitam præbuit, et præstando nihil nobis aliud quam panis æternus fuit. Nihil enim[f] ad figuram manifestius, nihil ad mysterium evidentius : granum quippe frumenti Christus in terram cecidit, sed multa grana de se genuit, quæ nimirum grana nihil[g] aliud quam frumentum, quod in[h] horreum coacervatur. Unde mira in ipso nostræ naturæ unitas prædicatur. Nam omnes novimus, quod panis unus ex multis naturaliter granis efficitur. Ex quo nostra in Christo commendatur unitas, et figura veritatis in mysterio approbatur. Ad hoc quippe illud unum mortuum est in terra, ut ex ejus adipe et pinguedine nos fecundaremur, qui ut ipse ait : *Nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* XII, 24). [i] Nunc vero quia mortuus resurrexit, multum jam fructum affert in [j] credentibus. De quo nimirum fructu unus panis efficitur, quia Christus et Ecclesia unum corpus esse probatur. Unde dictum est : *Et erunt duo in carne una* (*I Cor.* VI, 16). Recte ergo hoc mysterium in pane celebratur, quatenus per hoc altius designetur quid in eo geratur[k]. Simili modo et in vino quod ex multis liquatur uvis, et de multis in unum confluit granis, quæ nimirum grana virtutum ex illa creverunt vite quæ dixerat : *Ego sum vitis vera, vos autem palmites* (*Joan.* XV, 5). Non potest ergo palmes a seipso, nisi in vite manserit, facere fructum. Ideirco vinum quod bibimus sanguis est ejusdem vitis qui de latere ejus fluxit. Nam vitis et palmes unum sunt corpus, et ideo unum fructum ferre videntur, quia uva quam palmes affert, de radice profluxit vitis. Hinc quoque et Christus uva dicitur, quam veri[l] exploratores, apostolorum scilicet et prophetarum chorus, suis ad nos humeris fortiter gestantes detulerunt. Unde Paulus egregius prædicator : *Pretio*, inquit, *empti estis, portate Dominum*[m] *Christum in corpore vestro* (*I Cor.* VI, 20). De qua denique uva dum prælo premitur passionis, sanguis effluxit salutis. Hinc Moyses canit in cantico, quod constituerit populum suum Dominus *super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, et sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, et sanguinem uvæ biberet meracissimum* (*Deut.* XXXII, 13). De quo nimirum sanguine omnis inebriatur Christi Ecclesia; et ideo speciem vini jure tenet in sensu,

[a] In recentissimo codice S. German. hic titulus sic effertur : *Quod hoc mysterium utrumque et caro et panis dicitur, et de vino, quod ex multis liquatur uvis.*

[b] In cod. reginæ Sueciæ et duob. regiis additur : *Hæc oblatio.*

[c] Editi addunt *ille*, quod mss. prætermittunt. Cod. Mai. Mon. *sed sicut ille*, omisso *panis*.

[d] Quatuor mss. addunt *terreno*.

[•] Editi, *dum caro porrigitur*, at mss. ad unum omnes : *Cum et caro sub specie visibili, nihil aliud quam caro porrigitur.*

[f] In Flor. : *Nihil ad figuram manifestius, nihil ad figuram evidentius nihil ad mysterium expressius.*

[g] Ita septem mss. Editi, *nihil aliud sunt.*

[h] Flor., *in Ecclesiæ horreum.*

[i] Editi, *maneret.*

[j] Editi, *in se credentibus.*; sed mss. expungunt *se.*

[k] Mamer. et Ulim, cum quinque mss., *generatur.*

[l] Plures mss. cum editis, *viri exploratores.*

[m] Ita omnes pene ms. Editi, *portate Deum.*

Introdusă în format electronic de Google

dum spiritaliter sanguis potatur in mysterio, quia hinc lætificamur spiritali lætitia ad gaudium ; hinc vero [a] redimimur de morte ad vitam, et pretio salutis nostræ interius saginamur. De quibus duobus David cecinerat in mysterio, quod *panis confirmat cor hominis, et vinum lætificat*, utique lætitia spiritali. Propter quod in eadem substantia jure celebratur hoc mysterium salutis, quia Christus panis est qui de cœlo descendit, et vinum quo lætificantur corda credentium. De quo nimirum Joseph meridie, qua hora Christus passus est, inebriatus legitur mystice cum fratribus suis. Unde et nos, si adhuc aquam tantum non sapimus, intus inebriamur, et gaudemus de bonis Domini super frumento, vino et oleo, quo perfusi sumus lætitia æterna, et gaudio exsultationis in Domino. Nos enim non solum vinea Domini, sed et vindemia ejus sumus. De qua nimirum vinea Christus in Canticis : *Vindemiavi*, inquit, *myrrham cum unguentis meis ; manducavi panem meum cum melle meo, et bibi vinum cum lacte meo* (*Cant.* v, 1) ; sed non [b] prius panis comeditur quam myrrha in nobis mortificationis turgescat, et unguentum boni odoris naribus respergatur. Tunc itaque panem cum melle, quod de petra, quæ Christus est, fluxit, comedimus ([c] cum in ipso credimus duas naturas, divinam et humanam); tunc utique vinum suavitatis cum lacte bibimus (cum per sacram doctrinam intelligimus vinum sanguinem ejus esse). Propter quod, quia in istis duobus hæc mystica tegebantur, rectum fuit ut in his divinum fieret sacramentum, quatenus totum spiritaliter intelligere mens satageret, ubi nihil carnale sentire licet; unde [d] idem panis Christus, qui de cœlo descendit, in hoc mysterio accipitur, sicut et caro quæ in cruce pependit, cum integer deinceps Christus perseveret, licet ab omnibus quotidie edatur, et fit panis quidem ad vitam et firmitatem animi, caro vero ad unitatem naturæ nostræ et redemptionis pretium. Unde ipse ait : *Caro mea est pro mundi vita, et sanguis vere qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* (*Joan.* VI, 62). Hinc sane est quod sapientia Dei Patris maluit hoc mysterium in speciem panis ac vini permanere, quam in colorem ac saporem carnis et sanguinis demutari, quia nec hoc est jam quod videtur, nec fieret illud amplius ut esset caro et sanguis, quam ut percipitur. Nos enim in eo illum panem qui de cœlo descendit comedimus, et ideo dicitur : *comedi panem* [al., *favum*] *cum melle meo* (*Cant.* v, 1), quod in illo divinitatis dulcedo et humanitas [e] prædicatur; idcirco sicut in isto [f] saporem panis aut colorem non [g] attendimus; ita quoque si mutaretur in carnem, nihil amplius caro Christi esset quam est, quia totum spiritale est quod comedimus, imo durius esset contra consuetudinem humanam, licet carnem salutis, tamen carnem hominis Christi in speciem et colorem ipsius mutatam, et vinum in cruorem conversum accipere. Unde et illi adhuc rudes discipuli carnaliter sapientes, dicebant : *Durus est hic sermo* (*Joan.* VI, 61), cum diceret : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis manentem* (*Ibid.*, 54); et non poterant sustinere utique [quia] carnaliter ea intelligebant. Sic itaque et ille carnaliter sapit, qui ideo non credit carnalem Christi esse et sanguinem, quia speciem et colorem exterius non mutavit. Unde orandum [h] ut ipse per se Christus veniat, et comedat panem cum melle suo in nobis, et vinum cum lacte bibat, quia nisi Christus Deus et homo vere intelligatur, et vinum sanguis [i] ejus cum lacte doctrinæ admisceatur, non potest infirma [j] mens capere lucem veritatis et mysterium, vel quod divinum est agnoscere. Ubi mira unitas in hoc, sicuti et in aliis quibuslibet locis, Christi et Ecclesiæ declaratur, dum quod nos in illo gerimus et ille in nobis agere monstratur [k]. Nam dum nos recte panem cum melle comedimus, et vinum calicis cum lacte potamus, tunc et ipse ea se in nobis sumere testatur, quia per hoc nos in suum corpus trajicit, et unum in illo efficimur.

2. Pro talibus igitur et hujuscemodi negotiis, fili charissime, provide sane in pane et vino, sine ulla decoloratione substantiæ, hoc mysterium interius vi et potestate divina peragitur, ut et virtus fidei eniteat in intellectu, et doctrina fluat hinc inde in operatione [l] sacramenti, et veritas resplendeat in præfiguratione mysterii. Nam Melchisedech prius in figura ista obtulerat panem et vinum. Ideo necesse fuit ut verus rex pacis et pontifex noster secundum ordinem illius eadem offerret, quatenus per hoc figurarum [m] veritas claresceret, et qui esuriunt justitiam et sitiunt, duobus istis in via interdum satiarentur. Siquidem pane, qui pro omni cibo quam sæpe in Scripturis ponitur, et cum omnibus escis congruere videtur, esuries temperaretur, potu vero sanguinis sitis quasi cœlesti rore madesceret [n], et per hoc amplius homo ad justitiam refectus [o], in fortitudine cibi cœlestis constantius [p] desudaret. Hoc quippe potu ac cibo Elias de manu angeli pastus, quadraginta diebus, per quos præsens sæculum designatur, in fortitudine usque ad montem Dei dicitur pervenisse. Ex quo patenter innuitur quod cibus

[a] Flor., *redimus*.
[b] Mamer. et Ulim. cum ms. Majoris Mon., *sed prius panis comeditur*.
[c] Desunt in editis verba in parenthesi posita.
[d] Vatic., *jure itaque panis Christus*.
[e] Octo mss., *et humanitatis*.
[f] In cod. Majoris Mon. desideratur *in isto*.
[g] In duobus mss. expungitur *non*.
[h] In ms. Majoris Mon. expuncto *orandum* sic legitur. *Unde et ipse ver se*.
[i] Septem mss. legunt, *et vinum sanguinis ejus*.
[j] Duo mss., *firma mens*.
[k] Editi *monstrat*, sed omnes mss. legunt *monstratur*.
[l] Laud., *in operatione mysterii*.
[m] Mamer. cum quatuor mss., *per hanc figuram*.
[n] Duo mss., *ante hilaresceret*.
[o] Al., *rectus*.
[p] Tres mss., *amplius desudaret*.

Introdusă în format electronic de Google

iste manibus angelicis defertur, [a] ac refertur, per quem nostra infirmitas divinitus relevatur, qui non nisi solis amicis et fratribus porrigitur. Unde sponsus adhortatur in Canticis : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi* (*Cant.* v, 2). Quia profecto talis esca et potus nunquam digne sine ebrietate Spiritus sancti degustatur. Hinc quoque David ebrius gratanter in persona nostra canit : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5). Præclarus utique, quia omni veritate [b] fulgore clarius resplendet, et luce sancti Spiritus illustratur, ac per hoc fidelium inebriat mentes. Quo nimirum haustu illi ebrii erant hora diei tertia, super quos se idem Spiritus plenius diffuderat. Idcirco et nostra [c] accipientium præparanda sunt corda, ut tali epulo refecti, ad altiora in fortitudine transeamus. Nemo itaque digne accipit, nisi qui transit, unde et Pascha transitus appellatur. *Pascha* autem *nostrum immolatus est Christus*, ad quod qui vult venire, et videre hanc visionem, transeat et ipse cum Moyse, sicut et Christus transivit de hoc sæculo, ut totus jam spiritalis spiritalia ista quam [d] digne percipiat.

CAPUT XI.

Cur in calice aqua misceatur [e].

1. Plane aqua in sanguine quare misceatur, dum in natali calicis factum fuisse [f] non legimus, illa permaxima causa est, quia de latere Christi, ubi passio completur, sanguis pariter et aqua manavit; quod recte mysterium apostoli plene intelligentes, fiendum [g] in hoc calice consuerunt, ut nihil deesset nobis in hoc sacramento ad [h] commemorationem passionis, quod tunc exstitit in cruce in consummationem nostræ redemptionis. Nam postquam emisit spiritum, veniens unus militum accepit lanceam, et aperuit latus ejus, unde quasi de vivo [i] fonte manavit sanguis et aqua; et hic est verus calix, quia veraciter passus pro [j] salute nostra, non minus sanguinem pretii, quam undam [k] baptismi fudit, et quod tunc de carne fluxit hoc nunc credentes in calice bibunt. Caro quidem datur in cibum, sanguis et aqua vere in potum, ut quod simul de latere manavit, hoc totum noster homo his duobus renovatus bibat, ut si quam peccati maculam post fontem traxit, habeat in hoc undam [l] veniæ, qua diluatur [m] omnibus iniquitatibus suis, sanatis omnibus infirmitatibus suis, et pretium suæ redemptionis, quo unusquisque redemptus de die in diem rursus renovetur.

2. Sed et plures dixerunt aquam ideo admisceri debere, ut simul in Christi sanguine baptismus et pretium salutis fluat : non [n] jam quasi duæ res, sed una, sanguis videlicet fiat. Nam et sanguis in corpore ut crescat his duobus [o] pascitur. Ex quo patet quod satis provide ob dispensationem salutis nostræ, divina sapientia hoc simul de suo latere produxit, ut unde mulier quæ deceperat priorem Adam, creata est, inde rursus Ecclesia formetur, cujus Christus in cruce peccata tulit. Quo constat quia omnes in se levavit [p], dum causas omnium pertulit in cruce. Idcirco Ecclesia quæ in illo simul fuit, jure de latere dicitur manasse ; quæ bene per aquam, sicut Cyprianus sanctissimus ait, designatur. Unde in Apocalypsi angelus aquas esse populos interpretatur ; et ideo recte provisum est, quia [q] simul cum sanguine fluxit, ut in hoc mysterio veri sanguinis admisceatur, quatenus et nos in illo simus, ut per hoc salutis sacramentum divinis obtutibus illi [r] conniti mystice offeramur. Nam si vinum sine aqua offeratur, sanguis Christi incipit esse sine nobis ; si autem aqua sola, jam plebs videtur esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur et conjungitur, tunc recte mysterium Ecclesiæ spiritaliter perficitur. Nulli igitur liquores sic se conniunt [s], quomodo vinum et aqua : profecto quia illud ex aqua per vitem, sicut Christus ex carne per Mariam nascitur; sed longe excellentius vinum quam aqua. [t] Quas denique aquas Dominum idcirco commutasse legimus, ut in sapientia nostra evacuata, vinum jucunditatis in nobis exuberaret. Hinc sponsa in Canticis : *Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem* (*Cant.* II, 4). Ac deinde : *Exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum* [u] (*Cant.* I, 3). Exsultant ergo fideles dum se intelligunt ad tantam unitatem Christi sociatos per

[a] Vatic. et Flor. : *Defertur ad Deum et ad nos refertur.*

[b] Editi cum Flor., *veritate et fulgore*, sed plures optimæ notæ mss., expuncto *et*, legunt *veritate fulgore*. Quatuor mss., *veritate fulgoris.*

[c] Vat. et Flor., *Id est accipientium*. Cod. reginæ Suecinæ *accipiendum* ; f. *ad accipiendum*.

[d] Editi, *condigne*, at mss. decem, *quam digne.*

[e] In recenti cod. S. Germani sic effertur hic titulus : *Ut quid aqua cum vino misceatur, dum in cœna factum non legitur.*

[f] Ulim. et Sirm. addunt : *A Christo.*

[g] Ulm. et Sirm., *faciendum.*

[h] Anic. : *Ad commemorationem nostræ redemptionis* (omisso passionis) *quod tunc exstitit in cruce in consummationem.* In cod. Majoris Mon. omittuntur hæc verba : *Quod tunc exstitit in cruce in consummationem nostræ redemptionis.*

[i] Editi, *de uno fonte.*

[j] Vatic., *propter peccata nostra.*

[k] Codex Maj. Monast., *quam unda baptismi.*

[l] Vatic., *unda veniam qua deleantur.*

[m] In editis et Flor. desiderantur hæc verba : *Omnibus iniquitatibus suis, et sanatur omnibus infirmitatibus suis.*

[n] Ulim. et Sirm. : *Non jam duæ, sed una, sanguinis substantia videlicet, fiat*, repugnantibus mss. qui legunt : *Non jam quasi duæ res, sed una, sanguis videlicet fiat.* Seu ut habent Vatic. reg. unus et S. Audoeni, *Sanguis vel aqua videlicet fiat*, vel cum ms. Major. Mon., *Sanguis et aqua fiat.*

[o] Ms. Maj. Mon., *His omnibus pascitur.*

[p] Sirm., *lavit.*

[q] Vatic., *quia simul aqua cum sanguine fluxit.*

[r] Mam., Ulm. et Flor., *illico uniti.*

[s] Flor., Remig., S. Audoeni et regius unus, *sic se conveniunt.* Aniciensis et Colbert. unus, *sic se commeniunt* ; ms. Majoris Mon., *sic sibi conniunt.*

[t] Hic in Laub. cod. incipit cap. XXX : *Cur Dominus aquam in vinum mutaverit.*

[u] Sirm. addit *super vinum*, quod exstat ab omnibus mss.

Introdusă în format electronic de Google

gratiam, et ad tantam flagrantiam charitatis provectos; et ideo quam bene in hoc mysterio nostra figura per aquam admittitur, ut unusquisque in illo Christi sanguine se susceptum intelligat, et in melius transmutatum. [a] Unde licet prius mystice vinum et aqua commisceantur, post consecrationem tamen nonnisi sanguis bibitur; quia in illo prius ex aqua baptismatis suscepti [b], rursus eum esuriendo et sitiendo quotidie potamus. Nec dubium quin sub hoc mysterio illam bibimus aquam, de qua Dominus : *Qui biberit*, inquit, *aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). Propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem, ut significet quid fides percipiat. Nam tria sunt quæ testimonium dant quod Christus est veritas : spiritus, sanguis et aqua, nimirum quia postquam emisit Spiritum de fonte pectoris sui contra naturam manavit felix unda baptismi, et sanguis redemptionis, quibus non nisi unum salutis opus mystice consecratur, ut corpus [c] et anima ac spiritus integer ad vitam in Christo servetur. Ubi nemo dubitat quod et caro nostra et hoc reparetur ad vitam; quia [d] totus homo redimitur. Caro quidem carne pascitur spiritaliter, quia Verbum caro factum est; anima vero Christi sanguine reparatur. Omnis itaque anima, teste Scriptura, in sanguine est, ut ubi habet in corpore sedem, et per quem ipsa, ut aiunt, vivificat corpus, inde a Christo et ipsa habeat vitam æternam in se manentem. [e] Sed quia spiritus noster atque anima una substantia est, licet spiritus aut mens dicatur ea pars quæ præeminet in homine, ex qua spiritalis interdum appellatur, dum præoccupaverit suis legibus totum hominem, et vivificatur a Deo; anima vero inferior ejus portio, qua corpus animatur, et homo animalis dicitur, animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Hac de causa in hoc sacramento forsitan aqua admittitur, ut tria hæc tribus istis sacrentur mystice rebus.

3. Constat igitur quia etsi tria prius ponuntur, non nisi caro et sanguis postea recte creditur, dans indicium quod animalis homo totus debeat transire in spiritum et spiritalis fieri. Omnis namque anima in sanguine est. Quod typice dictum accipimus, quia omnis vita ejus ut beate vivat, [f] in Christi sanguine reparatur. Quam bene ergo in sanguine, qua per quem habet cognationem ad carnem, justum erat, ut per eum haberet regressum ad vitam, et ideo in via duobus istis duntaxat pascimur et potamur, ut totus homo noster, qui duabus constat substantiis, integre reparetur. Hinc quoque David : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* XIV, 3). Sitivit ergo totus homo, ut de carne et anima transiret ad spiritum, quatenus spiritalis [g] totus in Deo esset; propter quod licet dixerim sanguinem ad animam pertinere, quodammodo simul et caro et anima recte sitiunt et potantur sanguine, sicut et pascuntur simul carne Christi, quia non carnaliter ista percipiuntur, sed spiritaliter. Sitit igitur anima talibus refrigerari, sitit et corpus. Comedit anima [h], comedit autem et corpus, quia talis esca non minus pertinet ad animam quam et ad corpus, quibus usque ad finem vegetata [i] anima immortalis ad vitam transit, caro vero propter sententiam primi hominis ad terram redit; sed quia Christo corporata per lavacrum et immortalitatis alimoniam enutrita, semina vitæ percipit, nunquam post finem sæculi in mortem detineri poterit, imo quod in capite præcessit membris præstabitur.

CAPUT XII.

[j] *Utrum plus habeat hoc mysterium, quoties a bono; an minus, si a malo conficiatur ministro.*

1. Vere credere et indubitanter scire debemus infra catholicam Ecclesiam, ubi catholica fide hoc mysterium celebratur, nihil a bono majus, nihilque a malo minus percipi sacerdote, nihilque aliud quam caro Christi et sanguis, dum catholice [k] consecratur, quia non in merito [l] consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et virtute Spiritus sancti, ut caro Christi et sanguis, non alia quam quæ de Spiritu sancto creata est, vera fide credatur, et spiritali intelligentia degustetur. Si enim in merito esset sacerdotis, non ad Christum pertineret; nunc autem sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, et transfundit vinum [m] in sanguinem. Quis enim alius in utero creare potuerit, ut Verbum caro fieret? Sic itaque in hoc mysterio credendum est, quod eadem virtute Spiritus sancti per Verbum Christi caro ipsius et sanguis efficiatur invisibili operatione. [n] Unde et sacerdos : *Jube hæc perferri per manus angeli tui in*

[a] In Laubiensi codice hic incipit cap. XXXI : *Quod licet prius vinum et aqua commisceantur, post nisi sanguis libatur.*

[b] Vatic. addit *renovemur.*

[c] Mam., Ulim., Sirm. et Flor., *ut corpus nostrum.*

[d] Mam., Ulim. cum Laub. Puteano, duobus Colbert. et Germ., *qua totus homo.*

[e] In Laub. cod. incipit cap. XXXIII : *Quod spiritus noster atque anima una substantia sit.*

[f] Cod. Major Mon., *Christi sanguine*, expuncto *in.*

[g] Laub., *spiritualiter.*

[h] In edit. Sirm. deest *comedit anima.*

[i] Editi, *vegetati*, mss. *vegetata* : utrumque deest in Vatic.

[j] Editi cum Flor. Anic. et cod. Majoris Mon. ita hunc titulum exprimunt : *Utrum plus aliquid habeat hoc mysterium, quoties a bono, an minus quidpiam quam veritas repromittit, si a malo conficiatur ministro.* In Laub. vero ita, c. XXXIII : *Vere credendum quod in catholica Ecclesia nihil majus a bono, nihilominus a malo recipitur sacerdote.* In recenti vero ms. S. Germ. : *Quod non in merito sacerdotis hoc mysterium consecratur, et nullus magis vel minus percipit sacerdote qui ministrat.*

[k] Ulim. et Sirm., *dum catholice celebratur, consecretur.* Sed ab omnibus mss. exsulat *celebratur.*

[l] Vatic., *sacerdotis celebrantis.*

[m] Ita cod. Vatic., sed a cæteris mss. deest *vinum.*

[n] Ita cod. Laub. Hic incipit cap. XXXIV : *Ut quidem perferri in sublime altari rogatur.*

Introdusă în format electronic de Google

sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ ; ut quid perferri [a] illuc ea desposcit, nisi ut intelligatur quod in ejus sacerdotio ista fiant. Ipse enim factus est pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech, teste Apostolo, ad interpellandum pro nobis, offerens semetipsum Deo Patri. Ad hoc quippe semel introivit in sancta, non in sanguine alieno, sed proprio sanguine; unde non ab alio recte percipitur, quod proprium ejus est, sed ab ipso summo pontifice; neque ab alio caro ejus creatur et sanguis, nisi a quo creata est in utero Virginis, ut Verbum caro fieret. [b] Verbo enim Patris dictum est : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 21); et ecce adhuc hodie ex eo cuncta creantur animantia, non [c] nova, sed ex eodem semine. Ita et caro Christi eodem verbo fit caro, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Unde si ex illa benedictione tanta manat multitudo, quid putas [d] ex carne Christi? nunquid inefficax [e] est ex se, qui tanta fecit ex nihilo? et sicut [f] panes auxit quantitate substantiæ quam natura [g] non dederat, nunquid impotens est facere ex aliquo quod sine semine in utero [h] creaverat. Pullulat ergo illa ubertas carnis Christi, et manet integer Christus, [i] quia natura manente integra, etiam in creaturis, ad iustum ejus cuncta exuberant.

2. Propterea licet semel dixerit : *Germinet terra herbam virentem* (*Gen.* I, 11), adhuc hodie ex eo, quæ per singulos nascuntur annos omnia creantur ; sic itaque et in eo quod semel [j] voluit, et deinceps carnem et sanguinem in hac commemoratione jussit esse, fit quod jubetur; [k] quæ si quis non credit, impio deterior est; quia ille quod non didicit, approbare non potest ; iste quod in multis cognovit contra naturam fieri, etiam in carne Christi non credit. Propter quod, homo, si attendis sacerdotem, attende Christum Verbum Patris quod caro est, et quod semel factum est, quotidie fieri in mysterio [l] non dubites, dum per hoc caro et sanguis cibus noster efficitur [m] æternus : ad hoc quippe, ut et nos simus ejus corpus : unde sacerdos non ex se dicit quod ipse creator corporis et sanguinis esse possit, quia si hoc posset, quod absurdum est, creator creatoris fieret, sed obsecrat [n] per Filium Patrem, per quem ad eum accessum habemus. Rogamus [o] autem hanc *oblationem benedictam*, per quam nos benedicamur; *ascriptam* per quam nos omnes in cœlo conscribamur; *ratam* [p], per quam in visceribus Christi censeamur; *rationabilem*, per quam a bestiali sensu exuamur, *acceptabilemque facere* dignetur : [q] quatenus et nos per hoc quia [r] nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus ; *ut nobis*, inquit, *fiat corpus et sanguis dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.*

3. Ecce quid fides instituit, ecce quid Christus indulsit, ut nobis sit corpus et sanguis, quatenus per hoc nos in corpus Christi quotidie transferamur. Prius autem quam Christi [s] corpus consecratione fiat, oblatio sacerdotis est, sicut ipse confitetur, vel cuncta familiæ offerentium eam, sed in verbo et virtute Spiritus sancti nova fit creatura in corpore Creatoris ad nostræ reparationis [t] salutem. Unde juxta sublimis aram altaris semper assistere, Scriptura teste, probatur, ut ex ejus immolatione corpus et sanguinem percipiamus. Cæterum sacerdos quia vices Christi visibili specie inter Deum et populum agere videtur, infert per manus angeli vota populi ad Deum et refert. Vota quidem offert et munera, refert autem impetrata per corpus et sanguinem, et distribuit singulis non quantum visus exterior præbet, sed quantum fides capit. [u] Ubi licet sacerdos in conscientia malus esse convincatur, non suum est quod offert, sed omnium preces et vota per omnem canonis textum commendat. Nam et finis orationis [v] cunctorum vocibus confirmatur, ubi omnes *Amen* voce consona dicunt. Idcirco non unius est [x] quod pro multis offertur, et multorum precibus confirmatur. Nam et Dominus ait : *Quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI, 28). Si enim [y] pro se tantum esset, eius merita Deus forsi-

[a] Editi, cum aliquot mss., *perferenda*; ms. Major. Mon. : *Ut quid in sublime perferenda.*

[b] In cod. Laub. incipit cap. XXXV : *Quando non inefficax sit ex se facere quod vult, qui cuncta fecit ex nihilo.*

[c] Mam., *non novo.*

[d] Cod. reg. Suec. : *Quid putas quanta ex carne Christi?*

[e] Tres mss., *inefficax est exsequi.*

[f] Duo mss. *Et si panes auxit.* Editi addunt *Ex nihilo*, quod mss. omnes expungunt.

[g] Editi Sirm., *quam naturæ non dederat*; at mss. omnes, *quam natura non dederat*, et quidem ut nobis videtur melius.

[h] Vatic. addit *Virginis.*

[i] Vatic., *quia natura manente integra et gratia etiam in creaturis ad usum.*

[j] Cod. Major. Mon. : *Quod semper voluit.*

[k] Hic cod. Laub. incipit cap. XXXVI : *Quod qui non credit, impio deterior est.*

[l] In editis deest *in mysterio.*

[m] Ita mss. In editis desideratur *æternus.*

[n] Editi, *obsecrans.*

[o] Editi : *Rogamus hanc oblationem, inquit, benedictam.* Repugnant mss. qui apponunt *autem* et expungunt *inquit.*

[p] Aniciensis addit : *Id est judicatam et solidatam.*

[q] Duo mss., *digneris.*

[r] Editi, *in nobis.*

[s] In editis deest *Christi*, quod retinent mss. pene omnes.

[t] Cod. Maj. Mon., *ad nostræ redemptionis.*

[u] In cod. Laub. hic incipit cap. LIII : *Quod licet sacerdos in conscientia malus esse convincatur, non suum est quod offert, sed preces et vota per omnem canonis textum commendat.*

[v] Id est canonis, cujus finem tempore Paschasii Radberti faciebat oratio *Libera nos*, quæ Dominicam sequebatur. Ejus conclusionem celebrans sacerdos alta voce pronuntiat sive decantat, ut omnes consona voce respondeant *Amen*. Nam quæ præcedunt submissa voce dicebantur.

[x] Vatic. regius unus, et S. Audoeni, *non unius est oblatio*; Laud., *non unius est, quod pro multis effunditur.*

[y] Cod. S. Audoeni et unus regius : *Si enim unius tantum esset.*

Introdusă în format electronic de Google

tan [a] attenderet [b] : nunc autem licet leprosus sit qui offert, munda sunt quæ hauriuntur, quia caro et sanguis. Salvatoris nullius immunditia sordidatur [c]; ex officio ergo sacerdotis ista et non ex merito præstantur. Idcirco licet [d] reus sit, officium ministerii [e] sacrum est, et gradus sacerdotii a summo pontifice Christo compensatur, ut nihil minus carnis et sanguinis habeat hoc mysterium a quovis indigno [f], tamen apostolicæ propaginis consecratio exhibeatur [g]. Sacramentum enim consecrandi est, quod habet is qui ordinatur, quia non ex eo, sed ex officio et a summo pontifice gratia quam ipsa Veritas repromisit impletur, ut in nullo sacerdotium ejus et pontificatus officium, alicujus merito minoretur. [h] Virtus enim consecrandi est in eo, quod habet is qui ordinatur. Et ideo revertentes, qui baptizati sunt prius, sicut non rebaptizantur, ita utique qui prius ordinati sunt, rursus non reordinantur, ad unitatem catholicam, si recesserint, redeuntes. Sed aut ministrant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat, aut si non, sacramentum tamen ordinationis suæ gerunt, et ideo eis manus inter [i] laicos non imponitur. Manet igitur in eis sacramenti virtus sibi inutiliter, etiam rei dum consecrant [i], satis tamen utilis potestas et ordinatio consecrandi, illis, qui [k] gratiam perceptæ benedictionis et administrationis fide, spe et charitate communicant. [l] Neque perverso ad salutem proficiunt hæc vitæ sacramenta de cœlesti fonte manantia; quoniam nulla participatio justitiæ cum iniquitate, sicut nec lucis cum tenebris. [m] Tamen [n] tales licet oderint, adulteri sint et homicidæ, et ex parte diaboli plura admiserint, dum falce evangelica necdum præcisi sacrificant, non cogitandum qui et quales sint, sed quid dent, vel [o] quid accipiat is qui cum fide communicatur, neque quis habeat virtutem consecrandi, sed quid [p] habeat. Nam sicut nomine Christi, ipso teste, etiam a membris diaboli dæmonia pelluntur, et virtutes ab eis plurimæ operantur; ita ejusdem virtute in sacramento a malis corpus et sanguis conficitur, licet dictum sit, quod Deus peccatores non audiat, quia et super aquam baptismi, et super oleum, et super Eucharistiam, et super capita eorum quibus manus imponitur in sacramento, hæc omnia in sacramento per angelos [q] celebrantur et fiunt. Idcirco valent etiam et per homicidas, eo quod etsi non habeant Spiritum sanctum, Deus est qui dat per ministerium eorum eumdem Spiritum sanctum [r], et consecrat ex officio munus suæ largitatis; alioquin angustior est gratia Christi quam fraus et calliditas diaboli. Si enim hortus ille deliciarum clausus potuit habere spinas adversarii, multo magis extra et in eos qui membra non sunt Christi, profecto emanat fons ipsius gratiæ.

4. Non igitur evacuatur quod ubique pollet, neque alterius esse potest, quod proprium Dei est, quia etsi sunt qui dicant hæc sui meriti esse, et fornicantur a Deo, nequaquam illa exhonoranda sunt divini juris sacramenta, ut eorum illa esse putentur, cum Dominus sub specie meretricis synagogæ : *Protulisti*, inquit, *de auro meo et argento meo, et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis* (*Ezech.* XVI, 17). Deinde ait : *Accepisti vestimenta mea versicoloria* [s], *et operuisti idola tua. Oleum quoque meum et incensum meum posuisti ante faciem idolorum* [t]. *Nam et panes meos quos dedi tibi, et similaginem* [u], *post quæ melle et oleo cibavi te.* Profecto quia etsi carnalis anima convertit ad imaginem phantasmatum suorum omnia sacramenta et verba sacri eloquii, tamen non sua hæc sunt, neque amatorum suorum, sed Dei, licet habeat fornicationem suam seducta vel seducens. Unde et Dominus sua hæc esse protestatur, et ideo non debemus ipsis tribuere quæ Dei sunt, neque quasi [v] noxia reprobare, imo quamvis apud fornicariam mulierem

[a] Ita octo mss. Sirm. legit *non attenderet*.

[b] Hic in cod. Laub. incipit cap. LIV : *Quod licet leprosus sit qui munda præbet, munda sunt sæpe quæ accipiuntur, quia non caro et sanguis est leprosi, sed Christi, quæ nullius valet immunditia sordidari.*

[c] Ita sex mss. Editi, *sordidantur*.

[d] Unus cod. regius : *Licet sacerdos reus sit.*

[e] Vatic., *mysterii*.

[f] Flor., *a quovis indigno exhibeatur*, omissis his verbis : *Tamen apostolicæ propaginis consecratio.* Mam., *a quovis indigno quam apostolica propagine consecrata.* Vatic. vero sic legit hoc membrum : *Si tamen apostolicæ propaginis institutione consecratio exhibeatur.*

[g] Apud Mam. et Ulim. et in codd. Puteano, Major. Mon., Laub., S. Remigii, Colbertino uno, et Germ. uno desiderantur hæc verba : *Sacramentum enim consecrandi est quod habet is qui ordinatur.*

[h] Hic in cod. Laub. incipit cap. LV : *Quod virtus consecrandi sit in eo quod habet ille qui est ordinatus, id est in sacerdotio. Et ideo non reordinantur hæretici, etiam sacerdotes vel criminosi quique depositi, quia sicut non nisi unum baptisma, ita non nisi unum sacerdotium, quod non quidem perdiderunt, sed non ministrandi interdictum, et officium pœnitendi sumpserunt.*

[i] Sirm. : *Et ideo eis manus inter laicos impon'tur*, repugnantibus mss. qui omnes cum negativa legunt : *Et ideo eis manus inter laicos non imponitur.*

[i] Flor. et Laub., *consecrantur*.

[k] Quinque mss., *qui per gratiam*.

[l] In cod. Laub. hic incipit cap. LVI : *Quod perverso magis noceant hæc sacramenta quam prosint.*

[m] In cod. Laub. hic incipit cap. LVII : *Quod licet adulteri et homicidæ sint sacerdotes, tamen si legaliter non deponantur, non cogitandum quid sint, sed quid dant.*

[n] In duobus reginæ Suec. et duobus regiis mss. omisso *tales licet oderint*, legitur : *Tamen licet hodie sint adulteri.*

[o] Laub. : *Vel quid accipiant ab his qui cum fide communicant.* Cod. Major. Mon., *sed quid accipit*, omisso *quid dent vel.*

[p] Quatuor mss., *sed a quo habeat.*

[q] Editi omittunt *per angelos.*

[r] Laub. : *Ecce tamen ex officio quo funguntur, munus suæ largitatis divina exhibet misericordia.* Vatic. cum altero ms. : *Non deest tamen, qui dat per ministerium eorum eumdem spiritus.*

[s] Al., *diversi coloris.* Laub. cum tribus aliis mss., *diversicoloria.* Flor., *versicoloris.*

[t] Editi addunt *tuorum.*

[u] Al. addit *obtulisti.*

[v] Ita Laub. cum tribus aliis mss. Editi legunt *quasi non cognita.* Put. vero Vatic. Laudun. Maj.

Introdusă în format electronic de Google

dona viri legitimi recognoscere, et verbo veritatis illam fornicationem corrigere si valemus, quæ propria est impudicæ mulieris, non illa dona culpare quæ propria sunt Domini miserantis, quia etsi sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam non nisi per seipsum, in qua [a] est remissio [b] peccatorum, quam tribuit interdum etiam et per sanctos suos. Unde nihil majus aut minus est a quolibet [c] ministro, etsi adhuc in tenebris sit, dum et sacramentum præstatur ex officio et gratia, ex participatione et unitate columbæ, in qua fluit fons vitæ, et manat remissio peccatorum, cujus sacerdos Christus et pontifex in æternum expiat, et offert seipsum pro nobis quotidie ante conspectum divinæ majestatis.

CAPUT XIII [d].

** Ut quid hæc colorem aut saporem in sacramento minime permutant.*

1. Quod [f] vero colorem aut saporem carnis minime præbet, virtus tamen fidei et intelligentiæ, quæ nihil de Christo dubitat, totum illud spiritaliter sapit et degustat; quia, ut dixi, qui verbo cuncta creavit, hæc verbo una cum Spiritu sancto cooperatur, et ideo nihil dubitandum, ubi Deus Trinitas jure opifex creditur. Nihil [g] enim in eo deest, ubi efficax virtus ejusdem rei sentitur, ubi et plena similitudo exterius [h] et vera virtus Agni atque caro ejus immaculata interius voratur. Nihil enim rationabilius, ut quia nos jam similitudinem mortis ejus in baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis ejus sumamus [i], et similitudinem pretiosi sanguinis potemus, ita ut veritas non desit in sacramento, et ridiculum nullum fiat paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus. Avidius enim requiritur quod latet, et pretiosius est quod cum fide quæritur. Ideo quoque sic debuit hoc mysterium temperari, ut et arcana secretorum celarentur [j] infidis, et meritum [k] cresceret de virtute fidei, et nihil deesset interius vere credentibus promissæ [l] veritatis.

2. Insuper et quod majus est, per hæc secretius A præstita, ad illam tenderent speciem satietatis, ubi jam non pro peccatis nostris quotidie Christus immolabitur, sed satietate manifestationis ejus sine ulla corruptione omnes sine fine fruemur; alioquin quomodo [m] ferrent hæc adhuc increduli, si jam discipuli olim ista sono vocis audientes ferre nequiverunt? Nam cum Salvator diceret : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet* (*Joan.* VI, 57), etc., tum inquiunt, *durus est hic sermo, et quis poterit sustinere eum* (*Ibid.*, 61)! quanto magis [n] insci et perfidi ista durius ferrent, et culparent Christianos fore immundissimos, quod carnem hominis comederent et potarent sanguinem; ac per hoc fieret exsecrabile, quod per fidem debemus credere esse desiderabile, etiam [o] per intelli- B gentiam non carnaliter, sed spiritaliter degustare. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Quod si carnis species in his visibilis appareret, jam non fides esset aut mysterium [p], sed fieret miraculum; quo aut fides nobis daretur, aut [q] a perfidis exsecratio communicantibus importunior grassaretur. Hæc igitur credentibus etiam [r] fidelibus data sunt, signa vero et miracula, ut fidem percipiant, non credentibus. Unde oportuit ista non permutari, et credentibus, de his nihil saltem ad modicum dubitare.

CAPUT XIV [s].

Quod hæc sæpe visibili specie apparuerint [t].

1. Nemo qui sanctorum vitas et exempla legerit, C potest ignorare, quod sæpe hæc mystica corporis et sanguinis sacramenta, aut propter dubios, aut certe propter ardentius amantes Christum, visibili specie in agni formam, aut in carnis et sanguinis colorem monstrata sint, quatenus de se Christus clementer adhuc non credentibus fidem faceret, ita ut dum oblata frangeretur vel offerretur hostia, videretur agnus in manibus et cruor in calice, quasi ex immolatione profluere, ut quod latebat in mysterio, patesceret adhuc dubitantibus in miraculo. Fecit enim hoc pietas divina quibusdam jam credentibus, et

Mon., S. Audoeni, regius unus, Colbert. unus, Colon. Fratrum Præd., *quasi non agenda.*

[a] Al., *in quo.*

[b] Al., *omnium peccatorum.*

[c] Editi, *a quolibet in ministerio*; octo mss., *a quolibet in mysterio.*

[d] Cod. Laub. cap. LVIII.

[e] Reginæ Suec. duo codd. et duo regii capitis hujus titulum ita offerunt : *Cur colorem aut saporem hæc sacramenta minime permutant*; apud Mauer. : *De colore et sapore carnis et de cruore hominis occisi.* Apud Ulm. vero : *Tamen si nihil hujusmodi oculis carnalibus appareat, virtute tamen fidei hæc veraciter sumi.*

[f] Vatic. et Flor. : *Quamvis enim colorem.*

[g] Cod. Maj. Mon., *nihil enim in eo est.* Cod. reginæ Sueciæ unus et duo regii : *Nihil enim incredibile in eodem est.* Mam. et Ulim. : *Nihil in eodem est dubium.*

[h] In ms. Puteano et quatuor aliis mss. desiderantur hæc verba : *Et vera virtus Agni, atque caro ejus immaculata interius.*

[i] Mam. et Ulim. cum Puteano, Major. Mon. duobus Colb. et duobus regiis : *Et similitudine pretiosi sanguinis potemur.*

[j] Anic., *celarentur in perfidis.*

D [k] Duo mss., *et meritum cresceret, ut nihil deesset interius promissæ veritatis.*

[l] Duo mss., *virtutis.*

[m] Laub. : *Quomodo ferrent homines ad hæc adhuc increduli.*

[n] Editi : *Quanto magis adhuc insciі :* sed illud *adhuc*, ut non necessarium, exulat a plerisque mss.

[o] Editi cum aliquot mss., *et jam*; at Laub. tres S. Germani et Martin., *etiam*; unus S. Germ., *et per*, omisso *jam*, atque ita Flor.

[p] Maj. Mon., *sed fieret mysterium miraculum.*

[q] In septem mss., *aut perfidis*, expuncto *a*. Vatic. vero hunc locum sic legit, *aut perfidis exsecratio contemnentibus.*

[r] Editi, *et jam.*

[s] In cod. Laub., cap. LIX.

[t] Quatuor mss. addunt : *Et de exemplis eorum qui viderint.*

Introdusă în format electronic de Google

tamen adhuc dubitantibus, ut et ipsi fiduciam de veritate perciperent, et alii de miraculo ad fidem solidarentur; nosque [a] Christi gratia per eamdem fidem uberius participaremus. Nam quæ Veritas [b] repromisit sine aspectu credenda sunt. Sed quia duricordes [c] sumus, voluit divina mansuetudo in quibusdam omnibus satisfacere, ut [d] ulterius de his jam nemo dubitet. Porro quod si nec ostensa creduntur, nec ea quæ Veritas testatur, ex fide communicantur; quærat quilibet ob satisfactionem sui, quid exspectet, quoniam nihil extra veritatem est, et quidquid veritas habet, hoc [e] ostensio per speciem, quando placuerit, repræsentat. Unde credere oportet quod et hæc opportunissime ostensa sint, et nihil dubitare de his quæ Veritas repromittit, quia quisquis extra veritatem aliquid quærit, nonnisi falsitatem inveniet, et semetipsum, si quæ a [f] Christo dicta sunt non receperit, extra veritatem secludit. Quod autem dixi sæpe [g] quibusdam visibile specie apparuisse, pauca [h] de pluribus pandam.

2. Beato igitur Basilio divina mysteria publice agente, Hebræus quidam se sicut Christianus populo commiscuit, officii ministerium et muneris [i] explorare volens; vidit infantem partiri in manibus Basilii, et communicantibus omnibus, venit et ipse, dataque est ei vere caro facta. Inde accessit ad calicem sanguine repletum, ut vere est, et ipsius factus est particeps, atque de utrisque servans reliquias, abiensque in domum suam, ostendit uxori suæ ad confirmationem dictorum, et narravit quæ propriis oculis viderat. Credens [j] ergo ait : Vere quia horribile [k] et admirabile est Christianorum mysterium. In crastino venit ad Basilium, postulans se sine dilatione accipere quod in Christo est signaculum. Basilius autem sanctus non differens, sed consuetam Eucharistiam volenti [l] omnes salvare offerens, baptizavit eum cum omni domo sua credentem Domino.

3. Sed et illud ex vita B. Gregorii addendum. Cum matrona quædam nobilis singulis diebus Dominicis oblationes [m] facere consuevisset more ecclesiastico atque offerre, quadam die cum ad communionem sanctam inter alias venisset, ut corpus Christi acciperet; illi autem beatus pontifex offam [n] Dominici corporis porrexit, dicens : *Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in remissionem omnium peccatorum;* continuo subrisit; quod vir Dei videns, ab ea communionem sacram retraxit, et super altare posuit, donec, explicito ministerio sacro, interrogavit eam cur riserit. At illa : Recognovi, inquit, portiunculam oblationis meæ fuisse quam corpus Domini te appellasse audivi, et ideo risi. Tunc sanctus vir Gregorius loquens ad populum, exhortatus est eos Deum exorare precibus ad corroborandam fidem mulieris, ut visibili se [o] specie Dominus demonstraret, quod oculis mentis illa credere non valebat. Quod cum oratum fuisset, surgens una cum populo, mox cernentibus cunctis palam revolvit altaris, contuente etiam illa, invenit partem quam posuerat in modum digiti auricularis sanguine [p] superfusam. Tunc mulieri sacerdos inquit : Disce verum esse quod Veritas ait, quia panis quem nos offerrimus, vere est corpus Christi, juxta ipsius vocem, et sanguis vere est potus. Crede jam tandem quod aliud esse non potest, nisi quod divina majestas voluit. Deinde sacerdos Christi continuo precibus egit, ut eadem caro et sanguis pristinam reciperet formam; sicque factum est, ut omnes glorificarent Deum, et infidelitas pelleretur feminæ, sacroque sancta [q] communicata mysterio sanaretur.

4. Abbas autem Arsenius [r] tantæ sanctitatis et compunctionis gratia dicitur repletus fuisse, ut pro nimia lacrymarum exuberatione, pannum ad tergendum faciem semper in sinu deferret. Hic etiam sæpissime narrabat de quodam sene Scythi habitante, qui erat magnus in activa vita, simplex autem in fide, et errabat pro eo quod erat idiota, et dicebat non esse naturale [*al.*, naturaliter] corpus Christi panem istum quem sumimus, sed figuram ejus esse. Hunc autem duo senes audientes quod diceret hunc sermonem, scientes quia magna esset vita ejus et conversatio, cogitaverunt quia innocenter et simpliciter diceret hoc. Et venerunt ad eum, et dicunt ei : Abba, sermonem audivimus cujusdam infidelis, qui dicit quia panem quem sumimus non naturale corpus Christi, sed figura est ejus. Senex ait : Ego sum qui hoc dixi. Illi autem rogabant eum dicentes : Non sic teneas, abba, sed sicut Ecclesia catholica tradidit. Nos autem credimus quia panis ipse corpus Christi est, et calix ipse est sanguis Christi secundum veritatem, et non secundum figuram. Sed sicut

[a] Ita novem mss. Editi : *Et de Christi gratia per eamdem fidem participarentur.*

[b] Quatuor mss., *namque veritas testatur et repromisit.*

[c] Ita melioris notæ mss. Editi, *duri corde.*

[d] Editi, *Ut alterius :* mendose et repugnantibus omnibus mss. qui legunt *ut ulterius.*

[e] Plures mss., *hæc ostensio.*

[f] Cod. Colb., *de Christo.*

[g] Editio Sirm. : *Sæpe quibusdam ardentius Christum amantibus visibili specie apparuisse.* At mss. perplures : *Sæpe quibusdam visibili specie apparuisse.* Laub. vero, Vatic Laud. Remensis, S. Remigii, Turon., Maj.Mon., Rothom., S. Audoeni, regius unus : *Amantibus hæc prænonstrata fuisse.* Flor cum Mam. et Ulm. : *Sæpe quibusdam Christum amantibus prænonstrata fuisse.*

[h] Sex mss. hi nimirum qui omittunt ea quæ de SS. Basilio et Gregorio sequuntur : *Unum et pluribus.*

[i] In uno cod. S. Germ., *muneris divini gratiam explorare volens.*

[j] Editi, *credens ergo ut vere*, at melius mss., *credens ergo ait ; vere*, etc.

[k] Unus Colb., *terribile.*

[l] Ita omnes mss. Editi : *Volens omnes salvare.*

[m] Editi, *oblationem :* mss. omnes, oblationes.

[n] Anic., *particulam et offam.*

[o] Ita codex Anic. Alii mss. expungunt *se.*

[p] Al., *sanguine superfuso.*

[q] Editi, *sacroque sancto.*

[r] Quæ hic narrantur ex relatione abbatis Arsenii, in duobus continentur mss. reginæ Sueciæ 1554, et regis Christianissimi 4070.

Introdusă în format electronic de Google

in principio pulverem de terra accepit, et plasmavit hominem ad imaginem suam, et nemo potest dicere quia non est imago Dei incomprehensibilis; ita et panis quem dicit quia corpus meum est, credimus quia secundum veritatem corpus est Christi. Senex autem ait eis : Nisi rem ipsam cognovero, non mihi satisfaciet petitio vestra. Illi autem dixerunt ad eum : Deprecemur Dominum hebdomada hac de mysterio hoc, et credimus, quia Dominus revelat nobis. Senex vero suscepit cum gaudio istum sermonem, et deprecabatur Deum dicens : Domine, tu cognoscis quia non per malitiam incredulus sum in re hac, sed ne per ignorantiam errem; revela ergo mihi, Domine Jesu Christe, quod verum est; sed et illi senes abeuntes in cellas suas, rogabant et ipsi Deum in cellis suis dicentes : Domine Jesu Christe, revela seni mysterium hoc, ut credat, et non perdat laborem suum. Exaudivit illos Dominus et hebdomada completa venerunt Dominico die in ecclesiam, et sederunt ipsi tres soli super sedile de sirpo, quod in modum fascis erat ligatum; medius horum sedebat senex ille. Aperti sunt autem intellectuales oculi eorum, et quando positi sunt panes in altare, videbatur illis tantummodo tribus tanquam puerulus jacens super altare, et cum extendisset presbyter manum, ut frangeret panem, descendit angelus Domini de cœlo habens cultrum in manu, et sacrificavit puerulum illum, sanguinem vero ejus excipiebat in calice. Cum autem presbyter frangeret in parvis partibus panem, etiam et angelus incidebat pueri membra per modicas partes. Cum ergo accessisset senex, ut acciperet sanctam communionem, data est ipsi soli caro sanguine cruentata. Quod cum vidisset, pertimuit, et exclamavit dicens : Credo, Domine, quia panis qui in altari ponitur, corpus tuum est, et calix tuus est sanguis, et statim facta est caro illa in manu ejus panis secundum mysterium, et sumpsit illud in ore gratias agens Deo. Dixerunt autem ei senes : Deus scit humana natura quia non potest vesci carnibus crudis, et propterea transformavit corpus suum in panem, et sanguinem suum in vinum his qui illud fide suscipiunt, et egerunt gratias Deo de sene illo, quia non permisit Deus perire laborem ejus, et reversi sunt omnes cum gaudio in cellas suas.

5. [a] Nonnunquam vero ad votum desiderantibus Christum hæc præmonstrata leguntur; sicut illud in gestis Anglorum, quod quidam presbyter fuerit religiosus valde, *Plecgils* nomine, frequenter missarum solemnia celebrans ad corpus S. Niniæ [b] episcopi et confessoris, qui cum digno moderamine sanctam, Christo propitio, duceret vitam, cœpit omnipotentem Deum piis [c] pulsare precibus, ut sibi monstraret naturam corporis Christi atque sanguinis. Itaque non ex infidelitate, ut assolet, sed ex pietate mentis ista petivit; fuerat enim a puero divinis legibus imbutus, et propter amorem superni Regis olim patriæ fines et dulcia liquerat arva, ut Christi mysteria exsul sedule disceret. Ideirco ejus amore magis succensus, quotidie pretiosa munera offerens, poscebat sibi præmonstrari quæ foret species latitans sub forma panis et vini; non quia de Christi corpore dubius esset, sed quia vel sic Christum cernere vellet, quem nemo mortalium jam super astra levatum, in terris [d] passim conspicere potest. Venerat ergo die ut idem celebrans pie solemnia missarum more solito procubuit genibus : *Te deprecor*, inquit, *Omnipotens, pande mihi exiguo in hoc mysterio naturam corporis Christi, ut mihi liceat eum prospicere præsentem corporeo visu, et formam pueri, quem olim sinus [e] matris tulit vagientem, nunc manibus contrectare*; qui dum talia precaretur, angelus de cœlo veniens affatur : Surge, inquit, propere, si Christum videre placet; adest præsens corporeo vestitus amictu, quem sacra puerpera gessit. Tunc venerabilis presbyter pavidus ab imo [f] vultum erigens, vidit [g] super aram Patris Filium puerum, quem Simeon infantem portare suis ulnis promeruerat. Cui angelus inquit : Quia Christum videre placuit, quem prius sub specie panis verbis mysticis sacrare solebas, nunc oculis inspice, attrecta manibus. Tum sacerdos cœlesti munere fretus, quod mirum dictu est, ulnis trementibus puerum accepit, et pectus proprium Christi pectori junxit; deinde profusus in amplexum, dat oscula Deo, et suis labiis pressit pia labia Christi. Quibus ita exactis, præclara Dei Filii membra restituit in vertice altaris, et replevit cœlesti pabulo Christi mensam. Tum rursus [h] humo prostratus deprecatus est Deum, ut dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciem; qua expleta oratione, surgens a terra, invenit corpus Christi in formam remeasse priorem, uti deprecatus fuerat; et mira omnipotentis Dei dispensatio, qui ob unius desiderium ita se præbere dignatus est visibilem, et non in figuram agni, ut aliis quibusque [i] sub hoc mysterio, sed in formam pueri, quatenus et veritas patesceret in ostenso, et sacerdotis desiderium impleretur ex miraculo, nostraque fides firmaretur ex relatu. Verumtamen non prius idem communicasse pueri corpus et sanguinem legitur, quam rediret in prioris formæ speciem, ne absurdum videretur quod præsumpserat, et fides uberius requiratur interius in eodem quod exterius visu conspexerat. Hæc [j] in-

[a] Hicin cod. Laub. incipit cap. LXI : *Miraculi intimatio super idem sacrosanctum mysterium.*
[b] Editi, *Nini*; ms. Major. Mon., *Nili.*
[c] In cod. Maj. mon. deest *piis.*
[d] Anic. et Major. Monast. cum Ulim. : *In terris passum.* Mam. cum Puteano, Remig. uno S. Germani omittit *passim* sive *passum.*
[e] Vatic. *Virginis matris.*
[f] Al., *ab humo.*
[g] Cod. Vatic. hunc locum sic legit : *Super aram summi Patris unigenitum incarnatum Jesum, quem senex justus Simeon*, etc.
[h] Editi, *prostratus homo.*
[i] Editi, *quibusdam.*
[j] In codice Laub. hic incipit cap. LXI : *Exemplum de manna.*

Introdusă în format electronic de Google

terim dixisse sufficiat de ostensione carnis Christi pro assertione veritatis.

6. Cæterum, si quis ex eo non credit illud quod in Evangelio prædicatur, prioribus, inquam, illis deterior videtur, qui, sub unius speciei gustu, omnem saporem et omne delectamentum fide perceperant. Nec tamen illud tunc aliud monstratum, licet quidquid saporis et delectamenti est interius, sub uno eodemque colore totum manna præstiterit. Potior quippe virtus rerum est, quam species et fucatus [a] color, idcirco virtus magna [b] consideranda est, quam color seu sapor exterius; quia qui universis [c] virtutem naturæ dedit, hic [d] huic sacramento divinitus indulsit, ut sit caro et sanguis ipsius, ut quod caro et sanguis Christi Ecclesiæ contulit, hoc totum sacramentum hujus mysterii compleat, et ad immortalitatem suos immaculatos clementer perducat; carnales quoque et corruptibiles ad spiritalia et incorruptibilia [e] proficere faciat. Propterea ergo debuit spiritaliter celebrari, quatenus per [f] hoc de visibilibus ad invisibilia feramur, et quod adhuc latet, fide instantius requiramus. Nihilque dubitandum de specie, dum virtus Christi interius totum præstat ex mysterio, quidquid Evangelium repromittit ex Divinitatis oraculo.

CAPUT XV [g].

Quibus verbis hoc mysterium conficitur.

1. Nulli dubium quod sicut quando in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti tertio mergimur in fonte, tunc utique baptizamur, non in virtute illius et potestate qui hæc dicit, sed in virtute Christi, qui hoc præcepit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Marc.* XVI). Sic utique et hoc sacramentum non meritis, non verbis humanis, sed procul dubio divinis efficitur et consecratur mandatis. Creatur enim ibidem ex aliquo, non qualiscunque, sed nova salutis creatura, caro et sanguis Christi, veluti in baptismo homines [h] nova efficiuntur creatura, et corpus Christi. (*Ambr.*) Idcirco non æstimandum est quod alterius verbis, quod ullius [i] alterius meritis, quod potestate alicujus ista fiant, sed verbo Creatoria, quo cuncta creata sunt visibilia et invisibilia: cujus ergo potentia creata sunt prius, ejus utique verbo ad melius recreantur, quia nemo creator alicujus [j] rei, aut recreator, nisi unus Deus catholice prædicatur. Propterea veniendum est ad verba Christi, et credendum quod in ejusdem verbis ista conficiuntur. Reliqua vero omnia quæ sacerdos dicit, aut clerus canit, [k] nihil aliud quam laudes et gratiarum actiones sunt, aut certe obsecrationes fidelium, postulationes, petitiones. Verba autem Christi sicut divina sunt, ita efficacia, [l] ut nihil aliud proveniat quam quod jubent, quia æterna sunt. *Cælum*, inquit, *et terra transient* [m], *verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV, 35), sed facient omnia ad quæ præmissa [n] sunt, quia Patris nonnisi unum et substantivum et consubstantiale ac sempiternum est Verbum. Unde sacerdos prius inter cætera etiam verba evangelistarum assumens, ait: *Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas* [o], *elevatis oculis in cælum ad te Patrem suum omnipotentem, gratias tibi agens benedixit, fregit et dedit discipulis suis.* Ecce usque ad istum locum verba sunt evangelistarum; porro deinceps verba sunt Dei, potestate et omni efficientia plena: *Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum.* Sed ne forte putares quod de illo uno tantum pane et in illa una hora hoc eum esse jusserit secutus [p] adjungens ait: *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 20 *et seqq.*). [q] Unde fatendum, quod quidquid tunc illud fuit quod Apostoli ab eo perceperunt, hoc totum est, quia idipsum est; et si velis audire quid est, *Hoc est*, inquit, *corpus meum, quod pro vobis tradetur* [r]. Crede, o fili, quia ita est, quoniam ipse dixit, et factum dubitare non potes; ipse mandavit et creatum est. Præceptum ergo posuit [s], *In meam commemorationem hoc facite*; et ideo quotiescunque fit catholice, vere hoc fit quod dictum est: *Hoc est corpus meum.*

2. *Simili modo posteaquam cœnatum est:* refert sacerdos verba evangelistæ: *Accipiens hunc præclarum calicem.* Et notandum quod hunc quem offerimus, et non alium, *in sanctas ac venerabiles manus suas* [t] [ab eo quod continet id quod continetur

[a] Septem mss., *fuscatus color.*
[b] Editi, *virtus magis consideranda.*
[c] Vatic., *universis rebus.* Flor., *universæ virtutem naturæ dedit.*
[d] Ms. Maj. mon., *hoc huic.*
[e] Editi, *perficit*; Flor. et ms. S. Audoeni, *perficiat*; mss. octo, *perficere faciat.*
[f] In cod. Maj. mon. expunctum est *per hoc.*
[g] In cod. Laub. hic incipit cap. LXII cum hoc titulo: *Non dubitandum de specie dum virtus Christi totum interius præstat.* Apud Mam. Ulm. et in recenti cod. S. Germ.: *Quod hoc mysterium nullius meritis consecratur, nisi illius cujus nutu reguntur et sunt.*
[h] Sex mss., *homines efficiuntur novi et corpus Christi.*
[i] Ita cod. Laub.: reliqui communiter mss. expungunt *alterius.*
[j] Quinq. mss., *creator tantæ rei.*
[k] Laub., *nihil aliud sunt quam laudes gratiarum actiones fidelium obsecrationes.*
[l] God. Maj. mon., *ita efficientia.*
[m] Ita mss. omnes. Editi, *transibunt.*
[n] Editi, cum Flor., *ad quæ missa sunt.*
[o] Editi, cum aliquot mss., *et elevatis*; at plures mss. expungunt *et.*
[p] Editi, *secutus, adjunxit et ait.*
[q] Hic in cod. Laub. incipit cap. LXIII. *Fatendum quod illud quod apostoli acceperunt, quando Christus eis dixit:* Hoc est corpus meum, *idem nos, non aliud accipimus, si digne accipimus.*
[r] In editis Flor. et in ms. S. Germ. adduntur isthæc: *In hoc ergo verbo creatur illud corpus, quia divinum Verbum est, et omnipotentia plenum, ubique præsens, ubique omnia complens. Et quod dicit:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, crede, etc.
[s] Editi addunt *dicens.*
[t] Inclusa parenthesi desunt in Editis Flor. et in ms. S. Germ.

Introdusă în format electronic de Google

ostendens, dicit eum accepisse], *item tibi gratias agens benedixit, et dedit discipulis suis, dicens* [a]. Audisne ubique, quod ipse gratias egerit, quod benedixerit? et ideo licet nos gratias agamus Deo, ille est qui pro nobis gratias agit per se, et nos tamen per illum; et quia per illum, ejus gratiarum actio jure dicitur. Sic itaque, licet sacerdos benedicat, ipse est qui benedicit et frangit; alioquin nisi ejus esset benedictio, nulla [b] sanctitas in eo esset: unde in Levitico ad Aaron et ad filios ejus: *Invocabitis ergo nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eos* (*Num.* VI, 27). [c] Sacerdos ergo invocat, sed ipse benedicit et frangit; quia nisi ille frangeret hunc panem, parvuli omnes jejuni remanerent. Hinc quoque propheta suspirans, quia necdum Christus venerat, aiebat in Lamentationibus suis: *Parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV, 4). Et ideo hic solus est qui frangit hunc panem, et per manus ministrorum distribuit [d] credentibus, dicens: *Accipite et bibite ex hoc omnes*, tam ministri quam et reliqui credentes: *Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti.* In hoc quippe verbo sanguis efficitur, quod ante vinum et aqua fuerat. Efficitur ergo sanguis, sed ille utique quem discipulis tradidit; sanguis plane Novi et æterni Testamenti, quod testamentum nunquam immutabitur, quia æternum est; nunquam veterascet, nunquam irritum erit: et hoc est testamentum hæreditatis nostræ, per quod nobis divina et cœlestia traduntur.

3. Hoc igitur est mysterium fidei. De hujus namque sanguinis figura populus sanctificatus est Veteris Testamenti. Sed in illo sanguine umbra erat, hic autem veritas: *Qui pro vobis*, inquit, *effundetur, et pro multis in remissionem peccatorum.* Nam ubi Lucas dixit, *pro vobis*, ibi Matthæus *pro multis* posuit (*Matth.* XVI, 28); unde credendum quod Christus utrumque dixerit, quia hic sanguis et pro apostolis et pro multis qui credituri erant per verbum eorum effusus est. Hic utique et non alius, neque alicujus [e] alterius, sed sanguis Jesu Christi in hoc verbo efficitur. Viget autem hoc verbum et manet, *Hic est enim calix sanguinis mei, qui pro vobis fundetur et pro multis.* Quapropter, o homo, quotiescunque bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium sanguinem te putes bibere, quam eum qui pro te et pro omnibus effusus est in remissionem peccatorum; neque aliam carnem, quam quæ pro te et pro omnibus tradita est et pependit in cruce, quia sic Veritas testatur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et de calice: *Hic enim sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Unde sicut tunc [f] in remissionem fusus est peccatorum et traditus, ita adhuc [g] hodie in remissionem comeditur et potatur delictorum: ut quia in terris sine quotidianis levibusque delictis vivere non possumus, ut præmisi, tali esca et potu refecti, sine macula et ruga inveniamur, et non solum hoc, sed etiam omni benedictione cœlesti, quæ in illis est, repleamur, ac per hoc unum corpus cum illo et in illo maneamus, ubi Christus caput et nos omnes membra censeamur.

CAPUT XVI [h].

Utrum hoc corpus post consecrationem panis jure queat vocari.

1. Quod panis etiam quamvis vera caro sit, hoc mysterium possit nominari probat Apostolus, ubi dicit: *Probet se homo et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (*I Cor.* XI, 28): quia [i] Christi caro et vera caro, et tamen panis vivus qui de cœlo descendit jure catholice prædicatur: caro quidem secundum gratiam, panis vero secundum efficientiam, quia sicut hic panis terrenus vitam subministrat temporalem, ita ille cœlestis vitam præstat æternam et cœlestem, quia vita est sempiterna. Denique et sanguis hic secundum efficientiam, simili modo vinum typice potest vocari, quia sicut vinum lætificat cor hominum sobrie potatum, ita longe locupletius hoc vinum sanguinis lætificat cor hominis interioris, et inebriat mentem amore spiritali: unde dictum est: *Calix* [j] *meus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5): Et: *vinum lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII, 15). De quo nimirum vino sponsa in Canticis exsultat, quod Christus in ea suam ordinaverit charitatem. Cæterum secundum præmissam doctrinæ veritatem, nihil aliud quam caro Christi et sanguis jure creditur, quæ non sapore carnis, sed spiritali dulcedine degustantur, et fidei ratione intelliguntur.

CAPUT XVII [k].

Utrum plus ex eo habeat, qui majus aut qui minus acceperit.

1. Si enim figura istius sacramenti in manna illo cœlesti præcessit, vere et hujus rei ratio exinde aperte monstratur, quod dicitur: *Qui plus collegerat, non habuit* [l] *amplius, neque qui minus paraverat invenit minus* (*Exod.* XVI, 18; *II Cor.* VIII, 15). Non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritalis; sicut nec quantitas hominis Christi metienda in corpore, sed virtus in eo et divinitas consideranda: nam plus retulit mulier illa in Evangelio, quæ fimbriam vestimenti ejus tetigit, quam turba quæ totum corpus

[a] Vatic. cum altero ms. addunt: *Accipite et bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus.*
[b] Ms. Maj. mon., *nulla secura sanctitas.*
[c] In cod. Laub. hic incipit cap. LXIV: *Quod sacerdos Domini in consecratione quorumlibet invocat, sed Christus benedicit, frangit, et tribuit.*
[d] Tres mss., *distribuit etiam calicem credentibus.*
[e] In plerisque mss. desideratur *alterius.*
[f] Hic *tunc* restituimus ope codicis Vaticani, quod ab aliis exsulat mss.
[g] Editi, *ad hoc*, contra fidem omnium mss.
[h] In cod. Laub. cap. LXV.
[i] Cod. Laub., *quia de Christo caro vera caro est.*
[j] Duo mss., *Calix tuus.*
[k] In cod. Laub. cap. LXVI. Titulus vero hujus capitis apud Ulim. et in recenti S. Germani mss. sic effertur: *Vim et rationem hujus sacramenti corporis et sanguinis Domini prorsus a rationis sensu esse reconditam.*
[l] In duobus mss. deest *habuit*

Introdusă în format electronic de Google

pressit, quia plus eum mente concepit, cum [a] fide credidit. Idcirco cogitandum est a nobis, non quantum dente premitur, sed quantum fide et dilectione [b] capitur. Non enim recte caro Christi sine divinitate sumitur, nec divinitas sine carne præstatur. Unde in Evangelio : *Regnum cœlorum simile dicitur thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo,* [c] *vadit et vendit omnia, et emit agrum illum* (*Matth.* XIII, 44). Quia nec ager, corpus videlicet Christi, sine thesauro, [d] nec thesaurus divinitatis sine agro [e] carnis jure comparatur. Et, o quam bene [f] in agro thesaurus absconsus dicitur ! quia in carne Christi divinitas corporaliter inhabitans etiam in hoc mysterio ab aspectu oculorum ne [g] videatur subtrahitur, ut fide [h] avidius quæratur, quæsita verius [i] inveniatur, inventa vero charius habeatur, et habita desiderabilius fruamur ; [j] quia in Christo omnis plenitudo corporaliter inhabitat, sine dubio, divinitatis. Idcirco necesse est, qui corpus ejus comederit, de plenitudine divinitatis illud [*f.* illius] fide percipiat. Unde sanctus evangelista : *Et omnes*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I, 16). Alioquin nisi de plenitudine [k] prius accipias, nec ad modicum carnis pervenire poteris, quia non thesaurus emitur propter agrum, sed ager propter thesaurum. Nam thesaurus de plenitudine divinitatis cum eo et in eo credentibus [l] venundatur ; et ideo, fili, hoc mysterium dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam, et percipe non quantum mica exhibet, sed quantum fides capit ; quia in Christo plenitudo divinitatis manet, in te autem de plenitudine, non quanta est, sed quantum idoneus fueris, præstatur.

CAPUT XVIII [m].

Cur hoc mysterium ante passionem discipulis traditur.

Ante passionem autem Domini hoc sacramentum ideo celebratum est, ut de legali pascha continuo, quia umbra removenda erat, ut veritatis [n] lux claresceret. Nunquam [o] umbra potest desistere, nisi radiante luce. Aliud vero Christus noverat, quod et boni digne, et mali indigne hoc mysterium, licet præsumptive, accepturi essent, voluit formam cunctis dare communicantibus, quid boni, quidve mali percipiant : et [p] ideo Judas in figuram omnium malorum ad percipiendum [q] admittitur. Nam si post resurrectionem fieret, jam Judas cum sanctis apostolis communicare non posset, quia judicio æterno jam damnatus erat. Nam per hoc mysterium passio Domini et mors prædicanda erat : ideo magis congruit in ipso passionis articulo hoc tradere, quam post resurrectionem : quia ad hoc immolatus est Agnus [r], ut nos ejus carnem comedamus ; unde Paulus : *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur* (*I Cor.* V, 7). Cæterum, quia ipse transibat [s] jam de hoc sæculo ad Patrem, id est de hac mortalitate ad immortalitatem, fecit adhuc mortalis quod nos post eum et in illo facturi eramus simili modo mortales, quatenus tali nos refecti pabulo, et inebriati poculo, faciamus pro illo securi de immortalitate quod ille pro nobis prior fecit mortalis [t] ; ad hoc quippe immortalitatis præstitit alimoniam, ut mortem non timeamus. At vero quod ultimum est, si post resurrectionem hoc dedisset, dicturi essent hæretici, quod [u] incorruptibili jam Christo et in cœlo posito, non posset in terris ejus caro a fidelibus vorari. Nunc vero quod integer et [v] incorruptus manet, dicimus contra eos, quod in morte ejus ista percipimus ut usque ad finem sæculi omnes inde pascamur, et tamen quod seminatum est resurgens [x] incorruptum permaneat. Ad hoc ergo granum frumenti in terram cecidit, ut multum fructum afferret : si enim hoc ille concessit seminibus, multo magis id sibi præstitit, ut idipsum maneat incorruptum, et deinceps multam alimoniam immortalitatis præbeat ex sua [y] fructificatione credentibus. Unde qualis ille resurrexit, talia sunt et hæc semina immortalitatis, quæ immortales faciant digne percipientes : et ideo quoties ista comedimus, mortem Domini annuntiamus, quia de morte ista immortalia meruimus, [z] donec veniat ipse vivus et immortalis, ut cum ea etiam et nos tali longe diuque refecti [aa] immortali cibo ipsi per eum immortales regnemus.

[a] Ita locum istum restituimus ope ms. Maj. mon., nam alii mss. expuncto *cum* legunt : *Et fide credidit.*

[b] Mamer. cum tribus mss., *dilectione et dilatatione capitum.*

[c] Cod. unus regius addit : *Abscondit, et præ gaudio illius.*

[d] Editi addunt : *Divinitatis* ; quod ab omnibus mss. abest.

[e] Flor., *sine agro*, id est *corpore Christi.*

[f] Editi : *Qui quam bene* ; ms. Laud. : *Qui bene* ; duo mss. : *Quia quam bene* ; Flor. : *Bene autem.* Quatuor mss. : *Et o quam bene.*

[g] Editi, cum Flor., *ne caro videatur.*

[h] Tres mss., *ne fides avidius.*

[i] Putean. cod., *quæsita veritas.*

[j] Editi et Flor., *fruatur.*

[k] Editi, *de plenitudine ejus*, sed mss. expungunt *ejus.*

[l] Mamer., Ulim. cum quinque mss., *a credentibus emitur* ; duo mss., *emendatur* ; Laub., *emundatur.*

[m] Laub. cap. LXVII.

[n] Editi, *ut veritas claresceret* ; mss., *ut veritatis lux claresceret.*

[o] Editi, *nunquam igitur* ; Flor., *nunquam enim.*

[p] Hic in Laub. incipit cap. LXVIII : *De Juda proditore.*

[q] In mss. Maj. mon. deest *ad percipiendum.*

[r] Tres mss., *Agnus Christus.*

[s] Ulim., Sirm., *Transiturus* ; Mam., cum quatuor mss., *transiens.* Reliqui fere omnes mss., *transibat.*

[t] Al., *mortalibus.*

[u] Ita mss. pene omnes. Editi : *Quod incorruptibilis jam Christus et in cœlis positus.*

[v] Editi, *incorruptibilis manet* ; at mss., *incorruptus manet.*

[x] Tres mss., *resurget incorruptum*, omisso *permaneat.*

[y] Vat., *et sua mortificatione.*

[z] Editi, *Donec veniat vivus et mortalis*, contra fidem omnium mss. qui legunt *donec veniat vivus et immortalis.*

[aa] Editi et Flor., *immortalitatis cibo.*

Introdusă în format electronic de Google

CAPUT XIX [a].

Ut quid in sanguine Christi fragmen corporis admisceatur [b].

1. Patet sensus quod jam caro frangitur, quia sanguis est in calice qui de latere manavit, et ideo quam recte caro sanguini sociatur, quia nec caro sine sanguine utique, nec sanguis sine carne jure communicatur. Totus enim homo, qui ex duabus constat substantiis, redimitur, et ideo carne simul Christi et sanguine saginatur. Denique non, sicut quidam volunt, anima sola hoc mysterio pascitur; quia non sola redimitur morte Christi, et salvatur; verum etiam et caro nostra per hoc ad immortalitatem et incorruptionem reparatur. Carni quidem nostræ caro Christi spiritaliter [c] conviscerata transformatur; [d] [teste Hilario, ut unum simus in eo per hoc mysterium naturaliter, ut et Christi substantia in nostra carne inveniatur,] sicut et ipsum nostram in suam constat assumpsisse deitatem, unde orantes ad Deum cum Propheta dicimus: *Memorare* [e] *quæ mea substantia: nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* (*Psal.* LXXXVIII, 48.) Quæ igitur major securitas hominis, quam ad suam substantiam orare, et eam [f] in Deum venerari, atque per unitatem personæ fidenter [g] dicere: *O Deus, mea substantia, qui me constituisti et creasti, nunquid vane me creasti?* non utique, licet vanitati subjaceat homo [h] vivens, quia Deus creator, et Verbum Patris factus [i] homo. Unde constat per hoc quod et nos in illo, et ille utique in nobis, dum [j] carne spiritaliter se refundit, ut nos per hoc in incorruptionem transformemur.

2. Porro sanguis ejus, ut dixi, potatur, quatenus anima, quæ in sanguine peccati est, renovetur; quia et Christi anima non in sanguine peccati, sed in sanguine carnis, etiam uti natura est hominis, carnem humanam, quam Christus susceperat, vivificavit. Idcirco non recte caro sine sanguine communicatur; sed ut caro habeat relationem ad animam, quæ in sanguine Christi est, et anima vivificatrix [k] carnis per sanguinem relationem habeat ad Deum, atque ita totus homo sanetur. Hinc quoque Dominus cum dixisset: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, continuo subjecit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* VI, 55). *Habet* namque ideo dixit, quia mox anima carne soluta intrat in vitæ promptuaria, ubi sanctorum animæ requiescunt. Deinde, quod ad corpus pertinet, addidit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*, ut sicut integre creatus est homo, ita quoque redemptus integre prædicetur; ac deinde in novissimo ad integrum reparandus credatur.

3. [l] Porro in calice, quantum datur intelligi a sanctis Patribus, ideo simul corpus et sanguis per hanc partem junguntur, quia calix passionis Christi præfigurat mysterium, sicut canitur in psalmis: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 13). Per calicem namque salutis passio designatur. In qua nimirum passione simul caro Christi cum suo sanguine fuit; idcirco jam immolato Christo per sacramentum divinæ traditionis, corpus frangitur ad escam populis, et partitur fidelibus; sanguis vero in calice ac si in passione fusus, spiritaliter consecratus pro nobis ostenditur ad potandum, Deo Patri a summo pontifice oblatus, quatenus eo pretio quo redempti sumus de morte ad vitam, et in corpore Christi aggregati, exuamur a culpis quotidianis levibusque peccatis. Deinde eo ipso cibo potuque pascamur et potemur ad vitam, ut ex ipso per ipsum refecti conviscceremur [m] in Christo, quatenus et ipsi cum eo unum inveniamur, alioquin vitam in nobis habere non possumus; unde ipse Salvator: *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54).

4. Quapropter etiam nonnulli quærunt, si qu baptizantur, et præventi morte fuerint velocius, nec sinuntur carnem Domini manducare, neque ejus sanguinem bibere, utrum vel quantum noceat; aut si nihil noceat, præsertim cum mox renati in Christo, unum cum eo corpus effecti, in adoptionem filiorum Dei venisse vere creduntur. Unde constat quia renati ad vitam, mox translati per mortem carnis ad ipsam eamdemque vitam, quæ Christus est, sine ullius labe peccati, in ipso [n] concorporati inveniuntur; et ideo non obesse credimus eos viaticum non accepisse hujus sacramenti ad vitam in via; quia in nullo post perceptam vitam declinaverunt [o] a via, sed manserunt in vita, quæ Christus est, et ideo non defecerunt in via, donec perventum est ad veritatem, in qua sempiterna et vera est vita. Cæterum quantisper hic remanentibus valde pernecessarius est ad vitam ille cibus cœlestis et potus, quatenus [p] sicut aluntur cibis terrenis ad tempus ut vivant, sic alantur spiritaliter renati per hæc ad perpetuam vitam, ne deficiant in via, donec trans-

[a] Laub. cap. LXIX.

[b] Cod. Laub. addit: *Et quod non solum anima, sed corpus hoc mysterio pascitur.* Codex vero S. Germani recente manu conscriptus hunc præfert titulum: *Corporis et sanguinis Domini perceptionem nobis ad salutem esse necessariam.*

[c] Laub. *specialiter conviscerata*; ms. Maj. mon., *spiritualiter consecrata.*

[d] Inclusa ansulis desunt in Editis

[e] Editi cum uno ms., *memorare meæ substantiæ.*

[f] Editi, *eam Deo.*

[g] Anic., *fidentes*; mss. Major. mon. S. Audoeni, et unus regius, *fideliter.*

[h] Editi, *omnis homo vivens.*

[i] Editi, *factus est homo.*

[j] Editi, *dum in carne.*

[k] Al., *vivificata Christi per sanguinem.*

[l] Quæ sequuntur usque ad *interim tamen justum*, desiderantur in undecim mss.

[m] Editi, *convesceremur.*

[n] Editi, *non incorporati*, non ita bene.

[o] Cod. regius, *declinaverunt, sed manserunt in via.*

[p] Cod. regius, *quatenus sic alantur spiritualiter renati per hæc ad perpetuam vitam.*

Introdusă în format electronic de Google

caut per mortem carnis ad perpetuam, ubi nullus A defectus est, et sempiternam vitam.

5. (*Aug. in Joan., c.* 6.) Interim tamen justum et pernecessarium ut redemptus alatur ad incorruptionem et potetur ad vitam. Propterea mox Salvator intulit : *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI, 56) : ac si diceret, quia generaliter homines cibum et potum ob id permaxime appetunt, ut non esuriant neque sitiant, et ne moriantur, hoc utique communis iste non præstat cibus et potus, sed caro mea et sanguis, quia [a] immortales et incorruptibiles facit, et ideo vere cibus et potus nominatur [b]. Constat igitur et liquet omnibus, quod in hac mortali vita sine cibo et potu non vivitur : sic itaque ad illam æternam non pervenitur, nisi duobus istis ad immortalitatem spiri- B taliter nutriatur ; et ideo bene simul in calice [c] redduntur, quia de uno calice passionis Christi hæc duo nobis ad vitam manarunt. Sed infelix est animus, qui hoc non satis credit, et tamen non dubitat quod cibo et potu vita humana sustentetur. [d] Si enim in hoc mortali cibo tanta vis inest, ut quotidie vitam labentem reparet et vires restituat, quid sentiendum de hoc immortali cibo et potu, in quo vita æterna præstatur et immortalitas [e] regnat? Veritas enim est Deus, et Christus veritas est, quia utique Deus : propterea, o homo, si veritas est, crede, caro Christi et sanguis quia vita est ; et ideo Veritas protestatur : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam in se manentem* (*Joan.* VI, 55) ; manentem utique et non [f] C labentem, quia in hac vita nemo vivit, nisi vivendo labatur in mortem. In illa vero semper in eodem statu manendo sine defectu vivitur. Igitur si quis sequitur [g] viam, tenet veritatem ; et qui tenuerit veritatem, jam vitam habet in se manentem, quia Christus est via, vita, et veritas ; unde et hoc mysterium nonnunquam viaticum appellatur, quia si quis illo fruitur in via, pervenit ad vitam, quam jam in se habet, et falsitate nulla fallitur, quia veritate Dominici corporis et sanguinis ad vitam illustratus [h] vegetatur.

[a] Editi, *qui immortales facit.*
[b] Al., *nominantur.*
[c] Quatuor mss., *creduntur.*
[d] Hic incipit in codice Laub. cap. LXX. *Exemplum de cibo mortali ad mortalem.*
[e] Ita omnes mss. Mamer. et Sirm. expungunt *regnat.*
[f] Tres ms., *labantem.*
[g] Editi, *si quis sequitur vitam.*
[h] Vatic., *illustratur vegetatus.* Mam. et Ulim. cum duobus mss., *illustratur et vegetatur.*
[i] In cod. Laub., cap. LXXI.
[j] Editi, cum duobus mss. adunt *generaliter.* In mss. vero Maj. mon. sic effertur hic titulus : *Generaliter nunc jejuno* [forte *a jejuno*] *mysterium sacræ communionis celebratur.* Omissis quæ sequuntur, quæ etiam in codice Rothomagensi S. Audoeni omittuntur.
[k] Vatic., *ut hora ipsius sacrificii.*

CAPUT XX [i].

Quare [j] *nunc a jejunis mysterium sacræ communionis celebratur, cum Dominus post cœnam apostolis hoc tradiderit.*

1. Sacramentum ergo fuit, quod Dominus post cœnam apostolis hoc tradidit. Sic enim illud impleri oportebat circa finem diei ad vesperam, ut hora [k] ipsa sacrificii ostenderet jam finem sæculi advenisse, unde Joannes : *Filioli mei,* [l] *novissima hora est* (*I Joan.* II, 8). Porro apostoli ideo jejuni jam non erant, quia necesse fuit ut pascha illud typicum prius compleretur, deinde ad verum paschæ sacramentum transirent. Hoc enim in mysterio tunc factum est, ut et umbra finem acciperet, veritate ostensa, et ipsi deinde ad veram mox transirent novitatem. Ex quo factum quod jejuni corpus et sanguinem primitus minime percepere. Cæterum universaliter [m] in Ecclesia omnes cum summa religione jejuni communicare consueverunt. Sic enim placuit Spiritui sancto per apostolos [n] ut in honorem tanti mysterii primitus corpus Christi et sanguis sobrie acciperetur, quam cæteri cibi, et ideo per omnem Ecclesiam Christi mos iste satis decenter ac provide inolevit. [o] Neque observandum, sicut apocryphorum munimenta decernunt, donec ea digerantur in corpore, ne communis cibus accipiatur, sed satis invigilandum, ut antea se quisque præparet, et post acceptam gratiam nullus indignum se reddat. Spiritaliter enim hæc accipienda sunt et non carnaliter.

2. Licet igitur [p] caro in carnem, et vinum convertatur in sanguinem, veluti [q] a natura probatur, tamen altius hæc consideranda sunt, ubi non modo caro aut sanguis Christi in nostram [r] convertuntur carnem aut sanguinem, verum nos a carnalibus elevant et spiritales efficiunt [s]. Hoc sane nutriunt in nobis quod ex Deo natum est, et non quod ex carne et sanguine. Dedit itaque nobis Christus potestatem filios Dei fieri, verumtamen non ex voluntate [t] carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascimur (*Joan.* I). Illa [u] ergo nativitas nostra, quæ ex Deo est, utique spiritalis [v] est, quia Deus spiritus est, et ideo hæc mysteria non carnalia, licet caro et sanguis sint, sed spiritalia jure [x] intelliguntur. Unde longe inferius vita nostra ista temporalis corporeo

[l] Editi, *jam novissima hora est.*
[m] Flor., *universa in Ecclesia.*
[n] Editi addunt *ordinare*, quod exsulat ab omnibus mss.
[o] Hic in codice Laub. incipit cap. LXXII, cum hoc titulo : *Non observandum in hoc quod quidam dicunt, commisceatur ille cibus divinus cum isto mortali, donec digeratur.*
[p] Ulim. cum Anic. Laudun. et uno S. Germ. : *Licet enim panis in carnem.*
[q] Mamer. cum uno mss., *velut si a natura probatur.*
[r] Flor., *non vertuntur.*
[s] In Laub. hic incipit cap. LXXIII : *Quod non nutriat cibus divinus nisi quod ex Deo est, digeratur.*
[t] Tres mss., *non ex voluptate.*
[u] Cod. Major. mon., *in illo ergo.*
[v] In cod. Major. mon. repetitur *spiritualis.*
[x] Al., *jure creduntur.*

Introdusă în format electronic de Google

isto communi alitur cibo et potu, longe vero excelsius ac præeminentius vita illa quæ absconsa est cum Deo, qua conformes illi et configurati sumus, illo saginatur cibo et potu, quem in Scripturis et de altari accipimus, et transvehit nos ad spiritalia, ut ibi vivamus [a] exinde, ubi vita nostra [b] servatur æterna [c]. Ac per hoc qui sic accipit, digne accipit, et qui digne illud acceperit, habet jam vitam æternam in se manentem.

3. [d] Frivolum est ergo, sicut in eodem apocrypho libro legitur, in hoc mysterio cogitare de [e] stercore, ne commisceatur in digestione alterius cibi. Denique ubi spiritalis esca et potus sumitur, et Spiritus sanctus per eum in homine operatur, ut si quid in nobis carnale adhuc est, transferatur in spiritum, et fiat homo spiritalis, quid commistionis habere poterit? Quantum igitur distat vita illa æterna ab ista mortali vita, tantum et iste cibus omnino præeminet ab illo communi, quo simul nobiscum etiam animalia vivunt, et ideo communis appellatur, quia omnium est, bonorum scilicet et malorum, necnon et animalium; [f] at vero iste nonnisi filiorum Dei est cibus, ut [g] inde alantur unde vivunt : Christo enim vivimus, cujus et membra sumus. Dispensative satis provisum est, ut ex illo interdum pascamur, quatenus per hoc cum illo et in illo unum corpus inveniamur. [h] Verumtamen quod jejuni communicamus, satis provide fit, ut dum sobrietas flagrat in corpore, dum omnis fervor carnis quiescit, et [i] omnes animi sensus ad [j] intelligentiam et discernendi rationem fortius vigent, illo prius cibo interior noster homo inebrietur, quatenus deinceps quod præeminet in nobis vegetatum cœlesti dulcedine, illud [k] regat et gubernet, quod inferius est, nec ad noxia et superflua se relaxet. Dignum igitur fuit, ut quod sublimius est, majori honore potiretur, deinde quod inferius, et tamen necessarium, [l] indulgentiam istius vitæ perciperet, prius tamen ad cœlestia et æterna utroque [m] felicius invitato. Hæc est namque vera et nova conspersio sinceritatis et veritatis, ut simus azymi sine fermento malitiæ et nequitiæ. [n] Nam in calice nihil aliud bibimus quam Christi sanguinem, ubi et nos per aquam admisti [o] couniti sumus : in pane vero nihil præter corpus, ubi nos per Christi conspersionem [p] jam membra sumus; quæ nimirum conspersio per aquam sancti Spiritus fit, de qua Christus in Evangelio (*Joan.* VII, 38) : *Qui credit*, inquit, *in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et continuo evangelista : *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hæc igitur conspersio de multis granis fecit unum corpus, corpus, inquam, sinceritatis et veritatis, si tamen sumus azymi, id est, absque fermento malitiæ et nequitiæ, [q] ut digne hunc panem de hac aqua conspersum accipere possimus. O mira Dei omnipotentis dispensatio, qua [r] tantis instruimur disciplinis et firmamur exemplis, si non sit mens ingrata de tantis beneficiis, et dubia de tam immensis promissis. Idcirco, o homo, serva conspersionem gratiæ, quia licet triticum sis, nisi doctrina et virtute Spiritus sancti ad hanc unitatem et conspersionem fueris bene in farinam attenuatus, deindo conspersus gratia et igne charitatis decoctus, non poteris ad soliditatem fidei firmari. Propterea [s] sit tibi semper mola superior spes promissionis, et mola inferior timor perfectæ charitatis, quibus duobus bene attenuatus possis Spiritus sancti gratia in Christi corpore uniri. Patet igitur quod hæc mystica sunt, et ideo, fili, sic ista debes cogitare, quasi cœlestia; sic contingere, quasi divina; sic accipere ut salutaria, in quibus vita æterna repromittitur; sic credere, ut dicuntur; deinde sic vivere, ut in Christo semper veritate et sinceritate conspersus membrum ejus inveniaris.

CAPUT XXI [t].

Quid sit quod Dominus ait : Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei.

1. (*Hier.*) Ex hoc ergo loco quidam mille annorum fabulam astruunt, [u] quod Christus corporaliter [v] sit regnaturus, quando et hæc nova corporaliter debeat comedere vel potare, quæ usque ad consummationem sæculi non se facturum, ut aiunt, denuntiavit

[a] Mamer., *vivamus ex fide.*

[b] Al., *ubi nostra servatur æternitas.*

[c] In editis et in cod. Major. mon. desiderantur hæc verbas *ac per hoc qui sic accipit, digne accipit.*

[d] In cod. Laub. incipit hic cap. LXXIV : *Frivolum est quod quæritur utrum in stercora.*

[e] Heribald. Autisiod., et Raban. Mogunt. antistit. in fœdam Stercoranistarum hæresim declinasse contendit Jacobus *de Sainte-Beuve* in singulari dissertatione quæ penes me est manuscripta. Utrumque ab ea purgat Mabillonius in præfatione ad sæculum IV Bened. part. II, pag. 32 et seq.

[f] Hic in cod. Laub. incipit cap. LXXV : *Quod iste cibus non nisi filiorum Dei sit.*

[g] Vatic. et Laub., *ut unde aluntur, inde vivant.*

[h] In cod. Laub. hic incipit, cap. LXXVI : *Quare jejuni communicamus.*

[i] Editi, *et omnis animi sensus.*

[j] Mam., Ulm. cum quatuor mss., *intelligentia et discernendi ratione.*

[k] Tres mss., *illud servet et gubernet.*

[l] Ulm. cum sex mss., *indulgentia*; duo mss., *indulgentias.*

[m] Hic variant mss. Sex legunt : *Utroque felicius invitati.* Septem, cum Mamer., *felicius invitati* expuncto *utroque.* Duo, *felicius invitatum.*

[n] Hic in cod. Laub. incipit cap. LXXVII : *Quod non in calice aliud sumimus, nisi sanguinem.*

[o] Vatic., *admisti communiter sumus*; duo regii, *ad mysticum couniti sumus*; tres mss., *admisti, communiti*; Flor., *per aquæ admistionem uniti sumus.*

[p] Ulm. et Sirm., *ejus jam membra sumus* : sed a mss., exsulat *ejus.*

[q] Duo mss., *ob quod digne.*

[r] Ulm. et Sirm., *quantis instruimur disciplinis.* Vatic., *per quam tantis instruimur disciplinis.* Mam., cum septem mss., *qui tantis instruimur disciplinis.*

[s] Editi cum ms. Maj. mon. : *Propterea sit tibi semper mola inferior timoris et superior perfectio charitatis.* Mem. et Ulm., *perfectæ charitatis.* Reliqui omnes mss. nostram præferunt lectionem.

[t] Laub. cap. LXXVIII.

[u] Anic. et duo Colb. addunt *dicentes.*

[v] In tribus mss. desiderantur hæc verba : *Sit regnaturus, quando et hæc nova corporaliter*, lapsu, ut videtur, librariorum.

Introdusă în format electronic de Google

Nos autem catholice sensum ipsius Domini requirentes, non hæreticorum nænias sequamur, sed ejus qui ait : *Accipite et comedite ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum :* et calicem illum esse dicamus, de quo idem : *Hic est calix meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* De quo nimirum calice propheta ait : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 13). Per quem utique calicem passio Domini designatur. [a] Unde idem ad Patrem : *Pater*, inquit, *transfer a me calicem istum* (*Luc.* XXII, 42), scilicet mortis passionem, ne per manus Judæorum fiat ; ac deinde, *Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (*Matth.* XXVI, 42). Propter quod et mos bene inolevit, ut sanguis Christi nunquam in catino, nunquam in cratere, neque in alio vase, quam in calice consecretur ; sed neque alio nomine, ut fieri solet in aliis quibusque vasis, nisi semper juxta proprietatem linguarum calix vocatur, ut exinde omnibus calix passionis Christi ad memoriam reducatur. Ex quo nimirum calice, id est, ex eadem morte sanguis, et per sanguinem vita hauritur æterna, quem cum bibimus, quid aliud quam mortem Domini annuntiamus ? Idcirco necesse est, ut unusquisque prius moriatur huic sæculo, quia sicut nemo nisi consepultus [b] mortem recte annuntiat, ita nemo exinde vitam sumit, nisi resurgens in novitate vitæ ambulet, et jam in Christo maneat. Unde si volumus eam cum Christo percipere, sursum in cœnaculum vitæ ascendamus, utique in cœnaculum magnum et stratum, quia nisi magnum sit, non omnes capit. [c] Ascendamus autem sursum, quia qui deorsum jacent, non [d] ista cum Christo, sed fel draconum infeliciter cum Juda, ut sint in felle amaritudinis, bibunt. Hinc quoque Paulus ait : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III, 2). Non enim alibi hic calix Novi Testamenti quam sursum accipitur ; et quia Novi Testamenti est, nonnisi ab innovatis qui sunt sine vetustate peccati communicatur. Novi autem Testamenti ob distinctionem Veteris dicit : De quo Moyses cum aspergeret populum de sanguine holocaustorum, medium ejus in crateras, et medium effudit super altare, et ait : *Hic est sanguis testamenti quod mandavit Dominus* (*Exod.* XXIV, 8). Sanguis [e] tantum testamenti, quia figura erat et umbra hujus mysterii, per quod testatus est Dominus daturum se nobis, cujus nimirum sanguine populus aspersus est Christianus, et medium [f] ejus passim per crateras refunditur, quia mysticum est et morale ex Scripturis quod in eo percipimus. Deinde medium ejus super altare pro multorum exhauriendis peccatis ; unde nunc salutis potum sumimus, quoniam et sapientiam doctrinæ ex illo habemus, et redemptionis pretium inde pro nobis offerimus.

2. Ergo quod tunc ille pro nobis semel fecisse legitur, hoc nos, ipso jubente, quotidie facimus. Necnon et Salomone legimus, quod sapientia miscuerit [g] in crateras vinum suum ; quod sane vinum illa moralis intelligentia est, de qua inebriantur animæ fideles ; et illud quod refunditur ad altare, quando dicitur : *Jube hæc perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum divinæ majestatis tuæ ;* ideo fit, ut sanguis Christi inde pro nostris exhauriendis quotidie delictis rursus in pretium sumatur redemptionis, et interior homo noster per hoc plenius innovetur, et [h] conjungatur Christo non modo moribus et vita, verum etiam et in unitate naturæ per corpus hinc inde, ut in illius forma inveniamur. [i] Neque enim hic sanguis integre percipitur, nisi [j] et moraliter mentem inebriet, et spiritaliter de altari corporis Christi ob renovationem nos refundat : ubi profecto Christus convivium et conviva noster simul esse voluit. Per hoc ergo quod nos [k] corpus ejus sumus de carne et de ossibus ejus, ille nobiscum illud bibit novum in regno Patris, quia sanguis est Novi Testamenti. Nos vero quia corpus ejus sumus, et ille in nobis ut caput regnat, regnum Patris jure vocamur, in quo nimirum Christus jam illud bibit novum, quoties fideles infra Ecclesiam istud digne percipiunt. (*Hier.*) Sicut enim patitur in suis, et esurit, et sitit, et vestitur, ac suscipitur ; sic quoque bibit illud novum in regno Patris, id est, in Ecclesia, quoties eum digne sui aut comedimus aut potamus. Nam de vinea illa, quæ fecit labruscas, fel [l] amaritudinis potatur, quod est calix passionis. Cæterum in regno adoptionis de genimine vitis novæ bibit, et de vinea Sorech, quæ interpretatur *electa ;* rubentia enim musta in eo prælo crucis eliquantur, et dum quotidie Christi sanguinem de altari sumimus : idcirco quoties novum ex hoc vinum bibimus, in regno [m] Patris Christus illud se bibere fatetur, cujus [n] nos membra sumus, etiam qui bibimus. Hinc ergo convivium nostrum dicitur, quia Pascha nostrum immolatus est Christus ; conviva [o] vero [p] eo quod cum illo epu-

[a] In cod. Laub. incipit hic cap. LXXIX : *Quid sit :* Transfer calicem istum a me.

[b] Octo mss., *sepultus.* Quidam omittunt *recte.*

[c] Hic in cod. Laub. incipit cap. LXXX : *Quam grave sit communicantem in imis jacere.*

[d] Editi, *non musta cum Christo.*

[e] Editi expungunt *tantum.*

[f] In cod. Anic. desiderantur hæc verba : *Ejus passim per crateras refunditur, quia mysticum.*

[g] Anic., *miscuerit in terra vinum suum.*

[h] Editi, *et conjungatur.*

[i] In cod. Laub. hic incipit cap. LXXXI : *Quid sit : Cum illud bibam novum in regno Dei.*

[j] Put. et duo Colbert., *nisi et immortaliter mentem inebriet :* Recens S. Germ. cod. hunc locum sic legit : *Nisi et immortaliter de altari corporis Christi ob renovationem nostram refundatur.* Mam., *nisi et mortaliter*, etc.

[k] Ms. Major monast., *semper corpus ejus sumus.*

[l] Ita cod. S. Audoeni : alii legunt *felle amaritudinis.*

[m] Editi, *in regno Dei.* Laub., *in regno* expuncto *Dei* seu *Patris.*

[n] In uno ms. desunt hæc verba : *Cujus nos membra sumus, etiam qui bibimus.* In Vaticano autem post hæc verba, *cujus nos membra sumus*, desiderantur ea quæ sequuntur usque ad *ex quo se*, etc.

[o] Editi, *convivæ*, repugnantibus mss. qui constanter legunt *conviva.*

[p] Ms. S. Audoeni, *qui cum illo epulamur.*

Introdusă în format electronic de Google

lamur, transformati in novitatem, quia corpus ejus sumus, ex quo se in regno Patris illud novum bibere testatur : alioquin eum in illo regno futuro hunc potum corporeo gustu et escam hanc nec [a] recte bibiturum nec perceptorum credimus; sed sicut ipse [b] sacerdos et auctor salutis instituit, ex quo renovati sancti apostoli per adventum sancti Spiritus de cœlis, et inebriati sunt musto charitatis : ex eo sane credimus hunc calicem in Ecclesia consecratum, quod [c] ille Spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vetustate, induxerat eos in omnem veritatem, et confirmaverat in plenitudinem doctrinæ. Profecto ubi jam sicuti a Christo, ita sane ab eis et deinceps in novitate spiritus consecratur. Aliter autem *meus cibus est*, inquit (*Joan.* IV, 34), *ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et impleam* [d] *opus ejus.* (*Hier.*) Ergo dum facimus voluntatem Patris, et impletur [e] opus charitatis, Christus utique nobiscum bibit in regno Ecclesiæ suæ sanguinem suum, quia ille caput, et nos membra sumus. Hunc utique cibum Jacob patriarcha esuriebat, dicens : *Si fuerit Dominus mecum, et dederit mihi panem ad edendum, et vestimentum ad induendum* (*Gen.* XXVIII, 20).

3. Quotquot ergo in Christo baptizantur [f], Christum induunt, et panem comedunt angelorum [g]; in quo nimirum mysterio benedixit Isaac eumdem Jacob filium suum, quasi nulla alia esset benedictio quam frumenti et vini, scilicet in pane carnis Christi, et in potu sanguinis, quæ de agro corporis [h] nobis quotidie per officium sacerdotis maturescunt, bibimus [i], et comedimus. Hinc quoque idem ait : *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine* [j] *terræ abundantiam frumenti et vini* (*Gen.* XXVII, 28). In rore quidem cœli, quia hæc mysteria divinitatis ope conficiuntur. De pinguedine vero terræ, quia caro Christi de Virgine orta creditur : ubi procul dubio [k] plebi Christianorum plenissima præstatur, abundantia panis et vini [l], in quibus sine dubio vita fruitur angelorum.

4. Nec [m] igitur, charissime fili, istam parvipendas vitam, ubi tanta redolent sacramenta. Habes quam a longe tantus patriarcha sensit in filio fragrantiam hujus mysterii; ait enim : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27). Quia profecto in isto agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus immarcessibilibus, et redolet suavitatem [n] odoris, *quem qui invenit homo, vadit et vendit omnia quæ habet, et emit agrum istum* (*Matth.* XIII, 44) : ubi [o] thesauri omnes sapientiæ atque scientiæ contemplantur. De quo sane agro panis vitæ carnis [p], et potus sanguinis, credentibus quotidie exuberat, et a fidelibus messuitur [q]. In quo utique verus Jacob benedicitur, et dominus fratrum suorum constituitur; quia nimirum sine isto nulla rerum alia proficit benedictio unde beatus. Idem, Esau ferus venator ad benedicendum cum tardior occurrisset, benedictione hac jam fratri indulta, ait : *Venit germanus tuus fraudulenter* : ac deinde : *Frumento et vino stabilivi eum* (*Gen.* XXVII, 35, 37) : quod est aperte dicere, Firmavi eum pane corporis Christi et vino sanguinis, in quibus æterna [r] illa maneat abundantia. *Tibi autem, fili, ultra quid faciam* (*Ibid.*) [s]. Quid igitur? tantus et talis Dei cultor si nihil invenit filio ultra quid præbat, nisi eadem illi votis imploret? Putasne, quod absit, si fueris indignus tanta gratia, ullis quod polleas bonis, ultra quam nihil amplius in hac vita præstatur, aut forte ideo parvipendes, quia in ore non tibi sapit, quod in spiritu ille longe præsenserat in eo, et frui desiderabat? Sed et hoc licet in spe refectus olim Abraham fuerat, ideo benedictus Deo excelso dictus est. Quia denique benedictione post eum Deus Isaac perfuderat, propterea et ipse filium suum Jacob eisdem ditabat [t] bonis, et prophetali eloquio implorabat quod omnibus erat repromissum.

5. Magnum igitur bonum et summæ benedictionis arcanum in hoc [u] mystice Christi Ecclesiæ præparatur, ubi Christus est conviva deliciarum et convivium. De hoc quippe bono Zacharias olim repromisso admirans ait : *Et quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* (*Zach.* IX, 17.) [v] Ubi notandum quod non nisi electorum est cibus, ex quo bonum salutis Ecclesiæ, et pulchritudo decoris præstatur. Quia etsi quotidie sordescit, exinde reparatur, ut sponsa Christi sine macula et ruga talibus inveniatur respersa muneribus; alioquin dum quotidie peccamus, licet in

[a] Ulim et Sirm. expungunt *recte*.
[b] Vatic., *sicut ipse præceptor et auctor*.
[c] Editi et Flor., *quoniam ille spiritus*.
[d] Editi addunt *qui in cœlis est* : quæ verba desunt in omnibus mss.
[e] Vatic., *et impletur a nobis*. Tres. mss., *et implemus opus charitatis*.
[f] Tres mss., *baptizamur, Christum induimus, et panem comedimus angelorum*.
[g] Hic incipit in codice Laub., cap. LXXXII : *Quare Isaac benedictionem dederit Jacob frumenti et vini*.
[h] Colb. et Anic. addunt, *Christi*; Flor., *Christi ejusdem*.
[i] In editis desideratur *bibimus*.
[j] In quatuor mss. desideratur *terræ*.
[k] In editis deest *plebi*.
[l] In tribus mss. *in* non comparet.
[m] Editi, *Ne igitur, charissime fili, ista parvipendas, ubi vitæ tanta redolent sacramenta*, sed nostram lectionem retinent septem mss.
[n] Editi, *suavitate*.
[o] Al., *Ubi thesauros omnis sapientiæ et scientiæ contemplatur*.
[p] Editi, *id est carnis*.
[q] Hic incipit in cod. Laub. cap. LXXXII : *Quod sine hoc sacramento nulla alia proficit benedictio*.
[r] Editi, *in quibus illi æterna manet abundantia*.
[s] In cod. Laub. incipit hic cap. LXXXIV : *Quod si quis ingratus divina respuat corporis et sanguinis Christi mysteria, nihil sit quod illi in hac vita melius tribuat Deus*.
[t] Editi, *di abat donis*.
[u] Mam., *in hac mystice Ecclesia præparatur*. Maj. mon. ms. cum altero S. Germ., *in hoc mysticæ Ecclesiæ præparatur*.
[v] Hic in cod. Laub. incipit cap. LXXXV : *Quod non sit nisi electorum cibus*.

Introdusă în format electronic de Google

minimis, quomodo sine macula esse possumus? Non est ergo immaculata quam nævi obscœnitas dedecorat. Sed quia per hæc purgatur jugiter, pulchrum ejus est hoc corpus, ex quo jam speciosa per lavacrum amplius pulchrescit, ut candore lilii et rubore sanguinis in hoc mysterio decoretur. Bonum quippe, ut ad vitam æternam proficiamus, pulchrum vero, dum immortalitatis gloria vestimur, ut et interius fruamur vitæ dulcedine, et exterius fulgeamus nitidius de tanti beneficii gratia. *Et vinum*, inquit, *germinans virgines*. Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur. [a] Nam in hoc nostri germinis vino castitas corrumpitur, ab isto vero virgines procreantur; et ideo jure omnis Ecclesia Christi virgo nominatur, quia, isto repleta vino, nullum præter Christum amare novit, [b] nullum esurire alium, nullumque sitire, quoniam summum ejus bonum est, et summa pulchritudo vestis illa contexta desuper ex vellere Agni, quæ nuptialis alibi appellatur. Sed et charitatis vino ebria jure omnis anima, quæ Christi potatur sanguine virgo dicitur.

6. Habes, charissime, sanctorum vitæ bonum, quod [c] nullum est aliud; habes pulchrum venustatis, quo tuas infantiæ abluas fœditates. Exerce te in castitate, quoniam hic sanguis nihil magis diligit, quam in Christo virgines; virgines, inquam, sed prudentes et pudicas, quia sunt et fatuæ intus in animo, non habentes oleum secum [d] Spiritus sancti. Quod [e] profecto si quis non habuerit, hic non est Christi. Nam neque frumentum carnis sine vino sufficit sanguinis, neque caro aut sanguis sine oleo Spiritus sancti prodest nobis, imo magis officit. [f] Ideo quisquis recte vult communicare, sic vivat necesse est, ut templum Spiritus semper esse queat; quia *si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (*I Cor.* III, 17). Hinc quoque Paulus : *Nolite contristare Spiritum sanctum in quo signati estis* (*Eph.* IV, 30); profecto quia sine illo nulla Christi gratia habetur. Propterea et Joel cum pœnitentibus veniam repromitteret, *respondit Dominus*, inquit, *et dixit populo suo : Ecce ego mitto vobis frumentum, vinum, et oleum, et replebimini in eo* (*Joel.* II, 19). In eo utique replebimini, licet tria promiserit, quia caro et sanguis per eumdem Spiritum sanctum consecratur, alioquin [g] mihi nec caro est, nec sanguis, sed judicium quod percipio, quia sine donante [h] nullum male præsumentibus donum ex Deo præstabatur. Nam idem et Spiritus donum dicitur, si septem ipsius dona dicantur, quibus [i] Christus et Ecclesia repletur. Sed ille ad plenum hæc omnia donorum possidet; Ecclesia vero per partes individue, sicut eidem placuerit qui se dividit in singulis et impertitur omnibus. In eo tamen divinitus adimplemur, quia sine illo anima cujusque vacua invenitur. Ideo hunc semper oremus, hunc desideremus jugiter, ut ejus repleatur bonis desiderium nostrum, et semper ab illo renovetur, ac si aquilæ, juventus nostra (*Psal.* CII).

7. Liquet ergo quod [j] sine illo nihil est quod habetur, nihil quod percipitur : eo quod omnia dona virtutum hoc uno [k] claudantur. Idcirco [l] si volumus cœlestibus ditari donis, donum Patris ac Filii, id est Spiritum sanctum [m] qui ab eis consubstantialis procedit et coæternus, ardenti animo petamus, ut per eum [n] charitas in cordibus refundatur nostris, atque in ipso renascentes, quotidie ad vitam sanctificemur; quia quoscunque ille sanctificaverit sui roris aspersione, eos profecto Patrem et Filium inhabitare credimus. Hinc idem Filius ait : *Ego et Pater* [o] *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23); non quasi prætermisso Spiritu sancto, sed signanter insinuans quod ad eos tantum Pater et ipse veniant [p], quos idem suæ præventu aspirationis sanctificaverit Spiritus, licet in omnibus sibi semper cooperatrix sit tota Trinitas. [q] Qua de causa sicut nihil in hac vita felicius bono Christiano, ita nihil illo periculosius, si desertus a tanta gratia fiat membrum meretricis [r]. Et ideo, charissime, castum te custodi, quia hoc munus quo virgines generantur, nimirum non modo carnis luxuriam, verum etiam mentis exsecrat [s] desidiam, et omne quod est, unde noster [t] interior homo possit maculari. Quo velim, quia ordinante Deo jam sacris assistis altaribus, lava inter innocentes, non cum Pilato

[a] Hic incipit in cod. Laub. cap. LXXXVI : *Quod in vino nostri germinis castitas corrumpitur, ab isto virgines procreantur.*

[b] Cod. Maj. mon., omisso *nullum esurire*, subjicit *nullum sitit.*

[c] Ms. Maj. mon., *quod nihil aliud est.* Al., *quod nullum est aliud simile vel melius.*

[d] Al., *secum a Spiritu sancto.*

[e] Ita Colb. unus codex, et bene, nam refertur ad *oleum :* alii mss. *Quem profecto.*

[f] In cod. Laub. hic incipit cap. LXXXVII : *Quomodo vivere debeat qui communicare debet.*

[g] Mamer. et Ulim. cum Anic. Majoris mon. et S. Aud., *alioquin malo nec caro nec sanguis, sed judicium quod percipitur* sive *percipit.*

[h] Editi cum ms. Maj. mon. addunt *Spiritu*, quod ab omnibus mss. exsulat.

[i] Duo mss., *quibus Christus Ecclesiam replet.*

[j] Quatuor mss., *quod sine dubio absque illo nihil est quod habetur.*

[k] Ms. Maj. mon., *hoc uno dono claudantur.* Anic., *hoc uno laudantur.*

[l] Tres. mss., *Idcirco si volumus cœlestibus acquiramus nobis donum Patris et Filii, Spiritum sanctum.*

[m] Deest apud Sirm. *id est Spiritum sanctum.*

[n] Colb. unus, *per eum charitatis donum.*

[o] Tres mss., *Ego et Pater unum sumus, et ad eum veniemus.*

[p] Quatuor mss., *veniens*, forte *venient.*

[q] In codice Laub. hic incipit cap. LXXXVIII : *Quod nihil felicius bono, nihil infelicius malo.* Textus vero sic : *Qua de causa sit quod sicut nihil.*

[r] Hic item incipit in codice Laub., cap. LXXXIX : *Quod gravius sit, peccatis sordescentibus, si impudenter ad communionem accedant.*

[s] Editi, *exsecratur;* sed mss. fere omnes, *exsecrat.*

[t] Quatuor mss., *unde noster exterius homo.*

Introdusă în format electronic de Google

manus, quia nulla excusatio prodest, ubi testis est conscientiæ [a] judex, et si [b] probaveris te primum, tum de pane illo ede, et calice securus bibe. Sin autem, da [c] honorem Deo, et corrige quantocius pœnitudine [d] cordis maculam erroris, si quo modo valeas demum Christi altaria circumdare piis amplexibus, et ad sancta sanctorum mente pura devotior [e] introire; alioquin gravius est in sordibus adhuc sordescere, et ad illicita Dei mysteria, contempto Deo, impudenter accedere.

8. [f] Hæc igitur ob cautelam tui dixerim, dilectissime fili, quia novi plerosque veluti sues immundas [g], qui sub obtentu pœnitentiæ redeunt ad volutabra tanto proclivius vitiorum, quanto facilius ad hæc sine præjudicio reatus sui accedunt, ista pedibus calcare; quin et quia semel eos Dei patientia sustinuit, dum indigni [h] vitæ mysteria præsumerent [i], ulterius ea quæ dicimus vera [j] malunt credere. Verentur enim coram humanis obtutibus suam verecundiam portare, quam coram majestate divina et omnium supernorum [k] civium præsentia temeritatis incurrere offensam. Quibus profecto cordis induratio, cum nec se corrigunt, nec Dei visitantur pietatis verbere, jam pœna peccati est et contemptus superbiæ; sed Dominus quia eos continuo non punit, ut prætulimus, nunquid non curat, aut suas injurias itatenus inultas obliviscitur? Nequaquam hoc dixerim, præsertim cum idem videat, et ad iracundiam exinde amplius concitetur, eo quod provocent eum filii sui ac filiæ in iram, quos angelorum gratis sociaverat mensæ. Hinc quoque est quod sequitur : *Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum* (*Deut.* XXXI, 17).

9. [l] De quorum manifesta damnatione etiam Apostolus terribilem infert sententiam, dicens : *Irritam quis faciens legem Moysi, si sine ulla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcavit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et in quo sanctificatus est, Spiritui gratiæ contumeliam fecerit* (*Hebr.* X, 28). Filium itaque Dei conculcare non immerito dicitur, qui radicem omnium virtutum charitatem, per quam etiam ipse unigenitus Dei homo fieri dignatus est, negligenter pessumdat; ac sic fraterno repletus odio, antequam illi in pace reconcilietur, hæc sacrosancta sacrificia offerre præsumit. Sed ejus munus ab omnipotenti Deo non accipitur, nisi ante proximi discordia ab animo pellatur, dicente Veritate : *Si offers munus tuum ad altare et recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeras munus tuum* (*Matth.* V, 23). Qua in re pensandum est, cum omnis culpa hujus hostiæ munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, per quam nec munus accipitur. Debemus itaque, antequam hoc offeramus, ad proximum, quamvis longe positum, longeque distinctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare; et ita scilicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvit. Veritatis autem voce attestante discimus (*Matth.* XVIII, 24), quia servus qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit. Sed quia conserve suo centum denarios sibi debenti debitum non dimisit, et hoc est jussus exigi quod ei fuerat jam dimissum, et in carcerem trusus est. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, et illud rursus exigimur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Ille igitur sui delicti bene veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquitur relaxat; quod quicunque facere spernit, si divinam hostiam tractare temere præsumpserit, Dominicum corpus conculcare dicitur, non quod ab ullo mortalium conculcari possit; sed quia male tractanti potius in conculcationem convertitur, sanguinemque testamenti, novi videlicet et æterni, polluere non inconvenienter dicitur, quicunque sociam angelorum castitatem spernens immundæ luxuriæ sordibus inquinatur; et sic antequam per humilem confessionem, ac dignis fructibus pœnitentiæ, seu largis lacrymarum fluminibus abluatur, ad hujus mensæ participationem indignus præsumit accedere. Spiritui etiam sancto gratiæ quam maximam videtur contumeliam facere, quicunque terrenam panis ac vini substantiam, dum ejusdem Spiritus virtute et consecratione sanctificatur, in ipsam eamdem carnem et sanguinem, quam beata Virgo ejusdem Spiritus virtute et operatione concepit et peperit, dubitat posse converti. Unde autem veniam peccaminum consecuturus est, qui Spiritus sancti, qui remissio omnium peccatorum est, iram contra se accendit, dum dubitat eum aliquid non posse operari? Quam gravi itaque pœna isti tales Dominicum corpus et sanguinem male tractantes plectendi sunt, luce clarius patet, dum ab Apostolo graviora mortis supplicia promereri judicantur.

Propter quod et sæpe hi tales interdum proponunt se ad horam in melius converti cum summa

[a] Mam. cum sex mss., *conscientia judex.*

[b] Editi, *et cum probaveris te purum*; sed mss. omnes nostram lectionem retinent.

[c] Cod. reginæ Sueciæ et duo regii, *da honorem tantis mysteriis.*

[d] Editi, *plenitudine*; mss. omnes, *pœnitudine.*

[e] Al., *ditior.*

[f] Hic in cod. Lamb. incipit cap. XC : *Deploratio immunde viventium communicare præsumentium.*

[g] Mss. fere omnes, *veluti sues immundæ.*

[h] Mss. quinque, *indigne.*

[i] Vatic. et Flor., *temerarent.*

[j] Vat., *vera nolunt credere.*

[k] Mam. et Sirm., *supernorum præsentia.* Ulm., *supernorum spiritum præsentia.* Mss. Maj. mon., *supernorum sanctorum præsentia.*

[l] Ausulis inclusa suppleverunt reginæ Sueciæ codex 1554, et codex regis Christianissimi 4070.

Introdusă în format electronic de Google

deliberatione mentis, sed iterum tentationis impetu pejus ruunt. Idcirco, tu si vis salvari et his ad vitam frui, velim sic te agas, ut Deum præsentem semper ubique intelligas, et sic coram ipso verseris, ut in nullo majestatis ejus oculos offendas, quia si quis se putat ab eo uspiam delitescere, noverit eum omnino quod offensum non effugiet, qui ubique virtute pollet, sed apud eum omnia recondita quæ gessit; et signata in thesauris ejus inveniet.

CAPUT XXII [a].

Si *ulla differentia sit in hoc mysterio justo et vœnitenti reconciliato.*

1. Patet igitur ex lege divina, licet Christus immoletur agnus in Ecclesia, quod pro [b] differentia meritorum, hæc et [c] præmia tribuantur; unde Dominus in Exodo cum de Pascha loqueretur : *Decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Erit autem*, inquit, *agnus absque macula, masculus, anniculus, juxta quem ritum tolletis et hædum* (*Exod.* XII, 3). Ubi Septuaginta : *Erit vobis agnus immaculatus. De agnis*, inquiunt, *et hœdis sumetis eum*. Ex quo profecto liquet, quia ob differentiam meritorum ista præcipiuntur; si forte quis agnum non potuerit paupertate [d] vitæ assequi, id est vitam immaculatam offerre, saltem hædum habeat, qui semper in sacrificiis pro pœnitentibus mactatur. De quo divinæ legis interpres beatus Hieronymus ait, quod Christus in domo Ecclesiæ dupliciter immolatur : Si justi sumus, inquit, de agni carnibus vescimur; si peccatores et pœnitentiam agimus, nobis hœdus occiditur : non quod Christus hœdus sit, quem [e] a sinistris stare docuit, sed pro diversitate meritorum unicuique aut agnus aut hœdus [f] sit; alioquin ex lege cur hœdum simul cum agno juberet tolli, ob meritorum distinctionem : ubi mox : *Et servabitis eum*, inquit, *usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*. Nec tamen aperte insinuat, si de solo agno accipiendum est, quod similiter [g] de hœdo jubeat; sed ex hoc, uti moris est in Scripturis divinis, latenter ostendit, quod aliud est quod perfectum [h] perfectioribus mandat, aliud vero quod lapsis et torpentibus ad indulgentiam providet. Idcirco de solo agno quid agendum aperte instituit, de hœdo vero quasi nolens edicere pressius reticuit [i]; quoniam aliud est quod ipse ubique vult perfectius [j], aliud autem dum interdum quid indulget. Unde et alio loco de Pascha sic præcipitur : ut qui primo mense Pascha facere non potuerit, secundo faciat, id est, si cum perfectis in primo mense, quasi in prima gratia, sine mortis reatu agnum edere non potuerit, saltem secundo mense, id est in pœnitentia reatus sui, hœdum indulgentiarum percipiat. Ait enim ita : *Homo qui fuerit immundus super animam sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino mense secundo* (*Num.* IX, 10) [k]. Aliter autem si aut immundus in anima non fuerit, aut procul torpore [l] ignaviæ a templo sancti Spiritus non recesserit, et phase Domino non fecerit, *exterminabitur anima illa de populis suis omnino* (*Ibid.*, 13); quia nisi manducaverit carnem filii hominis, vitam nequibit æternam habere, quoniam sacrificium Domino non obtulit tempore suo. Et ne putares quod de his forte diceret qui sunt extra Christum, addidit *in gente vestra*, quia omnes Christiani quasi sub una generatione reputantur. Humilius est sane cum pœnitentibus hœdum, quam cum perfectioribus et sanctis Christum agnum comedere. Quod bene intelligens senior ille filius, de agro reversus, sed male contra dulcissimum patrem invidia permotus, objurgat dicens : *Tot annis servio tibi, nunquam mandatum tuum præteriens, et non dedisti mihi hœdum saltem, ut cum amicis meis epularer* (*Luc.* XV, 29). Et quam juste! quia pro peccato [m] cæcatus, mente noluit intrare intus, nec [n] corde repœnitere. Ideo prorsus ex omnibus bonis paternis, nec hœdum indulgentiarum meruit acquirere, dum vitulis repœnitenti filio juniori tenerrimus immolatur; et, quod gravius est, contumaci animo in patrem refert injurias, quas ille ex sua carnalitate ex [o] impœnitenti sibi corde contraxerat.

2. [p] Quapropter [q] post naufragium, quia secunda

[a] Laub. cap. CXI. In codice vero Vatic. hic titulus habetur : *Quod immolatio agni Paschalis ad corpus Christi pertineat*. Textum autem hujus capitis incipit : *Patet igitur ex lege divina, licet Christus immoletur, tamen agnus immolatur Ecclesia.*

[b] Mss., *providentia meritorum*. Tres mss., *prævidentia meritorum*.

[c] Ms. Maj. mon., *hæc et merita*.

[d] Editi cum ms. Major. mon., *pro paupertate*.

[e] Ita cod. S. Aud. Editi cum aliis mss., *quos a sinistris*.

[f] Mc. Major. mon., *aut hœdus fit*.

[g] Al., *quod hœdo jubeat*.

[h] Editi cum paucis mss., *profecto perfectioribus*. Mamer. vero, *quod perfectioribus in Scripturis divinis latenter ostenderet, quod aliud est quod perfectioribus mandavit*.

[i] Al., *pressius tetigit*.

[j] Editi, *perfectus*.

[k] Hic in eod. Laub. incipit cap. XCII. *Quod quem criminalia non gravant, si communicare negligit, exterminium meretur.*

[l] Mam., *Torpore viæ*. Ulim. Sirm. cum Flor. et ms. Majoris mon., *torpore vitæ*. Omnes alii mss., *torpore ignaviæ*.

[m] Ita cod. Majoris mon. Mam., *pro peccatis*. Alii mss., *profecto*.

[n] Coib. duo, *ne corde repœniteret*.

[o] Mss., sex, *impœnitens cor contraxerat*. Mam. et Ulim., cum duob. mss., *impœnitens sibi cor contraxerat*. Duo vero mss. sic legunt hunc locum : *Ex sua carnalitate vel calamitate, impœnitens, vel impœnitenti corde sibi contraxerat* : quæ lectio videtur interpolata.

[p] Hic collocari debet ex codice Laub., cap. XCV : *Quod melius sit ferventi animo pœnitentiam agere, et sic vel hœdum mystice in convivio Domini sumere, quam ab illo diutius abstinere*, quod in locum sequentis capitis transposuit librarius, qui et sequentia capita transtulit.

[q] Editi : *Quapropter naufragium quæ secunda tabula.*

Introdusă în format electronic de Google

tabula est, ferventi animo pœnitentiam agamus, nimirum quia melius est, saltem hædum mystice infra convivium Christi, ubi agnus immolatur Christus, cum fratribus epulari duntaxat; quia sumus rei et noxii, quam cum jurgio contra pium Patrem insolescere, et ob invidiam dedignari, ne ad ineffabile Patris gaudium saltem rogati veniamus. Nec dubium quin divinitus reconciliati quantocius per hanc humilitatis viam usque ad pios paternos amplexus reascendentes, in hoc cœlesti convivio, pro nobis non solum hædus indulgentiarum Christus immolabitur, verum sua benignitate agnus seu vitulus, Verbi divinitate saginatus, pro gaudio nostræ salutis mystice mactabitur; alioquin quomodo inter agnos, quos a dextris locabit, peccator, venia recepta, ovis centesima restituetur, nisi [a] gratia unitus Christi jam in eo unum corpus inveniatur? [b] Verumtamen nec mirum si in hoc mysterio Christus pro peccatoribus quasi hædus accipitur, qui in lege quam sæpe sub figura hircus [c] immolatur; unde, quia duabus constat substantiis, duo ex lege hirci simul [d] uno in loco offerri jubentur. Quorum unus pro peccatis sorte Domino mactatur, alter vero vivens assumitur, quem emissarium lex vocat, et super ejus caput omnes iniquitates filiorum Israel confitendo universa delicta atque peccata eorum imprecabantur, et sic ad eremum mittebatur, [e] portans omnia peccata filiorum Israel in terram solitudinis. Ex quo profecto liquet quod Christus in similitudine carnis peccati occubuit pro nobis, et omnia maledicta legis et peccata nostra super se tulit, et ad eremum ubi nonaginta et novem oves in deserto reliquerat, festinus revolavit. Non quod illinc hircus aut hic hædus jure credatur, sed quia pro nobis figuram carnis peccati assumpsit, et de peccato damnavit in carne peccatum, ut qui erant hædi a sinistris jure locandi, sint oves in dextris clementer restituti : sic quoque et post lavacrum idem [f] qui agnus est justis, fit et peccatoribus hædus, quatenus per hoc et ipsi justi constituantur, ut nemo a carne Christi et sanguine extraneus deputetur, nisi qui seipsum culpis exigentibus absciderit.

3. Ecce qualis est ordo : nam qui non manducat carnem Christi, neque bibit ejus sanguinem, procul dubio nec vitam habet in se manentem; et quicunque indigne comederit, non virtutem carnis, sed judicium [g] Dei sumit. [h] Porro si quis peccator est, et jam peccare desiit, licet [i] hædus, ei tamen caro Christi sacramentum efficitur, ut per hoc et ipse ad veram innocentiam redeat, et inter agnos a dextris connumeretur. Illi vero qui semper deinceps post lavacrum, protegente Deo, in corpore [j] manserunt, nullis obvoluti [k] criminibus, digne accipiunt agni carnes et potantur sanguine. Verumtamen si ita loquimur, non æstimandum quod hic aut ille aliud accipiat, quam Christi carnem et sanguinem; quia sicut nec hædus dicitur nisi dispensative, ob mysticam significationem, ita nec agnus nisi ut ille intelligatur verus advenisse agnus, qui ex lege multoties præfigurabatur, et vera mentis innocentia per eum cunctis patesceret. Cæterum quamvis hædus dicatur mihi pro qualitate meriti et obfuscatione [l] delicti, tanti est omnino pretii pro mundi vita, quanti est et caro Christi; nimirum quia nihil aliud est mihi quam caro Christi. Sed ideo rursus hædus fit pœnitenti pro mysterio, ut maledicta facinorum et peccata expiet, sicut et agnus leviora quæque. Hinc [m] et prius canitur *Agnus Dei* quam comedatur, quatenus per hoc fides incalescat, quia ipsius est caro [n] immolata pro nobis, ut tollat rursus peccata mundi. Implet autem hoc sacramentum ad expiationem pro peccatis nostris, quæ [o] demum contraximus, si nos cessemus ab his, et ita comedimus ut jubemur, in una scilicet domo, quæ est sancta Dei vivi Ecclesia, extra quam nulli fas est edere agni carnes; neque crudum quid ex his aut coctum aqua, sed assas [p] tantum igni passionis Christi cum lactucis agrestibus absque fermento, id est, ut in azymis sinceritatis et veritatis eas comedamus absque fermento corruptionis. Deinde probet se unusquisque, et ut præcipitur, sic se agat. *Renes vestros*, inquit, *accingetis* (*Exod.* XII, 11), quia hæc sunt vitæ semina quibus virgines generantur. [q] Unde constat quod nulli periculosius ea contingunt quam luxuriosi et incesti. Propterea primum hoc loco et lex castitatis in reni-

bus, quorum scrutator est Deus, per seipsum affligitur. Nam si qui uxoribus debitum reddunt in lege, non possunt ad Deum, neque ad panes propositio-

[a] Ulim. et Sirm., *nisi gratiæ Christi unitus.*

[b] Quæ sequuntur desunt in Vatic. usque ad *justis fit et peccatoribus.*

[c] Al., *immolabatur.*

[d] Editi, *simul in loco :* quæ verba desiderantur in mss. S. Aud. et S. Remigii.

[e] Ita mss. tredecim Ulim. et Sirm : *Mittebant portantem omnia peccata.* Cod. Colb. unus : *Et sic ad eremum per hominem mittebatur, portans omnia peccata.*

[f] Ita omnes mss. Editi, *idem Agnus est justis.* Laub., *idem justis fit Agnus.*

[g] Mam. et Ulim., *Judicium sibi sumit.* Sirm. *Judicium sibi manducat.*

[h] Hic collocari debet quod errore librarii inverso ordine positum est in codice Laub. cap. XCVI : *Quod qui per se innocens justis in perceptione est Agnus pœnitentibus non absque figuræ mysterio sit misericorditer, ne eos a sua communione respuat, saltem ut hædus.*

[i] Editi, *licet hædus ei sit.*

[j] Editi et Flor., *in corpore Christi manserunt.* Mss. quinque, *incorrupti manserunt.*

[k] Mss. tres, *mortis criminibus.*

[l] Mss. tres, *ob fuscationem.*

[m] Hic in cod. Laub. incipit cap. XCIV : *Quare prius* Agnus Dei *canitur, quam comedatur.*

[n] Mss. Maj. mon., *caro immolati.*

[o] Mss. S. Remigii, *quæ de mundo contraximus.*

[p] Anic., *sed assatum.* Puteanus et unus regius, *sed assum.* Mss. S. Remig. et Major. mon., *sed assas tantum igni passionis Christi.*

[q] Hic collocari debet quod librarii errore inversum est in codice Laub. cap. XCVII : *Quod nulli periculosius communicant quam luxuriosi.*

Introdusă în format electronic de Google

num, neque ad ulla legis consecrata, nisi prius saltem triduo vel eo amplius sanctificentur, accedere ; quanto magis si volumus panem illum, qui de cœlo descendit, et Agni Dei carnes digne comedere, necesse est ab omnibus peccati operibus vacare, purificationemque mentis ad Deum dirigere. Et *calceamenta*, inquit, *habebitis in pedibus ;* ne dum sumus in via istius sæculi, a serpente mordeamur ; *et baculum in manibus ;* de quo legitur in Psalmo : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4). Quibus ita præmissis, sic ait : *Comedetis illum* [a] *festinanter. Est enim phase, id est transitus Domini.* [b] Alioquin desidia [c] torpentes, et hic in sæculi actibus remorantes non digne comedunt Pascha, videlicet carnes Agni ; et ideo satis timendum talibus, ne cum Ægyptiis nocte perimuntur [d], sopore peccati premantur. Vastantur enim ab angelo, quorum mentes Agni sanguine non sunt respersæ tam exterius in carne, quam intus in conscientia. Salvantur vero lumbis succincti, et calceati pedibus, baculo Christi sustentati, ad patriam hinc quantocius summo mentis ardore vel desiderio festinantes. *Est enim phase, id est transitus Domini.*

4. Putas ergo, charissime, quod lateat Deum ullius conscientia, non dico si criminibus est obvoluta, verum ignavia si torpeat [e]. Patet igitur, quod [f] nisi desiderio cœlestis patriæ ad superna [g] ubi Christus est, in dexteram Patris, fide plenissima et spe certa, necnon charitate non ficta, festinus transeat, de Agni carnibus jure non comedit, quia legem in hoc jubentis violat. Propterea quoties [h] ea percipimus, attollamus mentes in desiderium, et per ardorem fidei festinemus ad tantam [i] satietatem visionis, quia nimirum hic gustus est, illic autem satietas. Satiabimur [j], inquit Propheta, *dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Transit ergo Christus in nobis de hoc sæculo ad Patrem, transeamus et nos in illo, quia cum illo simul omnes, si [k] ejus membra connumeramur, una persona et unum corpus sumus. Qui autem adhuc resident per desidiam super ollas carnium et [l] negligentiam, non cum illo hinc [m] transeunt neque festinant ad patriam. Idcirco Pascha nunquam rite celebrant, quia Pascha a transitu nominatur. Unde [n], votorum fili, transeamus hinc festinantes succinctis mentibus et calceatis in præparatione Evangelii pacis pedibus, ut ad illa resurrectionis gaudia quantocius [o] venire valeamus.

5. [p] Dic, rogo, hoc mysterio Dominici corporis et sanguinis quid amabilius cum legitur, quid jucundius cum intelligitur, quid dulcius cum digne percipitur, quid pulchrius, cum in decore suo sicuti est quandoque videbitur? Hæc tibi, fili dilectissime, pro ostendenda dignitate tanti mysterii pauca in præsenti opusculo hactenus dicta sufficiant. Hoc tantum te pro certo credere oportet, quia non digne nec tanta ut sunt, a nobis explanari potuerunt. Nec mirum, cum ipsæ etiam angelicæ virtutes in suæ naturæ subtilitate, hæc contemplantes admirentur et contremiscant, ac vix hæc penetrare prævaleant. Cum ergo beatorum spirituum natura, carnis pondere carens ad hæc indaganda vix sufficiat, quando sufficienter aut digne loqui poterit homo Deo, mortalis de immortali, visibilis de invisibili, mutabilis de immutabili, opus de opifice, creatura de creatore, factura de factore, parvus de immenso, temporalis de æterno, humilis de altissimo, plasmatus de limo de illo qui omnia creavit ex nihilo, cujus est inenarrabilis omnipotentia, qua nos omnipotentissima miseratione salvavit, qui et opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, et opus gratiæ salvatricis omnipotenter implevit. Illic habens potestatem condendi et regendi creaturam suam, hic habens potestatem ponendi et sumendi animam suam pro nobis unigenitus Dei Jesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit, et gloriatur, et regnat in Trinitate et unitate perfecta, Deus homo per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In codice Laubiensi post finem capitis quod in Editis est XXII, hæc sequuntur.

Quid tibi sit lex, o charissime, ad hæc [quæ] legisti et perlegisti? quid, quæso, deliberaveris jam pande. Obsurdueris an obmutueris monstra ; utrumque video. Stupere te tantum dum considero, et quod in propheta talibus legitur, nonnihil vereor. Moneo tamen si nihil aliud invenis quod facias, Dei te, perdita omnimodis aliunde fiducia, totum dedas clementiæ, et non prius ignavæ prorsus desidiæ, sed elaborationem continua, ab renuntiatis animo his saltem, quæ, Apostolo auctore, mortalia non ambigis crimina fore. Et quia non sufficit, *declina*, dicit *a malo, et fac bonum*. Si non vales, scio enim quod non vales secundum modum culparum agere pœnitentiam; desunt enim tempus, ætas, sanitas cor-

[a] Editi, *festinantes.*

[b] Ex codice Laub. hic collocandum est cap. XCVIII : *Quod desides et in sæculi actibus remorantes, non digne pascha comedant.*

[c] Mss. duo, *desiderio torpentes.*

[d] Pat., *opprimantur.*

[e] In cod. Laub. hic incipit cap. XCIX : *Quod nisi ad cœlestia festinantes de Agni carnibus jure comedant.*

[f] Mss. quatuor, *quod nemo nisi desiderio.*

[g] Colb. unus, *ad supernam ubi Christus est dextram pacis.*

[h] Mam. et Ulm., *quoties eam percipimus.* Sirmon., *quoties cum percipimus.*

[i] Mss. Maj. mon., *ad tantam satietatis visionem.*

[j] Editi, *Satiabor :* Colb. *Satiabitur.*

[k] Laub., expunc o *si*, legit tantum *ejus membra.* Mss. reginæ Sueciæ et duo regii, *si inter ejus membra.* Al., *si ejus membris connumeremur.*

[l] Al., *et per negligentiam.*

[m] Editi expungunt *hinc.*

[n] Anic., *Unde voto sanctorum fidelium transeamus hinc.*

[o] Mss. Major. mon., *quatenus pervenire valeamus, ipso præstante qui vivit et regnat in sæculu sæculorum.*

[p] Quæ sequuntur a Paschasio addita, reperiuntur in regii Christianissimi codice 4070, et in codice reginæ Sueciæ 1554.

Introdusă în format electronic de Google

poris, alacritas mentis, facultas expletionis, fac quantulamcunque et hanc continuam. Licita sese ingerunt aliquoties, memento illicita te sæpius usurpasse, mendica aliunde copiam, aut vim extorque lactucarum agrestium, coque azymam, fermentum malitiæ abjice, renes accinge, baculum regiminis manui adhibe rationis, festina per desiderium quo nequis aspirare per meritum. Reconciliare quibusdam satisfactione, universis affectu, immolans dehinc tanto formidolosius, quanto petulantius extorquere animo, ut fuerat consultius; quia non vales, cessationem præmitte, si datur, cum lacrymis; si non, cum singultu interno; detur de tuo aliquid pro necessitate interjaciens orationis piissimi Redemptoris legationem auditui. Quis enim scit si convertatur, et ignoscat, et avertatur ab ira furoris, et non pereas æternaliter? Periisti quidem criminaliter.

His subjiciuntur in eodem codice sequentes orationes.

Ecce ego, Domine, ecce ego, qui dignus non fueram, miser et infelix, ingredi atria Ecclesiæ tuæ, nec per limina sancta intrare domum tuam, accedo ad ministrandum sanctis altaribus tuis, et asto reus et peccator ante conspectum divinæ majestatis tuæ, sine ullo ornatu boni operis, et sine ullo fructu digno pœnitentiæ, et sine ulla vel sola cogitatione munda. Indignus enim et sceleratissimus sum nimis; sed de tua ineffabili pietate et misericordia, et de meritis sanctorum tuorum confisus, licet tremens et pavidus præsumo accedere ad offerenda sancto nomini tuo sacrificia. Et ideo, Domine creator piissime, redemptor clementissime, qui omnem animam confitentem et pœnitentem magis vis emendare quam perdere, et qui non pro justis, sed pro peccatoribus incarnari voluisti, et latroni in cruce pendenti ac tuam majestatem confitenti non solum pepercisti, sed etiam paradisum tecum intrare promisisti, me miserum et peccatorum confitentem, et desidiose licet pœnitentem peccata mea, a tua ne repellas pietate et misericordia, nec frustra accipias fidem, spem atque fiduciam, quam in tua inæstimabili clementia habeo; sed sicut omnibus criminosis et peccatoribus in te credentibus, de tua misericordia confidentibus pepercisti, ita mihi misero ad te fugienti, et post peccata ac scelera mea multa diabolo renuntianti, atque ad te revertenti parcere et indulgere, atque ad celebrandum injunctum officium paterna pietate dignum me facere et suscipere digneris et licet importunius quam competeret me ingeram: siquidem interdictum mihi tam veteris quam novæ legis censura ignorare non valeo; cum et exterminatores impiorum atque custodes sacrorum altarium tuorum angelos vasa interfectionis in manibus gestantes, sacris oraculis tuis non incredulus, sciam omnino præsentes; capta tamen jam olim præsumptionis quadam de tua vera misericordia fiducia, quia scilicet usque etiam quod istud quo inveteratus dierum malorum perveni, te semper irritans, senium, me ultores illi tuarum, Domine, injuriarum, non, ut dignum fuerat, interfecerunt; scientes forsitan quia benignitas tua ad pœnitentiam me thesaurizantem, licet iram merear in die iræ et revelationis justi judicii tui, patientissime exspectares, habentibus etiam adversum me multis mala fratribus; quia, Domine, asto, verum suspectus et tremens, ne subito utique te in corpore et sanguine tuo, cum nusquam per divinitatem desis, præsente, ut justum est, feriar. Parce tamen adhuc, præsumens deprecor, piissime, parce, differ ictum, suspende vindictam, et non aspiciens ad iniquitates, scelera et delicta juventutis meæ, et, ut pejus fateor, etiam senectutis; sed ad misericordias et miserationes tuas multas, quibus generi humano semper misereri consuevisti; et suscipe preces et hostias quas pro peccatis meis et pro peccatis fidelium tuorum, tam vivorum quam mortuorum, majestati tuæ offerre præsumo. Recordare quod caro sumus et fragili materia conditi; etiam cœli non sunt mundi in conspectu tuo, et angeli tui reprobi inventi sunt coram te, quanto magis homines terreni, indigni et immundi? Non enim possumus esse mundi, nisi a tua pietate et misericordia quotidie corde et corpore mereamur mundari. Quapropter tu, Domine, tu qui intentionem et devotionem torpentem, miseram ac pollutam ad sacrosanctum altaris tui mysterium excitare [voluisti], meque indignum et peccatorem ad tibi ministrandum permisisti, impudenter licet, accedere, contine adhuc, misericors, quam mereor, iram, exhibe gratuitam clementiam, et concede propitius, ut celebratio hujus sacri mysterii ad quod tepidus et pavidus accedo, non ad judicium et ad condemnationem, sed ad remissionem peccatorum et ad salutem mihi proveniat sempiternam.

Item. Ita, Domine, immensi criminis rei, conscientia teste, confundimur, ut ad officium tuum nec securi possimus venire, nec liberi. Quis enim pensans peccatum suum, non se a facie tua vellet abscondere, si liceret tantæ majestatis oculos declinare, si aut evasurus lateret, aut occultatus evaderet; aut quis non magis videre te cuperet, si non, quod eum peccantem prospicis, plus timeret? Ergo, quia tu ubique nos invenis, ad te confugimus, quem fugere nunquam valemus. Restat miseris non latebras intervenire, sed lacrymas. Foveat indulgentia quos terret offensa. Minatur potentia, sed misericordia consoletur. Ex te est qui libet, per te est qui excuset. Parce, omnipotens Pater, et quos aspicis humiles per reatum, erectos numerare digneris in præmium, et quos intelligis per confessionem miseros, non facias in examinatione confusos.

Item alia. Dimitte, Deus, quidquid per intemperantiam mordacis linguæ incauti oris nostri increpatio momordit in subditos, quidquid minus de boni perfectione diximus. Parce quidquid incongruum vel minus temperate protulimus, tu ignosce. Non incautum presumptio puniat; sed agnoscentem me

Introdusă în format electronic de Google

iniquitates meas pietas tuæ miserationis absolvat. Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia tua, tu et os meum præconio veritatis per arma et opus pleniori ubertate sanctifica, ut et dignum me salves, et commissum mihi gregem pro tua pietate justifices. Quidquid in illis vitiatum respicis sana, quidquid in me vitiosum inspicis cura; si quam vitio tepiditatis meæ vel incuria contraxerunt vel contrahunt labem omitte; si quo etiam, me ignorante vel cognito deciderint in crimine, atque si exempli mei offendiculo provenerint in culpam, ignosce; et pro culpis talibus misero mihi ultionis non restituas vicem. His tamen quibus increpationis visus sum adhibere judicium, et increpatio ipsa eis proficiat ad salutem, et oratio hæc interpellans commisso eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortales pœnitentiæ indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, et illorum iniquitatibus tribuas veniam, et meam abluas contractandæ regendi incommoditatis offensam. Præbe, Deus, aurem sacrificiis nostris, me mihique commissos tuis ascribe in paginis quo cum grege mihi credito, et a cuncto eluar crimine, et ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde, Deus, nostrorum cordium habitaculum, expulsione carnalium vitiorum, et qui in subditis conor jam summam exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis, pacificus merear, te judicante, coronari cum angelis. Fac ergo quod nos, Deus, aspicientes, in conspectu tuo flammescentes, tuæ gratiæ dono zelus tuæ domus nos comedat, atque ita per vigorem sancti Spiritus regentes subditos temperemus, ut et disciplinis nostri regiminis obtineant lucrum, et illorum duritia frangatur, ac vita fructificetur. Suscipe, Domine, votorum nostrorum libamina, ut per hæc quidquid in subditos correctionis verbo vel merito impertimur, non ad discordiam nostri, sed ad perpetuum dulcedinis gaudium nobis et illis profecisse lætemur. Absolve nos, Deus, et alieno et nostro delicto, ut in utroque spiritualis gratiæ efficientiam cupientes, fiducialius tuo nomini supplicemur. Per Dominum.

Item. Impellit ministrandi officium hostia salutaris populi pro delicto. Terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu, si a me omnium sacerdotum peripsema sacrificium offeratur, pollutæ conscientiæ crimen augetur; si tantæ majestati, universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus ascribitur. Inter hæc tuæ, Omnipotens, libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem, accusante conscientia, pertimesco, ut non indignum, quæso, misericordia tua judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis. Suspende securim, donec cultor vineæ admoveat coffinum stercoris infructuosæ arboris ad radicem. Parce mihi, Domine clementissime, pœnitenti, qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti; qui Petri misericors amare flentis lacrymas respexisti; qui latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum divina gratia illustrasti, cui mox obtinuit confessio perspicue Dei Filium cernere, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiterna, dum confessor in cruce, possessor exstitit paradisi post crucem; sed quia verba venia tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotii opera non commendant, saltem astantium vota suscipe, ut et mihi suis apud te precibus veniam, et eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter nobis conferant medicinam, ut quia Omnipotens pro omnibus factus est hostia pro peccatis, adsis nobis sacrificatio in sacrificio pro delictis, Christe Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In veteri codice Majoris Monasterii, ad calcem libri Paschasii de corpore et sanguine Domini hæc subjicitur oratio, quæ in aliquibus editis ei præmittitur.

Domine, Jesu Christe, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, formam servi accepisti, et per crucem et passionem tuam secundum carnem moriendo, centesimam, quæ perierat, ovem, devicta morte, resurgens ad vitæ pascua reportasti; munda me tua misericordia, quem hujus tanti mysterii, non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ ministrum effecisti, ab omni sorde vitiorum; quatenus ad salutem animæ mundus percipiam sacrosanctum corpus et sanguinem tuum, quo vivificatus in die judicii partem, beatæ resurrectionis obtineam, et tibi cum sanctis gloriam in æterna lætitia sine fine decantem. Amen. Benedictus Deus.

In codice vero Corbeiensi legitur hæc oratio Paschasii Radberti ante perceptionem Eucharistiæ.

Sit nobis hoc sacramentum tuum, Domine Jesu Christe, sit ad remissionem peccatorum. Fiat nobis hæc Eucharistia ad vitam, et viscera misericordiæ et gratiam salutis, sanitatemque animarum nostrarum. Amen.

Introdusă în format electronic de Google

S. PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

EPISTOLA DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

AD FRUDEGARDUM.

(Juxta editionem Jacobi Sirmondi, pag. 1619.)

Dilectissimo fratri et commilitoni FRUDEGARDO, PASCHASIUS senex tuus et Monachorum omnium peripsema, plurimam et sempiternam salutem.

Perlectis litteris tuis, cum occuparer quorumdam hospitum negotiis, minime potui adimplere quæ mandasti. Interdum tamen tuo repletus amore, et litterarum tuarum dulcedine, cogitare non distuli, quia librorum nulla nobiscum pars est, in quibus invenirem quod requiris, ut responderem cui negare non possum, quæ exigis, etiam si adimplere nequeo injungis. Quæris enim de re ex qua multi dubitant. Quam si forte ad plenum non intelligunt, utique credere debuerant verba Salvatoris, qui non mentitur verax Deus, cum ait : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis manentem. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI); et ad discipulos, cum panem porrigeret : *Accipite*, ait, *hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Similiter et de calice : *Bibite ex hoc omnes, quia hic est sanguis Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo cum ait : *hoc est corpus meum*, vel caro mea, seu *hic est sanguis meus*, non aliam puto insinuasse, quam propriam et quæ nata est de Maria virgine, et pependit in cruce, neque sanguinem alium quam qui profusus est in cruce et tunc erat in proprio corpore. Nemo igitur qui sane sapit, credit Jesum alium carnem aut sanguinem habuisse, quam quæ nata est de Maria Virgine, et passa est in cruce. Ipsa namque eademque caro quocunque modo sentienda est, ut credo, cum ait : *hoc est corpus meum quod tradetur pro multis*, vel : *hic est sanguis meus.* Et ne putares quia in sacramento loquebatur, quod de alio diceret quam de proprio, in eodem mysterio demonstrative dixit : *hoc est corpus meum.* Nam cum ait *meum*, et *hoc est*; non qualecunque vult intelligi corpus, sed illud quod tradendum erat, ut ipse mox adjecit, et non alium sanguinem, quam qui fundendus erat in proprio corpore in remissionem peccatorum. Alias autem qualitercunque intelligitur, si alius esset sanguis, et alia esset caro in hoc mysterio, non in eo esset remissio peccatorum. Et si in eo vita non esset, nequaquam funderet vitam. Alioquin non qualiscunque cibus nisi de vivo Domino et æterno vitam præstaret æternam accipientibus se in salutem. Quoniam ut ipse ait : *Qui non manducat hanc carnem, neque bibit hunc sanguinem, non habet vitam æternam in se manentem.* Et ideo sacramentum quod vitam tribuit, in se habet quod tribuit digne accipientibus se, et vita in eo est caro vere viventis, et sanguis in quo vere vita æterna est. Quod dicis te sic antea credidisse, et in libello meo quem de sacramentis edidi ita legisse; sed profiteris postea te in libro tertio de doctrina Christiana beati Augustini legisse, quod tropica locutio sit, ut corpus Christi et sanguis esse dicatur. Quod si figurata locutio est, et schema potius quam veritas, nescio, inquis, qualiter illud sumere debeam. Deinde addis: Et si credam ipsum esse quod assumpsit ex Maria virgine genitrice sua, e contrario etiam ipse egregius doctor hoc magnum facinus esse proclamat. Quod sane dictum, horrore percipientibus nimium videtur incutere, si non credant illud esse in sacramento, quod veritas esse testatur in aperto. Et si crediderint hoc ita esse ut quidam credunt, nihilominus illud incurrunt facinus, eo quod falso credunt, quia sic dictum est ut fas sit eum dentibus vorari. Unde facinus esse si credat quis, sicut illi tunc crediderunt quibus dicebat : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis;* et non potuerunt ferre, quia male sapuerunt. Et ideo si quis dicit hanc carnem et hunc sanguinem sic ipsa esse absque mysterio et sacramento, nec in figura ex parte sumendam, ut illi tunc carnales carnaliter sapientes senserunt, totum dissipat. Et ideo forte beatus Augustinus hoc ita sapere, magnum facinus esse dicit. Alioquin quomodo ipse idemque doctor tam egregius contra se diceret, ut recolo, in sermonibus ad Neophytos. Hoc accipite, inquit, in pane, quod pependit in ligno; et de calice : Hoc accipite, ait in calice, quod manavit ex Christi latere. Non credo quod aliud pependerit in cruce, quam caro; neque aliud profluxerit de latere Christi, quam sanguis et aqua. Et si hoc ita est, hoc accipiunt credentes, id est carnem et sanguinem cui admiscetur aqua, in quibus renati sunt sacramentis, et ideo hæc duo miscentur in calice. Aqua, in qua renati; sanguis quoque, in quo redempti sunt fideles. Et sicut sanctus testatur Cyprianus, nec aqua in calice sine

Introdusă în format electronic de Google

sanguine esse debet, nec sanguis sine aqua; quia per aquam populus ablutus unda baptismatis significatur, et per sanguinem Christus, qui ex eo nos redemit: ac per hoc intelligitur et formatur Christus et Ecclesia unum corpus. Itaque nec Christus sine Ecclesia pontifex in æternum, nec Ecclesia sine Christo Deo Patri offertur. Hæc quippe mystica sunt in quibus veritas carnis est et sanguinis, non alterius quam Christi, in mysterio tamen et figura. Nec igitur mirum si figura hoc mysterium est, et hujus mysterii verba tropica locutio appellantur; cum ipse Christus ab apostolo Paulo character vel figura dicitur, quamvis ipse sit veritas. Ait namque: *Novissime locutus est nobis*, scilicet Deus Pater, *in Filio suo, qui cum sit splendor gloriæ et figura*, vel character, sicut alii codices habent, *substantiæ ejus*. Ecce ut audis, summa veritas ipse Christus, character appellatur et figura; tamen in eo nihil fictum fuit, nihil vacuum a veritate, sicut nec characteres vel figuras vacuas esse dicimus litterarum a vi et potestate earum, cum easdem figuras tropice litteras vocemus. De quo sane intellectu in eodem libello meo, quem te legisse testaris, proprium capitulum edidi, ut hoc mysterium et veritas intelligatur, nec tamen figura esse negetur. Quia impræsentiarum sicut ex parte scimus, quidquid scimus de Deo, et ex parte teste Apostolo (*I Cor.* XIII), prophetamus de futuro et de cœlesti regno, ita ex parte prægustamus non palato oris, sed palato cordis, et per fidem Christi corpus et sanguinem esse credimus; quatenus ex eo vivamus, et in eo a quo, et in quo, et per quem redempti sumus et renati, necessarium est in novam creaturam transformati et innovati, ex hac nova creatura vivamus. Dicit enim beatus Augustinus (*Epist.* 23), cujus te commoveri sententia dixisti, de hac re ad Bonifacium episcopum in epistola sua: « Sicut et nos, inquit, solemus dicere de die passionis Christi per singulas solemnitates Paschæ; hodie, inquimus, resurrectio Christi est, quæ ante plures annos semel facta est, licet per tot curricula annorum ipsa eademque revoluta esse dicatur, ut et esse ipsa credatur, et nonnisi semel facta intelligatur. Et ideo vere non mentitur qui dicit, hodie Christi resurrectio est, quia ipsa eademque est quodammodo propter revolutionem temporis. » Deinde addidit præfatus doctor, ut modum loquendi intelligeremus, non quod sibi contrarius esse credatur, aut præmissam sententiam suam ad neophytos velit referre, sed ut intelligere possemus, quod alibi tropice dictum esse monstraverat. « Neque mentitur, inquit, qui interrogatus fuerit, si eum, id est Christum, hodie responderit immolari; quia ex ipsa similitudine rerum earum quarum sacramenta sunt, accipiunt nomina. Alias autem nisi aliquam similitudinem haberent ejusdem rei cujus sunt sacramenta, sacramenta non essent. » Ergo dum immolatur ille qui *jam non moritur, neque mors ei ultra dominabitur* (*Rom.* VI), in sacramento fit. Unde ait idem doctor: « Secundum quemdam modum sicut sacramentum corporis Christi, corpus est Christi: sic sacramentum sanguinis Christi, sanguis est Christi. » Ecce ipse in hoc contrarius sibi non est, ut quidam putant, neque beato Ambrosio, cujus sententia hæc plenissima, inquam, et verissima in eo est libro, quo ait quia ipsa est caro Christi in sacramento quæ in cruce pependit, et quæ de Maria virgine sumpta est, et sanguis qui fluxit ex latere. Ita et beatus Cyprianus confirmat in eo opere ad populum ubi de sacramento corporis Christi et sanguinis loquitur. Quos secutus subtilissimus disputator præfatus Pater Augustinus, ut dixi: « Hoc accipite, inquit, in pane quod pependit in ligno, et hoc accipite in calice quod manavit ex Christi latere. Et alibi de Judæis: Hoc, inquit, postea biberunt in calice credentes, quod fuderunt in cruce sævientes. » Hinc quoque Eusebius Emissenus: « Recedat ergo, inquit, omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: *Accipite et edite, hoc est enim corpus meum;* et sanctificatione repetita: *Accipite et bibite, hic est sanguis meus.* Ergo sicut, inquit, ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: pari potentia in spiritalibus sacramentis, ubi præcipit virtus rei servit effectus. » Et post pauca: « Sacrum Domini tui corpus et sanguinem fide respice, mente continge, honora, mirare, cordis manu suscipe, et maxime haustu interiori assume. » Ac deinde: « Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia majestatis, in Dominici corporis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat, artificio cœlestis miseridordiæ, Christi corpus effectum. » Hæc sanctorum fides, charissime, quamvis multi ex hoc dubitent quomodo ille integer manet, et hoc corpus Christi et sanguis esse possit. Qui non crederent, si vidissent duodecim cophinos fragmentorum, et septem sportas, quinque aut septem panes esse (*Matth.* XIV; *Luc.* IX; *Joan.* VI). Non enim aliud in fragmentis erat quam ipsi panes, et aliud in esu comedentium. Nam ex ipsa Christi benedictione manavit tanta ubertas; et non aliud fuit quod comestum est, et quod sublatum, nisi ipsi quinque panes aut septem. Quanto ergo magis, qui *Verbum caro factum est* (*Joan.* I), pullulat Verbi caro, et manat in sacramento ubertas Christi et sanguinis? Et non alia quam caro Christi est, et tamen manet integer Christus. Nihil ergo dissentit in his omnibus, ut opinor, beatus Augustinus a reliquis sanctis Patribus, qui in quamplurimis hoc ita esse, ut Salvator ait, senserunt, et credunt quod credit sancta Dei Ecclesia. Quia sic est, inquit idem egregius Pater ad præfatum Bonifacium: « Corpus Christi et sanguis, sicut sacramentum fidei fides est. Nihil enim est aliud credere, ait, quam fidem habere propter fidei sacramentum, quia et ipsa responsio quando

Introdusă în format electronic de Google

interrogati confitemur Christum quotidie in mysterio immolari, ad celebrationem pertinet sacramenti, quod semel factum est quando immolatus est pro salute mundi in seipso. Ac per hoc quia sic credimus spiritualiter fieri, nec istud est sine ipso quod tunc gestum est sacramento ; nec illud reiteratur in facto ut moriatur Christus, sed immolatur pro nobis quotidie in mysterio, ut percipiamus in pane quod pependit in cruce, et bibamus in calice quod manavit ex Christi latere. Per fidem enim ambulamus et non per speciem. Et ideo in Spiritu spiritualiter ista credere debemus, et non carnaliter, ne facinus incurramus. » Quia sicut ipse doctor dicit, sacramentum fidei fides est : sic corpus Christi et sanguis in hoc sacramento vera caro et sanguis est. Nihil est autem aliud, inquit, credere, quàm fidem habere propter fidei sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti. Ex quo datur intelligi, quia non omnes qui beatum Augustinum legunt, intelligunt. Cujus rei sacramenta beatus Gregorius in Dialogorum libro quarto (*cap.* 58) ita confirmat dicens : « Debemus itaque præsens sæculum, vel quia conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. » Hæc namque singulariter victima, ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat. Qui licet surgens a mortuis jam non moritur, et *mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI), tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse? summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Sed et de hoc sacramento sanctissimus Cyrillus cum centum quinquaginta qui in Epheso sunt congregati, inter cætera fidei documenta : « Necessarie, inquiunt, et hoc adjicimus : Annuntiantes enim, secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est Christi Jesu, et resurrectionem ejus, et in cœlos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus sacrificii in Ecclesiis servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum redemptoris effecti. Non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati et verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem et ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos : *Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem*, non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? Sed ut vere propriam ejus factam, qui propter nos filius hominis et factus est et vocatus. » Quapropter, charissime, non recte sapiunt quicunque carnaliter de hoc mysterio sapiunt. Sane quia spiritalia sunt in eo sacramenta, a quibus animalis quisque homo jejunat, eo quod intellectu spiritali non capit, neque vult credere quæ non intelligit. Habes ad præsens, dilectissime, quæ occurrere potuerunt, quoniam pars animæ meæ es mihi, celare non debui quæ loqui ut oportuit minime potui. Tu autem velim relegas libellum nostrum de hoc opere, quem olim te legisse dicis, et si quid in eo reprehenderis, aut dubitaveris, relegere non pigeat. Quia etsi nil in eo legentibus dignum scripsi, quem cuilibet puero dedicavi, tamen ad intelligentiam hujus mysterii plures, ut audio, commovi, ut sciant et intelligant digne cogitare de Christo, cujus dum corpus non corrumpitur quia spiritale est, et totum spiritale est quod celebratur in hoc sacramento, quia spiritus est qui vivificat et operatur in eo credentibus et digne percipientibus vitam, non credentibus vero et indigne illud manducantibus, vere judicium damnationis. Facit enim hoc corpus et sanguis, quod ipsum fecisse Christum in cruce legimus, dum uni eorum qui erant cum eo in patibulo confitenti paradisi præstitit regnum ; alteri vero, scilicet blasphemanti mortis judicium determinavit. Addidi autem huic responsioni nostræ expositum, quod de cœna ex hoc mysterio in Matthæum exposueram, ut ex ipso considerare queas, quid intelligibilius credendum sit, vel quid in me reprehendendum cum charitate. Verumtamen, quid horum censeas, quæso, hanc epistolam et hoc expositum in eodem libello adjungas : quatenus ex his lectori amplius augeatur sensus, et confirmetur Patrum auctoritas.

EXPOSITUM PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS,

In illud Matthæi : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum*, etc. (*Matth.* XXVI.)

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum, etc. Audiant qui volunt extenuare hoc verbum corporis, quod non sit vera caro Christi, quæ nunc in sacramento celebratur in Ecclesia Christi, neque verus sanguis ejus. Nescio quid volentes plaudere aut fingere, quasi quædam virtus sit carnis et sanguinis in eo admodum sacramento, ut Dominus mentiatur, et non sit

Introdusă în format electronic de Google

vera caro ejus, neque verus sanguis, in quibus vera mors Christi annuntiatur, cum ipsa Veritas dicat : *Hoc est corpus meum ;* similiter et de calice : *Bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus, Novi Testamenti*, non qualiscunque, sed *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Nec itaque dixit cum fregit et dedit eis panem, hæc est, vel in hoc mysterio est quædam virtus vel figura corporis mei ; sed ait non ficte : *Hoc est corpus meum.* Et ideo hoc est quod dixit, et non quod quisque fingit. Ubi Lucas addidit : *Quod pro vobis tradetur* (*Luc.* XXII), vel sicut alii codices habent, *datur.* Sed et Joannes ex persona Domini : *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est*, non alia *quam dabo pro mundi vita ;* ac deinde : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). Unde miror quid velint nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi vel sanguinis, sed in sacramento virtutem quamdam carnis, et non carnem ; virtutem fore sanguinis, et non sanguinem ; figuram, et non veritatem ; umbram, et non corpus ; cum hic species accipit veritatem, et figura veterum hostiarum, corpus. Unde Veritas ait, cum porrigeret discipulis panem : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI), et non aliud quam *quod pro vobis tradetur ;* et cum calicem : *Hic est calix Novi Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* (*Marc.* XIV). Necdum itaque erat fusus, et tamen ipse porrigitur in calice sanguis qui effundendus erat. Erat quidem jam in calice, qui adhuc tamen fundendus erat in pretium. Et ideo idem ipseque sanguis jam erat in calice, qui et in corpore, sicut caro vel corpus in pane. Erat autem integer Christus, et corpus Christi coram oculis omnium positum, necnon et sanguis in corpore fuit, sicut et adhuc hodie integerrimum est et manet, qui vere dabatur eis ad comedendum ,et ad bibendum in remissionem peccatorum. (AUG. *ser.* 2, *de Verbis Domini.*) Dicat similiter aliquis, si in alio aliquo remissio est peccatorum, quam in Christo. Constat ergo quia non est, et quia in hoc corpore ac sanguine remissio est peccatorum, vere Christi caro est et sanguis. Unde qui digne manducant et bibunt vere vitam æternam manducant et bibunt, et integra manet vita. Et tunc erit unicuique corpus Christi et sanguis vita si, quod in sacramento sumitur, in ipsa veritate, sicut aliquando dixisse me memini, spiritualiter manducetur, et spiritualiter bibatur. Quia, sicut dicit apostolis (*Joan.* VI), caro nihil prodest : quanto magis panis sine Spiritu qui cernitur? sed Spiritus est qui vivificat. Hæc idcirco prolixius dixerim et expressius, quia audivi quosdam me reprehendere, quasi ego in eo libro quem de Sacramentis Christi edideram, aliquid his dictis plus tribuere voluerim, aut aliud quam ipsa Veritas repromittit ; timentes forte hoc quod ipsi tunc timuerunt quibus loquebatur, quod partes facere voluerim, et ejus per singulos membra dividere concisa vel dispersa, sicut tunc illi putarunt qui scandalizati dicuntur, et abierunt retrorsum. Quibus Salvator ait : *Hoc vos scandalizat? Si videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Ac si diceret : Si hoc intelligere possetis, sciretis utique quod qui integer ascendere potest ubi erat prius, unus idemque Christus, consumi non potest dentibus, nec dividi per partes. Hoc quippe videre multum est, quia in spiritu est. Hoc cognoscere vel credere, quomodo unus Christus ascenderit filius hominis ubi erat prius, quis hoc sensu explicet? et quod descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, quæ hoc ratio capit? Necnon et quod *Verbum caro factum est*, quæ hoc verba eloquuntur, et quod incommutabile est, factum dicatur ; vel quomodo qui homo erat filius hominis in terra coram oculis eorum positus, in cœlis esse dicatur. Quomodo ergo de cœlo venit unde nunquam abfuit? Ascendit descendens, quia in nullo resolvitur Christus. Est qui erat, et quod est non erat. In omnibus ergo istis et in aliis quamplurimis locis excedit humanas mentes divina potestas, nec subjacet humanis sensibus ratio cœlestis et divina ; quia natura inferior causam et rationem naturæ potioris et immensæ non capit nec intelligit. Et ideo de talibus rebus quæ divina virtus operatur, dubietas auferenda est, et cunctatio removenda ; quia scientia earum in fide est, ratio in virtute, effectus in rebus ex potestate est, causa in voluntate ; ita ut nihil habeat homo quod conqueratur de singulis quæ Deus dixit et voluit, *quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* XXXII, CXLVIII), ut voluit. Sublimia quidem sunt et divina in hujusmodi rebus sacramenta, quæ pro salute humani generis aguntur, et quotidie mystice in hoc mysterio, tradita sunt apostolis, celebrantur. Et ideo in cœnaculo hoc pascha agitur, quia nisi qui ascenderint ista non capiunt, ut comedant et bibant quod effusum est in remissionem peccatorum, et tamen integrum manet. Hinc quoque ipsa Veritas : *Bibite*, inquit, quia *hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod si effusus est, jam quomodo nunc rursus effunditur? et si caro consumpta est, quomodo adhuc manet integra et comeditur? Ecce quod bibitur quotidie et effunditur, et quod semel immolatum est adhuc quotidie immolatur. Non ergo immolatur nisi quod unum est. Bibitur quidem in remissionem peccatorum et effunditur. Si autem quæris quomodo effunditur ut maneat quod effusum est, intellige quomodo charitas Dei diffusa est in cordibus nostris et manet integra charitas (*Rom.* V), scilicet Spiritus sanctus : sic forte cognoscere poteris quod est ineffabile quidquid Spiritus sanctus operatur. Et si charitas Dei in nobis diffusa est in se manens, vere sanguis Novi Testamenti Dei diffunditur admodum in cordibus in remissionem peccatorum. Quo effuso, remittuntur in eo omnia peccata nostra, quoniam ipse pontifex Christus est, qui porrigit nobis hunc panem, suum videlicet corpus, et effundit hunc in calicem. Non enim discedit ab officio suo. Et si manet in nobis, bibit eum etiam ipse nobiscum novum, eo quod est in to-

Introdusă în format electronic de Google

to corpore suo, et in omnibus nobis; quia sine eo sumere non possumus, neque de pane illo manducare, vel de calice bibere. Nec mireris, frater, qui forte ista non credis, quia non nostra sunt quæ dicimus. Omnipotens enim est Dei Verbum, et efficax ad omnia quæ vult secundum multitudinem virtutum suarum, cum sit ipse unus omnium virtutum virtus. Cujus verba non alicujus quam unius verbi, quod ipse est, sunt verba, et ideo plena sunt veritate, quia Spiritus et vita sunt, nec habent aliud in se præter quod ipsa per se profitetur veritas. *Accipite*, inquit, *hoc est corpus meum*; et de calice : *Hic est sanguis meus*. Poterant enim apostoli tunc, si non crederent verba vitæ et veritatis, respondere, vel quærere, quomodo panis ille vel calix vini corpus et sanguis esset Christi, cum ipse integer Christus in corpore suo coram oculis eorum erat. Sed quia crediderunt quod dixerat, silentio confitentur et accipiunt quæ nobis postea tradiderunt. Tradiderunt autem non aliam quam ipsam eandemque cœnam quam ipsi tunc manducaverunt, et biberunt. Unde volo perpendat fidelis animus, quid intersit inter illud typicum pascha quo agnus immolatus est et in eadem cœna comestus, et istud, quod secundum ordinem Melchisedech in pane et vino continuo celebratur. De quo sane paschate dixit eadem hora omnibus suis : *Desiderio desideravi manducare hoc pascha vobiscum, antequam patiar* (*Luc.* XXII). Quod si nihil amplius habet hoc mysterium præter figuram corporis et sanguinis Christi, et non hoc est quod ipse dixit : quid necesse fuit iterare in facto, quia hoc totum præfiguratum erat in agno? Unde et Lucas (*ibid.*) duos calices datos esse discipulis in eadem cœna commemorat : unum prius post agni comestionem, antequam panem acciperet; alium vero, postquam benedixit ipsum panem ac fregit, et dedit discipulis suis. *Similiter*, inquit, *postquam cœnavit dicens : Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine qui pro vobis effundetur.* Ubi datur intelligi quod agnus ille legalis cum suo calice in figura præcessit passionis Christi. Deinde corpus et sanguis in calice ad expletionem factum est veritatis, ut quod in Melchisedech præcesserat, totum compleretur in Christo. Nam quod calix passionem Christi demonstret, nemo qui hoc Evangelium legit, ambigit. Et ideo aliquos movet, utrumne duos calices Lucas voluerit significare Jesum accepisse, an unum eumdemque, quia anticipaverat de eo dicere, rursus recapitulando bis eum commemoret. Ita quidem nonnulli sentiunt non duos esse calices, sed unum qui et ante dividendus, et postea bibendus commemoratur, datum esse discipulis. Sed alii melius, ut præmisi, duos porrectos affirmant discipulis, ut in uno eorum, id est in primo, passionem suam voluerit exprimere; in alio vero fidelium suorum passionem præfigurare. Rursus alii contendunt in utroque calice illud ostendere quod in Veteri Testamento præceptum est, ut qui Pascha non primo mense agnum comedendo ageret, in secundo mense in hædi comestione perageret; ac propterea duos calices discipulis Dominum tradidisse (*Exod.* XII). Et astruunt vere in utroque calice quod utrumque debeat intelligi testamentum, ac per hoc unus eorum pertineat ad agnum, alius vero ad mysterium corporis. Sed sive hoc sive illud quisque sentiat, nullus tamen eorum a vera fide invenitur extraneus, tantum ut intelligat in hoc facto quod de figura et umbra veritatis benignissimus Jesus accipiens panem et calicem ad verum transeat Paschæ sacramentum, ne apex iotæ detruncaretur a lege, imo quia lapis angularis est, utrasque tenens et adimplens leges, ac si verus Melchisedech panem offert et vinum, quod erat sacramentum sui corporis præfiguratum ac sanguinis. Et notandum est quod ait : *Benedixit et fregit;* in qua nimirum benedictione ac fractione nova creatura efficitur, ut panis in commemoratione mortis Christi Deo fide oblatus caro ejus jure credatur. Similiter et sanguis in eadem gratiarum actione quam Deo Patri egit, creatur, ut vere sanguis credatur qui effusus est pro multis in remissionem peccatorum.

SENTENTIÆ CATHOLICORUM PATRUM.

Ambrosius de Trinitate ait : « Pari modo obedientiam Filio objicere solent Ariani, quia scriptum est (*Philip.* XII) : *Et specie inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Et hominem præmisit, et usque ad mortem dixit, ut intelligeremus obedientiam mortis non divinitatis fuisse, sed humanitatis, in qua officia nostra suscepit et nomina. Dicimus itaque unam esse potentiam Trinitatis, quam nos in ipsa atque post ipsam docuit passionem. Filius enim patitur per corporis sacramentum, apostolis Spiritus sanctus infunditur, in manus Patris commendatur Spiritus, Deus quoque Pater maxima voce signatur. » Hæc beati Ambrosii posui, ut cognoscas, fili charissime, quia non solum passio Domini mysterium est et sacramentum salutis, verum etiam Christi nativitas et incarnatio, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Hæc omnia, inquam, quæ gessit Deus homo, sacramenta sunt divini muneris et mysterium fidei; nec tamen aliud sunt quam veritas, quia sacramenta dicuntur. Idcirco sacramentum corporis Christi et sanguinis, quamvis sacramentum dicatur, non est aliud quam veritas, et quod ipsa Veritas repromisit. Unde beatus Augustinus : « Sacramentum, inquit, fidei fides est, » ac deinde : « sic et corpus Christi atque sanguis in hoc sacramento, vera caro et sanguis est. » Nihil est aliud, inquit, credere quam fidem habere propter fidei sacramentum. Et ideo quisquis de hoc dubitat fidem se habere denegat, quia in fide Christi nihil aliud quam veritas esse potest. Et sicut Leo testatur apostolicus : « Hoc vere ore sumitur quod fide creditur, et ideo, ait, sic communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. » Quod autem propria sit Christi caro et sanguis testantur omnes catholici, testatur et Cyrillus cum suis cen-

Introdusă în format electronic de Google

tum et quinquaginta coepiscopis in Epheso congregatis. Testatur inter cætera vivificatricem carnem esse, et ipsius Verbi propriam factam, quæ vita naturaliter ut Deus existit, quia propriæ carni unitus est. Ergo ubi hæc unitas naturaliter, nulla est divisio. Et propria si est, et una Christi caro, utique ipsa est quæ nata est de Maria, quia *Verbum caro factum est*, et quæ pependit in cruce. Hoc itaque credere in sacramento fides est, et sacramentum fidei vera caro et sanguis est. Ac per hoc Apostolo teste, sicut nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XXI), ita nemo credit hoc ita esse nisi per Spiritum sanctum, per quem hæc fides data est, et per quem hoc efficitur sacramentum, ut vera sit caro, atque ipsa et non aliud quam ipsa caro. Alias autem sine Spiritu sancto, sicut nec caro Christi prodest quidquam; ita nec hoc sacramentum carnis prodesse potest. Quia in his omnibus unus est opifex Spiritus sanctus, unus et Christus, qui conceptus de Spiritu sancto ex Maria Virgine, unus et creator atque sanctificator corporis et sanguinis ipse Spiritus. Sine quo nemo dicit Dominum Jesum in sacramento, nemo recte credit eadem ipsa sacramenta, nemo eamdem confitetur esse carnem quæ passa est, et propria facta atque una, ex quo fidei sacramento fides est, et si fides vera est, vera est et caro atque sanguis, ut sit fides quæ per Apostolum prædicatur : *Fides est*, inquit, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI) ; et tamen vera substantia, quamvis dicatur argumentum. Et ideo non videtur hæc caro, neque vita æterna quæ speratur, quia Verbi caro propria est. In fide substantia est quæ jam credit, et communicatur, et adhuc tamen hodie speratur. Et ideo rerum non apparentium argumentum, hoc est, quia sperandarum substantia est. Quæ omnino jam per hæc in fide est, quinimo ipsa fides est. Et ideo vere qui manducat digne hanc carnem, et bibit hunc sanguinem, jam vitam æternam manducat et bibit, et Christus in eo manet per veram carnem Verbi, et per suum sanguinem, sicut et nos in illo per verum quem assumpsit hominem. Quod si vere Deus homo est, ut credimus, vera et caro Christi in hoc fidei sacramento est, vera et in nobis per hoc præstatur unitas, et in corpore Christi vera adoptio; atque per hoc quamvis quisque manducet et bibat hanc vitam, tamen integer manet et vivit Christus, quia est via, veritas et vita.

Sed quidam loquacissimi magis quam docti, dum hæc credere refugiunt, quæcunque possunt, ne credant quæ veritas repromittit, opponunt, et dicunt nullum corpus esse quod non sit palpabile et visibile. Hæc autem, inquiunt, quia mysteria sunt, videri nequeunt nec palpari, et ideo corpus non sunt; et si corpus non sunt, in figura carnis et sanguinis hæc dicuntur, et non in proprietate naturæ carnis Christi et sanguinis, quæ caro passa est in cruce, et nata de Maria Virgine. Ecce quam bene disputant contra fidem sine fide, ne credant, quia fides non eorum est, teste Apostolo, quæ videntur, sed quæ non videntur. Unde quia non videntur mysteria sunt et sacramenta. Et ideo in fide hoc sunt quod dicuntur, ut Veritas testatur. Propterea quia sperandorum sunt, non aliud jure quam caro et sanguis Christi creduntur. Alioquin præfata sancta Synodus Ephesina, cui contradicere nulli fas est plus quam Evangelio, quidquid in ea sancitum est, nunquam auderet abnegare quod abnegat, nisi ex Evangelio, et affirmare vere vivificatricem carnem Christi in hoc sacramento et ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est. Unde si apertius de his dici possit nescio, aut si manifestius, ubi totum quod est Christus prædicatur, non in figura, sed in re et in proprietate atque in natura, quæ vita naturaliter ut Deus existit, et ideo non virtus tantum, sed proprietas naturæ jure creditur. Ac per hoc isti qui negant hoc visibile esse mysterium atque palpabile, non ob aliud, nisi ne credant, et ne sit quod Veritas ait : *Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus.* Ascendant ergo hi ubi Christus est in dextera Dei Patris, et invenient visibilem et palpabilem ipsum eumdemque Christum quem requirunt. Nos autem quia per fidem ambulamus, et non per speciem, credimus et communicamus interdum quod latet, et quod est verum in mysterio ; quia omnino si non lateret, fides et mysterium non esset. Unde fit visibile et palpabile in Christo quod accipimus, et visibile in mysterio, et in fide caro Verbi in Spiritu sancto propria facta, et una eademque quæ passa est et non alia. Similiter et sanguis ad salutem, quibus fruimur in vita, quia mediator Dei et hominum est Christus, ut per hoc cum illo et in illo unum inveniamur.

Ecce habes, amantissime, in calice libelli hujus, sententias catholicorum Patrum, brevitatis compendio adnotatas, ex quibus addiscere possis, non me temeritatis afflatu talia olim puerum vidisse; sed auctoritate divina et sanctorum Patrum, ea petentibus proposuisse. Nunc autem exinde quia claruit quod non omnium est fides, discant, quæso, cum talibus credere, si adhuc nequeunt intelligere quod Deo nihil est impossibile ; discant et verbis divinis in omnibus acquiescere, et in nullo de his dubitare. Quia usque ad præsens nemo deerrasse legitur, nisi qui et de Christo erraverunt ; quamvis plurimi dubitaverint vel ignoraverint tanti mysterii sacramenta. Quin potius admiremur profundissimum Dei consilium, quod magni consilii Angelus instituit, qui vult omnes salvos fieri homines. Admiremur, et laudemus atque intelligamus in his quod beatus Hilarius (*lib.* III *de Trinit.*) intellexit, quo artificio, ut ita loquar, nos Christus in se collegit, vel quo mysterio unum in se nos esse naturaliter voluit, non per concordiam solummodo voluntatis, sed per naturam carnis suæ et sanguinis. Ait enim : « Quomodo non naturaliter manere Christus in nobis existimandus est, qui naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi

Introdusă în format electronic de Google

homo factus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Itaque, inquit, omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est, » etc. Similiter quoque et Augustinus testatur, et reliqui, quod eo modo ille in nobis est, et nos per assumptum hominem in illo; et si quis hoc destruere velit, totum destruat necesse est, sibi ad perniciem, quod homo Deus fieri dignatus est in sacramento ad salutem. Ideo verum est quod Ambrosius ait sanctissimus, quia ipsa eademque caro et sanguis quem accipimus et communicamus, quæ nata est de Maria Virgine, et quæ pro nobis pependit in cruce. Hoc et beatus martyr Cyprianus testatur. Unde si quis hoc negat ita esse, quia sacramentum vocatur, erit ei, sicut sanctus Augustinus testatur, mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam. Hinc et Leo apostolicus ait : « Hoc ergo ore sumitur, quod fide creditur. Et frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur. » Quod si quæris, charissime, super quibus universaliter ab omnibus Amen respondeatur in tota Ecclesia Christi, respice in sacramentorum celebratione instituente beato Petro (ut credimus) quid orat Sacerdos in Canone, exceptis his quæ post communionem dicuntur. *Ut fiat*, inquit, *corpus et sanguis dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* Qua prece expleta, consona voce, omnes, Amen dicimus; sicque omnis Ecclesia in omni gente et lingua orat, et confitetur quod hoc sit quod orat. Unde videat qui contra hoc venire voluerit magis quam credere, quid agat contra ipsum Dominum, et contra omnem Christi Ecclesiam. Nefarium ergo scelus est orare cum omnibus, et non credere quod ipsa Veritas testatur, et ubique omnes universaliter verum esse fatentur. Unde quia ipse suum esse dicit corpus, et suum sanguinem non oportet, et si oculis carneis non videmus quod credimus, dubitare in aliquo. Audivimus etiam quid Gregorius papa de hoc sentiat. Audivimus quid et sanctus Cyrillus cum universis coepiscopis in Epheso congregatis, quid Græcia cum eisdem, quid Ægyptus, et quid sanctus Hieronymus presbyter, qui et ipsas sanctorum Patrum vitas latino edidit sermone. Et ideo quamvis ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat quod totus orbis credit et confitetur. Quoniam ex magno Dei consilio, ut dixi, hoc ita esse sancitum est a Deo in cœna, ut Salvator quia eximium est, dicat discipulis : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar* (*Luc.* XXII). Alias autem nisi esset in eo evidens Sacramentum, nequaquam diceret : *Desiderio desideravi ;* quoniam majus est dicere, *desiderio desideravi*, quam si diceret simpliciter, desideravi, quamvis et hoc esset magnum. Nam hoc genus locutionis in Scripturis divinis, nunquam nisi pro magno intellectu cum tali additamento ponitur, sicut est : *Vita vivet, et non morietur* (*Joan.* VI) ; et de amico sponsi : *Qui stat et audit vocem sponsi, gaudio gaudet*, et alia hujusmodi. Et ideo non puto sine aliquo magno judicio ita dici debere, quanquam nemo recte se desiderare dicat, nisi ex desiderio. Tamen quia nec unus apex iotæ in Scripturis sacris superfluus esse creditur, recte talis exaggeratio plus aliquid innuit quam si diceret, desideravi. Non enim de solo agno illo legali hoc dictum credere debemus, quia et illum jam retro cum eisdem more judaico comederat, sed de veritate tanti mysterii. Quoniam in illa umbra futurorum, et prophetia erat in corpore et sanguine vere Christi, imo in ipso veritas Christo. Ipse namque erat agnus quem Abel primus obtulit, quem Moyses dudum mane et vespere offerri Deo in sacrificio præcepit. Erat autem in eadem cœna agnus ille typicus, erat et veritas (*Genes.* IV; *Exod.* XXIX; *Num.* XXVIII) ; oportebat autem de umbra transire ad veritatem. Et ideo gaudio gaudet, gratias agens Deo Patri, quia jam implebatur quod cum desiderio diu desideraverat. Assumpserat enim hominem in Deum, quando *Verbum caro factum est*, ut per eum essemus in illo ; sed necdum ille admiscuerat se per carnem et sanguinem suum nobis, ut singuli membra in illo unum essemus corpus. Quia etsi caro nihil prodest per se, Spiritus sanctus est qui vivificat corpus, ut in nobis omnibus unus sit Christus. In uno eodemque vivificatur Spiritu, et manemus in illo per hominem quem assumpsit, sicut et ipse per hoc mysterium corporis et sanguinis sui in nobis. Et ideo nostræ salutis summa, quia in isto consistit sacramento, desiderio sui desideravi adimplevit, ut cum suis antequam pateretur hoc verum manducaret pascha : quatenus per hoc antequam se daret in pretium, nos in illo et ipse in nobis unum essemus corpus. Et ideo in cruce nos cum illo simul crucifixi sumus, in baptismo simul consepulti, et in resurrectione simul conresuscitati. Unde ait Apostolus : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite* (*Coloss.* III). Quapropter, charissime, nihil in hoc dubites mysterio, quod veritas Christus de se largitus est nobis, quia etsi sedet in dextera Patris in cœlis, non dedignatur sub Sacramento quotidie per manus sacerdotis ac si vera hostia non infideliter, sed fideliter immolari.

Qui etsi non moritur, neque *mors* jam *ei ultra dominabitur* (*Rom.* VI), tamen in sacramento vere communicatur, ut in nobis maneat naturaliter, sicut et nos in illo. Hinc est quod ait : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me ipse vivet propter me* (*Joan.* VI). Ille autem vivit propter Patrem, qui natus est unigenitus ex Patre ; et nos propter ipsum, quia manducamus ipsum. Et ideo, dilectissime, summopere cavendum, ut nullus Christianorum hinc sine viatico exeat, id est sine corpore Christi et sanguine, ut Christum in se habeat sicut in fide, ita et in cibo carnis et sanguinis, quia beati mortui qui in Domino moriuntur (*Apoc.* XIV). Tunc autem in Domino morimur, si nos in illo, et ille in nobis per hoc mysterium maneamus. Interim vero providendum ne propter incuriam et mentis igna-

Introdusă în format electronic de Google

viam, nobis proveniant hæc (quod absit) ad perniciem, et ad damnationis cumulum, quæ tradita sunt in reparationem cum tanto desiderio æternæ salutis. Ad ultimum quæso ne sequaris ineptias de tripartito Christi corpore, non salem aut mel in eo admisceas, quod quidam voluerunt, nec aliud adjicias, nec subtrahas, sed totum ut Christus instituit, ita esse credas et intelligas ; quatenus per hoc ille in nobis concorporatus maneat, sicut et nos in illo per hominem Deum quem assumpsit, cui juravit Deus Pater : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* cvii ; *Hebr.* vi, 7), et non secundum deliramenta quorumdam. Idcirco apostolorum sequenda est traditio (*II Cor.* xi), ne unusquisque nostrum suam præsumat cœnam ad manducandum. Eorum itaque fides, eorum instituta sunt servanda. Quia ab omibus vere communicantibus una exigitur fides, studium et sollicitudo consideratur, facta quæruntur, ut semper hinc nos festini sequentes per charitatem, et per desiderium æternæ vitæ, transeamus ad æternam et perpetuam vitam. Vale, charissime, et diligentem te dilige.

S. PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

OPUSCULUM DE PARTU VIRGINIS.

(Apud Acherium, Spicilegii tomo I.)

MONITUM.

Opusculum de Partu Virginis an Hildefonsi Toletani archiepiscopi, an Paschasii Radberti Corbeiæ abbatis esset, jam olim addubitaveram, cum primum Spicilegii tomum ederem in lucem. Verum noster Joannes Mabillonius cum certissimis argumentis Paschasii Radberti esse comprobarit [a] visum est ea ipsa argumenta hic ascribere, queis prædictum opusculum, quod nunc a me integrum profertur Radberto asseratur.

« Franciscus Fevardentius, theologus Parisiensis, in Bibliotheca Patrum nonnulla Hildefonsi opuscula vulgavit; in his librum *de Virginitate sanctæ Mariæ contra tres infideles*, cujus hic Prologus : *Deus lumen verum, qui illuminas omnem hominem*, etc., et initium : *O domina mea atque dominatrix mea, etc.*, cui libro alium Hidelfonso itidem attributum subjecit *de perpetua virginitate S. Mariæ et de ejus parturitione*, cum hoc exordio : *Quamvis omnium Ecclesiarum virginitas beatæ et gloriosæ genitricis Dei Mariæ sit decus*, etc. Primum librum esse Hildefonsi, posteriorem vero Radberti abbatis Corbeiensis, certissimis deprehendimus argumentis. Hidelfonsus librum de Viginitate *testimoniis Veteris ac Novi Testamenti plenum edidit*, inquit Zixilanes; qui dicendi modus in priori libro evidenter non in posteriori apparet. Præterea Hildefonsus, auctore Juliano, librum de Virginitate scripsit *contra tres infideles*, et quidem *contra Joviniannm, Helvidium et Judæos*, quemadmodum ex Quiricii epistola, quæ præfixa est operibus Hildefonsi in ms. cod. manifestum est. Atqui Hildefonsus eosdem omnino infideles nominetenus in priore hocce libro interpellat et exagitat. In posteriore vero libro alius omnino quæstionis status : Patrum testimonia passim in confirmationem adducuntur, quos inter laudantur et citantur Gregorii Magni Moralia, Augustinus Hieronymus, Cyrillus, Alexandrinus, Petrus Ravennas, aliique, quos ne salutat quidem in opere suo Hildefonsus. Denique magna est inter utrumque opus styli diversitas. Hidelfonsus conglobatis synonymis adversarios urget; Radbertus majori sententiarum gravitate, qui modus senem decebat, in posteriori libro procedit, opusque suum dedicat abbatissæ et sanctimonialibus B. Mariæ apud Suessionas, ubi educatus fuerat, quod ex operis inscriptione postea referenda patebit. Unde eas *matres et matronas charissimas* sæpe appellat.

« Non ergo Hildefonsus, sed Radbertus posterioris istius libri auctor censendus est. Hujus tempore emersit controversia quædam inter catholicos de modo quo B. Maria Christum peperit. Eum naturali et communi cæterorum hominum via et lege natum asserebant nonnulli; alii contra, quos inter Radbertus, reclamabant. Quæstio ista in Germania orta est,uti docet Ratramnus, Corbeiensis monachus, Radberti sententiæ contrarius, in libello quem hoc de argumento composuit, et cuidam sibi *ignoto* (non proinde Radberto monasterii sui abbati) inscripsit. Ratramno respondere videtur Radbertus, *fratrum* nomine adversarios appellans his verbis : « Sed quia « quorumdam nunc fratrum rursus impudica quasi « percunctando laborat temeritas, decrevi ad vos, ma- « tronæ Christi, de his scribere, quæ ipsi curiosius « contra ejus pudicitiam, quam religiosius conan- « tur explorare. » Et ut statum controversiæ intelligas : « Non dico, inquit, quod dicant virginita- « tem amisisse, quæ nesciens virum virgo concepit, « virgo peperit, et virgo permansit; sed quia idip- « sum quod confitentur negant, dum dicunt eam « communi lege naturæ puerperam filium edidisse. »

« Hinc apparet magna inter utrumque Hildefonsi et Radberti opus diversitas. Hildefonsus agit *contra tres infideles;* Radbertus *adversus fratres.* Hildefonsus arguit Helvidium et Judæos, virginitatem Deiparæ pernegantes. Radbertus catholicos theologos, eamdem ipsius Deiparæ virginitatem admittentes, at non recte explicantes : ut qui Mariam dilatatis virginalibus claustris, Christum peperisse dicerent; quod certe jam voluerat Jovinianus, quem Hidelfonsus impugnat. Radbertus opus suum in duos partitus est libros, sanctimonialibus Suessionensibus nuncu-

[a] Sæculi II, Act. SS. ord. S. Bened. in observat. ad Vitam S. Hildefonsi.

Introdusă în format electronic de Google

patos hac inscriptione, qualis in apographis Corbeiensibus reperitur: *Venerabili matronæ Christi una cum sacris virginibus Vesona* [legendum *Suessona*] *monastice degentibus P. R.* (id est *Paschasius Radbertus*) *monachorum omnium peripsema*, etc. Hanc inscriptionem si vidisset Fevardentius, Radberto sine dubio proprium ac germanum fetum tribuisset. Post hæc sic liber incipit : *Quoniam omnium Ecclesiarum*, etc., quæ in Bibliotheca PP. habentur ad medium usque libellum. Nam ab eo loco ubi legitur hæc nota *hic aliquid desideratur*, codices manu descripti ab editis omnino discrepant, substituuntque partem A sermonis Hildefonso ascripti, qui inter editos *de Purificatione S. Mariæ* inscribitur ; secundus vero Radberti liber est ipsa homilia quæ in impressis prædicto sermoni subjicitur cum hoc exordio : *Inter sanctarum Scripturarum eloquia*, » etc.

Hæc Mabillonius, quem cum Acherius exscriberet, oblitus est sui officii esse hic monere Radberti opus e veteri codice Corbeiensi esse descriptum, et cum altero ejusdem monasterii collatum. Quod uterque opinatur libros hosce duos missos esse ad virgines Suessione degentes, statim sub examen revocabimus.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Venerabili matronæ Christi, una cum sacris virginibus Vesona [a] monastice degentibus PASCHASIUS RADBERTUS, monachorum omnium peripsema.

Quæstionem, charissimæ, de partu beatæ Mariæ Virginis mihi nuper allatam vobis persolvere decrevi; quoniam vos eam plurimum amare non ambigo; ut ex hoc sciatis quantum jam, longe diu a puero vester alumnus, multo jam senio confectus.

Quamvis omnium Ecclesiarum virginitas beatæ et gloriosæ Genitricis Dei Mariæ sit decus, honor et forma virtutis, maxime tamen sanctimonialium virginum, quarum castitatis ejus specialius illustratur virtutibus, informatur exemplis, corroboratur et meritis. Unde sacratissimum ejus puerperium animo C et corde devotissime venerari ac retexere, divini muneris est gratia. Propterea vero contra hæreticam pravitatem dimicare ac vincere opus est Spiritus sancti et virtus Altissimi, qui eam obumbravit; ut sine coitu viri, et sine ulla corruptione Dominum et hominem pareret, virgoque semper maneret. Pro qua jam olim beatum Hieronymum contra Helvidium hæreticum et contra ejus complices scripsisse leginus; quos ita debellavit ac devicit, ut deinceps usque ad præsens nihil recidivum [b] erroris contra eam surrexit.

1. Sed quia nunc quorumdam fratrum rursus impudica quasi percunctando laborat temeritas, decrevi ad vos, matronæ Christi, de his scribere, quæ ipsi curiosius contra ejus pudicitiam, quam religiosius conantur explorare; explorando vero partum D virginitatis ejus, et uterum pudicitiæ, introducunt [ac si] peritissimi physiologi callide satis disputatione sua colluvionem vitiorum, in qua concurrunt plurima erroris discrimina.

2. Dicunt enim non aliter beatam Virginem Mariam parere potuisse, neque aliter debuisse quam B communi lege naturæ, et sicut mos est omnium feminarum, ut vera nativitas Christi dici possit. Alias autem, inquiunt, si non ita natus est ut cæteri nascuntur infantes, vera nativitas non est. Et ideo ne phantasia putetur, aut ne sicut aqua per alveum transisse, ita per uterum Virginis absque nascentis ordine natus credatur, pium est sentire, sic eum lege naturæ natum fuisse, quomodo nascuntur cæteri infantes, et eam sic peperisse sicut reliquæ pariunt mulieres.

O cæca pietas, quæ tam impie sentit de Maria Virgine, et cæca præsumptio, quæ tam impie loquitur de Christo. Non dico quod dicant virginitatem amisisse, quæ nesciens virum Virgo concepit, Virgo peperit, et Virgo permansit; sed quia idipsum quod confitentur negant, dum dicunt eam communi lege naturæ puerperam filium edidisse. Quod si ita est ut astruunt et affirmant, quod absit, jam Maria virgo non est, Christus sub maledicto natus est, iræ filius de carne peccati, et ipsa quæ benedicta ab angelo prædicatur in maledictione adhuc permanens sub maledicto peperit. Alioquin quid est quod legem naturæ requirunt in Maria, ubi totum quidquid in ea fuit possedit Spiritus sanctus? quam virtus Altissimi obumbravit? Quod si virtus Altissimi ab omni æstu peccati eam obumbravit, in conceptu et in partu sicut ab omni æstu libidinis libera fuit, ita et ab omni pressura maledictionis, non ex sese, sed ex virtute Altissimi immunis et aliena fuit. Quapropter cogitent et divinarum rerum jura, quia non ex natura rerum divinæ leges pendent, sed ex divinis legibus naturarum rerum leges manare probantur. Idcirco temerarium est asserere de Christo quod secundum communem legis naturam sit natus, qui non secundum usum naturæ in utero de carne Virginis est procreatus. Nam et ipsa lex naturæ, sub qua nunc mulieres posse arbitramur.

[a] *Virginibus Vesona*. Acherius ad eum locum sic monet : *id est, Suessione;* atque eadem fuit doctissimi Mabillonii sententia, quippe qui legi voluerit *Suessona*. Nos ampliandum censemus : nam cum in Galliis fuerit, et quidem in Petragoricensi provincia, urbs *Vesona*, sive *Vesonna*, sive *Vesuna*, ut omnes geographorum filii norunt, nec quidquam obstare videatur quominus ad virgines quasdam in illa urbe degentes scripserit Paschasius, ejus nomen retineri

[b] *Nihil recidivum*. In altero codice, *nihil residuum*, non omnino male. Infra voces *ac si* parenthesi includere libuit; atque idem aliis duobus locis fecimus, quod cum sensum turbarent, additæ viderentur a librario, ac e genere illo esse notarum, quarum usum nunc pauci norunt. Ne vero parentheses illæ aliquem fallerent, etiam asteriscos adjecimus.

Introdusă în format electronic de Google

concipiunt et pariunt, ut ita dicam, vere non est lex naturæ quodammodo, sed maledictionis et culpæ ; quoniam, nisi Adam et Eva primum peccassent in paradiso, nemo deinceps nasceretur sub culpa peccati. Et ideo ista communis lex nascendi non naturæ est, sed corruptionis et vitii. Maria autem, quia benedicta culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore neque sub corruptione genuit. Quod si ex corruptione aut cum dolore natus est Christus, jam ex maledicto natus est. De quo maledicto Genesis testatur quod dixerit Dominus Evæ : *Multiplicans*, inquit, *multiplicabo dolores tuos et conceptus tuos* (*Gen.* III, 16). Pro quo Symmachus *afflictiones tuas* dixit. Origenes vero et Theodotion necnon et Septuaginta, *tristitias tuas* dixerunt, *et gemitus*. Ubi et Theodotion et Symmachus pro gemitibus ærumnas posuerunt, in quibus omnibus non lex naturæ designatur, ut isti physiologi volunt imperite satis, sed lex vindictæ multiplicatur, et augetur causa peccati, labores in partu, afflictiones, tristitiæ et ærumnæ atque gemitus. Pro quo in Hebræo habetur : הרבה ארבה עצבונך והרנך.

Unde omnes quæ pariunt non ex natura primæ originis sic pariunt, sed ex vitio culpæ, et ex maledicto justæ vindictæ Dei. At vero benedicta et gloriosissima Virgo Maria, non dico quod non ex communi lege naturæ, verum etiam nec ex natura prima originis filium, neque ex semine viri, sed de Spiritu sancto ex sua carne divinitus procreatum, sine ulla vitiorum colluvione Deum et hominem profudit. Et ideo partus ejus non sic tractandus est ut cæteri nascuntur quoniam sicut doctor egregius Athanasius ait inter cætera in libello Fidei suæ (*lib.* IX) quem quasi sub dialogo edidit : Incarnatus et Unigenitus secreto suo mysterio quod ipse novit. Unde prosequitur : Nostrum est, inquit, credere, et illius nosse. Audiant quapropter quia solummodo illius est nosse quomodo conceptus, quomodo in utero conversatus, quomodo Verbum Deus et homo de virgine natus sit unus Christus : quia, ut ipse ait, Deus Verbum totum suscipiens quod est hominis, ut homo sit, et assumptus homo totum accipiendo quod Dei est, utique Deus est. Quod si ita est, ut iste confessus est, imo quia est, ubi, quæso, communis est lex in nascendo, ubi colluvio vitiorum ? Nam Christus Deus, qui nunquam non fuit, ex quo homo factus est et assumptus in unitate personæ, semper mansit et permanet verus Deus et homo, non duo quidem ut esset alter Deus, et alter homo, sed unus idemque Deus et homo. Quamvis enim aliud per quod Deus, et aliud per quod homo, in utroque tamen unus Deus et homo, quia non fuit aliquando purus sine Deo conceptus vel natus homo. Sed quia conceptus est de Spiritu sancto ex virginea carne, et natus homo vere, mox ex ipsa conceptione ineffabili nativitate Deus verus processit, et natus est homo. Quomodo ergo commune dicitur quod est ineffabile? Vel quomodo non semper totus est verus Deus Christus, quicunque sine vero Deo nec conceptus est nec natus? Et ideo sicut clausis visceribus jure creditur conceptus, ita omnino et clauso utero natus. Nec enim illi accessit de homine impotentia quomodo nasceretur ex virgine, sicut nec aliquando ei accessit ne esset Deus et unus Christus, qui voluit sic nasci in unitate veri Dei et hominis, ut esset totum veritas quod nascebatur, et esset ineffabile prout nascebatur, atque totum credibile quod ex virgine nascebatur sine colluvione peccati, sicut ex nulla contagione primæ originis.

Quapropter audiant temerarii perscrutatores tanti mysterii, et intelligant quod non sunt hæc humanitatis jura in nascendo, neque lex non dico damnatæ naturæ, verum etiam nec lex primæ originis ante peccatum, ut Deus et homo unus de virgine sic Christus nasceretur; quia, ut ait beatus Cyrillus in Epistola ad Nestorium, non est natus communis homo de sancta Virgine, quia in ipsa vulva virginis, ut ipse fatetur, utero virginali se Verbum cum carne conjunxit, et sustinuit generationem carnalem, quia carnis suæ nativitatem suam fecit, et qui in forma Dei fecit hominem, in forma servi factus est homo : sed utrumque Deus de potentia suscipientis, et utrumque homo de humilitate suscepti ; ac per hoc talis partus non est communis lege naturæ, sed sicut mirabiliter conceptus, ita mirabiliter Deus et homo natus. Ergo non illum, ut cæteros adoptio filios Dei, fecit filium, sed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philip.* II), ut esset totus Dei Filius homo et Verbum, quia nunquam non fuit Dei Filius, qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, neque natus sicut cæteri nascuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia aut ex emolumento virtutum prærogativa filii præstaretur ; sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, ut totus esset Christus proprius, non ex dono gratiæ renascendo ut cæteri, sed salva proprietate utriusque naturæ. Personam vero hominis ideo non assumpsit, sed tantum hominem, quia ipse persona tertia cum Patre et Spiritu in Trinitate Deus unus semper fuit. Idcirco jure quod habuit in æternitate personam non assumpsit, sed hominem in tempore antea quem non habuit, ita ut qui suscepit, et quod susceptum est, sicut ait beatus Augustinus in libro de Prædestinatione, una esset in Trinitate persona ; quia, sicut ipse alibi ait, natus est de Patre Deus Verbum, natus est de matre Verbum caro factum, unus atque idem Deus Dei Filius natus ante sæcula, et natus in sæculo, et utraque nativitas unius est Filii Dei ; ac per hoc Virgo Maria jure Dei Genitrix vocatur, quia genuit Deum et hominem. Verbum caro factum, non ut cæteri nascuntur infantes, aut ut ex dono gratiæ fiunt homines, sed, sicut beatus Gregorius ait in Moralibus, salva proprietate utriusque naturæ essentialiter in suam assumpsit personam hominem, per quod mirabile sacramentum et æternus ex Patre et tem-

Introdusă în format electronic de Google

poralis ex matre, unus idemque esset verus Dei hominisque filius ; quoniam, sicut ipse ait in eisdem Moralibus, aliud est natos homines gratiam adoptionis per eum accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodisse.

Quapropter, quæso, cessent isti dicere sic eum esse natum ut cæteri nascuntur ; quia non genuit eum virgo Dei Genitrix ex origine primæ prævaricationis ut renascatur, sed de Spiritu sancto ut Deus credatur, sine dolore et sine gemitu, sine molestia et ærumna, sine tristitia et afflictione, quoniam hæc omnia justissime damnatæ carnis in prima origine retributiones sunt et vindictæ. At vero beata Maria licet ipsa de carne peccati sit nata et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc jam quando præveniente Spiritus sancti gratia ab angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* 1, 35). Alioquin si non eodem Spiritu sancto sanctificata est et emundata, quomodo caro ejus non caro peccati fuit? et si caro ejus de massa primæ prævaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit, nisi quia [a] Verbum quod caro factum est eam primum obumbravit, in quam Spiritus sanctus supervenit et virtus Altissimi eam totam possedit? Propterea vere caro jam non caro peccati fuit ; in qua Deus se totum infudit et Verbum quod caro factum est sine peccato ad nos venit, qui jure non solum legem naturæ vitiatæ in nascendo non tenuit, verum nec legem primæ originis quam haberent feminæ, si mandatum servasset mater omnium Eva in paradiso. Alias autem quomodo Spiritu sancto eam replente non sine originali peccato fuit, cujus etiam nativitas gloriosa catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix et beata prædicatur ; enimvero si non beata esset et gloriosa, nequaquam ejus festivitas celebraretur ubique ab omnibus. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, neque contraxit in utero sanctificata originale peccatum. Unde et si Jeremiæ dies atque Job maledicta pronuntiatur, dies, inquam, nativitatis eorum, dies tamen, quando inchoata est felix Mariæ nativitas, beata pronuntiatur, et colitur religiose satis. Quod si in peccato esset, jure maledicta diceretur, et gemebunda potius quam benedicta, quando nuntiatum est patri ejus quod nata esset in sæculo. Nunc autem quia universam benedictione sua beata Virgo Maria illustrat Ecclesiam, num merito sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda? Nullius igitur nativitas celebratur in mundo nisi Christi, et ejus atque beati Joannis. Sic et beata Virgo Maria, nisi in utero matris sanctificata esset, minime nativitas ejus colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur. Quod si præclara sacratissimæ Virginis nativitas universaliter tam sancta et tam gloriosa jure colitur et veneratur, quanto magis ipsa quando ab angelo jam gratia plena officiosissime salutatur? Nam cum dicit ei (*Luc.* 1, 28) *Ave*, cœleste venerationis obsequium exhibet ; cum autem dicit *Gratia plena*, ex integro iram expulsam ostendit, et restitutam gratiam declarat ; cum dicit, *Benedicta tu*, fructum benedictionis demonstrat, quia quando Spiritus sanctus in eam advenit, totam defæcavit a sordibus virginem et decoxit, ut esset sanctior quam astra cœli. Porro quando virtus Altissimi totam eam obumbravit, statim ejus [b] in utero veniens Verbum, quod erat in principio sempiternum apud Patrem, ut caro fieret ex tempore et habitaret in nobis.

Audiant igitur novi disputatores et investigatores novi et inauditi partus ; audiant et intelligant primum quia viri sunt, quomodo bene disputare queant de natura et sexu mulierum. Deinde recogitent, ut qui naturam requirunt et communem legem nascendi, ubi totum divinum est et ineffabile, divina virtus quod operatur : *Generationem ejus*, inquit, *quis enarrabit?* (*Isa.* 53, 8.) Nam *quis* hoc loco pro impossibili accipitur ; quia nemo sanctorum est, non dico divinam, verum etiam qui humanitatis ejus generationem ad liquidum queat enarrare, quamvis utrasque omnes debeant credere? Hinc ergo colligitur quod superstitiosa sit istorum cunctatio et superflua disputatio, quia dicunt ostia ventris et vulvæ eum aperuisse, et colluvionem sanguinis ut cæteri omnes, et fecundarum spurcitias post se traxisse, in quibus omnibus gemitus et dolor multiplicatur, tristitia et ærumnæ augentur, ut nemo sine his pariat filium. Sed absit a cordibus fidelium ut tale aliquid suspicentur de Maria virgine, quæ pro maledictione primæ originis benedictionem attulit mundo. Unde et ipsa si quidem, ut dixi, ab angelo benedicta prædicatur in mulieribus, et salutatur officiosissime ut mater Domini præ omnibus gloriosa, necnon et ab Eli-

[a] *Nisi quia.* E duabus lectionibus eam prætulimus quam Acherius in marginem ablegarat, cum edere maluisset *non quia*. Hic necessarium est lectorem monere, hic de Maria Virgine aliter scribi cum de Christi conceptione agitur, aliter, cum ejus nativitatis conditio describitur. Nam cum prius scripsisset Paschasius, Mariam et de *carne peccati natam* esse, et ipsam *carnem peccati* fuisse donec eam Spiritus sancti obumbratio *emundaret*, statim additur eam non solum nullis quando nata est subjacuisse delictis, sed ne in utero quidem materno originale peccatum contraxisse ; deindeque, Spiritum sanctum, *quando in eam advenit*, defæcasse eam a sordibus et decoxisse. Nullus unquam scriptor, ut equidem existimo, magis ipse sibi adversatus est ; an vero adeo turpis levitas Radberto ascribi queat, lectorem ut ex reliquo opere judicet, rogo.

[b] *Statim ejus.* Sic emendavimus cum corrupte legeretur *factum ejus*, ac deinde voculam *ut*, quæ necessaria erat, ascripsimus.

Introdusă în format electronic de Google

sabeth in spiritu prophetiæ benedicta pronuntiatur, et benedictus fructus ventris ejus creditur et veneratur. Ergo in qua et per quam tanta benedictio efflоruit et gratia manavit, non est credendum quod ejus puerperium doloribus et gemitibus more feminarum subjacuerit. Et quia beata Dei Genitrix tristitiis non subjacuit et ærumnis, libera ab omni maledictionis nævo fuit, quam Spiritus sanctus adimplevit et totam Domino dedicavit, quam virtus Altissimi obumbravit, et ex sanctificata carne virginis Verbum carnem assumpsit et counivit in unitate personæ. Et hoc est quod dicitur, Verbum caro factum est, non commistione naturæ, sed ex unitate personæ. Et ideo etiam de hac nativitate, ut dixi, jure dictum credimus : *Generationem ejus quis enarrabit?* Quia et ista ineffabilis est mira nativitas carnis, non sicut isti cæcutiunt communis ex lege naturæ, sed sacramento gratiæ. Nam quod nascitur Deus homo ex Virgine non est consuetudo, sed mysterium ; non est natura, sed virtus, sed dignatio ; non est ordo nascendi, sed potestas. Et ideo non est quod requirat humana sapientia in hac nativitate, nisi quia Verbum caro factum est et natus est ut voluit, vel quando et quomodo voluit. Alioquin quis capiat quod inauditum et ineffabile est, vel quid intelligentia carnis jure in eo requirit, ubi totum et divinum et incomprehensibile quod narratur? Ait namque Evangelista : *Generatio Christi sic erat* (*Matth.* I, 18). Utique generatio ista carnalis sic erat, de qua non dixit sic facta est ; sed sic erat, quia Christi generatio erat apud Patrem ineffabilis, quando per hanc præscriptam et ineffabilem generatus est ex matre. Unde quod erat, utique semper erat. Et quod semper erat ex æternitate potuit fieri ex tempore ; quidquid factum est in eo non mirabile.

Unde plurimum desipiunt, qui dicunt eum communi lege naturæ esse natum qui non ea lege constat esse conceptus ; quoniam hæc lex nascendi, quæ nunc lex naturæ vocatur, ex vitio primæ damnationis est. Et ideo ait Apostolus : *Fuimus nos omnes aliquando filii iræ sicut et cæteri* (*Eph.* II, 3). Sed absit a fidelium cordibus ut ita Christus natus credatur filius iræ, sicut cæteri nascuntur in vitio corruptionis, de qua corruptione dolor et gemitus multiplicatur. Alias autem secundum carnem nec gemitus, nec dolor sine corruptione viscerum, nec corruptio sine dolore et gemitu : gemitus et corruptio in partu feminarum non nisi ex delicto et maledictione primæ originis veniunt. Unde interrogemus istos sequaces Helvidii hæretici, qui, etsi virginem eam non denegant permansisse, pudicitiam tamen commaculant et gratiam qua plena prædicatur, quando communi lege vitiatæ naturæ dicunt eam peperisse. Quod si ita peperit, ergo adhuc [ac si] in massa primæ damnationis contra angeli vocem maledictioni subjacuit, et Verbum Patris de carne peccati, quod absit, ut caro fieret hominem assumpsit. Sed quia contra fidem catholicam est sic sapere, beata Virgo plena gratia neque dolorem sensit, neque corruptionem viscerum pertulit, quia quantum aliena fuit a culpa, Spiritu sancto in ea cooperante et virtute Altissimi qua adumbrabatur, in tantum extranea a maledicto primæ damnationis, nec non et a gemitu et doloribus, quibus vexantur omnes filiæ Evæ cum pariunt. Unde Propheta in persona Christi ad Patrem : *Tu es*, inquit, *qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ* (*Psal.* XXI, 10). Ergo cum dicit, tu es qui extraxisti me, singularem suam declarat nativitatem, suavitatem de utero enixus. Alias autem, omnis qui de ventre matris venit ad lucem in mundo, non nisi nutu et operatione Dei procreatus venit. Christus autem de Virgine speciali et ineffabili quodam modo procreatus, absque vexatione matris ingressus est mundum. Et ideo pium est credere, quod non sicut cæteri, sed novo et admirabili ordine Deus et homo natus est in mundo. Hinc ergo est quod Jeremias testatur : *Faciet Dominus novum super terram ; mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI, 22). Quod si utique novum fuit et admirabile quod virgo concepit sine semine et sine corruptione viri, vetustas esse non potuit in partu, et ideo nihilominus credendum quod simili modo, novo et admirabili ordine natus sit in mundo sine dolore, et sine gemitu, et sine ulla corruptione carnis. Et hinc est [ac si] pro gratiarum actione, quod speciali modo in psalmo, qui de ipso totus est, ad Patrem ait : *Tu es qui extraxisti me de ventre*, ac si patenter dicat : Extraxisti me, quia non eo ordine sum egressus de utero ut cæteri nascuntur cum ingenti vexatione matris, sed novo egressu sine corruptione pudoris. Extraxisti me quidem de ventre matris, et non ego viscera corrupi integritatis. Et ne putaremus phantasma fuisse, ut multi hæreticorum dixerunt, addidit : *Spes mea ab uberibus matris meæ*. Ergo ubi mater et ubera narrantur, veritas carnis et non phantasma prædicatur, qui licet clauso utero sit natus, quem ipse sibi pervium fecit salvo sigillo pudoris, sicut et conceptus, tamen de carne Virginis procreatus est, et ideo uberibus jure lactatus commemoratur. Sic itaque totum factum est, ut fieret novum super terram quando Verbum caro factum est, vocatum est *Emmanuel*, quod est *nobiscum Deus* (*Matth.* I, 23). Hic est itaque hortus ille conclusus in Canticis, fons signatus (*Cant.* IV) : hortus siquidem conclusus, quia quando Deus ingressus est et eam incorruptam invenit ; sed fons signatus permansit, quando Deus et homo natus est ex ea ; nec tamen fontem pudoris aut sanguinis integritatem violavit. Nam sanguis et fons pudoris qui corruptus non fuit in conceptione prolis ex coitu viri, non credo quod corrumpi debuerit in nativitate, quod cruciationem matris et contaminationem honestatis habuerit. Hinc est sane quod Ecclesia ex auctoritate sanctorum Patrum canit de nativitate ejus : *Et gaudium matris habet*, inquit, *cum virginitate pudoris*. Ubi alii quam egregii viri emendarunt, cum virginitate honoris. Virginitatis autem honor permaximus est, si et virgo Deum pariat et hominem, et tamen ex homine nato nullis affligatur kakiis si-

Introdusă în format electronic de Google

gillum pudoris. *Kakia* namque dicuntur Græce *vexationes*, quibus quam dire affligitur corpus et animus. Sed beata Maria nihil horum pertulit, quæ et gaudium habuit in fructu, et honorem in partu. Hinc quoque dicitur concepisse Virgo et peperisse et permansisse. Æqua igitur conditione dicitur concepisse ac peperisse, æqua et permansisse. Non enim in partu solent coire puerperæ cum viris, ut virgo tunc negetur virginitatem perdidisse, quando nullus est appetitus, neque ulla possibilitas coeundi, sed integritas commendatur virginis, et honor atque incorruptio carnis. Alioquin nos viri quia nescimus illius sexus naturam, interrogemus virgines, interrogemus æque et matronas conjugio copulatas. Virgines quidem, ut sciamus quid sit integritas carnis et sanguinis; conjugatas vero, si est ulla corruptio in partu aut dolor, nisi processerit sanguinis contaminatio et seminis susceptio. Non enim libenter vobis verecundiam incutimus, charissime, qui non sine magno pudore de his loquimur, sed eximiæ pietatis honor est vobis et decus virtutis, beatissimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam et incontaminatam, et ab omni contagione primæ originis confiteri alienam. De qua si interrogemus virgines, norunt incorruptionis gratiam, sed nesciunt fecunditatem prolis. Si vero quæramus apud conjugio dedicatas, sciunt quidem maledictionis Evæ pressuras et gemitus, sciunt et inter ærumnas et tristitias fecunditatem seminis, sed nesciunt integritatem virginitatis, nec in concepta nec in partu. Beata vero Mater Domini in utroque virgo permansit, id est et in conceptu mater, et in partu virgo, quia in nullo horum contaminata reliquarum exemplo feminarum fuit, quæ nec Adam ad se admisit, nec ex Evæ colluvione filium suscepit, nec sub maledicto in doloribus et angustiis enixa Dominum peperit. Unde constat quia sicut clauso utero concepit, ita et clauso peperit, non communi lege naturæ vitiatæ et maledictionibus damnatæ, sed Spiritus sancti gratia, et virtute Altissimi qua legitur adumbrata.

At vero isti nisu quo possunt conantur astipulare Virginem in vitio peperisse, et pudicitiæ contumelias inferre. Unde assumunt illud ex Evangelio : *Cum impleti essent dies purgationes ejus*, quod *obtulerunt Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur* (*Luc.* II, 22. 23). Ecce, inquiunt, cum dicit completos dies purgationis ejus, ostendit evangelista legi naturæ eam subjacuisse, et sordibus coinquinatam fuisse, simul et Jesum vulvam matris aperuisse. Qui profecto temerarii assertores dum ita sentiunt, totum desipiunt et destruunt quod sanæ doctrinæ est, quod rudimenta fidei de Christo ecclesiis commendarunt, quod gratia Spiritus sancti in mysterio promulgavit. Non enim sic completi dies purgationis ejus dicuntur, quasi beata Virgo purgatione egnerit ullius delicti, quia peperit Dominum Jesum Christum de Spiritu sancto procreatum, sed quia ipsa sub rege erat, et Dominus Jesus Christus sub lege factus, factus de muliere, legis præcepta et instituta veterum in eo servantur jure ad tempus, quousque cessante lege gratia succederet. Et hæc est completio dierum secundum consuetudinem legis et non secundum necessitatem purificationis, quia beata et intemerata virginitas immaculata et incorrupta permansit, nullis coinquinata sordibus, nullis vexata Evæ cruciatibus. Non potest fieri, juxta angeli vocem qui gaudium universorum affert, ut ipse Christus tormenta in ortu suo matri attulerit. Inter angelorum excubias et laudes non credo quod matri gemitus et dolores tristitiasque Evæ contraxerit ; et ideo alia erat purgatio illa feminarum, in qua purgabantur non minus delicta animarum quam et vitia corporum ; et alia purgatio Mariæ, in qua non ob aliud quam pro mysterio consuetudo legis servatur, quia nullis egebat purgamentis quæ Deum de se omnium purificatorem genuit incarnatum. Porro completio dierum purgationis ejus nulla alia causa est quam expletio et consuetudo legis. Purgatio vero et separatio reliquarum feminarum multis ex causis est, in qua et vitia purgantur animarum et vitia corporum. Unde septem deputantur dies immundi, quibus sedere jubetur mulier in sanguine immundo, immundissima juxta dies separationis ejus, et triginta tres ut sedeat in sanguine puro. Omnibus tamen diebus istis mulier immunda erat et sordida multis ex vitiis, donec redintegraretur status totius corporis, et sanarentur corpora sanguisque cessaret a fervore vitiatus ; sicque emundatis sordibus, mulier divinis purgaretur hostiis et muneribus. Sed beata Maria non talibus eguit sacrificiis, quæ sanctam de se genuit hostiam, per quam mundus purgatus est. Nam quod dicit evangelista, *Quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, non ideo dicit, ut nos cogat credere quod Christus vulvam matris aperuit, ut alii, sed ut doceret quod ideo sistunt eum Domino ut *facerent secundum consuetudinem legis pro eo ; quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, in mysterio legis et sacramento sacræ prævaricationis. Non enim evangelista hoc testimonium de lege ideo adhibuit, ut monstraret Christum vulvam virginis reserasse, sicut cæteri primogeniti, sed ut ostenderet eum sub lege factum, et de vulva virginis prodisse, non qui vocaretur tantum, sed qui esset essentialiter sanctus, cui jure patet omne clausum. Quod testimonium beatus Ambrosius exponens in Evangelio ait (*lib.* II, *cap.* 2 *in Luc.*) : [a] « Non enim virilis coitus vulvæ virginis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Quod sane semen præfatus doctor non sic dicit infusum, ut aliunde sit quam ex carne Virginis et sanguine, neque ut Spiritus sanctus sementivum esse credatur carnis, ut Irenæus vult, sed per

[a] *Non enim*. Quæ sequuntur, de verbo exstant apud Hildefonsum serm. I de Purificatione.

Introdusă în format electronic de Google

hoc verbum Spiritus sancti operatio designatur. Deinde addidit : Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit. Et paulo post : Hic ergo, inquit, solus sibi aperuit vulvam ; nec mirum. Qui enim dixerat ad prophetam : *Priusquam te formarem in utero, novi te, et in vulva matris sanctificavi te* (*Jer.* I, 5). Qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.

Quibus profecto verbis non mihi videtur sibi contrarius, aut cæteris doctoribus sanctis, quia dicit quod solus sibi aperuit vulvam. Aperuit siquidem sibi sua potentia mirabiliter, ut esset et pervium iter, ita ut virgineus clausus maneret uterus, sicut fuerunt januæ clausæ, et tamen per easdem ingressûs est ad discipulos, sicut etiam sepulcrum signatum et clausum quando resurgens egressus est per illud ; hinc quoque alibi ipse ait :

> Fit porta Christi pervia,
> Referta plena gratia,
> Transitque rex et permanet
> Clausa.....

Non hoc sic dicit ut intelligas quod contra se sentiat, sed sic utique ut plenissime cognoscas eum de utero et per uterum Virginis natum, quem ipse sibi fecit pervium, ac per hoc ipse sibi vulvam aperuit. Sibi quidem, quia vulva virginis licet clausa ei penetrabilis patuit, tamen cum enixus intraret mundum clausam reliquit et signatam sigillo pudoris. Omnino quia Deo nihil difficile est, eo quod, ut quidam ait, subditur omnis natura ejus imperiis, ritu solito ; idcirco constat eum absque ambiguo ita natum, ut esset secretum genitale matris et clausum, quod sibi ipse sua virtute fecit apertum. Alias autem, ipse solus sanctæ Ecclesiæ, quam sibi sponsam dedicavit ad generandos populos, aperuit vulvam virginitatis. De qua nimirum vulva David Propheta canit dicens : *Alienati sunt peccatores a vulva ; erraverunt ab utero ; locuti sunt falsa* (*Psal.* LVII, 4) ; personam hæreticorum declarans, qui alienantur a vulva integritatis Ecclesiæ ; quam sane immaculatam servare contendit Apostolus et virginem custodire, cum dicit : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2). Cujus genitale secretum tunc aperuit, quando per aquam et Spiritum sanctum renascendi gratiam concessit. Cui propheta : *Lætare*, inquit, *sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis ; quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV, 1). Unde et Anna in Cantico suo : *Donec sterilis*, inquit, *peperit plurimos ; et quæ multos habebat filios, infirmata est* (*I Reg.* II, 5). Iste est ergo solus essentialiter sanctus, non per quem mater corrumpatur, sed per quem vulva reseretur Ecclesiæ, primogenitus ex multis fratribus. Quem in figura futuri mysterii per ora legis[a] divinæ præscripta signabant in primogenitis suis. Non quod essent vere sancta, sed quia vocabantur ex mysterio legis. Alioquin si litteram sequimur, quomodo sanctus erat omnis masculus aperiens vulvam, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat. Nunquid sanctus Achab, aut Joram, seu cæteri? Nunquid pseudoprophetæ quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuriæ ignis absumpsit? Non utique ; sed in sacramento futuræ præfigurationis vocabantur sancti cum non essent, donec veniret Christus essentialiter sanctus, qui et sponsæ suæ vulvam aperiret, fecunditatemque pariendi filios refunderet. Ipse namque Dominico dignus judicatus est obtutu ; cæteros omnes juxta legis seriem typum fuisse futuri nemo qui ambigat. Et ideo sistunt eum Domino, quoniam ipse est purgatio per resurrectionem octavi diei in Jerusalem, ut in eo condonetur et offeratur omnis adoptio filiorum Dei. In eo namque quod lex ait : *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, promittebatur Virginis partus vere sanctus, quia immaculatus, qui aperiret vulvam Ecclesiæ, ut in eo sanctificarentur reliqua omnia, et essent primogenita. Unde signanter angelus ad Mariam : *Et quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* II, 35). Non quod corruperit matrem nascendo, quam integram et inviolatam reliquit virginem, sed quia ex ea natus Deus homo aperuit Ecclesiæ vulvam, et in carne sua pervium sibi fecit iter, ita ut Virginis aulam clausam servaret, quatenus ex matre Virginem sibi duxisse sponsam ostenderet, quam tali tantoque fœdere nascendi virginem permansuram et immaculatam monstrabat.

Unde constat legaliter eum oblatum, sicut et circumcisum ; alioquin circumcisione non eguit, quia originale peccatum nullum traxit, quo delendus esset ipse Christus de populo suo nisi circumcideretur. Et tamen circumcisus est, quia volens sub lege fuit, ut eos qui sub lege erant redimeret, sicut et oblatus, ut nos qui rei eramus sacrificium Deo Patri in se offerret. Alias autem si ipse, quod absit, immundus esset ut matrem coinquinaret, quomodo nos emundaret in sua oblatione, et faceret hostiam Deo in odorem suavitatis? Idcirco etsi ipse dolores nostros et infirmitates in se pertulit et portavit languores, absit ut matris pudorem ullis vexaverit injuriarium molestiis. Absit per quam omnis maledictio Evæ soluta est, ut ipsa in partu maledictionibus subjacuerit primæ damnationis. Absit ubi virtus nascitur, ut ibi tanta colluvio vitiorum credatur ; ubi gaudium omnium prædicatur, quod tanta tristitia et gemitus intervenerit ; inter angelorum discursus quod immunda septem diebus in sanguine immundo sederit. Ad quam si ita esset, nec pastores mane juxta legem, ut ita dicam, ingredi liceret ; nunc autem quia angelus eos evangelizandi gratia devotus invitat, veniunt et vident, inveniunt et intelligunt de Verbo

[a] *Per ora legis.* Forte *priora* : aut *pia*, ut in Ratramno legitur cap. 6, non ita multo post particulam negationis ubi legitur *sancti cum non essent*, adjecimus.

Introdusă în format electronic de Google

quod eis prædictum fuerat. Nequaquam igitur credendum quod invenerint Mariam in tantis spurcitiis, solam, multis miseriis, ut assolent puerperæ, consternatam et obvolutam ; ad cujus partum multitudo angelorum canit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Ergo ubi et per quem tanta pax prædicatur, non credo quod illæ ignominiæ immaculatæ matri contigerint aut dolores carnis.

Sed et Magi venerabiliter deinceps intrant domum, et inveniunt quod pastores inveniunt, Mariam, Joseph et puerum; inveniunt non vexatam doloribus, sed obsequentem puero ; deinde procidunt et adorant oblatis muneribus quem cum matre inveniunt. Adorant, inquam, ejus primogenitum. Primogenitum autem, non eum quem sequantur fratres, sed quem nullus antecedit. Quamvis enim quidam voluerint potius unigenitum dici debere quam primogenitum, tamen quia idioma Scripturarum est quidquid primum aperit vulvam primogenitum vocari, sanctificatumque esse Domino, maluit Evangelista secundum eumdem ritum primogenitum quam unigenitum dicere, non quod aperuit vulvam lege naturæ, ut mos est cæterarum feminarum, sicut isti aiunt, sed quia ex ea natus est tam primogenitus quam et unigenitus, lege divina factus sub lege, ut per eum lex tota impleretur in spiritu et ad litteram. Nam et ipse primogenitus ex resurrectione appellatur ex multis fratribus. Unde quia colligitur in specie genus, quamvis unigenitus dici posset per naturam, magis tamen hic primogenitus debuit dici, ut esset indicium quod jam in eo et per eum alii quam multi fratres colligebantur filii Ecclesiæ per gratiam, cujus aperuit vulvam. In Veteri quoque Testamento illis primogenita dabantur quam sæpe, qui Dei gratia præelecti sunt, quorum non ex natura dignitas, sed ex gratia meritum antefertur. Idcirco dicimus et nos quod primogenitus hic significantius dicitur quam unigenitus, ut per eum omnes qui ex gratia colliguntur, illi solummodo coadunati in cœlestibus habeantur. Hanc quippe figuram gerebant omnia illa primogenita sub lege Domino consecrata. Et ideo justum erat ex his omnibus primogenitis qui vulvam Domino aperiebant, ut Dominus inter eos legaliter offerretur, cujus formam illa omnia præferebant, ut esset ipse primogenitus in omnibus primatum tenens. Non qui vulvam vexaret matris, sed qui vulvam aperiret Ecclesiæ. Hæc idcirco dixerim ut intelligat prudens lector, quia primogenitum non sequentes fratres faciunt, sed ideo certe primogenitus Christus vocatur, quia omnes unigeniti, sicut ipse unigenitus fuit matris, primogeniti dici queunt, non tamen omnes primogeniti jure queunt unigeniti vocari. Ex quo colligitur primogenitum eum vocari debere, ante quem nullus et post quem nullus, et non eum tantum quem fratres sequuntur. Jure igitur Christus primogenitus appellatur ex virgine, non quod vulvam vexaverit virginis et aulam reseraverit pudoris, sed quia qui erat ab initio primogenitus totius creaturæ, natus est ex ea et ipse tam unigenitus quam et primogenitus eo quo voluit modo, sine gemitu et sine dolore parientis. Nam et de baptismo primogenitus recte vocatur, qui et in resurrectione primogenitus resurrexisse dicatur. In utraque tamen natura et nativitate quamvis primogenitus dicatur, jure unigenitus esse creditur, quoniam idem est hominis et Dei Filius; non alius et alius, sed unus et in utraque unus.

Quibus profecto catholicæ veritatis regulis hinc inde patet sensus, quod nemo nisi hæreticus dicit Christum nonnisi communi lege naturæ natum, neque aliter quam ut cæteri nascuntur infantes. Quamvis enim præfatus doctor Hieronymus in eo opere, quod contra Helvidium ex hoc egit, videatur ei cessisse, et eo in loco ubi ait de hospitio vulvæ novem mensium, et de vilitate nascendi quod ille hæreticus insultando proposuerat, quasi indignum esset divinæ majestati ad tantam dignationem se humiliasse, ut inter viscera in utero versaretur Virginis, aut inter femora feminea nasceretur tam sordidus. Sic enim omnia in contrarium opponens quasi hæreticus, ut destrueret fidei catholicæ veritatem. Cui e contrario egregius ille veritatis assertor non cedendo, ut isti volunt, sed dignitatem gloriosissimæ humilitatis Dei amplius commendando ait; quod quanto viliora et inhonestiora pro nobis illa majestas divina suscepit aut sustinuit, tanto charius nos redemit, et propensius honorandus est. Tali namque sensu, etsi non eisdem verbis in quantum recolo, eisdem respondens hæretico videtur beatæ Virgini non infamiam ullius colluvionis, aut pœnam peccati intulisse, sed dignationem divinam et exinanitionem immensam in forma servi reverenter satis commendasse, non ut virginem vexatam a Domino et exhonoratam ostenderet, sed ut clementiam pii Conditoris etiam hujusmodi hæreticis demonstraret. Idcirco non cessit istis cum Helvidio errantibus, sed corripuit ut discerent non infamare virginem, et Deum non derogare in forma servi humilitatem. Non enim pudicitiam ejus in aliquo læsam docet, qui tantum in ejus laude triumphat, neque ad horam cessit ejus adversariis, qui pro ea tantum et tandiu dimicavit verbi gladio. Cui Deus contra hostes ejus tantam resistendi contulit gratiam, et revincendi præbuit virtutem, ut nemo contra eum audeat insurgere.

Oro autem, sacratissimæ virgines Christi, vestris intervenientibus meritis, ut qui illi tantam præstitit dicendi peritiam et debellandi adversarios fortitudinem, mihi quoque dare dignetur loquendi gratiam, et quæ digna sunt huic mysterio aperire in Spiritu veritatis, quatenus hinc inde per vos et propter vos, o matronæ Christi, dignus inveniar tantopere, qui meis nullis suffragor meritis, ut apte defendere queam matris Domini mei pudicitiam, et non sane credentibus pandere ve-

Introdusă în format electronic de Google

ritatem, ut resipiscant et cessent jam ultra loqui falsitatem.

Dicunt autem quod non aliter natus dici queat Christus nisi æqua sorte naturæ ut cæteri ; quasi æqua conditione in Scripturis divinis semper nativitas esse dicatur, cum longe alia sit ista nativitas omnium qua sub sorte maledictionis nascuntur, et alia si Eva non peccasset : quia ista sub maledicto est et ærumna ; illa autem tota in flore benedictionis fructum afferret sine gemitu et dolore. Unde, quæso, saltem illam isti concedant nativitatem Christo de Maria Virgine, qua nascerentur communi lege omnes si non peccasset Eva, quæ nunc nativitas nota est soli Deo, et ignota forte hominibus; et non ascribant ei maledicta, gemitus, et ærumnas pro gaudio matri attulisse. Quæ tanto magis Virgo libera fuit a corruptione passionis, a dolore carnis, a sordibus ignominiæ, quanto gratia plena et incorrupta, quanto Spiritu sancto dedicata et virtute divina adumbrata. Habet enim Spiritus sanctus in se recessus suos, quibus modis dicatur nativitas in Scripturis sacris, et quibus occultetur legibus sempiternis. Alia namque est nativitas carnis de carne, alia Dei de Deo, et alia quarumlibet rerum innumerabilium. Et tamen eorum omnium non unus est modus nascendi, neque unus eorum ordo existendi, quamvis nativitas in singulis æque dicatur quibus est jure attributum, ut nati de altero dicantur, ac per hoc quolibet modo de Maria Virgine Christus recte natus creditur, quia ex ea carnem assumpsit. Nativitas vero ipsa quomodo ad nos exierit, utrumne ea conditione qua Eva peperisset si non peccasset, an gloriosus, quia Deum et hominem genuit et virgo permansit, quod illa non esset, neque reliquæ dum parerent, superflue quæritur. In quo opere nemo sanctorum voluit dubitare, sed catholica fide hoc certum omnes prædicant, quia nec in delicto concepit, nec in delicto et dolore cum corruptione peperit, neque Christus ex ea ullum peccatum traxit. Quod si ex ea peccatum non traxit, nec admisit, quia nullis cruciatibus in nascendo matris vexavit pudorem, neque in aliquo ejus commaculavit virginitatem.

Non dicimus itaque, ut aiunt, quod monstruose sit natus, sed sicut præsignatum est olim in prophetis, et traditum est nobis a sanctis Patribus, quod ipsa sit porta quæ ostensa est Ezechieli, de qua dicit : *Vidi portam in domo Domini, et hæc erat clausa ; et vir non transiet per eam ; quia Dominus Deus exercituum ingressus est per eam* (*Ezech.* XLIV, 2). De qua porta beatus Ambrosius in eodem hymno, de quo dixi, quem in honore sacratissimæ Virginis composuit : Fit porta, inquit, Christi pervia, referta plena gratia, transitque Rex et permanet clausa, ut fuit, per sæcula. Ergo cum dicit fit pervia, semetipsum exponit et ostendit transitum nativitatis ejus ; cum dicit permanet clausa, ostendit adimpletum quod erat in prophetis. Clausa igitur non diceretur, si in aliquo læsa esset ejus integritas. Sed quia in nullo est violatus pudor virgineus, neque fons in aliquo resignatus, procul dubio patet sensus, quia clauso utero ad nos venit, sicut januis clausis ingressus est ad discipulos. Siquidem aspectus discipulorum utrumque tunc probavit, scilicet quod et fores clausæ essent, et quod Dominus per easdem introiens coram eis præsens astaret, sic et fides nostra utrumque de Christo certissimum tenet, quod et pervia fuerit ejus integritas nascente Domino ex ea, et tamen uterus non fuerit reseratus. Alioquin quomodo clausum dici potest permansisse quod violatum est? Aut quomodo sine dolore et sine gemitu puerpera peperit, si more cæterorum feminarum vexatis visceribus filium edidit? Et si ita patuit, ut aiunt, quomodo clausa permansit ut fuit antequam pareret ? Nec enim januæ illæ penetrabiliores erant clausæ, quam uterus virginis incorruptus. Idcirco non abs re creditur ad nos Dominum sic exisse, ut nativitas Christi de carne Virginis probaretur, et virgo nullis cruciatibus vexaretur.

Forte dicturi sunt isti, quod corpus jam incorruptibile et immortale exilius esset ad penetrandum quo vellet, quam esset prius antequam resurgeret. Nequaquam igitur hoc dicit quisque qui sane sapit : quia ex quo conceptus est homo, idem semper qui ante Deus fuit. Unde quando super undas æquoreas ambulavit ante passionem, non minus homo quam Deus fuit. Quod si ad naturam respicias rerum, aut corpus sine pondere vexit, aut undas sua potentia quo sustinerent [a] pondus corporis solidius, confirmavit. Et ideo, ut beatus Gregorius ait in homiliis suis (*Homil.* XXVI), Redemptoris nostri opera quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim, inquit, corpus Domini intravit ad discipulos, januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero virginis. Deinde addit : Quid ergo mirum si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero virginis exivit? Ecce tantus talisque doctor et summus pontifex de hoc quid senserit, qui omnes ante se legerat tam Latinos quam et Græcos eximios tractatores. Ecce ex hoc uno quod nulli dubium esse credidit, approbat quod forte dubium esse poterat. Nemo igitur qui sane sapit, de re multum dubia incertum aliquid affirmare contendit. Unde quia de illo corpore quod videri poterat, fides intuentium dubitabat dum fores cernebant clausas, magister veritatis ab eis omnem aufert dubietatem, cum eis manus et latus palpare et videre jubet. Ita et hic auctor egregius de hoc quod omnibus in commune certum esse credidit, rem valde difficilem astruxit et firmavit, quod corpus Dominicum post resurrectionem januis clausis introierit, fueritque incor-

[a] *Quo sustinerent.* Ita emendavimus; nam corrupte legebatur *quo sustinere.*

Introdusă în format electronic de Google

ruptibile pari modo et palpabile. Tamen quolibet pacto ingressus ex Evangelio ad discipulos januis clausis probatur, sicut et clauso utero virginis natus. Quod si natus sic per vulvam jure dici non potest, ut isti volunt, omnino nec ingressus per januas ; et tamen ingressus ad eos convincitur, quando in medio eorum stetisse legitur. Sicut et de sepulcro egressus signato monumento [a] monstratur, quando angelus revolvit lapidem et vacuum ostendit monumentum. Unde liquido constat, quod sicut saxeum illud ostium ei pervium et penetrabile fuit, nec potuit cohibere vivum quem prius claudebat sub sigillo mortuum, ita et claustrum matricis atque genitale virginis cum esset clausum et signatum sigillo pudoris, cum impleti essent dies pariendi non potuit obstare partum integritas corporis, nec tamen eguit reserari, quia non oportuit ut esset tormentum ei qui erat honor matris et gaudium, quia Deo totum erat pervium in ea quidquid erat clausum, honor vero quia totum erat Deificum quod natum.....

Fateor plane quod non tanta materies disputandi valeat inveniri, cur signato sepulcro exierit, vel cur clausis januis introierit ad discipulos, quanta quod de Maria Virgine clauso exierit utero. In illis siquidem declaratur divina majestas, in hac autem monstratur divina dignatio, et secundum humilitatem debitus honor matris et reverentia pudoris. Hinc quoque beatus Ambrosius hymnidicis laudibus testatur (in hymno *in natali Domini*), quod claustrum pudoris permanserit, et vexilla virtutum in ea fulserint, in qua tota majestas Deitatis versatur, quousque plenitudo temporis advenit pariendi. Ergo in qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio intervenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis. Et in qua vexillla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis ut cruciaretur, viguit. Fulserunt autem vexilla virtutum in illo sacro puerperio, quando virgo concepit sine semine, virgo peperit sine dolore et gemitu, et permansit virgo fecunda prole. Hoc quippe est claustrum permanere pudoris, in nullo violatum esse genitale secretum quod ei fuit apertum. Non in conceptu, non in partu, non in ulla confusione parturitionis. Nam et Ecclesia Christi omnis tam Romana quam et Græca sic sua et divina fideuter canit auctoritate quod peperit Virgo sine dolore, quod permansit inviolata, quoniam eam in omnibus illæsam servavit Spiritus sanctus, ut virgo haberet filium, et servaretur ei honor tanto munere dignus, quanta sanctificatione uterus Dei fuerit dedicatus.

Explicit tomus de Partu Virginis Mariæ primus una cum sacris virginibus dedicatus.

[a] *Signato monumento.* Acherius ediderat *signatus* ; idem scripserat *Deificum quo natum*, ubi reposuimus *quod natum.*

LIBER SECUNDUS.

Inter sacrarum Scripturarum eloquia cavenda est semper vana et superstitiosa intelligentia; quia sicut in proverbiis legitur, *perversi difficile corriguntur ; et stultorum infinitus est numerus* (*Eccli.* 1, 15). Et ideo quorumdam fratrum temeritas, quia semel cœpit sacramenta divini muneris procaci disputatione commaculare, et mysterium sacri partus superflua inquisitione discutere, malunt cum hæreticis errare, quam cum catholicis quæ male sentiunt corrigere. Unde sibi quia rimas vanæ disputationis inveniunt, sentinam pravæ colluvionis ad submersionem animarum fœtidam nimis in Ecclesiis introducunt, dum dicunt mendose Mariam Virginem naturali lege Dominum peperisse sicut reliquæ pariunt feminæ, et non aliunde in partu incorruptam fuisse solummodo, nisi quia ex viri coitu non conceperit. De cujus incorruptione jam me supra satis in priori tomo dixisse credo. Sed quia isti nostris non acquiescunt dictis, pervicaci insultatione diffiniunt virginitatem non aliunde quam ex coitu viri corrumpi posse, neque corruptam vocari debere Mariam, licet juxta legem pepererit omnium feminarum, eo quod, inquiunt, etsi viscera vel genitale secretum more cæterarum feminarum patuit ut nasceretur Christus, virginitas tamen corrumpi non potuit; propterea Dei Genitrix sola virgo post partum et incorrupta fuit. Talibus igitur et hujusmodi vaniloquiis dum suas diffundunt nenias, sanctorum Patrum præmittunt auctoritatem, et commaculant catholicam fidem. Unde, quæso, quia nostra dedignantur audire, audiant beatum Augustinum, cui contradicere fas non est, de hac re in libro Euchiridii (*cap.* 34) inter cætera disputantem. Ait enim : Nihil humanæ naturæ in illa susceptione fas est dicere defuisse. Non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cujus reatus regeneratione diluitur, sed qualem de virgine nasci oportebat, quem fides matris non libido conceperat; quoniam si vel per nascentem corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso , quod absit, natum de Virgine Maria tota confitetur Ecclesia, quæ imitans ejus matrem, quotidie parit membra ejus, et virgo est. De quo sane Opere ad Volusianum satis eleganter scribit, ad quem etiam librum nos legendum pro hoc remittit. Sed isti quia nec illum librum, nec hunc locum legere volunt, errant sua temeritate decepti. Alioquin, ut hic egregius doctor fatetur, si vel per nascentem corrumperetur integritas virginalis, non fas esset eam dicere virginem, corrupta a nascente virginitate. Et si cor-

Introdusă în format electronic de Google

rupta esset vel per nascentem, quomodo integra esset et illæsa virgo? Audiant itaque hic vaniloqui tantum doctorem, et resipiscant, ne forte introducant per suam falsam assertionem Christum in delictis conceptum, et iniquitatibus natum. Quia et si de virgine non est natus, falsum est quod Ecclesia confitetur, ut hic ait; falsum et quod omnis Scriptura Novi ac Veteris Testamenti de illa testatur. Sed quia omnino virgo permansit, nullis pressa est * doloribus, in nullo corrupta fuit; et ideo non secundarum spurcitias traxit, non sanguinis fluxum emisit, non corruptiones viscerum infra extraque pertulit. Quod si talibus et hujuscemodi pateretur puerpera tormenta, procul dubio virgo non esset, quia virginalis integritas violata esset. Hinc Sedulius, rhetor Romanæ Ecclesiæ, in Paschali suo opere (*cap.* 3, *init.*) ait : Infans namque parvus ac maximus, membris scilicet exiguus, deitate præcelsus, per hospitalis templi sinceram defluens castitatem, non læsit corpus abscedens quod non læserat cum venisset. Quod si ita est, imo quia ita est, non ita natus est ut cæteri nascuntur corrupto corpore, sed illæsis visceribus Deus et homo natus est. Unde adhuc idem vere divinæ generationis hoc secretum testis virginis partus ostenditur, qui materni pudoris custos ingressus clausis visceribus conceptus est et creatus. Nihil ergo apertius dicere queunt, nihil manifestius hic sancti doctores de partu Virginis, quod integra virgo clausaque permanserit, ut fuit antequam pareret, quod omnino non esset si in partu, more cæterarum feminarum, corruptioni subjaceret. Nulla igitur virgo hujusmodi subjacet passionibus; et ideo vere virgo, quia integra et incorrupta est, jure dicitur. Sic et beata Dei Genitrix ut vere virgo dicatur dum parit, ex toto recte clausa more virginum et incorrupta creditur. Quod si non ita maneret incontaminata ut reliquæ virgines, vere virgo non esset. Quod ut ostenderet David propheta, vaticinans de ea satis congruo exemplo ita ait : *Descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psal.* LXXI, 6). Quem versum Cassiodorus senator in Expositione psalmorum pertractans, vellus sacratissimam Virginem Mariam intelligit detonsam ex ovibus Israel; pluviæ vero divinitatem Verbi comparat, quia sicut pluvia in vellus cum summo silentio venit, ita perfudit ac replevit virgineum corpus, et possedit virgineam mentem. Miro itaque modo miroque comparationis exemplo firmavit vaticinando descensionis ejus in uterum virginis adventum, quia sicut pluvia integrum et inviolatum perfundit vellus, ita et divinitas Verbi incontaminatam et illæsam servavit virginem. Integram quidem eam invenit et incorruptam, quando descendit sicut pluvia in vellus, et ingressus est virginea viscera, descendit autem et sicut stillicidia stillantia super terram. Unde idem Propheta in duabus istis prophetiæ sententiis perfectam Christi incarnationem explanat. Per stillicidia namque terram germinare cernimus, ex qua ad infusionem et ad humorem pluviæ omne virgultum agri germinatur, et omnis terræ viror nascitur. Sic et divinitas Verbi descendens in Mariam sicut stillicidia super terram, germinare eam fecit germen vitæ; et non aliunde quam ex seipsa idem de carne virginis per infusionem divinæ majestatis. Et ideo æque quod natum est ex ea divinum et humanum fuit, ita ut ex Maria neque divinitas Verbi nata credatur sine homine, neque homo sine Verbo, quia Verbum caro factum est, ac per hoc Deus et homo unus est Christus. Porro per pluviam quæ descendit in vellus, non germinandi naturam expressit ex vellere, sed modum nascendi ex virgine. Nam pluvia sereno tempore quando perfundit vellus æque ad ingressum servat integritatem ejus, æque ad egressum quando refunditur, quia in nullo a pluvia velleris integritas violatur. Sic quippe de Maria Virgine præfatus ille cœlestis orator sentit, sicque confitetur quod nec ad ingressum Filii Dei sit corrupta, nec ad egressum violata, sed in omnibus plena gratia, integra et illæsa est servata; nec cum ingreditur, uterus aut viscera corrumpuntur, nec cum evacuatur, reserantur. Manet quidem genitale secretum, sed clausum et immaculatum; evacuatur uterus, ut vellus a pluvia, sed non quassantur viscera. Duabus itaque istis sententiis, ut præfatus doctor insinuat, Spiritus sanctus voluit declarare quod demum Isaias de Christo testatur, dicens : *Quomodo descendit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit; sic erit Verbum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui : et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Ecce quid per pluviam David voluerit significare, et quid per stillicidia, profecto Spiritus sancti infusionem, et Verbi divinitatem.

* *Nullis pressa est.* Sic Acherius ipse legi debere conjecit, cum in codicibus suis reperisset *passa est.*

Introdusă în format electronic de Google

S. PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

DE FIDE, SPE ET CHARITATE

LIBRI TRES

(Apud Marten., amplissima Collectio, tom. IX, pag. 470.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Alterum Paschasii Radberti opusculum, quod novum hic viris eruditis ac piis exhibemus, tres *de Fide, Spe et Charitate* libros complectitur, qui quo sint tempore conscripti paucis accipe.

Cum jubente Warino, Corbeiæ Novæ abbate, in juniorum fratrum gratiam, quos ille *de tirocinio ad perfectiora* provehebat, editi fuerint ante annum 856, quo Warinus ad superos transiit conscriptos fuisse constat; constat etiam post editos in Matthæum libros, quos lib. I, cap. 9, citat, Paschasium Warini jussis obtemperasse; idque, ut vero simile est, ante susceptam Corbeiæ Veteris præfecturam, quam anno 844 obivit, alioquin non *jubente* sed *deprecante* Warino, opus istud aggressus diceretur. Annum præcise designant Annales Corbeienses, a Guillelmo Leibnitio Rerum Brunswicentium tom. II inserti, in quibus ad annum 843 hæc lego : *Præradbertus lector eximium librum scripsit, de Fide, Spe et Charitate.* De quo ad annum 859 idem annalista hæc habet : *Præradbertus commonachus noster claruit pietate et doctrina a Bathurato episcopo in Patherbrunn, valde dilectus.* Ubi quod *Præradbertus* appellatur, error est annalistæ, decepti inscriptione recentioris codicis Corbeiensis, quæ amanuensis ipsius errore sic effertur : *Præradbertus Warino Corbeiensi abbati et archimandritæ suo salutem*, cujus loco, si antiquiores libros consulere licuisset, non *Præradbertus*, sed *P. Radbertus* legisset, quod sane præmissi versus acrostichi indicant, quorum initiales litteræ efficiunt *Radbertus Levita.*

Tractatum de Fide, Spe et Charitate publicam primus in lucem emisit noster Bernardus *Pez*, acceptum a cl. viro Georgio *Eckart*, qui illum ex codice Corbeiensi non satis fideliter descriptum ipsi tradidit edendum, tot mendis conspurcatum, ut non solum verba integra, sed integras passim lineas omittat aut saltem immutet; id quod Bernardo Pezio viro diligenti minime censemus esse tribuendum, sed Eccardo aut illi qui ejus nomine tractatum præcipiti nimis calamo descripsit; quod indigne ferentes nostri Corbeienses, exemplum aliud accurate descriptum et diligentius collatum, ut nostra hac in amplissima collatione locum habere posset, mihi contulerunt. Ita præ cæteris optavit reverendissimus ac perillustris dominus Anscharius de Grass, ejusdem loci prior ac celsissimi principis abbatis consiliarius intimus, ac vicarius generalis et archidiaconus, qui illum editioni paraverat.

INVOCATIO.

Pompe Camena moras, virtutum fœdera pange,
Ad cœli thalamos quo possim scandere perpes.
Hic, nivei flores quo vernant, cespite fosso,
Mucolicosque relinque favos, sublimia carpe.
Excipiam vitæ fontes aperire calentes
Rauca licet pueris, cœlestia munera pandam.
Heres sunt quæ veniunt uno de fonte sorores,
Virgineo gressu, Christi de sanguine lotæ [a] :

[a] Edit., *totæ*.

sed Charitas harum est cunctis præcelsior una,
Laude Fides digna virtutum summa gubernat,
Et petit arma prior, sancti quibus omnia vincunt,
Virgo beata Dei Spes tendit ad ardua gressum,
In solio recubans, Christi munimine tuta ;
Heres istæ nectunt virtutum fœdera, quæque
Ad cœli thalamos animam conscendere cogunt.

P. RADBERTUS

WARINO, *Corbeiensi abbati et archimandritæ suo, salutem.*

Nec dubium quin altissimum est de his disserere arte, vel eloquentia queunt; præsertim cum apoquæ nemo novit nisi qui accipit : accipi autem non stolus Jacobus dicat : *Omne datum optimum,*

Introdusă în format electronic de Google

omne donum perfectum desursum esse (*Jac.* I, 17.) Unde diu mecum [a] multumque, mi Pater, deliberans, adorior quod exigis, de fide, spe atque charitate quippiam, quid sint, vel qualiter habeantur. Profecto cum [b] nullus, ut prætuli, earumdem virtutum intelligentiam, nisi ex dono sancti Spiritus potest acquirere, sine quibus nullus in re dicitur Christianus, etsi omnes reliquæ virtutes videantur adeptæ; quoniam ex istis et in istis totius humani generis salus, et virtutum efficientia pendet; Scripturarum quoque divinarum, non dico quælibet manifestiora, verum omnia profundissima panduntur et obscura, non quidem poetarum salsura [c]. Tres nunc Musarum fingo sorores, aut Pierium [d] pulso illectus, sed vias vitæ aggredior manantes de paradiso. Unde novo appulsus amore, pii favoris voto devinctus, tuis me precibus adjuvari credidi; ne sine his de his loqui audeam, quoniam non ista atramento et charta traduntur, sed calamo Spiritus sancti, de quo Propheta canens: *Lingua mea*, inquit, *calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2). Verumtamen non adeo [e] lectionem omittendam censeo, imo disciplinam earum, eruditionem sectandam, ut habeat Christianus quod intelligat, et in his precibus universi quod exoptent. Alioquin quodcunque agimus, aut cuicunque doctrinæ insistimus, nihil est quod acquirimus; quia in his est quodcunque nobis a Deo donatum credimus, speramus, et per charitatem diligimus. Nulla igitur pagina divinarum Scripturarum quæ tres hasce virtutes fundamentum et culmen totius Christianitatis non prædicet et insinuet; quibus cætera præstantur dona, et vita consequitur sempiterna. Pascuntur enim septem Spiritus sancti donis, sicut in Job præsignatum legimus, quod tres filiæ ejus quotidie per orbem dierum in singulorum fratrum suorum epulabantur domibus; videlicet [f] quia fides, spes atque charitas rore Spiritus sancti opime saginantur, ut visibilia contemnant [g], et ad ea quæ non videntur indesinenter festinent [h]. Spiritu quippe Dei aguntur, et ideo pro his quæ jam donatas diligunt [i], ardenter invigilant. Quapropter de his loqui, ut congruit, sicut dixi, altissimum est; tacere vero, et non pro his doctrinis, et precibus insudare stultissimum; quandoquidem nec beatitudo vestra petiit more sanctorum Patrum [j] de fide disputare; sed quid sint [k], qualeve negotium gerant, vel quid proprium, aut quid commune in credentibus germanitatis officio impendant, suis quod de tirocinio ad perfectiora provehis, paucis capitulatim pandere jussisti; unde habeant hi ad modicum, quid degustent; perfectiores vero omnium [l] sanctarum Scripturarum volumina perlegant; quoniam in his, si recte sapiunt, non deerit, quo amplius et perfectius Domino reserante crescant, et crescendo ad ea, quæ sempiterna sunt, feliciter perveniant. Amen.

[a] In editis deest *mecum*.
[b] Edit., *profecto enim nullus*.
[c] Edit., *falsimenta*.
[d] Edit., *Pieridum*.
[e] Edit., *non ideo*.
[f] Edit., *videtur*.
[g] Edit., *contemnentur*.
[h] Edit., *festinetur*.
[i] Edit., *diliguntur ardenter invigilatur*.
[j] Edit., *sanctorum primum*.
[k] Edit., *quid sit qualeve negotium geratur*
[l] Edit., *omnia*.

INCIPIT LIBER DE FIDE.

CAPUT PRIMUM

Quid sit fides?

1. Quærendum prius, quid sit cæterarum omnium virtutum initiatrix fides; quia, sicut Apostolus ait, licet aliis quibusque Christianæ religionis enitere videamur operibus, *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* VI, 33). Et ideo satis admodum studiose, non dico, quærenda, imo imploranda est fides; sine qua nemo adhæret Deo; per quam sancti vicerunt regna, operati sunt justitiam, per quam adepti sunt repromissa, et adhuc hodie ex ea mirabiles prædicantur; alioquin quis justificatur, nisi ex fide? *Justus autem*, inquit, *meus* [a] *ex fide vivit* (*Hebr.* X, 38). Ergo quærenda talis, ac tanta potestas fidei, cui omnia cedunt, sine qua nemo vivit, per quam nobis reliqua virtutum præstantur bona, et *ad mensuram fidei nostræ*, ut Apostolus ait (*Rom.* II, 3), omnia gratis dispertiuntur. Manifestum igitur, quod ex diffinitione rerum, juxta philosophorum sententiam, quæque illustrantur, ut melius a singulis intelligantur. Propterea quærenda hujus diffinitio, non physica inquam et humana, sed divina; ut per eam quoque, quid sit, de qua quæritur, evidentius apprehendatur. *Fides*, inquit Apostolus in quo Christus loquebatur, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1), quod altera interpretatio, *convinctio non apparentium*, habet. Convinctio autem non apparentium jure fides dicitur; quia nobis invisibilia, et æterna, necdum igitur apparentia in corde convincit, et religat. Unde et religio nominatur. Religio autem, eo quod religet mentes nostras ad Deum, dicta probatur; vel quia invisibilia, et æterna per fidem quasi thesaurum, ne a nobis prolabatur [b] in corde vinculo amoris fortiter ligat. Qui nimirum thesaurus, ut scriptum est, re-

[a] Edit., *inquit Apostolus*, omissa *meus*, quod extat apud Apostolum in epistola ad Hebræos.
[b] Edit., *prolabantur*.

Introdusă în format electronic de Google

quiescit in ore sapientis (*Prov.* x, 13). In ore quippe, quia de corde manat. Quem thesaurum in Christo novimus, in quo sunt [a] *omnes thesauri sapientiæ, atque scientiæ* (*Col.* xii, 3). Christus vero *per fidem in cordibus nostris*, teste Apostolo (*Eph.* iii, 17), convinctus, et compactus charitatis loro [b] tenetur; cum quo Pater, et Spiritus sanctus *mansionem in nobis facere* dignentur [c] (*Joan.* xiv, 23); ut sit jam in cordibus nostris Deus [d] Trinitas substantia necdum apparentium. Ecce quid sit fides, *substantia*, inquit, *sperandorum, argumentum non apparentium.* Porro sperandorum substantia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus est, totus Deus, integer Deus, unus Deus, sicut Propheta canit: *Spes mea Dominus* (*Psal.* lv, 5). Quidquid enim illud est, quod Deus est, hoc totum recte credentes sperant; quia ex illo, et de illo plena immortalitas exspectatur, plena beatitudo, plena et interminabilis æternitas, atque immarcessibilis vita. Illum itaque sperant, quia cum jurejurando pollicitus est olim patribus daturum se nobis; qui etiam fecisse gaudentes [e] credimus, et credentes speramus; sperantes vero patienter sustinemus, donec post modicum (quia adhuc secundo veniet, et non tardabit) plenitudo adoptionis recipiatur, quæ jam in spe per fidem in nobis indulta tenetur. *Dedit*, inquit evangelista, *potestatem eis filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* i, 12). Ex Deo itaque renascuntur, qui fide plena ex aqua et Spiritu sancto ad immortalia renovantur. Hæc, inquam, est fides, plena Deo, plena deitatis substantia, qua renascimur; credere Patrem, ac Filium, atque Spiritum sanctum, unum Deum, verum, permanentem, incommutabilem, sempiternum. Hæc, inquam, est sperandorum substantia, et hæc via credendi, repleta omni veritate. Qua [f] profecto fide interdum totus Deus creditur, tenetur, amatur, atque colitur; in qua nihil vacuum, nihil dubium, nihilque adumbratum, sed solidum, integrum, atque verum.

2. Hæc igitur, ut quidam diffiniunt, origo justitiæ est, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis utique fundamentum; sine qua nemo Deum promeruit, nullus viam sanctitatis arripuit. Est enim innocens, et pura credulitas, qua itur ad Deum, per quam præceptis [g] insistimus, et Deum jure cum pietate veneramur; quæ nimirum excludit dubia, firmat [h] in animo certissima promissorum Dei. Hinc et signa ostendit, virtutes exercet, et charismata sacramentorum complet. Tenet igitur Deum, et tenetur a Deo. Aliud siquidem a Deo fide percipimus, aliud ex fide debemus; quæ nimirum fides pactum est, vel fœdus inter Deum et homines. Unde nec debet aliquis placitum fœderis destituere, cujus se pignus conspicit retinere. Nam etsi inter idoneos probosque viros semper pacta servantur, fitque violatæ fidei reus qui aut placitum dissolverit, aut pactum irruperit, vel sociale commercium perfida calliditate mutaverit; quanto magis inconcusse servandum, quod cum Deo contrahitur, cum Christo initur, ne reus æternis legibus obnoxius censeatur! Unde irretractabiliter observandum, quidquid cum Deo in spe cœlestium promissorum copulatur; quia, etsi homines in invicem [i] nonnunquam aut fallunt, aut falluntur, Deus ab homine falli nequaquam potest. Propterea exigit [j] quid promiseris; quoniam remunerator est eorum quæ compleveris. Hinc quoque angelus in Apocalypsi ait: *Esto fidelis usque ad mortem. Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ* (*Apoc.* ii, 10); *quoniam hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* v, 4). Fides utique, quæ *per dilectionem operatur* (*Gal.* v, 6), et non, quæ *sine operibus mortua* (*Jac.* ii, 20) jacet in semetipsa, qua dæmones credunt et contremiscunt.

3. Verum igitur, quia infidelitas nos a ligno vitæ expulit, necesse est ut fidelitas revocet. Dictum est ergo homini in paradiso: *Quare dixit vobis Deus, ne comederitis de ligno dignoscentiæ boni malive? scit*, inquit, *Deus quod, in quacunque die ex eo comederitis, eritis sicut dii* (*Gen.* iii, 1, 5). Quæ nimirum fides, imo infidelitas ex mundo, et diabolo fuit: idcirco satis oportet ex Deo sit fides, et in Deum, per quam itur ad Deum, ut non ex sese, aut ex mundi, vel ex mendacio diaboli; sed tota pendeat ex Deo, et maneat in Deum. Alioquin, quomodo vincere potest mundum, si oblectetur, et faveat his quæ sunt in mundo? Propter quod, ut inexsuperabilis tota sit, ut dixi, in Deum, et ex Deo, nihil consentiens faventibus oculorum concupiscentiis, et inimicorum fallaciis, in quibus vitæ superbia ministratur; imo præceptis Dei obediat, promissis inhæreat, dictis credat, ex carne et de mundo nihil præsumat. Qua sane, si quis nascitur, fide, natus ex Deo [k] parente ipsius jure dicitur; quia talis ac tanta fides, teste apostolo, sperandorum substantia divinitus prædicatur. In qua nimirum nihil nisi contemplatio deest deitatis; *quoniam videbimus eum sicuti est* (*Joan.* iii, 2): interdum autem tantum credimus quia est; etsi necdum apprehendimus quid est, donec evacuetur quod ex parte est; cum autem evacuatum fuerit [l], invenietur totum quod in fide est. Et ideo fides nostra jure ipsa substantia deitatis appellatur, quæ est sperandorum facultas, si forte nihil intra se de illo tenuerit, nisi quod ipse est. Alioquin falsa

[a] Edit., *in quo scilicet.*
[b] Edit., *thoro.*
[c] Edit., *dignatur.*
[d] Edit., *SS. Trinitas*, omissa voce *Deus*, quæ tamen optime quadrat.
[e] Edit., *sperantes.*
[f] Edit., *quia*; longe melius *qua.*
[g] In edit. desiderantur hæc verba: *Per quam præceptis insistimus, et Deum pure cum pietate veneramur.*
[h] Edit., *parit in animo.*
[i] Edit., *invicem.*
[j] Edit., *exigitur*, sed melius *exigit* scilicet *Deus.*
[k] Edit., *natus ex Deo Patre dicitur*, omissa *ipsius jure.*
[l] Edit., *fuit* non ita bene.

Introdusă în format electronic de Google

fides falsam prætendit spem : idcirco non fides, sed error potius, sicut nec spes, sed delusio recte dicitur. Unde de hac substantia nihil fingere, nihil sentire, nihilque præsumere debemus, nisi quia est et quantum de se docuit, qui se ipsum abundanter novit. Cæterum, si sensibus nostris subjaceret, inferior nostri [a] esset ; sed quia præeminet [b], et exsuperat omnem sensum, credere oportet quia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus Deus, magnus, et immensus Deus, non habens, sicut scriptum est, consummationem ; semper ubique totus, non accessu quidem, aut recessu, quia illocalis est, usquam attingens. Sed totus in Patre Filius, et totus in Verbo Pater, totusque Spiritus sanctus in Patre ac Filio, unus Deus, una substantia ; tres quidem personæ, sed una æqualitas ; nec minor Pater solus quam simul Filius, et Spiritus sanctus ; sicut nec major Pater, et Filius quam solus Spiritus sanctus. Profecto, quia unum sunt. Unitas autem nec plus, nec minus recipit ; sed semper una quantitas [c] prædicatur. Idcirco Deus jure semper una immensitas, una sperandorum facultas, fide creditur, spe tenetur, charitate veneratur, diligitur, et simul his tribus unus Deus, immensus, et sempiternus colitur. Longum est igitur de hac Trinitate immensa doctorum catholicorum ad modicum volumina pervadare, præsertim, cum nec nostri operis assertio id proposuerit ; sed tantum tuis obtemperare jussis, et simplicioribus exhortando ostendere, quid sit fides, spes atque charitas, quibus Deus Trinitas colitur et prædicatur. Aliud quippe est a sapientibus, et eruditissimis Ecclesiarum doctoribus de fide Trinitatis subtilius, ad refellendos fidei adversarios disputare [d], in quibus perpauci probantur idonei ; aliud siquidem paucis explicare quid sit ipsa fides, spes atque charitas, sine quibus nemo salvatur, nemo Christianus jure creditur.

4. Hinc quoque summopere intellectualiter quærendum quid sit quod ait Apostolus : *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Nunquid igitur tale argumentum quale utuntur philosophi ad decipiendos interdum incautos [e] ? absit. Sed hoc verbum veniens ab ambiguo Græco, multis in Latino licet impropriis interpretatur verbis ; vix tamen exprimens efficaciam verbi Apostoli ; et ideo alii *argumentum*, alii *capitulum*, alii *convictio*, vel *visio* transtulere ; sed bene ad sensum *capitulum* sonare videtur ; quia hic initium rerum non apparentium fides tenetur, illic integritas visionis ; et sicut vera quælibet argumenta sapientes sæculi persuadere solent, ita fideles Christi ea, quæ certissima sunt et vera, fide investigare : *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* v, 7) ; et ideo fides quasi argumentum investigandi tenetur ; species vero, quæ per eam quæritur, veritas ; quam jam fides illustrata quærit, non aliud, sed eum ipsum, quem jam per fidem tenet ; propter quod per Prophetam dicitur : *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum* [f], *et confirmamini, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4) ; ac si patenter dicat : Quærite Dominum, et non alium ; sed eumdem ipsum, quem jam invenisse constat per fidem ; scilicet, ut confirmemini magis ac magis in idipsum, donec ad speciem perveniat ; *quia videbimus eum, sicuti est.* Et non ut aliud requiratis, *quærite*, inquit, *faciem ejus semper.* Porro *semper*, quia immensus est, et non recipit consummationem. Siquidem fides propterea dilatari jubetur, atque ad immensa progredi, ne forte finem faciat credendi. Immensus quidem Deus, immensam requirit fidem, qua capiatur ; et ideo expedit nullam [g] et ipsam de illo recipiat consummationem ; donec liceat videre, veluti est, Deum deorum in Sion. De quo sane sponsa in Canticis : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea* (*Cant.* III, 1) ; et post pauca : *Cum pertransissem eos*, inquit, *inveni quem diligit anima mea ; tenebo eum, nec dimittam, donec introducam illum in domo matris meæ* (*ibid.*, IV, 4). Quid putas, quo abierit, vel quo invenerit eum, vel quibus vestigiis quæsierit illum ? fidei utique gressibus in corde [h], ubi prius jacens in lecto infirmitatis, nequiverat invenire ; quia profecto nodo infidelitatis adhuc premebatur. Unde signanter in nocte quæsisse illum dicitur ; quæ mox, ut [i] pertransiit tenebras cæcitatis, invenit eum fide ; propter quod et constanter abnegat, nunquam se dimissuram, donec ingrediatur domum cœlestis Sion, quo liceat evidenter faciem ejus speciemque tueri. Quam sane faciem semper requirere, et nunquam quærendi studium abrumpere se jurat ; quia profecto fides argumentum non apparentium est, et necdum species perfectæ visionis. Ergo dum fides recta tenetur, ille in corde versatur, quem qui apprehenderit, necesse est fidem teneat confessionis ; alioquin, nisi fides servetur, ille in nobis esse non potest, qui nonnisi fide apprehenditur, apprehensus vero in cordibus nostris fide servatur ac tenetur.

5. Et notandum, quæ videntur, quia temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Porro fides circa ea quæ non videntur, semper versatur ; quia illa sunt sperandorum pascua. Alias autem ea *quæ videntur, quis sperat ?* (*Rom.* VIII, 24). Et ideo fides sperandorum substantia est ; quia illa omnia in se gerit quæ non videntur. Contemnit vero temporalia, et supergreditur visibilium universa, nihil in se habens caducum, nihil vacuum, nihilque infirmum, imo plena Deo, plena veritate, quia Deus veritas est ;

[a] Edit., non habent *nostri*.
[b] Edit., *prominet*.
[c] Edit., *qualitas*.
[d] Edit., *disputari*, non ita recte.
[e] Edit., *innocentes*, sed longe melius *incautos*.
[f] In edit. desideratur *quærite Dominum*.
[g] Edit., *ne et illa ipsa*.
[h] Edit., *gressibus et corde*.
[i] Edit., *ubi pertransiit*.

Introdusă în format electronic de Google

plena æternitate, plena incommutabilitate, ad eamdem quoque satisfactionem ducit, ad quam etiam quæ videntur; proindeque neque circa ea quæ videntur, credulitas, vel incredulitas dici potest, sicuti nec fides; nisi cum circa ea quæ non videntur, amplius quam circa illa quæ videntur, satisfactionem habuerit: quoniam, quæ sunt in spe, sine substantia quodammodo esse videntur, dum sine fide putantur; et ideo omnis fides tribuit substantiam. Et ut evidentius loquar verum, ipsa est essentia, seu substantia eorum, ut puta resurrectio generalis necdum facta est, et ideo quasi necdum est in substantia; sed quia credimus Christum resurrexisse caput totius Ecclesiæ, credimus et in illo omnia membra sui corporis resurgere, imo resurrexisse, sicut ait Apostolus: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite* (*Col.* III, 1). Ecce quod notandum in re visibili, quia in Christo est, et necdum apparet, ut futura est; fides nobis tribuit substantiam; et spes vera facit eamdem resurrectionem jam subsistere in anima nostra. Et hoc est quod dicit Apostolus: *Fides est sperandorum substantia.* Et ut alii codices habent: *Visio necdum apparentium.* Vera igitur visio; quia fides recta verior est quam visio; quoniam, etsi visu sæpe fallimur, ut multis in locis probare possumus, fide tamen nunquam deludimur; quia fides nunquam aliud quam veritatem recipit; propterea recte plus quam visio, etsi necdum apparentium, dici potest. Unde sint [a] hæc omnia quæ videntur in visu, quo sæpe deludimur, et temporalia quæ momentis singulis delabuntur, et ad non esse festinant; illa vero quæ non videntur, in fine, quia æterna sunt; de quibus Isaias propheta: *Sperastis in Domino, sperastis,* inquit, *in sæculis* (*Isa.* XXVI, 4). Et ideo profecto certiora sunt illa quæ semper manent ut sunt, et creduntur, quam illa quæ videntur, ut non sint [b], et labuntur. *Præterit enim figura hujus sæculi* (*I Cor.* VII, 31), quæ videtur, et illa quæ fide tenentur, semper immutabilia, sine fine, et ideo æterna. Ad quæ nimirum fide venimus, quia interdum [c] per fidem ambulamus, et non per speciem. Idcirco, quisquis ad ea venire festinas, noli fingere tibi speciem aliquam; ne desinas per fidem ambulare: quia *justus ex fide* interdum [d] *vivit*, et non ex visione rerum; alioquin cavendum, ne sine fide incipias, dum per præceps tibi falsa incipis fingere, justus non esse, et inter mortuos deputari; quia omnino *justus ex fide vivit.*

CAPUT II.

Si fides circa ea versatur quæ non videntur, utrum evacuanda sit cum illa per speciem apparuerint?

Non enim æstimandum, cum quisque fidem suam videt, qua credit quæ nondum videt, quod aliquid sempiternum videat. Non enim profecto semper hoc erit, quod utique non erit; quoniam peregrinatione ista finita, qua peregrinamur a Domino, species illa successura est, per quam videbimus facie ad faciem quæ modo non videntes credimus, donec necesse est per fidem ambulare. Tamen, quia credimus, videre merebimur, atque jam ad speciem nos perductos esse per fidem sine fine gaudebimus; neque enim * jam fides qua credantur quæ non videntur, sed species qua videantur quæ in hac peregrinatione prius credebantur. Tunc ergo in præteritis atque transactis fides ista reputabitur [f], non in præsentibus rebus, semperque manentibus, quas utique contemplatio præsentabit; et ideo in recordatione potius erit, sicuti infantia, vel pueritia juventuti; quibus evacuatis succedit senectus, et manet tamen idem homo, nec substantia permutatus [g]. Sic itaque fide evacuata, manebit incommutabilis veritas visione fruenda; nec alia, nisi ad quam per fidem gradiebamur, quamque per fidem credidimus, a qua prius peregrinabamur. Siquidem non alia, sed ipsa eademque substantia sempiterna, incommutabilis; et ideo Apostolus fidem dupliciter diffinivit, dicens: *Sperandorum substantia, et argumentum non apparentium;* quia profecto, etsi fides evacuatur, tamen substantia fidei manet. Aliud quippe fides est, aliud substantia fidei; et ideo argumentum veritate manifestata evacuatur; sperandorum substantia manet, quæ in fide erat visione reddita. Ac per hoc firma est fides; quoniam nihil aliud quam veritatis substantiam gerit, quæ nunquam evacuatur; sed visione æterna sine fine fruetur. Ad quam itaque charitas flagrat pervenire; et ideo fide atque spe ab Apostolo major prædicatur. Quoniam etsi nunc tria manent, his tamen major jure charitas appellatur; quia, cum charitas de visione beata perfectius augmentabitur, ut æterna permaneat, tunc fides atque spes rerum necdum [h] apparentium visione evacuabitur; eo quod quisque, quæ jam videt nec credit, nec sperat, sed contemplatione fruitur perfecta. Erit tamen in memoria vestigium recordationis earum affixum, quo gaudium æternæ beatitudinis augeatur ad [i] ea quæ credidimus, speravimus pervenisse perpetua delectatione fruituri. Alioquin si nullum in nobis quasi vestigium transiens relinquatur, profecto nec in memoria nostra ejus aliquid remanebit, quo recurramus [j] cum gaudio eam præteritam recordantes; præsertim cum omnia, quæ nobis suggessit, visu recolentes amabimus. Et ipsa erit substantia, quam nunc credimus, speramus etiam, et amore fruimur, de qua scilicet substantia per Jeremiam Dominus: *Si stetisses* [k], inquit, *in sub-*

[a] Edit., *unde sunt.*
[b] Edit., *ut sint.*
[c] Edit., *quia per fidem ambulamus*, omisso *interdum.*
[d] In edit. etiam hic desideratur *interdum*, id est *interim.*
* Edit., *neque est jam fides.*
[f] Edit., *computabitur.*
[g] Edit., *permutatur.*
[h] Edit., *nedum.*
[i] Edit., *nos ad ea quæ credidimus speravimus pervenisse perpetua delectatione fruituros.*
[j] Edit., *recreamur.*
[k] Edit., *si stetissent*, et paulo post, *fecissent.*

Introdusă în format electronic de Google

stantia mea, et nota fecisses verba mea populo meo, avertissem eos utique a via sua mala (*Jer.* XXIII, 22). Stare quidem est in substantia Dei per fidem, Deum corde credere ad justitiam ; et verba populo nota facere, ipsum confiteri ad salutem; ac per hoc, quandiu justus ex fide vivit, tenditur ad æternam per eamdem fidem licet temporalem, quæ constituta est in æternis; quia quæ videntur temporalia sunt, et ideo minime creduntur; quæ vero non videntur, æterna ; propterea per fidem, donec videantur sicuti sunt, interdum versantur in corde; quæ sane fides scientia duntaxat nutritur, in qua, quæ sunt æterna, admodum contemplamur.

CAPUT III.

Utrum fides visibilis sit, cum sit substantia sperandorum, argumentum necdum apparentium?

Manifestum, quod credere jubemur quæ videre non possumus; ipsam tamen fidem, quoniam nobis inest, profecto videbimus in nobis, quia et rerum absentium præsens est fides, sicuti rerum quæ foris sunt intus est fides ; et rerum, quæ non videntur, videtur fides ; et ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum : quod si [a] ex fidelibus infideles fiant [b], perit ab eis. Non ita tamen de cordibus recte perire dicitur, quando [c] eam veritas inventa, quæ in fide erat, pellit; imo satis optabiliter rerum verarum fides in easdem transit, ut non sit jam argumentum rerum quæ non videntur, sed substantia, quæ prius in fide erat latens, præsens exhibita, ut videatur. Quapropter non est dicendum *perit;* quando ea quæ credebantur fide, videntur jam per speciem, sublato argumento, veritate ipsius substantiæ manifestata. Aut nunquid fides dicenda est ipsa visio veritatis, cum sit ab apostolo definita convictio vel argumentum rerum non apparentium? Non itaque, sed veritas reserata, quæ non dico in fide; verum ipsa fides fuit, quæ argumento evacuato, visu fidelium in sempiternum fruenda erit. Aliquando autem impræsentiarum et rebus falsis accommodatur fides, quasi dicamus : Mihi facta est fides, et decepit, si tamen talis habita fides sit dicenda. Porro fides Christianæ religionis communis est omnibus, non sicut aliqua corporis forma communis est ad videndum omnium oculis quibus præsto est; ex ipsa quippe omnium cernentium [d] informatur aspectus; sed sicut dici potest facies humana omnibus hominibus communis. Nam hoc ita dicitur, tamen ut [e] singuli suas habent facies. Itaque ex una doctrina fidem impressam credentium cordibus singulorum, qui hoc idem credunt, verissime dicimus ; sed aliud sunt ea quæ creduntur, aliud ipsa fides, qua creditur. Illa quippe in rebus est, quæ vel esse, vel fuisse, vel futura dicuntur; hæc omnino in animo credentis est, ei tantum conspicua, cujus est, quamvis sit et in aliis non ipsa, sed similis. Non enim numero est una, sicut ait Apostolus, *una fides* (*Ephes.* IV, 5), sed genere. Propter similitudinem tamen et nonnullam diversitatem, unam dicimus magis esse, quam multas ; facilius itaque [f] dicitur multas animas fuisse, singulas singulorum, de quibus legimus in Actibus apostolorum, quod fuerit eis *anima una* (*Act.* IV, 32), quam [g] cum dicat Apostolus, *una fides*, ut audeat aliquis tot fides dicere singulas singulorum, quot sint et fideles. Verumtamen qui dicit: *O mulier, magna est fides tua!* (*Matth.* XV, 28) et alteri : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV, 31) suam cuique esse significat fidem, etsi omnium una est fides. Non quod altera sit, seu plures, sed quia una eademque fides in singulis Dei discernitur distributione, et propria efficitur credendi quantitate et qualitate intelligendi ; quam nec sicut imagines, quas in memoria ex corporibus, quæ vidimus oculis corporeis, in corde conspicimus, quando absentia cogitamus; nec sicut ea quæ non vidimus, et ex his quæ vidimus, cogitatione, utcunque formamque in animo, quo [h] commemorando quando libuerit recurramus ; [i] nec sicut homo, cujus non vidimus animam, sed ex nostra eam conjicimus, eumque vivere motibus corporeis intuemur ; non sic itaque videtur fides in corde, in quo est, ab eo, cujus est, quamvis ex auditu in nobis concepta sit ; non tamen ad eum sensum corporis pertinet, quoniam non est ipsa sonorum ; nec ad visum prorsus, quia non est color, nec corporis forma; neque ad eum sensum qui dicitur tactus, quoniam nihil corpulentiæ habet; nec ad ullum omnino sensum corporis, quia omnino cordis est res, et non corporis ; nec foris est a nobis, sed in intimis animi ; nec eam quisquam hominum videt in alio, sed unusquisque in semetipso suam utique fidem videt, et cognoscit, tanto i luce clarius, quanto plus scientia pollet et intellectu ; quam profecto nulla imaginatio corporis gignit aut nutrit; sed pietas in Deum ea [k] certissima scientia tenet ex his quæ Christus in carne aut docuit, aut gessit; puraque conscientia clamat, et ad ea quæ nondum intelligit, ex his quæ intellecta conspiciuntur, fide devotus ardenter festinat. Cæterum in altero quisque credit fidem esse, non videt; et tanto firmius eam in aliquo credit, quanto fructus ejus magis novit, quos operari fides solet per dilectionem; a qua [l] si quis se subtraxerit fide, [m] incipiet [n] jam mortuus inter impios deputari; quoniam *justus*, inquit [o], *ex fide vivit*.

[a] Edit., *quia si.*
[b] Edit., *fiunt.*
[c] Edit., *quoniam.*
[d] Edit., *credentium.*
[e] Edit., *et tamen singuli.*
[f] In editis desideratur *dicitur*
[g] Edit., *quia.*
[h] Edit., *quodammodo.*
[i] Edit., *rememoramus.*
[j] Edit., *tanta*, sed melius *tanto*, cui respondet *quanto plus*, etc.
[k] Edit., *eam*, non ita male.
[l] Edit., *et quibus.*
[m] In edit. desideratur *fide.*
[n] Edit., *incipit.*
[o] In edit. desideratur *inquit.*

Introdusă în format electronic de Google

CAPUT IV.

Quare dicta sit fides, et quod nonnisi inter duos integra jure habeatur fides.

Est autem fides dicta, eo quod fiat dictis; ut quidquid dictorum pollicitatio tenet rerum non apparentium, alter eorum dictis impleat, alter vero, quæ dicta sunt interdum [a] donec ostendantur, per fidem in corde teneat. Quæ nimirum fides inter Deum et hominem irretractabilis esse debet; quia quæ Deus Veritas dixit, absque ulla dubietate hominibus credere convenit; et quæ homo fide spopondit opifici, quantum ex se est, operibus ad intus gratia servare [b] usque ad mortem utraque debet. Itaque de illo, et de his quæ nobis in suis sacræ Scripturæ libris erudiri voluit, et cum necdum contueantur, amplius et perfectius per ea quæ jam ex eisdem dictis visa sunt, et substantialiter exhibita, credenda sunt absque ambiguo, et in animo firmiter retinenda: quia, ut dictum est, rerum præteritarum exhibitio, certitudo est futurorum : nihil enim verius quam ipsa Veritas; et ideo clamat Apostolus, *quod non mentitur Deus* (*Tit.* I, 1). Deus autem veritas est, et non ex accidente, sed essentialiter : idcirco incommutabilis; et quia incommutabilis, quidquid incommutabiliter dixit, profecto fiendum [c] est. Hinc namque ait : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transient* [d] (*Luc.* XXI, 23). Quapropter, quia transire non possunt, nisi fiant, credenda sunt. Quorum verborum fides, quia ex veritate formatur, vera esse debet, et non ficta, nulla dictorum diffidentia obfuscata, imo luce clarius veritate, quæ Christus est, illustrata debet splendescere usque ad visionem perfectam : quia nimirum ad hoc venit Christus, lux vera, *ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* XXI, 33), quem nemo tenebrarum potuit comprehendere. Unde dictum est : *Et tenebræ eum non comprehenderunt* (*Joan.* IV). Sed quia fides ex Deo illustratur, debet in nullis offuscari, sperandorumque substantiam jugiter in memoria credentis præsentare : quia dum fidelis quisque veritatem requirit, non aliam utique, sed eamdem ipsam quam in fide gerit, perseveranter quærit; ut per fidem ad ejusdem satietatis visionem devotus pertingat æternaliter, quam modo æternam in corde credit temporaliter : non quod ipsa sit temporalis in animo, sed quia argumentatio fidei est temporalis, donec mens exspoliet se temporalibus et induatur æternis. Hæc nimirum fides est per quam, quæ Deus de se docuit aut promisit, etiamsi nondum intelligimus, vere credimus et confitemur. Cæterum, ut integra in nobis maneat illa quæ per dilectionem operatur, agenda sunt quæ nos Deo fide promisimus, ut dictorum fides operibus A comprobetur : alioquin ille fidelis manet, licet aut nos de illo diffidentes simus, aut certe quæ spopondimus opere minime compleamus. Hæc est, inquam, integra fides, si Deum ex toto corde credas, et a nullis mandatorum ejus te subtrahas; fidem quoque, qua diabolo et pompis ejus, suisque operibus abrenuntiasti, observa [e] ne corrumpas; quoniam hæc est integra fides, quam se Paulus apostolus gloriatur servasse : *Fidem*, inquit, *servavi, cursum consummavi* (*II Tim.* IV, 7); et alibi : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem* (*II Tim.* I, 12). Servat igitur Paulus fidem, servat et Christus : ex se quippe ait : *Fidem servavi*, ex Deo vero : *Certus sum quia potens est depositum meum servare* (*II Tim.* I, 14). Sed ut sciremus quia et nos ex Deo in nobis depositum habemus, quod oporteat fide integra custodire, ait Tito [f] : *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in te.* Ecce depositum quod Deo commisimus, ex quo certi esse debemus, quia servatum nobis restituet, ita sane, si nos ejus depositum penes nos in corde inviolabile custodimus; et ideo, ut dixi, fides integra non minus quam inter opificem et opus ipsius probatur. Quod si de illo aliquid est quod non credimus, ille verax est, non se negabit; nos si forte, quia increduli, condemnabimur : nam quia et se credidit nobis, abrenuntiato diabolo et pompis ejus suisque operibus, restat ne rei inveniamur, opere [g] conservemus pollicitationem nostram, in qua renati sumus. De hac quippe in Apocalypsi monet Spiritus sanctus : *Esto fidelis usque ad mortem* (*Apoc.* II, 10). Plane quia post terminum vitæ hujus, non fides, sed fidei merces erit ipsa deitatis contemplatio. Interdum [h] autem, dum peregrinamur a Domino, fidei jura integre servanda sunt; quia nihil prodest fide nosse Deum, quem operum factis et moribus abnegamus. Quoniam non prius confessionem deitatis requisiti in baptismo edidimus, quam his omnibus abrenuntiaremus. Unde nihil prodest dicere confessionis ore : Domine, Domine; nisi feceris ea quæ jubet, et omiseris quæ prohibet; quia *nulla pars lucis est cum tenebris* (*II Cor.* VI, 14) : nam qui prius eramus tenebræ, nunc facti sumus lux in Domino, necesse [i] est ut, *sicut filii lucis ambulemus* (*Ephes.* V, 8). Unde quod apud Deum semel deposuimus, ut vita nostra cum Christo abscondita in cœlis servaretur, non repetamus, donec Christus iterum appareat, ut, *cum Christus apparuerit vita nostra, cum ipso appareamus in gloria* (*Col.* III, 4). Servemus et depositum ejus in nobis, utique bonum thesaurum, scilicet repertum in agro corporis Christi, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ* (*Col.* II, 3), fide integra bajulantes eum *in vasis istis fictilibus*

[a] Edit., *interim.*
[b] Edit., *operibus servare usque ad mortem utique debet.*
[c] Edit., *faciendum.*
[d] Edit., *transibunt.*
[e] Edit., *observes.*
[f] In editis deest *Tito.*
[g] Edit., *opere ut conservemus.*
[h] Edit., *interim*, cujus loco solet Paschasius uti verbo *interdum.*
[i] Edit., *ideo necesse est.*

Introdusă în format electronic de Google

(*II Cor.* IV, 7); quatenus hinc inde fideles inveniamur, ne a latronibus in via, quod absit, exspoliemur.

CAPUT V.

Quod gemina sit, una eademque fides, sicut charitas una prædicatur.

Hæc de fide, quæ in Deum est, dicta sint; cæterum videamus, si et proximo fides servanda sit; præsertim cum in Salomone legamus : *Fidem posside cum proximo tuo* (*Eccli.* XXII, 18); utique, quia fides communis possessio est; non enim in aliquo sine proximo jure possidetur; quia et si illi deest, cui [a] tuam servare disponis, in illo tamen oportet tuam possideas. Alioquin solus sibi quis recte possidere poterit, quam mox sine illo amittit? Unde necesse est quisque in altero possideat fidem, quam in proprio corde gerit; de qua mihi dubitandum ut amittas, etiam dum proximus suam perdiderit. Magnus igitur thesaurus fides non ficta, in qua veritas servatur. Et ideo hinc inde inter proximos alternis resplendeat affectibus, quatenus media mentis possessio plures uniat, dum dilectionem operatur in proximo et veritatem, quam in se diligit servari, custodit alteri. Unde, ut dixi, jure gemina prædicatur; quia sicut est charitas, qua Deus ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute [b] diligitur; ita debet esse et fides, qua ipse idemque ex toto corde, et ex tota anima, atque ex tota fidei virtute credatur, creditus ametur, amatus vero spe certa teneatur, et ideo fidem ei, quam de nobis promisimus, ex toto custodiamus : quia *fides sine operibus* ab apostolo *mortua* prædicatur (*Jac.* II, 26) : nam justus ex fide vivit; fides vero justis suisque [c] operibus vivificatur. Quæ si mortua fuerit, possessorem minime suum poterit vivificare. Quapropter nemo se deludat; si vult justus ex fide vivere, vivat fides ejus a suis justisque operibus : necesse est ut per eam, quæ vivit, vivificetur et ipse; ne forte per eam quæ mortua est, moriatur et ipse. Fides namque proximo tanta et talis servanda est, qualem, quantamve ab eo sibi servari voluerit; alioquin nemo alteri [d] fidem impendit, quam sibi de corde tollit; et ideo nostrum est quod perdimus, dum proximo fidem negamus; ac per hoc quantum eam nobismet servamus, tantum alteri illam impendimus. Sed non ista itaque alternis propositio suis respondet partibus : non enim, ut de nostra scimus fide, omnibus de sua credere jubemur : quoniam multi multa loquuntur, et ideo rara est fides; sed ut supra præmisi, tanto credibilius ex altero sentimus, quanto fructuosius apud eum cujus fides est, [e] per dilectionem circa Deum et proximum operata fuerit; tamen dictum legimus ab Apostolo : *Charitas omnia credit* (*I Cor.* XIII, 7). Nunquid et falsa proximorum idcirco credere persuadet? Quia si omnia credit, quærendum quæ omnia? ne forte ob hoc etiam erroribus involvamur. Credit itaque omnia credibilia absque ulla exceptione de Deo, in quo nulla est falsitas; et ideo de illo divinitus quæ dicuntur omnia credit. De proximo vero ad mensuram sui fidem recipit; qui si bene sapit, nec seipsum ex toto corde credit, quia *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 2). Unde sola sunt illa in nobis credibilia, quæ divinitus veritate fulciuntur; illa vero quæ necdum in fratribus luce veritatis comprehenduntur, nec falsitatis mendacio deteguntur, propter charitatem fide ferenda sunt, *quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV, 5). Hinc quoque Apostolus : *Infirmum in fide assume, et non in disceptationibus* (*Rom.* IV, 1); ne dum non creditur, scandalo pusillanimitatis patiatur. Ergo ex nobis omnibusque amicis et inimicis fides servanda est : [f] amicis siquidem in Deum, inimicis propter Deum; quoniam sicut Deus charitas, ita et veritas divinitus prædicatur. Nec igitur æstimandum, quod alteram proximis, aut ulli hominum fidem debeamus, quam quæ per dilectionem operatur. Cæterum illa, quæ illicitas fovet hominum voluntates, sicut non est charitas intentio illa qua diligitur iniquitas, sed odium animæ : ita nec fides appellanda, sed infidelitas, qua fovetur proximus, dum scit illum noxia velle, in quo non liceat consentire. Quoniam Christianorum sola fides est, quæ per dilectionem operatur. Idcirco infidelis quisque convincitur, dum sine fide quæ Christianorum est, circa Deum et proximum comprobatur. De cætero quantum nobis impedit, si charitas proximi circa nos frangatur, tantum et si fides violetur : ita demum si nostra fides, aut charitas in nobis circa Deum et proximum integra custodiatur. Quam sane possessionem nemo invitus perdit, nemo alteri sine fructu rependit; nemo cum impenderit, amittit; nulli plurimis data minuitur; nulli non expensa servatur.

CAPUT VI.

Quod nunquam recte de alio hoc genus locutionis, nisi de Deo solo, et in Deum accipitur, quando dicimus : Credo in Deum.

1. Proprietas igitur hujus verbi consideranda est, cum dicimus ex auctoritate Symboli, quod in baptismo confessi sumus : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum, Filium ejus*, ut subintelligatur *Credo*. Deinde *Credo et in Spiritum sanctum*. In totis sane tribus personis una confessio est ab apostolis tradita, una proprietas verbi ab omnibus voce intelligibili confitenda. Nemo enim recte dicit : Credo in proximum, vel in angelum, vel in quamlibet creaturarum. Unde et proprietatem hujus confessionis in omnibus Scripturis divinis soli

Editi, *si tuam servare*, omisso *cui*.

[b] Edit., *ametur*. In editis deest *Ex tota virtute diligitur : ita debet esse et fides, qua ipse idemque ex toto corde, ex tota anima.*

[c] Edit., *piisque*; sed melius *suisque*. Nam paulo post subdit : *Vivat fides ejus a suis justisque operibus.*

[d] Editi, *alterius*; sed melius *alteri*.

[e] In editis deest *est*.

[f] In editis desideratur *amicis siquidem in Deum*; *inimicis*.

Introdusă în format electronic de Google

Deo reperies conservatam. Ex quo constat, quibus debetur una confessio, quod una sit deitas, dum quidquid, salva relatione personarum, credimus in Patrem, hoc totum in Filium, hoc et in Spiritum sanctum, scilicet unum, consubstantialem Deum, unam omnipotentiam, magnitudinem, unam vitam, unamque veritatem, et quidquid, ut dixi, substantialiter Patrem esse credimus, absque personarum distinctione, hoc totum esse Filium, et Spiritum sanctum confitemur. Dicimus tamen : Credo cuilibet homini, sicuti dicimus : Credo et Deo. Unde Dominus : *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi* (*Joan.* v, 46). Credimus ergo patriarchis et prophetis, credimus apostolis, et sanctis prædicatoribus, credimus et sanctis angelis, credimus proximis nostris, quos bonæ fidei esse non dubitamus; nec tamen in quemlibet [a] eorum unquam aliquem recte credidisse legimus. Credimus ergo illis ex participatione veritatis, bonitatis Dei : non tamen in illos credimus; quia nec ipsi recta veritas aut bonitas, lux vel vita substantive creduntur aut prædicantur. Et propterea jure in omnibus Scripturarum locis hujus verbi privilegium in Deum servare convenit. Unde Dominus in Evangelio volens se ostendere consubstantialem Patri : *Creditis*, inquit, *in Deum, et in me credite* (*Joan.* xiv, 1). In quem, nisi esset et Deus, credere non oporteret; et ideo in se credere jubet, ut se Deum suis exhibeat.

2. Sed miseri hæretici semper inveniunt sibi rimas pravitatis suæ, per quas extra effluant; dicunt et in Symbolo confitendum, non quod ex auctoritate apostolica hoc perceperunt, sed quia ex suo mendacio illud addiderunt : *Credo et in sanctam Ecclesiam catholicam* ; cum non sit ita accipiendum : sed remota *in* syllaba, quæ de mendacio Macedonistarum supercrevit, ut et Spiritum sanctum docerent creaturam, dicendum : *Credo sanctam Ecclesiam esse*, sicut *vitam æternam*, et *carnis resurrectionem* : alioquin si in sanctam Ecclesiam credimus, in hominem videmur credere, quod non licet. Nam Ecclesia sancta ex hominibus esse cœpit, et non homines ex Ecclesia ; idcirco, qui se dicit credere *in Ecclesiam*, in homines se credere confitetur. Propter quod removenda hujusmodi locutio in omnibus, et soli Deo exhibenda, in quem credere oportet ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, scilicet in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum, quod est summum bonum, summa beatitudo, summa salus credentium; et in nullum alium nisi in ejus solius majestatem. Verumtamen aliud est Deum credere, et aliud, in Deum : *Dæmones Deum esse credunt, et contremiscunt* (*Jac.* ii, 19); sed in Deum malitia obcæcati sua credere nequeunt : quia profecto in Deum credere, nisi qui pie speraverit, non comprobatur. Est autem credere in Deum, fideliter eum quærere, et tota in eum dilectione transire. Ergo, *Credo in Deum*, hoc est dicere : Colo illum, spe et charitate, adoro illum, et totum me in ejus devotionis famulatum transpono atque transfundo.

3. Et hæc est fides, dicente Paulo apostolo, *quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* vi). Operatur autem per dilectionem, si et Deum propter Deum, proximum vero ut se ipsum, in Deum diligat. Quæ Dei dilectio tunc integre servatur, si fides proximo non negetur. Hoc igitur depositum penes nos proximo servandum est ex lege; de quo Paulus discipulum monet dicens : *Bonum depositum custodi* (*II Tim.* i,14), inquit. Bonum igitur, quia sine deposito fidei, nihil recte debemus, nihil exsolvimus; per quod cuncta integra proximis conservamus : alioquin, *quod non ex fide, peccatum est* (*Rom.* xiv, 23); et ideo ex fide Christi servetur fides proximo, sine qua dilectio tollitur, et charitas quæ in Deum est violatur. Credimus ergo et in verbis Dei, quomodo [b] æterna, et incommutabilia sunt. Unde dicitur : *Et crediderunt in verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus* (*Psal.* cv, 12). Sic enim credendum in Scripturis divinis, quia ex Deo sunt, ut in nullo penitus de his dubitemus : alias autem quomodo in Deum ex toto corde credimus, si forte in his fidei ulla titubatio mentis fiduciam pepulerit? Hoc igitur primum credendum, quod Deus locutus sit in omnibus Scripturis divinis, sicuti confitemur ex fide Nicæni concilii, quod Spiritus sanctus locutus sit in prophetis : Et Dominus de se ipso : *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* vi, 63). *Non enim*, inquit, *a memetipso loquor* (*Joan.* xiv, 10); vere quia ex Patre est. Et ideo credendum in verba Dei, ut et in Deum : quoniam [c] ex Deo sunt; æterna enim, et incommutabilia sunt; in quæ nimirum verba quia [d] credimus, et speramus : Non enim licet credere in aliquod, si non liceat sperare; sperare autem absurdum est, nisi in Deum, et in verba quæ sunt ex Deo. Unde Psalmista : *In verbo*, inquit, *tuo supersperavi* (*Psal.* cxviii, 147). Et ideo, quoties non credimus verbis sanctorum Dei, quia ex Deo sunt, delinquimus. Hinc quoque jure Zacharias ab angelo condemnatur : *Pro eo*, inquit, *quia non credidisti verbis meis* (*Luc.* i, 20). Utique, quia verba angeli Dei verba fuisse nemo est qui dubitet; et omne quod est ex veritate, profecto ex Deo est. Unde si quis non acquiescit veritati, credit autem iniquitati, peccat; etsi non omnibus credere debemus. Constat ergo in Deum, et in verba quæ sunt ex Deo, nos credere debere atque sperare ex toto corde, ex tota anima, et ex tota virtute : proximis vero solummodo credere, et quantum ex nobis est, eis fidem integram custodire.

CAPUT VII.

Credibilium genera quot sunt?

1. Credibilium genera sunt tria : alia sunt enim quæ satis facile creduntur; et licet credita, nunquam intelliguntur : ut sunt historiæ temporalium gestorum.

[a] Editi, *qualibet*, minus bene
[b] Edit., *quoniam*.
[c] Edit., *quia*.
[d] Edit., deest *quia*.

Introdusă în format electronic de Google

vel relationes rerum; quæ, quamvis credantur, quia non sunt intelligibilia, nunquam intellectum requirunt; sed ex sensibus, quibus alia videndo, aut audiendo, gustando, vel pertractando, odorandove persensimus, in memoria ea quæ dicuntur reimaginantes, credibilia judicamus; sed quia intellectus imaginabilibus non subjacere probatur; idcirco nunquam intelliguntur, licet credantur; sed ex energia quodammodo reimaginata in memoria, quia jam [a] sensibus tam præterita quam absentia non subjacent, creduntur, etsi intelligantur; quoniam temporalia sunt. Alia vero sunt, quæ ut creduntur mox intelliguntur, sicuti sunt omnes rationes humanæ, quibus rationabilia comprehenduntur. Quæ nimirum non modo creduntur apprehensæ, verum continuo intelliguntur; sicuti cum de numeris disserimus, vel de quibuslibet disciplinis liberalium artium, ut puta: unus et duo cum credimus quod tres fiant, quis non intelligat continuo, quod ita sit? Intelligere enim mentis oculo videre dicimus: credimus ergo cuncta numerabilia ex uno constare, quia omnes numeri ex uno, et per unum ad unum tendunt; et non solum credimus, sed et intelligimus; unitas namque nunquam ullius numerositate evacuatur, ut puta duo: quid enim sunt, nisi duæ unitates? Et simul unitas ac dualitas tres esse probantur; quod nusquam in aliis quibuslibet numeris eo modo reperies, quorum extremitates sine medio esse nequeunt. Et unus, ac duo, et tres simul positi, sex fiunt, qui est primus omnium numerorum perfectus; et ideo Deus Trinitas in senario perfecit omnia temporalia, et requievit in Sabbato; quæ est una et ultima sempiterna requies. Credimus ergo, et mox ut credimus fas est intelligere, quia omnia ex uno, per unum, ad unum colliguntur. Verbi gratia, sex ex uno incipiunt, per unum multiplicantur, et in unum veniunt senarium numerum; et decem similiter, et centum, et mille. Necnon et homo, et mundus ab uno, per unum, in unum, ut unus sit homo, et mundus, licet plura eorum sint membra, quæ particulatim uniuntur. Hæc de his pauca dixisse sufficiant, quæ tamen, ut præmisi, mox, ut creduntur, intelliguntur certa ex ratione. Et si omnia percurreris, invenies ex intellectu nihil sine unitate Trinitatis, et Trinitate unitatis constare; quia sunt omnia in numero, et pondere, et mensura constituta. Est namque in singulis numerositas unitatis; sicut et in toto unitas numerositatis. In Deo vero perfecta Trinitas unitatis, et simplex unitas Trinitatis.

2. Porro illa, quæ de Deo divinitus dicuntur, credibilia quidem sunt simul et intelligibilia; sed nisi credantur prius, nunquam intelliguntur: idcirco necesse est credantur ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute; ut Christo illustrante hic ex parte et in futuro ex toto intelligantur. Et tanto amplius vel perfectius hic aut illuc, quanto mundiores corde mandatorum Dei præceptorumque observatores erimus. Hinc quoque per Prophetam canitur: *A mandatis tuis intellexi* (*Psal.* CXVIII, 104); quoniam de observantia mandatorum utique intellectus nascitur, et sapientia præstatur: *Lex Domini*, inquit, *immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: præceptum Domini quoque lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 8,9). Igitur illuminatio perfectæ intelligentiæ merces est fidei, quia mandatorum Dei observatio de perfecta fidei virtute [b] descendit: alioquin nisi prius perfecte credas, o homo, et fides ex operibus vivat, intelligere minime valebis; quoniam *timor Domini sanctus, intellectus est bonus omnibus facientibus eum* (*Ibid.*, v. 10). Ecce distendit se aliquis efficax [c], pollens ingenio, et vigens ratione, cupit Deum ut est intelligere, fingit sibi in animo exempla, format imagines, proponit rationem, nec capit tamen ea quæ audit, vel legit, et dicit fortassis aut ita est, aut omnino non est; o infelix, et cæca mentis pervagatio, quæ sibi simulacrum in animo gerit! putat enim quod immensum et incomprehensibilem cæcus comprehendere possit; nec vult credere; sed mox sine operibus quibus intellectus acquiritur, sua industria intelligere: aut, quod pejus est, ex imaginatione visibilium Deum sibi in corde fingere. Quæso talis redeat ad ordinem, et dicat cum Propheta: *Da mihi intellectum* (*Psal.* CXVIII, 34): et, si non, quo impræsentiarum te intelligam, saltem quo legem tuam perscrutari, et custodire in toto corde merear. Satis est utique nosse, vel credere, quod est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus Deus, una majestas, et quidquid ipse de se docuit, etiamsi non intelligatur quomodo est, tantum ut fide præceptis obediamus. *Si vis*, inquit cuidam, *ad vitam ingredi, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Et nequaquam, ait, intellige, quomodo, qualis, quantusve sim; sed mandata implere jubet; quia omnino, ut prætulimus, intellectus de mandatis Christi quotidie [d] augetur, quo possit Deus deorum, non hic admodum; sed in Sion, [e] ut est, mundo corde manifestissime contemplari. Et non hæc dicimus, quod non debeat aliquis intelligentiam Dei interdum habere et scrutari; sed quia hoc paucorum est, ad cautelam reducimus Christianum, quia etsi necdum intelligere omnes, tamen credibilia ex Deo corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem debemus; alioquin sicut Isaias ait (*Isa.* VII, 9): nisi crediderimus, non dico nos non intellecturos, sed nec permanebimus in Christo, quo intelligere possimus.

CAPUT VIII.

De vera et indubitata fidei disciplina.

1. Liquet omne quod scitur, quia non ex sua, sed ex comprehendentium natura cognoscitur: sic itaque

[a] In editis desideratur *jam*.
[b] Editi, *unitate*.
[c] In editis desideratur *efficax*.
[d] In edit. desideratur *quotidie*.
[e] Edit. addunt *ab eo*.

Introdusă în format electronic de Google

et omne quod creditur, non ex sese, sed ex efficacia fidei, cujus est spiritu pietatis illustrata recte creditur : ita tamen, ut ea quæ creduntur ex æternis, neque intra intelligentiam sint credendi, neque extra fidem intelligendi ; sed fides, qua de Christi incarnatione catholice ea quæ credenda sunt creduntur ; scientia, quæ per Spiritum sanctum est, fulcitur, sicut est illa quæ de divinitate totius Trinitatis, atque unitatis est, spiritu intelligentiæ illustratur. Unde Apostolus : *Alteri quidem datur sermo sapientiæ per Spiritum sanctum ; alteri vero sermo scientiæ, alteri fides in eodem Spiritu* (*I Cor.* XII, 8) ; quæ profecto, ut firma sit et indubitata, hinc inde spiritu sapientiæ atque scientiæ instruitur et solidatur : ita ut quæ de Christo sunt, spiritu scientiæ in animo credentis commendentur, licet de illo non omnia sciantur, fide tamen integra, quæcunque magister veritatis docuit, non minus de sua humanitate quam ex divinitate Deitatis, Patris, et Filii, atque Spiritus sancti creduntur, etiamsi minus intelligantur. Harum igitur doctrina imbutus animus, in quodam sui secessu fidem nutrit, quam veritas credentibus reseravit. Nec sibi aliud quidquam relictum a natura sua intelligens, in quo majus Creatori suo possit officium, munusve præstare ; quam ut tantum eum intelligat, quantus nec intelligi nec sciri potest ; licet possit credi. Et ideo fides præeminet scientiæ vel intellectui nostro, quia etsi, ut est, necdum scitur nec intelligitur ; tamen quia est, ita ut est, vel quidquid de illo sermo divinus prædicat, hoc totum fide creditur, ut per eam melius intelligatur. Propter quod intelligentia fidem sibi necessariæ religionis assumpsit, quia æternitas et majestas Deitatis excedit. Verum, quia non ex sua natura comprehenditur ; sed efficacia fidei aliquando plus, aliquando minus creditur ; idcirco aliquoties aberratur, dum fide male præsumitur, non quod ille docuit, qui se totum et soli plenissime unum Deum, immensum, incapabilem [a] novit. Quapropter illa est vera fides et indubitata, quæ plenissime credit omnia quæ Veritas de se docuit, et eis divinitus inspiravit, quos ad hoc eligit, ut scripturas canonicas credentibus aperirent : quibus profecto si crederent, Deo utique credidissent, qui nihil aliud quam quæ inspirata erant divinitus protulerint. Unde dum illa vel non creduntur, vel aliter, quam dicta sint [b], interpretantur, homo impietate [c] sua seu fide ficta decipitur ; cum melius esset credere sine intelligentia, quam male intelligens [d] erroribus subjacere. Hinc quoque dicitur : *Altiora te ne quæsieris, et profundiora te ne scrutatus fueris* (*Eccli.* III, 22). Non quod non quærenda sint ea quæ non videntur, cum sint æterna, etsi temporalibus sint altiora ; sed quia fide potius sunt, quam ratione humana scrutanda. Prohibemus ratione quærere altiora Deitatis, quoniam si perscrutari possent profundioria tantæ majestatis, fides non necessaria esset, dum ratio humana omnia comprehenderet : nam ad ea quæ sunt æterna, et videri nequeunt, sensus omnino corporeus non penetrat, et incorporea non apprehendit ; quia inferius jacet.

2. Porro imaginatio, quæ frequenter est in memoria sola, sine materia judicat quamcunque corporis figuram ; et non apprehendit illud, quod Deus est, cujus nulla est ex subjecta materia corporis figura. Ratio vero hanc quoque transcendit speciem, quæ et sensus atque figuras consideratione sua perpendit universalium ; nec tamen attingit ea quæ sunt in singulis creaturarum naturis, quanto magis ut possit perscrutari, quæ sunt incomprehensibilia divinitatis ? Cæterum intelligentia celsior oculus in anima supergreditur universitatis ambitum, et ex parte ipsam illam Deitatis naturam interdum cognoscens, contemplatur. Unde Apostolus : *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus : sed cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII, 9). Sed fides quæ per dilectionem est, licet ex parte sit, non ex parte, sed ex toto credit omnia quæ non videntur : ita ut magister veritatis edocuit, ut Spiritus sanctus reseravit. Ea itaque credit, quæ necdum intellectus apprehendit, et ideo justus non ex intellectu, sed ex fide vivit. Nam superior amplectitur inferiorem, et dijudicat ; inferior vera ad superiorem nullo modo consurgit. Non enim sensus aliquid extra materiam valet ; sicut nec imaginatio extra formas ; quas *ideas* Græci vocant, ad quas sensus non dies altius, verum nec ad ipsas [e] discernendi gratia pertingit : ut nec energia ad rationis normam, quæ absque fuco illius imaginationis quæque suæ facultatis libere discernit, quamvis simplicem intelligentiæ formam adhuc Deitatis nequeant intueri. Ergo his omnibus prominet intellectus, et discernit universas rationis atque imaginationis figuras, necnon et omne materiale sensibile cognoscens, nec ratione utitur, nec imaginatione, nec sensibus ; sed illo purissimo mentis oculo, uno ictu, cuncta, quæ infra se sunt, conspicit. Sed quia nondum est ad liquidum emundatus, neque plena incorruptione vestitus, fide potius interdum purgandus est, donec in via sumus : alioquin ut Isaias fatetur : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isa.* VII, 9). Intelligentia enim est merces fidei, et ideo quæ necdum intelligimus, fide credimus, operibus veneramur, ut intellectu totum quod in fide est, comprehendamus. Propterea cum Deus veritas est in causa, non intellectus jure de fide disputat, quia fides ea credit, quæ necdum intellectus aut scientia apprehendit. Innititur enim supra petram, quæ Christus est, et omnia, quæ Spiritus sanctus in Scripturis Novi ac Veteris Testamenti disseruit, indubitanter credit, profecto quia sufficit Dei sermo, qui effusus est virtute Spiritus sancti in auribus nostris, de quo nullus recte judicat, qui sane sapit. Unde sola

[a] Edit., *incomparabilem*.
[b] Edit., *sunt*.
[c] Edit., *in pietate* : non bene, unde editor in margine recte monuit legendum *impietate*.
[d] Edit., *intelligentem*.
[e] Edit., *ipsum*.

Introdusă în format electronic de Google

fide oportet quæ præcepta sunt explere, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ut ipse de se docuit, qui solus se novit adorare, venerari, *in quem et angeli desiderant prospicere* (*I Petr.* I, 12). Sed quia necdum contemplari possumus *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II, 9), credamus in illum, in quo sunt hæc omnia; quoniam ipse est fons vitæ, ipse incommutabilis virtus, lumen indeficiens, summum et sempiternum bonum : quam [a] magna multitudo dulcedinis eorum, qui timent, et credunt in eum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute!

3. Nemo igitur, qui hæc omnia quæ Deus est, intelligat, nisi quantum credentibus revelaverit Spiritus : sicut Paulus apostolus testatur : *Nobis*, inquit, *revelavit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim*, inquit, *scit hominum, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* (*I Cor.* II, 10.) Ecce quam bene disputat de eo, qui est ineffabilis, et incomprehensibilis, qui nescit ea quæ sunt in illo, qui circa nos est, et hoc esse probatur, quod nos sumus, qui vix se novit, et hoc quod ipse est non apprehendit. Quid putas de ea natura ratione humana dicturus, quam nec angeli apprehendunt? Illi quidem contemplantur eum ut est, venerantur et diligunt; verumtamen nec quomodo sempiternus sit sine initio, et sine fine, vel quomodo genuerit Pater Filium, cum nunquam fuerit sine Filio; et alia hujusmodi, quæ de illo ineffabiliter dicuntur, nec dubitant, nec requirunt. Verum igitur quod Paulus ait : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei* (*I Cor.* II, 11). Et ideo non sensu, non imaginatione aliqua, non ratione humana, quid sit Deus, qualis, quantusve, cognoscitur : sed *si quis spiritum, qui ex Deo est, habuerit, scit ea quæ a Deo donata sunt nobis* (*Ibid.*, 12) : ut credamus in illum, ut confiteamur corde, atque ore, quia ipse est, ex quo, et per quem, [b] et in quo sunt omnia visibilia : in quem sperantes ad eum venire optamus, ut ardentius sine fine, quæ sunt sempiterna frui possimus.

CAPUT IX.

De fide baptismi non immutanda.

1. Fides baptismi, qua renascuntur præsciti et prædestinati ad vitam, ex aqua et Spiritu sancto, illa est, quæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti per dilectionem credentibus commendatur. Unde Dominus ad discipulos : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Quæ nimirum fides, quodammodo in baptismo Christi sensibilis apparuit; quando [c] super eum Pater intonuit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (*Matth.* III, 17). Et ut jussio Patris impleatur, qua præmonuit *ipsum audite*, oportet de hac fide retractantem neminem suscipere : *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quia jam in Matthæo prolixius disseruimus, unde hic, quia de fide agitur, pauca posuimus : ita ut non solum Trinitas totius majestatis evidentissime intelligibilis declaretur; verum quin sensibilis quodammodo, cum sit incomprehensibilis, ac si corporeis sensibus distincta, ad intelligendum luce clarius pertractetur. Pater scilicet clamans ad Filium in voce, idemque Filius veraciter humanatus in carne, ab ipso Patre diligentius prædicatur : Spiritus vero sanctus super eum in columba demonstratur. Sed et per ipsa plurima [d] quæ Joannes adhuc de Christo ignorabat, divinitus edocetur, impleturque illud propheticum : *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas* (*Psal.* XXVIII, 3). Prædicatur ergo a Patre Filius; prædicatur a Spiritu Sancto : prædicatur etiam a se ipso, dum de se Patrem insinuat, et unum se esse cum Patre testatur : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Quid igitur ultra mens [e], tali renata sacramento, dubitationis poterit habere in fide; cum uno eodemque momento, Patris vox ad nos delapsa Filium in aquis visibiliter apparentem prædicat, et Spiritus sanctus desuper in columba quæ sentienda sint de eo, evidentius edocet. Quod si sane in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum, multo firmius recte accipitur de se Patris, ac Filii, ac Spiritus sancti testimonium.

2. In hac quippe fide renati sumus, quid opus est amplius de fide quasi dubios retractare? Præceptum est itaque apostolis : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. In nomine* ergo cum dixit, unum eos ostendit, quod [f] tribus nominibus satis ad intelligendum Trinitatem egregie distinxit : sed tria hæc unum nomen [g] esse edocuit; quia etsi dictum est : *Quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4); atque illud : *Quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7) : oportet non alium tamen quam unum Deum in tribus personis recte quærere, quo Trinitatis nomine signati sumus : sub qua omnino fide rebus exspoliati mundi, nudi fontem introivimus. In quo nimirum fonte quicunque baptizati sumus in Christo Jesu [h], in morte ipsius baptizati sumus : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte* (*Rom.* VI, 4). Et ideo jam ultra de fide nihil retractare debemus, sed custodire modis omnibus quod [i] credidimus, et credendo gratis a Deo

[a] Edit., *quia magna.*
[b] In editis desideratur *et in quo sunt omnia visibilia, in quem.*
[c] Edit., *quod*, sed melius *quando.*
[d] Edit., *plurimum.*
[e] Paulo aliter hunc locum legimus in editis : *Quid igitur ultra menti, tali renatæ sacramento, dubitationis momenti? Patris vox ad nos delapsa.*
[f] Edit., *quia.*
[g] Edit., *nomine.*
[h] In edit. desiderantur hæc verba : *In Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.*
[i] Edit., *quæ.*

Introdusă în format electronic de Google

accepimus. Credere omnino debemus aliud non esse credendum; idcirco nec requirendum, eo quod jam inventum credidimus. Ergo aliud non requirimus, quia nec ipse nobis mandat, eo quod unus est aliud requirendum, et scimus [a], quod nisi hoc unum, aliud quippiam nihil est necessarium. Amplectimur autem eum, quia unus est, et certæ devotionis affectu in una eademque fide proficiendo, sperando, atque amando, quia infinitus est, ipsum semper requirimus, donec [b] in ænigmate, et nondum in specie, quem [c] tenendo quærimus, ardentissimo amore quotidie perscrutamur. Sed et cum ænigmata rerum præsentium fuerint evacuata, etiam certi sumus, quod non alius, quam unus idemque Deus Trinitas sibi credentibus, ut jam per fidem percepimus, apparebit. Per hanc itaque fidem signatum est lumen vultus Dei super nos, et ideo ad infidelitates quorumdam hominum, et ad tenebras erroresque respicere non debemus. Ex fiducia igitur probationis, quia tempora periculosa pronuntiantur [d] futura, præveniendo monere desideramus quosdam ultra [e], nisi quod in baptismate credendo perceperunt, idque esse, et non aliud, quod quærere interim debebunt : nam ratio quærendi nonnisi in tribus rerum articulis consistere videtur : in re videlicet, in tempore, atque in modo. In re, ut quid sit quærendum consideremus. In tempore, ut quando, ne forte [f] quando quærendum non est, aut aliud, aut illud quod quærimus non satis inveniamus. Porro in modo quousque quærendum sit aspiratur; idcirco nobis scrutandum est, quod Christus instituit, et tenendus est ipse quem invenisse gaudemus : quia omnino nequaquam, nisi invenisses primum, credere potuisses. Ad hoc ergo quæsisti, ut invenires; [g] invenisti autem, ut crederes. In qua nimirum fide omnem probationem quærendi et inveniendi credendo fixisti, dum te cum Christo in mortem per sepulcrum fontis, exspoliato [h] mundo, sepelisti. Quod si vere mortuus es, et vita tua abscondita est cum Deo in cœlis, quid adhuc cum sibi viventibus, et non Deo, de fide quasi dubius disputas? vel quid sæviente persecutore, de morte formidas, qui jam mortuus in sepulcro fontis cum Christo teneris, et vitam tuam in cœlis repositam perfecte credis? Nec dubium quin, quod si priorem vitam tuam in terris receperis, novam, quam in cœlo cum Christo absconderas, perdidisti. Sub tali siquidem te ille determinavit sepulcro, qui te non vult jam deinceps aliud credere quam quod instituit. Idcirco neque tu aliud debes quærere profecto [i], neque tormentis addictus [j], ac si invitus, quidquam aliud confiteri. Novissime melius censeo ignorare manens [k] infra baptism. sacramentum, ne quod non debeas, ediscas, quam in aliqua fraudis curiositate captus ducaris extra [l] captivos.

3. Totum igitur novit qui Christum noverit : *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit* (*Marc.* x, 52). Et ideo maneat Christianus intra fontem fidei, ex qua [m] renatus est in salutem. Et si quidpiam hæsitaverit ad horam, tangat manu fidei adhuc Christum in fonte, quo Verbum caro descendens, nobis est baptizatus. Deinde Patris vocem desuper, ut nos erudiat per aurem exteriorem, auditu auris interioris audiat intonantem : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 17). Quæ nimirum vox quasi aliquid ad eum [n] insinuandum corpus, imo quia auribus sensibilis, verum corpus fuit. Idcirco quia per ea in voce non inclusus Pater sonuit jure [o] auribus quodammodo, etsi est incomprehensibilis, dicitur sensibilis exstitisse; sicut et Spiritus sanctus per subjectam speciem visibilis apparuisse manifestatur. Verumtamen secundum proprietatem naturæ, quia Deus Trinitas, cum ubique totus recte dicitur, non in loco cernitur, quia incorporeus et illocalis esse atque invisibilis probatur. Neque circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Hinc quoque dicitur : *Deum nemo vidit unquam, sed unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narrabit* [p] *nobis* (*Joan.* I, 18). Non tamen ita intelligendum, quod sono debeat perstrepere in auribus nostris; sed quia Verbum et imago est Patris, dum se mentibus nostris innotescit, ineffabili luce Patrem declarat atque insinuat manifeste, juxta quod idem testatus est dicens : *Qui videt me, videt et Patrem meum* (*Joan.* XIV, 9). Quæ nimirum visio non corporeis sensibus deprehenditur, sed sicut scriptum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Prædicat ergo Filium Pater sensibili vocis sono, et Filius dum se exhibet visibilem, quia Verbum Patris est, non alium quam cujus est Filius, in se declarat. Porro Spiritus sanctus, quia [q] ex Patre Filioque procedit, etiam et ipse non divisus in natura substantiæ majestatis, sed distinctus in persona, ut Deus Trinitas hominibus panderetur, medius in columbæ specie apparuit. Nec ideo tamen idem circumscribitur visu, velut nec Pater hic aut alibi auditur affatu, sicut nec, dum deambularet in paradiso, potuit incessu sentiri. Alioquin quoties per subjectam se patribus ostendit formam, sensibilis fuisse videri potest, quod absurdum est credere; sed quia invisibilis est, visus est ut voluit; non quidem ut est, sed quali specie illi placuit apparere : siquidem et hic aliter auditus

Edit., *sumus* : male.
[b] Edit., *nunc*.
[c] Edit., *et quem*.
[d] Edit., *prænuntiantur*.
[e] Editi addunt *nihil recipiendum*.
[f] In editis totus hic locus non ita clare sic refertur : *Nec forte quando quærendum non est, ne aut illud quod quærimus, non satis inveniamus*.
[g] Edit., *invenias*.
[h] Edit., *et spoliatus*.
In editis deest *profecto*.
[i] Edit., *adactus etsi invitus*.
[k] Edit., *manentem*.
[l] Edit., *captivus*.
[m] Edit., *ex quo*.
[n] Edit., *ejus*.
[o] In edit. deest *jure*.
[p] Edit., *narravit*.
[q] Edit., *qui*.

Introdusă în format electronic de Google

est, non modo a Joanne, verum alibi et ab aliis Interius : aliter a turba hic aut alibi, qui quodam in loco tonitruum factum esse dicebant (*Joan.* XII, 29). Unde nec mirum, si vocem [a] prædicatoris quamplures non obediunt, cum et hanc [b] vocem multi audientes, nihil eis profuisse probatur. Deus est enim qui incrementum sine voce dat intus : de quo beatus Ambrosius : *Quod* [c] *cum absens*, inquit, *putatur, videtur ; et cum præsens est, non videtur.* Non enim dixit : absens est; sed *cum absens putatur.* Nusquam enim est absens, qui cœlum et terram atque omnia complet, nec spatiis includitur parvis, magnisve diffunditur, sed ubique totus, et nullo continetur loco.

4. Hoc itaque qui [d] excedente mente intelligit, hic videt Deum, et cum absens putatur, hic sane intelligit, etsi distinctus in baptismo apparuit Deus Trinitas in personis, quod inseparabilis sit, fit [e] ubique totus propter unitatis substantiam. Non quidem in loco, sed totus ubique, Pater in Filio, et Filius in Patre totus, atque Spiritus sanctus in Patre et Filio simul totus, et coæternus manet Deus : quia nimirum quodcunque Pater est hoc et Filius atque Spiritus sanctus est ; et quodcunque Filius, hoc est Pater et Spiritus sanctus ; necnon et quod Spiritus sanctus, hoc totum Pater atque Filius. Sed tamen alius Pater, alius est Filius, alius Spiritus sanctus : alius, inquam, non aliud ; quia qui Pater est, non est Filius neque Spiritus sanctus ; sic et qui Filius, nequaquam Pater aut Spiritus sanctus : sed neque idem Spiritus est Pater, aut Filius. Quod volens Deus Trinitas adhuc rudibus in fide luce clarius aperire, qui necdum aliud sensu quam corporea [f] sciunt cogitare, trino distincte ad cognoscendum unum refulsit specialitatis numero : quatenus visu, auditu, et tactu adhuc lactantes in fide tribus istis sensibus intus in se traherent prima fidei rudimenta. Unde cooperante ipso, qui [g] exterius sentiebatur, fides perfecta deinceps uberibus Scripturarum plenius nutriretur. Non enim prius adhuc animales spiritalia potuissent ad plenum capere ; et ideo necesse fuit, ut per sensum exterius tenera credentium infantia fidem perciperet, et de sensu carnis introrsus rediens totus homo conversus ad Deum, invisibilia videndo per fidem fieret spiritalis, et tenderet sublimius per fidem doctrinarum lacte nutritus ad spiritalia converti. Unde et quamplurimi sanctorum in tantum spiritaliter profecerunt, ut spiritualia spiritualibus comparantes, viderunt melius ea videri mente, quam sensu corporeo persentiri. Quia etsi visus a plurimis aut auditus, sicut hoc loco, ex quo agitur, in divina auctoritate legitur, sine ulla sui commutatione, aut per corpus visus est, aut certe per corporales quasdam imagines, quas Dei quidem voluntas elegit, non quas natura formavit; fecit enim ista Deus quibus voluit, quando voluit, et ut voluit, sua tamen in se latente incommutabiliter manente substantia, et sine ullis locorum aut temporum intervallis omnia implente, ita ut nec minor sit in parte quam in toto : neque major in toto, quam est in parte. Verumtamen quomodo voluit quam sæpe apparens [h] in locis et in tempore, ut eos qui locales et temporales erant ad invisibilia protraheret credenda, et illa postponerent quibus tenebantur devincti, et cernebant suis defectibus quotidie labefactari. Hinc quoque certum est, ut præmisimus, in fonte baptismatis ideo totam simul divinitatem majestatis in Trinitate sensibus corporeis se quodammodo sensibilem infudisse, ne quando ex fide renascentes ad vitam alteram deinceps susciperent, nisi per quam quisque junctus est Deo, et carnali sensu male deceptus periret. Signatus quippe est fons iste annulo fidei ; et ideo nullum debet quandoque finem admittere. Ex cujus nimirum irriguo deliciarum hortus, videlicet Dei generalis Ecclesia, undique satis munitus atque conclusus, florens viret ; quia in se Christum non solum sepultum, verum resurrexisse gaudet. In istis sane fidei rudimentis fidelis cujusque anima requiescit secura : in hac quotidie virtutum operibus floret, et contra omnes pressurarum impulsus velut clypeum protectionis opponit. Ex quo denique nimia securitatis fortitudine circumvallata fidenter canit illud in Canticis : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). Dormit enim spei suæ certitudine soporata : [i] vigilat vero pervigili diligentia, ne quod signatum est annulo fidei, fraudulentius corrumpatur. Unde summopere, sicut Paulus apostolus testatur : *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (*Hebr.* XI, 6). Hæc est, inquam, integra et vera fides : Credere quia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus omnipotens Deus, retributor omnium contemnentium se, justorumque remunerator, pro quo cavere mala quæ vetuit, et bona agere fide firma, quæ per dilectionem operatur, confidenter usque ad finem vitæ convenit.

CAPUT X.

De potentia fidei.

1. Potentiam fidei solus novit, qui Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute non modo credit, sed et diligit. Qua nimirum fide totum hominem immortalem futurum, qui utique anima constat et corpore, vereque beatum, non argumentatione humana, sed divina auctoritate promittitur; cujus itaque potestas ex Deo est : de qua sane po-

[a] Edit., *voci... obediunt.*
[b] Edit., *cum et hanc vocem multis audientibus nihil profuisse probatur.*
[c] In edit. deest *quod.*
[d] Editi, *quivis credente mente intelligat, etsi distinctus*, omissis his, *hic videt Deum, et cum absens putatur, hic sane intelligit.*
[e] In edit. deest *fit.*
[f] Edit., *temporalia.*
[g] Edit., *quod.*
[h] Edit., *apparuit.*
[i] Editi *separata*, sed melius *dormit soporata.*

Introdusă în format electronic de Google

testate Joannes testatur dicens : *Quotquot autem*, A inquit [a], *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Sed et quid sit eum recipere mox insinuat, dum subjungit : *His qui credunt in nomine ejus* (*Ibid.*). Credulitas autem nominis ejus vera fides est, per quam dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Et si per eam nobis tantum dedit potestatem, non dubium est, quin filii Dei nominemur et simus. Quid ergo quod fides non possit, quam tantam percepisse potestatem non dubium est? *Non* enim *ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo* renati sumus (*Ibid.*, 13). Fide igitur fontem introivimus, quamvis iræ filii; sed Dei filii ex aqua et Spiritu sancto renati exsurreximus [b]; quia Deum in nobis prius per fidem suscepimus. Ergo Spiritus sanctus Deus est, et ideo B quia ex eo, utique ex Deo nati sumus. Sed ne infirmitas carnis nostræ, quam videmus et gestamus, ad tantam excellentiam venisse desperaret, mox adjungitur : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14) : saltem ut a contrario persuaderetur, quod incredibile videbatur. Si enim natura Dei Filius propter filios hominum misericordia sua factus est filius hominis; hoc est enim, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* ; quanto credibilius est, natura filios hominis, gratia Dei fieri filios Dei, et habitare in Deo, potestate accepta, ex quo renati sumus. In quo sane solo, et de quo solo esse possumus beati, participes ejus immortalitatis effecti, propter quos ad persuadendum Dei Filius particeps nostræ immortalitatis dignatus est fieri. Quid enim C hoc difficilius, quam illud, cum potestas, quæ Deus et ex Deo est, omnia possit? Idcirco potestas fidei, si vera sit fides et integra, quanta sit nemo qui [c] noverit, nisi qui ex Deo et in Deo vivit. Unde nec dubium, fides vera quod cum Deo multa possit. Eadem quippe fide priores sancti sine baptismo innumera et mirifica potuerunt. Quos commemorans Paulus apostolus, *Fide*, inquit, *plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam adhuc hodie defunctus loquitur* (*Hebr.* XI, 4). Ecce quid potuit in una eademque re : non enim hostiam hanc vel illam magis elegit Deus sed fidem offerentis : *Fide*, inquit, *plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo*. Fide, D et non substantia, quia *quidquid sine fide est, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23), et quod cum parva fide agitur, Deo modicum est ; et quod cum magna plurimum. Unde cuidam (*Matth.* XV, 28) : *O mulier, magna est fides tua*. Et quia magna erat, audi quantam retulerit potestatem : *Fiat tibi*, inquit, *sicut vis*. Quanta vi agat quisque magna, parvave, non amplius pensatur apud Deum, nisi quanta offertur [d] fide.

2. Et ideo considerandum et connumerandum est cum Apostolo, quanta, qualia fide potuerunt sancti Dei priores necdum adepti repromissionem, quam jam magna ex parte percepimus. Enimvero per fidem pene omnia potuerunt, imo sicut Salvator interrogat, credendum est quod *omnia possibilia* sint *credenti* (*Marc.* IX, 22). Et ideo per fidem multa et magna prodigia, quæ connumerat apostolus Paulus, operati sunt : *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna, et per fidem operati sunt justitiam, per fidem adepti sunt repromissiones* (*Hebr.* XI, 32). Quid plura? Omnia per fidem fecerunt, et ideo talia ac tanta potuerunt, quorum fides vera et invicta permansit. Sed et apostoli et sancti martyres quid per fidem non potuerunt? Qui, quod majus omnium miraculorum, etiam per B fidem seipsos contemnentes, pro Christo mori voluerunt. Et ideo testes appellantur, qui ut aliam in Christo meliorem et perpetuam astruerent vitam, istam caducam et temporalem acris [e] cruciatibus addicti emittere optaverunt. Ita et sancti confessores, sanctæque virgines, et sancti omnes fide perfusi, magna et ineffabilia fecerunt, quando et [f] seipsos et præsens sæculum calcarunt, ut in beata immortalitate se immortales reciperent. Qui nisi Christo plus quam sibi credidissent, nunquam talia et tanta potenter agerent, et patienter ista sufferrent. Unde perpende, o homo, quanta potest, qui suis talia posse dedit. Et si minor fides tibi est, aut nulla, implora fidem, ut tibi augeatur : quoniam fides quæ in Christo est, omnia potest. Hinc sane C Paulus : *Omnia possum*, inquit, *in eo qui me confortat* (*Phil.* IV, 13). Propter quod Deus, non ratione nos discutere, sed fide in se credere voluit, et pro certo scire, qui se nobis donavit, quod in se posse omnia per fidem concessit. Et quoties non possumus, non de infirmitate potestatis, quam nobis dedit; sed de infidelitate peccati, qua delinquimus, ut minus valeat fides, infirmamur. Et ideo meminisse debemus charitatis solium [g], unde cecidimus, pœnitentiam gerere, ut priora fidei opera per dilectionem Christi potenter implere possimus. Alioquin *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6), cur [h] per fidem in Christo omnia sunt possibilia credenti : siquidem non ut miracula possit suo non in tempore, sed ut Filius Deus maneat per adoptionem post finem temporis; quæ nimirum potestas D plus est, quam sperare aliquis posset.

3. Unde succurrat nobis fides, quia naturæ ratio deficit. Et si ex nobis nihil sumus, ex illo posse omnia fidendo, sperando, amando præsumamus : quia sicut in illo omnia posse potentia est; ita ex nobis, qui nihil, aut parum possumus, magna infirmitas est. Sed *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* V, 4). Magna igitur virtus fidei, magna potestas : nec immerito, per quam Deo

[a] In edit. deest *inquit*.
[b] Edit., *surreximus*.
[c] Edit., *nemo noverit*, omisso *qui*
[d] Edit., *offeratur*.
[e] Edit., *acribus*.
[f] Edit., *quando seipsos*, omisso *et*.
[g] Edit., *solum*.
[h] Edit., *cum per fidem*.

Introdusă în format electronic de Google

fœderamur, et Deus in nobis habitare creditur : si ex Deo possit tanta; quia quidquid fides nostra est, sperandorum substantia est; sperandorum autem substantia Deus est, Deus vero omnipotens est; et ideo fidei, quæ ex Deo est, et in qua Deus est, jure præstitit [a] majestas divina, ut talia tantaque possit, ut firmior sit fides ex Deo. Nunc autem quid dubitare possumus de fide, cum solum, quia credidimus [b], tam magna, et ineffabilia potuerunt sancti, et possumus ex fide? *Hæc est*, inquit, *victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Justum, inquam, est ut talia possit fides, per quam credidimus quæ non videntur, ut certiores sint fideles quod summa omnipotentia est, et sempiterna virtus, in quem credit fides. Potentia igitur fidei exhibitio est majestatis. Habet enim testimonium fides ex miraculorum operibus dum nihil ex se, sed totum ex eo potest, quo confortatur, in quem credit. Et quanto plus crediderit, ex eo quo pluris est, potentior efficitur. Nec enim plus credi potest quam ipse est, in quem oportet ex toto credere. Propter quod, ut dixi, irretractabilis est fides, quæ tanta potest, ut vincat mundum, et plura potuit per sanctos, ut opera quantocies ostenderit Deitatis. Sed et quod majus est, licet defuncti, adhuc fides eorum quamplurima quotidie perficit prodigiosa valde : ita ut magis, qui tanta queunt, quam viventes, videantur vivere; quia omnino in illo vivunt, qui potest omnia. O fides indubitata, quæ ad tantam pervenis victoriam; etiam ut illis defunctis, qui per te crediderunt, tamen plena omnipotentia vigeas, et opereris quo certius a timidis, et incredulis sis credenda : ita ut nihil sit verius quam quæ promittis, nihil potentius eo, ex quo talia, tantaque possis, nihilque beatius, atque in votis indefessis victrix cum triumpho tuos, teque sequentes quotidie perducis. Quæ non solum in terris talia geris, verum invicta virgo cœli templa penetrans, regnum polorum tuis congressa virtutum armis potenter diripis, et qui fornicantur abs te, inanes deseris, sine qua nostrum nihil posse, per quam omnia agmina congrediuntur, et calcantur vitia; quam si quis non credit, nihil inveniet ulterius, quo aliquid vitæ, vel virtutis possit.

CAPUT XI.

De justitia fidei.

1. Justitia igitur fidei est, qua de impiis per fidem justi efficimur, sine ullis bonorum operum meritis præcedentibus, qua gratis quidem justificamur sine operibus : ut, qui eramus iræ filii, sola fide per gratiam efficiamur adoptionis. Gratis autem ideo, quia nec ipsa fides in nobis, nisi per gratiam, et justificatio fidei ex gratia. Hinc quoque David ait : *Misericordia ejus prævenit me* (*Psal.* LIII, 1); et alibi ipse : *Misericordia tua subsequetur me* (*Psal.* XXII, 6). Alioquin nisi præveniret prius misericordia gratis, nemo fidelis esset. Gratis quidem, quia fides ex gratia : deinde quod ait : *Misericordia ejus subsequetur me;* profecto quia, ut fidelis quisque permaneat, Christi gratia præstatur : quatenus justus ex fide per gratiam operetur. *Arbitramur enim*, inquit Apostolus, *justificari hominem per fidem sine operibus legis* (*Rom.* III, 28). Et paulo post ex Genesi : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Rom.* IV, 3). *Ei*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam* (*ibid.*, 4, 5). Ecce quid fides possit, quia credit in eum, qui est essentialiter justus, *ut sit*, inquit, *justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt, quia justificetur gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* III, 22). Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Gloria igitur Dei est, ut appareat ipse solus justus, et potens, ex quo justificantur omnes per fidem Jesu Christi. Sed quærendum arbitramur, justificari hominem sine operibus per fidem; quid sit quod Jacobus ait : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 26). Quomodo enim vivificari potest, ut justus ex fide vivat, si in semetipsa prius mortua manet. Ergo justificamur gratis per fidem; sed non ex alia, quam quæ per dilectionem operatur. Quia igitur gratis propterea justificamur, non dico quia nulla fidei merita præcesserant; verum nec ipsa fides, qua boni aliquid ageremus, in nobis erat. Et ideo, dum fides in nobis, sine nostris meritis refunditur, gratis fide sine operibus justificamur. Sed deinceps restat, in nobis ipsa eademque fides bonis justisque operibus insistat : ut sit illa, quæ per dilectionem operatur, quia *justus ex fide vivit* : alioquin sine operibus mortua mortuum præmonstrat, ut jam non justus ex fide vivat, sed cum dæmonibus credat et contremiscat.

2. Ergo fides vera et gratia est; et ideo nunquam infructuosa, neque sine illa quippiam operatur. Gratia igitur Christi fides nobis per Spiritum sanctum datur, gratia nutritur, gratia, ut perseveret usque in finem, conservatur. Nihil enim gerit sine gratia prorsus, quia et ipsa, ut vivat, bonis justisque operibus gratis est inspirata. Restat igitur, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur* (*II Cor.* X, 17) : quoniam *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16). Alioquin quomodo volentis illud bonum esse potest, quod vult, aut currentis illud, quo currit, cum nec velle, nec currere habet, sine gratia miserentis Dei? An nescis, homo, quia jam magni aliquid, et multum percepisti quando velle ex Dei inspiratione, et currere per fidem cœpisti? Unde ne glorieris, quasi non acceperis; neque applaudas tibi ex te velle bona quæ velis, vel currere per fidem ad vitam, quo curris : imo velle, et currere jam miserentis est Dei : ut gratia per fidem justificatus misericorditer, nec desinas bona velle, quæ non videntur, et velis : nec currere per fidem ad Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quo currebas, in quo sunt omnia, quæ non videntur et cre-

[a] Edit., *persistit.*

[b] Edit., *crediderunt.*

Introdusă în format electronic de Google

dis. Velle quippe [a] tibi Christi gratia concessit : fides vero bonis operibus inhærendo currere viam, quæ Christus est, ministravit [b]. Hinc credere ex toto corde, sperare ex tota anima, diligere ex tota virtute convenit; quod si non desieris velle, et currere, donec pervenias, quo volendo ibas, credendo currebas; quia verax est omnipotens, qui non mentitur, Deus, omnino percipies quod volebas, et videndo frueris, quæ credebas. Interdum [c] autem petendo desuda : quærendo invigila : pulsando persiste, ne deficias. Pete credendo fide illa quæ accepisti; quære sperando quæ invenisti, pulsa diligendo ad quem intrasti. Jam enim justus ex fide vivis [d], ne te subtrahas a vita fidei : quia [e] si te subtraheris, non placebit, inquit, spiritus divinus animæ meæ. Cave ergo ne sis subtractionis filius, sed acquisitionis ; emptus enim et acquisitus es Christi sanguine : vive interdum justus ex fide, nihilque de te præsumas; sed fides Christi, gratia cooperante, bonis justisque operibus animetur : verum quod [f] in nullo deerit, quidquid promissum est, si velle per gratiam, currere per fidem ne desieris. Hæc, inquam, est vera justitia fidei, de meritis non præsumere, Christique gratiam non negligere, eique bona, quæ agis, ascribere, quæ usquam, et unquam nulli defuit, cui fides, quæ per dilectionem est, affuit, ex qua justus ex fide vivit. Unde totum sit miserentis Dei, quod accipimus velle, et currere, ut justi ex Deo vivamus. De promissis autem Dei nihil hæsitantes diffidentia; sed confortati fide in omnibus, constanter Deo gloriam demus, plenissime scientes, quæcunque promisit, quod potens est, et facere. Necnon et fidei bona, quæ agimus, tam volendo quam et currendo confitemur, quod sine ipso nihil possumus, per quem omnia se posse confortatus Apostolus gloriatur : ut et nos, non ex nobis : sed apud Deum gloriam habeamus.

3. His quippe duobus justificamur, volendo ex gratia, currendo per fidem : quoniam, etsi alia sunt quæ volumus, licet necdum possumus; alia quibus agendo jam per gratiam fide currimus : utraque tamen dona sunt Spiritus sancti. In quibus profecto pacem habentes ad Deum, reconciliati fide gratis justificamur. Ad hoc quippe *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine Christi ad ostensionem justitiæ suæ* (*Rom.* III, 25); ut sit ipse justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi. *Ad ostensionem*, inquit, *justitiæ suæ*, et non nostræ. Unde ipsius totum est, quod credimus, quod fide viventes justificamur : equidem miserentis Dei, et non currentis, ne nobis aliquid dum tribuimus, prolabamur. Christus enim, ut ipse ait : *Via est, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Via, per quam fide curramus ; in qua qui currit, debet et ipse ambulare, ut ipse ambulavit. Veritas, in quam credimus, credendo cognovimus, cognoscendo amamus; amando vero fide petimus, petendo quærimus, quærendo pulsamus : vita enim vero est, qua fide justificamur, cum non nobis, sed ei tribuimus, ex quo justi ex fide vivimus. Ergo quomodo non vivimus cum vita [g] per fidem ad ea festinantes quæ non videntur totum ex fide vivimus ? Et ideo quid de vita dubitare possumus, si jam ex fide justi sumus ? Hæc est, inquam, in Christo credere, fide justificari secundum eum justis operibus vivere. De qua nimirum fide Salvator inquit : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivit; et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum* (*Joan.* XI, 26). Quisquis ergo justus ex fide justificatur, licet prius peccator mortuus, qui credit in eum, qui justificat impios, profecto vivit : et omnis qui vivit, et credit in ea quæ non videntur, quoniam æterna sunt, procul dubio æterna vita, secundum interiorem hominem vivit : alioquin quomodo recte credit, si non secundum ea quæ sunt æterna, justus ex fide vivit ? Unde constat, non ei, qui ex parte ; sed qui ex toto profecto credit, fidem ad justitiam reputari. Quæ fides nimirum tanta et talis esse debet, ut justificet impium, ne ultra jam sit impius. Quod satis de latrone factum monstratur, quem de cruce mox justum transvexit [h] in paradisum. Sed et Abraham : quia *credidit, reputatum est ei ad justitiam* (*Rom.* IV, 3), profecto, quia ex toto credidit. Nam et antea fides ejus in multis agendæ [i] vitæ negotiis præcesserat, quæ ad ultimum suis adintegratur partibus, et universa colligitur, qua Deum ex toto credidit, et reputatur ei ad justitiam. Nequaquam igitur de filiis Israel ita legitur, quamvis crediderint, sicut scriptum est, quia crediderunt Deo, et Moysi servo ejus, quod ad justitiam eis sit reputatum. Et ideo in Abraham fides ex multis perfecta partibus colligitur, quæ ad justitiam singulis, ut sint filii Abrahæ, debeat reputari. Ergo talis, ac tanta fides secundum Christi gratiam est, ut promissio ex fide firma sit credentibus, et non ex efficacia mentis. Quæ autem ex gratia est, vere justificat hominem, ut sit justus et habeat gloriam apud Deum, cujus gratia illustratur, ne cum ejus fide ulla injustitia regnet. Alioquin *quæ societas luci ad tenebras, vel quæ participatio justitiæ cum iniquitate* (*II Cor.* VI, 14)? Si enim recte credis in Christo, ex Deo natus esse probaris, et *qui ex Deo natus est*, sicut Joannes testatur, *non peccat* (*I Joan.* V, 18) ; quod si peccaverit, manifestum est quia perfecte non credit. Indicium ergo veræ fidei est, si non delinquatur; certitudo vero, si opus fidei exerceat ad justitiam, ut tantum gloriam habeat apud Deum. Initium quippe justificationis apud Deum fides est, quæ credit in justificationem : et hæc fides, cum justificata fuerit,

[a] Edit., *quidem.*
[b] *Ministravit* melius *monstravit.*
[c] Edit., *interim.*
[d] Edit., *vivit.*
[e] Edit., *qui.*
[f] Edit., *quidem.*
[g] Edit., *vitæ.*
[h] Edit., *transvehit.*
[i] Edit., *agendi.*

Introdusă în format electronic de Google

tanquam radix bonæ arboris imbre suscepto hæret in animæ solo, ut ex doctrina Christi surgant in ea rami, qui fructus operum ferant. Non enim ex operibus prius radix justitiæ, sed ex radice justitiæ, fide scilicet, fructus operum crescunt. Hæc namque est radix justitiæ, quam Deus accepto fert sine operibus, tantum, ut in eadem justitia permanens, fructus faciat justitiæ. Quæ nimirum fides non qualiscunque est; sed talis omnino, quæ per dilectionem operatur : verbi gratia, misericordiam, benignitatem, mansuetudinem, modestiam, humilitatem, longanimitatem, patientiam, cæterasque virtutum opes, quarum profecto fructus simul cum sua radice reputatur ad justitiam omni credenti. Et hinc est, quod de Abraham dicitur : *Quia credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam* : verumtamen secundum gratiam, et non secundum debitum; quia, juxta eumdem Apostolum, *gratia autem Dei, vita æterna est* (*Rom.* VI, 23). Inde si quis fidem se putat habere sine gratia cogitet, quia necdum adeptus est vitam, ut justus ex fide vivat prorsus; quia in gratia fidei vita probatur æterna. Hinc quoque Apostolus : *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 2). Quæ nimirum fides, licet omnia credat, tamen, quia per gratiam donum charitatis minime percepit, idcirco per dilectionem non operatur, ut habeat vitam æternam, qua justus ex fide vivat : alioquin quomodo nisi, vita vivit, quæ [a] est in gratia Christi, quisquis ad æternam festinet? Unde summopere juxta apostolum curandum, ne Christi gratia in nobis vacua persistat, profecto quia sine charitate, ut nihil prosit nobis, etiamsi montes transferat, et dæmonia expellat, vacua manet, eo quod si est omnimoda in credendo, nec est tamen gratia charitatis adimpleta in agendo. Et quia deest gratia, ut credent. nihil prosit, deest illi vita æterna, ut justus ex fide vivat. Unde cum apostolis orandum : *Domine, adauge nobis fidem* (*Luc.* XVII, 5); quatenus illa sit fides, quæ per dilectionem operatur in nobis, quia si quis credit, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Constat ergo quod omnis qui vivit, et credit in Christo, non morietur in æternum, omnino ex integro, quia credit, et justificatur per fidem justitia Dei, de qua Propheta orat, et dicit : *Domine, in tua justitia libera me, et eripe me* (*Psal.* XXX, 2). Quæ nimirum justitia Dei, quia ex gratia est, jure dicitur, propterea promissio ex fide firmior habetur; ut omnis qui vivit et credit, non moriatur in æternum. Alioquin si credit, et necdum vivit justus ex fide, nihil proficit ad vitam; quoniam justitiæ Dei necdum est subjectus. Rursus aliquis prius quodcunque gesserit, si hac fuerit justitia justificatus, jam vita æterna vivit : vita vero æterna qui vixerit, non morietur in æternum; quoniam æternum est, quod vivit, dum omnino Christo, qui vitâ est, credendo, sperando, amando ex toto vivit.

[a] Edit., *qui*.

CAPUT XII.

Quid sit armatura, vel instrumenta fidei, quibus tanta possit.

1. Armatura, vel instrumenta fidei sunt virtutes agendæ vitæ, quibus fides per Spiritum sanctum vivificatur, et corroboratur in interiorem hominem, ut contra omnia possit. Hæc namque turris illa est ex Evangelio (*Luc.* XIV, 28), quæ construitur virtutum sumptibus, in qua mille clypei dependent, et omnis armatura fortium. Quam si quis sine his erigere eam voluerit, prolabitur : ita ut omnes qui viderint eum, incipiant illudere, quod hic cœpit turrim ædificare fidei, nec potuerit consummare. Itaque sine virtutum sumptibus nemo fidem ædificat, ut ad cœlum usque pertingat, et contra omnia possit. Cujus fundamentum, ut firma sit, Christus robur omnium virtutum loquatur : patientia vero, et longanimitate, atque perseverantia constructa lapidibus quadris, ad finem usque perducitur : spe certa in cœlo, ne moveatur in terris inter fluctus tentationum, quasi anchora firmatur; quam sane spem, teste apostolo, tutam habemus in cœlo : charitate vero, ut sit structura virtutum compacta inter Deum et hominem vel proximum, et indissolubilis connexio deifice cæmentatur; quoniam charitas vinculum est perfectionis, in qua vis ipsius fidei, et fortitudo, quam ex Deo habet, manu exerta pugnat clypeo bonæ voluntatis, ne ab hoste feriatur; hinc in Deo coronat. Prudentia autem, quasi oculus, acutissime quæ sint salutis, et adversa, ut declinentur, contemplatur. Consilium vero, quomodo illa effugiamus, vel ista conservemus, insinuat. Porro justitia fidem velut loricam induit, et obtegit, ne lædatur. Spiritus vero sancti gladius, quod est verbum Dei, fortiter hostem verberat. Cæterum humilitas custos virtutum, ne aura, quæ aggregamus, et ventus tentationum huc illucque dispergat, ligat, et componit, ut Christo erigente, turris fidei gradatim surgat : ubi obedientia, si quo modo possit placere per fidem, qui se probavit, fortiter desudat. Mansuetudo, modestia, benignitas leniter, atque suaviter motus componunt animi; ne in aliquo charitatem lædant. Timor quoque compungit, et ad cautelam, currentem inter laqueos tentationum reducit : sed ne tristibus absorbeatur, gaudium Spiritus, et exsultatio vitæ spiritalis mentem exhilarat : ita ut fides gaudeat magis in passionibus quam in prosperis. Illustratur sapientia et intellectu; veritate ut fortis sit, viriliter accingitur. Quæ omnia virtutum instrumenta, temperantia, quæ alio nomine discretio vocatur, nutrit ut mater, et regit; ne infirmentur [b] et distemperantia concentus harmoniaque virtutum solvatur.

2. Talibus igitur et hujuscemodi armis prænunita fides, inimici jacula repellit, castitatem custodit, pudicitia decoratur, bonis omnibus pinguescit et ditatur. Unde præsentis vitæ paupertatem diligit, æterna quæ creduntur inhiat et ambit. Solum ergo

[b] Edit., *infirmetur*.

Introdusă în format electronic de Google

habere gaudet, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ; quoniam ipse est turris, quæ fide Christi a fundamento construitur : de qua propheta David : *Deduxisti me*, inquit, *quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici* (*Psal.* LX, 4). In hac quippe turre fides radicata dilectionis amore, et fundata, omnia virtutum recondit instrumenta. In hac sibi thesaurizat thesauros immarcessibiles, quo [a] fures non effodiunt, nec furantur, quo sunt omnia æternorum, quæ non videntur, et ideo secura facultates temporalium melius eo recondit, ut æternas eas recipiat; quasi penes hanc vitam illas expenderet; fruitur enim pace per Christum, jam Deo reconciliata in cœlestibus, *quæ exsuperat omnem sensum* (*Phil.* IV, 7). Quæ nimirum pax custodit corda fidelium, et intelligentiam, ne se subtrahat altius ut moveatur a fide, quo non oportet. Nam quocunque ratio deficit, vel intellectus, fides succrescit, nosque sinu materno complectitur, et nutrit, donec perveniamus ad speciem, quam ardenter in mente tenemus per fidem. Alioquin multum desipit, qui totum de Deo, ratione, vel intellectu duntaxat comprehendere credit.

3. Profecto, quia ratio fide inferius agit, dum ubi ratio succumbit, fides divinitus inspirata succedit. Qua de causa multi ratione humana, vel artis eloquentia fisi, et volentes omnia Deitatis arcana temere comprehendere, longius recesserunt a fide : atque ita, dum fidem conati sunt per rationem excludere, alieni facti sunt a fide; et dum altiora se humanis sensibus conantur circumscribere, multa sine fide, de fide sunt locuti : sed vera fides tuta semper requiescit in Christo, quæ quamvis plurima noverit, sufficit ei, quod Christum, et hunc crucifixum novit [b]. Hinc quoque Paulus : *Non judicavi me*, inquit, *scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). In quo profecto ac si fortitudinis turre, hinc inde fides virtutibus circumsepta, una quidem manu eademque credenti ædificat turrim; altera vero armorum apparatibus improbos revincit hostes, et eorum repellit insidias, ne falsis decepta oblectamentis succumbat.

4. Sic itaque sancti patres nostri de captivitate, in figura totius Ecclesiæ reascendentes, destructam Jerusalem una quidem manu reædificant; altera vero circumcirca hostibus obsessis, fortiter eadem fide divinitus imbuti, propugnant (*Esdr.* IV). In quo namque conflictu bene fides etiam suis decertat partibus, ut majora semper velit. Unde magnifica jure dicitur, dum potiora semper, et quæ in ea sunt præterita, obliviscens appetit. Cujus nimirum fortitudo Deus est, vt ipse clamans ait : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Ac si patenter dicat : non in vestris viribus, sed in mea erit fortitudine, quod victores eritis. Unde si deficitis, et tentationibus propellimini, ad meam respicite victoriam, meumque implorate auxilium, quia in mea victoria vestra est fortitudo. Confidite, inquit, non de vobis, sed de mea victoria; quoniam ego vici mundum. Meæ quidem potestatis est, quod vici, quam sane potestatem, et fidei jure concessi; tantum confidite. Hinc quoque Apostolus, *et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* (*Joan.* V, 4). Quæ profecto fides, nisi confidentiam habeat de Christi victoria, infirmatur; et ideo credere oportet ex toto corde, quod promisit : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Ad quod ergo nobiscum se pollicetur affuturum, nisi rursus ut puguet, et vincat in nobis? quod [c] si vera est fides, talibus et hujusmodi firmatur promissis, ne deficiat, dum impellitur : alioquin, nisi ea credidерit, quanto magis tepescit fidendo, tanto plus offendit fortitudinem fidei, quæ Christus est, amittendo. Non enim permittit nos tentari supra id quod possumus, quia ipse novit vires nostras, sed quoties vincimur, propria licet ex infirmitate, voluntatis vitio prosternimur amissa confidentia, et ideo dejicimur. Propter quod in omnibus perseverantia fidei est necessaria, ne prius demus manus peccandi, quam divina virtus, quia [d] nobiscum est, ferat auxilium; sed relinquit ad modicum, ut in his exerceamur. Quod si amittimus confidentiam, magis incidimus in tentationem qua [e] labimur; et dum respicimus tenebras peccati, amittimus lumen fidei, in qua nobis certa victoria repromittitur. Propter quod vigeat in fide magnificentia, imploret Christi auxilium confidentia, quæ satis est necessaria, et ferveat perseverantia usque ad finem. Certissimum est enim quod nunquam in tali ac tanta fide aberit Christi victoria; quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 12). Quod, *si moram fecerit*, ut ait Propheta, et tardaverit largiri, quod exoptas, exspecta, *quia veniet, et non tardabit* (*Hebr.* II, 3). Cave igitur, ne perdas sustinentiam. *Væ*, inquit Propheta, *his qui sustinentiam perdiderunt, et devenerunt in vias pravas* (*Eccli.* II, 16). Quid itaque facient, cum inspicere cœperit Deus conscientias singulorum? Quapropter noli a fide desistere [f], noli a cœpto itinere declinare; festina quo tendebas, et si ceciderіs [g] ob fragilitatem, citius resurge. Noli vitiis succumbere; sed esto invictus mente fidei. Gressus tuos non retrahat inimicus festinantis animæ, fides certa perducat ad Deum. Non enim es victus, donec sponte jaceas; sed congrederis, dum vincere adhuc [h] per fidem appetis. Nulla igitur virtus sine fide pugnat; quoniam *quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 13). Et ideo, quantisper fracta fuerit, quælibet arma fidei resumat, eadem fides mox convalescat; quoniam ipsa est, quæ primum cæteras ad campum producit certaminis. Ipsa

[a] Edit., *quos*.
[b] Edit., *noverit*.
[c] Edit., *quæ si vero est*.
[d] Edit., *quæ nobiscum est*.
[e] Edit., *quam labimur*.
[f] Edit., *desiperes*.
[g] Edit., *recesseris*.
[h] In editis deest *adhuc*.

Introdusă în format electronic de Google

quidem prior petit campum, et ad agonem pugnatura, exerta brachiis, et nuda humeris præcedit intrepida: ita ut nec telorum meminerit, nec armorum suffragia; sed fidens pectore, omnes animæ virtutes accendit ad victoriam; quibus suffulta Christum desuper astantem aspicit, et clamantem: *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Unde si nuda humanis viribus semper [a] Dei tuetur auxiliis: et ut apertius fatear, nulli unquam victoria defuit, nisi cui tanta, vel talis fides vitiorum impulsu defecit; et ideo semper clamandum: *Domine, adauge nobis fidem* (*Luc.* XIV, 4).

CAPUT XIII.

Quod propria sit unicuique sua, quamvis sit omnium, fides.

1. Quamvis Apostolus dicat: *Una fides, unum corpus, unum baptisma* (*Eph.* IV, 5), tamen, ut supra dixi, propter differentiam donorum, specialis et propria habetur in singulis. Hinc itaque in alio modica reprehenditur, in alio vero magna laudatur. Et tamen una eademque in omnibus jure creditur, ex qua unum corpus in Christo [b] efficimur, per quam uno baptismo consecramur, et in una spe vocationis nostræ, una et sola fides est qua renascimur. Verumtamen propter gratiam donorum propria unicuique largitur, et ad mensuram ipsius fidei, teste apostolo Paulo, cætera charismatum dona præstantur. Est enim initiatrix omnium virtutum, et ideo prior illa per Spiritum sanctum datur, ut reliquæ virtutes ad ejus mensuram singulis dispertiantur. Unde ubique prius fides aut requiritur, aut datur. Requiritur autem, cum Martha interrogatur: *Credis hoc?* Tum illa: *Credo utique, Domine, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* (*Joan.* XVI, 27). Post cujus itaque fidem mox Lazarus resuscitatur. Et alibi cum quidam paralyticus a quatuor ferretur, *Videns Jesus fidem illorum*, ait evangelista (*Matth.* IX, 2), qui efferebant. Quod satis considerandum, quia quodcunque gerimus ex fide, pensatur. Unde Dominus in Levitico, cum de sacrificiis loqueretur: *Tollet*, inquit, *sacerdos pugillum plenum simila* (*Lev.* VI, 15). Ergo per pugillum fides exprimitur, ut unusquisque tantum offerat Deo quantum fides capit. Affectum namque fidei divinus arbiter intus in occulto prius examinat, et tunc ex ea opera compensat. Opera quippe [c] palam sunt gesta, sed fides soli Deo patet. Ideo inquit evangelista: *Videns Jesus fidem illorum* qui efferebant: quoniam quidquid Deo sine recta fide offertur, magis displicet, sicut de Cain legitur: *Quod respexit Deus ad Cain, et ad munera ejus non respexit* (*Gen.* IV, 5). Quare autem ad munera non respexerit, manifesta ratio est, quia cum eum prius intuitus, reperit in ejus intentione cordis, quod non recta fide offerret: idcirco munera ipsius, quamvis recte oblata, jure repudiavit. Hinc quoque Paulus: *Quoniam*, inquit, *ex maligno erat* (*I Joan.* III, 12), utique ex maligno animo. Et ideo apud Deum, qui corda inspicit singulorum, nullam retulit mercedis laudem. Unde Paulus: *Non qui in manifesto circumcisus est*, ait, *sed qui in occulto Judæus* (*Rom.* II, 28); et de Abraham: *Si enim ex operibus justificatus est, habet gloriam; sed non apud Deum* (*Rom.* IV, 2). Patet igitur ex omnibus, quod occulta cordis solius est Dei nosse. Idcirco ipse per se prævidet in unoquoque fidei affectum et intentionem cordis, ut exinde, quod solius Dei est nosse, scilicet ex fide, habeat unusquisque intus gloriam apud Deum solum, qui occulta fidei solus conspicit, et qualitatem comprobat ipsius ac quantitatem. Non enim in omnibus æqualis, sed una est fides. Una videlicet, quia nonnisi unus est Deus, sed non æqualis, quia non omnibus perfecta est fides. Profecto in uno eodemque homine aliquando ex parte, aliquando perfecta est, intantum, ut plerumque multa ex fide habeat: sed necdum in ea vivit justus. *Justus*, inquit, *meus ex fide mea vivit*. Ergo quisquis ex fide Christi vivit, totus Deo vivit, sicuti qui dicebat: *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II, 20). Quod scientes apostoli dicebant: *Domine, adauge nobis fidem*. Nam qui fidem sibi augeri exoptant, jam aliquam fidem habent, et ex fide rogant, ut ex integro in fide vivant.

2. Propter quod nemo sibi applaudat, mox ut quippiam de Deo crediderit, et aliquid ex fide fecerit; sed consideret si jam totus ex fide vivit: deinde si fides ejus in charitate radicata et fundata fuerit; ut sit illa quæ per dilectionem operatur. Alioquin si habuerit, juxta Apostolum, omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil ei prodest (*I Cor.* XIII, 2). Quæ nimirum fides in Evangelio grano sinapis comparatur (*Matth.* XVII, 19), etsi tanta posse videatur, magna quidem potest, quia ex magno potestatem magnam accepit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Sed hi, qui tantummodo montes sine charitate transferunt, et dæmonia repellunt, virtutesque multas faciunt, licet omnimodam fidem habeant in credendo, quia necdum viscera sunt dilectionis Christi, degenerantur a Christo, et necdum plenam perceperunt potestatem fidei, ut essent filii Dei. Tamen nunquam adeo vacua est fides; sed qualis et quanta fuerit ipsa, talis et tanta ubique [d] potestas ejus refertur, cui cum desunt viscera amoris, deest et potestas adoptionis; quoniam omnis *adoptio* et paternitas charitatis amore plena sunt, et sola dilectione sibi ad invicem conviscerantur. Hinc quoque imploranda est semper illa, quæ per dilectionem operatur, ut si integra et vera fides, sicut in credendo, ita et in agendo, amando, virtutum operibus insudando, tantum ut habeat gloriam

[a] Editi, *semet* non male.
[b] In editis desideratur *in Christo*.
[c] Edit., *quidem*.
[d] In edit. hæc desiderantur, *potestas ejus refertur, cui cum sua desunt viscera amoris, deest*, etc.

Introdusă în format electronic de Google

apud Deum, apud quem semper nuda et aperta versatur. Ipsa est enim sperandorum substantia, et ideo totum debet in se gerere, quidquid in futuro speratur. Alioquin si aliud in se gerat, non est Christi fides, non est sperandorum substantia; quia quidquid in Christo est, hoc totum recte speramus, si recte credimus. Unde semper, ut dixi, orandum, ut recte credamus; et si quid in nobis minus esset credendi, utique supplicandum cum apostolis : *Domine, vdauge nobis fidem*, quousque omnia per Christum sint possibilia credentibus nobis. Per Christum autem, apud quem semper, et in quo fides vera versatur, apud quem gloriam indefessa requirit, et habet; eo quod omnis gloria ejus ab intus; foris vero cuncta quæ fiunt devota contemnit. Intus autem legit et orat, intus operatur et diligit, intus sua congregat virtutum opera; intus, quamvis foris pugnet, secura quiescit : foris quidem pugnat, sed intus vincit : in quo est intus impetrat; intus impetrata reportat. Ad hoc ergo agit foris, ut intus ad se omnia trahat, ubi sua est confessio, et omnis pulchritudo, sanctitas, et magnificentia in sanctificatione ejus. Quæ non solum pro se agit, verum etiam pro aliis, quibus deest, multum intervenit : interveniendo autem quam sæpe præstandi compos [a] efficitur. Hinc est quod in Evangelio legitur : *Fiat tibi sicut vis* (*Matth.* xv, 28); et : *Fides tua te salvum fecit* (*Marc.* x, 52) frequenter auditur. Necnon et aliud : *Videns Jesus fidem illorum*, qui efferebant, ait paralytico : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* ix, 2). Namque ecce filius Altissimi ex fide aliorum, qui erat [b] antea gehennæ filius, ægrotum liberat, ubi mira dispensatio fidei aperitur, quantum in eo valeat, cujus est fides, quæ tantum pro altero valuit impetrare. Hinc etiam Dei Ecclesia, dum ad renascendum filii deferuntur, quorum non dico fides; sed nulla est ratio vel sensus, ut possint credere : tamen credit, quod aliorum fide salvantur. Et si bene perpendis, nihil salutis sine fide præstatur.

3. Est tamen, sicut dixi, modica in aliquibus, est et magna in nonnullis : apostolis dubitantibus etenim dicitur : [c] *Quid timidi estis, modicæ fidei?* (*Matth.* viii, 26). Centurio vero laudatur quod non invenerit tantam fidem in Israel (*Ibid.*, 10). Necnon et Maria solum quia credidit beata prædicatur. Ait enim : *Beata, quæ credidisti, perficiuntur in te quæ dicta sunt tibi ab angelo* (*Luc.* i, 46). Et mirum si non ita in omnibus qui perfecte credunt, et perficiuntur et præstantur quæ recte per charitatem fidei optantur et quæruntur. Unde Dominus : *Si habueritis fidem*, inquit, *velut granum sinapis, et dixeritis monti huic : Tolle te hinc, et mitte te in mare, fiet utique* (*Matth.* xvii, 19). Veruntamen quivis [d] de quolibet monte dictum accipiat, vel de cujuscunque grano sinapis; nemo tamen qui sane credit, dubitare debet quod hæc ita sint, ut Veritas repromisit. *Sed non omnium est fides.* Nam et Apostolus inter cætera Dei dona atque Spiritus sancti dicit : *Alteri datur fides in eodem Spiritu* (*II Cor.* xii). Quid putas? numquid et omnibus non datur, qui aut [e] sermonem scientiæ vel sapientiæ, aut gratiam sanitatum, aut prophetiam, aut genera linguarum, et cætera hujusmodi [f] perceperunt; cum hæc omnia juxta eumdem apostolum, unicuique secundum mensuram fidei dispertiantur? utique datur his omnibus prior fides, qui gratiam Spiritus sancti aliquam percipiunt; sed sunt aliqui, qui ut illi in sapientia, vel scientia, vel gratia sanitatum, vel prophetia pollent; ita et ipsi fidei virtute præcellunt, ut quam plurimum possint, etsi cuique sua sit fides. In qua nimirum fide hoc in tempore nonnulli plus fervent, adimplentes præcepta agendæ vitæ, et calcantes ea quæ contraria sunt saluti : nonnulli vero sic cœlestia meditantur, ut terrena non relinquant, quos si requisieris, omnes pariter se credere confitentur unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; sed eorum non æqualis est omnium fides; et ideo nobis proximi fides non ex voce tantum, sed ex operibus pensatur; quoniam quantum in eo vivit, tantum aut bona volendo, aut piis justisque operibus insistendo ad ea quæ non videntur ardenter currit; tantoque potentior ad agendum, quanto devotior circa Deum, et tanto validior quæ contraria sunt ad resistendum, quanto cæterarum virtutum instrumentis armata, et conflsa fuerit in Deum. Et non dico quod inæqualis una eademque, verum nec in uno eodemque homine semper æqualis esse probatur; altera enim fuit in Petro, quando interrogatus (*Matth.* xvi, 15) : *Vos quem me esse dicitis?* dicebat : *Tu es Christus Filius Dei vivi* Altera, quando ab ancilla requisitus negavit : *Non novi hominem* (*Matth.* xxvi, 72); sed et Dominus : *Ego pro te rogavi, Petre, ne deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* xxii, 32). Puto, quando necdum conversus erat perfecte [g] fidelis nondum erat, et cui præstatur ejus fides ne deficiat, aliqua fides profecto erat; sed timore pressus male negavit, quod intus in conscientia occulte pressit; sed talis fides etiam ab intus periret, nisi quamcito eam pietas suo aspectu refunderet. Qui postea conversus, etiam inter verbera, et ad mortem usque intrepidus confitetur. Ergo et cæteri, dum adhuc confirmandi erant, necdum in fide perfecti erant. Et ideo nemo se [h] applaudat perfecte fidelem, mox ut quantisper cœperit [i] credere, donec Christum et Spiritum sanctum in se habitare sentiat per fidem. Unde apostolus Paulus : *Flecto*, inquit, *genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi, ut det vobis divitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per Spiri-*

[a] Edit., *compos efficit.*
[b] Edit., *qui erant antea gehennæ filii*, non ita bene; alioquin subdere deberet, *ægrotos liberat.*
[c] Edit., *dicit.*
[d] Edit., *quisvis.*
[e] Edit., *qui autem.*
[f] Edit., *hujus.*
[g] Edit., *perfecto*, sed melius *perfecte.*
[h] Editi, *sibi*, sed melius *se.*
[i] Edit. *cœpit.*

Introdusă în format electronic de Google

tum ejus in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum. Scire etiam supereminentem charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei (*Ephes.* III, 14-19). Ecce, si fidelis es, jam ad quid tendendum, ut fidelis permaneas. Hinc quoque Dominus in Apocalypsi Joannis, Ecclesiæ, *Esto*, ait, *fidelis usque ad mortem, et dabo tibi edere de ligno vitæ* (*Apoc.* II, 10). Consummata igitur fides usque ad mortem pertingit, cui nulla possunt obsistere blanda vel aspera; siquidem nec mors, quæ cunctis asperior videtur, donec ea quæ non videntur apprehendat, ad quæ [a] nemo nisi per mortem venit unquam; et ideo, quam bene fides etiam hæc mortem timet : alioquin si fides argumentum est eorum quæ non videntur, et ad ea venire festinat quæ nonnisi post mortem comprehendere valet : quomodo fides est, si mortem timeat? Quod si [b] justus ex fide vivit, qualis est virtus, quæ [c] vita justi est, et vivificat ad vitam, ut mortem paveat? Timor enim mortis de pœna peccati est, et ideo justus jam fide vivens timere non debet; quia sicut Christus vita, mortem morte peremit; ita et fides vita justi, per mortem de morte ad vitam transit : ut jam justus non ex fide, sed ex vita sempiterna, quæ nunc in fide est, immortaliter vivat.

CAPUT XIV.

Quod fides recte circa tria versatur tempora, et ultra ad æterna.

1. Profecto fides non minus de præteritis credit quam de præsentibus et futuris. *Fide*, inquit Paulus, *intelligimus adaptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent* (*Hebr.* XI, 3). Quæ qui non credit, infidelis probatur. Et hæc est fides, quam docet Spiritus divinus per Moysen, dicens : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1), id est creaturarum omnia quæ sunt in cœlo et in terra. Unde restat aliud nihil esse, quam unum Deum quem credit fides; et ea quæ sunt ab uno Deo, Creatorem videlicet et creaturam. Siquidem creatorem ante omnem, et supra omnem, et ultra omnem creationem. Ante omnem, quia ipse sine initio est, et creatura omnis ab ipso est. Supra omnem, quia ipse potentior atque excelsior, et creatura per ipsum, a quo regitur et gubernatur, ut sit, omnino est. Ultra enim prorsus, quoniam sine fine est, et creatura infra ipsum finiens, ut cum ipso sit, vere et indubitanter est. Idcirco nihil extra ipsum; sed ipse ante omnia, et supra omnia, et ultra omnia utique est. Hinc ergo constat fidem de præteritis agere, necnon et de præsentibus et de futuris. De præteritis quidem, dum ea credit quæ ante sæcula sunt, unum Deum in tribus subsistere personis, ex quo omnia. De præsentibus, cum ea quæ nunc ultra hujus vitæ sæcula sunt, unum scilicet, eumdemque permanentem Deum esse intelligit, per quem omnia. De futuris vero, cum ea quæ ultra hujus sæculi finem prætendunt, Patrem videlicet et Filium, atque Spiritum sanctum, unum Deum in Trinitate sine fine permanere non dubitat, cum quo omnia. Et hæc est, inquam, altitudo divitiarum, in quam credit fides, sed quia incomprehensibiles viæ ejus sunt, idcirco sine ulla disputatione et retractatione de Christo integra et inconcussa semper cum ipso, donec in via sumus, et ea non videntur quæ creduntur, vera manet fides. Credimus enim eum mortuum, quod jam præteriit : ipsumque credimus nunc sedere ad dexteram Patris; quod præsentis est : et venturum ad judicandos vivos et mortuos, quod futurum est. Sed si quæritur Christiano quid credendum? licet ab uno Deo jure omnia creata sunt, non tamen rerum natura ita rimanda est, quemadmodum ab eis quos physicos Græci vocant. Non itaque metuendum, ne aliquo [d] deviet numero elementorum, de motu atque ordine et defectibus siderum, de figura cœli, de generibus et naturis animalium : neque existimandum Christianæ fidei aliquid obesse, si quippiam ignoramus fruticum [e], lapidum, fontium, fluminum et montium; de spatiis quoque locorum ac temporum, de signis imminentium tempestatum, et alia scientia de his rebus quas illi invenerunt, vel invenire se promittunt. Nam et ipsi non omnia repererunt, licet quædam humana conjectura investigantes, quædam vero historica experientia cognoscentes, plura vero sua opinione confingentes, ediderunt. Satis est enim Christiano rerum creatarum causas, sive cœlestium, sive terrestrium, sive visibilium, sive invisibilium, intelligere, non nisi bonitate creatoris Dei existere; nullamque esse naturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso; ipsumque esse Trinitatem, Patrem scilicet, et Filium a Patre genitum, et Spiritum sanctum ab utroque procedentem, unum Deum, a quo creata sunt omnia; nec summe, nec æqualiter, nec immutabiliter bona; sed tamen bona etiam singula, simul vero universa valde bona.

2. Eam igitur solam appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum quæ non videntur, non quæ omnino videntur; et si in quibusdam fidem a contrario damus, quando non absurde interdum dicimus aliquid nos vidisse et credidisse; verumtamen fides nostræ religionis nunquam sine spe est, nunquam sine amore; neque spes aut charitas sine fide : unde fides de invisibilibus, sicut et spes, de qua Apostolus ait : *Spes quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24). Ergo ea quæ adhuc speramus, jam credimus, et quæcunque credimus, profecto speramus, sperantes autem amamus. Unde

[a] Edit., *ad quam nisi per mortem venit nunquam.*
[b] Edit., *quia si.*
[c] Edit., *qua.*
[d] Edit., *aliquis.*
[e] Edit., *fructuum.*

Introdusă în format electronic de Google

fides invisibilia comprehendit, Deum scilicet supra omnia, et circa omnia, atque intra omnia, ubique totum et sempiternum. Creaturam vero omnem ab ipso auctore Deo conditam; quam sane creaturam a Creatore secernens, solum Deum propter seipsum credit, sperat, atque amat. Et hæc est, ut dixi, Christianæ normæ fides, quæ secundum Apostolum per dilectionem operatur : alioquin nisi credas primum, nec habes quid speres, vel quid ames, sicut nec quid invoces, et ideo fides credulitas est in Deum, imo substantia, quam sperare et amare propter seipsum, quia summum bonum est, oportet. Fides est, inquit, sperandorum substantia; quia profecto quanta est fides in nobis, quæ per dilectionem operatur, tanta et spes esse debet. Nisi [a] ultra speremus, aut aliud sine substantia spei sperare videamur aut amare. Sic itaque et in oratione fides credit, spes et charitas orant; sed quia sine fide fore nequeunt, etiam et fides orat. Alias autem orare, vel invocare, vel sperare, vel amare invisibilium non possumus eorum, in quæ non credimus; et ideo imploranda est magna fides, [b] ut sit et magna spes atque charitas. Quæ licet tribus moveatur, ut protuli [c], temporibus, extra omne tempus Deum sempiternum confitetur Patrem, et Filium, atque Spiritum sanctum. Ipsa vero ideo his afficitur temporibus, quoniam sub tempore agitur, ut ad ea fidelis quisque pertingat, quæ semper eadem sunt et sempiterna. Non quia in quem credit fides sit sub tempore; sed quia quæ ab eo aut fuerunt, aut sunt, aut futura sunt, omnino sunt in tempore, donec evacuetur et ipsa fides, quæ piis operibus nunc credit a Domino quæ geruntur. Unde quisquis es, si necdum ea quæ non videntur idoneus es credere, saltem operibus crede; quoniam ab opifice idcirco invisibiliter verbo virtutis visibilia fiunt, ut ex his invisibilia comprehendas; a creatura etenim mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; ab invisibilibus ergo visibilia reguntur, et ideo potius semper invisibilia sunt fide quærenda, quæsita vero amanda, et pio amore sine fine fruenda. Novimus enim pro certo, quod ista quæ videntur, non ipsa se fiunt [d]; sed tamen facta sunt et videntur : non quomodo fiunt, sed quia omnino existunt, et facta sunt. Propterea credenda est potentia Deitatis, et sapientia atque voluntas, quoniam quidquid voluit aut potuit, in sua sapientia fuit, ob id nihil reprehensibile fecit; ergo ut habuit non majus posse, quam velle, neque ipsum velle plus quam posse, ita nec velle aut posse majus quam sapere. Hinc igitur in ejus voluntate universa sunt posita, cujus potestatem nihil excedit; sed potentia qua facta sunt, continentur, ejusque sapientia, in qua facta sunt, reguntur; quæ simul omnia unum Deum declarant; quoniam ex diversis et contrariis unus est mundus : qui nisi esset unus, cujus arbitrio regitur et potentia, nunquam tam diversa et contraria unam habèrent harmoniam, et omnia tam concorditer ad unitatem tenderent. In nullo enim dissident, ne unum efficiant. Quæ, si essent dii multi, ut gentilitas delusa mentitur, tam contraria rerum elementa, et naturarum negotiorumque diversitas olim sæculo finem imponeret, præsertim cum et ipsi inter se, ut ipsi fingunt, diversi moribus, et potentia contrarii prædicantur. Nunc autem dum simul omnia mundi, unam hominis pariunt utilitatem, et multiplex rerum ac temporum varietas, unam efficit ubique, et in omni tempore sæculi consonantiam, et fructus vitæ humanæ singula tribuunt ubertatem : patet quod unus sit Omnipotens, ad cujus voluntatem hæc omnia fiunt, et in cujus sapientia præparantur, ne ab invicem prolabantur, sed simul omnia usibus vitæ humanæ concorditer serviant. Quæ quamvis visibilia sint, tamen invisibiliter intus moventur ab invisibili Deo, ut mens per id ad eum redeat, a quo talia et tanta sine nostris fiunt aspectibus. Unde per fidem ambulamus, et non per speciem, quoniam ea quæ non videntur fide quærimus : ea vero quæ videntur, nec credimus, nec speramus, profecto quia ex dono Dei his utimur : sed largitorem adhuc suspirantes requirimus, ut qui tanta dedit, quæ videntur, seipsum, quem necdum vidimus, clementer ostendat suis, ut sufficiat nobis.

CAPUT XV

De dono gratiæ, et perseverantia fidei.

1. Nemo igitur Christianorum aut initium fidei, aut perfectionem se habere existimet; sed donum Dei esse fidem quo cætera donentur dona certissime intelligat. Alioquin *quis prior dedit ei, et retribuetur illi?* (*Rom.* XII, 35.) Ergo quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ideo initium fidei nostræ ab ipso, neque, ut quidam volunt, hoc excepto, cætera per ipsum; sed ex ipso fide initiamur, et per ipsum augmentum sumimus, ut in fide crescamus, et in ipso donum perseverantiæ sumimus, ut in una eademque permaneamus. Unde Apostolus : *Vobis*, inquit, *donatum est, non solum ut credatis in eum; verum etiam ut patiamini pro eo* (*Phil.* I, 29). Utrumque ergo Dei donum insinuat, initium atque finem, ne si ex nobis initium dixerimus nos habere, jam incrementum fidei merces sit initii nostri, et non gratia largitoris. Quis enim non videat, quod prius sit cogitare, tum demum credere? Quoniam nullus credit aliquid, nisi prius cogitaverit, illud credendum est; quamvis credere nihil aliud sit, quam cum assensu auctoritatis ea quæ non videntur, et ipse docuit, sine percunctatione certius cogitare : Et si non omnino [e] quæcunque cogitat, credit, tamen quocunque crédit, credendo cogitat, et cogitando credit ea, quæ pertinent ad religionem catholicæ fidei, vel pietatem. Hinc quoque Apostolus : *Non simus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5). Quod si cogitare non sumus ido-

[a] Edit., *ne si.*
[b] In edit desideratur *ut sit et magna spes atque.*
[c] Edit., *prætuli.*
[d] Edit., *faciunt.*
[e] Edit., *omnis quæcunque.*

Introdusă în format electronic de Google

nei, quanto magis nec credere. Verum igitur sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Et sicut nemo sibi sufficit, ut incipiat, ita nec quodcunque opus bonum ex se habet ut perficiat; sed incipiendi et perseverandi sufficientia nostra ex Deo est. Verum quodcunque promisit Deus, potens est et facere. Promisit ergo fidem gentium Abrahæ, qua ejus hæredes essent: quam sane fidem gentibus potenter effecit, ut non ex operibus glorietur omnis caro [a] coram illo; sed ex gratia, quæ est in Christo Jesu, salvetur; alioquin jam non est gratia nisi sit gratuita. *Quid ergo habes, quod non accepisti* (*I Cor.* IV, 7)? puta, fidem te habere suspicaris, quasi ex te: jam ergo, si ita est, aliquid habes, quod non accepisti; præsertim cum fides exordium omnium donorum Dei, jure credatur; ut est illud Apostoli: *Sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei* (*Rom.* XII, 3). Quod [b] si fides non est ex Deo, jam reliqua, quæ ad mensuram fidei dispertiuntur, retributiones sunt fidei, et non dona: mala igitur talis gloriatio, cum nihil nisi accipiendo habere possumus. Unde Apostolus: *Si autem*, inquit, *accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?* Non idem donatum sibi exclamat, ut fidelis esset; quoniam reliquiæ per electionem gratiæ salvæ fiunt, et non ex meritorum operibus. Ipse est enim Deus, *qui operatur omnia in omnibus* (*I Cor.* XXVI, 6). Quod [c] si omnia, utique et fidem, per quam et alia in nobis adoriuntur virtutum dona: propterea nemo se [d] applaudat a se quidpiam habere, nisi vitia, ne gloriari in homine videatur; sed *qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31); a quo, et per quem, et in quo habemus, non solum quod fideles sumus; verum etiam, ut in eisdem fidei operibus permaneamus. Denique *omne datum optimum*, quod est fidei sacramentum, *et omne datum perfectum*, scilicet in [e] ejusdem operibus permanendi gratia, *desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17). Unde dicamus cum Propheta: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 9): quoniam nihil possumus ex nobis, nisi quantum a Deo accepimus.

2. Accepimus ergo fidem ex Deo, si forte jam fideles sumus, et ideo Patrem Deum [f] vocare audemus in cœlis: *Dedit*, inquit evangelista, *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I, 12). Quæ sane potestas fides est vera, per quam adoptamur in Deum [g]: sed data utique, ut sit integra gratia, non merces reddita. Hinc alibi Apostolus: *Quicunque spiritu Dei aguntur ei sunt filii Dei* (*Rom.* VIII, 14). Ex quo notandum, quod non solum nostræ religionis fides aut opera, verum ipsi, ut sunt filii, aguntur Dei spiritu, ne ullis sibi applaudant de meritorum operibus. Et ideo poscenda est prior fides, quæ datur in eodem spiritu: demum ut opera fidei per dilectionem augeantur; postremum ipsa eademque ad finem usque servetur. Quod si aliquid virtutum defuerit; edocet [h] apostolus Jacobus, quomodo impetremus. *Si quis*, inquit, *indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans* (*Jac.* I, 5-6). Ex quo patet, dum omnia virtutum dona nobis in fide sint poscenda, et ad mensuram fidei dispertiantur, quod ipsa eademque fides magnum sit Dei donum, licet prius non petentibus nobis sit largita, quoniam nemo sine voluntate sua recte credit; et tamen voluntas ipsa credendi a Domino præparetur. Velle quidem et perficere ipsius sunt dona, ut nemo de se glorietur, sed in omnibus misericordiæ Dei se committat; quando quidem juxta illud propheticum David: *Misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11); et alibi orans ipse: *Misericordia ejus subsequetur me* (*Psal.* XXII, 6); ut in nullo, nisi de illo præsumamus; quoniam nisi ab illo, nihil est quod habemus. *Non enim volentis, aut currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16). Prorsus quia jam velle et currere non aliquod, sed magna sunt dona Dei, secundum consilium voluntatis suæ, et non secundum meritum voluntatis nostræ. Non enim nos elegimus eum, sed ipse nos elegit, ut credendo eum eligeremus; fecit prius in nobis fidem, quam inspiravit, ut per eamdem fidem cætera, quæ ipsius sunt bona, petendo, quærendo, pulsando acciperemus. Et ideo quos elegit, non eos electos, sed vasa iræ invenit: fecit enim eos, ut eum eligerent credendo, quos præscivit et prædestinavit ante mundi constitutionem in Christo, *ut essemus sancti*, inquit, *et immaculati in conspectu ejus, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum Dei, secundum placitum voluntatis suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo* (*Eph.* I, 4). Nemo igitur applaudat sibi, quasi ex se, sed totum Deo tribuat, qui nos et præscivit, et elegit: non quod jam electi, aut sancti essemus ullis existentibus meritis præsentibus, præteritis, aut futuris; sed ejus misericordia, qui eramus vasa iræ, ut essemus sancti per Christum, secundum placitum voluntatis suæ, et non secundum meritum voluntatis nostræ, in sua quidem nos gratificavit voluntate; ut gratia salvi facti sumus. Unde Apostolus: *Gratia salvi facti estis per fidem; et hoc* inquit, *non ex vobis, sed Dei donum est* (*Eph.* II, 8); id est quod per fidem a gratia salvamur. Hinc ipse in Evangelio: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (*Joan.* VI, 29). Quod si fides credentium opus Dei est, jure dicimus justificari hominem per fidem, et non ex operibus, ut ex ipsa fide cætera consequantur virtutum dona, in quibus juste vivamus, et sit secundum gratiam juxta apostolum firma promissio ex fide, ne dum homo suæ infirmitati plus committit, quam firmitati promissionis Dei, prolabatur incautus. Sed forte ad hæc aliquis: incerta est mihi [i] de me Dei voluntas, utrum me per gratiam ex fide sal-

[a] In edit., deest *caro*.
[b] Edit., *quia si omnia*.
[c] Edit., *quia si fides*.
[d] Edit., *sibi*.
[e] Edit., *de ejusdem*.
[f] Edit., *a Deo*.
[g] Edit., *Dominum*.
[h] Edit., *docet*.
[i] In edit. deest *mihi*.

Introdusă în format electronic de Google

vare velit : quid igitur? o homo! certa ne tibi est de te tua voluntas? nunquid non times illud quod dicitur : *Qui stat, videat ne cadat?* (*I Cor.* x, 2). Incerta est etenim de te tibi tua voluntas : cur non ergo firmiori ac potentiori te totum committis, qui jam tibi gratis aliquid donavit? Nam non solum velle et credere, cum nec velles nec crederes, nisi donaret ipse; verum etiam et currere concessit gratis. Idcirco melius de illo confidere oportet, *quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; tantam ne confidentiam amittas. Ipsius est enim jam quod volumus, aut currimus, committenda est ei fides nostra cui et a quo credimus : spes quoque, et charitas in illo, et non in nobis solidius confirmanda; quoniam et si quidpiam facimus, ipsius dona sunt, dum Deus per gratiam suam ex fide prius operatur in nobis, ea recte ut faciamus. Quapropter pro certo noveris, quod maximum Dei [a] donum est fides, in nulloque de misericordia Dei dubitandum, quandiu voluntas credendi, et operandi est, ut sit illa fides, quæ per dilectionem operatur in bonis, sive etiam in nobis per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

[a] Edit., *quod maximum Dei beneficium sit credere, nec dubitandum quandiu voluntas credendi et operandi est, orandumque ut sit illa fides*, etc.

PROLOGUS IN LIBRUM DE SPE.

Dicato tibi, charissime, quasi prætextatorio [a] habitus Christianæ fidei negotio catholicorum Patrum sensibus elimato, nunc paucis aggrediar, ut promiseram, de spe : cujus cum fide tanta Christi resultat gratia, ut quotidianis successibus usque ad cœli secreta, quo Christus pro nobis pontifex factus introiit, penetrantes [b], sempiterna cœlorum gaudia secura jam possideat. De qua spei possessione Propheta canit dicens : *Spes mea Dominus* (*Jer.* XVII, 17). Parum quippe fore credens, ut tibi, qui florida perfectione harum virtutum quotidie virescis, tanto dignus fœdere quasi libellum dotis earum de singulis conscriberem, quatenus distincte tui possint agnoscere, quibus mente pacisceris fidei conjugio, vel quale illarum in spe promissionis Christi charitate perfecta, frueris patrimonio. Qua de causa velim nostris dignatus tuis faveas precibus, si quo modo, quid sit Christianorum spes, digne valeam explicare.

Explicit prologus.

[a] Edit., *prætextario*.

[b] Edit., *penetrans*.

INCIPIT LIBER DE SPE.

CAPUT PRIMUM.

Est igitur spes vitæ Deus, mentisque commercium velut anchora inter procellas sæculi, juxta quod beatus et egregius Paulus apostolus dicit, et per subjectam similitudinem hortatur dicens : *Per duas*, inquit, *res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, certissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Jesus secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum* (*Hebr.* VI, 18). Ergo fortissimum solatium et inviolabile nobis proposita spes; quoniam impossibile est mentiri Deum, qui nobis ea quæ speramus repromisit; quam sicut anchoram habemus. Sicut anchoram autem eam dicit, juxta similitudinem navigantium; qui dum mediis fluctibus hinc inde circumferuntur, solent projicere anchoram suam, quatenus solo [a] circumligata inter medias tempestatum procellas tuta navis atque immobilis subsistat, ne vi ventorum ad naufragosa maris loca projiciatur. Sic itaque spes nostra non in solo æquoris, sed in Christo, qui est petra firmissima, anchorisatur; quam tutam, ac firmam, atque procedentem ad interiora cœli habemus. Et est mira comparatio; ut navis Ecclesia intelligatur; mare, præsens sæculum; procellæ fluctuum et tempestates, tribulationes ac persecutiones hujus sæculi; vis ventorum, contrariæ potestates. Quibus collisi, et appulsi spem nostram projicimus velut anchoram; non ad arenam maris, sed ad Christum; ut in eo, qui est petra firmissima, figatur et solidetur; quam sicut anchoram animæ habemus tutam ac firmissimam. Anchora namque a Græco; quod est anchir derivatur. Anchir quippe *manus* interpretatur : ita ut sicut manus colligit, et constringit, anchora colligere, vel constringere arenam videatur; et inde est quod ita nominatur : sed quam bene spes nostra anchora dicitur, ut quodcunque constringimus operatione, Christus sit; pro cujus amore etiam nos superimpendimus : et quodcunque colligimus, in eo figatur mens, ut ipse sit spes nostra, sicut Propheta canit : *Spes mea Dominus a juventute mea* (*Psal.* LXX, 5) : quatenus ab eo, nullis divellamur tentationum fluctibus. Ligatur autem fune fidei, et charitatis, bisque contexitur *funiculus triplex*, qui in Salo-

[a] Edit., *soli*.

Introdusă în format electronic de Google

mone *difficile rumpitur* (*Eccli.* IV, 12), quo anima ad Christum juncta solidatur, et nullis diruitur illusionibus. Nihil enim certius, quam quæ manu tenemus : manu autem spei, quæ est anchora animæ tuta, Christus tenetur et constringitur, de quo sponsa in Canticis : *Inveni*, inquit, *eum, tenebo eum, nec dimittam illum* (*Cant.* III, 4). Tenebo, ait, quavis manu, nisi manu spei, qua seminamus euntes per fidem, et flentes per desiderium. Seminamus autem in spe ; sicut omnis, qui arat seminavit, in nullo nutantes ; quia tenemus eum, et manemus in illo, in quo qui manet fructum fert plurimum. Unde hortatur Apostolus : *Teneamus propositam spem*, quoniam in Christo spes nostra omnis proposita est, quem proposuit nobis Deus Pater propitiationem pro peccatis nostris. Teneamus ergo eum, imo oremus jugiter, ut teneamur ab illo, quem sicut anchoram habemus animæ tutam, qua ligemur, ne avellamur ullis aurarum montibus ; sed vincti post eum currentes immobiles maneamus. Hæc nimirum spes inviolabilis est ; quoniam etsi ex nobis quantisper aliquando diffidimus, in eo tuti, ac firmi maneamus, a quo manu tenemur et firmamur. Ipse est enim anchora nostra, qua ligamur ; de qua nemo, qui possit nos auferre : tenemus autem illam, et tenemur ; sed majus est quod tenemur a Christo, quam quia [a] tenemus ; eo quod tandiu tenere illum possumus, quandiu ab illo tenemur. Verumtamen teneamus necesse est, ut teneamur, quatenus hinc inde nullis abrumpamur fluctibus. Porro spes nostra Christus est, et per Christum quidquid in illo nobis repromissum est, nihil aliud sperantes, quam quæ ab illo, et in illo credentibus sunt donata. Siquidem illud totum, quod Deus est Pater, et Filius, atque Spiritus sanctus recte speramus. Speratur autem et carnis resurrectio, necnon et vita æterna ; atque interminabilis in Christo beatitudo ; quoniam hæc omnia per ipsum et ab ipso donata sunt nobis. Creduntur autem hæc omnia prius, idcirco jure sperantur. Creduntur quod sunt, deinde sperantur per Christum, quia [b] donata sunt ; et hæc est spes nostra viva, de qua Apostolus : *qui regeneravit*, inquit, *in spe viva* (*I Petr.* I, 3). Viva utique et vera, quoniam Christus vita et veritas est. Maneamus igitur in eadem, in qua renati sumus ; quoniam [c] in spe viva, et necdum in re sumus. Et quia necdum in re, idcirco adoptionem filiorum exspectantes speramus, quam jam in spe percepimus, habemus, et tenemus. Tenentes autem de illa securi sumus ; quoniam de his quæ donata sunt nobis in Christo jam certi sumus. Unde et orantes dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis*. Etsi adhuc in re [d] necdum sumus, tamen in spe jam esse cœpimus, quidquid futuri sumus. In spe siquidem, sicut ait Apostolus, *jam consedere nos fecit in cœlestibus* (*Eph.* II, 6), jam consurreximus [e] per baptismum, sicuti et consepulti sumus illi per mortem. Ideo hæc omnia, spe firma, vera et viva, nobis donata tenemus, tenentes autem hanc propositam spem, tuti ac securi sumus ; quoniam in Christo eam habemus, in quo cuncta credimus. Ipse namque est sperandorum substantia, quam fide acquisivimus, licet differatur in re ; et ideo tam patienter, quæ jam data sunt, devoti exspectamus. Ipse est veræ futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ devota intentio, sanctorum destinata [f] possessio, bonorum omnium exspectatio futurorum. In qua nimirum spe viva regenerati, quæ sursum sunt sapimus, ubi vita nostra cum Christo absconsa servatur. Illucque vivamus, ubi renati sumus. Spes autem viva et vera Christus est, in quo quæ sempiterna sunt habemus, quibus imbuti atque initiati, festinemus ingredi ad eamdem requiei gloriam, ubi non qualicunque promissione ; sed spe viva renascendo intravimus.

CAPUT II.

Quid sit inter spem et fidem.

1. Quamvis igitur spes cognata sit fidei, et propinquitas credendi, ita ut una earum sine altera stare non possit ; tamen distinguenda est altera ab altera sicut vocabulo, ita rationabili differentia. Quatenus et spes fide solidetur, et fides, spe certa, jugiter ad ea quæ sempiterna sunt et non videntur, subrigatur. Est enim earum prima differentia, quod sperari recte nihil potest, nisi quod recte creditur, tamen credi potest, quod omnino non speratur : quis namque fidelium est, qui pœnas et supplicia non credit impiorum ; tamen [g] nec sperat, licet omnino timeat ? quoniam spes solummodo bonarum rerum est, timor vero malarum. Ergo quamvis nonnulli sperare pro timere dixerint, spes tamen semper proprie in bonis est, sicut quamsæpe in malis : etsi *timor sanctus permanens in sæculum* (*Psal.* XVIII, 10) per Prophetam dicatur. Denique fides non minus malarum rerum, quam et bonarum ; quoniam et bona creduntur, et mala. Est enim et altera earum differentia ; quia fides, et præteritarum rerum est, et præsentium, et futurarum : præteritarum, quidquid de principio sæculi in Scripturis sanctis legimus, necnon et Christum mortuum, quod præterit, omnino credimus ; præsentium, dum et ipsum sedere ad dexteram Patris quod nunc est, vera fide credere nos profitemur ; futurarum vero, quod venturum eum ad judicandum vivos et mortuos, necnon et carnis nostræ resurrectionem procul dubio credendo prædicamus. At vero spes solummodo futurarum est, et bonarum rerum : non autem aliquid nisi de futuro semper speramus ; quamvis fides tria in credendo jugiter occupet tempora : fides namque quamvis ad tria se superextendat tempora credendi ; non nisi præsens est

[a] Edit., *quæ*.
[b] Edit., *quæ*.
[c] In edit. desideratur : *Quoniam in spe viva et necdum in re sumus.*
[d] Edit., *jure*.
[e] Edit., *jam consurreximus*.
[f] Edit., *distincta*.
[g] Edit., *quæ tamen*.

Introdusă în format electronic de Google

fides; sicut et cum mala credimus, semper dum recte creditur, bona est fides. Alioquin unicuique si non præsens sit, fuisse nihil prodest; donec veritatis visio evacuet, quod ex parte est, et verum inveniatur, quod in fide est. Unde quia vera, semper credenti bona est fides.

2. Porro earum alia adhuc differentia est, quoniam spes nunquam sine amore est, fides vero interdum potius timore premitur, quam amore levetur. De qua sane fide Jacobus apostolus ait: *Quod* [a] *et dæmones credant et contremiscant* (*Jac.* II, 19), qui omnino nec sperant, nec amant. Sed Christianorum fides ea est, quæ per dilectionem operatur, quæ nunquam sine spe atque amore invenitur. Unde illi formidant, nos sperantes amamus; etsi quantisper de pœna peccati timemus, in quantum minus speramus. Idcirco homo, desine peccare, ac de præteritis judicium sume, ut possis sperare credendo; quoniam sicut nec spes sine amore est, ita nec Christiani fides, ut sit ea quæ per dilectionem operatur, sine charitate: quæ nimirum charitas foras mittit timorem, ut possit magis sperare aliquis, quam timere. Nunquam igitur impræsentiarum charitas sine spe, sicut nec spes aut charitas sine fide. Hinc ergo est, quod fides credendo quærit quæ non videntur, et æterna sunt; spes vero præsumendo petit, ut perveniat ad rem, quam ex dono jam in se percepit et secura est. Deinde charitas infatigabiliter pulsat, et orant duo simul, ut aperiatur janua et evacuetur, quod ex parte est, fruaturque rebus, quod perfectum et æternum est. Spes igitur et charitas orant, ut dixi, et petunt ac pulsant; fides vero credit, et quærit quod sperandum et amandum sit. Non ergo ideo quærit, ut aliud requirat quod speretur aut ametur; sed sicut longe supra exposui, quia immensa sunt quæ non videntur, ut ipsa eademque magis magisque amplius et perfectius inveniantur fide, quatenus plus sperari possint [b] et amari. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem ac per hoc cum eisdem et fides orat, sine qua esse non possunt. Hinc quippe dicitur: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* (*Rom.* x, 14.) Nihil enim sperari potest profecto quod non creditur.

3. Præterea fides non minus suarum rerum est, quam et alienarum; credit enim se quisque aliquando esse cœpisse, nec fuisse sempiternum; credit et alia, atque alia non solum de aliis hominibus multa quæ ad religionem pertinent; verum etiam et de angelis: sed spes nonnisi rerum ad eum pertinentium est, qui earumdem spem gerere probatur; alioquin potius credere dicendum quam sperare, nisi processus sit ad eamdem rem, et nobis possit contingere. Credimus ergo quæ nobis interdum non veniunt [c], sed nunquam recte speramus nisi ea quæ ob beneficium meritorum et gratiam clementiarum indulta sunt, vel quæ nobis possunt amando contingere. Est præterea quando ex usu nonnunquam et fides earum rerum dicitur quæ videntur; spes vero nonnisi solummodo, teste Apostolo, quæ non videntur; quamvis et ipse fidem definiat esse *argumentum rerum non apparentium*: verumtamen quando quisque non verbis, non rebus, non denique ullis argumentorum nexibus, sed præsentium rerum evidentia credidisse, hoc est fidem accommodasse dicitur: non ita absurdum videtur, ut recte reprehendatur in verbo, eique dicatur: Vidisti ergo et non credisti. Sed quamvis et ista possit esse differentia, melius tamen illam Christianorum appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum quæ non videntur; sic itaque et spes earumdem rerum. Unde Apostolus: *Spes quæ videtur, non est spes; quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24). Cum ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur, et ideo illa quæ non videntur et æterna sunt, prius creduntur, cum repromissa speran[t] sperata vero amantur; quia summa et sempiterna sunt [d]; alioquin juxta Salomonem: *Væ his qui sustinentiam*, spem videlicet, *perdiderunt, et diverterunt in vias pravas* (*Eccli.* II, 16). Quod si spem non amitterent, aurarum pulsibus ad prærupta non diverterent. Nihil enim periculosius quam desperatio. Idcirco quisquis es, nullis delictorum ponderibus graveris, nullis cupiditatum vinculis traharis, nullis promissorum dilationibus fatigeris. Quod si moram fecerit, juxta prophetam exspecta eum; si peccatorum sarcinis ad ima demergeris, resume spei fiduciam, ut avolare possis ad misericordissimum salutis portum; quoniam necdum defecerunt miserationes Christi. Et si in profundum decidisti barathrum vitiorum, spera firmiter quod inde te, si recesseris ab istis, clementer liberabit. Quod si adhuc his traheris colligatus, fortior catena spei est, charitate atque fide corroborata, quandoque volens peccare, si desieris.

CAPUT III.

De participatione fidei atque spei.

1. Sciendum sane, quod fides fundamentum cæterarum virtutum est, et prior procedit in campum: spes vero ad ea quæ creduntur, ipsum hominem, ut perveniat, constituit: illa dat principium meritorum; ad summum ista perducit: illa credendi aggreditur initium; ista virtutis perfectionem quotidie meditatur: illa quæ promittuntur credit; ista quæ promissa sunt jam cernit, et amplectitur interiora cœli, quo Christus introiit. Per fidem enim ambulamus; per spem vero jam pervenimus: beati [f] igitur et immaculati necdum sumus; tamen per eamdem spem, quia Christo consepulti sumus, et consurreximus, qui sedere nos fecit in cœlestibus, jam in

[a] Editi, *quia*.
[b] Editi, *possit*.
[c] Editi, *conveniunt*.
[d] Edit., *id est*.
[e] Edit., *æterna*.
[f] Editi, *uti igitur*.

Introdusă în format electronic de Google

via utcunque dicimur. Spes enim nec fallit, nec fallitur, nisi prior fides se substraxerit. Tunc quippe vera est ista, si fides servato fœdere impleta fuerit : nam fides sperandorum substantia est, qua sublata, spes sine substantia est, ac per hoc jam non est spes cui sperandi [a] facultas deest, fides videlicet irremota, spei semper ubique [b] mater et nutrix. Constat igitur quod ad invicem inseparabiliter hærent. Unde et Apostolus cum de Abraham loqueretur, ait : quod *contra spem in spem* quippe *crediderit* (*Rom.* IV, 18). Quod si *in spem* omnino *credidit*, spes ei rursus via et facultas credendi fuit. Hinc liquido colligitur, quod sibi [c] alternatim ut maneant, substantiam promissorum Dei præbeant. Et mirum quod Abraham *contra spem in spem credidisse* dicitur. Si enim spes vera fuit, quid contra veritatem spei venire potuit? imo cum desperasse in Genesi de filio legatur, nisi forte apostoli [d] iste sit sensus, quando contra spem, quam [e] gessit de servo, quod hæres ipsius esset, credidit mutato ordine in spem promissorum Dei amplius et perfectius, quod de se centenario, et uxore sterili atque anu filium sibi hæredem susciperet : vel certe quia ipsum eumdemque filium pro certo hostiam et holocaustum fore credens, in mandato Dei speravit, nihil hæsitans diffidentia, sed totus pendebat in Deo fide, atque spe non dubia quodcunque jubebat pio ac devoto animo, ut fieret. Sperabat enim eum melius victurum cum Deo ut esset, quam si hunc sine Deo male servaret, qui dederat utique cum non esset. Contra quam sane spem securus in spem credebat, ut audierat : *Non enim erit hic hæres tuus; sed qui exierit de lumbis tuis, ipse erit hæres tuus.* Et illud : *Suspice cælum, et enumera stellas, si potes.* Deinde inquit : *Sic erit semen tuum* (*Gen.* V, 4). Nec dubium, in [f] hanc eum spem credidisse contra eamdem spem, qua filium offerendo hostiam et holocaustum fore Deo sperabat. Credebat enim ex toto hinc inde, quidquid ab eo audiens devotus implere curabat, nihil retractans, nihilque dubitans, nihil reprehendens in illo; nec discutiebat quod audierat, *hic hæres tuus erit*, nec interrogabat cur [g] eum perimere juberet, quem senex hæredem susceperat. Illi quidem totus aderat, illi vivebat, illi se totum fide in omnibus committebat, nihil credens de illo nisi verum; nihil sperans ab illo, nisi salutare sibi et proficuum. Et hæc est indiscussa fides de Deo, et spes certa in Deum, quam omnes filii debent imitari penitus : *Non enim qui ex carne sunt, sed qui ex fide, hi filii sunt Abrahæ* (*Gal.* III, 7).

2. Quam sane fidem et spem inconcussam inviolatamque debent servare filii, ut hæredes existant : alioquin quomodo quæ non videntur assequi capaces erunt? Jam enim salvi facti sumus, sicuti et de fide dicitur, quod per eam salvi facti sumus. Et illud : *Fides tua te salvum fecit.* Et ideo, sicut Abraham in spem contra spem credidit; ita et omnes, qui per fidem filii sunt ejus, contra spem utique in spem credant et ipsi. Ergo de singulis quibusque quæ creduntur, sive de resurrectione mortuorum, sive de hæreditate regni cœlorum [h], sive de adoptione filiorum Dei, et beata immortalitate carnis et animæ, quantum ad naturam spectat humanam; quis unquam talia sperare potuit, etsi esse illa credere licuisset? Hæc enim omnia contra spem videntur esse, quantum ex nobis est; sed quantum ad potentiam Dei, bene in spem creduntur, ut filii simus Abrahæ. Jure igitur in ejus exemplo talia speramus; quoniam quæcunque promisit Deus, potens est et facere [i]; si tamen nobis qui credidimus [j] maneat fides vera, et spes atque charitas illibata. Unde de Abraham dicitur, quod *non infirmatus est fide* (*Rom.* IV, 19). Ex quo liquido demonstratur, quod sit aliqua [k] fidei infirmitas, sicut et sanitas : hinc quoque Apostolus monet : *Increpa illos, ut sani sint in fide* (*Tit.* I, 13). Beatus ergo cujus non infirmatur fides, et spes certa contra spem in spem vitæ, fide quotidie virescit et fructificat. Sed alia est illa, quæ de solo et in solo Deo innititur, et ipsa est Christianorum processus; alia vero, quæ variis et incertis, licet optatis, negotiorum implicatur suasionibus; de qua sane Seneca philosophus suo Lucilio : *Spes*, ait, *incerti boni nomen est.* Et miser, qui tali eum committebat spei, quem curabat revocare a sæculo. Porro Christianorum illa certa, et secura substantia est, quæ non fallit, nec fallitur. Unde Apostolus : *Spes*, inquit, *non confunditur* (*Rom.* V, 5). Et mox, quare ullis non confundatur erroribus, reddit causam : *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hæc igitur omnia per Christum data sunt veris et religiosis cultoribus. Propterea juxta hunc, quem magnum illo in tempore putabant, non eis spes incerti boni nomen est; sed certior ultra quam dici queat.-Veritas est enim et omnipotens, qui nobis talia spopondit; idcirco nihil de illa incertum nostra spe remansit, nihil dubietatis, nisi quod certiores de illo, quam de nobis sumus; de nobis quidem infirmi, sed de illo fortes sumus; ex qua etiam infirmitate per ejus misericordiam relevamur, ut fidentes et sperantes ad eum pergamus; et ideo, ut dictum est, nihil certius quam spem nostram gerimus; quia profecto non in alio aliquo, sed in solo omnipotente Deo, qui non mentitur, incumbit et requiescit. Ergo fides, quia ex homine per Christi gratiam operatur, quam sæpe infirmitate humana prolabitur. Spes eo quod tota in solo Deo, et ex Deo est, nunquam minuitur : illa

[a] Editi, *sperando.*
[b] Editi, *et ubique.*
[c] Editi, *quod si alternatim maneant.*
[d] Edit., *apostolo.*
[e] In edit. desideratur *quam.*
[f] In editis deest *in.*
[g] Edit., *cum eum perimere juberet.*
[h] Edit., *regni cœlestis.*
[i] Edit., *et servare.*
[j] Edit., *credimus.*
[k] Edit., *aliquando.*

Introdusă în format electronic de Google

siquidem geminas agit partes; spes vero nonnisi de solo Deo præsumit, cui ergo [a], inquit Dominus, *promissa non muto*, idcirco prior utrasque impleat illa partes, ut ex Deo quodcunque credibile recte sentiat, et quod de se promisit, expungat [b]; cum vere, quia ex Deo est, spes plenissime noverit, quod verax omnipotens Deus, quia promissa non mutat, ejus perficiet vota.

3. Alioquin maledictus homo, qui spem suam ponit in homine : nihil ergo præsumit de homine, et ideo requiescens in veritate, nec quidquam parit mendacii. Quod si moram fecerit in aliquo promissorum, exspectat devota, requiescit secura, adhortatur in cunctis, dum fides dimicat, semperque digito promissa insinuat et ostendit. Est ubique irremota comes ejusdem fidei, quarum mira germanitas, semper quæ non videntur et æterna sunt ardenter quærit : ergo dum ista in terris laboribus fatigata desudat; illa cœlos penetrat, et quæ sempiterna sunt exhibet. Hinc est quod fides, victoria nostra, omnia vincit, quia spem sibi, non cárnem brachii sui, sed Deum ponit : spes enim fidei Deus est; et ideo quoties nobis aliquid deest gratiæ, spes hortatur, quod nihil abest cui Deus totus est. Unde recreamur confidentia, ut ex Deo sit totum quod agimus, quod habemus et quod optamus. Unum ergo initium habent, unumque medium et unum finem; nec altera sine altera quidquam gerit quod perfectum sit, et ideo orandum, ut quod agimus fide atque spe, semper ex Deo sit.

CAPUT IV.

Quare dicta sit spes.

1. Sicut etymologiæ probat veritas, et majorum dictis annuitur, spes dicta est quasi est pes, eo quod semper effectum habeat progrediendi ad ea quæ cum desiderio exspectat fiducialiter, et cum afflictione animi sustinet patienter. Hinc quoque legitur : *Spes quæ differtur affligit animam* (*Prov.* XII., 12); non quod passibus virtutum ad ea quæ inhiat non pergat secura, sed quia ardentius mens æstuat, dum et ea per fidem inspicit quæ jam in spe percepit, licet in re necdum apprehenderit, et charitate degustat, quod differtur longius quam exoptat. Unde ferventius jugiter inflammata [c], ut ad ea festina in spe perveniat; cui quod absit, si spes defuerit, violenta desperatione submergitur; unde et desperatio dicitur. Nam desperatio dicta est, eo quod desit illi pes in via, quæ Christus est, gradiendi : sed econtrario quibus ipse est via et spes, quotidie prosperis successibus innovatur. [d] De quibus Isaias propheta : *Qui autem*, inquit, *sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, volabunt et non deficient* (*Isa.* XL, 31). Current autem pedibus, eo quod sit eis pes positus in via recta, ut nulla subripiat desperatio, ac non laborabunt, quia in via, quæ Christus est, securi currunt [e]; imo portantur. Unde Dominus : *Ego feram, et ego portabo* (*Jerem.* XXII, 39). Quos igitur ille portat, bi nimirum nunquam deficient; quoniam propositam spem fortiter tenent manu fidei, quam sicut anchoram tutam animæ in cœlis habent; et ideo certi illuc pergunt, ubi se jam in spe pervenisse lætantur : figitur namque fides in Christo, et spes incedit, quatenus alternis successibus iter faciant, et ducant animam, quo charitas inebriata [f] invitat. Hinc ergo est, quod ait : *Mutabunt fortitudinem*, quoniam fortis facta est ut mors dilectio illorum qui fide et spe ardenter currunt, sed mox ut cuipiam fides, aut spes defecerit, claudicans torpescit. Quod si utroque pede; quinam incessus virtutum erit? Profecto quia fides non sine spe, nec spes sine fide proficit, sed alterius gressibus proponuntur, et uno charitatis vivificantur spiritu; alioquin quomodo fides, etsi credat Deum, sine spe ad eum properat [g], ad quem pervenire minime sperat : aut quomodo spes graditur [h], si non est in fide, substantia sperandorum, ad quam quotidie propulsando piis gemitibus suspiret? Ad illa igitur spes festinat, quæ fides credit et charitas desiderat : et ideo, ut diximus, a sanctis Patribus spes dicta, eo quod sit pes [i] in Christo proficientibus; sicut econtrario apostatis et impiis, quibus deest pes et facultas gradiendi, desperatio. Quapropter nec currunt, nisi ad mortem, nec ambulant nisi ad pœnas, nec pennas assumunt virtutum, nec mutant fortitudinem; sed semper ima petunt, et quæ carnis sunt, sapiunt.

2. At vero justi fidentes cum David canunt : *Pes meus stetit in via* [j] *recta* (*Psal.* XXV, 12). Qui si forte corruerint, quia *septies in die cadit justus* (*Prov.* XXIV, 16), mox resumunt constantiam et mutant in Deum fortitudinem dicentes : Dominus robur meum, virtus mea, et refugium meum. Quod satis Isaias hortatur dicens : *Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei? speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum* (*Isa.* L, 10). Quid enim benignius, quidve misericordius dici potuit? Quod si aliquando ambulasti, o homo! in tenebris, et vitiis carnalibus, hortatur ne frustra misericordiam derelinquas; sed rursus spera in Deum, ut sit tibi pes gradiendi, et innitere super Deum tuum, ne ullis desperationum fraudibus abrumparis; quia si vetus error abierit, ut idem fatetur propheta, pacem habebis cum Deo tuo : unde conversus ad Deum, *servabis*, inquit, *pacem, pacem, quia in te speravimus* (*Isa.* XXVI, 3). Deinde subjungit : *Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* Ac si patenter dicat : quia sperastis in Domino, sperate non

[a] Edit., *ego.*
[b] Edit., *expugnet.*
[c] Edit., *inflammatur.*
[d] Edit., *innovantur.*
[e] Edit., *current.*
[f] Edit., *ebriata.*
[g] Edit., *properet.*
[h] Edit., *gradiatur.*
[i] Edit., *Eo quod sit spes*, sed melius *pes.*
[j] Edit., *in directo* additurque, *id est in via recta*, quod est glossema amanuensis.

Introdusă în format electronic de Google

in rebus transitoriis, sed in sæculis æternis. Despicite nunc temporalia, concupiscite sempiterna; quoniam quæ videntur temporalia sunt, et quæ non videntur æterna. Quod autem videt quis quid sperat? Unde sine aliquo desperationis molimine sperate in Domino Deo forti in perpetuum. Sperate autem, non sicut carnalis Israel, semper præsentium rerum bona, quanquam et ipsa non nisi a Deo [a] habere possimus, sed in æterna cœlorum bonis tota spes nostra dirigatur : et mox adjicientur quæ non præpediunt, quando [b] ea quæ sempiterna sunt solummodo diligimus. Quod si in istiusmodi temporalibus nimium delectamur, pes illico gravatur; dum minus ad illa, quæ summa, et immarcessibilia sunt intendimus. Unde sint nobis hæc in via peregrinandi subsidia, illa vero hæreditas in patria. Curramus igitur pedibus fidei speique et charitatis : ambulemus nec deficientes [c]; interdum autem pennigero volatu anchoram nostram sublimius consequamur; ut ubi pro nobis pontifex introiit Jesus, et ipsi ingrediamur; quatenus ubi est spes nostra Dominus, et nos simus : alioquin nullus tutus est locus : propterea ergo David orat dicens : *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii* (*Psal.* xxx, 3). Felix igitur nimium [d], et certissima spei processio, quam sicut anchoram tutam animæ habemus, ac firmam in cœlis; et ideo quis desperare poterit eo introire, quo jam spe gratulamur intrasse? Nihil enim firmius, nihil validius, nihilque certius, quam qui spem suam ex toto corde, et ex tota anima, atque ex tota virtute integram et perfectam ponit in Domino. Ergo in spe constituti sumus, ut omne bonum nobis præsentis vitæ et futuræ de illo pendeat agendum, ne ab illo sperare deficiamus. Hinc profecto David gratanter ait : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam* (*Psal.* xiv, 9). Et ut apertius insinuet, cur tam securus in pace ad somnum veniat, continuo subjungit dicens : *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* In spe igitur, ut dixi, singulariter in Christo constituti, perginus devoti ad eum mittentes semina nostra, veluti omnes agri cultores, quia sicut Paulus apostolus ait : *Omnis qui arat aut seminat; in spe utique arat et seminat* (*I Cor.* ix, 10). Credamus Creatori nostro, qui repromisit ea quæ jam data sunt nobis, et speremus totis visceribus; quia in hoc constituti sumus ex ipso, et in ipso, et per ipsum, ut [e] quæ sempiterna sunt capiamus.

CAPUT V.

Quid sit inter spem veram falsamque, vel si dici queat spes, nisi in Deum.

1. Inter spem veram falsamque eamdem substantiam, quam et inter veram falsamque fidem, divinis comprobamus eloquiis : est namque vera fides de Deo, ut est omnia recte sentire, nihilque ab ejus operibus discrepare? falsa vero non de illo, ut est digna credere; neque justis fidei operibus insistere : sed in alio quolibet malo confidere. De qua sane confidentia Jeremias ait : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus* (*Jerem.* xvii, 5). Ergo cum dicit, *qui confidit in homine*, tale est ac si dicat, qui sperat; quoniam omnis confidentia de spe nascitur veritatis, aut vanitatis. Nam quid sit vanitas Ecclesiastes dicat : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* i, 2). Quod si ergo omnia vanitas illa quæ transeunt et mutantur, quisquis in his spem suam, vel confidentiam ponit, vanam gerit spem, eo quod de vanitate præsumit. Hinc quoque Apostolus auditores suos monet : *Nolite*, inquit, *sperare in incerto divitiarum* (*I Tim.* vi, 17) : quarum utique spes incerti boni est, ut ille voluit exprimere, de quo supra diximus : sed et David : *Nolite*, ait, *sperare in iniquitate* (*Psal.* lxi, 11). Ex quo liquet usitatissime spem in veris vanisque rebus sæpe dici : illa tamen [f] salubris et vera Christianorum esse probatur, quæ, post tribulationes et penurias hujus vitæ atque miserias, patientiam operatur : patientia vero probationem; de qua probatione Christi spes, quæ nascitur, in nullo penitus potest confundi; quoniam hinc inde Spiritus sancti gratia fulcitur. Et hæc est vera et indubitata fidei substantia. Substantia, inquam, profecto quam exspectantes, juste pieque vivimus. Hinc quoque Apostolus ait : *Juste et pie vivamus, exspectantes beatam spem et adventum Domini* (*Tit.* i, 2).

2. Sed quærendum quomodo exspectare jubemur spem, in qua et cum qua jam in Christo renati vivimus; aut nunquid sine spe juste pieque vivimus, qui tamen [g] quod agimus boni in spe agimus? Et si jam spem habemus, quomodo quod habemus, exspectamus? vel nunquid ista, quæ impræsentiarum est, misera est; et illa, quæ in futuro est, exspectatur beata? Nequaquam igitur hoc dixerim, quia Christianorum una est spes, sicut et una fides. Idcirco spes ista [h], qua respergimur, propria est illa, eademque quam exspectamus : quoniam ex ipsius claritate [i] nostris in cordibus relucescit : alioquin calor, sicut nunquam nisi ex igne est, et lux nunquam nisi ex lumine [j], sic itaque spes ista, qua perfundimur, non nisi ex Deo est; Deus autem spes nostra est, et ideo spes nostra impræsentiarum est et exspectatur : quoniam, etsi spes tam de futuro, quam et de absente est apud Deum, qui semper præsens est et ubique, spes nostra semper in illo est. Unde donec veniat nobis quod promissum est, exspectamus beatam spem, immortalitatem videlicet carnis et animæ atque adventum Domini : ut dein-

[a] Edit., *non ideo habere possimus.*
[b] Editi, *quoniam.*
[c] Edit., *nec deficientes iter; dum autem.*
[d] Edit., *nimirum.*
[e] In editis deest *ut.*
[f] Edit., *Illa tum salubris.*
[g] Edit., *quia jam tum quod agimus bom.*
[h] In edit. deest *ista.*
[i] Edit., *charitate.*
[j] Edit., *luce.*

Introdusă în format electronic de Google

ceps semper cum illo et in illo beati maneamus. Hæc igitur est spes vera, quam sicut anchoram tutam ac firmam habemus : habentes autem, quidquid in illa est exspectamus ; exspectantes vero ex dono jam habemus quidquid in Christo nobis repromissum est : et ideo impræsentiarum de futuro beatam et perpetuam spem gerimus, quam desiderantes et sustinentes juste pieque vivere monemur. Unde invigilandum ne sustinentiam amittamus : sicut nonnulli, de quibus Apostolus ait : *Væ his qui sustinentiam amiserunt* ; sustinentia autem hæc inter varios agones semper dulcedine piæ exspectationis refovetur; quoniam spes, quæ charitate fulcitur, in nullo confunditur, pro qua fidenter contemnuntur omnia quæ vana sunt, et vincuntur adversa. Dirimit enim Christiana spes omnem hominem a cultura deorum ; quia omnes dii gentium vanitas, et dæmonia sunt. Dirimit ab his quæ in mundo sunt, quoniam vana sunt universa. Dirimit ab erroribus et pravis suasionibus, et gloriatur in solo Domino, ejusque promissionibus, intantum ut nec de se, nec de alio quolibet quidpiam præsumat, ne maledictioni subjaceat, qua dictum est : *Maledictus omnis qui ponit carnem fortitudinem suam, et a Domino recedit cor ejus* ; imo tota ingreditur, ubi pontifex pro nobis introiit Jesus, et velut anchora totum hominem ad Christum solidat et confirmat, ut ibi cor habeat, quo thesauros sapientiæ atque scientiæ esse non dubitat. *Alioquin si tantum in hoc sæculo in Christo sperantes sumus*, ut ait Apostolus, *miserabiliores cunctis hominibus sumus* (*I Cor.* xv, 19). Tantum in hoc sæculo cum ait, nec exclusit, ut [a] in hoc sæculo sperare in illo non debeamus, sed tamen [b] quidquid est impræsentiarum speramus [c] totum referri convenit ad futura, et primum quæ sempiterna sunt quærere. Unde Dominus : *Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* vi, 13). Quæ omnia ? nisi quæ præsentis vitæ necessaria sunt : adjicientur quidem, quoniam non propter ista sed propter illa credentes certamus ; sperantes vero vitæ semina serimus, amantes ad ea tantummodo mentem semper dirigimus. Nam ut ait Apostolus : *Omnis qui arat, in spe debet arare* (*I Cor.* ix, 12), ita si quidem, et qui boni aliquid gerit, utique in spe debet percipiendi etiam et seipsum expendere; sed agricolarum spes, quia impræsentiarum est, debet esse in Deum, quoniam ipse est auctor et largitor omnium, ne stulta spes inveniatur. De qua ut [d] dixit Apostolus : *Si tantum in hoc sæculo in Christo sperantes sumus, miserabiliores nos esse cunctis* protestatur hominibus : tamen jam gradus est eundi ad Deum, bona saltem impræsentiarum ad eum referre, a quo illa [e], esto indigni, percipimus, ut ad ea quæ non videntur per ista dirigamur. Hinc David de Judæis : *dedit*, inquit, *regiones gentium, et labores populorum possederunt* ; moxque addidit : *ut custodiant ejus justificationes, et legem ejus requirant* (*Psal.* civ, 44). Nimirum ut de spe jam percepta securiores, et ardentiores essent ea, quæ sempiterna sunt, percipiendi : et ideo falsa spes est ex toto, quæ sine Deo in incerto divitiarum est, aut in homine, quia caro est ; aut in alio aliquo, quod omnino non est. Illa vero firma et tuta, quæ tantum in Deum est, ut speret quæ non videntur, et æterna sunt.

3. Porro spes percipiendarum rerum temporalium ad ea quæ videntur [f] non recta est ; ut ad ea quæ non videntur, intentione referatur, et propter ipsa [g] quasi in via ista, spe devota quærantur : alioquin sperare tantum [h] impræsentiarum magna miseria est. Quod si profecto omnis qui arat, in spe debet arare, ipsa eademque spes non in sulcis aut seminibus, non in temporis dispensatione, aut illius naturæ potéstate, sed ex Deo nobis omnia præstita præsumat, a quo etiam in laboribus frugum sperare bona temporalia debemus, et sperata referre ad illa quæ sempiterna sunt, ut ad ea perveniamus. Hinc quoque hortatur Psalmista cum ait : *Spera in Domino, et fac bonitatem* (*Psal.* xxxvi, 3) ; quia tunc recte, quæ promissa sunt, speramus, si quæ jussa sunt compleamus ; *quoniam quæcunque seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* vi, 7). Unde Christianorum spes sola hæc est, ut ex Deo cuncta speremus quæ data sunt nobis, et mittamus semina in illo bonorum operum, quæ centuplicata repromittuntur nobis ; quatenus et ipsa sit spes, quæ per dilectionem una cum fide usque in finem inter prospera et adversa continua operatur. Quibus probata impulsionibus omnino non confunditur; quoniam charitate diffusa in corde, infatigabiliter ad ea quæ sempiterna sunt, sublimatur. Quod si necdum peccare aliquis desiit, neque ad facienda, quæ jubentur erigitur, vana spe indulgentiam aut meritum ex Dei pietate præsumit. Non enim est otiosa spes; sed ex fide vera de Deo atque fidei operibus subsistentiam [i] sibi radicatam mercatur. Est autem ipsa eademque fides, atque omnia fidei opera sperandorum substantia; unde probet se unusquisque, quantum operatur ex fide, et credit. Recte igitur per fidem tantum sperare potest ab illo, qui dedit potestatem credendi et operandi per fidem, nosque filios adoptionis procreari : alioquin temeritas est magis quam spes, si amplius, aut aliud sperat aliquis, nisi quod recte credit devotionis affectu, et operatur pietatis processu. Creduntur autem quæ promissa et data sunt in Christo, idcirco jure sperantur, si fides per dilectionem inter prospera et adversa, temporalibus omissis, est adimpleta, ut probationem [j] ex Deo reportet. Qua

[a] Edit., *quod in hoc.*
[b] Editi, *sed etiam.*
[c] Edit., *quod speramus.*
[d] In editis deest *ut dixit.*
[e] Editi, *a quo ista etsi.*
[f] In editis deest *ad ea quæ videntur.*
[g] Edit., *ipsum.*
[h] Edit., *totum.*
[i] Edit., *substantiam.*
[j] In editis deest *ex Deo reportet. Qua nimirum probatione.*

Introdusă în format electronic de Google

ninirum probatione securus aiebat, qui cum Deo disputans tripudiabat spe,[a] dicens : *Spero in te, Domine, quod non ad consumptionem meam emittis manum tuam* (*Job* xxx, 24). Quasi patenter dicat : ut flagelles, et probes me, mortique tradas. Sed si in profundum inferni dimersus fuero, inde me liberabis. Ecce quanta spes qualisve non confunditur, quæ firma et solida, quæ secura et devota in Deum subsistit. Non enim formidat pœnas, non locum inferni ; quia nusquam est locus, quo non sit, qui potens est, omnipotens Deus, et ideo, cujus est spes etiam inter miserias omnino beatus esse probatur : *Beatus*, inquit David, *cujus est Dominus Deus ejus* (*Psal.* CXLIII, 15). Hoc igitur sciens beatus Job, in inferno miser esse non poterat nec confundi; quoniam sibi Deum propitium post tentationem ubique credebat ; quem sibi affuisse in eadem minime dubitabat. Pater quod non ulla [b] Christianorum spes est nisi Deus summus, in quo sunt omnia quæ non videntur, neque veram aliquem gessisse aut gerere, quamvis dicatur, in alio aliquo spem, quæ omnino vana et falsa est. Hoc quippe sciens sancta illa mulier plaudebat apud cordis judicem : *Nos spem*, inquiens, *in alium Deum nunquam habuimus* (*Esther.* I, 19). Quod si haberet, omnino vana esset, quoniam omnes dii gentium dæmonia. Dominus autem solus, cœlorum veritas, spes ipsius erat, ex qua omnes beatificantur, qui recte sperant in illum et perseverant; ideo de illo gloriabatur. Profecto liquet, quamvis dicatur spes aliqua hinc inde, non nisi ex Deo [c], ut vera esse possit. Vera autem spes nunquam est sine confidentia perveniendi ; quia sine processu est, et adipiscendi gratia, jam non est spes, sed desperatio ruinosa : spes vero licet inter adversa, nunquam est sine gloria, etiam in tribulationibus, de quibus permaxime Paulus gloriatur apostolus, et non solum in eisdem ; verum in spe gloriæ filiorum, quæ nunquam misera est. Vera siquidem gloria semper miseriis caret : spes ergo gloriæ misera esse non potest, quæ a gloria illustratur, et ideo teneamus spem lucis, ne tenebris involvamur ; festinemus ad immortalitatis spem, ut morte careamus. Spes igitur omnium earum est rerum, quæ non videntur, quam si quis sane servaverit spem, bonis justisque operibus confertam, his omnibus sine fine fruetur bonis, etiam et in morte beatus. Pascitur autem Christianorum spes, ut quotidie virescat, patientia , consolatione sanctarum Scripturarum, sicut Paulus apostolus demonstrat dicens : *Quæcunque scripta sunt, ad nostram*, inquit, *doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV, 14). Ergo per patientiam et consolationem Scripturarum spes augetur ; quoniam de patientia probatio nascitur perfectionis, et de perfectione bonorum operum spes Christo committitur, atque de consolatione Scripturarum solidatur. Ideo et Scripturæ meditandæ sunt, ex his ut consolemur inter varias tentationum pressuras ; et patientia conservanda, dum laboribus fatigamur. Unde Dominus : *In patientia*, inquit, *vestra possidebitis animas vestras*. Celsa igitur spes gloriæ, quæ omnibus illustratur bonis, et virtutum pennescit alis, ut semper ad altiora attollat animam possidentis.

CAPUT VI.

De desperatione.

1. Desperationis malo nihil pejus impræsentiarum, quoniam desperare semper ad ima corruere est : omnis enim qui desperat, id agit, ut aut gratis concessam a Deo veniam amittat, aut speratam tantum, quamvis nec indultam, non requirat. Quare quisquis hoc ipsum non desperare amaverit, et habuerit, quia diligit, nulla desperatio est, sed gradus adipiscendi. Omne quod sperat aliquis, et diligit ; de quibus autem desperare cœperit, mox et non diligere, eo quod ad se non pertinere repromittit. Porro quæ amamus, omnino aut habemus aut speramus ; sperata vero ad nos pertinere pro certo confidimus, et ita ea spe non dubia custodimus : alioquin desperare a Deo retrorsum alienari est : idcirco blasphemare in Spiritu sancto sola desperatio et impœnitudo cordis est, ac per hoc nulla remissio peccatorum, ubi desperatio et impœnitentia cordis manet. Hinc desperare non congruit, ne non adipiscatur, quia desperare nihil aliud est agere, quam ne assequatur spes. Nam desperare ab spe fugere est, et quisquis ab spe fugit, ab ea utique re [d] apostata recedit, ad quam per [e] spem festinus ire debuerat. Necesse est autem, qui desperat retrorsum alienando, ut spem nunquam habeat, sicut qui tenebras semper intendit, ut lumen nunquam videat. Nam qui tenebras tuendo [f] plus incumbit, quid agit, nisi ne lumen videat? Sic et qui desperat, facit sibi ne aliquid boni contingat. Ergo desperare nihil aliud est, quam spem a rebus bonis avertere. Unde levet homo a malitia cor suum ; quoniam quanto profundius desperando ruit, tanto longius a re optabili recedit.

2. Nascitur autem desperatio quatuor ex causis : Ex tepiditate scilicet vel ignavia, ex amore rerum temporalium vel oblectatione voluptatum, ex immanitate delictorum vel scelerum, ex contemptu superbiæ et cupiditate propriæ potestatis. Porro ex tepiditate vel ignavia nascitur, cum torpet animus, et præcepta Dei impossibilia judicantur, non quod adeo sint gravia ; sed pressus misero languore animus nec vult assurgere, quatenus Christi per gratiam omnia possit cum Apostolo in eo qui mentes nostras confortat. Nec igitur probat quod labor Christi omnia vincit, fitque reus, dum aut naturam

[a] Edit., *sæpe dicens.*
[b] Edit., *nulla.*
[c] In editis additur *esse.*
[d] In edit. deest *re*, cujus loco substituit *et.*
[e] Edit., *ad spem.*
[f] Edit., *tenendo.*

Introdusă în format electronic de Google

male [a] torpore pressus accusat, aut certe Deum gravia et impossibilia præcepisse judicat. Ex amore quoque temporalium rerum vel oblectatione nascitur, dum hisce rebus mens quasi beata gaudet oblectari, quo *beatum dixerunt populi, quorum dextera, dextera est iniquitatis; quorum filii sicut novellæ plantationis, et filiæ sunt compositæ ut similitudo templi; quorum promptuariâ plena sunt, ovesque fetosæ, et boves pinguissimi* (*Psal.* CXLIII, 8). Quibus profecto illecta, et variis inebriata mens oblectamentis, sempiterna bona non sperat, nec requirit. [b] Omnem ergo spem suam in his posuit; idcirco jam alia non intendit. Deinde ex immanitate vel enormitate scelerum desperatio nascitur, quia majora, fallente diabolo, sua homo judicat delicta, quam misericordiam Dei: ubi interdum etsi [c] de potentia præsumit, de voluntate dubitat. Quod David bene intelligens misereri sibi, non secundum sua delicta, sed *secundum magnam misericordiam Dei, et secundum miserationum multitudinem* (*Psal.* L, 5) rogat, non tanta sua reputans facinora, quantas Dei noverat miserationes. Sed et propheta alius: *Novi quod multæ sint*, inquit, *miserationes ejus* (*I Paral.* XXI, 13). Patet igitur, quod nulla est culpa, quam Dei non excedat misericordia, neque ullus est dilectorum numerus, quo numerosiores non sint miserationes, si non desperatio vel impœnitentia cordis claudat januam. Ad ultimum de contemptu nascitur periculosior desperatio, in qua semel omnes angeli satanæ corruisse noscuntur, qui etsi possent, contemnunt redire præ superbia. Hinc quoque Scriptura de reprobis: *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Alioquin si non impœnitudine cordis in desperationem ruisset, numquam in tam profundum malorum venisset, ut contemneret. Quæ nimirum culpa immanior est omnibus culpis, quæ nec hic, nec [d] in futuro remittitur, eo quod claudit aditum Spiritui sancto ad animam, ne per indulgentiam ejus veniam accipiat. Et hoc est blasphemare, ut dixi, in Spiritu sancto, per desperationem ruere, ne cor ad pœnitentiam redeat, relaxare [e].

3. Quapropter etsi immanissimum est scelus, satis [f] ut secundum magnam misericordiam Dei pœnitentia recepta [g] veniam speret. Si autem innumera sint peccata, credat pro certo, quod numerosior sit et misericordia; ne aut magnitudo delicti nos absorbeat, aut multiplicitas demergat. Quod bene intuens alibi David orat: *Non me*, inquit, *demergat tempestas aquæ, neque absorbeat profundum* (*Psal.* LXVIII, 16). Quia profecto quos semel absorbuerit desperatio, veluti dæmones semper ne redeant ad ima trahit. Cæterum spes aliqua progressio est, ita tamen si falsa non est: quia profecto falsa sicut nihil juvat, ita vera sperantem beatificat. Magna igitur securitas spei, cui promissa Dei, imo specialiter Deus ipse præsto est. Et ideo spes, juxta Hebraicam veritatem in Psalmis, fiducia vel securitas appellatur, ubi ait: *Quoniam tu, Domine, specialiter in securitate habitare me fecisti* (*Psal.* IV, 10); quippe quia securitas magna est habitare animam in adjutorio Altissimi, et commorari in protectione Dei cœli. Hanc sane spem tutam habemus in interiore velaminis Christi, ubi pontifex Christus introiit. Quia [h] si peccator es, venia regnat; si vero infirmus et ægrotus, salus; si autem mortuus, delictis vita datur; et si in tenebris, lux omnia circumlustrat. Nec est ullus desperationis locus, ubi omnipotentia viget, tantum si te anima [i] ne aut ignavia deprimat, aut bona transitoria ne oblectent, aut immanitas scelerum ne demergat, aut contemptus ne absorbeat: quibus propulsis, spes secura in refugium Altissimi tuta, cuncta superat. Unde et beati omnes etiam in miseriis [j] hujus sæculi jam dicuntur qui sperant in Domino. Qui autem sperant, nec delinquunt, sicut Psalmista canit: *Et non delinquunt omnes qui sperant in Domino* (*Psal.* XXXIII, 23). Patet ex verbis Apostoli, quod charitas nunquam delinquit, quia *nunquam excidet* (*I Cor.* XIII, 8): sicut nec spes, quia omnia in charitate agit. Nulla igitur spes est quæ non diligit, et non credit; quod si credit et diligit, non delinquit. Hinc quoque Veritas: *Omnis*, inquit, *qui vivit et credit in me, non morietur in æternum* (*Joan.* XI, 26). Nam spes omnis Christianorum de fide et charitate procedit. Tolle igitur fidem, nec est quid sperare possis; quia fides circa ea versatur quæ non videntur et æterna sunt. Quod si speras ea et diligis, quia summum bonum et sempiterna sunt, utique credis, quia sunt, et quod ad te pertineant; speras vero, [k] quia data per fidem et repromissa sunt. Unde Deus per fidem in nobis habitare dicitur sicut et nos in Deo jam per gratiam sumus, in quo spem nostram totam posuimus (*Jer.* XVII, 17). Alias autem sicut dicitur Deus charitas, ita et *spes mea Dominus est.*

4. Sed quærendum utrum ipse amor amandus sit, quo Deus amatur, et fides credenda, qua Deus creditur. Tunc intelligere forte valebimus, si spes speranda sit, qua, quæ sempiterna sunt, speramus. De qua sane spe Apostolus: *Qui regeneravit nos*, inquit, *in spem vivam* (*I Petr.* I, 3), profecto quia est et mortua. Atque idem: *Juste*, inquit, *et pie vivamus, exspectantes beatam spem et adventum Domini* (*Tit.* II, 13). Ex quo liquet, quia etsi amandus est amor, non tamen omnis amandus est, sicut nec omnium fides credenda. Est præterea et turpis amor, quo animus sæpe seipso inferiora sectatur, et jure cupiditas dicitur. Sic itaque et fides falsa, quæ non

[a] Edit., *malo.*
[b] Edit., *acquirit.*
[c] In editis omissum *etsi.*
[d] In edit. deest *nec*, quod tamen requiritur.
[e] Edit., *reluctari.*
[f] Edit., *satis est.*
[g] In editis omisso *recepta* legitur *iterum veniam speret.*
[h] Edit., *quo.*
[i] Edit., *si te animæ aut ignaviæ ne deprimat.*
[j] Edit., *inter miserias.*
[k] Edit., *vere.*

Introdusă în format electronic de Google

fides, sed error appellatur. Idcirco sicut nullus rei amor amandus est, nisi ejus qui non potest deesse cum amatur; et fides ex toto nulla credenda, nisi ejus rei quæ semper idem est et nunquam immutatur: ita nec spes indubitanter speranda, nisi ejusdem rei quæ jam habetur cum speratur, et sperantes in se jam beatos facit. De qua sane spe Propheta: *Beati*, inquit, *omnes qui sperant in te, Domine* (*Psal.* LXXXIII, 13). Quam nimirum spem beatam exspectamus, et adventum Domini. Sed quid est dicere *exspectamus*, nisi quia eamdem spem licet habeamus speramus tamen, etsi ex illa jam beati sumus. Harum igitur rerum nihil est aliud amare quam nosse; sicut nec sperare aut credere, quam habere: ut puta quod Apostolus ait: *Fides est sperandorum substantia*. Quod si fides est sperandorum substantia, utique certa res et firmissima, nec spes vacillet: alioquin si fides fallit, et evacuatur res, quæ in fide phantasma erat, nec invenitur in re quod amabatur in fide, nihil enim est aliud amare, quam per seipsam rem aliquam appetere. Cum autem defecerit phantasma, quæ creditur aut amatur res [a] fit indubitata miseria. Unde summopere in Deum certissima fides esse debet, ut et amor præcipuus convalescat. Quod bene discipuli euntes in Emaus de Domino: *Nos*, inquiunt, *sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV, 21), profecto quia duricordes erant ad credendum in omnibus quæ de illo scripta erant: alioquin si perfecte credidissent, et perseveranter sperarent. Cum autem defecit fides, et spes recessit: et ideo inquiunt: *Nos autem sperabamus.* Sed cum Veritas eis se de Scripturis cœpisset aperire, mox fides recaluit [b] atque spes revixit. Postremo: *Nonne*, inquiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via?* Ex quo constat quod nulla earum sine altera valet, neque diligitur, aut saltem speratur, si per fidem non habetur; alioquin impræsentiarum quomodo ullus beatus esse potest? Beatitudo vero certa de re nascitur summæ bonitatis, quæ nunquam potest deesse dum amatur, aut speratur, aut omnino integre creditur.

5. Potest tamen habere homo, quod nec amat, nec credit, nec sperat, ex quo nunquam nisi false beatus dicitur: ut puta, Propheta felicitatem hujus sæculi cum dinumerasset: *Beatum*, inquit, *dixerunt populum cujus hæc sunt* (*Psal.* CXLIII, 3). Sed ne putares, quod vere continuo veram introduceret beatitudinem, si quomodo falsam excluderet: *Beatus*, inquit, *populus, cujus est Dominus Deus ejus.* Rerum igitur temporalium non hoc est sperare aut credere, quod habere; neque hoc amare quod nosse, et ideo nec speranda sunt, nec amanda. Sed in illo spes nostra et amor dirigendus est, qui non potest auferri, dum speratur aut amatur. Alias autem, si non speratur nec amatur Deus, nemo potest perfecte illum habere vel nosse. Quis enim potest nosse illud summum bonum, quantum sit bonum, qui non fruitur? Quod si non amamus, neque fruimur; nec habemus igitur quod sperandum aut amandum est, qui nec speramus nec amamus; etiamsi amare possumus quod non habemus, tamen nemo vitam beatam novit, et miser est; quoniam si amanda est sicuti est, hoc est nosse quod habere, et habere profecto quod sperare. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi sempiternum aliquid cognoscendo habere? Unde Dominus Deo Patri: *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti* Jesum Christum (*Joan.* XVII, 3). Et hæc est vita æterna, de qua recte [c] dicitur fide, quod sperantí vel amanti non possit auferri. Nam omne quod speratur æternum amatur [d] et creditur; sed non omne quod creditur recte amatur, quia est supplicium æternum quod non amatur. Tamen est modus loquendi in Scripturis sanctis, ut omne in quodcunque creditur, jure speratur [e] et amatur, ac per hoc fit, ut non quodcunque creditur continuo speramus; sed non in quodcunque, quia non in alium oportet credere [f] quam in Deum: fruimur illo et speramus. Omnium enim rerum præstantissimum est id quod Deus est. Propterea eum habere non possumus nisi in ea re, id est in mente, qua præstantiores sumus. Et quidquid in mente habetur credendo, utique et sciendo habetur. Id vero quod scitur aut creditur, quia summum bonum est, speratur jure atque amatur. Sed nullum bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur, et prius nec intelligitur, nisi credatur. Fruitio enim summi boni charitas est. Porro initiatrix omnium virtutum, et via ad summum bonum fides est, medium vero earum spes certa est, omnium autem præceptorum finis charitas. Sed nec principium sine fine [g], licet futura sit charitas sine fide, quia cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Neque media earum, spes videlicet sine principio fidei, neque sine fine perfectæ dilectionis; ac per hoc [h] fide vivificamur, spe rapimur, charitate inflammamur. Et quia quæ credimus, spe rapimur ad æterna, inter quæ illam posuimus velut anchoram tutam: æternitatis vero amore mens afficitur, ut circa æterna semper versetur, quibus demum, quia [i] æterna sunt, mens vita beata vivat. Et hinc est quod Dominus jubet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Ac per hoc, quia amor appetitus est mentis, et videmus excepta parte rationabili, qua mens intelligit, alias partes ejus ad appetitum

[a] In editis omisso *res* additur *ea fit indubitata.*
[b] Edit., *revaluit.*
[c] Edit., *recte.*
[d] In editis desideratur. *Et creditur, sed non omne quod creditur recte amatur.*
[e] Edit., *speretur et ametur.*
[f] In editis deest *credere*, quod tamen est necessarium.
[g] In editis deest, *licet futura sit charitas sine fide.*
[h] Edit., *ac per hanc fidem vivificamur.*
[i] Edit., *quæ æterna.*

Introdusă în format electronic de Google

tendere, cum omnis appetitus conversus fuerit, ut in [a] dilectionem Dei tota mens versetur, erit tranquillitas magna, et pax in homine; ita ut nihil aliud desideret contemplari, quam quod diligitur et æternum est. Sic quoque mens æternitate afficitur, indissolubili pacto, quo tota inebriata viget, quotidie cum Deo intus spe et vi amoris rapitur.

CAPUT VII.

Quod impræsentiarum nec spes sine timore admodum agitur, nec timor sine spe ad alta subrigitur.

1. Igitur harum duarum virtutum alis mens ac si gemino remigio moderatur, dum timore premitur, ne altius ad naufragosa devictur. Elevamur autem spe semper ad meliora virtutum incitamenta, et præsumendo quæ promissa sunt, quasi adepta circumfusis visceribus amplectuntur; sed necessario timore compungimur, ne ad vitia hinc inde prolabamur. Unde timore coercemur, spe vero sublevamur. De quo sane timore Petrus [b] apostolus: *Cum timore*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini* (*Phil.* II, 12). Et de spe Isaias propheta: *In spe*, inquit, *erit fortitudo vestra* (*Isa.* XXX, 15). Constat igitur quod spe corroboramur de Domino: et in spe bona quæ agimus operamur. Timore autem operata, et quæ repromissa sunt, quasi sub sigillo reservata vel reposita conservamus. Hinc quoque propheta canit dicens: *Timor Domini ipse thesaurus ejus* (*Isa.* XXXIII, 6). Quibus duobus modis in farina bene redigimur, quatenus Domini doctrina [c] in azymis sinceritatis et veritatis conspergamur et simus azymi. Frumentum etenim ex eo quod in terra granum decidit, Domini per gratiam sumus, necesse mola superior atque inferior ex lege nos æquissimo jure redigat in farinam. De qua sane mola in libro Numerorum legimus: *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam* (*Deut.* XXIV, 6). Superior quidem atque inferior mola, qua mentes fidelium bene rediguntur in polentam, et fit *nova conspersio* juxta Apostolum; tum recte loco pignoris non accipitur, cum spes et timor a doctrina prædicatoris non subtrahitur. *Non accipies* autem dixit, pro eo quod est dicere, *non auferes*. Unde et accipitres [d] nonnullæ vocantur aves, eo quod auferant. De quo sane verbo Paulus ait: *Sustinetis enim si quis devorat, si quis accipit* (*II Cor.* XI, 20). Ac si diceret: Sustinetis si quis rapit et aufert. Ex quo liquido colligitur, quod de loco pignoris, id est confessionis aut conscientiæ alicujus peccati, non est auferenda mola superior, spes videlicet, aut inferior, quæ est timor dilectionis. De quo sane timore Propheta canit dicens: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10). Non sunt igitur auferendæ duæ istæ virtutes de mentibus singulorum, eo quod A quantum spes ad altiora mentem subvehit, tantum necesse est timor cor male [e] præsumentis inferius premat; quæ nimirum ita sibi utiliter vicissim junguntur, ut una sine altera salubriter flare [f] nequeat, quia incassum quisque misericordiam sperat, si non etiam justitiam districti judicis metuat: ac demum periculose de justitia interdum formidat, si non de misericordia largitoris firmiter confidat. Loco igitur pignoris mola superior atque inferior tolli prohibetur; quatenus nec spes sine timore, nec timor sine spe unquam inveniatur; non ideo ne aliquis ab spe dilapsus in solo timore remaneat, aut certe sine timore præsumptione male deceptus spe vana depereat. Nam Christi misericordia sicut non sine justitia est, ita nec justitia sine misericordia. B Et ideo sic formidinem timoris spes temperet, ut spei celsitudinem timor sanctus custodiat. De quo sane timore Propheta ait: *Timete Dominum, omnes sancti ejus* (*Psal.* XXXIII, 10); atque illud: *Timor Domini fiducia fortitudinis.*

2. Magna igitur fiducia timoris, sicut et magna gloria spei. Nam spes inchoativum est laboris, timor vero custos mercedis. Unde confidenter quisque agit, si merita suffragantur, ut potiora petendo studiosius elaboret, quo tali ac tanta quotidie spe sit dignior. Quis enim athletarum, si [g] coronam desperet, promptus in stadium descendat? aut si eam postulet, jure victor offendat? Igitur probatio spem facit, spes vero confidentiam. Et ideo non confunditur, quamvis hactenus timore sancto servetur; C quoniam fides suo in tempore quæ dilectionis sunt operatur, in qua divitiæ salutis, sapientiæ atque scientiæ servantur. Et hinc est quod continuo subjungitur: *Timor Domini ipse thesaurus ejus*. Locuples igitur thesaurus, in quo divitiæ salutis renitescunt, et sapientiæ atque scientiæ opes gloriosius fulgent. Thesaurus ergo earum virtutum timore servatur, spe præsumitur. Unde et Apostolus: *Qui regeneravit nos*, inquit, *in spem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* V, 2). Spes quippe semper præmiorum est adeptio, vel gloria desiderantis: timor vero respersus pudor sanctæ dilectionis, ne in aliquo offendas præmio invitatus, cui placere mente disponis. Non enim est pœnalis iste affectus, sed pudoratus, fide victus et dilectione veræ charitatis. Alioquin sine D timore fœdus amoris vix aut nunquam servatur: sicut nec sine spe segnitiæ vel torporis materia [h] est; spes vero incitamentum virtutis. Incitatur ergo quisque ad ea quæ desiderat: tum maxime cum illa omnino sine diffidentia percipere [i] gratiam sperat. Et ideo nunquam spes sine lætitia comitatur: ut sit jam in illa futuræ beatitudinis exhibitio; de qua sane spe Propheta promittit dicens: *Lætentur omnes qui sperant in te, Domine* (*Psal.* V, 12). Alioquin

[a] Editi, *ut et dilectione Dei versetur*, omisso *tota mens*.

[b] Editor correxit *Paulus* et bene.

[c] Edit., *doctrinam*, sed melius *doctrina*.

[d] Edit., *accipitri*.

[e] In edit. desideratur *male*, quod tamen congrue hic dicitur.

[f] Edit., *stare*.

[g] In editis male desideratur *si*.

[h] Edit., *natura est*.

[i] In editis deest *percipere gratiam*.

Introdusă în format electronic de Google

in eo timore qualis beatitudo est, qui sine spe traditur? Jure igitur sine lætitia jucunditatis prædicatur, et tamen a Propheta omnino beatus esse dicitur, quoniam jucunditatis rore refrigeratur. De quo idem : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 11); atque illud : *Beati omnes qui timent Dominum* (*Psal.* CXXVII, 1). Beatitudo ergo in eo jure repromittitur, quoniam per gratiam sancti Spiritus ad spem usque gloriæ sublimatur, et duobus istis ad meliora indesinenter afficitur. Unde sicut dixi, quia Dominicum ex grano seminis frumentum sumus, harum virtutum molis in pulverem redacti, doctrina Christi renovamur. De quo profecto sacrificio in Levitico jubemur plenum pugillum tollere, quia non amplius a nobis bonorum operum accipitur virtus, nisi quantum ex fide offertur. Hæc est, inquam, farina quam Sara obtulit, et in qua mulier illa ex Evangelio fermentum doctrinæ Christi Trinitatis numero recondidit et abscondidit.

3. Sed interdum quamvis timor mentem reprimat et humiliet, nonnunquam vero consolidat et confortat; sicut est illud Salomonis, de quo supra dixi : *In timore Domini spes fortitudinis;* quia sicut in via sæculi audacia fortitudinem, sæculi timor debilitatem : ita in via Dei timor fortitudinem gignit. Unde et Eliphas beati Job virtutes enumerans : *Timor tuus fortitudo tua, patientia tua et perfectio viarum* A *tuarum* (*Job* IV, 6), ait. Timori quippe fortitudinem subjunxit; quoniam, ut dictum est, de timore fortitudo mentis generatur. Mens namque nostra tanto validius terrores [a] rerum temporalium despicit, quanto se auctori earumdem temporalium veracius per fortitudinem subdit. Ergo mens bene in timore Domini constituta, extra quod timeat non invenit, dum potestate [b] quadam interius supra omnia fiducialiter elevatur. A timore quidem, [c] gradus virtutum incipitur, deinde mens fortitudine roboratur, roborata verbo patienter mala præsentium [d] tolerat. De qua nimirum patientia perfectio viarum Dei aggreditur, ut ad spem solidius consurgat. [e] Ita siquidem Apostolus testatur dicens, quod *patientia probationem, probatio vero spem operatur* (*Rom.* V, 4). Quibus itaque gradibus mens divinitus vegetata profecto non confunditur, quia charitas Dei, diffusa in cordibus credentium, hæc omnia operatur. Quapropter satis sit tantisper de spe nostræ salutis prælibasse, finem libelli quem sperando quibusque prodesse parvulis edidimus, sine ejusdem spei fine ponamus, ut in sequenti, sicut tua beatitudo exegit, de charitate resumptis viribus ardentius, licet breviter, aliquid dicamus, ipso adjuvante, qui cum Patre et Spiritu sancto unus et verus est Deus, Jesu Christo Domino nostro. Amen.

[a] Edit., *errores.*
[b] Edit., *pietate.*
[c] Edit., *quidam.*
[d] Edit., *præsertim.*
[e] Edit., *resurgat.*

PROLOGUS IN LIBRUM DE CHARITATE.

Diu intermissis Scripturarum studiis, longo curandarum rerum fatigatus naufragio, licet agrestis, devotus tandem [a] amicam repeto quietem; ut quod in torporem ignavi actus vitæ sopitis sensibus demerserant, Christi charitas, de qua loqui desiderio, evigilet et abstergat, ne iners solertia, defecato paulisper fruens silentio, sine fructu remaneat. Fodi nimirum puteos, quos foderat senex Abraham : sed quia eos semper obstruere gestiunt Philisthiim; rursus elaborandum cum Isaac, reperta [b] in fonte fidei aqua viva, quatenus vincere possimus jurgia, et calumnias inimicorum. Deinde alium puteum spei profundius egerem; sicque rixas et inimicitias omnium adversariorum superare : sed quia tandem his exhaustis, aquas salientes in vitam æternam, Domino largiente, paululum degustavimus : restat tertium D effodere, pro quo et contra quem nullus rixari queat. Vocatur autem idem puteus latitudo, de quo Psalmista ait : *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII, 96) : eo quod quidquid latet, vel quidquid patet [c], omnia contineat. Ergo ad istos aquarum puteos Sara, Rebecca, Rachel, necnon et C Sephora illa Æthiopissa venire atque haurire consueverant. Bene namque has tres septem donorum sorores germanissimas omni dilectionis officio sibi in animo devoverant, quarum potatu quotidie inebriantes se, semper ibi reperiebantur. Siquidem et philosophi eosdem voluerunt fodere puteos, quos physicam, ethicam, logicam appellarunt; sed quia sine Christo aquam inveniunt, sed non vivam; ita et Salomon tres condidit libellos de tribus istis virtutibus, ubi in tertio quanta sit latitudo et profunditas, soli amplexus sponsi, et oscula sponsæ probant. De quo nimirum puteo mulier Samaritana requisita nesciens prophetizat, quod puteus altus sit nimis, et nemo ex eo bibit, nisi cui Jesus aquam salientem in vitam æternam tribuerit. Altus quippe fons est, quo nemo altius ascendit; idcirco invocandus est ille, sine quo ad hauriendam aquam illuc nemo pervenit. Nequaquam igitur isti puteorum rivi illius patuli fluenta, quæ fabularum salsura condivit; sed quæ Jesus credentibus reseravit dicens : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Hæc quippe, de qua loqui disponimus [d], man-

[a] Edit., *tamen.*
[b] Edit., *reperto sonte.*
[c] Edit., *potest.*
[d] Edit., *disponemus.*

Introdusă în format electronic de Google

datum dici potest mandatorum, vel donum omnium donorum, sicut est Canticum canticorum; quoniam omnia hoc uno complentur mandata, sicut et omnia isto uno consummantur salutis dona. Alioquin sine A charitate quodcunque donorum habueris, nihil tibi prodest.

Explicit prologus.

INCIPIT LIBER DE CHARITATE.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit charitas ?

1. Interrogemus Joannem apostolum, et ipse narrabit quid [a] de fonte Christi [b] pectoris hausit; dicit enim : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 16). Ecce quam brevis definitio, et habes quid sit charitas. Sed hanc nemo philosophorum penetrat, quia immensa et profunda est. Porro definitionum genera apud illos plura legimus, ut puta usialis [c], quod est substantialis, quæ propriæ et vere dicitur definitio : secunda, quæ Græce onomatica vocatur, quæ notio dici potest, eo quod de actibus, de qua quæritur, rei notitia insinuatur. Sed Apostolus aperte clamat, *quia Deus charitas est.* Quippe non relative, neque nuncupative, sicut de Domino quædam dicuntur; sed substantialiter, sicut veritas, et lux, ac cætera quæ Dominus substantive prædicatur. Unde quærendum utrum Deus Pater sit charitas, an Deus Filius, an Deus Spiritus sanctus, an Deus ipsa simul Trinitas? Nec tamen fatendum propterea charitatem Deum esse, quod sit donum Dei; C sed quia charitas est illa substantia, quæ Deus est, sicut et bonitas, ac vita, et cætera, ut dixi, quæ de Deo substantialiter dicuntur. Dicitur enim Deo : *Tu es patientia mea et refugium meum* (*Psal.* LXX, 5), ac multa talia; sicut et : *Tu es spes mea et misericordia mea;* nec recte dicimus : *Tu es charitas mea;* quin imo dicendum : *Deus charitas est*, sicut dictum est, Deus spiritus est. Hoc qui discernit a Deo intellectum, et non ab homine quærat rationem. Tamen [d] licet dicamus : Sapientia, et veritas, et vita seu lumen Deus est, ac similia; hæc omnia non nisi una substantia est. Similiter et charitas cum dicimus quia Deus est, hoc est, quod vita, quod lux, quod sapientia, et cætera, eo quod Deus Trinitas simplex substantia est. Recte igitur intelligimus, quia Deus Pater charitas est, et Deus Filius similiter charitas est, et Deus Spiritus sanctus. [e] Sicut et sapientia Deus Pater est, et Deus Filius, et Deus Spiritus sanctus, non tamen tres charitates ideo dicimus, aut tres sapientias; sed unam sapientiam, et unam charitatem; sicut et unum Deum Patrem, et Filium atque Spiritum sanctum confitemur. Et sicut proprie verbum Dei etiam Dei sapientia Filius dicitur : ita ergo charitas aptissime Spiritus sanctus est appellatus; sed ita, ut illa simplex Dei natura non sit aliud substantia, et aliud charitas, sed charitas ipsa substantia sit Patris, et Filii, et Spiritus sancti; quamvis proprie Spiritus sanctus charitas nuncupetur. Hinc quoque Joannes Apostolus : *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est. Et omnis* B *qui diligit, ex Deo natus est; qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus dilectio est* (*I Joan.* XIV, 7). Manifestat autem Spiritum sanctum intelligendum eamdem dilectionem esse, quem dixit ex Deo, quia Spiritus sanctus ex Deo Patre est, et Filio. Tamen et Filius de Patre Deo est, ideirco illud apertius designatur, ubi ait, quod *in hoc cognoscimus, quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Et hoc est in Deo manere, qui manet et in charitate, quia Spiritus sanctus quem dedit nobis, dilectio est : Et omnis qui diligit, ex Deo est, quia Spiritus sanctus [f], qui est dilectio, Deus est. Ecce quid sit charitas? Ubi qui manet, nullis inimicitiis, nullis calumniarum insidiis defraudatur, sed ex Deo totus, in Deo [g] securus manet.

2. Ergo qui habet charitatem, in se Spiritum sanctum habet, quia Spiritus sanctus charitas est; ideoque talis Christi est, eo quod spiritum Christi habeat. Alioquin si non spiritum Christi, nec charitatem habet, et Christi non est, quia sine [h] Spiritu ejus est. Non modica igitur virtus charitas, quæ Deus est. Unde nec haberi potest, nisi ab illo, in quo est, cui credendum est. Et Joannes, *nos*, inquit, *cognovimus, et credimus charitati Dei, quam habet in nobis* (*I Joan.* XLIX, 16). Et qui [i] est, quam habet in nobis, nisi quia de Spiritu suo [j] dedit nobis? Ergo cum Spiritus datur, Christi charitas diffunditur, sicut Paulus testatur apostolus, *quod charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Unde cum super apostolos venit, D in fervore ignis apparuit, quia charitas quos repleverit, ardentes facit, Deoque conjungit. Unde si Deus Pater charitas est, et Filius charitas est : charitas autem Patris, et charitas Filii unum sunt, et non unus. Ex quo consequenter unum bene dicuntur, qui veniunt simul ad Deum, qui perfecti sunt in charitate, juxta veritatis assertionem, et mansionem apud eum faciunt. Propter quod talis charitas, quæ Deus est, cum fuerit in aliquo, is nihil terrenum, nihil materiale, nihilque corruptibile diligit; quia

[a] Edit., *quidquid.*
[b] In editis desideratur *Christi.*
[c] Edit., *usiodis* melius *usialis* a Græco οὐσία *quod est substantia.*
[d] Edit., *Tum.*
[e] In editis desideratur *sicut et sapientia Deus Pater est, et Deus Filius est, et Deus Spiritus sanctus.*
[f] In edit. deest *sanctus.*
[g] Edit., *ideo.*
[h] Edit., male, *simul* longe melius *sine.*
[i] Editor emendavit *quid est* non male.
[j] Non ita bene correxit *sancto* pro *suo.*

Introdusă în format electronic de Google

contra naturam est charitatis quidpiam corruptibile diligere, præsertim cum ipse sit fons incorruptionis. Ipsa est enim sola habens immortalitatem, siquidem *Deus est charitas, qui solus habet immortalitatem, habitans lucem inaccessibilem* (*I Joan.* IV, 16; *I Tim.* VI, 16). Quid aliud immortalitas, nisi vita æterna creditur? Quam daturum se promittit Deus credentibus in ipsum solum verum Deum, [a] et quem misit Jesum Christum Filium ejus.

3. Idcirco ante omnia, et super omnia imprimis hoc amabile, et beneplacitum dicitur esse Deo, ut diligat quisque Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex totis viribus suis, quia Deus charitas, et Filius, qui ex Deo est, charitas est. Unde sui simile aliquid in nobis Deus requirit, ut per hanc charitatem, quæ est in Christo Jesu, qui est charitas, velut quadam cognata per charitatis nomen affinitate sociemur. Sicut Paulus jam conjunctus ei dicebat : *Quis nos separabit a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro?* (*Rom.* VIII, 35.) Hæc nimirum charitas hominem proximum in invicem sibi et Deo facit, sicuti Veritas in Evangelio (*Luc.* X) demonstrat dicens cuidam superbienti, quod quidam cum descendisset ab Hierusalem in Jericho, inciderit in latrones; quem cum vulneratum ac semivivum sacerdos, ac Levita præterierint, amplectitur Samaritanus, qui misericordiam ei fecerat, hunc que proximum fuisse declarat eorum [b], et ab ipsius confessione proximum fuisse manifestat. Unde adjecit : *Vade*, inquit, *et tu fac similiter* (*Ibid.*, 37); ac si aperte dicat : Quisquis secundum Deum proximus velit esse, faciat charitatis opera, quæ sunt viscera secundum interiorem hominem, ut maneant simul unum in Domino. Nam cœlestis illa Hierusalem sola convisceratur charitate; illinc ex qua omnis germanitas constat, et perpetua societas. Unde jam hic anima concorporetur in membris Christi, et conflagretur [c] cœlesti lumine. Hic namque est ignis ille, quem Jesus venit mittere in terram, et quid vult, nisi ut ardeat (*Luc.* XII), et exurat omnia carnalis vitæ desideria? Iste quippe ignis est, qui de cœlo venit in Veteri Testamento, quem jugiter sacerdoti nutriri mandatur, ne exstinguat, quia nullo ex alio holocaustum, vel sacrificium Deo dignum crematur. Si quis vero alienum obtulerit, sicut factum est illis, quos ignis exussit, Nadab et Abiu (*Num.* III), morte plectetur æterna, quoniam ignis iste perpetuus est.

CAPUT II.

Cujus lingua sit charitas.

1. Charitas ergo Græcum est, quod in Latino *dilectio* appellatur. Sed melius in Græco charitas vim suæ significationis exprimit, quam dilectio, quæ a diligendo quidpiam nominatur. Sæpe enim diligimus quod demum improbandum melius judicamus. Dictum est enim quod similis similem sibi diligat. Unde dum vitiosi, vitiosos diligimus, non quia hoc sunt quod creati sunt, sed quia vitiosi sunt, nunquid talis dilectio charitas est appellanda, aut ex Deo est? Absit. Nam omnis qui diligit, ex Deo natus est. Ille vero qui sic diligit, utique se primum, et eum quem diligere videtur, odit, quoniam *omnis qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Verumtamen licet odium sit, dilectio juxta verbi etymologiam vocatur, et ideo, ut dixi, non satis ubique latinus iste sermo vim charitatis exprimit, quia charitas nunquam, nisi ex Deo, vel in Deum, vel propter Deum jure dicitur. Dilectio vero aliquando odium approbatur, sicut econtrario odium, dilectio vera secundum divinarum Scripturarum intelligentiam : ut est illud : *Qui odit animam suam in hoc mundo* (*Joan* XII, 25), etc., quæ leguntur. Sed Joannes non de alia dilectione, nisi quæ ex Deo, et Deus est. Unde absolute universaliter definit dicens : *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognovit Deum. Qui* [d] *non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 7, 8). Et hæc est dilectio Christianorum, ut Deum, et in Deum, et propter Deum diligas. Deum autem in se, propter se, quia summum bonum est; membra vero Christi in Deum, quia membra sunt ejus, qui Deus est; et ideo in Deum, quia Deus charitas, diffusus in eorum cordibus, facit eos manere in Deum per spiritum adoptionis, ita ut filii jure nominentur, et sint. Verumtamen non ita quasi summum bonum sint, diligendi, sed quia in summo bono sunt boni filii, per Spiritum sanctum boni præsciti et prædestinati, ut maneant in spiritu adoptionis. Reliqui omnes propter Deum sunt diligendi; quia boni a bono Deo sunt creati, licet vitio suo sint mali effecti. Nam et dilectio dicta videtur eo quod liget. Duos enim in invicem alligat; quia non minus, quam inter duos charitas esse potest : facit namque unanimes in domo, ita ut plurimi sint cor unum et anima una. Quapropter recte *vinculum perfectionis* (*Col.* III, 14) vocatur. Ligat etiam animas indissolubili amoris vinculo ad Deum, quas prius ipse suæ dilectionis loro sibi astrinxerit, ut maneant in Deum. Unde Dominus : *Volo, Pater*, inquit, *ut et ipsi unum sint in nobis, sicut ego et tu unum sumus* (*Joan.* XVII, 22). Alioquin civitas illa Hierusalem cœlestis quomodo constaret ex tam diversis unita in Deum, ut ultra jam non possit dissolvi, nec ullo fraudis dolo corrumpi, nisi esset interius, et exterius charitate Christi sic perfusa, quatenus nec inter fluctus sæculi submergi queat. Hinc quippe dicitur : *Et linivit arcam Noe bitumine intus et foris* (*Gen.* VI). Quæ nisi esset linita, inter undas illæsa superferri non posset : quod si inter auras sæculi a Deo Ecclesia solidatur ne corrumpi possit, quanto magis in patria, ubi jam nullus procellarum motus erit? Hinc quoque David canit (*Psal.* CXLVII, 12-14) :

[a] In edit. omissum est *Deum.*
[b] Editi, *coram.*
[c] Editi, *flagretur.*
[d] In editis desideratur *qui non diligit, non novit Deum :* quæ tamen verba exstant in Joannis textu.

Introdusă în format electronic de Google

Lauda, Jerusalem, Dominum; ac si patenter dicat : *Quoniam confortavit seras portarum tuarum*, ne rursus queant infringi. Deinde addidit : *Benedixit filios tuos in te, qui posuit fines tuos pacem.* Exclusis quippe reprobis et maledictionum filiis, omnes unanimes futuri ad dexteram Patris benedicti erunt, quorum hic animæ jam in Christo unum esse cœperunt, ut illic in unitate Patris plenius colligantur.

2. Denique unitas nunquam dividitur, ideoque quidquid unitate solidatur, firmissimo dilectionis vinculo tenetur ac ligatur. Hinc namque Scriptura sancta quasi honestiori vocabulo pro amore, vel cupidine usitatissime charitatem ponit vel dilectionem, licet nonnunquam et amore fruamur Christo, sicut est in Canticis de sponsa : *Quia amore langueo* (*Cant.* v, 2). Nec non et de sapientia in Proverbiis : *Ama eam et servabit te* (*Prov.* II), seu et [a] in aliis quibuslibet locis. Tamen [b] ubi nullius lapsus videtur occasio, jure in Scripturis sanctis nomen amoris inseritur : cæterum ubi celsior dignitas nominis commendatur, charitas vel dilectio dicitur. Etsi [c] nihil sit in divinis eloquiis utrum amor Dei, an charitas an dilectio nominetur, tamen nomen charitatis in tantum extollitur, ut Deus etiam ipsa charitas appelletur. Hinc quoque Joannes ait : *Charissimi, diligamus invicem, quia charitas ex Deo est, et omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum : qui autem non diligit, non cognoscit Deum, quia Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 7, 8). Talis igitur virtus longe differtur [d] a cupidine vel amore, de quibus sapientes sæculi quasdam artes, quibus amor in anima nasci vel augeri posset, conscriptas reliquerunt. Sed profecto has quique carnales ad vitiosa et culpabilis amoris incitamenta traxerunt. Unde sancta Scriptura charitatem gloriosius commendat, ne apud nos, ubi quanto plures simpliciores, tanto imperitiores hujus occasione vocabuli ad amorem carnalium rerum labantur, sicuti fecerunt hi, qui pro his quæ dicta sunt de amoris natura in lapsus carnalium et impudicitiarum præcipitia corruerunt : præsertim cum illi volentes ostendere vim amoris nihil aliud esse, quam virtutem, quæ animas de terris ad fastigia cœli celsa perducat, nec ad summam posse beatitudinem perveniri, nisi amoris desiderio succendatur animus. Multa de amoris natura dixere quidam [e] quæ adumbrata protulerunt; sed ideo errasse contigit, quia non apprehenderunt quod Deus charitas esset. Unde non cognoverunt Deum, neque dilexerunt. Nos autem, quia diligimus, utique et cognoscimus : cognoscentes autem plenius amamus, et quia amamus, in omnibus recte obedimus, ita ut etiam inimicos diligamus : qui profecto ut eorum vitia oderimus, sic sunt diligendi, quia a bono sunt, ut in bonum Deum redeant, et permaneant boni.

3. Constat [f] igitur, ut dixi, quod amor quo dilectio fulcitur, nonnunquam in malo accipitur; sed Christianorum non nisi in bono, ut quidquid in Deum aut propter Deum diligis, ames necesse est sicut temetipsum. Deum vero ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute diligas et ames; quoniam amor et dilectio convisceratio est patris in filium, et filiorum refusio in patres, fraterna quoque germanitas. Alioquin tolle dilectionem, quid habet pater ad filium, aut filius ad patrem, vel quid fratres ad invicem? Idcirco tu, homo, dilige, quia Deus dilectio est. Sed quid est quod non diligeris a Deo, nisi quia non diligis? alioquin Deus dilectio quomodo potest non diligere, cum sit ipse dilectio? Quod bene prodigus insinuat filius. Consumpto itaque [g] luxuriose patrimonio et perdito, tandem ad se rediens patrem vocat quem deseruerat (*Luc.* XV). Et bene. Quia licet ille non amando degener esset factus, pater in se manens non amiserat viscera paternitatis, quæ nimirum viscera charitas est. Et ideo misit Deus Spiritum suum, qui est charitas poprie vocatus, et ex Patre Filioque procedit in cordibus nostris, ut per charitatem concorporemur in corpore Christi, quatenus in Patre et Filio, una cum Spiritu sancto nos unum simus, sicut et ipsi in se unum sunt. Quia totus Deus Pater et Filius atque Spiritus sanctus una charitas, et una vita, atque una Deitas est; et ideo bene qui diligit, cui datum est ut diligat, ex Deo natus est. Et qui manet in hac dilectione, in Deo manet, et Deus in eo (*I Joan.* III).

CAPUT III.

De sententia Pauli, ubi ait : quod Major est charitas.

1. Ait enim : *Manent autem nunc fides, spes, charitas, tria hæc. Major autem horum*, vel sicuti nostri codices habent, *Major autem his est charitas* (*I Cor.* XIII, 13). Sed beatus Augustinus, *major autem horum*, nos dicere debere insinuat. Dicit enim ita, si videretur dicere, *Major autem his est charitas* : aliam charitatem [h] quasi quartum aliquid inducere videretur, quod tribus dinumeratis, fidei videlicet, spei et charitati præponeret. Porro comparativus, quia genitivum pluralem aliquando regit, videtur melius per eumdem casum sonare : sicut et cum de tribus quibuslibet interrogamus, quis illorum prior est, volentes unum de ipsis priorem agnoscere : si dicimus, quis illis prior est? nescio quam personam quartam videmur inquirere, quæ tribus illis prior sit. His ita dictis, quærendum quare dixerit Apostolus, cum maneant hic tria hæc, et simul omnia agant, nec una sine altera possit perficere, quod major illarum sit charitas, videlicet fide et spe impræsentiarum, sine quibus nulla est charitas. Major autem forte charitas ideo dicitur, quia omnia credit, omnia sperat, præsertim cum non facile dixerim

[a] Edit., *sic in aliis*.
[b] Edit. pro *tamen* habent *scilicet*.
[c] Edit., *Etsi autem*.
[d] Edit., *differt*.
[e] Edit., *quidem*.
[f] Edit., *restat*.
[g] Editi, *namque*.
[h] Edit., *majorem, quasi quartum aliquod*.

Introdusă în format electronic de Google

continuo, quod omnis fides perfectam habeat charitatem. Unde Apostolus : *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 2). Sed videtur mihi non posse habere omnem fidem qui charitatem non habuerit, ita ut montes transferat. Alioquin quomodo habere potest aliquis omnia mysteria et omnem scientiam, ut idem ait Apostolus, nisi habuerit charitatem; maxime cum dicat Joannes : *Omnis qui credit quia Christus est veritas, ex Deo natus est; et qui ex Deo natus est, non peccat* (*I Joan.* V, 1, 18). Unde [a] colligitur [quod] is qui credit quia Christus est veritas, ex Deo natus est; et qui ex Deo natus est, non peccat. Qui autem peccat non credit, nec diligit, et peccato obnoxius est. Constat igitur quod non diligit qui peccat. Charitas ergo peccandi excludit affectum, quandoquidem et timorem excludit foras, fidei autem plenæ perfecta est charitas, sed fides non semper plena est. Hinc et apostoli : *Domine, auge nobis fidem*, scilicet ut infirmantem sanaret fidem.

2. Fides vero velut prævia charitatis occupat animam, quia credendo unusquisque diligere incipit, credendo plenam charitatem possidet. Unde restat, juxta illud Apostoli, quod sicut charitas credit omnia, ita et perfecta fides impræsentiarum fidem habeat omnem; quoniam fides semitas præparat veræ dilectioni; ac per hoc omnis fides est ubi perfecta charitas est; quia charitas credit omnia, id est facit per fidem omnia credere, et habere hujusmodi animæ [b] omnem fidem, sicuti et omnem spem, quoniam omnia sperat. Unde nimirum major est charitas, quia per fidem spemque complectitur. Et talis charitas nihil timet, sed excludit foras timorem. Omnia suffert, omnia [c] sustinet; et qui [d] sustinet omnia, etiam martyrium non timet, eo quod ei jam crucifixus mundus sit, et ille mundo, ut non timeat quæ sunt in mundo. Recte etiam charitas major, quoniam omnia [e] virtutum genera agendæ vitæ comprehendit, sicut suas quasque species genus. Et constat ex omnibus, sicut et omnia ex ea subsistunt. Soliditas [f] ergo earum, et perfectio charitas est, quoniam ex charitate radicantur universa et fundantur, ut accepta Deo et perfecta maneat [g]. Deinde cessantibus aliis, charitas ardentior beata erit, ut puta fides et spes, cum per visionem Christi evacuatæ fuerint, quia *cum pervenerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Tunc sola charitas major omnibus, etiam juxta quod impræsentiarum est, et se gloriosior virebit. Cæterum in hac valle lacrymarum, quia de cœlis est, quasi peregrina et ideo rara manet. Porro in supernis tota regit et regnat; ac per hoc cum perventum fuerit in sua, erit charitas omnia in omnibus, quia Deus A charitas est, et regnabunt in omnibus singuli unum corpus cum Deo, alter alterius membra sine fine beati.

3. Hæc sunt namque viscera illius civitatis, et ista compago ac vita perennis gloriæ. Unde necesse est, si quis illuc vult vivere, hic jam per charitatem incipiat, et per eam operetur; quoniam quidquid sine charitate est aut fit, prodesse ad eamdem vitam non potest. Ista ergo est eminentior via, quam Apostolus solis filiis demonstrat, et excelsior cunctis. Hinc quoque magis hortatur dicens : *Sectamini charitatem* (*I Cor.* XIV, 1); profecto quia charitas plus est quam omnium charismatum dona, eo quod una ex omnibus adimpletur, et singula ut prosint ex ea vivificantur et crescunt. Sunt enim in virtutibus principia, sunt media, sunt et summa. Unde sapientia de se loquens dicit : *Dominus creavit me in principio viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22), ut inde inciperent, id est a Christo videlicet sapientia Dei Patris, qui vellent venire ad Patrem. Sed et Apostolus, cum ambularet in via quæ Christus est, et ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Deum, ea quæ retro sunt obliviscebatur, extendens se ad ea quæ ante sunt, ut ad summa veniret. Transierat enim principium viarum Dei, quia non indigebat aggrediendi exordio; sed ad veritatem in via gradiens pervenire, atque permanere [h] in via charitate repletus, et per charitatem adoptione recepta Filius in domo cum Patre sine fine beatus [i]. Ex quo liquet quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluit; sed semper transire, ne rebus temporalibus, quamvis pro salute nostra susceptis et gestis, male hæreamus infirmi, quinimo per eas potius curramus alacriter ad eumdem ipsum qui nostram naturam temporalibus liberavit, et collocavit ad dexteram Patris. Hoc quippe est quod ipse alibi ait : *Etsi noveramus Christum secundum carnem, jam non novimus* (*II Cor.* V, 16), quia exutus omnium mortalitate et temporalitate Deus et homo, unus Dominus Jesus Christus cum Patre coæternus vivit, manet et regnat Deus.

CAPUT IV.

Quod charitas gemina sit.

4. Ex omnibus et in omnibus Scripturarum locis patet, quod charitas una eademque gemina est, id est [j] Dei et proximi : nec una jure sine altera; quoniam Deus charitas ita jubet, ut qui diligit Deum, diligat et proximum suum. Una quippe dilectio, sed duobus mandatis movetur affectus, ut Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, proximum vero sicut nosmet in Deum diligamus. Et hoc mandatum habemus, ut qui diligit Deum diligat et fra-

[a] In edit. deest, *unde colligitur* [*quod*] *is qui credit quia Christus est veritas, ex Deo natus est, et qui ex Deo natus est, non peccat.*
[b] Edit., *animam.*
[c] Editi addunt *omnia sperat.*
[d] Edit., *et quia.*
[e] In editis deest *omnia.*
[f] Edit., *sodalitas.*
[g] Editi, *maneant.*
[h] In edit. deest *permanere in via.*
[i] In edit. additur *permanere cavebat.*
[j] In editis desideratur *id est.*

Introdusă în format electronic de Google

trem suum. Quod si dicimus quia diligimus Deum, et fratrem vel unum odimus, mendaces sumus, et veritas, id est Deus, in nobis non est, quem nos diligere mentimur. Dicit enim Joannes : *Si fratrem, quem vides, non diligis, Deum, quem non vides, quomodo diligere potes?* (*II Joan.* III). Argumentum igitur dilectionis Dei dilectio proximi est ; quia proximi dilectio initium Dei amoris est. Diligendus ergo proximus est, ut in proximo diligatur Deus, quia omnis ejus dilectio, si justa est, ad Deum refertur, in quo diligitur proximus, et propter quem inimicus. Idcirco in Veteri Testamento duæ fuisse memorantur tabulæ digito Dei conscriptæ, quia charitas proximi et Dei gemina est, qua [a] gratia Spiritus sancti diffunditur in cordibus nostris. Nam digito Dei Spiritus sancti gratia designatur. Unde et Christus, in digito Dei, id est in Spiritu sancto dæmonia pellebat, ac per hoc unus idemque Spiritus tam in Veteri quam in Novo est operator, ut charitas Dei et proximi repleat corda credentium. Sed ibi in tabulis lapideis, quia idem populus cor gerebat lapideum; hic vero in cordibus credentium, ubi Dei et proximi vera dilectio servatur. Quem nimirum Spiritum Dominus noster Jesus Christus semel dedit adhuc in terra consistens, et semel cœlo præsidens. Neque enim alio in loco datus aperte monstratur, nisi cum insufflatione in terra percipitur, et postmodum in linguis variis cum de cœlo veniens monstratur. Cur [b] ergo prius in terra, postmodum de cœlo discipulis mittitur, nisi quia duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei, et dilectio proximi ? Ergo prius in terra datur, [c] ut diligatur proximus, deinde de cœlo idem datur, ut diligatur Deus, ac per hoc sicut unus est Spiritus et duo data, ita una est charitas et duo præcepta.

CAPUT V.

Quod quatuor sint diligenda.

Quatuor ergo diligere ex ipso præcepto dilectionis debere comperimus : licet ad illam dilectionem Dei earum tria referantur, quia dilectio ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, omnes cogitationes, omnemque vitam et omnem intellectum ad se invitat, ut in Deum cuncta conferat homo, a quo habet ea ipsa quæ confert. Nullum enim a se rivulum duci extra patitur Deus, cujus derivatione ejus dilectio minuatur. Cum autem ait : *Ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute* (*Luc.* x, 27), nullam vitæ nostræ neque dilectionis partem reliquit, quæ vacare debeat : imo quidquid aliud diligendum venerit, quasi ex præcepto in animo illuc rapiatur necesse est, quo totus impetus et fons dilectionis manat ac currit. Tamen integra dilectio Christi, ut dixi, ad quatuor se extendit, unum scilicet quod supra nos est ; alterum, quod nos sumus ; tertium vero quod juxta nos est ; quartum, quod infra nos esse videtur. Porro de secundo et quarto in Scripturis sanctis nulla præcepta sunt data a Deo ; quia quantumlibet quisque aberret a veritate, nullus tamen [d] qui se et corpus suum quodammodo non diligat. Quamvis ergo fugax animus ab incommutabili bono, id tamen semper agit, ut ipse sibi quæ diligit et corpori suo paret. Unde nimirum non potest nisi se et corpus suum, licet male, diligere. Male ergo se diligit, quisquis sibi vult vindicare quod uni proprie debetur Deo ; quia talis dilectio melius odium quam charitas vocatur. Unde Propheta : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6). Et ideo restat, ut diligatur Deus ex toto sicuti summum bonum, quem quicunque diligit, mandata ejus custodit. Unde Dominus : *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate* (*Joh* XIV, 15). Porro mandata ejus, imo mandatum omnium mandatorum est, ut diligamus sicuti nosmet omnem proximum ; quia profecto in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ : alioquin supervacuum videretur ut se quisque et corpus suum diligeret, mandare ; quoniam id quod sumus secundum animam, et id quod infra nos secundum corpus ad nos pertinet, et inconcussa lege a natura diligimus. Quæ lex nimirum etiam in [e] bestias promulgata videtur. Et Scriptura dicit : *Quod carnem suam nemo unquam odio habuit*, sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam. Hinc ergo oportuit præcipere : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Luc.* x, 27). Deinde: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*. In quibus duobus præceptis tota lex pendere probatur et prophetæ. Quia nullum diligendarum rerum præceptum nisi duobus præmissum est ; præsertim cum præcedat dilectio Dei, ejusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita ut cætera in illud unum confluant. Porro de dilectione nostra nihil videtur dictum ; sed cum dicit : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, nihil prætermisisse videtur, sed simul in nobis nostra dilectio commendatur. Ergo integra nostra dilectio est, ut anima ad immortalitatem, ad beatitudinem in Deum diligatur, et corpus nostrum ad sanitatem, [f] ad incorruptionem, ad immortalitatem præparetur. Nam sicut integer homo ex anima constat et corpore, ita dilectio plena est, ut diligatur corpus proximi ut nostrum, et anima secundum Deum. Talis quippe dilectio infusio est Spiritus sancti ; quoniam *charitas Dei*, sicut dicit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per eumdem Spiritum sanctum* (*Rom.* v, 5), ut diligatur et proximus. Quæ nimirum charitas sursum, ac si ignis, semper anhelat, quia de supernis est. Nam et ignis iste visibilis illuc se [g] attollit, quo substantiam et originem habere dicitur. Sic itaque ignis iste dilectionis, quem

[a] Edit., *quæ*, sed melius *qua*.
[b] Edit., *cunctis ergo cur prius*, sed redundat *cunctis*.
[c] In edit. desideratur *ut diligatur proximus, deinde de cœlo idem datur*.
[d] Edit., *nullus tamen est, quo se*.
[e] Edit., *ad bestias*.
[f] Edit., *sanctitatem et incorruptionem et immortalitatem*.
[g] Edit., *illuc attollit*, omisso *se*.

Introdusă în format electronic de Google

venit Jesus mittere in terram, vultque ut ardeat, semper ad patriam festinans, quosque inflammaverit, illuc optat rapere, et ea quæ de supernis sunt semper diligere. Quod si dilectio est, non potest eum a quo est, et se in illo in quo est, non diligere, ac per hoc dum diligit eum a quo est, diligit et se, ut in ipso maneat in quo est. Quo nimirum fonte anima renata transit in Deum, non per immutationem substantiæ, sed per renascentiam affectus, ut ex toto diligat Deum : sed quia nonnunquam sæculi præpeditur oblectamentis, dicit in Canticis : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I, 3). Nec itaque quia diligit sola vult currere post eum quem diligit; vult enim ut et caro secum ad incorruptionem transeat, sicut Propheta canit : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* (*Psal.* LXII, 2.) Et dum integre se diligit homo in Deum, diligit et proximum secundum Deum. Et hæc est vera et integra charitas, ut diligat ex toto Deum non propter aliud, sed propter ipsum, quia incommutabile et summum bonum est; deinde proximum in Deum, et propter Deum, quatenus totus homo noster quam multipliciter sitiat ac desideret Deum.

CAPUT VI.

Quid sit proximus quem jubemur diligere.

Proximus noster omnis homo accipitur vel propter conditionem naturæ, vel propter efficientiam operis, vel compassionem misericordiæ. Nihil enim magis proximum, quam hoc esse quod nos sumus, et hoc velle quod nobis volumus. Unde Dominus volens nobis insinuare quid sit proximus, cuidam interroganti, *Et quis est meus proximus?* parabolam proposuit : *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho* (*Luc.* x, 29, 30), ac cætera quæ sequuntur : ubi inter cætera nullum proximiorem fuisse insinuat, quam qui curam ejus gessit, opusque misericordiæ circa eum impendit, in tantum, ut ipse [a] interrogatus ista fateatur : cui Dominus inquit : *Vade et tu fac similiter* (*Luc.* x, 37). Hinc quoque exhibendum est quidquid volendo, agendo, circa proximum, pietatis officio possumus, ut ille nobis proximus sit vicissim agendo, nosque illi etiam gratis opus misericordiæ impendendo. Sed nemo gratis id agit, qui propter Deum id agit ; quoniam ipse prior dilexit nos, ut diligamus eum, sicut quæ [b] de Spiritu suo, qui est charitas, dedit nobis, ut diligere possimus et ipsi, Spiritum sanctum. Quod si germanitas carnis habet aliquid germanitatis, multo magis adoptio filiorum Dei, quæ tota renascitur ex spiritu dilectionis ; et notandum quod nemo sine mercede retributionis diligit, idcirco nemo gratis diligit. Nam proximi nomen ad aliquid est, sicuti patris ac fratris, quia nemo nisi proximi proximus est, sicut nec filius aut frater nisi patris et fratris [c]. Idcirco si jure pater diligitur ille cœlestis, recte et proximus, et frater fratris, et [d] ipsi in eo, qui est cœlestis, cœlestes efficiamur. Nullus ergo exceptus est homo, cui misericordiam denegemus; quando etiam inimicos diligere jubemur. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* v, 44) [e]. Omnis enim homo, aut amicus, aut inimicus nobis probatur; idcirco nemo excipitur ab officio pietatis, quia dilectio proximi malum non operatur ; verum etiam præstantissimos ad omne opus bonum nos facit; unde plenitudo legis charitas appellatur. Manifestum igitur sub hoc præcepto, quo proximos diligere jubemur, etiam sanctos angelos contineri, a quibus nobis tantæ misericordiæ impenduntur officia, quanta in Scripturis sanctis animadvertere possumus ; quoniam secundum Apostolum [f] *ipsi administratores sunt eorum in ministerio positi, qui hæreditatem accepturi sunt salutis* (*Hebr.* I, 14). Quapropter jure [g] proximi censentur, qui nobis plurima misericordiæ opera impendunt, ex quo et Dominus noster, quia Samaritanus noster esse voluit, relictos nos a latronibus semivivos jacentes invenit : et quia medicinam salutis impendit, proximus factus est nobis, ad nos veniens per hoc quod caro factum est et habitavit in nobis. Hinc quoque Propheta : *Quasi proximum*, inquit, *et quasi fratrem nostrum, sic complacebam* (*Ps.* XXXIV, 14) : seu quoniam excellentior supra nos est divina natura, distincta est Dei dilectio a dilectione proximi : quoniam ipse sola sua bonitate præbet nobis opus misericordiæ, quia summum bonum est; nos vero nobis in invicem propter ipsius gratiam, ut in illo nos inveniamur, qui perditi eramus. Ille siquidem agit, ut eo perfruamur bono, quod ipse est, nos vero in invicem diligimus, ac miseremur nostri, ut perfruamur illo cui, culpis exigentibus, nobismet in invicem male abusi sumus.

CAPUT VII.

Quid fruendum quidve utendum sit.

Definitum quippe a sanctis Patribus est, quod aliæ sunt res, quibus frui, aliæ quibus uti, aliæ quibus simul frui et uti debemus. Illæ namque quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus est, eademque Trinitas, una et summa res communis omnibus ea fruentibus : si tamen res dicenda est, et non rerum omnium causa, necnon etsi causa præsertim, quia nullum nomen invenitur, quod tantæ conveniat excellentiæ majestatis, tamen dicitur Deus Trinitas unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus. Horum quoque singulus quisque Deus, et plena substantia, et simul omnes unus Deus et una substantia; quæ nimirum res fruendo beatos nos facit. Cæterum juvamur rebus quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem, quas omnimo nec amare, nec diligere debemus; sed his uti, ut ad illam substantiam,

[a] In edit. deest *ipse*.
[b] Editi, *quoque*.
[c] Editi, male, *filii*.
[d] Editi, *ut ipse*.
[e] In edit. omissum est *vos*.
[f] Edit., *ipsi administratore, sunt in ministerio positi eorum, qui*.
[g] In edit. deest *jure*.

Introdusă în format electronic de Google

qua nos beatos faciat [a] pervenire, atque ei inhærere possimus. Tertio loco nos sumus, qui fruimur et utimur, inter utrasque constituti. Idcirco nobis cavendum est, ne fruamur, quibus utendum est, ne forte præpediamur in via, ne veniamus ad patriam qua Deus perfecte fruendus est. Est enim frui dilectione perfecta, vel amore alicui ei propter seipsum inhærere, atque eamdem rem ex corde diligere : uti autem, quod in usum venit nostræ necessitatis, ad id quod diligimus, aut amamus obtinendum, si tamen amandum sit illud, profecto cum nihil propter seipsum, sed propter Deum amare debeamus ; quia summum bonum est ; et proximum, quia a summo ita constitutum est : alioquin usus illicitus potius abusio nominatur. Unde Apostolus : *Quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi* (*Jac.* IV, 4), id est his frui, quæ sæculi sunt, et diligere propter se, quia bona sunt, *inimicus Dei constituetur*. Bona sunt quidem recte utentibus ; sed abutentibus vere [b] in superbia valde [c] perniciosissima comprobantur. Porro recte utentibus sic sunt, quasi si aliquis peregrinando festinus ad patriam venire anhelet, onustus cibariis incedat, quibus nimirum prægravatus non propterea, quia diligit, sed his utendo ad illud [d] quo tendit pervenire possit, licet invitus utendo portat : alioquin quisquis ea quibus utitur fruendo diligit, miser illectus, atque a bono abstractus in via torpescit. Sed si animadvertes, nec se homo frui debet, quia nec semetipsum propter se, sed propter eum debet diligere, quo fruendum est. Alioquin non se refert ad Deum sed ad seipsum [e] conversus, jam cum defectu se fruendo miser remanet ; quia non ad beatitudinem erectus, sed ad miseriam depressus jacet. Unde si nec se homo quodammodo ad se conversus frui debet, quanto minus nihil aliud quid diligere ; sed eo uti debet ad necessitatem, quatenus illuc perveniat, quo fons dilectionis manat. Et ideo nemo se [f] applaudat, quilibet homo quamvis bonus, utrum propter seipsum diligere debeamus ; quinimo in Domino, vel propter Dominum, ut ad Dominum tota dilectio nostra referatur, ut in illo nos in invicem diligamus, in quo, et ex quo beati esse possimus alias [g] autem beatus apostolus Paulus Philemoni : *Ego*, inquit, *te, frater, fruar in Domino* (*Phil.* XX), nisi addidisset *in Domino*, videretur eum propter seipsum diligere. Sed doctor egregius in illo eum diligere optat, illoque frui, in quo eorum uterque beati esse possent. Quapropter diligamus Deum, non propter aliud, sed propter seipsum ; quia summum bonum est, ex toto corde et ex tota anima, et ex tota mente nostra. Nullaque res fit, qua frui, nisi illo debeamus. Hinc restat, ut tota dilectio nostra illuc se rapiat, ubi summum bonum est, rebusque illis fruamur, quibus beati esse possumus, ne forte abtamur licitis in superbiam, et miseria in quibusque remaneamus. Ergo nobismet et proximis fruamur, sed in illo [h], ut secundum illum, et propter illum nosmet in invicem diligamus, non quales nunc sumus, sed quales futuri esse credimur, ut tales illi summo et incommutabili bono nosmet meliorando quotidie in via, quæ Christus est, ambulando semper inhæreamus. Deinde cæteris rebus nec frui, sed uti debemus. Quarumque [i] usum ad ejus gratiam referre, quem diligimus ; et ista est vera dilectionis regula, ut diligatur Deus ex toto propter seipsum, quia nihil illo melius, nec sine illo boni quidpiam invenitur. Deinde diligatur proximus, sicut seipsum, homo secundum Deum, et propter Deum diligit. Nemo est igitur qui ex toto jam perfectus inveniatur ; sed in quantum secundum Deum se perfecte credit vivere, diligat se homo, in illo ut permaneat : in quantum vero peccator est, diligat se propter Deum, ut perveniat ad perfectionem et gratiam, ut totus et integer homo incommutabilis quodammodo, atque incorruptibilis perseveret. Ad hoc quippe et proximum debemus diligere ; sed quia nemo tam bonus in hac vita, qui mali quidpiam aliquid non admittat ; nemo tam malus, qui boni aliquid non habeat, sic diligendi sunt hinc inde in Christo proximi, ut malitia exuti ad eum omnes perveniant præsciti, et prædestinati per gratiam, sintque ut angeli in cœlo, fruendo claritate loci, semper beati, et in laude Christi gloriosi.

CAPUT VIII.

De ordine charitatis.

Legimus in Canticis sponsam gloriantem, ubi ait : *Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem* (*Cant.* I, 3). Quod nimirum magnæ laudis est, magnæque dilectionis affectus, dum inquit : *Ordinavit in me charitatem ;* alioquin, nisi ordinata sit charitas, omnino vera esse non poterit, vel perfecta ; quia ille juste et sancte vivit, qui de singulis quæ sunt, prout sunt, juste sentit, eaque quomodo diligenda sunt diligit, vel quomodo his utendum utitur. Nam ipse ordinatam habet charitatem, qui aut diligit quod diligendum est, aut omnino non diligit quod diligendum non est, neque minus diligit quod est amplius diligendum, nec plus quod utique minus diligendum esse cognoscitur ; sed æquissime diligit quod minus vel quod amplius diligendum est : anhelat quoque ne aut minus vel amplius de his amando sentiat, quæ debet [j] æquissime diligere, ut puta omnis peccator in quantum peccator est, non est utique diligendus ; omnis vero homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum : et omnia membra Christi, in quantum membra sunt, diligenda sunt in Deum, quia membra Christi sunt : Deus vero pro-

[a] Edit., *facit.*
[b] In edit. deest *vere.*
[c] Item *valde* desideratur.
[d] Edit., *ad aliud.*
[e] Edit., *ad ipsum.*
[f] Edit., *sibi* [*applaudat quamvis bonus*, omisso *quilibet homo.*
[g] Edit., *aliud.*
[h] Edit., *sed in Domino.*
[i] Edit., *Earumque.*
[j] Edit., *decet.*

Introdusă în format electronic de Google

pter seipsum, quia summum bonum est utique ex toto diligendus est; unde si Deus omni homine amplius diligendus est, unusquisque nostrorum vere amplius Deum diligere debet, quam seipsum; id est plus quam animam suam; quia qui diligit animam suam plus quam Deum, non est illo dignus; unde sancti martyres plus Deum dilexere [a] quam seipsos: idcirco deposuerunt corpora mortalia, tradentes animas suas, ut eas in vitam, juxta promissum Dei, invenirent æternam. Deinde amplius homo alius diligendus est, quam corpus nostrum; quia secundum interiorem hominem anima ejus ita diligenda est, ut anima nostra. Tamen ita omnia propter Deum et in Deo diligenda sunt plus quam corpus; quia potest nobiscum homo interior Deo perfrui; quod non potest corpus. Corpus namque per animam vivit, qua fruimur Deo, et ideo animam proximi secundum interiorem hominem diligamus ut nostram; et corpus ad incorruptionem, sicut et nostrum. Constat igitur quod omnes æque sint diligendi; sed cum [b] omnibus prodesse non possumus, his potissimum consulere debemus, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet opportunitate rerum nobis constrictius quasi quadam sorte junguntur. Nam et ignis iste corporeus magis eos tam calore quam et lumine tangit, quos proximiores esse constiterit; sed ignis iste dilectionis omnes in Christo vel propter Christum amplectitur, præsentes absentesve, dum et propter delinquentes gemit, et propter sanctos Deum [c] laudare meminit, cum quibus et in quibus se participem lætatur. Tunc Patrem simul cum eisdem invocat, dicens: *Pater noster, qui es in cælis.* Quis enim de tanta adoptione non gaudeat? quis de tanta germanitate ubique diffusa congratuletur? sed inter omnes qui fruuntur nobiscum Deo, partim eos diligimus, quos ipsi adjuvamus; partim a quibus adjuvamur, partim quorum indigemus præsidio, eorumque [d] indigentiæ subvenimus, partim quibus nec ipsi conferimus aliquid utilitatis, nec ab eis, ut nobis conferatur, attendimus. Et omnes tamen diligere debemus, ut et nobiscum diligant et velle orare ac desiderare; idcirco omnis dilectio nostra in invicem ad unum illum finem referenda est, ut omnes fruantur Deo, et nobismet in Deo, licet interdum utamur proximis sicuti et ipsi nostris in invicem utuntur suffragiis. Utimur autem eorum temporalibus præsidiis, fruimur vero eisdem in Domino, secundum interiorem hominem, ut omnes renovemur in agnitione filii Dei, et reformemur ad imaginem gloriæ claritatis [e] suæ. Quibus nimirum sponsa inebriata poculis exsultat dicens: *Introduxit me rex in cellam vinariam* (*Cant.* I, 3). Ista sunt namque pocula charitatis Christi, quibus transmutamur ad formam incorruptibilis Dei; quoniam Deus charitas est, ut per charitatem diligamus (ut ita dicam) eamdem charitatem quæ Deus est, ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute; deinde proximos sicut nosmet, ut quod nobis volumus fieri, faciamus et aliis, et quod nolumus nobis, non irrogemus ulli. Ista namque est ordinata charitas, iste est ignis ille perpetuus, quem venit Jesus mittere in terram vultque, ut ardeat. Ista est eminentior via quam demonstrat Apostolus, sine qua nihil proficit, contra quam nihil valet; quoniam ita est ut mors inexpugnabilis fortitudo charitatis; quam profecto quisque charitatem debet nutrire, Dei implendo mandata, ut cuncta quæ agimus hoc igne crementur in conspectu divinæ majestatis, quatenus accepta fiant Deo. His itaque anima renata affectibus fit holocaustum, Deo exhibens corpus, quod vivificatur ab ea [f], hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, et fit rationabile obsequium nostrum, profecto, quia charitas ordinata prius per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffusa jugiter aspiratur.

CAPUT IX.

Quid sit initium charitatis, quidve perfectio.

Nemo igitur continuo fit summus: et ideo quærendum est principium charitatis, ut ad ejus perfectionem, Deo inspirante, venire possimus. Nam officium ejus nihil aliud est quam diligere, et diligendo mandata Christi adimplere. Principium vero ejus ab his incipit rebus (licet intus [g] vivificentur) quæ foris sunt; quoniam sicut clamat Apostolus: Qui habuerit substantiam hujus mundi, et clauserit viscera misericordiæ, ne indigentibus largiatur, non dico charitatem, sed nec principium habere putatur dilectionis. Dicit enim ita: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, videritque fratrem suum necessitatem habere patientem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo?* (*I Joan.* III, 17.) Ac sic patenter dicat: Quomodo diligere poterit intrinsecus qui ea quæ extrinsecus sunt non impendit? clausa quippe viscera manare non sinunt pietatem ad proximum; dum se et res transitorias plus diligit quam proximum. Quomodo ergo dare poterit, quod præcisum dolet, quando id non impendit quod omnino extrinsecus amissum non dolet? Constat igitur esse principium charitatis atque indicium [h], si proximo non negemus, quod sine dolore amittimus, et superfluo possidemus; deinde ut officiose quæcunque possumus beneficia actu impendamus: alioquin dilectio, quæ videtur esse, dum torpet clausis visceribus, non est dilectio, dum negat proximo, quod nec præcisum dolet. Ergo aperiantur viscera, ut habeat principium, et quæ hujus mundi sunt saltem proximo non negentur; quoniam hæc omnia communiter data noscuntur. Unde Dominus inquit: *Quod si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est*

[a] Editi, *diligere.*
[b] Edit., *sed tamen dum omnibus.*
[c] In editis desideratur *Deum.*
[d] Edit., *quorumque.*
[e] Edit., *charitatis suæ.*
[f] Edit., *ab eo.*
[g] Edit., *licet Deus vivificet.*
[h] Edit., *initium.*

Introdusă în format electronic de Google

quis dabit vobis? (*Luc.* XVI, 12.) aliena quippe sunt in nobis, quæ hujus mundi sunt, licet in usu data sunt : idcirco proximis, quod omnibus in commune datum est, negare non debemus. Quod si foris negamus quod alterius est, intus clausis visceribus amittimus quod nostrum est sed quia principium charitatis esse diximus, substantiam hujus mundi largiri liberalissime proximis, quærendum est quid sit quod ait Apostolus : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 3). Fortassis ergo aliquis dare potest facultates suas sine dilectione pauperibus, aut corpus tradere pro aliquo [a] negotio ita ut ardeat, sed certissimum quod sine charitate nihil prodest. Porro, ut dixi, charitatis officium est diligere; unde quidquid sine dilectione agitur Dei et proximi, nihil prodest. Nam dilectio proximi germanitatem servat, germanitas autem in adoptionem transit, adoptio vero per gratiam filios Dei nos efficit. Hinc quoque quia fratres et filii uni [b] Patrifamilias sumus, hæreditas cœlestis fide et substantia hujus mundi communis nobis est. Sic ergo largire [c] debemus proximis, quasi cohæredibus, et quod eorum est singulis non negare ; quia secundum Apostolum, nihil aliud debere debemus, nisi ut invicem diligamus. Hinc quoque *charitas non inflatur*, *non est ambitiosa*, *non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* XIII, 5); qui profecto novit jus naturæ, et hæreditatis ac gratiæ consortium. Sic itaque singulis quæ hujus mundi sunt largire [d] satagit quasi debitum; quia non sua sunt quæ hujus mundi sunt; sed illa charitatis propria noscuntur, quæ æterna sunt. Illa namque debentur in via, quæ hujus sæculi sunt ad usum itineris. Cæterum illa ad perpetuitatem et æternitatem quibus fruamur, prædicanda, exoranda sunt proximis, quia nobis propria, largiente Domino, per gratiam jam facta sunt. Unde seu substantiam proximo præstemus, seu officium misericordiæ agamus, seu bona exoremus, seu cœlestia prædicemus; liberalissime mandat Apostolus : *Nihil aliud debemus, nisi ut invicem diligamus.* Dilectio quippe sola pro debito est, quam quotidie solvendo debemus, ut debendo persolvamus : sed quidquid possumus, proximis non negemus; alioquin quisquis claudit viscera pietatis proximo, nec initium charitatis habere cognoscitur, quomodo ergo animam dare pro amicis potest, qui nec substantiam impartiri gaudet? Nam sicut Dominus ait : *Majorem charitatem nemo habet*, *quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13). Et hæc nimirum est charitas, quæ foras mittit omnem timorem, qua charitate sancti perfusi non timuerunt omnino mori pro Christo, ut et amici Dei sint appellati : sed quia in charitate omnia pendunt [e] mandata, et varia sunt circa Deum et proximum ejus negotia, varius est et ordo beatorum, multæque mansiones in regno cœlorum : alii namque sunt qui substantiam mundi possident, et proximis largire [f] contendunt, alii qui cuncta relinquentes, et non solum corpus, sed etiam animam pro Deo et proximis tradunt, omniaque quæcunque possunt, pro communi salute gerunt, adeo ut unus in Veteri Testamento deleri se optat [g] pro fratribus de libro vitæ; alter vero in novo anathema fieri gaudet [h]. Unde liquido constat, quod nunquam charitas excidet, licet timidis et incredulis quæ dicimus difficilia videantur. Cæterum iis qui præsciti et prædestinati sunt conformes fieri imaginis Filii Dei, cuncta videntur levia, quibus nec substantia mundo in mente est; nec labor aliquid esse; quia spiritu Dei aguntur, ex quo renati, et filii sunt [i] Dei appellati. Unde habeat quisque saltem initium charitatis, quatenus bona sæculi proximis impendat pro viatico, Christi amore ductus : fide charitateque succensus flagret, ut audiat a Domino : *Quod uni ex minimis istis fecisti*, *mihi fecisti* (*Matth.* XXV, 40). Festinet opus misericordiæ instanter operibus exhibere; quoniam labor omnia vincit, ut sibi ex proximo gaudeat in omnibus subvenire, ac per hoc ad ultimum, si res ita decreverit, animam ponere non metuat pro fratribus, et amicis, ut illa comprobetur charitas, qua nulla est major inter proximos. Varia quippe sunt dona, varius labor, varius et ordo meritorum. Unde Propheta : *Astitit regina*, inquit, *in vestitu deaurato circumdata varietate* (*Psal.* XLIV, 10) : sed sicut felicior est, qui ponit animam pro amicis suis, ita et infelix nimium [j], qui claudit viscera pietatis proximo, ne indigenti subveniat; quoniam talis quilibet in tenebris et umbra mortis manet.

CAPUT X.

Quomodo diligat nos Deus? ut fruatur nobis, an ut utatur?

Manifestum est ergo ex divinis Scripturarum sacramentis, quod multum nos diligat Deus, qui proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit eum. Quod nisi diligeret, cum inimici essemus, non nos sibi reconciliaret per mortem Filii sui, ut de inimicis non solum amici, verum etiam filii essemus : sed si fruitur bono nostro, cum jam adoptati sumus, videtur agere, quod nemo sani capitis homo dixerit; profecto quia omne bonum nostrum, aut ab ipso, aut ipse est. Hinc quoque liquet nullius egere bono; quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso, non solum bonum nostrum subsistit, verum et omnium, angelorum : unde propheta conversus ad eum implorat dicens : *Conserva me*, *Domine*,

[a] Edit., *alio.*
[b] Edit., *unius patrisfamilias.*
[c] Edit., *largiri.*
[d] Edit., *largiri.*
[e] Edit., *pendent.*
[f] Edit., *largiri.*
[g] Edit., *optet.*
[h] Edit., *gaudeat.*
[i] In editis deest *sunt.*
[j] Edit., *nimirum.*

Introdusă în format electronic de Google

quoniam speravi in te. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges (*Ps.* xv, 1, 2); ac si patenter dicat : Idcirco totam spem meam in te posui, quia summum bonum tu es; alioquin si ullius egeres bono, utique Deus non esses. Modo quia bonorum meorum non eges, nec ullius alterius bono egere probaris, obsecro, conserva me, ut permaneam bonus. Unde liquet quod non fruitur nobis Deus, sed utitur; alias autem, si nec fruitur, nec utitur, non patet quomodo nos diligat Veritas. Verumtamen non ita ut nos utimur rebus, quia nos res quibus utimur ad id referimus quo bonitate Dei fruamur. Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert, quia malis nostris bene utitur; quoniam ipse summa bonitas est, sicuti et summus Deus, et summa charitas. Nam et nos in quantum ab ipso sumus, vere boni sumus. Idcirco, quia ipse justus est, non impune mali sumus. Ergo ille usus Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram refertur utilitatem, et ad ejus tantummodo bonitatem. Nos vero cum subvenimus cuilibet miserendo, ad ejus id facimus [a] utilitatem cujus miseremur, et ad nostri mercedem cum miseremur; quæ nimirum merces summa est, ut fruamur Deo; deinde qui illo fruimur, ut nobismet in invicem perfruamur in ipso diligendo deposcimus : alioquin, si dilectionem nostram in nobismet tantum ponimus, remanemus in via, quia spem beatitudinis nostræ in angelo aut in homine quamvis sancto posuimus. Omnis igitur dilectio nostra ad eum referenda est, ex quo et per quem, et in quo solummodo boni esse possumus; quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat, Deus. Quapropter cum homine frueris in Deo, Deo potius frueris quam [b] homine. Illo enim frueris quo beatus efficeris, et ad eum te pervenisse gaudebis per dilectionem amoris, quo spem tuam posueras. Dicunt [c] tamen frui posse, cum aliqua utimur delectatione; quam nimirum delectationem nobiscum gerimus : sed si referimus eamdem delectationem ad illud summum bonum, ubi permanendum est, ut delectemur in illo, jam non fruitio proprie potest dici, sed usus, quo nosmet in [d] invicem diligimus; quia dilectio nostra ad illum refertur, cui ex toto adhærere gaudemus, et in quo finem lætitiæ nostræ posuimus. Nam et Christus verbum Patris initium viarum Dei appellatur, ut ab illo inciperent omnes, qui vellent venire ad Deum; quoniam ipse est Deus. Sed sicut ait Apostolus, *Si noveramus Christum secundum carnem, jam non novimus*, profecto quia secundum carnem viam se voluit præbere venientibus, ad principium viarum [e] congruit transire, ut perveniat ad vitam et veritatem qua permaneant beati. Unde Apostolus, quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante sunt se extendit; quia jam principium viarum Dei transierat, non indigens eo a quo aggrediendum et exordiendum est omnibus, qui ad vitam et veritatem optant venire et in Christo permanere. Ex quo colligitur quod nulla res in via nos debeat retinere, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluit; sed transire, ne rebus temporalibus, quamvis pro salute nostra ab illo susceptis et gestis hæreamus infirmiter; sed per easdem potius curramus, ut præmisi, alacriter, ut ad eum pervenire possimus, qui formam servi suscepit, nostramque naturam ad dexteram Patris collocavit.

CAPUT XI.

De nutrienda charitate.

Nutrienda ergo charitas est, etsi de cœlo credatur data, quia ignis iste perpetuus est. Unde et in Levitico jussum legimus de igne illo cœlesti per singulos dies a sacerdote ut nutriatur. Quia profecto non licebat in sacrificio Domini alienum ignem offerre, ne forte, sicut Nadab et Abiu, periret qui obtulisset; sed supponebant per singulos dies mane et vespere lignum in pabulum ignis, ut nutriretur, et esset semper in altari perpetuus. Ipse namque est ignis ille quem venit Jesus mittere in terram, et vult ut ardeat; idcirco quærendum quibus alimentis charitas nutriatur, qua amantur quæ sempiterna sunt et proximus, ut ad ea proficiat quæ semper idem sunt. Deus igitur et proximus unde amantur, charitas proprie dicitur, nec ultra procedit; sed tunc consummata ac purgatissima est, si nihil aliud amatur. Hanc quippe, ut diximus, et dilectionem dici placuit; sed tunc recta est, cum Deus magis diligitur quam animus, ut malit homo Dei esse quam suus, et secundum voluntatem Dei cunctos animi motus dirigere; deinde officia carnis acie mentis suæ subjicere : ita ut nihil aliud quam Deum et proximum secundum Dei voluntatem diligat. Charitatis vero venenum rerum temporalium est cupiditas. Nutrimentum ergo ejus imminutio cupiditatis; deinde perfectio nulla cupiditas, quia radix omnium malorum sola cupiditas prædicatur. Quisquis igitur charitatem nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus, gloriam vitæ præsentis fugere, voluntatemque propriam abnegare. Est autem cupiditas amor adipiscendi aut obtinendi carnis præsentisque vitæ oblectamenta. Hujus initium minuendæ [f] est Deum timere, sicut scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Ps.* cx, 10). His anima initiata gradibus, restat ut ad sapientiam pertingat, quatenus pro sempiternis omnia quæ in hoc mundo bona putantur et mala contemnat. De promissionibus quoque sanctorum et certaminibus nemo desperet. Placendi ergo gratia nihil anima nisi secundum Deum agat; sed quia in hoc itinere charitatis, quanta pericula quantæque difficultates occurrant, non est disserendi nunc ratio proposita; sed quibus

[a] Edit., *faciamus*.
[b] Edit., *cum homine*.
[c] Edit., *dicendum*.
[d] Edit., *invicem*, omisso *in*.
[e] Editor addidit *ad quod hominibus*.
[f] Edit., *minuendi*.

Introdusă în format electronic de Google

nutriatur charitas initiis, veritas requirenda : restat ut dilectio Christi plenissime mandatorum ejus præcepta intendat, sicut discipulis suis ipse auctor Veritas ait : *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate* (*Joan.* XIV, 15); observatio ergo mandatorum Dei adimpletio est charitatis; sed in ipsa eademque charitate per fidem ambulamus, a qua incipimus; alioquin infirmante fide charitas languescit; quia quotiescunque Scripturarum sanctarum in mente vacillat auctoritas, fides titubat, unde cum fides ceciderit, etiam quisque a charitate cadit continuo. Non enim potest diligere, quod esse non credit; idcirco Scripturæ sanctæ diligentius scrutandæ sunt et plenius credendæ, ut fides sancta succrescat, et præcepta Dei copiosius intelligantur. Quisquis igitur Scripturas sanctas vel quamlibet partem earum intellexisse se putat, ita ut eo intellectu [a] fidem et geminam charitatem Dei et proximi non ædificet, nondum omnino intellexit. Et si ex ipsis Dei Scripturis jam fidem percepit, et diligit, bene agendo efficit, ut etiam speret ad id quod diligit pervenire. Itaque tria hæc sunt, quibus omnis scientia et prophetia militat in hac vita. Sed fidei succedit species [b] olim credita, quam videbimus sicuti est; spei vero succedit beatitudo ipsa ad quam perventuri sumus : charitas autem istis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quæ nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus! Et si amando speramus quo nondum pervenimus, quanto magis cum perventum fuerit! quoniam præsentis vitæ bona, sicut cum non habentur in desiderio sunt, ita profecto habita mox vertuntur in fastidium : cœlestia vero et sempiterna, e contrario, cum non habentur, fastidio sunt, et cum percipiuntur, magno in desiderio. Sed interdum quia per fidem, qualia sunt creduntur, in spe jam, quia donata sunt nobis, habentur; habita vero diliguntur et prægustantur. Pro quorum dilectione omnia præsentis vitæ non minus prospera quam adversa contemnuntur, tantum ut illa adipiscantur. Omnium ergo virtutum instrumentis utitur charitas, et ipsa sunt ligna quæ supponuntur in pabulum Dominici ignis, ut nutriatur in altari. Altare ergo illud Dominicum corpus est, Deo Patri satis placabile, in quo cuncta offerimus vota, et charitatis igne cremantur. Alioquin ignem alienum qui obtulerit, concupiscentiam scilicet carnis, cum Nadab et Abiu peribit; quia ignis iste cœlestis est, et non aliunde; neque alibi quam ex virtutibus et in Christo nutritur. Mane igitur ac vespere ligna supponuntur in pabulum sanctæ charitatis, ut ardeat jugiter in altari, quando per charitatem reliquæ virtutes operantur. Sin alias exstinguitur, quia charitas nunquam est otiosa. Suppositis ergo virtutibus ardet in Christo, et tunc demum omnia nostra, vota hoc igne concremata, fiunt accepta Deo. *Finis*, ait Apostolus, *præcepti, charitas de corde puro et conscientia non ficta* (*I Tim.* I, 5). *De corde*, inquit, *puro*, ut nihil aliud quam id quod diligendum est diligatur: *et conscientia non ficta*, quatenus spes in nullo confundatur erroris naufragio. Omnium ergo Scripturarum intellectus ad ista tria refertur; quoniam quidquid est quod in divinis legimus litteris, his tribus comprehenditur donis, et in his omnium Scripturarum terminatur finis. Et nisi propter eruditionem aliorum, his adeptis ad plenum, Scriptura sancta necessaria non esset. Unde ut nutriatur charitas, sæculi amicitia et cupiditas carnis appellantur primum; deinde supponantur jugiter ligna virtutum, circa Deum et proximum ut ardeat; quoniam quisquis venenum ejus primum a se non expulerit, non dico perfectionem charitatis, verum nec initium habet.

CAPUT XII.

De differentia charitatis, utrum sit aliqua eorum qui primam fidem custodiunt, et qui post lapsus ad pœnitentiam redeunt.

1. Hinc sane per Jeremiam Dominus ad Hierusalem : *Recordatus sum tui*, inquit, *miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto* (*Jer.* II, 2). Et deinceps : *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus* (*Ibid.*, 3). Quibus profecto verbis gloriosiorem insinuat charitatem circa perseverantem animam, cujus adolescentiam miserans Dominus etiam cum lapsa fuerit amorem desponsationis ejus recordatur. Tenera quidem, et dulcis est charitas virginalis, præcipue in spiritalibus, ubi sola dilectione sponsus et anima fœderantur. Comparatur enim anima sancta primitiis frugum quæ Domino consecrantur; et ideo a sponso tam tenere diligitur virginitas, ut sequantur agnum, quicunque eam integram illibatamque servaverint, quocunque ierit. Alioquin animæ quæ corruerit per Joelem dicitur : *Lamentare ad me super sponsam præcinctam sacco in virum ejus virginalem* (*Joel.* I, 8), dolens eam, eo quod de tam bonis decidisset meritis; ita ut odia contraheret, pro flagitiis habens offendicula delictorum. Hortatur ergo, imo mandat sponsus apud se pro ea lamenta fundere, vel etiam ipsam plangere animam; unde et nostra interpretatio *plange* habet, *quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ*. Utique quia pro maleficiis jam sponsus virginalis Christus abscesserat ab ea qui dixit : *Sponsabo te mihi in fide, in justitia et misericordia* (*Ose.* II, 19). Sed quia primam desponsationis fidem irritam fecit, et sanguinem testamenti pollutum duxit, jubetur plangere accincta sacco, super virum pubertatis suæ, quoniam ablatus est ei. Jam enim non est mollis et tenera, idcirco debet plangere præcincta sacco; alioquin si fœdus virginitatis servasset, nec lugeret, nec ab ea sponsus recessisset. Hinc Dominus in Evangelio : *Non possunt*, inquit, *lugere filii sponsi, quandiu cum illis sponsus est : veniet autem tempus cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt ac lugebunt* (*Marc.* II, 19). Habet itaque anima lætitiam et exsultationem suam, quandiu cum ea Christus est; quia dies sunt epularum, et refectionis ac gaudii. Suscepit enim fœdus perpe

[a] Edit., *eo intellecto*.

[b] Editi, *spes*.

Introdusă în format electronic de Google

tuum a Deo, idcirco deliciis affluit; fruitur cœlestium alimentorum copiis, inebriatur vino quo corda sanctorum lætificantur; sed posteaquam sponsum factis amisit suis, jubetur in cilicio peccatorum suorum agere pœnitentiam, et deflere semetipsam [a], quia perdidit virum, et sprevit eam sponsus propter fœditates ejus, qui non solum dilexerat illam gratis, verum crucifixus est pro ea. Unde et a principio anima [b] cujusque virginalem vitæ suæ florem de fonte Christo dicavit [c]; sed cum ad ignominias hujus sæculi se divertit, neglecto fidei suæ pacto, mox virginitatis suæ sponsum perdidit, et diabolo suisque pravis operibus se miscuit, cui renuntiaverat prius.

2. Tamen misericors Dominus nec sic deserit animam pravis constupratam flagitiis, cum per Jeremiam increpat dicens: *Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere. Ergo amodo saltem voca me: Pater meus es tu, dux virginitatis meæ tu es* (*Jer.* III, 3, 4) Et, bene inquit, *dux virginitatis meæ*, quia quandiu virgo voluit permanere anima, fœdere servato amoris, ducem habuit Christum; quo relicto, cœpit per prærupta gradi, et ad ima corruere. Igitur quomodo mulier, si contemnat virum, sic contempsit infelix Dominum; quapropter revocans eam Dominus per prophetam: *Nunquid irasceris*, inquit, *in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti* (*Jer.* V, 6). Multis interea modis utitur sermo divinus ut miseram compescat animam a suis flagitiis; sed felices qui charitatem primam custodiunt, ne fœdus fidei irrumpant; aliter autem, nisi esset prima gloriosior a principio conservata, nequaquam Spiritus sanctus in Apocalypsi per Joannem angelo Ephesi Ecclesiæ scriberet inter cætera: *Sed habeo adversus te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti* (*Apoc.* II, 4). Hæc enim prima ideo dicitur, quia altera vel quia sit ipsa primordialis, quando Spiritu sancto in fonte refundimur, et præcipua. *Memor esto*, inquit, *unde excideris et age pœnitentiam* (*Ibid.*, 5). Profecto, quia nemo recte pœnitet, nisi prius intelligat excellentiam charitatis, et gratiam quam amisit, quove pervenerit, ut portet confusionis suæ ignominiam, et respiret ad ea quæ amisit. Sic demum *priora*, inquit, *opera tua fac*. Et quæ sunt opera priora, nisi dilectionis, ut servet omnia mandata? Quæ nimirum opera charitatis intelliguntur; imo ipsa charitas; sed propter ignominiam sordis [d] tantum opera dicuntur, immutato nomine, etsi priora sint, ut sit aliqua distinctio eorum qui permanserunt, vel qui naufragaverunt a fide dilectionis Christi; verumtamen etsi multi deinceps plus diligunt, tacetur de gloria interdum, tacetur et de specie pulchritudinis, solummodo legimus de Maria, quod *dimissa sint ei peccata multa, quia dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Ex quo patet, quod [e] charitas animarum quasi alter baptismus est. Et si est in mente unde cecidimus, ut quid priora opera agere jubemur, nisi ut per eam charitatem ad ea redeamus, a quibus prius decidimus?

3. Sed tam multum distat inter primam et corruptam animæ charitatem, atque inter eam, quamvis et ipsa sit una eademque charitas, quæ post lapsum animæ reformatur; quandoquidem nec speciosa videtur anima, quæ suis defuscatur criminibus, etsi multum diligat Deum; quia sicut quidam audenter ait: Cum Deo loquor; cum Deus omnia possit, suscitare virginem quamlibet corruptam non potest post ruinam. Potest quidem liberare a pœna, sed non valet coronare corruptam. Quæ nimirum [f] sententia satis formidolosa probatur, si forte vera convincitur; præsertim cum legimus, Afram et alias quamplurimas martyrio coronatas. Unde aut de corona virginitatis solum intelligendum, aut certe aliter legendum, quam nostri codices habeant, ut sit sensus quod non valeat coronare incorruptam. Manet enim facti causa, etsi corona tribuitur pro ardore deinceps magnæ dilectionis. Legitur ergo: *Virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam* (*Amos* I, 2). Non ita tamen intelligendum quod nullus sit, sed dolentis affectum et implorantis Dei auxilium [g], quod nemo nisi Deus prostitutam possit reerigere, idemque ipse ab ea quæ ceciderat, peccatis intervenientibus, erat prohibitus ne fieret suo justo judicio, quod posset per potentiam. Alioquin quomodo *gaudium est in cœlo*, Domino attestante, *super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 7), si nemo de ruina potest redire ad gloriam? Quod si Spiritus sanctus igne charitatis ita inflammaverit animam cujusquam [h] sceleribus prostitutam, ut numerosiora virtutum opera seu præstantiora faciat quam fecisset divinitus inspirata. Et quis est qui æstimat, ubi tanta Dei superabundat gratia, quamvis prius abundarent delicta, qui gratiam dedit, quod non possit recompensare laboribus mercedem? Tamen adeo non est speciosa charitas in anima laborantis, quæ tantam portat confusionem ob recordationem, et pristinæ disrupta charitatis fœdera. Unde etsi magis jam flagrat in animo ardore dilectionis, jure [i] dolet pro confusione sui reatus. Hinc ergo cujusque recte se plangentis anima sibi sordet per culpam, quæ jam Deo redolet per veniam. Illinc æstuat apud sponsum amore dilectionis justis bonisque operibus jugiter satisfacere: hinc suis obfuscatur flagitiis; illinc suis rebaptizatur lacrymis; hinc tenebricatur peccatorum suorum aspectibus; illinc resplendet gratia Dei respersa, et virtutum muneribus. Hinc tristis, quod cicatrices suorum vulnerum vel facti

[a] Edit., *seipsam*.
[b] Edit., male, *animam*.
[c] Edit., *ditavit*.
[d] Edit., *cordis*.
[e] Edit., *quia*.
[f] Edit., *quæ quidem sententia*.
[g] Editor addit *innuit*.
[h] Edit., *cujusque*.
[i] Edit., *etiam dolet*, omisso *jure*.

Introdusă în format electronic de Google

sui causa maneat; illinc læta, quod jam per charitatem ad amplexus prioris viri redeat. Plus igitur gratulabunda de venia quam tristis de culpa; quæ discessit, festinat ad immensa gaudia quandoque perventura, cum mors absorpta fuerit in victoria. Interdum tamen [a], sicut propheta monet, accingitur cilicio, et conspergitur cinere, planctuque amaro, quia peccavit Domino, quotidie majori innovata amore dupliciter vulneratur. Talis igitur charitas, quia squalida et respersa confusionis amaritudine, quasi secunda dicitur, eo quod non est pulchra aspectu, ut Rachel, in qua renitet principium visionis; sed lippet oculis obfuscatis caligine peccati. Tamen quia multa donata sunt ei, merito plus diligit, et diligendo plurimos quam Rachel filios facit. Gratias Deo, quia utraque uxor et fecunditate jam recompensatur despecta [b] quidquid in ejus pulchritudine minuitur. Hinc igitur et per Jeremiam hortatur post ruinas : *Saltem amodo voca me vir meus* (*Jer.* III, 4), quamvis esset prius repudiata. Et Lia cum peperisset primum, gloriatur quod respecta sit humilitas ejus a Deo; deinde quod illam Dominus viderit [c] haberi contemptui; ac sic cum peperisset tertium : *Nunc*, inquit, *copulabitur mihi maritus meus* (*Gen.* XXIX, 34), eo quod pepererim illi tres filios. Et tu igitur, anima, licet laboriosis insistas operibus, festina virtutum adimplere numerum, quatenus amare possit te sponsus, et rursus recopulari, qui prius te despexerat ob fœditatem tui sceleris, donec ex te pura nascatur dilectionis confessio. Satage dotari dote bona, ut tecum semper sit per charitatem sponsus tuus, comparetque te cum sorore quæ mansit pulchra aspectibus, ut quidquid in te fœdavit corruptionis macula, totum recompenses virtutum ex prole.

CAPUT XIII.

De eo quod Apostolus supereminentem viam Corinthiis insinuat charitatem.

1. *Adhuc*, inquit Apostolus, cum charismatum dona dinumerasset, *supereminentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII, 31). Deinde : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et norerim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 1-3). Tria quidem proposuit : linguas primum angelorum et hominum, ut nihil prodesse insinuet loquenti quidquid sine charitate ore profertur; sed sicut æs, aut cymbalum [d] sunt pulsantis, ita qui linguis, sibimet nihil prosunt, sed vacui in A se sunt sine sensu. Deinde prophetia, seu scientiæ dotibus qui pollent, [•] aut mysteria norunt; jam introrsus aliquid habent, sed nihil sunt; quia istis omnibus inflati, charitate sola, quæ ædificat, intus carent. Cæterum si sint officiosi, et in cibos pauperum cuncta distribuant, et si tradiderint sine charitate corpus, ut ardeat, nihil prodest; quia nullum est sacrificium Deo acceptum, quod non igne crematur charitatis. Deus igitur charitas est, et quidquid sine charitate offertur mercede vacuatur [f]. Unde tribus istis Apostolus simul omnia comprehendit. Nam non nisi ore, aut animo, aut actu aliquid gerimus. Sed ore nihil majus, quam angelorum aut hominum si linguis loquamur; animo vero quid excellentius, quam si prophetiam apprehendimus, vel nosse omnia mysteria, ita ut symmista Dei dicatur [g] animus? Deinde si polleat omni scientia, omnique fide, ita ut montes transferat, quid præstantius prædicatur? Postremum actu qui facultatem pauperibus omnem distribuerit, corpusque igne cremaverit, ultra quid faciet, non habebit. Et his ita exageratis charitas excellentior jure prædicatur, sine qua Deo nihil acceptum; quoniam radix omnium bonorum charitas, et vinculum est sanctæ perfectionis. Ista namque est via munda, quæ profecto sancta vocatur, per quam nemo alienus transit; sed justi tantum ingrediuntur; unde nihil excellentius illa, quam soli sancti accipiunt, et nemo exterorum intrat; alioquin sacramentum baptismi non minus mali, quam et boni quotidie intrant, simul omnes Eucharistiam in Ecclesia sumunt, prophetiam habent, linguis loquuntur, mysteria norunt, scientia pollent, fidei signa operantur, et alia quamplurima gerunt, transfigurantes [h] se in angelum lucis : sed sola charitas est, quam non nisi boni percipiunt. Unde Dominus : *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes quia* [i] *mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in invicem* (*Joan.* XII, 35). Tolle igitur dilectionem, et omnia simul fructu evacuantur operis; quia sola charitas Christum exinanivit, ut formam servi acciperet; sola rursus per adoptionem, et de servis filios facit. Forma discipulatus Christi et agnitio dilectio est, quam nimirum formam, qui amiserit, alienus est a corpore; quia nulla Christi compagine tenetur astrictus, nullo decore indutus, nulla intus specie decoratus. Unguentum ergo exinanitum nomen Christi per charitatem fulsit, sicut in Canticis legitur; et ideo adolescentulæ diligunt eum (*Cant.* I, 3), quia profecto dilectioni [j] Dei sola dilectio nostra vicem rependit, cum et ipse prior dilexerit [k] nos, ut nos filii qui eramus, faceret sibi per adoptionem et ipse filios.

2. In sola namque dilectione summa perfectionis consistit; quia charitas nihil iniquitatis admittit.

[a] In editis deest *tamen*.
[b] Edit., *despectus*, minus bene
[c] Edit., *videret*.
[d] Editor addit *tinniens*.
[•] In editis desideratur : *aut mysteria norunt, jam introrsus aliquid habent*.
[f] Edit., *vacatur*
[g] Editi, *vocatur*.
[h] Editi, *transfigurantem*
[i] Edit., *quod*.
[j] Edit., *dilectio in Deo*.
[k] Edit., *dilexit*.

Introdusă în format electronic de Google

Hinc nemo pollutus transit per eam; quod si semel ad eam intraverit, jam non pollutus; sed renatus in Christo in ejus corpore consecratur. Et juxta illud Jeremiæ, invenit jam sibi gratiam, quia longe Dominus apparuit ei, atque dilexit charitate perpetua, et melius est quod acquisivit omnibus vitæ bonis. Est enim quasi hortus irriguus cunctis donorum repleta muneribus, et ideo in Canticis a sponso gratanter canitur : *Hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus* (*Cant.* IV, 12). Ecce quam bene rebaptizatur, qui charitate nutritur, in cujus nimirum anima jam paradisus floret. Habes igitur, anima, fontem quo renascaris. Et si primam fidem irritam fecisti fontem itaque [a] signatum sigillo Christi, quo nullus, qui intrat, est alienus. Nam baptismi fontem, non dico quod Simon Magus felle amaritudinis obvolutus intravit, verum et omnes reprobi; sed nemo illorum charitatem adiit, de qua nullus qui intrat, exit. Illi vero foras exierunt a sacramento muneris, quia non fuerunt ex nobis, et una nobiscum in charitate renati; quod [b] si essent, profecto ab ea nunquam exissent, unde beatus apostolus, videns se Christi charitate devinctum : *Quis nos*, inquit, *separabit a charitate Dei? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius* (*Rom.* VIII, 35)? Et ut indissociabile ostenderet charitatis connubium, indubitanter ait : *Certus sum enim quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* (*Ibid.*, 38, 39). Ergo qui tam fidenter loquitur, nihil de charitate dubitat; quoniam conclusus et signatus est deliciarum omniumque virtutum hortus. Siquidem facilius fuit hostem irruere ad illum paradisi prioris Adæ locum, de quo eum sua expulit fraude; quam ad fontem charitatis, quo nullus potest accedere, nisi ex ea sit renatus. Alioquin etiam diabolus, si ad charitatem intrasset, jam non hostis, sed civis sanctorum, et domesticus Dei esset; apud Deum quippe charitas est, scilicet apud Patrem, quoniam Deus Filius ex Deo Patre charitas est. Unde dicitur, *apud te est fons vitæ* (*Psal.* XXXV, 10), fons utique signatus signo Patris; quoniam imago Dei Patris est. De quo nimirum fonte hauriunt omnes aquam vitæ gratis salientem in vitam æternam. Nemo igitur, nisi Jesus Christus, dat hanc aquam, quoniam puteus altus est, puteus aquarum viventium. De quo si quis sitit, veniat ad Christum, et dabitur ei gratis fons æternus; sed nemo ut accipiat venit, si non Pater eum attraxerit.

3. Ex quo liquet, quod jure supereminentior via charitas vocetur quam nemo, ut protuli [c], nisi qui accipit novit. Hoc sane Samaritana illa ex Evangelio mystice designat : *Domine, puteus altus est, et* [d] *quo haurias non habes* (*Joan.* IV, 11). Profecto quia non noverat cum quo ageret, et signanter insinuat, quod Christi charitas altissima sit, de qua nisi qui accipit, in quo hauriat nullus habet; quandoquidem charitas semper ad Deum tendit, a quo et originem ducit, et ad proximum ardenter respicit, cum quo participium creationis, et recreationis habere novit. Ergo sicut altissima virtus, ita et nomen; quoniam nunquam recte quidquam aliud præter Deum et proximum per charitatem diligere mandamur, quamvis sæpe abusive dicatur, quia semper charitas excellit in divinis rebus, ut puta principaliter Dei nomen in eo est, ex quo omnia, et per quem omnia, et in quo omnia, et virtutem, ac naturam trinæ majestatis, ac singularitatis enuntiat; sic itaque secundo in loco per gratiam etiam homines dii appellantur, ad quos sermo Dei factus est, nuncupative tamen, sed non ficte. Jam tertio dæmones dii gentium non substantialiter, nec vere nuncupative per gratiam; sed falso appellantur, cum Scriptura dicat [d] : *Omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5). Ita et charitas nomen primum et principaliter est in Deo, propter quod jubemur ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente eum diligere, a quo habemus ut diligere possimus; quoniam ipse prior [e] dilexit nos. Et hoc est diligere Deum quod et diligere sempiterna bona; deinde secundo in loco per eamdem charitatem etiam proximum diligere jubemur tanquam nosmetipsos; jam tertio aliud quid falso sub charitatis titulo diligere [f] dicitur, quando [g] pecuniarum, vel voluptatis, seu quarumlibet potius cupiditas est appellanda. Non enim harum dilectionem Deus hominibus concessit, sed usum dedit : inest ergo in omni anima rationabili motus amandi; sed varius eventus percipiendi ut ad virtutem charitatis tendat animus. Siquidem et ipse affectus amoris beneficio conditoris rationali animæ est indultus; quamvis interdum ad amorem pecuniæ et avaritiæ studium divertat, aut erga gloriam inanem sectandam, ut fiant homines inanis gloriæ cupidi; aut certe circa scortum, ut inveniantur impudicitiæ libidinisque captivi. Necnon et ad aliam virtutem tanti boni, his similia dum fornicantur a Deo, periculosius effundunt; sed et cum ad diversas artes, etiam quas liberales vocant, dum se his illiciunt, non principale bonum intendunt; quoniam animi virtutes ex ipso intelligantur, ex quo sunt. Unde et Dominus, ut cuncta ab animo quasi superstitiosa removeret : *Diliges Dominum Deum tuum*, inquit, *ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis; deinde proximum sicut te ipsum : in quibus duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40). Iste est puteus viventium aquarum altus et profundus, iste est fons vitæ, et supereminentior via, per quam

[a] Edit., *dicet.*
[b] Edit., *nempe.*
[c] Edit., *quia.*
[d] Edit., *prætuli.*
[e] Edit., *pater* pro *prior.*
[f] Edit., *obligare.*
[g] Edit., *quoniam.*

Introdusă în format electronic de Google

nemo pollutus transit, ex quo qui renascitur, factus est filius adoptionis; quoniam fons vitæ manat in eo salientis in vitam æternam. Iste est hortus conclusus, fons signatus, in quo emissiones sunt paradisi. Hinc quippe in sanctorum mentibus jam floret, ut fructificarent Deo, in charitate radicati, et fundati. Idcirco quisquis ad vitam festinat, charitatem desinenter sibi dari exoptet, datamque excolat, ut et ipsam dilectionem suam, qua Deum diligit et proximum, quotidie ardentius ad Deum referat, quia Deus charitas, nihil negat charitati nostræ, qua ipse diligitur. Hinc quippe Paulus inquit : *Charitas cooperit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV, 8). Et ut evidentius loquar : Ubi charitas regnat, nulla valent delicta, quoniam ipsa est fons vitæ, et ablutio omnium criminum.

CAPUT XIV.

De eo quod scriptum est : Mihi autem adhærere Deo bonum est.

1. Quia de charitate aliquid diximus, bonum ejus prægustare debemus. Bonum ergo charitatis Deus Trinitas est, et ipsa Trinitas Deus charitas est sempiterna : quod nimirum bonum solum et singulare bonum est, cui adhærere vivere est, etc., intelligere degustare. Unde Propheta : *Mihi autem*, inquit, *adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam* (*Psal.* LXXII, 28), et hoc est bonum. In uno eodemque bono quasi interdum sibi distinguit bona : quia aliud est adhærere Deo per amorem intelligentiæ, aliud per desiderium spei. Quod enim intelligitur certum et verum est; sed non omne quod credimus verum, quamvis supra dixerim in hac peregrinatione, quod intellectu fides præstantior sit; non quia certior de se; sed quia instituta a veritate, interdum [a] quousque evacuetur quod ex parte est, præstantior est. Tunc demum intelligentia erit sola, per quam semper cohæsi ac præsentes erimus. Nunc autem quidquid est, quod minus intelligimus, credimus peregrinando et speramus. Unde duobus istis jam beati sumus, intelligendo scilicet, et sperando; sed intelligendo cohæremus Deo, sperando vero peregrinamur, quia intelligit admodum ex parte anima rationalis Deum et quidquid est quod intelligit Deum, in quantum intelligit, junctum est, et hæret Deo. Nam intelligit anima, quod Deus summum et incommutabile sit bonum, quia semper ejusmodi est, et nunquam patitur mutationem aliquam : idcirco qui se mutabilem sentit bonum est ei inhærere bono incommutabili, ut exinde bonus permaneat; cæterum quod minus intelligit, in illo transponere omnem spem suam debet, donec purgetur oculus intelligentiæ, et evacuentur mala. Quibus duobus anima jam beata efficitur, re videlicet atque spe. Re, quia videt et cognoscit Deum; spe vero, quia velut anchora tuta commoratur in adjutorio Altissimi, et protectione Dei. His inflammata anima luminibus indesinenter satagit mentis oculum non avertere a summo bono; quia quoties ad ea respicimus, quæ sensibus comprehenduntur et corporea sunt, quasi depulsi a lumine in tenebris versamur, nec spe tamen ab illo avellimur, sed manemus, quia Deus cordis nostri pars nostra factus est in æternum : alioquin recedere ab igne tanti amoris frigescere est; aliud vero amare, fornicatio; unde Propheta : *Ecce*, inquit, *qui elongant se a te peribunt* (*Psal.* LXXII, 27); aliud quippe paulisper recedere est, aliud elongare. Nam recedere, aliud intendere est, elongare vero non solum terrena desiderare, sed etiam aut a dæmonibus expetere, aut ea quasi summum bonum diligere. Tamen etsi recedere ab intentione amoris languescere est, quia spes non abrumpitur inter procellas sæculi, sub protectione Dei commorari tutissima anchora est : sed [b] quanto lepidius amamus [c], tanto minus attendimus, et quanto minus attendimus, tanto plus elongamur. Unde cavendum ne dum plus elongatur animus, fornicetur [d] : *Perdidisti*, inquit, *omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII, 27); quia profecto fornicatio casto amori contraria est.

2. Nihil enim anima Deo digna ab sponso quem diligit aliud quam ipsum requirit, non divitias [e], non honores, non aurum, non prædia, non voluptates sæculi neque alia quæ sunt in mundo, quoniam [f] solum amat in quo habet omnia, per quem, sicut credit, facta sunt omnia. Hinc quoque semper castus amor devotus dicat : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXII, 28). Hoc igitur est totum bonum, quo nihil amplius invenitur; sed tunc ei adhærebimus indefessi, cum videbimus eum facie ad faciem; nunc vero in quantum possumus, quia semper non possumus, adhæreamus ei per desiderium, adhæreamus et per intellectum, ne forte, dum recedimus, refrigeremur; aut certe aliud amando fornicemur. Sed quia continui esse non possumus in fervore charitatis, eo quod minus adhæreamus, prægustando in intellectu, ponamus spem nostram in Domino Deo, velut anchoram tutam in cœlis. Pone, quæso, anima, spem tuam in Domino, quia necdum hæres ei per præsentiam, quatenus spe firmissima tota inhæreas. Altissimum ergo habes positum refugium tuum in adjutorio Dei, sub protectione ipsius commorare; sursum te attolle, quia gravitas iniquitatis in talento plumbi sedet, gravitas vero charitatis semper velut flamma ad Deum intus anhelat. Micantes ergo dilectionis, ac vibrantes sursum semper affectus movet; sed inter secura fluctivagas mundi auras spes fixa in Deum manet; quoniam hæc sunt, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis conscenderunt, quæ præ-*

[a] Edit., *interim*.
[b] Edit., *scilicet*.
[c] In edit. deest *tanto minus attendimus, et quanto minus attendimus*.
[d] Edit., *fornicatur*.
[e] Edit., *delicias*.
[f] Edit., *quia*.

Introdusă în format electronic de Google

paravit Deus his qui diligunt eum (*I Cor.* II, 9). Ergo dilige tantum, et invenies, quoniam præparata sunt ante tempora sæcularia diligentibus. Dilectio namque sola inveniet per desiderium, quod spes jam tenet per fidem dilectionis. Magna igitur vis dilectionis, quæ talia comprehendit, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt; sed dilectioni parata sunt ab æterno. Quæ nimirum dilectio, quæ in corde venit, omnia ista apprehendit; apprehensa vero diligit : quam profecto dilectionem anima si non amiserit, sine fine beata sui sponsi dulcis fruetur amplexibus.

3. Hæc prout potui, Pater, quia petisti olim, licet in multis occupatus, devotus obtuli; non ut sufficiat de his, quod dixi; sed ut habeat beatitudo tua adhuc tyronibus quod exhibeat de tribus istis virtutibus sine quibus nemo est [a] Christianus. Quarum igitur summa omnium Scripturarum sanctarum explet elo quia. Quas qui habuerit non atramento, sed Spiritu sancto scriptas in præcordiis, habet omnem intelligentiam rerum spiritalium in terris. In terris quippe, quia peregrinamur, sed secundum spiritalem hominem quotidie fructificantes per agnitionem Dei renovamur in cœlis. Per eumdem largitorem omnium bonorum, et auctorem harum virtutum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per immortalia sæcula, et in æternum benedictus. Ame

[a] In edit. deest *est*.

S. PASCHASII RADBERTI

CORBEIENSIS ABBATIS

DE PASSIONE SS. RUFINI ET VALERII.

(Juxta editionem Sirmondi, Opp. Paschasii Radberti.)

RADBERTUS Corbeiensis abbas, Confessoribus Christi.

Ad memoriam sanctorum martyrum Rufini ac Valerii [a]. Cum nos supplicationis detulisset affectus, oblatus est nobis certaminis eorum libellus, cujus historiæ depravatam videns seriem, seu propter antiquitatem, seu propter scriptoris imperitiam, ad emendatioris styli formam transferre conatus sum, petentibus id ipsum loci ipsius habitatoribus. Religiosum sane, ut credimus, obsequium, ac sanctis martyribus dignum, ut quorum doctrina vitæ nobis iter ostensum est, quorum exemplis ad virtutum studia imbuti sumus, quorum precibus salvamur ac præsidio protegimur, eorum quoque victorias, ad nostræ fragilitatis institutionem, monimentis inseramus, nec perire per negligentiæ torporem patiamur utilem nimis atque salutarem cunctis pie legentibus provectum. Si enim vestis exiguæ particula, vel modicus resoluti corpusculi pulvis, de sanctorum memoriis comparatus, ineffabile fidelibus præbere patrocinium creditur, quis digne vel explicare vel cogitare valeat eorum vita virtutesque quantam salutis materiam conferant devotis mentibus, cum replicantur? Inde namque fides firmatur, pietas nutritur, mundi contemptus nascitur, desiderium supernorum generatur, et, ut totum breviter dicamus, mors aufertur, vita largitur. Sic enim Salvator, *qui credit*, inquit, *in me, etiam si mortuus fuerit, vivet* (*Joan.* XI). Ad resurrectionem denique ex mortuis, ad immortalitatis bonum perpetuæ, historia sanctorum, incentivum est sanctitatis, gradus provectionis, janua supernæ contemplationis. Quæ quanto majora sint quam vestis aut pulvis corporum, quanquam sanctorum, facile comprehendit, quicunque prudenter advertit. Illa siquidem corruptibilia, hæc permanentia; illa terrena, hæc cœlestia; illa mortalia, hæc sempiterna; in illis primæ transgressionis sententia præsentatur, in istis novæ libertatis dona comprobantur; utque, quod est, dicamus, illi quou honoris sunt, quod gloriæ ista contulere, hæc autem ab illis defectum potius pertulere, quam suscepere profectum. Corpus namque quod corrumpitur, deprimit honestatis ac sapientiæ meritum, non elevat, et carni et sanguini amica sunt vitia, contrariæ virtutes. Cum hæc ita se habeant, nonne videtur indignum, dum illa thecis aureis vestiantur, pretioso lapide adornentur, si sordide ista et negligenter habeantur? Quod fit, quando vel ad memoriam posteritatis non statuuntur, vel sententiarum atque verborum vitiis violata, ad dignitatis habitum non reformantur. Non quod virtutum insignia et gesta sanctorum stupenda, fucos verborum atque ornamenta requirant orationis, sed quod simplex eorum atque naturalis prolatio, distincta tamen et honesta debet specie enitere, ne sermo confusus et horridus non instruat, sed offendat auditorem. Porro quemadmodum vita sanctorum diligenter atque apte descripta laudes eorum dilatat, ita quoque negligentius habita, gloriam eorum diminuit, Ecclesiæ famam obnubilat, Christi victoriam abscondit. Neque hæc loquentes sanctis pignoribus derogamus, quandoquidem cunctis pie se vene-

[a] XVIII *Kal. Jul.*

Introdusă în format electronic de Google

rantibus, et peccatorum obtineant veniam, et virtutum præstent suffragium, et immortalitatis conferant gaudia. Sed ut ista suspicientes, doctrinam vitamque eorum, quorum sunt in sanctis cineribus memoriæ, et audire desideremus, et audita cordis secreto mandemus : ut quorum cineres devoto reveremur obsequio, eorum vultus mens nostra viva semper contempletur specie, quatenus spiritus noster eorum semper spiritui junctus, quos mundus habet occiduos, nos amplectamur viventes. Nec enim jure putantur absentes, quibus per memoriam præsentamur, per amorem cohæremus, per aspectum cordis alloquimur. Qua de re, merito nos redarguendos non æstimo, quoniam studuimus depravata corrigere, inveterata reparare, quandoquidem per hæc utilitati legentium deservire quæsivimus. Non enim gestorum fidem corrupimus, sed nostro sub eloquio priorum scriptorum texuimus historiam. Quod si quis nostram spreverit editionem, legat, si maluerit, antiquam. Nobis satis est nostræ devotionis studium sanctis martyribus obtulisse, credentium in Christo provectibus consuluisse, petita rogantibus præstitisse, agones mirabiles pro Christo desudatos non occuluisse. Cæterum imperitorum calumnias, malitia seu livore conflatas, surda debemus aure transire. Sed veniamus ad narrationem

Imperantibus Diocletiano et Maximiano Augustis, persecutionis procella Christi Ecclesiis est excitata. Jam quidem Romani orbis fines veritatis Evangelium illustraverat, jam cœlorum regnum fere gentibus fuerat prædicatum, jam Christi laudes omnis lingua resonabat, omnis natio celebrabat, completa prophetia quæ dicit : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Jam Parthus recti tramitis callem didicerat, jam Æthiops cutem mutaverat, jam salutis telo Libya Africaque vulneratæ medelam capiebant, Aquilo rigorem glacialem clementia temperarat austrina, occasus lucis suæ defectum in ortum porrexerat, bellaces Galli gladios in vomeres, lanceas in ligones conflaverant. Non Scythæ feritatem, non Thraces immanitatem, ovina mansuefacti simplicitate, jam noverant. Ipsa rerum domina Roma superba dudum colla Christi subdere gaudebat humilitati, totus pene mundus in Christi gloriam resultabat, universus orbis mortis de tenebris oculos ad novæ lucis gaudia relevabat. Erat videre Israelem Jordanis fluentis in novitatis gratiam superfusum, et per Jesum secunda circumcisione glorificatum Hierichuntina mœnia tubarum sonitu subvertisse, Ahin concremasse, habitatores urbis sylvarum tabernaculi usibus delegasse, civitatem quoque litterarum, sæculi videlicet sapientiam destruxisse, omnemque Chananæorum regionem triumphatis regibus possidere. Parumque fuerat Christianorum plebem suos ritus suamque religionem tueri, nisi etiam pro fidei sinceritate, pro virtutum studio, pro pietatis cultu, reipublicæ curis præficerentur. Palatinas igitur ædes Christi milites obtinebant, urbana negotia disponebant, provinciarum procurationes administrabant, cernebatur ubique sacer conventus, sanctitatis stolis et probitatis insignibus radiare; in foro, in plateis, in urbibus, in agris laus Christi personabat. Destruebantur fana, simulacra confringebantur, luci succendebantur; templa vero superno Regi fabricabantur, altaria erigebantur, catervæ populorum ad ecclesias innumerabiles confluebant, hymni cum gaudio celebrabantur, lectiones sanctæ, cum timoris horrore divini recitabantur. Interea verbum Dei, omni ætati, omni sexui, universæ conditioni, secundum uniuscujusque intelligentiæ mensuram, a principibus Ecclesiarum dividebatur. Dies festi cum spiritualis voto lætitiæ ducebantur, memoriæ sanctorum cœlesti jam sede quiescentium agebantur; meditabatur in terris supernorum civium vita, et, ut ita dixerim, terrena conversatio in cœlestem migraverat formam. Quid mirum, cum cœli degebant in terris? *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII). Plus inferam, non jam in terris, sed in cœlis morabantur, de quibus Apostolus : *Vestra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Ergo homines, cœli effecti, in cœlestibus erant, terrena calcaverant, ad superna conscenderant, mansuris inhærebant, omnibus per circuitum nationibus et terrori erant et admirationi. Inter eas enim positi, tanquam luminaria in mundo radiabant, ut digne Spiritus sanctus super Ecclesiæ suæ laude præcinuerit : *Quam speciosa* est *amica mea! quam decora! pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI, 5, 9). Revera enim speciosa erat, quando sanctis componebatur moribus; decora, quando virtutum illustrabatur insignibus : unde in vita plebis honesta lunari nitebat pulchritudine, in rectorum meritis solis splendore fulgebat, et per ornatissimam diligentissime religionis modestiam adversariis cunctis incutiebat tremorem. Tanta igitur stuporis admiratione capti gentium populi convertebantur, et relicto dæmonum cultu, divinæ servitium religionis profitebantur; utque cœlestis participes regni redderentur, sacri fontis desideranter lavacrum expetebant. Sic per tempus plurimum Ecclesiarum status incrementis prosperis augebatur, et gloria earum terris excedens, et cuncta supereminens, festinare videbatur ad cœlum. Nulla enim occurrebat invidia, nullus livor nequissimi dæmonis obviabat, quandoquidem cœlestis dexteræ fulciebatur auxilio. Populus etiam tunc bene de Deo pro pietatis cultu et justitiæ observatione promerebatur. Verum ubi ex multa libertate multaque indulgentia vitiati sunt mores, et disciplina corrupta est, dum alter alteri invidet, et alter alteri derogat, dum se invicem mordent et incurrunt, et adversum semetipsos intestina prælia commovent, dum verborum jaculis proximorum corda terebrant, dum principes cum principibus, populi cum populis, seditiones et certamina commovent, dum simulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in verbis, et malorum per singula cumulus intumescit, divina Providentia jacturam disciplinæ populo suo illatam ex

Introdusă în format electronic de Google

plurima pace et nimia sui lenitate perspiciens, aggreditur primo sensim refrenare lapsantes, et integro adhuc Ecclesiæ statu, congregationibusque manentibus, indulget interim eos qui erant in militia tantum gentilium persecutione pulsari. Sed cum nullus ex hoc clementiæ ejus intellectus populis redderetur, quin potius, velut ignorantes Deum, absque divina Providentia res agi ducerent, et per hoc eo magis persisterent in malis suis, atque ipsi, qui duces populi videbantur, et principes divini mandati immemores effecti, adversus se invicem contentionibus, zelo, livore, superbia, inimicitiis, atque odiis inflammarentur, ita ut tyrannidem potius quam sacerdotium tenere se crederent, Christianæ humilitatis et sinceritatis obliti, sacra mysteria profanis mentibus celebrarent, tunc demum, secundum vocem Jeremiæ prophetæ (*Thren.* I *et seqq.*), obscuravit Dominus in ira filiam Sion ; et dejecit de cœlo gloriam Israel, nec rememoratus est scabelli pedum suorum in die iræ suæ. Et sicut iterum dicit, submersit Dominus omnem decorem Israel, et omnes macerias ejus destruxit, evertit testamentum servi sui, profanavit in terram sanctuarium ejus, destruxit eum ab emundatione et sedem ejus in terram dejecit, minoravit dies temporis ejus, perfudit eum confusione : quandoquidem gloriam Ecclesiæ, quæ velut astra cœli in hujus mundi nocte lucebat, in opprobrium et confusionem deduxit, nec in corde posuit, quod populus olim dilectus fuisset, quod agni incontaminati sanguine redemptus; quod multis signis et prodigiis de Ægypto liberatus (*Exod.* I *et seqq.*), quod per fluenta Rubri maris siccata, spirituali Pharaone submerso, transpositus, quod vocem loquentis Dei de cœlo audierat, quod pane vitæ pastus, quod salutari Spiritus sancti torrente potatus, quod æternæ vitæ mysteria et nosse meruit et accipere : horum nihil memoratus, in die furoris Altissimus projecit omnem sanctificationis suæ plebis decorem, ut quæ ante fuerat honori fieret in contumeliam, quæ prius venerationi manebat daretur contemptui. Angelorum præsidia submovit, pastoralem munitionem destruxit, testamentum vitæ gentibus dedit profanandum, et omnem religionis decorem sordibus et abominationibus profanavit ; quantoque fuerat prius gloriosa cunctis, tantum obscura et vilis dedita est universis. Etenim templa Dei vivi ab ipsis fundamentis destruebantur, Scripturæ sacræ in plateis publice comburebantur, sacerdotes et principes Ecclesiarum nudati et vincti per foros et plateas trahebantur, et carceribus tradebantur. Effusa est enim contentio super principes, et facti sunt opprobrium vicinis suis, subsannatio et illusio cunctis per circuitum nationibus. Nonus decimus igitur agebatur annus imperii Diocletiani, mensis Martius, dies solemnis Paschæ, ut Eusebii narrat historia, cum edicta principis per universum orbem proponebantur ut cunctæ quæ usquam erant ecclesiæ usque ad solum destruerentur, Scripturæ sacræ igni exurerentur. Post non multum vero tem-

A poris proponuntur et alia, ut Christiani diversis suppliciis addicti sacrificare cogantur. Hic vero sancti martyres ingens spectaculum et angelis et hominibus efficiuntur (*I Cor.* IV), cum persecutorum crudelitate ad supplicia traherentur, ut agones mirandos omnibus desudarent. Per universas civitates, regiones, provincias, impietatis decreta peraguntur, nova et exquisita diversi generis tormenta Christianis inferuntur. Alii carceribus clauduntur, alii flagris afficiuntur, alii equuleis distenti ungulis abraduntur, traduntur in exsilium, bestiis subiguntur, aquis præfocantur, ignibus concremantur, gladiis feriuntur. Nec ipsis quoque mortuis cadaveribus impiorum manus parcebant, quin aut inhumata bestiis avibusque laceranda projiciebantur, aut fluctibus immersa B piscibus voranda tradebantur, aut in favillam redacta, in pelagi profunda dispergebantur.

Hac tempestate insignes viri, et fidei constantia morumque sanctitate præclari, Quintinus, Victoricus et Fuscianus, Rufinus et Valerius, Crispinus et Crispinianus, cum cæteris suorum sociis Romanæ urbis oriundi, Belgicæ secundæ populis, gentili adhuc superstitione detentis, verba vitæ prædicantes, eos a jugo dæmonum ad Christi libertatem vocabant. Qui doctrina mirabiles, virtutibus illustres, tanquam lætissima sidera Gallias illustrabant. Fama est hos cum beato Dionysio, qui a beato Clemente Romanæ sedis pontifice missus fuerat, ut frigida gentilium corda fidei calore animaret, Galliarum fines penetrasse; sed temporum series repugnat. Sanctus namque Dionysius sub Domitiano Cæsare anno ejus C imperii secundo, martyrio coronatus est : isti vero Diocletiano et Maximiano Augustis, immortalitatis gloriam perceperunt. Quod temporis spatium, decem et ducentos non minus continet annos, qui numerus annorum, et nostri et alius ævi homines, non solum certaminis tanti habiles officio denegat, verum ipsius corporis vita fungi penitus recusat. Ut ergo verisimilis ratio demonstrat, ille, id est Dionysius, cum adhuc Belgicos caligo gentilitatis perpetua nocte vexaret, illuxit, et perfidiæ tenebras ab incredulorum mentibus tanquam Lucifer matutinus amovere cœpit. Isti vero cum jam lucis serenum nocturnas dissipaverat umbras, nec tamen perfectum fidei D diem præteritæ infidelitatis crepusculum præsentabat, tanquam clarissimi et veri solis radii fulgentes apparuere ; et adventus sui exortu perfectum credulitatis lumen pollicentes, noctem totius gentilitatis expulere. Ille igitur cum sociis suis, veritatis viam Gallorum populis quibusdam initiis retexit, at isti firmis plantis et stabili gressu per eam incedere docuerunt. Nec minus tamen est meriti principium gratiæ cæcis adhuc mentibus aperire, quam perfectionis plenitudinem dedicare, quoniam luminis ortus omnem claritatis auspicatur integritatem, et plenitudinis summa principii semper ad caput refertur. Sic auroræ roseus fulgor meridianum consecrat splendorem, et hujus dignitas candoris orientem veneratur illuminationem. Alioquin Paulus plantat,

Introdusă în format electronic de Google

Apollo rigat, Deus vero dat incrementum (*I Cor.* III). Non igitur discernamus merita, quorum non largimur honores, nec de coronis litem constituamus, quorum nescimus agones æstimare. Sed illi judicium relinquamus, qui martyres suos et vincere fecit, et triumphantibus reddidit coronas. Equidem filii patribus officiosam rependant venerationem, et famuli patronos religiosis studeant obsequiis honorare. Spectent agones, non discernant; mirentur victorias, non æstiment; stupeant coronas, non judicent. Cum igitur sæva barbaries cruentis manibus aras dæmonum antiqua non religione, sed impietate veneraretur, et pari consensu una superstitione, numerosas deorum catervas senescente jamjam mundo suspiceret, nec aliquis veritatis splendor tenebrosa Gallorum corda illuminaret, tandem divina pietas indoluit, et ad depellendam mortis caliginem, novæ gratiæ præcones destinavit, per quos Belgica, deposito errore, verum fidei lumen cœpit videre, indeque quotidianis provectibus augmenta capiendo salutis, usque ad supradictorum, Quintini scilicet, Rufini ac Valerii tempus, dæmonum cultores, quamvis Christi Ecclesiis ornata, complectebatur. Sed ut a profana superstitione provinciam sancti martyres liberarent, ab urbe Roma profecti, Gallias petierunt, non persecutionis timore, quæ tunc per orbem sæviebat universum, sed zelo charitatis accensi, ut homines a mortis dominatione liberatos in vitæ restituerent dignitatem. Quid enim uno in loco vitarent quod ubique detonabat? Aut quid consequentia tormenta metuerent quæ libenter pro Christi amore sustinuerunt? Non igitur corporis ut mortem fugerent Gallorum adierunt feritatem, magis vero quatenus per martyrii palmam properarent ad Christum, sævitiam ferocissimæ gentis expetierunt.

Hac itaque tempestate Rictiovarus in Galliis præfecturam gerebat. Vir animi feritate crudelis, et impietatis immanitate ipsis truculentior legibus imperatorum. Qui cupiens imperialibus satisfacere decretis, et vesaniæ suæ furore accensus, gravissimam in Christianos persecutionem cœpit agitare; et ut culturam simulacris exhiberent, nunc terroribus, nunc blandimentis suadere, non acquiescentes vero diverso tormentorum genere necare. Certabat enim dæmonis minister, impietatis arbiter, fomes vitiorum, quatenus animas ad cœli palatium properantes, ad tartari profunda deponeret, et Christi sanguine redemptas, denuo dæmonicæ jugo servitutis addiceret, diaboli nimirum, cujus vas manebat, imitator. Ille namque in paradisi sublimitate constitutos ad lacrymarum foveam dejecit, iste in virtutis arce locatos, ad ima vitiorum proturbare quærit. Expulit ille de amœnitate vernanti, hic avertere tentat ab immortalitatis regno. Et quamvis simili proposito et eadem studeant intentione, diversa pugnant arte decipiendi. Diabolus enim, ut fallat, serpentina fraude blandus seductor accingitur, hic vero, ut perdat, dolis violentiaque circumdatur. Crescit enim sævitiæ cumulus adversus innocentiam semel addictam, etiam famulatus tormentis disquiritur, qui primo lenocinante favore suadebatur, sed Christi militibus eo gloriosior victoria præparatur quo fortiora certamine appetuntur. Et inde triumphus vincentibus major assurgit, unde hostilis manus acriori sævitia pugnat. Satanæ igitur exsecutor in Christi exercitum fremere potest, superare non potest; impugnare valet, sed victus recedit. Cum ergo plurimas urbes Galliarum roseo martyrum sanguine decorasset, civitatem Rhemis advenit, ubi multos sanctorum suppliciis pro Christi confessione diversis interemit. At postquam quos in eodem loco hujus nominis dignitate nobilitatos repererat, acerbitate pœnarum consummasset, fama beati martyris Quintini permovetur, quod virtutum signis et prædicatione sublimi multa diversorum millia populorum a simulacris averteret, et ad veri semperque viventis Dei religionem manciparet. Itaque tantum animarum salutem et dæmonicæ superstitionis detrimentum ægre nimis ferens, ab urbe digressus, Viromandis iter invadit. Siquidem libellus passionis sanctorum Rufini atque Valerii continet, in ea civitate venerabilem diebus illis fuisse Quintinum. Ipsius autem historia passionis insinuat Ambianis civitate primo a Rictiovaro præfecto conventum, et variis pœnis excruciatum, quique insuperabilem Christi martyris animum deprehendens, ad Augustam Viromandorum ferro manus collaque vinctum destinavit. Quo perductus, eodem sæviente præfecto, dirissimis est tormentis appetitus, ad extremum vero capite cæsus, atque in fluvium præcipitatus. Verum ubi primo fuerit auditus, non est nostrum judicare, cum fides sepulturæ locum confiteatur passionis, nec repugnans esse videatur, si prius Ambianensem decoraverit urbem, non solum prædicationis, verum quoque gloriosæ titulo confessionis, ac postea Viromandis profectus, non minoris famæ celebritate, propter signorum claritatem et prædicationis instantiam, aures impii sollicitaverit præfecti. Neque enim tantus Christi martyr est carcere susceptus, etsi ferro ligatus, a prædicatione linguam tenuit impeditam; imo tunc constantius, tunc ardentius eum prædicabat, cujus charitate succensus inter flagella ridebat, inter equuleos exsultabat, inter figentes laminas tripudiabat. Egressus igitur ab urbe præfectus, Rhemense ad palatium regium quod fuerat super fluvium Vuidolæ situm, divertit. In quo loco sancti viri Rufinus et Valerius plebem credentium non modicam doctrina instituebant, moribus excellebant, virtutibus irradiabant. At ubi præfecto de eis indicatum fuisset, missis apparitoribus, jubet illos præsentiæ suæ sisti. Quo cognito, martyres Christi non terrore pœnarum, sed gravitatis consilio, atque humilitatis magisterio, abscondere se a tyranni conspectu voluerunt. Cœlesti namque magisterio docti, quo ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere; sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* x, 28): tempo-

Introdusă în format electronic de Google

rale supplicium et leve ac momentaneum tribulationis nequibant pavere, contemplantes præsentium pavore cruciatuum non evadi pœnas, sed mereri, nec a mortis supplicio liberari, sed æternæ damnationis discrimina comparari. Magis vero passionibus Christi per patientiam communicare gaudebant, ut ejus gloriæ consortes efficerentur. Non igitur qui fuerant fide roborati, spe certi, charitate succensi, latebram terrore victi petierunt; sed evangelico intenti constituto præcipienti : *Si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam* (*Ibid.*, 23), temeritatis audaciam gravitatis humilitate vitarunt. Denique quam multi temeritatis abusi præsumptione, dum victoriæ palmam audacter invasuros se crediderunt, pœnis defatigati miserabiliter ab arce confessionis ceciderunt. At vero qui suis viribus nihil attribuerunt, sed in Domino confisi certaminis campum sub humilitatis signis expetierunt, gloriosam de hoste victoriam retulere. Etenim columna fidei Petrus, dum temere præsumit, unius mulierculæ voce prosternitur. Ubi vero didicit nec velocium esse cursum, nec victoriam robustorum, temeritatis audaciam modesta mansuetudinis humilitate correxit, et dum suæ timet infirmitati, victor efficitur, qui prius supra conditionis suæ meritum sibi arrogans superatur. Namque inconsideratæ militis confidentiæ, spes victoriæ nequaquam est conferenda, sed virtuti. Cujus comites semper existunt, et spes de prosperis, et cautela de adversis. Propterea in Parabolis dicitur : *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos* (*Prov.* IV, 25). Per palpebras enim subtilitas intelligitur discretionis, qua quisque sapiens gressuum suorum debet iter dirigere, ne securitatis planitie captus per imprudentiam decidat in voraginis præcipitium. Christi ergo milites altioris contemplatione consilii, a facie turbinis Ecclesiam Dei ventilantis declinare cupientes, absconsionis subsidium quæsierunt. Erat autem haud procul spelunca spinarum ac veprium densitate vallata. In eam se famuli Christi latere volentes contulerunt, quatenus vel vim persecutionis detonantem declinarent, vel si cœlestis dispensatio juberet, ad agonis studium de virtutum officina properarent. Interea donec suspensis animis imperatoris superni sustinent jussum, hymnis vacant et orationibus. Spelæum migrat in Ecclesiam, bestiarum cubile convertitur in orationis domum, servat specus quos fugat palatium, antra defendunt quos forum persequitur. Sic olim prophetas et prioris sæculi justos, speluncas cavernasque terræ ad munimen sui recolimus expetisse, quos urbes vexaverant, regia proturbaverat, mundus contempserat. Denique Loth patriarcham ne Sodomitana vastent incendia, spelunca receptat, et quem Segor tremore concusserat terræ defossum securum faciebat (*Gen.* XIX). Eliam regalis ut perimat aula decernit, et fugitantem spelunca complectitur, et quem civitas vivere non sinit, hunc spelunca usque ad divinæ secretum allocutionis attollit (*III Reg.* XIX). In montibus, in specubus, in abditis terrarum filii prophetarum demorantur, quos urbes populosæ, castella munita, vici latissimi conviciis lacessunt, odiis insectantur, opprobriis defatigant. O humana inclementia peccati semine propagata! o feritas animorum, sementino diaboli generata! Lustra ferarum suscipiunt quos hominum domicilia rejiciunt; inter bestias sunt securi, quibus inter homines nullus est locus tutus; servos Altissimi justitiæ servatores, pacis amatores, pietatis institutores, iniquitatis expugnatores, homines expellunt, bestiæ suscipiunt; populi debellant, feræ venerantur; reges, ut perimant, insequuntur; belluæ, ut conservent, sequuntur. Verum non homines, sed bestiæ deputandi, quos ratio non regit, sed furor impellit; non modestia coercet, sed libido submergit, Scriptura loquente : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII, 13).

Dum ergo athletæ regis æterni, in penetralibus secretæ telluris degentes, turbarum tumultus, clamores aulicos devitant, dum solitudinis incolunt secretum, dum quietem supernæ contemplationis amplectuntur, dum volatu mentis temporalia negligunt, et ad æterna contendunt, dum cœlesti pasti dulcedine delectamenta mundi despiciunt, et ardentibus votis regis sui præsentiam concupiscunt, satellites crudelis tyranni tandem famulos Christi reperiunt, et catenis vinctos ad tyranni præsentiam ducunt. Quos suis tribunalibus assistentes, hujusmodi verbis aggreditur : Rufine et Valeri, quos deos colitis? aut cujus religionis sacra veneramini? Sancti martyres dixerunt : Unum Deum colimus omnipotentem, immutabilem, sempiternum, creatorem visibilium omnium; omnia implentem, omnia regentem, omnia continentem; et unum Dominum Jesum Christum, instaurantem omnia quæ in cœlis sunt, et quæ in terris. Deos vero, qui sunt simulacra, hominum arte formata, non veneramur, quorum substantia lignum vel lapis est, aut fulgens metallum, materies videlicet corruptioni subjacens et passibilitati, quibus dedit ars formam, ingenium contulit decorem. Divina porro substantia, non aliunde, sed ex se dicens initium, nec tempori est obnoxia, quoniam ante tempora semper existit nec diminutionem recipit, in plenitudine sui æternaliter perseverans, nec permutationem novit, uniformis, simplex, constans, perfecta, perpetuo subsistens. Cujus verbo factus est mundus, et mundi ornatus universus, cujus Spiritu omnis creatura stabilitur et moderatur, huic hostiam laudis et sacrificium spiritus contribulati quotidie litamus. Præfectus ait : Principes invictissimi decreverunt, ut relicta superstitione qua hominem crucifixum et mortuum colitis, diis omnipotentibus quos Romana respublica colit, adoretis. Nefas est enim a majoribus susceptam religionem deserere, quæ Romani statum provexit imperii, regit atque tuetur, et ad novitatis pueriliter inventum mentis levitate transire. Sancti martyres responderunt : Non erubescimus crucem Christi quæ salutem tribuit mundo, nec mortem corporis eum

Introdusă în format electronic de Google

pertulisse negamus, per quam nobis donata resurrectio vitæ est. Sed qui crucis improperium jactas, attende quia Dei Filio supplicium ligni perferente, sol caligine velatus aufugit, terra contremuit, saxa soluta sunt (*Luc.* XXIII). Et cujus patibulum elementa non poterant sustinere, suum professa sunt creatorem. Qui mortuum calumniaris, agnosce quod tertia die in luminis auras remeavit, et auctore mortis superato, inferorum regno spoliato cœlos ascendit, et gaudentibus angelis triumphum lætitiæ Patris conspectibus reportavit (*Luc.* XXIV). Itaque Deus cum esset ante sæcula, Verbum siquidem Patris per quod condita sunt sæcula, ut hominem liberaret, homo fieri misericorditer delegit. Et ut peccati jugum, mortis aculeum destrueret, Patris obtemperans jussioni, crucis contumeliam, mortis injuriam, propria voluntate suscepit. Et crux quidem Christi sapientibus mundi stultitia est, sed Dei sapientia stultam fecit sapientiam sæculi (*I Cor.* I), docens se humiliando usque ad mortem, quod humilitas est ascensus qua pervenitur ad cœlos, et patientia virtus, cui potestas omnis succumbat inimici. Nec cœleste magisterium decebat, nisi humilitatis ac patientiæ armis accingi, ut superbiam diaboli humilitate dejiceret, et præsumptionis audaciam patientiæ gravitate calcaret, quatenus ad cœleste palatium festinantes perdoceret hostis antiqui contrariis esse jaculis vulnerandam, et unde superbia prostraverat illuc humilitatem conscendere, unde levitatis mobilitas deturbaverat eo stabilitatis gravitatem remeare. Hanc igitur divinæ reverentiæ disciplinam mundanæ philosophiæ, tumor non apprehendit, quæ se non novit humiliare ut surgat, non novit stultam fieri, id est stultitiam suam nosse, quo veræ philosophiæ radios apprehendat, atque ideo crucis opprobrium ridet, mortis subjectionem in Dei Filio reprehendit, tanquam possit humilitas esse vera nisi vilitatis contemptui patuerit, aut patientiæ plenitudinem nisi mortis terminus ostendere possit, sed somniet humana quas nesciat scientia virtutes. Æterna vero sapientia mortales insinuat, qualiter perfectam virtutis arcem et videre et ascendere prævaleant. Non ergo, sicut imputas, inanis superstitio est religio Christiana, sed doctrina vitæ, magisterium salutis, cultus sanctitatis. Quamobrem in Domini Jesu Christi crucem credere fidelibus libertatis est gloria, mortem ejus pietatis officio venerari, vita est ex mortuis. Deos vero quos magnificentia vestra vocat omnipotentes, et misero errore decepta Romana respublica primo coluit, nunc autem superna coruscante veritate, majorem illius partem constat illuminatam, non solum Romani orbis imperium non sublimant, moderantur et servant, sed nec quidem semetipsos vel defendunt, vel juvare possunt. Denique si statuas in delubris spectes locatas, quid divini numinis queunt habere, quibus nec vitæ, nec sensus alicujus inest munus? Quam largiantur opem, ne dicam regno, civitatibus, populis, saltem minime bestiolæ, quæ nec tantæ potentiæ sunt quantam vermiculo vel cimici conspicimus inesse? Hæc enim vivere se sentiunt, illa nihil noverunt; hæc voluntate sua ultro citroque feruntur, illa nisi aut elata, vel impulsa nequeunt moveri, ut puta quibus nullus voluntarius inest motus; hæc appetunt sibi convenientia, declinant contraria, illis nullus est appetitus, quas insensibilitas omni privat affectu. Nullum igitur valent auxilium præstare, quæ sui defectus nequeunt inopiam sentire; imo magnæ dementiæ comprobatur vita rationeque fruentes ab inanibus subsidium sperare. Quod si placeat illos, quorum hæc feruntur imagines, considerare, quid virtutis, quid juvaminis, quid divinitatis possunt habere, qui homines fuisse comprobantur, atque mortis debitum solvisse? Nec homines illi, quos honos virtutis atque decus bene gestæ vitæ reddiderit claros, sed quos tetra deformitas vitiorum omni infamia turpitudineque commaculavit? Denique ille maximus optimusque Jupiter, ex Saturno sive Rhea procreatus, atque Cretæ tumulatus, non deum se, sed hominem nascendo moriendoque fuisse demonstrat. Cui ergo potis est largiri salutem, qui non potuit a se mortem propellere? Vel cui vitæ dabit ortum, qui priusquam nasceretur esse non valuit? Aut qualiter aliorum vitas inebitur ille, qui mox natus ne perimeretur, furtim sublatus, fauces aufugit paternas? Quod si figmentis fidem poeticis dicatis non esse præbendam, historiæ vestræ certæ contestantur esse celatum, ne gladio paterno feriretur, quoniam pater Saturnus, ut regni solus sedem teneret, fidem fratri detulerat, omnes qui sibi nascerentur masculos, se perempturum, quodque servatum fuit in illo qui nativitate Jovem prævenit. At vero Jupiter et Juno gemini cum fuissent editi, paternis vultibus Juno præsentatur; Jupiter autem subtrahitur, et in Cretam nutriendus exportatur. Quæ cuncta cujus indicia præ se ferunt, nisi infirmi et imbecilli? Quemadmodum igitur infirmus præstare potest quam non habet fortitudinem, aut imbecillus cui dabit solamen, alterius ipse cum sit opis egenus? Sed vitam consideremus, quam sancta fuerit, quamque pudica, ut propterea divinos jure meruerit honores, nonne ab incunabulis impius et impurus reperitur, qui patrem non minus crudeliter quam violenter regni sede privavit, et parvus ætate, sed malitia magnus, decrepiti senis non sustinuit annos, fratres nepotesque debellavit, et principatus monarchiam solus invasit, turpitudine nulla abstinuit? Namque germanam conjugem duxit, neque maritatis aut virginibus pepercit, sed stupris adulteriisque omnia fœdavit. Nec proprio quoque sexui servavit honorem, quin libidini suæ corruptelam congessit masculorum. Videris quidem, talia qui gesserit an sit maximus? Optimus certe non est; nisi forte desipiamus, homines qui talia gerunt, sceleratos ac perditos vocamus, ac omnibus pœnis dignissimos judicamus. Tullius Verri adulteria objecit: hæc Jupiter admisit vester. Publio Clodio sororis incestum imputavit: Jovi optimo maximo eadem et

Introdusă în format electronic de Google

soror et conjux fuit. Quid pater illius Saturnus? nonne mortalis detegitur fuisse, qui femineo de coitu filios procreavit? Et parricida, qui natos proprios jugulabat? Et vitiis deditus, qui regnandi cupiditate oblitus fuerat ipsius jura naturæ? Quandoquidem ut solus imperium obtineret, fratre submoto, de sanguine natorum fœdus percusserit. Aut illi merito fortitudo tribuenda, qui victus perdidit regnum, et ut Jovis evaderet iram, in Latio se abscondit? Infelix itaque deus et miserandus, qui regno vacuatur, domo detruditur, nec habet quo quiescat, sed aliene servatur exsul hospitio. Pudet commemorari Martis adulteria, sanguinis effusionem, pro quo reatu homicidii mortis sententiam suscepisse, pœnam vero evasisse Atheniensium deprecatione. Quid Junonis nefarium thorum? quid femineam in pellices efferationem commemoremus? An sanctissimam Venerem, publicum scortum, divinis honoribus exhonorabimus, quæ nullis aliis pro meritis cœleste fieri numen emeruit, quam quod prima meretricibus formam præbuit, legem decrevit? Si ergo meretrix dea est, cur castitas in mulieribus laudatur? cur adulteria condemnantur? cur prostibulum succumbit infamiæ? Certæ virtutes sint opprobrio, quoniam crimina et vitia in diis prædicantur. Quod si stultum videtur, non sunt dii quos vitiis expositos fuisse constat. Deus autem virtutis auctor, et sanctitatis amator est, totiusque bonitatis fons et origo. Virtuti vero adversantur vitia, sanctitati non convenit immunditia, bonitati malitia constat inimica. Quanam consequentia vitiosi, impuri, maligni, divinitatem sint adepti, cum nullum vitium cadat in Deum? Quod si facinorosi sunt pro Deo colendi, non puniantur adulteri, non parricidæ damnentur, non fures plectantur, non meretrices criminentur. Horum denique et similium reos scelerum qui incusat, judicat, punit, Deos quos humana res publica colit, dignos supplicio non divinitatis honore demonstrat. Philosophi vestri virtutibus docent sapientiæque studendum, naturamque hominis a summo Deo propterea ratione dicunt adornatam, ut ea duce vitam moresque moderentur, nihilque aliud fore legem, qua damnantur crimina, virtutesque laudantur, quam naturæ rationem, hocque solum homines bestias superare, si regantur intellectu; eos vero qui legem naturæ corrumpentes confusionem sectantur vitiorum, non homines, sed belluas, quorum tenent exempla, dicendos. Qualiter igitur divinis quasi cœlestes laudibus prosequuntur, quorum turpissima legibus gesta condemnantur? Non ergo sunt divi qui convincuntur esse sceleribus infecti, non omnipotentes quos corruptela vitiatæ naturæ coarguit infirmos. Nec Romani culmen imperii servant mortui, qui viventes proprium sibi regnum servare nequiverunt. Quam cernens insaniam poeta exclamat :

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!

Quid enim valet inanius deprehendi quam facinorosis divinitatis honores ascribi, verum Deum negligere et simulacra venerari? Non est hoc religionem tenere, sed superstitionem defendere; nec pietatem sequi, sed impietatem nutrire. Recte igitur Seneca tales vituperans cultores: Simulacra, inquit, deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem, aut astant, illis stipem jaciunt, victimas cædunt, et cum hæc tantopere suspiciant, fabros qui illa fecere contemnunt. Quid clarius, quid apertius potest dici, quod eorum non religio, sed vana superstitio destruatur? Quid enim habent numinis, quæ præter effigiem nihil retinent animantis? Aut quemadmodum queant auxilia præstare, quibus artificis manus nullum valuit sensum conferre rationis? Aut quid valeant virtutis possidere ex fragili compacta materie? In illo ergo plus potentiæ, qui formavit illa; ille namque fabricavit illa cum non essent; hæc vero nec fuissent quidem, nisi per illum, nec aliud esse potuerunt quam quod fictor eorum constituit. Attamen totum quod ipse manebat non potuit illis dare, quandoquidem nec rationem nec vitam, quæ habebat, conferre potuit illis. Sed quid hunc tantum in medium adduximus philosophum, simulacra deorum ridentem, cum universi fere vestri sapientes similiter intellexerunt atque scripserunt? Quæ etsi coluerunt, vel consuetudine inducti, vel pavore compulsi, quod tamen dii non essent sive simulacra illa, sive quorum dicebantur effigies, homines videlicet nati, et mortui, et senserunt et litteris ad posteritatis memoriam inseruerunt; at idcirco tantum deitatis nomen illis attributum, quod reges potentissimi fuerunt. Quod mortales, ex bestiali feritate ad humanos mores transtulere, non divina quidem virtute, sed humana industria. Quod artes, quod beneficia illis plura contulere, quibus ad vitæ disciplinam et negotiorum commoditatem gerendorum provocarentur. Et rudes quidem homines facile hunc errorem imbiberunt, qui omnes potentes deos esse credebant. Hinc derivatus in posteros error, omnes fere mortales implicuit, ut deos venerarentur, quos antiquitas indocta sacravit. Sed Deus hoc veterno mortales volens liberare, Filium suum incarnari constituit, ut homo inter homines positus, ad veritatis eos viam revocaret, quatenus falsitate relicta, verum Deum nossent, venerarentur, adorarent. Qua de re, non puerilia, sicut insultas, quæ tenemus, sunt dogmata, sed divina. Non enim hæc humana ratio excogitavit, sed cœlestis sapientia revelavit. Hæc suscipere, ad vitam ex mortuis est remeare. Hæc tenere, in æternum est vivere. Non ergo susceptus a patribus error præferendus est veritati, sed magis damnato errore sequenda veritas. Quoniam quo longius paterna per filios vitia propagantur, eo deformitas eorum diuturnitate ipsa cumulatur. Nec de antiquitate falsorum deorum auctoritas roboranda, quando nemo dubitet falsitatem semper fore damnandam. Alioquin de religionis antiquitate si ratio quæritur, constat priorem fuisse unius Dei, qui cum mundi cœpit exordio, cultum, quam multorum superstitionem deorum, quæ

Introdusă în format electronic de Google

Jovis temporibus est inchoata, multorum post homi-
num sæcula mundum violavit. Quæ divinis perfacile
est litteris comprobare. Sed vestras tantum percur-
rite historias, et reperietis Jovem vestrum post pa-
trem Saturnum regnare cœpisse, lucisque exordium
non ante mundum vel saltem cum mundo sumpsisse,
sed pluribus post eorum conditionem sæculis, cum
jam mortalium multitudo terras replerat. Unde con-
stat non ipsum rerum hominumque repertorem, ut
a vobis prædicatur, sed ipsum unum fore mortalium,
sicut litteræ vestræ testificantur, neque illum fore
sempiternum, qui post multos se priores regnare
cœpit in terris, verum hominem superbissimum
qui sibi divinos ascripserit primus honores, brevi
tempore principaturus. Non dicas itaque hos Ro-
manam rempublicam provexisse, regere, atque
servare; quia homines fuerunt, mortis lege in
pulverem, de quo sumpti sunt, olim redacti, aut
simulacra vana sine ratione, sine sensu, sine
vita.

Ad hæc præfectus : Diu vos modestia nostra in deorum calumniam sustinuit obloquentes. Sed si non præceptis Augustorum obtemperantes diis veneratio-nem debitam reddideritis, suppliciis diversis vos faciam consummari. Et jussit eis colla manusque gravibus vinculis aggravari, et in carcerem claudi, ut nexibus vincti, pondere pressi deficerent. Sed sancti martyres exsultabant quod Christo per passiones fieri comparticipes merebantur, et divinæ charitatis igne succensi, molestiam corporis in mentis lætitiam transferebant. Nec divinitatis favor abfuit pro se patientibus; sed sancti Spiritus eorum pectoribus munus infundens, infirmitatem corporis in fortitudinis convertit vigorem. Immane denique catenarum pondus veluti lenissimas plumas sustinebant, stupentibus universis quod parva corpuscula jejunio vigiliisque exæsa tantam gravitatis molem perferre valerent. Traduntur igitur ergastulo die illo, consequenti nocte servandi. In quo temporis spatio, non mœrore corda deponunt, non timore contrahunt, sed per suavitatem spiritus, in charitatem Christi dilatant. Laudes Patri cœlesti celebrant, hymnos libant, gratias agunt, et inter carceris squalores cœlorum gaudia meditantur. Catenis membra vincti, sed libertate Spiritus supernis agminibus sociati, supremum postulant regem, ut fidei plenitudinem athletis suis largiatur, patientiæ virtutem tribuat, perseverantiæ palmam donet, triumphum victoriæ de hostis immanitate concedat.

Altera vero die, rursus tyranni tribunalibus præsentantur. Quos æstimans oblatis muneribus facilius supplantari, blando sermone, tanquam compatientis affectu, eos alloqui cœpit : Cum videam vos nobiles atque prudentes esse viros, doleo non parum tantam dignitatem per insaniam sine fructu deperire. Deserentes equidem cœlestium culturam deorum, reliquistis sanctitatis meritum, virtutum decus, vitæ jucunditatem, et aniles ineptias sectando, turpitudini, infamiæ, egestati vos tradidistis. Quis aliquando sapiens splendida gesta contemnens honestatis, voluntarius infamiæ subiit deformitatem? Quis unquam generosus, vitæ gloriam spernens, abjectus atque deformis esse delegit? Reddite vos igitur claritati patriæ, reddite vos sapientiæ, qui vos irradiat splendori, neque mentes vestras semel male cœpta sententia perpetui erroris laqueis pervicaciter teneat addictas, sed ut docti homines atque urbana modestia instituti, faciles ad id quod honestum est animos revocate. Cæremonias avitas suscipite, sacris deorum immortalium religionem deferte; ego vos multis magnisque muneribus donabo, ego maximis honoribus vos sublimabo, ego vos potestatibus amplissimis magnificabo, ego vos invictissimis Augustis commendabo. Ad hæc sancti martyres, non emolliti, sed hostis antiqui sentientes fraudem, responderunt : O venenum mortiferum serpentis ore prolatum! O mortis poculum Babylonico fulgore politum! Sic olim diabolus paradisi colonos per anguem fefellit, sic genus humanum per purpuratæ meretricis pulchritudinem decepit. Et quidem beatæ quietis incolas, pollicens divinitatis honores, dum supplantat, immortalitatis veste nudavit, et a deliciis placidissimæ suavitatis ejectos, ad labores et ærumnas deflendæ mutabilitatis adduxit. At vero genus hominum, dum præsentis prosperitatem vitæ gloriamque fragilis potentiæ captare suasit, sempiternæ mortis carceri mancipavit. Sed neque adhuc antiquæ fraudis oblitus, dolosæ captionis innectere retia cessat, dum ad suæ malitiæ bellum gladium linguæ judicis corripuit. Et in paradiso quidem bruti animantis fauces tanquam hominis linguam vibravit, hic vero rationabilis linguæ gladium strinxit; quo Christi prudentia præstructos, callidus inimicus subtilioris astutiæ mucrone confodiat. Sed qui Christi potentia victus atque crucis telo confossus est, frustra contra milites ejus arma conquirit, gratis bellum præstruit, non percepturus palmam triumphi, sed exitu lapsum Ipso nunc auctore bellum geritur, qui suis militibus proclamat : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Qua de re signifer mortis, attende. Sequentes Christum non meritorum reliquimus insigne, sed invasimus; non virtutis arcem deseruimus, sed ascendimus; non vitæ gaudium perdidimus, sed mutavimus. Quas ergo præclaris gestis remunerationes extollis, quando persæpe infelix eas calamitas confundit? Quam fortium gestorum prædicas famam, cum vita brevis veloci fine cuncta dedat oblivioni? Aut quam vitæ lætitiam jactas, quando cuncta quæ cernis vanarum gaudia rerum umbra velut tenuis celeriter elabuntur? An splendida gesta Pompeium totius orbis imperatorem juverunt, quando gravissimo superbi victoris timore confectus, legionibus desertus, militibus nudatus, ad hostilis gloriæ palmam capite cæditur, et sine nomine corpus relictum tumultuariam in arenis meruit sepulturam? Vel melior forte Cæsarem fortunæ rota sustinuit, qui post Gallicos triumphos, post civiles victorias, post imperii purpuram, multis vulneribus confossus, gratum suis hostibus

Introdusă în format electronic de Google

super crudeli nece spectaculum fecit? Ubi nunc igitur horum virtutes, quas totum per orbem Romanum magno labore summo studio pepererunt? Ubi divitiarum pompa, quas de toto mundi spatio populis gentibusque subactis congregarunt? Ubi triumphorum gloria, quibus sublimes elati sunt? Hæc igitur cursu breviore finita, quam nihili fuere demonstrant, quæ tanta velocitate prætervolarunt. Non igitur magna reputes quæ sunt tam parva, nec stabilia credas quæ vides tam vana, nec ducas læta quæ cernis tam tristia. Propter quod monemur non diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt : præferunt enim speciem, sed tegunt vanitatem ; potentiam simulant, sed abscondunt infirmitatem ; gaudium promittunt, sed exhibent dolorem. Non igitur felices hæc qui possidere videntur, sed miserabiles qui pro veris falsa complectuntur. Qua de re munera tua contemnimus, dignitates respuimus, promissa pro nihilo ducimus. Servis etenim Christi, quidquid sublime mundus reputat contemptibile est; quidquid gloriosum vile, quidquid blandum exsecrabile, quoniam non appetunt in terris divitias perituras, quibus incorruptibiles in cœlis parantur, quoniam gloria prætervolans mundi non veri boni possessio est, sed vitiorum materia. Si quidem quidquid habet mundus blandimenta carnis noxia sunt, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ omnia non a Deo Patre sunt, sed ex diabolo (*I Joan.* II). Propter quod certissime teneas quod nos a charitate Christi nulla promissio, nullæ divitiæ, nulla gloria, nulla prospera, nulla contraria poterunt separare.

Ad hæc indignatus præfectus, jussit eos equuleis extendi, et plumbatis cædi. Sancti martyres inter flagella cruciatusque dirissimos, spe supernæ gaudebant retributionis, memorantes quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ manifestabitur in sanctis (*Rom.* VIII). Et item quod Jacobus apostolus fidelibus dicit (*Jac.* I) : Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem securam atque fidem, quam cunctorum fructus bonorum decorabit. Qua de re lætitiam mentis trahentes Domino gratias agebant, utque suis famulis virtutes constantiam conferret, usque in finem postulabant. Cumque tyrannus cerneret sanctorum inter tormenta perseverantiam nec flagellis posse superari, pœnas auget, cruciatus multiplicat, et quidquid malignitate diaboli excogitare in vexationem potest sanctorum, inferre non cessat. Cumque compago membrorum vi pœnarum nimia solveretur, et totam corporis speciem unum vulnus obduceret, caro defluereț, secreta viscerum parerent, spiritu tamen fortes in Christi confessione manebant. Erat denique res plena stuporis, qualiter membra fame sitique confecta, jejuniis attenuata, vigiliis fatigata, tot atque tam magnos perferre poterant cruciatus. Sed unde corporeis defecerant viribus, inde mentis virtute fortiores exstiterant; et unde exterior homo corrumpebatur, inde interior ad incorruptionis integritatem augmenta sumebat. Postquam vero diu cruciatos in Christi confessione cernit immobiles permanere, jubet eos rursus carcere claudi, donec inveniat quibus eos tormentis deficere compellat. Sancti autem martyres in tenebris ergastuli constituti, mentis aciem ad superna sustulerant, et quibus temporale negabatur incommutabile atque sempiternum lumen contuebantur. Erant quidem corpora flagris lacerata, pœnis abrepta, tormentis avulsa, sed animus fide fortis, spe solidus, charitate robustus divinas laudes meditabatur. Nec horror carceris, atque noctis tenebræ, superni fulgorem luminis quiverant obumbrare ; sed lucis corporeæ defectus, et tetra domicilii deformitas in mentium migraverant majestatem, et caligo quæ corporis texerat visus, cordis obtutus revelaverat, quoniam spiritualis fulgor non sole succenditur, neque nocte cæcatur, magis autem claritatis suæ lampade et diem vincit, et nocturnas tenebras repellit, Propheta de se loquente : *Et nox illuminatio in deliciis meis* (*Psal.* CXXXVIII, 11). Tandem ergo quieti membra dimittunt, et soporis levamine fessos artus reparant ad laborem futurum. Nec tamen somni gravedine mens obruitur, sed divino igne succensa cœlestium mysteriis secretorum inseritur. Sensus quidem corporeis officiis obturantur, sed supernis revelationibus reserantur. Ecce denique propinquante jam luce, angelus Domini carceris claustra ingressus apparuit, et totius spatium cellulæ magna luminis claritate perfudit, et ait ad illos : Rufine et Valeri, constantes estote, robustaque mente omnem pœnarum timorem superate; in proximo est ut vos Dominus cum martyrii palma ad se suscipiat, et cœlorum civibus faciat cohæredes, ut ibi jam paratas a Domino coronas percipiatis, quas vobis impræsentiarum videndas ostendam. Quibus dictis, coronas super eorum capita cœlo lapsas deposuit. Erant enim supra solis claritatem mirabili splendore micantes, et in similitudinem lapidis smaragdi vernantes, in utraque nimirum qualitate, id est splendida et virenti, eorum quibus delatæ fuerant meritum signantes, quoniam et per immarcessibilem longanimitatis perseverantiam virerent, et per candidissimam virtutum speciem refulgerent, quatenus divinis donati muneribus; et de promissis certi redderentur, et velut in vitæ speculo, sic in eis et palmam victoriæ suæ et præmiorum contemplarentur insigne.

Mane vero facto, jussit præfectus eos sibi præsentari. Qui cum fuissent adducti, vidit facies eorum in similitudine rosarum, ruboris pulchritudine perfusas, ac totius corporis cutem liliorum candore fulgentem. Nec mirum : cœlestis namque minister ornamentorum insignibus capita martyrum decorare jussus, secreta mentium exornavit, et in futuræ gloriæ testimonium exteriores etiam corporis artus irradiavit. Simile quoque de protomartyre Stephano gesta testantur, quod stans in concilio plenus Spiritu sancto angelico refulgebat aspectu. Ille siquidem deitatis fulgor horum pectora illumi-

Introdusă în format electronic de Google

nabat, qui Moysem olim tanta majestate repleverat, ut in ejus faciem respicere plebs Israelitica non auderet (*Exod.* xxx). Sed priora tempora solum legislatorem tanta gratia coruscantem meruerunt habere, at vero nostra sæcula multos. Non enim nunc ministeriorum formas cœlestium per figuras atque umbras inspicimus, sed revelata facie gloriam Domini speculamur, in eamdem imaginem per sancti Spiritus gratiam transformati. Majoris ergo gloriæ pondus non unum, sed plurimos illustrat, ut deprehendatur in universorum communionem per novitatem Spiritus esse diffusum, quod ante numerosa paucitas propter veteris hominis carnalitatem suscipiebat. Videns itaque præfectus admirabili sanctorum vultus majestate coruscare, non divinæ virtutis gratiam veneratur, sed nequitia repletus magos et maleficos criminatur, et propterea illata sibi tormenta vincere, atque diis honorem non exhibere. O miserabilis humanæ cæcitas mentis, quæ de ipsa luce semper obscuratur, et medelam salutis in perniciem vulneris convertit. Hinc est illud Apostoli : *Aliis enim sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II, 16). Eadem quippe causa pro varietate diversæ qualitatis, huic salutem, alteri exitium præstat, non quod periculi materies una sit, sed quod dissimilis qui suscepere conditionis existant. Sic solis radius sanis corporibus conveniens probatur, ægris vero contrarius. Quæ ratio in præsenti facto præbet exemplum, dum tyrannus cœlesti miraculo non informatur ad salutem, sed ad deterioris cumulum provocatur, et inde caliginem coacervat perfidiæ, unde percipere fidei lumen debuerat. Impietatis itaque circumfusus umbra, innocentes et pios, sceleratos et impios conclamat, multos fore qui multis magnisque suppliciis puniti, crudeli morte tollantur, ne per eos amplius Christiana religio convalescat, et cultura deorum depereat. Tunc officio suo præcepit, ut vinctis pos tergum manibus, eos abire secum faceret, quoniam inde properabat ut convenienti loco ad terrorem necarentur. Ducti sunt autem ab eo loco quasi septem millium quingentorum passuum spatio, quo cum perventum est, juxta pervium publicum super ripam fluminis Vuindolæ capite cæsi sunt ; sicque roseo sanguinis sui cruore perfusi, terræ corpora reddentes, beatas cœlo animas intulerunt. Non longo vero post tempore, persecutione cessante, ad proprium locum digno cum honore psallentium sublati, magna populorum frequentia deportati sunt. Ubi sepulturæ pia cum veneratione traditi, congesta desuper mole muniuntur, sive propterea ne possint postea moveri, sive propter insigne memoriæ posterioribus sæculis relinquendum, ut quod prior ætas tumulorum titulos fabricando clarissimis viris exhibebat, hoc sanctis martyribus novi sæculi plebs devota præstaret. Nec tamen sine divina dispositione locus ille sanctorum promeruit sepulturam, ut ubi Christi gregem verbi dapibus paverant viventes, ubi pluribus vitæ januam reserarant, ibi quoque post mortem quiescant ; ut quos ante doctrina imbuerant, virtutibus informaverant, eos nunc precibus muniant, suffragiis defendant. Passi sunt autem octavo decimo Kalendas Julias.

VITA SANCTI ADALHARDI

CORBEIENSIS ABBATIS

AUCTORE S. PASCHASIO RADBERTO.

(Apud Mabill., Acta SS. ord. S. Band.

1. Pretium operis est viros quosque doctissimos imitari, qui pio mentis affectu, charorum in Christo funera pietatis opere deflevere, flendo quoque miris [*al.*, multis] eos prosecuti sunt laudibus. Quoniam, sicut beatus Ambrosius in opere super Valentinianum dixit : « Etsi incrementum doloris sit id quod doleas scribere, tamen plerumque in ejus, quem amissum dolegnus, commemoratione requiescimus ; et dum scribendo mentem in eum dirigimus, intentionemque defigimus, videtur nobis in sermone reviviscere, et totus medullam mentis nostræ influere. » Cæterum posteritatis negotium est ut eorum exempla virtutum litteris commendemus, quatenus et nostrum charitatis debitum proximis persolvamus, et Patrum exempla, quos imitari debeant, filii non negemus. Novimus igitur eos non periisse post mortem, sed beatius immutatos, ut moriendo ad immortalia summæ felicitatis gaudia pervenirent. Ideirco non omnino penitus oblitterandi sunt a memoria, præsertim tales, quorum non desiisse hinc mortis evulsio fuit, sed in melius commutasse. Neque enim fatendum est, juxta quorumdam perfidorum insaniam, quod Scriptura inquit : *Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, nec est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit regressus ab inferis* (*Sap.* II, 1). Neque hoc dicendum, quod ex nihilo nati sumus, et post hæc futuri sumus quasi non fuerimus. Verum igitur est et incunctanter profitendum, Christum resurrexisse a mortuis, et mortem moriendo vicisse, ut similiter omnes, qui in Christo moriuntur, non jam mortui, imo in Christo vivi atque beati inveniantur. Deus enim

Introdusă în format electronic de Google

vivorum est (*Marc.* XII; *Luc.* XX), et non morientium, eo quod in illo qui vivit, omnes qui in ipso sunt, vivi inveniuntur. Unde et Scriptura eos dormientes appellare consuevit.

2. Quapropter officiosissimum est, sicut dixi, sanctos imitari viros, videlicet præfatum Ambrosium, et beatum Hieronymum, reliquosque sacros imitabiles viros, qui suis epitaphia charis facundissime condiderunt. Et si non assequi eorum jura facundiæ queo, materiam tamen loquendi scias non deesse; quia eum recolere scribendo cupio virum, quem sanctum et admirabilem universus pene prædicat orbis; quem quia vidimus, et usi familiaritatis ejus amore, licet indigni sumus, omnino tacere, quamvis indocti nequimus; ut dum eum oculis videre negamur, saltem mentis officio prosequi mereamur.

3. Sed dum hoc cogitare incipio, duobus valde contrariis afficior intus, mœroris videlicet atque gaudii. Sed contristari Apostolus pro tali negotio vetat; gaudere vero non solum mea, verum omnium nostrorum subita desolatio prohibet: quibus utrisque taxatis [*al.*, taxatus] stipendiis pietatum, gaudere magis, multumque congaudere profecto spe promissionis æternæ de tanto patrono oportet. Itaque per felices eum jam transisse agones, quem procul dubio requievisse in Christo sine fine beate mansurum, minime dubitatur. Sed quia fletu amoris vincor potius quam desperationis ignavia, mihi parcendum non ambigo; præsertim cum Apostolus non flere prohibeat, nisi tantum ut de dormientibus, tanquam cæteri qui spem non habent, non contristemur (*I Thess.* IV). Ergo longe aliud est cum desperatione contristari, aliud vero dolere et condolere, quod sic peccati causa huc venimus, ut ad modicum vix parum aliquid esse videamur. Unde procul dubio charorum lacrymis abluere sepulturam debitæ pietatis affectio esse debet, non erroris.

4. Qua pietate, licet mentis ingenio segnis, tui recordor, virorum charissime Adalharde pater, senectutis decus, species sanctitatis, forma virtutum; in tantum, inquam, tui recordor, amoris vinculo, ut vix admodum me valeam inter utraque temperare negotia: qui dum video Dominum Jesum Christum, Lazarum quem diligebat flevisse mortuum, et non solum flevisse, verum turbatum fuisse spiritu, nimium flere cogor, tali ac tanto cœli destitutus oraculo. Cæterum ipsa natura docet charorum non oblivisci debere, sed quibus possumus eos commendare ingeniis; ut et dilectio in mente firma teneatur, visione carnis sublata; et amor in mente qui dudum accensus fuerat, dum melius vivat quem diligimus, non moriatur. Unde, mi votorum charissime, tui superspargo more vulgi sepulcri jura floribus, ornare cupiens funus litterarum officiis: quatenus tuarum aromata virtutum non tumulo teneantur clausa, sed longe lateque in exemplum futuris fragrent temporibus. Neque enim more quorumdam censeo pueros hinc inde super tumulum constituere, qui tuas fingendo laudes debeant decantare, ut instar lugubrium carminum ad fletus et gemitum audientium pectora concitent; sed veritatis jura mihimet torpentis otio ne abdicentur, litterarum fidei commendabo, atque ita tuo refrigeratus alloquio, tui per sæcula memorabor; neque a meo poteris evelli animo, nisi nomen tuum laudesque depromam. Fidelis est mihi conscientia, quod quidquid dixero a tua minus est laude; ideo persuadere mihi de te talia minime erubesco. Unde tua præsens absentia mihi manens, novos in me generat lacrymarum affectus: ita tamen ut præsentia absens faciat gratulari, quam jam perveneris ad diu promissa gaudia felix.

5. Ne, quæso, lacrymanti dicas: Gratulari de me potius quam flere, charorum fili, debueras; præsertim cum scias me evasisse mundi ludibria, et pervenisse ad fontem æternæ vitæ; qui si me diligeres, gauderes utique et congauderes, quia jam fruor immortalitatis stola, et satior intuendo majestatis gloriam. Scio, mi Pater, scio, inquam, quia exutus carneis indumentis, cœlesti jam frueris visione; sed vincor itaque pio perfusus amore, præsentem tuam flere absentiam, quo mihi triste videtur omne quod intueor, dum te suspirans abesse sentio. Et ut verbis Fortunati utar:

> Qualiter agnus amans genitricis ab ubere pulsus
> Tristis et herbosis anxius errat agris:
> Nunc fugit ad campos, feriens balatibus auras;
> Nunc redit ad caulas, nec sine matre placent.

Sic me de tuis, Pater, absentem suggero verbis; dies, inquam, obitus tui mihi utinam non luxisset, quia nec poterat pejor esse mihi exiguo, neque sævior ulla tuis omnibus illuscescere; quo quid agam quidve faciam perpendo, sub mœrore amarus non invenio, prohibente, ut dixi, Apostolo, multum flere volens non audeo; gaudere vero, quamvis invitus, tuæ claritatis gloria persuadeor; jam enim tibi hiems, mi Pater, abiit, et recessit imber. Ergo venerunt nuptiæ Agni, inter delicias paradisi frueris, vox tua sonuit jam in auribus meis, et audita est vox turturis, ita dicens: Sicut audivimus, fili, sic vidimus in civitate Domini. Audivimus quidem gloriosa, sed cernimus potiora, in civitate Domini virtutum. Virtutum ergo, et non vitiorum, quia Deus fundavit eam in æternum fundamento perpetuitatis. Intelligo quidem plane talia te canentem, sed suspiro dolens, et gemo anxius, longe interdum a tuo sejunctus consortio: et quod serius est, orbis te virtutis virum prædicat, nec contingimus, nec videmus

6. Novi igitur quod neque has velis accipere laudes, qui tuas jam in cœlo scriptas procul dubio tenes. Ibi tuum prorsus feceras horreum, ibique tuum semper erat mentis habitaculum. Unde quamvis mihi exigam quod impendo, tibi exinde gratulor, quia frueris quod amasti: mihi doleo, quem depulsum a lacte velocius amisisti; jucundor tui causa, sed mei plango; tuis itaque gaudiis superatus, tandem gratias Deo agere non recuso. Ago quidem gratias, quod talem te habuimus; vincor vero affectu, quia prius te caruimus, quam comites paradisinos tuo asciveris

Introdusă în format electronic de Google

consortio. Propter quod obsecro, mi Pater, prospicias per cancellos, per fenestras quoque Domino concedente voti intuearis filios. Novi igitur qua fueris charitate præditus, quave fide firmus, qualique spe diu velut anchora Domino religatus; certissimum idcirco teneo, quod triplex iste tuus funiculus difficile, imo nunquam resolvitur. Miraris non modo sub pedibus nubes ac sidera, sed etiam altam planitiem cœli, niveo candidatus habitu; ideo precor ne differas misereri humilium, quos dudum ad talia provocabas in certaminis campo. Fortis, mi Pater, fuit ut mors dilectio tua : ideo nullo victus es hoste, nullo superatus agone. Vicisti oblectamenta mundi fortiter; et ideo coronaris, credimus, gloria triumphantis indubitanter. Venite, filiæ Jerusalem, et videte diadema quo coronatus est senex noster solemnitate æterna! quibus ille inauratus est indumentis! perpendite quomodo adhuc juvenis malignum vicerit hostem, quomodo puer mundum pedibus olim calcaverit!

VITÆ EXORDIUM.

Adelhardus Caroli propinqui sui illicito conjugio commovetur.

7. Qui cum esset regali prosapia [a], Pippini magni regis nepos, Caroli consobrinus Augusti, inter palatii tirocinia omni mundi prudentia eruditus, una cum terrarum principe magistris adhibitus; elegit magis justitiæ fore et veritatis amicus quam in illicita consentire, etiam multis oblectatus blanditiis. Unde factum est, cum idem imperator Carolus desideratam Desiderii regis Italorum filiam [b] repudiaret, quam sibi dudum etiam quorumdam Francorum juramentis petierat in conjugium; ut nullo negotio beatus senex persuaderi posset, dum esset adhuc tiro palatii, ut, ei quam vivente illa rex acceperat, aliquo communicaret servitutis obsequio; sed culpabat modis omnibus tale connubium, et gemebat puer beatæ indolis, quod et nonnulli Francorum ea essent perjuri, atque rex illicito uteretur thoro, propria, sine aliquo crimine, repulsa uxore. Quo nimio zelo succensus elegit plus sæculum relinquere, adhuc puer, quam talibus admisceri negotiis, ut propinquo quem contraire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo monstraret. Nec minus igitur Joanne pro justitia mori paratus fuisse creditur, qui pari adnisu illicitam reprehendebat regis audaciam, et spernebat hujusmodi nuptias; nec considerans propinquitatis jura, ut carni assensum præberet· sed leges Christi, quas violare non ferens sibi in animo præponebat. Unde et voluit magis cum Christo mente ingenuus crucis ignominiam ferre, ut fortia quæque confunderet, quam si etiam adoptaretur in regnum, ut esset regis filius.

Corbeiæ ætate vicennis fit monachus.

8. Despiciens itaque Pharaonis regni divitias, pervenit tandem ut monachus, velut Moyses in eremo, Dei frueretur alloquiis. Neque enim adhuc sæculo ita calceatus, poterat cœleste visum in monte videre; sed exutus his omnibus et sanctificatus, Dei agente gratia, discipulus factus est Salvatoris. Legerat ergo: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Neque igitur ignorabat quod facilius sit camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum intrare (*Matth.* XIX); et ideo deposuit aselli onera, ut facilius arctam atque strictam viam mandatorum Dei curreret. Quibus depositis, Corbeiæ, imo Christi ibidem expetiit fontem, velut cervus ille Davidicus (*Psal.* XLI). Quo cum parum fuisset immoratus, subito humilitatis discipulus factus est magister virtutum; et qui pridie pedissequus videbatur, aliorum inventus est dux et prævius suorum in Christo commilitonum. Elegeras enim, bone Jesu, tibi tironem et puerum; non quidem ille te, sed tu illum elegeras et prælegeras, tua præventum misericordia. Elegisti eum ferme cum viginti esset annorum, quando infelix nimium ætas humana fragilis et valde proclivis est ad peccandum; tunc quando omnes tirones tui, cum exirent de terra Ægypti, a viginti annis et supra in libro vitæ te conscripti sunt præmonente (*Num.* I); necnon et cum rursus a Josue recensentur omnes hac ætate, et deinceps qui possunt ad bella procedere (*Jos.* VIII), in cœleste collegium supputantur, hi tantum in castris Domini figunt tentoria, hi soli procedunt ad bella. Sane quia mirum ad modum est tunc vincere, cum oblectatur variis blandimentis; triumphare, multis cum impellitur argumentis. Viginti etenim fiunt quinque quater ducti, aut quatuor quinquies supputati; quibus ita collectis, constat eos tantum ad bella fore promptissimos, qui Veteris ac Novi Testamenti ætate senuerint, et ejus sapientia fuerint educati. Horum igitur virtus est ad bellandum aptissima, et ut se vincant primum monenda; præsertim cum tunc hostis, quantum in carne est, majoribus utitur decipiendi ingeniis.

Bernardi scilicet filius, ut ait Radbertus infra num. 61. Lege observationes Vitæ præmissas.

[b] Huc spectant verba monachi sancti Gallensis in lib. II de Vita Caroli Magni cap. 26. Carolum scilicet post mortem Pippini patris, cum iterato Longobardi Romanos sollicitarent, in Italiam profectum eos in deditionem accepisse, *et in firmitatis gratiam filiam Desiderii Longobardorum principis* (Ermengardem vocant) *duxisse uxorem;* quam non multo post, *quia clinica esset et ad propagandam prolem inhabilis, judicio sanctissimorum sacerdotum reliquerit.* Et tamen Carolus et Carolomannus superstite patre conjuges ex Francorum genere duxerant, quas repudiare, et earum loco filias Desiderii accipere volebant, ut patet ex epistola Stephani papæ ad eos scripta, quæ est ordine 45 in codice Carolino, et Carolomannus biennio post patrem mortuus, jam liberos ex filia Desiderii susceperat. Ex quo verisimile efficitur ambos fratres statim a morte patris, tametsi jam conjugatos, de novis nuptiis cogitasse, et contra Stephani interdictum Desiderii filias obtinuisse: ac porro Carolum, rejecta etiam Desiderii filia, Hildegardem superduxisse, repugnante Adalhardo.

Introdusă în format electronic de Google

Hortulanus constituitur.

9. Tunc ergo tuus, Christe, ætate puer, mente ingenuus, prostravit mundi illecebras : tunc deposuit arma Saul regis, ut te solo lapide, quem gestabat in pectore, prosterneretur [*al.*, prostraretur] ingens animarum delusor. Te denique elegit secum in præcordiis ferre : te auctore contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus dimicare (*Eph.* VI). Quid plura? ita certaminis campum ingressus, pervenit ad cœnobium [a] : ubi annuo pulsans voto, tandem introivit portas justitiæ, per quas soli justi ingrediuntur. Deinde pervenit ad portam virtute mactus, quæ sola suos quosque ducit ad vitam. Ingressus namque est arctam et strictam viam, quæ paucorum est (*Matth.* VII), ut dilatato animo viam mandatorum Dei curreret sagacissimæ artis ingenio : atque cum jam diu ita totus efloruisset inter monasticam disciplinam, ut magis inesse cœlestibus quam terrenis crederetur ; nescio quo ducti patres affectu, quasi ex jussu regio, hortulanum eum constituunt. Qui gaudens ut bonus athleta Christi, ac si inter paradisi delicias, ita obediens lætabatur animo. Sciebat namque Dominum in hujusce sepultum fuisse spelæo, ibique Mariæ ut hortulanum apparuisse (*Joan.* XX). Sciebat eodem in loco eum resurrexisse, etiam inibi visiones angelicas apparuisse. Unde profecto thesaurum effodiens in hortis animi multiplici corpus aromate unguebat Jesu.

Animo excolendo operam dat.

Quid tunc, putas, dicebat, tali astipulatus officio? Ni fallor, dicebat, (si non voce, mentis tamen affectu) dicebat, inquam : Veniat dilectus meus in hortum suum virtute consitum, et comedat fructus pomorum suorum (*Cant.* V). Erant igitur illi in animo diversa virtutum olera ; et idcirco dixisse non ambigitur, ut comedat fructus pomorum suorum : suorum, inquam, quia non sibi, sed Domini applaudebat gratiæ, si quid boni mente gestaret. Alii labores agrorum super excolant quam virtutes animi obedientiæ causa defensi : iste talia non omittens hortum deliciarum animam suam Domino consecraverat. Fecerat enim quod ab eo sibi dictum meminerat : *Pone me sicut signaculum erga cor tuum* (*Cant.* VIII, 6) : quo præsidio vallatus secum in animo Domini magis delectabatur colloquio, quam rerum negotiis temporalium. Descenderat enim profecto dilectus ejus Christus hortum animi illius invisere : descenderat utique ad areolam aromatis, et in eo virtutum deliciis pascebatur : hortus autem deliciarum eo vocatus est paradisus, quod intelligitur mens hominis, quia Eden *hortus deliciarum* interpretatur ; unde et quidam florentem eum dixerunt. Descenderat ergo in eo Christus, ut lilia colligeret castitatis, et videret si jam mala Punica germinassent.

Eloquii suavitate nitet.

10. Est autem boni viri animus, ut dixi, hortus plenus deliciarum virtutibus, atque ita alter denique paradisus. Metitur [*al.*, messuitur] ibi myrrha, membrorum scilicet mortificatio, cum virtutum aromatibus ; colligitur rosa martyrii sanguine rubricata ; nitent poma convallium, cœlestibus disciplinis irrorata ; germinant mala Punica propter odoramenta bonorum actuum : absque eo si quid intrinsecus latet Dei flagrans pius ardor amoris. Inde est, frater, si velis advertere, quod noster senex totus amabilis et suavis erat : inde quod aptus omni eloquio puritatis. Nonne ubi videtur mel et lac ex ejus lingua manasse, qui ita se suo influebat eloquio, ut nonnunquam aliquos ac si ebrios redderet sanctitate ; omnes vero sibi connexos præ dulcore nimio faciens ? et quid aliud erant ejus labia, quam favus distillans ? et ut altius dicam, quid aliud quam organum sancti Spiritus ? alioquin humana non potuisset apprehendere sapientia quæ loquebatur : plena denique sanctitatis munere verba cœlesti manabat [*al.*, manabant] oraculo.

Suorum congressus fugit et Casinum se recipit.

11. Qui cum idem ita longe diuque a sancto ageretur Spiritu, recordatus præcepti Abrahæ fuisse dicitur, ubi inquit Scriptura : *Exi de terra et de cognatione tua, et de domo patris tui, ac veni in terram quam monstravero tibi* (*Gen.* XII, 1). Qui cum secum talia contulisset, cœpit intra se meditari et dicere, quod nondum hoc præcepti genus opere complevisset : qui si mente reliquerat nativitatis solum, reputabat quod adhuc corpore interesset, et si juxta Evangelii præceptum (*Marc.* X), patrem aut matrem aut cognatos jam reliquerat, ut Deo dignus haberetur discipulus, adhuc etiam amplius molestabatur : quia, licet pro dignitatis genere, sæpius tamen eum invisendo propinqui et noti frequentarent, quam quieti viri animus poposcisset. Quo factum est, ut illico alter Elias fuga laberetur, non Jezabel, sed carnis fugiens voluptatem. Quærebat enim severus Christi miles effugere, ut sese fugiendo plenius inveniret : atque ita qui dudum fuerat multis fulcitus blandimentorum obsequiis, factus est hospes peregrinationis : non habens cum Christo (quod egregium habendi genus est) saltem ubi caput reclinet. Itaque sic se fugiens ut se inveniret, pervenit secum in fortitudine verbi usque ad montem Casinum, nolens patriæ cognoscere curas, neque prædicari de se vento jactantiæ laudes. Cogitabat autem solum se velle tantum percepisse, necdum divisum a vitiis, quousque moraretur infra patriæ fines. Et

[a] Adalhardus in Corbeiense monasterium admissus a Mordramno dicitur in fusiori Gallia Christiana. Malim ab Addone ejus decessore, is qui Corbeiam regebat Caroli Magni anno primo regni, ut constat ex regio diplomate Addoni concesso. Addonem præcesserat Leodgarius seu Leudgarius Leudhariusve, qui anno 865 synodo Attiniacensi subscripsisse reperitur in Labbeana editione Conciliorum. Hic est Leucharius abbas, qui scribere jussit Commentarios sancti Ambrosii in Lucam.

Introdusă în format electronic de Google

ne rursus novis diaboli retibus ligaretur, exivit ultra se vadens si quomodo posset relatu veritatis edicere : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II, 20).

Ab anachoreta delegitur

12. At ubi ita conscius venit Casinum, quo totius fons religionis et origo putabatur ; susceptus quidem a Patre [a] monasterii : sed Dei disponente judicio ibi eum paululum licuit immorari. Fertur namque quod illico quidam ei anachoreta in spiritu Dei prædiceret quinam et unde esset, et ob quam causam eo usque advenisset : ac deinde post modicum prædicit adventuros regis nuntios, qui eum repeterent, suoque in loco restituerent. Quod ille audiens turbabatur plurimum quod votis prospera non succederent : qui assumens illico abbatem loci illius, retulit ei sua quæque, rogans atque obsecrans, si quo modo posset effugeret, clementer annueret, quo nomen illius ultra etiam nec a longe audiretur

Reducitur in Galliam.

13. Sed præoccupavit Deus mox eorum consilia : et dum moras faciunt evolvendi, continuo præoccupatur nuntiis, qui tenentes eum reduxerunt in patriam. Quid putas? quam amarus erat animus, quam mœstus, quia ad patriæ fines et dulcia proprii soli arva invitus rediret! Audiant igitur hujusmodi virum nostri concives monachi qui lenti requiescunt umbrarum delibuti fuligine : audiant qui post se sæcularium greges trahunt : audiant, inquam, quod non satis tutum sit suorum se deliniri parentum affectibus. Christus ergo matrem nescit et ignorat fratres, ut veram nobis mentis ostendat fraternitatem : *Si quis*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est* (*Matth.* XII, 50). Deinde revocat discipulum ab officio funeris ne patrem liceat sepelire debito carnis jure : *Sine*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me* (*Matth.* VIII, 22). Hoc igitur totum noverat pius senex noster : et ideo fugere festinabat e medio civium suorum. Recordabatur namque quod Jesus non sit signa operatus in patria : neque propheta sit sine honore, nisi in proprio solo (*Matth.* XIII). Hic autem honore mundi exspoliatus ideirco festinabat exire charorum vinculis, ut vere posset sibi mentis honorem asciscere, atque (ut altius dicam) angelicam in terris degere vitam. Videbatur non satis pauper posse fieri in medio parentum suorum, qui regni pollebant honore, et divitiarum copiis renitebant, et ideo disruptis vinculis clari nominis, voluit pauper fieri sine ambitione, quondam locuples. Sed sui contemptor eximius paupertate fit ornatior, fuga clarior, vilitate humilitatis sublimior : et ut beati Hieronymi verbis (*Epist.* 2 *ad Nepot.*) utar, sint nonnulli ditiores monachi, quam fuerint sæculares : possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant : ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. Adalhardus vero noster, mundi omnia calcans, vicit in schemate, et cuncta quæ mundi sunt sub pedibus attrivit.

Abbas eligitur. Augustini imitatorem se exhibet

14. Et dum ita quietus jam victor celsa sederet in mentis arce, dispensante Dei providentia, rursus ei novus constituitur pugnandi ordo. Agitur namque non longe postquam redierat, proprio consentiente monasterii patre [b], ut nec multum longe dispar, id est alter Augustinus vivente prædecessore successor eligatur : nisi quod ille episcopus fuerit, iste vero abbatis loco subrogatus sit ; utrique tamen perfecti Dei dispensatores inveniuntur. Erat autem idem beatus præfati patris Augustini velut pedissequus operum clarissimus imitator, satis acutus ingenio, voluntate promptus, eloquentia dives, dulcifluus affatu, auditorem tanto afficiens fructu, ut linguam ejus vix aliud quam calamum sancti Spiritus credere potuisses. Prædicationis ejus officium lacrymæ commendabant, et cordis duritiam gemitus molliebat. Fluebat itaque lacrymarum ab eo serotinus imber, quatenus mentes uberius semen fructificandi caperent, et cor audientium hujusmodi sensu charitatis amore mulceret.

Eximiarum Adalhardi virtutum encomia.

15. Vox ejus plena viroris gratia et omni constantia fortior videbatur : ipse vero vultu corporeo nitens, plenus pinguedine sancti Spiritus credebatur. Erat autem juxta illud Horatii (*lib.* II *Serm., sat.* 7) quod magnis laudibus prædicatur,

Fortis, et in seipso totus teres atque rotundus.

Fortis siquidem fide, constantia et virtute solidus, intantum ut nil trepidans nihilque dubitans videretur, etiamsi totus terrore infractus orbis laberetur. Verumtamen si aliqua terroris procella impulsus esset, aliquando spe superabat, aliquando vero ratione vincebat : timor autem mundialis eum nusquam potuit subrigendo transverberare. Teres autem et rotundus ideo in seipso, imo in Deo fuisse dicitur, quia non solum sibimet virtutibus ac moribus aptabatur, verum etiam omnibus congruus erat et amore dignissimus ; intantum ut omnia omnibus esset et pene cunctis lucrifieret. Erat siquidem carne nobilis, sed nobilior moribus : plenus Dei sapientia, sed opere non vacuus : pulchra facie, sed fide ac sanctitate pulchrior : dives progenie, sed ditior almitate, quia propago erat natus de propagine cœli.

[a] Nimirum a Potone, ni fallor, qui ab anno fere 771 in annos sex Casino præfuit, Theodemarum sortitus successorem. In libello de Translatione sancti Viti Adalhardus alter cum Adalhardo nostro Casinum secessisse dicitur. Quod cur mihi suspectum sit, exponam eo loco.

[b] Is erat Mordramnus abbas cujus obitus XIII Kal. Julii reponitur in vetusto Indice abbatum Corbeiensium.

Introdusă în format electronic de Google

De prudentia, et justitia ejus in Italiæ administratione.

16. Totus igitur novo homine indutus erat, et quantum hic mortalibus fas est, in intimo Domino recreatus. Equitatus ejus erat quadriga virtutum : rotæ vero quadrigæ illius, prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. Porro prudentia tanta illi inerat ut fons consilii ex ejus animo manare videretur. Cernebat enim simul præterita, præsentia et futura : ut de singulis prævideret quid agendum, quidve sequendum Dei consilio monstraretur. Justitiam vero quantum sectatus sit testis est Francia et omnia regna terrarum consultu sibi submissa : maxime tamen Italia, quæ sibi commissa fuerat, ut regnum et ejus regem Pippinum [a] juniorem ad statum reipublicæ et ad religionis cultum utiliter, juste atque discrete honestius informaret : ubi tantam promeruit laudem, ut a quibusdam, ita ut fertur, non homo, sed pro virtutis amore angelus prædicaretur. Fatentur enim quod nunquam in judicio alicujus personam inspexerit : neque juxta proverbium vulgi, aureo pugno sit murus ejus animi fractus. Solus, ut aiunt, potuit illæsus fluvium transire Acherontis avari, et sine discrimine cæcitatis ex Alpibus remeare per annos. Ante quem tremebat in promptu superborum altitudo, gloriabatur humilitas mansuetorum : deposuit enim illico in ingressu omnem inde tyrannicam potestatem, qui velut prædones iniqui in populo ferebant : tantoque audentius quantum luciti auxiliabantur domini jure. Unde et omnem terram pessima potestate vastabant. Primum ergo his pacem reddidit; deinde sua cuique pius arbiter jura restituit. Ergo tanta inerat ei sapientiæ virtus, ut pro virga censoris judicis uteretur verbo, neque moram faciens sua cuique quæ justa fuerant designando. Fecit igitur ut suum quique adimplerent officium, et nulli jus usurparent alienum. Erat autem thesaurarius pauperum, viduarum patrimonium, pater vero orphanorum, mœrentium consolator, brachium infirmorum, et forte superbientium flagrum. Verumtamen omnes de supercilio mentis artificioso deponebat ingenio, et nullum penitus frangebat, nisi quem conspiceret irrevocabilem esse.

A Leone papa III laudatur.

17. Atque ita virtute validus mitis et mansuetus Romanorum pervenit ad fines, ubi a domno Leone tunc temporis apostolico, tanto familiaritatis officio est susceptus, ut neminem constiterit Francorum antea suscepisse. Unde nostrorum quidam narrant sibi jocoso dixisse animo : « France, inquit, sciendo scias, quia si te aliud invenero quam te credo, non ultra necesse est Francorum aliquem huc venire cui credere debeam. » Quo profecto patet quantum pondus habuerit idem vir, cujus evacuatio fidei Francorum genus omne probaverit non credendum, cujusve firmitatis fuerit.

[a] Pippinus ab Adriano papa baptizatus, et Langobardorum seu Italiæ rex coronatus est anno 781, estanto Eginhardo : mortuus anno 810 successorem habuit Bernhardum filium, sub quo etiam Adalhardus Italiam administrasse fertur in libello de Translatione sancti Viti, infra.

Lothario Augusto scribit.

18. Sed quantus sit plurimum produnt opera promissionis impleta : et testantur litteræ quas de hac quæ inter homines est tenenda fines, Lothario imperatori nuper direxit, inter reliqua ita dicens : « Quid putas, inquit, o princeps, si fides sæpe inter cruores et sævientium arma, etiam inter paganos tantum valuit, ut quisque se committeret alterius fidei sacramentis : quantum valere debeat fœdus Christiani in veritate promissum? non te decipiat aliquis, obsecro, inquit, imperator, quia fides cum contra aliquem violatur, non homo, sed Deus testis et veritas mea contemnitur. » Talibus dictis procul dubio liquet, quod facilius fuerit ferri violari vincula, quam hujus viri fidei contaminari promissa : præsertim cum in ejus pectore nil toto nisi fons veritatis et mira simplicitas radiabat. Quem si diligenter inspiceres, erat in eo animus sigillo Christi impressus : ideo in nullo penitus corrumpi poterat.

Aliorum virtutes æmulatur Adalhardus.

19. Animus vero ejus erat velut hortus paradisi, fidei muro conclusus, universarum consitus virtutum generibus. Hujus viri imitabatur humilitatem, istius lenitatem : sequebatur autem alterius parcimoniæ victum et mediocrem vestimentorum habitum. Illius quoque habebat patientiam, hujus vero mansuetudinem. Cum frequenti autem suspirio tale mihi verbum pietatis ore dicebat : Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum ac trementem sermones meos? (*Isa.* LXVI, 2.) Tu nosti, bone Jesu, ut quid talia sibi sedulo replicabat mentis affectu. Habebat enim sibi distincte et apposite ad persuadendam hominis sanctitatem : universa tua præcepta sibi animo commissa tenebat, et inde conferebat secum, habens tuorum dicta mandatorum suos ante oculos : atque ita omnium sanctorum vitas uno mentis intuitu considerabat, quorum sedulo ruminabat virtutum exempla, ut ex his omnibus unum colligeret virum perfectum Deo plenum, et religionis officio decoratum.

Similitudo ex Tullio.

20. Scribit namque Tullius, rex eloquentiæ Latinæ, in libro secundo de inventione rhetoricæ artis, quo tempore Crotonienses florerent opibus, atque ita cum beati numerarentur, et templum religionis suæ picturis egregie locupletare vellent, vocasse Zeuxim quemdam, qui omnium pictorum ingeniis videbatur excellere : quem magno pretio conductum adhibuerunt, ut sibi pingeret cujusdam Helenæ imaginem sæculis opus mirabile permansurum. Qui illico quæsivit ab eis quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim deduxerunt hominem in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos magna præditos dignitate : deinde honestissimas ex gymnico certa-

Introdusă în format electronic de Google

mine victorias domum cum laude maxima retulerunt. Cum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur : Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines, quæ quanta sint dignitate, potes ex his suspicari. Et ille : Præbete illas mihi, quæso, ut ex his dum pingo formosissima quæque, transferam super unius imaginem rei quam petere censuistis. Quod illi obtemperantes, pictor quinque delegit, quarum formam suo probavit judicio pulchritudinis esse. Neque enim putavit omnia quæ quæreret ad venustatem uno se in corpore reperire posse, eo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit, tanquam cæteris non sit habitura quid largiatur, si uni cuncta concesserit.

Ob magnam quam habuit virtutum æmulationem Adalhardus Antonii et Augustini cognomine gaudet.

21. Ita si quidem et senex noster ingrediens palæstram hujus vitæ, postquam ablutus est baptismi fonte, post abrenuntiationem sæculi; quo puro mentis intuitu conspexit diversos ad diversa tendentes? Alios quidem vidit sudare ad mundi honores et præsentis vitæ gaudia, alios vero ad luxum et libidinem carnis; nonnullos autem sectari justitiam, necnon et aliquos futuram respicere vitam. Elegit tamen ex omnibus quos potuit intelligere quinque virgines, quæ pio charitatis oleo suas indesinenter ornant lampadas, et parant exire obviam sponso et sponsæ; et has imitatus est vigilanti animo, ne forte fur nocte veniens dormientem subriperet. Audivit etiam ex gymnico carmine sanctorum quam dignas honore victorias, atque ex his omnibus unam in se Christi reformavit imaginem. Illic in uno videlicet Deo et homine Christo Jesu omnia quæ sunt venustatis et decoris æternæ vitæ ultra quam intelligi possit adinvenit : sed perfectum quod in omnibus Ecclesiæ partibus natura prohibuit, gratia concessit, ut sit Deus omnia in omnibus. Ideirco ex omnibus per omnia satagebat, ut jam Christum in omnibus inveniret. Ob hoc autem ab aliquibus, ut epistolæ magistri Albini [a] ferunt, Antonius vocabatur; a nonnullis vero, ut supra dictum est, Aurelius Augustinus : agebat namque istud Gregorii, aliud vero beati Silvestri.

Ejus in egenos liberalitas.

22. Testis est mihi conscientia mea quod sæpe mirabar, cur tantum mutuo vellet accipere, ut indigentibus vel suorum erogaret usibus, donec vitam beati Silvestri inspexi, cujus in hoc imitabatur exemplum, ut semper magis mutuando pauper quam dives inveniretur. Dicebat namque sibi sæpe cohærentibus : « Vis nosse, o, inquam, tu, utrum avarus largusne videaris? scias prorsus quod si timueris quis magis te dedisse quam oportuerit, avarus convinceris; quod si minus quam debueras, largitatis est utique signum. Et ideo te, fili, moneo ut magis si neglexeris, in hoc reus appareas, ut de nostro plus censeas tribuere, quam minus aliquid erogare. »

Sua liberaliter erogans sæpius eget.

23. Novit altissima virtus, quod frequentius in tantum liberaliter tribuebat, ut ipse pauper ac sui simul viderentur egere. Sed tunc lætus, tunc gaudens exsultabat in Domino. Aiebat namque : Utinam vel in modico paupertate Christi participaremur! sed nunquam ei visum est aliquando ad hoc potuisse pervenire negotium, eo quod Christus magis in eo pusillanimes animaret assidue, ut sua liberaliter discerent erogare; et de Dei largitate præsumere; præoccupabat enim eum divina clementia ministrando. Unde cum quodam die omne pulmentum casei de monasterio hospitibus ex integro expendisset, ita ut nihil fratribus reservaret, contigit ut quidam cum esset cellerarius, quasi voce minaci quodam mentis affectu diceret : « Miror, ait Pater, quid tua velit ingentis rei expensio. En nihil residui permittis esse fratribus, quo vesci libeat. Tum ille, ut erat suavis eloquio, arridens : Dominus dabit, inquit. Et ille : Tu semper, inquit, ita polliceris; sed non sic extemplo dabitur, quod tu indifferenter effundis. Interim autem dum hæc aguntur, ecce duo adsunt plaustra pro foribus, unum nescio quid ferens piscium, et aliud plenum caseis. Quod beatus Pater audiens, lætus pro fratre, jussit eum adesse continuo. Ecce frater, inquit, et quod timebas argueris, ecce imprudens convincitur ignavia. Tum ille, ut erat simplex animo, videns se argui beneficiis, Da, mi Pater, inquit deinceps, da quantum volueris. Jam enim non dicam ulterius : Non dabit Dominus; sed dicam prorsus, quia dabitur quantum volueris. »

Exemplo Adalhardi auctor duros corde sugillat.

24. Neque igitur tantus vir prudenti affectu poterat ignorare, quid, cui et quantum daret. Hoc solum vitii, si libeat; deputetur quod aiebat, dicebat enim ita : « Si ad dandum mihi ita exiguum fuerit, ut non habeam quod duobus impertiam indigentibus, quo solum eorum aliquis adjumentum capiat; bonum mihi videtur, cui jure magis competit ut ei totum tribuam, quam utrisque nil pene impertiam, aut eos ex toto vacuos relinquam. » Unde uni impendebat utrumque benevolentiæ munus, alteri pietatis affectum. Videte, duricordes, videte viscera pietatis. Ecce hic, licet non posset largiri omnibus, tamen omnium doloribus et penuriis atque casibus variis

[a] Exstat Alcuini epistola 107 ad Antonium scripta, quæ hoc loco sine dubio a Paschasio designatur : qua hortatur Adalhardum, ut Homeri seu Angilberti salutem procuret, *Volens*, inquit, *per te fieri, quod per me non posse fieri agnovi.* In hac epistola meminit Alcuinus alterius epistolæ ab se ad Antonium scriptæ, quæ non exstat. Sunt qui Adalhardum *Arsenii* et *Jeremiæ* nominibus a Paschasio designari existiment initio libri de Corpore et Sanguine Domini. At Walam significari demonstrabo ad annum 825, quo Walæ Vita referenda est.

Introdusă în format electronic de Google

compassionis affectu, quasi propriis afficiebatur.

Lacrymis deditus erat Adalhardus.

25. Vere tantus ac talis erat, ut de se quippe relatu veritatis potuisset asserere : *Vulneratus charitate ego sum* ; qui nisi vulneratus esset a charitate, omnium casus continuis lamentis ut proprios non lugeret. Flebat autem diebus singulis, si non amplius, semel in die aut secundo, mane videlicet et vesperi. Ignis ergo erat iste in eo perpetuus non deficiens ex altari animi ; sed jugiter tali ardebat voto. Ibi enim fiebat suave holocaustum Domino ; ibi victimæ mactabantur, præcipue in noctis medio ; erat enim pervigil in orationibus. Omnem carnis adipem et concupiscentiarum illecebras tunc cremabat flammarum incendio ; et omnia intrinsecus vitalia caputque cum pedibus, id est initium vitæ ac finem Domini in sacrificium adolebat. Lavabat enim quæque lacrymis primum, ut deinceps omnia Domino mundius cremarentur. Fateor plane nunquam me invenisse virum, cui fons lacrymarum tantus inesset tantusque gemitus. Putares enim intrinsecus omnia fletibus resoluta profundis suspiriis pectus disrumpere. Videbantur in eo ac si tonitrua resonare, dum se crebris tunderet ictibus, ut lacrymarum imbres uberius eliceret. Haud dubium quin tonitrua fuisse recte dicamus, quia tu intus eras, bone Jesu, ut fletibus virtutum rigares semina, et agri pleni quem benedixeras, fructum fonte aspersionis ablueres.

Quam ob causam.

26. Qui cum exiguus ego aliquando ab eo requirerem hujusce lamenti genus et tanti fletus gratiam intulit ita dicens : « Plango, inquit, fili mi, plango, non quasi humiliando flere me conveniam, aut ut altiora cœli sacramenta conspiciam? sed me, inquam, quid sim considerans, plangendo lugeo. Plango quidem, non quia sic me vellem plangere : sed quia me ita plangendum novi, procul dubio plango. » O profunda humilitas viri et altissimum mentis ingenium! dicebas enim hæc, non quód te talem scires, sed ut me, quem talem forte noveras, ad plangendum saltem serius invitares et pectus saxeum sic tuis fletibus emollires : alioquin tu ideo flebas, quod velut intra sancta sanctorum ingressus, nondum continuare poteras quod cernebas. Spes namque quæ differtur affligit animam. Ergo cernebas mentis oculo cœlestem illam patriam, quo hymnidici chori Deo laudes concelebrant : et fruebaris beatum illum et felicem cœli concentum, ubi indefessa voce resultant præ gaudio jubilationis organa ; et quod majus est, adhuc feceras tuam ipsius animam sancti Spiritus habitaculum. Sed cum idem Spiritus paululum altius evolasset ut eum requireres, flebas præ amore nimio, multumque flebas ita dicens : « Anima mea liquefacta est ut locutus est mihi, si quidem locutus est et abiit : abiit ut mens avida fruendi felicius inardesceret, et flammam cum invenisset, in eo charitatis firmius retineret. » Inde erat, mi Pater, quod in mortis articulo non recedebat ab ore pius affectus, ac dicebas : *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI, 3.) Jam enim cupiebas ingredi tabernaculi locum admirabilis, jam vox exsultationis in auribus erat et confessionis in ore ; jam sonus epulantis audiebatur ; jam quodammodo intereras his quorum habitatio est sicut lætantium omnium. Talia quippe dum fleres, tibi ante oculos assistebant : et ideo amore totus elangueras ac dicebas : *Adjuro vos, filia Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo* (*Cant.* v, 8). Noverit pius lector, quod si se a talibus paululum pro quibuslibet negotiis segregasset, quasi a sanctis exiens festinabat ocius ut rediret ; sed continuo totum se inveniens, totus aderat quasi in die nihil aliud inter manus habuisset. Mox etenim aderant lacrymæ, mox gemitus, atque omnis devotio : revirebat quoque animus illico, et omnis sensus corporis continuo mundo moriebatur.

In officio divino quam pius.

27. Quod si ad Dei intrasset officium, ut idem jucundo animo solitus erat dicere, mox omnes cogitationes et causas rerum temporalium ante ostium reponebat, et secum totus ingrediebatur, ut totus Deo ac sibi adesset. Quem si conspexisses, subito videres eum introire suæ secretiora mentis, et nescio quid verenti vultu respicere. Tingebat quippe calamum linguæ fonte sancti Spiritus, ut mundus Deo laudes diceret : inter ipsas laudes nescio quid musicum percipiens, aliquando abundantissime flebat. Et quid mirum? cum ut audivi quodam referente episcopo, inter ipsas palatii populorum frequentias dum rex et consiliarii ejus aliud quid intenderent, et turba more solito undique perstreperet, sæpe eorum in medio positus lugebat, quasi ad agonem flendi huc venisset. Itaque ibi residens aliubi cœlorum regi secretius assistebat.

Extra monasterium ut se gerit.

28. Quod si inter mundi discrimina hinc illucque pro Ecclesiæ negotio occupatus esset, instituta tamen regulæ minime deserebat, sed pro lectione vacabat fletibus, et pro reliquis officiis mentis jubilo Domino famulabatur. Noverant igitur omnes sui comites et itineris socii continuo eum se nolle appropinquari : idcirco procul ab eo gradiebantur, quatenus ille soli Deo vacaret. Venerat enim illi jam tempus, ut neque in monte, neque in Jerosolymis, et, ut ita dicam, neque in aliquo loco, sed ut in spiritu et veritate adoraret Patrem. Templum autem ejusdem Spiritus suam fecerat animam veritatisque habitaculum : idcirco, ut mihi visum est, totus ubique secum totusque cum Deo erat, ac sollicitus cum eo gradiebatur

Dissidentes revocat ad pacem.

29. Inde erat quod profecto semper hilaris semperque mitis ac lætus inveniebatur : inde quod tam

Introdusă în format electronic de Google

patiens, tam longanimis, tamque benignus in omnibus habebatur. Erat enim filius pacis charitatisque catena, ut fraterna sibi viscera invicem cohærerent. Novit hoc Spoletum et Beneventum : qui cum hostili gladio se invicem indesinenter cæderent, factum est ut idem beatus illuc usque ob hoc progrediens deveniret, et Beneventum intraret. Porro ibi cum esset, inter eos tantam restituit pacem, ut usque hodie connexi et confœderati sibi mutuo in pace Christi cohæreant. Unde non solum apud eos, sed etiam apud Græcos et omnes maris insulas, nimiam promeruit amoris gratiam, famam virtutis. Perpendebat autem in hoc dissidio, quod utrique Christiani et fratres essent : neque censuit eos ita Deo placere posse, ut tanta cruentarentur cæde, et suarum prædas facultatum facerent : quia *omnis*, inquit Apostolus, *qui odit fratrem suum, homicida est : et scimus quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* (*I Joan.* III, 15). Unde se medium inter eos pius Pater iniecit, et quam diabolus pacem Christi violaverat, sane ad plenum restituit. Igitur hujuscemodi negotio infatigabilis videbatur, et pro justitia certator eximius.

Veritatis et justitiæ causa exsulat Adalhardus.

30. Unde et factum est cum imperator Carolus [a] dum vitæ fecisset extremum, et Ludovicus proles ejus Augustus successisset in regnum, ut diaboli agente invidia in eo veritas pravorum rursus solitis agitaretur insidiis. Nec novum aliquid, quia apud improbos semper inimica veritas fuisse comperitur, et justitia stultorum criminibus lacerata. Jam enim annosa perversorum improbitas, juxta illud Platonis, beatas et felices respublicas esse ingemiscebat, si eas studiosi sapientiæ regerent, vel si earum rectores studere sapientiam contigisset. Unde dolo accensi atque invidia, excogitaverunt quomodo ac si Danielem ex regis latere amoverent [*Mss.*, facerent], ut justitia ulterius non habendo defensorem statum amitteret; et iniquitas suis perempta fraudibus locum dominandi reciperet. Noveras enim omnium animarum Deus inspector, qui hoc consilium illius cordi inseveras, ut regis et Ecclesiæ cederet jussionibus, quod non nisi ob commune omnium bonorum studium hoc fecerat : videlicet ut libertas potentiorum tyrannide relevata propensius Domino militaret, et universarum jure laudes Ecclesiarum devotius Domino redderentur. Sed Deus, qui suos ad altiora semper invitat, voluit hunc virum manifestius approbare, quantusque esset in adversis ostendere : ut qui tantus Deo victor in prosperis triumphabat, in adversis etiam triumpharet, ut quia jam gratia Dei septem Evangelii beatitudines vita et moribus sibi acquisierat, octavam quæ supererat operibus adimpleret. *Beati*, inquit Evangelium, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* v, 10). Passus est igitur idem malignorum supercilio et accusatus fraude humanitatis, qui amore justitiæ ac veritatis in promptu nil sibi tutum servaverat, nisi se pro ea usque ad mortem modis omnibus tradidisset. Nunquam enim timore occuluerat veritatem, nunquam mendacium locum habere concesserat : sed miseros objecta veri [*al.*, verius] puritate clementer tegebat, quos præsertim avaritia et crudelis imperitorum vexabat ignavia. Unde cum cæcitas iniquorum dolosius aranearum telas quam cautius venandi retia texisset, noluit ante faciem apparere, ne forte pravitatis turpitudo justitia reducente fœdius monstraretur. Quo factum est, ut sine accusatore, sine congressu, necnon sine audientia atque sine judicio, justitia plecteretur in eo. Qui pulsus præsentibus bonis, dignitate exutus, vulgi existimatione fœdatus, ob beneficium reipublicæ exsilium [b] tulit. Sed quam cæca et stulta perversorum calliditas fuit! cogitabant enim inficere bonorum semper et commaculare virtutis famam ob dignitatis ambitionem, præsertim cum eo magis alterius torqueantur gloria, quo nolunt assequi eam qua clari nominis honore digni habeatur. Sed *si Deus pro nobis, quis contra nos?* (*Rom.* VIII, 31.) Ergo mentiti sunt se posse polluere decus ac felicitatem eorum, quia sua in cœlum facultatum tulerunt præsidia. Illic enim neque fures effodiunt, nec furantur (*Matth.* VI). Nemo enim aliquid habet post Deum seipso pretiosius. Ideo qui semetipsum bene operando custodit, necesse est se totum et Deum possideat. Nunquam enim suo se vacuare honore ac facultatum pretio, quo nihil ditius est, privaricari poterit, si se quisque extra se non projecerit.

Virtus, possessio potissima.

31. Pretiosissimum ergo genus possessionis est virtutum decus, quibus nihil gravius acquiritur, nihil suavius amando percipitur, nihil felicius possidetur. Hunc thesaurum sibi senex noster laborando quæsierat, quærendo felicius adinvenerat, inventum autem quocunque iret secum possidendo ferebat : atque ita quanto exoccupatus rebus mundi fuerat, tanto suæ possessioni intentus hinc inde locupletius et se cœlo restituebat. Noveras jam impudens concupiscentiæ quæstus, quia miles Christi non tuis

[a] De quodam reliquiario, quod Carolus ante obitum concessit Adalhardo, in appendice hujus Vitæ dicendum.

[b] Adalhardo quæ causa exsilii fuerit, non liquet. Certe non Bernardi Italiæ regis factio, cum ea cœperit anno tertio exsilii Adalhardi, qui proinde non ob id relegatus est, quasi particeps ejus fuerit. Neque porro usquam inter istius conjurationis reos nominatur, tametsi auctores præcipuos memorant Eginhardus, auctor Vitæ Ludovici Pii, aliique. Certe exsilium hoc Adalhardo ejusque propinquis inflictum videtur non aliam ob causam, quam quia homines potentia et ingenio præditi suspecti fuere Ludovico, pio quidem Augusto, sed suspicioso ac meticuloso. Id colligitur ex Vita ipsius Ludovici, ubi hæc de Wala ad annum primum imperii Ludovici : *Timebatur quammaxime Wala, summi apud Carolum imperatorem habitus loci, ne forte aliquid sinistri contra imperatorem moliretur.*

Introdusă în format electronic de Google

tenebatur vinculis, neque tua offuscabatur caligine : sed celsa præsidens charitatis arce, mundum quasi sub pedibus suo liberalitatis dominio subjugarat. Idcirco non quocumque invidentium zelus, sed quo Dei agebatur spiritu, quasi ad epulas invitatus satis admodum ultroneus ibat. Dic, quæso, misera mundi cupiditas, quid inanibus gaudiis raperis? quid externa bona et momentaneum luxum pro æternis vitæ deliciis amplexaris? noveris quod nunquam tua facias esse, quæ a te natura rerum fecit aliena. Quod si naturæ satisfacere quæris, scito quia parum est quod requirit. Quod si cupiditatis luxui nil satis esse poterit, o misera mortalium præsumptio et temeraria virtutum imitatrix cupido, ut quid tantis immergeris fluctibus? quid mortis æternæ præoccuparis casibus? ut quid ultra te inconsulte transcendis, cum inde si quid esse potuisses, totum amittas? Ecce cum justitia et veritate bellum te semper habuisse novimus : et inde est igitur quod adhuc livore torqueris. Tu primo mundum in Abel fratricidio cruentasti; deinde per omne tempus sanctorum millia iniquitatis gladio trucidasti : et, quod scelestius est, Dominum cupiditatis pretio vendidisti. Porro adhuc vincendo vinceris, quæ jam sanctorum pedibus conculcaris. Quare non audis, infelix, adversum te sanctorum querimonias sub altare Dei clamantes : Vindica, Domine, sanguinem nostrum! (*Apoc.* VI.) Forte cogitas quod in isto sanguinem non fuderis, ideo te excusatum iri? fateor plane quia mentita est iniquitas sibi. Audisne dicentem Dominum : *Mihi vindicta, et ego retribuam?* (*Rom.* XII, 19.) Sed quod tu excogitaveras improvise, ut senem nostrum terrarum sedibus exsulares, Dominus ejus hoc usus est ad coronam. Igitur more solito tuum cæcitatis malum convertit in alterius bonum. Ecce rursus ponitur aurum in fornace : ecce tentationis igne probatur : tunditur ac limatur : igitur, ut speciosum vas in honore formatum possit clarius renitere. Sed dum præsens quisque talium contemplatur rerum eventum, fortassis censet juxta illud Virgilii,

Nec curare Deum mortalia quemquam.

Justus enim aliquando ecce in sua perit justitia, calumniantium fraude perimitur, et pravus sibi quisque vindicat sapientiæ laudem. Verumtamen utrarumque rerum finem rei probavit eventus.

Ad Heri insulam relegatur Adalhardus. — De reliquis ejus fratribus et sororibus.

32. Interim vero senex noster, sapientia probus, mittitur quasi unus ex ignobilibus ad Heri insulam. Missus vero illuc omni humano privatus honore [a], sed cœlesti interim undique vallo fulcitur. Dissolvitur autem ad tempus quam felix quadriga germanitate in modum illius Ezechielis conjuncta : super quos Jesus lorica virtutum succinctus decentissime præsidebat. Erant igitur quinque unius viri semine propagati : quorum trium imperator Augustus familiari usus consilio, una secum fundabili quadratura Francorum imperium satis admodum dispositum regebat reipublicæ augmentatum. De his namque equis Habacuc non incongrue Domino cecinerat dicens : *Qui ascendis super equos tuos, et equitatio tua salus* (*Hab.* III, 8). Quorum quidem impar cursus, sed par animus ad palmam in primordio ferebatur. Porro jam deinceps præsidente eis Spiritu sancto æquo voto in his unum propositum consummatur : qui primo quidem discolores videbantur equi currere, sola voluntate concordes; postremum vero, ut beatus Hieronymus ait, iidem in hoc opere unum aurigæ jugum trahunt æqua cervice et proposito pares, non exspectantes flagelli verbera, sed ad vocis Christi hortamenta ita ferventes, ut magistri ac duces exercitui fierent sanctitatis. Erat autem major natu senex noster sanctissimus, ætate ac gratia jam Domino consecratus; maturior consilio, eximior omnibus sanctitate. Deinde Wala virorum clarissimus, qui ei successit postea monachorum Pater eximius; affinia familiaritate regi inhærens [*al.*, inhæsus] [b], et maxima præfecturæ dignitate subvectus; in senatu clarior cunctis, in militia vero prudenti animo fortior universis. Quem tanta laus sequebatur in omni vitæ negotio, ut longe plus censeretur amore posse, quam omnium fastus etiam et tyrannis reliquorum. Erat enim justitiæ custos et decus honestatis, oppressorum quoque justus oppressor.

De Gundrada et Theodrada sororibus ejus et Bernario fratre.

33. Quibus inhærebat ex latere sexu soror Gundrada, nomine dispar, sed virtutibus procul dubio compar, fratribus assiduitate præsens. Si quidem virgo familiarior regi, nobilium nobilissima, quæ inter venereos palatii ardores et juvenum venustates, etiam inter mulcentia deliciarum et inter omnia libidinis blandimenta, sola meruit, ut credimus, reportare pudicitiæ palmam, et potuit, ut dicitur, carnis spurcitias illæso calle transire. Pudicitiæ, inquam, sceptra secum tenuit : quia prorsus sibi locupletius fore credidit integritatem servasse carnis, quam roseos castitatum flores violare. Est autem pudicitia virtus, qua feliciter ut probatur coronari meruit, velut Tertullianus facundissimus ait ita dicens (*de Pud.*, *c.* 1) : « Flos morum, honor corporis, decor sexus, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanitatis, præjudicium omnibus bonæ mentis. » Ac deinde : « Quanquam rara, inquit, nec facile perfecta vixque perpetua. » Hujusce igitur Christi famula inter omnia castitatis discrimina delegit expetere campum certaminis, et meruit triumphum obtinere pudoris. Reliqui vero duo, videlicet Bernarius noster, et Theodrada soror ejus Deo de-

[a] Adalhardus junior, ejus alumnus ac discipulus, vicem optimi parentis gessit toto illo septennio, quo exsulavit Adalhardus senior, infra num. 66.

[b] Walæ Vita duobus libris scripta exstat infra ad annum 835.

Introdusă în format electronic de Google

vota, quæ jam reddito fructu nuptiarum secundum castimoniæ gradum arripuerat, ad pedes Jesu cum Maria domi sedebant : illa quidem Suessionis sanctimonialium regens vitam ; iste vero Christi discipulatus nobiscum habens formam : utrique tamen ad unum bravium supernæ vocationis currere festinabant.

De eorum unanimitate et concordia fraterna.

34. Video igitur in hoc eorum quinario numero dulci, sonum utrisque partibus revolutum personare musicum, et ad aliquid harmoniæ horum quantitates concinere. Porro si primum inspicias viros, et secundo duas sorores, erit diapente Græcum et proportio sesqualteræ quantitatis, tres enim duplum medietate sui ad aliquid vincunt : et concinit unus, videlicet beatus senex noster, inter duos et duas : atque ita mellifluam musicæ symphoniam artis et pyramydem geometricæ disciplinæ formam reddunt. Sed quod operatur unus, id est Adalhardus senex, inter quatuor, ut bene concinant ; hoc vero isdem supereminens, ut in modum ignis quadrati cœlestis patriæ amore ardeant, invitat. Alioquin si respicias eos in negotio reipublicæ prælatos, erunt rursus tres publicis, velut Martha, mancipati officiis, et duo ad pedes Jesu intenti, tantum ut audiant verbum. Atque ita medius est pater noster senex, qui inter utrasque vitas, activam scilicet et contemplativam, interdum medie temperatus incedit. Denique si eos rursus diligenter attendis, tres eorum si quidem sunt qui continentiæ triumphum sortiuntur, et duo qui primum castum meditantur connubium ; ad postremum vero utrique par jugum monasticæ disciplinæ trahunt. In omnibus igitur vestiti duplicibus, in omnibus consoni et concordes atque concelebres [*Boll.*, concolores] prædicantur. Conspicio quidem eos cum Benjamin singulos inter patriarchas quinque indutos stolis ; sed a Jesu nostro veste simpliciter nuptiali postmodum gloriosius decorari : contueor autem quoque talenta credita, sed his omnibus unum præmium lego super appensum.

Alio relegantur.

35. Qui cum ita his avidius in invicem pro se et in omnibus decertarent, venit invidiæ ventus, et dispersit eos procul ab invicem, in quibus præsertim florebat totius regni decus : ut et ipsi probati manifesti fierent, et ad quos devenirent, eorum virtutibus fulcirentur. At vero Corbeia tunc, multorum quoque ore jam diu laudata, mœrens ac flens cum se tanto viduata patrono lugeret ; in consolationem sui, Domino dispensante, meruit suscipere Walam, clarissimum virum, inter reliquos quos habebat nobiles, velut tironem Christi, quem postea post decessum fratris vice Christi gaudens sibi exsulat patrem habere. O providentia Dei et parati oculi discurrere in omnem terram attingens a fine usque ad finem fortiter, disponensque omnia suaviter ! quam incomprehensibilia sunt opera et judicia tua universa, qui cæcitate humana uteris inæstimabili lucis consilio ! Flagellas enim ad tempus filios, quos coronare disponis. Inde igitur est, mi Pater omnipotens, quod Bernarius noster Lirinum [a] remittitur : Wala vero tuus Corbeia, ut dixi, tiro recipitur. Qui deponens militiæ cingulum, ut te totum velle sanctitatis indueret, arripuit primum tirocinia paradisi, ut consummaret in se mensuram Christi. Theodrada namque quasi innocens sub sancta professione Suessionis relinquitur : porro præfata Gundrada ad sanctam Radegundem quondam reginam mittitur, ideirco ut cui communicaverat ex parte florens inter palatii discrimina, imitaretur virtutum ejus insignia : et cum ea die noctuque Deum exorans, de se suisque interdum consolationem obsecrando reciperet.

Exsilium læto animo subit vir sanctus.

36. Sed cum iidem quasi exhonorati secedunt a palatio, procedit senex noster quasi ad epulas invitatus inter eos, ut aiunt, fortis fide, mente alacer, conscius puritate. Agebat namque gratias quod dignus inventus fuerit pro veritate contumeliam pati (*Act.* v). Deinde nunc fratrem osculo deliniens lacrymantem, nunc sororem blanditiis et sanctorum afficiens hortamentis, amicis persuadens mentis fortitudinem, proceribus vero palatii exhibens virtutum exempla, porro in omnibus mirabilem mentis suæ constantiam demonstrabat : ita ut quidam archiepiscoporum duo flentes ab eo regressi, ut fertur, imperatori Augusto interroganti dicerent : Quid putas, o, inquiunt, imperator? nunquid vindicare te cupis hunc virum exhonorando, et qualibet terrarum parte eum exsiliando? Fatemur plane quod nunquam ei gaudium huic simile facere potuisses, quo nunc ei probata patientia cœlitus condonatur, præsertim cum hodie sibi nimium gratulatur, pristinam in Christo recipere libertatem. Unde scias, quod nunquam lætior, nunquam jucundior a nobis visus est aliquando, itaque nullum ferientis spe sancta subnixus pavet occursum, neque eum ullus hinc penetrat dolor. Quod audiens imperator, pudore suffusus, doluit se fecisse quod jam ruboris erat inhibere.

Imperatori non indignatur.

37. At vero pius Christi famulus hoc Cæsari quasi pro crimine imputantibus aiebat, dicens : Nolite, quæso, fratres mei, nolite attendere, quasi quod de nobis agitur, in hominis sit potestate. Fateor enim etiam si idem aliud delegerit, quam quod a Deo semel prolatum est, non posse penitus retractari, nisi

[a] Et tamen in Vita Ludovici Pii Bernarium, non Lirinum, sed Floriacum exsulasse, aut certe Lirino in Floriacense monasterium abductum fuisse, colligitur ex verbis auctoris, qui ait *Bernarium a monasterio sancti Benedicti evocatum et reconciliatum*, eidem cum Adalhardo fratre fuisse restitutum loco, nempe monasterio Corbeiensi.

Introdusă în format electronic de Google

primum hoc opere compleatur : neque possunt compleri disposita, si non idem annuerit. Idcirco moneo vos, charissimi, attendite Deum in nobis, licet per cujus non optassem manus, voluntatem suam explere ; quia, secundum Job, cum ista expleverit, talia ei præsto et quam plura sunt multa (*Job* XXIII). Alioquin, cum expletum fuerit quod præfixum est, non quod in istius erit voluntate, sed prout suo clementer annuerit nutu, quandoque revocabimur. Interim vero, quæso, parcite a Deo collato nobis principi, quod non sua quodammodo, sed Domini nostri cui peccavimus, interdum utitur voluntate. Cæterum juxta beati David vocem, si Dominus incitat eum adversum nos, precor, suppliciter exorate ut sacrificium humilitatis nostræ odoretur (*I Reg.* XXVI), et suos suscipiat pœnitentes in omnibus : ita tamen ut ejus fiat voluntas. Ecce quanta et quam immobilis patientia illi inhæserat ! quanta doctrina, quantaque viscera pietatis ! Igitur inter omnia hæc et inter omnium voces gementium et lacrymarum alloquia, medius de so consolator erat et persuasor virtutum.

Viro sancto proficiscente omnes ingemiscunt.

58. Erat enim quasi speculum sanctitatis et inter omnium querimoniarum jura causidicus irrogantium. Dic, rogo, quis tunc vel saxeum pectus habens non fleret ? quis præcisus vel de silice non doleret ? aut quis vel ferreis continere se poterat oculis ne lugeret ? maxime ea hora, cum omnes una voce plangendo clamarent : Pessima cæcitas malumque consilium ut fons consilii exsilio deportetur. Istud, inquiunt, non recuperabitur, neque Francorum quisquam ei similis tantusque charitatis ac veritatis invenietur assertor. Plane, fatemur, pessima fraus et callidus veneni dolus ! Ecce quam iniquissimum instat tempus, dum justi et boni exhonorantur viri, et nemo est qui interdicat. Quid igitur, putas, erit de nobis ? Ecce, aiunt, tollitur pravitatis interdictor ; et quis ultra justitiæ locus erit ? quæ consilii sanitas ? præsertim cum omnes sua quærant. Nemo igitur reipublicæ, sed pessime sibi quisque consulit, consilium pro muneribus venditur, sequuntur retributiones, propria lucra considerant.

Septem annos in Heriensi insula exsul egerat.

59. His et hujuscemodi querimoniarum vocibus usi, generaliter omnium corda singulorum fletibus ingemiscere cogebantur. Ignorabant ergo quod Dei occulto judicio factum sit, ut senex noster mala cum fierent ne videret, et pœna peccati interim [*mss.*, interdum] in quosdam liberius desæviret. Tunc itaque quasi ei hoc solum deesset quod primum concupiverat, Domino dispensante ab humano pellitur orbe. Et credimus quod cœlestibus pastus sit sacramentis, ut cui vetitum erat solum terrarum cernere, Joannis exemplo cœlestis patriæ inquisitor fieret. Quid putas ? nunquid Deus oblivisci poterat quod primum contra ejus decreti voluntatem tali eum ab officio retardarat ? Sed nunc fortassis ideo ei votum diu desideratum conceditur, quasi ut quem prius Deus labore hujusce honoris læserat, tandem posterius concessu operis deliniret ! quem si vel tenuis pulveris inter hujus mundi discrimina maculæ sordidassent, angelico assuefactus consortio fontibus lacrymarum abluueret. Quod factum procul dubio creditur, ut septem annis, qui ad hoc sacratus est numerus, sancto ibidem spiritu ageretur, si quomodo septiformem ejusdem spiritus gratiam ex integro accipere meruisset : alioquin non talis : e tanta fuisset collata virtutum fama, nisi quia divino arbitrio conventum est, ut qui pene omnibus Europæ partibus jam clarus inerat, etiam Aquitaniæ solum extremis finibus illustraret : ut qui sibi pollebat ubique sanctitatis nomine, illuc usque cunctis clarior redderetur, ac deinde ubique fultus Dei auxilio præmiis meritorum uberius abundaret.

De magno Heriensium monachorum per sanctum virum profectu.

40. Hujusce rei testes idonei sunt assertores sancti fratres, inter quos idem beatus, ut ipsi fatentur, vita angelica per septennium visus est habitasse. Quos fratres idem ad omnia quæ Dei sunt, sancta devotionis flamma movebat ; quoniam tanta charitatis virtus in eo erat, ut omnibus se posset influere, et suo eos amore in Dei causa firmius solidare. Dei quippe altissima virtus asperos ei quosque secundabat ubique casus, quæ tribus pueris medium fornacis fecerat tanquam spiritum roris flantem. Unde nec procellis allidebatur, neque vi ventorum impingebatur. Christi enim erat fundatus amore, et, ut cum Apostolo dicam (*Rom.* VIII), quis eum separaret a charitate Christi ? tribulatio, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius ? vere, ut evidentius loquar, neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, sed neque ulla creatura poterat eum separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu ; fundati enim erant pedes ejus supra petram, et ideo non poterat commoveri.

De eorumaem in Adalharaum amore et veneratione.

41. Unde cognoscentes eum beati viri, inter quos quasi sub custodia degere primum videbatur, cœperunt magno ejus amore inardescere, et nimium venerari, non ob regiæ quidem propinquitatis honorem, sed pro venustate morum et sapientiæ documentis, necnon et pro sublimitate virtutum in tanto eum honore præferentes, ut etiam ejusdem loci Pater et omne illud collegium sanctum Patris eum venerarentur obsequio, et secundum ejus consilium sua cuncta tractarent, et obedirent ei in omnibus, prout is semel ore aliquid protulisset. Tu enim hæc omnia, Deus Pater incomprehensibilis, tuo disponebas nutu, ut et devotus tuus famulus tandem aliquando diu optato potiretur otio, et devoti milites tui ejus fulcirentur consilio.

De ejusdem in Heriensi insula mansione.

42. Vacabat igitur illic jam cœlesti sabbato frui-

Introdusă în format electronic de Google

tione perenni, et gustavit [*al.*, potitus est] quam suavis sit Dominus. Unde quam immensæ laudes et gratiarum actiones ibidem ejus resonarent ab ore, puto, nemo est qui possit ad plenum edicere. Siquidem erat ei felix illa habitatio in modum paradisi, ex quo serpentis invidia primus ejectus est homo. Et mirabilis satis admodum ordo : ille quidem projectus inde confusione tegitur, iste vero ejusdem suasu quasi revectus ibidem gloriatur, eo quod jam consortio frueretur angelico. Erat igitur ei, ut quidam poetarum eximius ait (*Virg.* II *Georg.*) :

Quam secura quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum, et latis otia fundis.

Atque ita nimium jucundus inter mulcentia sanctitatis otia lætabatur, quasi inter florigeri paradisi amœna ; nec dubium veritatis odio cum beato Joanne adeo usque exsilio deputatus, sicut venerabilis [a] Beda presbyter ait (*in serm. de S. Joan*).

Exsilio ut proficit.

43. Quin licuit cernere fluctivagas ubique mundi rotas, et Babylonis ac Hierosolymorum mistim confligere castra, hinc inde vicibus tela atque fugam capi. Inde erat, mi Pater omnipotens Deus, quod tuus athleta tantum pro discrimine hujus vitæ fluens lugebat, ac dolore suffusus nimio lamento gemebat, rogans ac petens præsertim ut suorum parceres hostium cæcitati. Videbat enim et prævidebat jam senex pater hoc in tempore miseram humani generis vitam deliciis annullari, et Jezabel propheten se dicere, et seducere servos Dei, fornicari et manducare de idolothytis, ventris ingluviem sequi, et libidine coronari ; quia, inquam, monstrum videri posset, si gula sine luxu, aut luxus sine gula regnaret. Heu quam misera conditio ventris, qui talium affinitate partium cohærens, utroque cluditur fine, et malæ felicitatis fastu casso vestitur honore ! Unde, quamvis voce poetica utar, moneo vos

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,

hinc fugite, quoniam serpens his usibus latet. At vero præfatus senex noster interim eos flere non cessabat quos aviditate ditescendi [*mss.*, ditandi] velut quasdam aves nox illuminat et dies cæcat : qui, dum non dispositionem Dei, sed suos intuentur affectus, licentiam vel impunitatem scelerum omnino putant esse felicem. Sed eorum interdum immanitate flagitii cœlesti viro beneficia cumulantur, in tantum ut omne sibi gaudium æstimaret affuturum, dum tentatione ad victoriam functus sit invidorum. Idcirco quocunque se verteret, proficiens ultra atque crescens ibat.

De ejus in adversis patientia.

44. Gaudebat ergo ut Dei in eo compleretur voluntas, quia totus Deo subjectus esse parabatur. Aiebat namque, inter reliqua patientiæ suæ verba, de suo quærenti exsulatu, ovium se velle imitari simplicitatis exemplum, et ad instar leporis mutationem loci non curare. Ovis enim, dicebat, propter aliorum caloris indumentum suo sine invidiæ zelo nudatur vellere, et de sui indumenti exuviis alterius fovetur nuditas. Ita siquidem et in me aliquod si est utilitatis prudens opus, velim ut quilibet id gratis sine meo percipiat quæstu ; atque ita, si fuero huc illucque, addebat, pro insidiantis impulsu more leporis fugatus, neque locum quietis quo dudum prorsus insederam, cum mœrore relinquo, neque ad quem propellor, cum amore teneo. Nostra autem conversatio in cœlis esse creditur (*Philip.* III) : idcirco quæ sursum sunt sapimus, et non quæ super terram (*Col.* III). Mortui enim sumus cum Christo, et vita nostra cum eo in cœlis est abscondita ; ut, cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos simul cum eo appareamus in gloria (*ibid.*). His et hujuscemodi verbis ad petram quæ Christus est (*I Cor.* X), fratrum animos solidabat, ut quia inter fluctus marinos extra mundum positi videbantur, spe quam velut anchoram habemus, cœlo profundius firmarentur [b].

Honoribus tandem redditur

45. Quibus paterna ex acie per septennium ita discretione virtutum vallatis, factum est, Domino annuente, ut sui exsulatus jam finem faceret, et clarior propriis honoribus redderetur. Propriis ergo dico, quod merito sibi competerent, et idem summum paternitatis officium meritis illustraret. Alioquia honoribus dixi reddendum, quem proprius meritorum honor ubique et sapientia decorabat : non quod amiserit, quo reverentia dignus censeri posset, sed æstimatione vulgi privatus honoris officio, quantum in ipsis fuit, dignitatum falcibus redbibetur. Cæterum exhonorari, sicut consulta veritas patefacit, non poterat, quem cœlestis gratia illustrabat, præsertim cum indebitus honor potius turpet insipientem, dum summis sedibus inclarescit, quam decoret ; quia minus ejus dedecus patuisset, si non altis sublimaretur officiis : quo velut struma (ut quidam ait) in superficie cutis eminet, unde indignus prælatus videri possit. Sed senex noster non tam alienis quam propriis meritorum honoribus ubique ab omnibus veneratur, ab omnibus interim dignus honore censetur. Verumtamen quia improbos, ut dixi, dignitas reverendos nequit facere, dum pluribus eos ostentat, sed despectiores, imo indignos eadem dignitas facit. Cæterum senem nostrum tanta præditum dignitatis magnificentia fuisse constat, ut non solum per sublimitatis gradus illum contingeret videri honorandum, sed quia multo erat fultus consultu, idcirco etiam inter ignotos nimium videretur honorabilis.

[a] En Beda *venerabilis* dictus a Paschasio Radberto, quo tempore etiam Jonas eidem hoc cognomentum tribuit, ut dictum est in ipsius Bedæ elogio ad annum 735.

[b] Adalhardus, dum in illa insula exsularet, jussit describi Historiam tripertitam, qualis hactenus inter mss. codices Bibliothecæ Corbeiensis apud nos asservatur sub .

Introdusă în format electronic de Google

Applaudent et congratulantur.

46. Quo factum est ut, peracto tempore, cum summo tandem revocaretur obsequio, ut pristinam reciperet dignitatem [a], passim omnibus exsultantibus et congratulantibus pene cunctis. Unde lætitiæ voces hinc inde ad cœlum usque tollebantur. Gratulabantur monachorum cœnobia, resultabat jucunditate clerus ecclesiarum, vulgi quoque gaudia ubique ridebant; factus est autem concursus populi, quasi si in communi omnium festo cœli præconio insignis redderetur

Heriensis soli dolent.

47. Fratres autem cum quibus interim degerat, audito suæ regressionis die, cœperunt profecto contristari et mœsti esse, atque quodammodo gratulari: contraque præ nimio amore ingenti animo lacrymabant, lacrymando quoque vix eum dimittere cogebantur. Inter quos virtute venerabilis Ragnardus, qui postea abbas [b] eligitur, præcipuo fervebat mentis spiritu, flens mœrore animi, et flendo quoque lætabatur. Lætabatur quidem, quia veritatis amator locum taxati meriti recepisset; sed dolebat valde quod tanti viri præsentia privabatur. Unde factum est ut, cum pius Dei cultor jam jamque inde abiret, et omnes fratres ardenti animo ejus vestigia gressusque osculando lacrymis abluerent, eique valedicerent, præfatus vir Dei domi infra lacrymarum cubicula sese reciperet, ne proficiscentem videret, quem plusquam se manere secum vellet, pro quo mori etiam procul dubio paratus esset. Sed cum senex eum multum diuque exspectando requireret, inventus est in quodam obscuritatis loco flens et ejulans, multaque trahens suspiria. Qui cum vocatus esset ut seni valediceret, illeque nollet exire, precatus est internuntios ne eum ibi plorantem detegerent. Quod audiens charitas sancti viri, regreditur jam de navi, ne fratrem quem sanctum noverat, inosculantem omitteret. Veniente autem ad eum sancto sene, cœpit idem magnis vocibus inclamare ac dicere: Quid hic quæsisti, felix Pater? vel cur te mihi nunc ostendere voluisti? Testem, inquit, Deum habeo, quia mallem te hic mortuum sepelire, quam me relicto hinc vivum habere. Tunc omnes fratres et famuli magnis eum prosequuntur fletibus; levantur vela tandem, remigia impelluntur; dant omnes gemitum, et ad littus eo usque exspectant, quandiu eum possent conspicere; fervebat vero in eis unus spiritus amoris, et ideo non se poterant continere.

Imperatori parcit vir sanctus.

48. Ille vero solutis carnis quidem, non cordis aspectibus, longa corporis attenuatus macie, tandem A pervenit ad palatium: ubi suscepto eo ambitiose ab omnibus, quæsitum est quomodo ei celsitudo regia satisfaceret, quia timebant pro tanti viri injuria futurum discrimen incurrere. Tunc beatus senex videns pudore animi talia meditantes, proruit ad medium, et verecundam regis mentem blandis delinivit affatibus. Persuasit autem nil eum de hujusmodi facto in animo retinere, sed omnia se Dei judicio deputare debere.

Cœnobio suo restituitur.

49. Interea tum, eodem cogente principe, compellitur recipere suum sanctæ vitæ cœnobium flagitantibus filiis suis, ut eum saltem quocunque modo recipere meruissent. Ad quos cum advenisset diu B desideratus, ut piis eorum complecteretur jam jamque amplexibus, vexabat eum salutis inimica febris, ita ut gemini affectus singulorum animos saucia-rent. Pugnabat siquidem in singulis mœror compassionis et lætitiæ fervor, eo quod viderent membra charissimi viri sævissime laniari, pro quo libenti animo etiam vitæ quam fortes dispendium sustinerent. Vincebat autem omnes nunc jucunditatis magnitudo, nunc lacrymarum effusio; et extollebant simul mistim usque ad cœlum lætitiæ laudes, ut in eo Dominum illuc advenisse nullus ambigeret, cui ita suscepto ita congratulabantur omnes; idemque benigne allocutus est universos.

In palatium revocatur.

50. Sed cum ibidem aliquantisper dulciter quie- C visset, charitatis officio jucundatus, iterum ab Augusto gloriosius accersitur, et redit ad palatium. ubi cum introisset, velut quidam ait, virtutum radiis illustratus, quia venit Titan, marcescunt sidera. Apparuit autem illico nudata insipientia, quæ tegebatur pallio caliginis, et factus est stupor nimius, quis senatum populi ad tantam ineptiam deduxisset. Qui comperto non parum eos [*al.*, se] invidia fuisse delusos, duxerunt in irritum, pene quidquid per hoc tempus, ut eis visum est, argumentose tractaverant. Solvitur itaque sæva multorum captivitas eorum, maxime qui ex regio pollebant semine. Redditur ergo in uno libertas omnibus, quocunque in loco tenerentur, nisi quos vita D prius mors privarat. Tum deinde quorumdam tonsura propter furoris sævitiam illata transiit ad coronam, et dant Deo sponte quod dudum inviti quasi ad ignominiam susceperant.

Imperator publice cum aliis pœnitentiam agit.

51. Quid plura? ipse gloriosus imperator publicam ex nonnullis suis reatibus pœnitentiam [c] susci-

[a] Istius restitutionis meminere Eginhardus et scriptor Vitæ Ludovici Pii ad annum 821 quo accidit.

[b] Si Heriensis monasterii omissus est in vulgatis abbatum Heriensium indicibus, locandus inter Arnulfum, qui tum abbas erat et Heriboldum: quo abbate facta est corporis sancti Filiberti translatio. cujus historia in consequentibus referenda.

[c] Nempe in conventu Attiniaci habito, ubi teste Eginhardo, *de iis quæ erga Bernhardum filium fratris sui Pippini, necnon et circa Adelhardum abbatem et fratrem ejus Walachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, et pœnitentiam egit.* Lege Vitam Ludovici Pii ad eum annum, nempe 822, et Agobardi

Introdusă în format electronic de Google

piens, factus est omnium humillimus, qui quasi regali elatione sibi pessimus persuasor fuerat : ut quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione regia sanarentur; præsertim quod ejus velle cunctos considerare, ejusque nolle conspicere manifestum non ambigitur. Sed nisi reversus esset veritatis assertor, interea minime paruisset, quo lethargico spiritu premerentur. Unde etiam matura senectus cæcitatis eorum vulnus salubri Christi antidoto mederi persuadendo curabat.

Status regni reformatur.

52. Ac deinde studuit ut justitiæ virtus et sapientiæ suas reciperent sedes, ut unusquisque servaret sibi commissum negotium, et sua cuique largirentur jura. Porro novitates vocum et temerarias juxta Apostolum præsumptiones, velut pestem in omnibus reprimebat (*I Tim.* VI). Omne igitur quod in lege charitatis non invenisset inimicum æstimabat Deo, et velut venenum repudiabat. Cumque his et hujusmodi præconiis velut aurum probatum per ignem, clarius enituisset, factus est omnibus decuplo honoratior, ita ut ore omnium egregie resonaret. Amplectebatur autem cunctorum manibus, et quasi pater ab omnibus colebatur; eratque Ecclesiarum magistris [a] velut humilitate filius, consilio vero et prudentia quasi subvector inclytus. Qui cum ita satageret indefessus, ut perfecti omnes et Deo digni invenirentur, videtur demum novus renasci Francorum ordo, et aurora justitiæ quasi ab ortu surgere. Siluerat enim jam ex parte stratum furoris æquor, et vertosi ceciderant, ut Virgilius ait, murmuris auræ (*Ecl.* 9). Redierat, ut idem inquit, virgo cupidinis (si parum liceat immutari) ; redierant et Saturnia [*al.*, tyrannidis] regna, quia progenies bonæ mentis jam quasi cœlo refulserat alto (*Ecl.* 4).

Abbatis munus invitus retinet Adalhardus.

53. Omnibus igitur circumcirca eatenus satisfactionis studio illustratis, et suis cum eo summo fruentibus otio, voluit se demum his exuere curis, ut esset sibimet et Deo intentus. Sed nequaquam passi sunt sancti fratres, licet multam eis excusationem senectutis suæ prætenderet ; quoniam quanto ætate maturior, tantum ad virtutum culmina tendentibus salubrior videbatur, præsertim cum vigore sancti Spiritus et viriditate adhuc non exhaustæ carnis satis vigeret, curans se laboribus et vigiliarum negotiis fatigari, etiam plus quam juvenum constantia sequi posset.

Aspectu hilaris, sibi soli se durum exhibet.

54. Quis enim unquam tam fervidus quam idem fuerat? vel quis alterius tam crudelis arbiter quam ille sui videbatur? Fateor paene quod nunquam nisi de se quod durior esset, necessitatem corrigendi habuit. Unde cum a suis fratribus et filiis quam sæpe corriperetur publice, cur sibi tam infensus esset qui sic discretus omnibus habebatur, aiebat ita dicens, ut læsos eorum animos mitigaret : Ego mei curam habebo, et prorsus vestro providebo famulo, ne fame aut laboribus fatigatus pereat. Sed hoc peracto paululum [*al.*, paulatim] delitescendo non diu post resumebat esuriem et laborum negotia, ita ut vix juvenilia membra ferre possent quibus se parcimoniis et vigiliarum operibus affligebat. Attamen semper erat viroris gratia plenus, semper discreta macie satis admodum rubicundus; vultu quoque decorus, et venustus aspectu. Neque enim faciem ejus ac frontem ignavus rugabat furor ; sed totum eum matura hilaritas decorum componebat et aptum. Canitiæ vero sancta eum candore niveo exornabat; et velut lilium super roseos amictus, hinc inde coma capitis, quasi elatæ palmarum, super cutem renitebat, eratque, sicut scriptum est Canticis, senex noster *candidus et rubicundus, electus ex millibus* (*Cant.* V) : ita ut culparetur in eo natura humana, quod antequam adulta sit, vitiis corrumpatur.

Laudatur a dotibus.

55. Et si [b] velim laudare tantisper glebam corporis ejus multo confectam nitore, erit exiguum quidquid impendo; quia pulchrius in eo renituit, quod virtutum splendore ornatus velut lilium inter roseos colores, Christo repersus emicuit. Nec dubium quin omnis caro fenum, et omnis gloria ejus flos feni (*Isa.* XL) ; virtus autem Christi, quæ semper in eo viguit, manet in æternum. Cæterum, si figuram nobilitatis ejus a puero describere voluero, quæ Græce χαρακτηρισμὸς dicitur, ero inefficax ; quia, etsi secundum rhetoricæ artis facundiam ipsius persona consideretur, possitne laudis idonea comprobari, multo excellentius in eo illud antefertur, quod totus de carne in spiritum convolavit. Personæ quippe juxta præfatam artis peritiam plurima sunt attributa, ex quibus optime dignoscatur. Consideratur enim perfecti viri qualitas, juxta oratores, nomine, patria, genere, dignitate, fortuna, corpore, institutione, moribus, victu; si rem bene administret; qua consuetudine domestica teneatur; affectione mentis, arte, conditione, habitu, vultu, incessuque, oratione, affectu. Talibus igitur et hujusmodi circa eum consideratis, videre juvat, luculentus senex noster si tot floruit virtutum præconiis, quot sunt artis hujus ad laudem ipsius insignia præconatus documenta.

librum de dispensatione, ubi Ludovicum ob res eo in conventu sancitas *venerandus senex Adalhardus* laudibus extulisse perhibetur. Anno sequenti *in Compendio palatio* jussu imperatoris rursus convenit Adalhardus cum aliis, teste ipso Agobardo.

[a] Argumento est in primis Consultatio et Supplicatio Agobardi, *Patribus sanctis Adalhardo, Walæ et Helisacharo* porrecta, de baptismo Judaicorum mancipiorum.

[b] Mirum quantum sibi permisit interpolator in hac sectione et sequenti, ut patebit conferenti libros vulgatos cum hac editione, quæ ad vetus exemplar exacta est.

Introdusă în format electronic de Google

De nomine, natione, genere et fortuna ejus.

56. Quorum ex catalogo primum de nomine, fueritne sapiens, recte quæritur. Sed, si cœlesti magisterio fuit magis quam artis eloquentia institutus, quomodo non sapiens fuit? Nam sapientia est humanarum rerum divinarumque cognitio cum studio bene vivendi. Unde nec dubium eum verum philosophum aut certe sapientem, quantum fas est, posse appellari, qui, et quæ Dei erant, prudenter per Dei gratiam sectabatur; et quæ hominum, non ignaviter procurabat. Atque omne studium vitæ suæ in his duobus præceptis superimpendens, ipse totus impendebatur. Natione autem, quod cunctis liquet, Francorum erat ex summorum genere; sed renatus in Christo, ubi et spiritu versabatur, totus natione cœlestis omnibus renitebat. Unde et illi patria, quamvis hic carne natus esset, cœlestis illa Hierusalem juxta Apostolum (*Hebr.* XII) fuisse non dubitatur, per eum qui nos jam spe consedere fecit in cœlestibus. Genere quidem nobilium nobilissimus Francorum, ut paulo ante præmisi, prosapia ortus, sed demum per Christi patriam Deo in filium est adoptatus. Qui, licet dignitate regia magnus videretur, tamen major effectus est sublimitate perennis vitæ. Fortuna qua fuerit auctus, ipsius vita designat, quo cuncta reliquit; et juxta illud, pauper in angusto regnabat habendo Deum. Propter quod, ut credimus, ut optamus, supra multa constitutus, jam ei vitæ gaudia famulantur.

Forma quoque nitet.

57. Corpore quam decorus fuerit, etiam et morum eximietas patefacit: cui illud de Canticis canticorum non immerito coaptatur (*Cant.* V, 11 *et seqq.*): *Caput ejus aurum optimum; coma vero ejus sicut elatæ palmarum*, quoniam sursum quotidie ad Deum conscendere procurabat. *Oculi ejus velut columbæ desuper rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ:* quia simplex ejus aspectus doctrina Christi totus intentus erat, ex qua nos velut parvuli lacte nutriebamur; neque felle concupiscentiarum immistus, sed vera innocentia mentis lotus. Porro *genæ illius sicut areolæ aromatum, quæ consitæ sunt a pigmentariis*, videlicet a sanctis doctoribus omni flore doctrinæ et virtutum exornatæ oleribus. *Manus illius tornatiles*, sanctitatis formam exprimentes, et motu sphærico celeriter ad omne bonum insistentes; *plenæ hyacinthis*, cœli specie in cœlis thesaurizando renitentes, quæ multis replebantur muneribus. *Venter ejus eburneus*, virtutum distinctus ordinibus. *Guttur illius suavissimum*, ob favum eloquentiæ: *et totus desiderabilis*, probabilitate morum atque charitate eximia. Idcirco quærimus te, Pater, dum pascis inter lilia; quærimus quem diligit anima nostra (*Cant.* VI). In lectulo enim per noctes quærimus te cum lacrymis: sonet vox tua, obsecro, in auribus nostris: vox enim tua dulcis, et facies tua decora; neque enim possumus te patrem non amare, quem pro nobis credimus adfuturum.

De sapientia et moribus ejus.

58. Jam si de institutione agitur, eruditus fuit idem alter Moyses omni sapientia præsentis vitæ, quasi unus ex filiis regis; deinde perductus ad Sina, in quo ipsius Domini præsentia illustratur et familiaritate continua fruiturus ingreditur. Moribus vero quibus fuerit exornatus testis est vita ejus, quæ summis redolet meritorum insigniis, et præconiis quam maximis prædicatur: victus namque quem philosophi definiunt consummati operis esse fruitionis exercitium, ut perveniat ad quietem, Dominus erat quem dilexerat, quem amaverat, quem jugiter desiderabat. Gradus autem harum virtutum sunt, cum apud eos primum ponitur affectio mentis: porro eadem affectio est, animi aut corporis ex tempore aliqua causa commutatio; deinde ex hoc quod afficitur, vertit se in studium, ut effectum sui obtineat. Studium, inquam, ad aliquam rem assiduam et vehementem animi cum magna voluntate occupationem esse, postquam habitus induitur acquisitæ rei, cum ad plenum id quod perfectum est obtinemus, de quo scriptum est: *Sacerdotes tui induantur justitia, et sancti tui exsultent* (*Psal.* CXXXI, 9): felix quippe indumentum virtutis est, quo quisque induitur, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Hic nuptiali veste indutus foras non ejicitur (*Matth.* XXII): quam si primus parens noster in paradiso denique reservasset, nequaquam apertis oculis nudus inveniretur (*Gen.* III). Unde, sicut scriptum est, dum idem descenderet, exspoliaverunt eum latrones, et plagis impositis abierunt (*Luc.* X); sed senex noster floridus, tali recoopertus habitu, jam credimus quod audit: Ambulabit, inquit illi Christus, mecum in albis, quoniam dignus est, et non delebo nomen ejus de libro vitæ (*Apoc.* III); talique indutus habitu dum esset pater eximius, exercebat se plurimum, ut pro victus alimonia frueretur Christo quem induerat.

De recta ejus administratione. Xenodochium instituit.

59. Porro restat juxta præfatam disciplinam requirere, quomodo rem suam administrarit. Quid dicam rem suam quomodo administraverit, qui nec se sibi retinuit? fecerat enim quod audierat a Domino: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Hoc impleto, cæterum res ecclesiæ suæ quemadmodum administravit, testes idonei sunt sancti fratres, quorum consilio usus est et obsequio; per quos ita cuncta disposuit, ut et omnibus satis esset, nec multum alicui superflueret, neque in vacuum quid periret; sed omnia ad Dei laudem humanius largirentur. Fratribus salubria præsentis vitæ tribuens, et nociva quæque ac superflua resecans; hospitibus abundanter omnibus administrans; familiam quoque satis illæsam a jugo servitutis conservans. Siquidem viduas hujusce familiæ destitutas et cœlibes viros per singulas villas

Introdusă în format electronic de Google

constituens, eis stipendia jugiter ministrabat. Orphanorum quoque et debilium, necnon et hospitum in iisdem locis opportunius velut xenodochium constituerat, ut res ecclesiæ hujus suum omnes quasi patrimonium possiderent. Testem Deum habeo, quod idem ipse hujus ministros officii velut medicus sæpe instituebat, ut et ipsi excogitarent artificiose, quomodo rerum aliquid eis ad comedendum pararent, et in hujuscemodi cibis eorum sanitas ne periret. Porro regi et divitibus nostrorum nullus tam largus erat, idcirco ut in omnibus Deus largitor omnium glorificaretur, beatius, inquam, multotius judicans dare quam accipere; atque medium inter paupertatem, quantum ex se erat, et divitias propter alios semper incedere, itaque ut qui habent tanquam non habentes fore [esse] instruerentur. Justum etiam percensuerat, ut omnes hujus ecclesiæ famuli sic tanquam patrem eum sentirent, ut tumidi quoque Dominum eum fore non ambigerent : insuper ita eorum virtutibus fautor et institutor esse profligens [sic], ut vitiorum quoque dominus, quamvis discretus, ut crudelissimus fieret persecutor.

De consuetudine ejus domestica.

60. Jam ergo juxta quam normam consuetudinis assuetus fuerit, novit mensura sancti oraculi, in quo fuit manna absconditum et urna aurea; altare quoque incensi aureum, et virga Aaron quæ frondueraat : habens illud viginti cubitos [*mss.*, cubitorum] in longitudine, et viginti in latitudine, viginti quoque in altitudine (*Lev.* XVI, *Num.* XVI) : ut ex omni parte gemino denario consummatus, charitate Dei ac proximi quadratura perpetua fulciretur. Nec dubium quin Dominus ei fuerit fundamentum, infra quam mensuram attitulatus, sola novit contemplatio divina quid noster senex pro suo more domestico tractaret.

De ejus affectione, arte et genere.

61. Affectione vero ita illectus omnium bonorum incitamentis, ut super fraterna viscera charitatis officio seu faculis ureretur. Deinceps igitur arte qua fuerit eruditus, patet quia fecundus inventus est eruditionis consilio. Prudentiæ namque, ut dicitur, mille oculis adinspector, virtutum quoque disertissimus disputator, liberalium artium adeo usque sanctissimus institutor, ut probares in eo illud beati Antonii, quod sensus adinvenerit artem; et qui sensu sit integer, eum arte non indigere. De conditione jam ultra quid loquar? qui, ut præfatus sum, regali ex progenie clarus effulsit : necnon et de altera conditione, utrum proprius, ut ipsi dicunt, adoptivusve, an abdicatus fuerit, quid ingeram? cum et Bernardi filius fuisse, fratris magni Pippini regis, et Dei esse adoptivus non abnuitur.

Vultu et habitu præstat vir sanctus.

62. Habitu autem quo fuerit infulatus, constat paulo ante me dixisse, quod Christus ejus tunica talaris fuisse probatur. Cæterum vestimentorum habitus vix sufficiens monasticus fuisse ostenditur, pro frigore potius membra muniens, quam honoris aliquid gerens. Dicebatur quippe a quibusdam pro ludo, lorica frigoris; quoniam erat pelliceus et quasi thorax circa viscera fomentum caloris, vultu autem suavis idem et statura palmæ assimilatus erat : eo quod pulcher aspectu et decorus esset, velut paradisi deliciis enutritus. Quam pulchri gressus ejus, et quam speciosi pedes ad evangelizandum (*Rom.* X) ! Quippe quibus expeditior damis, in calceamentis oratior filia principis

Item eloquentia.

63. Porro ejus oratio quam facunda, quam plena sensibus, quam suavis auditu manavit ! Exstant ejus epistolæ ad plurimos directæ, et omnium voces, qui nunquam se uberius aut expressius loquentem audisse testantur. Voce quidem canorius cygno mulcebat auditum; sed et melle dulcius palatui cordis melodia sapiebat. Erat autem omnis narratio ejus aperta valde, brevis ac lucida (quod dictionis genus oratores summis extollunt laudibus), nil fecilentum, neque dubium quid in sensu reservans; at vero plano in clausulis procedens gressu, sensus ejus favifluus pinguissimo claudebatur fine. Erat igitur sonus assertionis expositio dictionum, ita ut voce formaretur proprius verborum intellectus, et suis singulæ partium qualitates restituerentur sensibus, habens omnia membra narrationis capitulatim distincta, et ad retinendum facillima; ad persuadendum vero vel dissuadendum promptissima : semper avidius ad intendendum promovens audientes, igne calidius ad desiderandum, torporem discutiendo, incitans desidentes. Quæ si facundia daretur mihi, luculentius explerem quod conatus sum; nunc autem excusatio pro ignorantia, venia pro voto debetur, præsertim cum stylus nullius ad hoc negotium melius expediret, quam ejus cujus ut vita præeminet, ita et sermo antecellit; sed quia id ingenii unda denegat, voluisse charitatis jura tantum implesse probabitur.

De ejus affectu.

64. Restat nunc affectu qualis fuerit intimare. Sed quo artis ingenio pandam ejus affectum animi, qui uno semper mentis ardore afficiebatur in omni vitæ negotio. Jugiter enim cupiens dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* I), se laboribus fatigabat : permanere autem in carne propter nos necessarium licet aliter fateretur, penitus sentiebat. Unde toto adnisu vitæ satagebat prodesse omnibus, mille (ut ita dicam) charitatum semper negotiis occupatus; præsertim quod esset consilium totius patriæ, et pater omnium indigentium, qui ore ac manibus, cum omni circumstantia facultatum, pro libertate Christi erat omnium servus.

Corbeiæ Saxonicæ initia.

65. Qui cum esset semper accensus ardore, pervenit usque ad Saxoniæ fines, ubi jam parvissima

Introdusă în format electronic de Google

cellula a sancto viro, suo æquivoco, Adalhardo nomine, sumptu hujus monasterii ædificari cœperat, eo quod idem beatus vir, quia suus fuerat nutritus et familiaris filius, intercesserat loco ejus, dum ipse Hero insula exsul haberetur, mundi et paradisi civis. Videns igitur pius pater ac senex sanctissimus cœptum opus quod pietatis esset officium, regem adiit, et petivit ab eo, ut daretur ei locus ædificandi ; quia ille in quo [a] situm fuerat, non utilis aut aptus esse probabatur. Quod audiens imperator Augustus, gavisus est valde, volens ei multa largiri, nisi retineret eum ipse, qui nulli unquam concedebat sibi dare, quantum quilibet voluisset ; sed quantum idem, vel si modicum, censuisset ; agens semper illud Apostoli, quia beatius dare quam accipere. Accepta autem potestate a rege ut ubi vellet illud ædificaret, elegit locum valde amœnum et monachis nimis congruum ad habitandum : ubi et rex postea plurima propter Dei omnipotentis amorem contulit beneficia.

Situs et figura loci.

66. Est autem locus pergentibus ad ortum solis de Fonte [b] Patris situs supra littus Wiseræ, in modum Δ litteræ, vallis planitie collocatus; habens ad ortum solis præfatum alveum, et montem porrectum in facie juxta fluvium. Porro a meridie mons alius egrediens e fluvio sinu tendit ad occasum; a septentrione vero alter e regione pari situ pergit, quousque se invicem viam per medium dantes copulentur. Atque ita in medio fit vallis, figuram Δ hoc modo, quantum recordor, exprimens. Nec immerito ; nam magister veritatis divino nutu edoctus, talem elegit locum, qui et Christi nutriret discipulos, et suo eos describeret charactere, et signaret situ.

Mystica abbatiæ Corbeiæ dispositionis explicatio.

67. Nihil enim in omnibus geometriæ figuris triangulari consummatius aliquid aut perfectius invenitur. Est enim numerus hic totius latitudinis et superficiei in arithmetica solus principium, in geometrica idem planior invenitur ; et quisquis diligenter inspexerit hanc figuram, neque in his artibus aliquid mirabilius reperitur, neque in nostra disciplina quidquam majus aut melius prædicatur quam Trinitas Deus verus. Igitur sine hoc numero formatum aliquid nihil perfectum innuitur, videlicet sine principio ac fine et horum medio inter principium atque finem. Hæc vero figura princeps est (ut dixi) latitudinis, eo quod cæteræ omnes superficies in hac resolvuntur ; ipsa vero quoniam nullis principiis est obnoxia, neque ab alia latitudine nisi a se sumpsit initium, in sese ipsa resolvitur : quæ si ita sursum erecta fuerit, ut ostensum est, igne charitatis flammare ibidem habitantes debere monstratur. Quod autem ipsius a latitudine fit initium, ostendit latum A Dei mandatum nimis nonnisi dilatato corde perfici posse ; quod vero omnes superficies in se resolvit, liquido signatur, quod omnes reliquæ virtutes ejus latitudine consummantur ; et ipsa charitas nonnisi Trinitatem colendo in unitate perficitur, ut vera perfectio in his tribus unitas individua teneatur. Hæc ideo me dixisse sufficiat, ut monstrarem quam prudens idem ac sapiens fuerit, quantoque charitatis ardore fervebat, qui talem ac tantum discipulis habitandi locum pararat, irriguum aquis, velut si minor Ægyptus esset et alter paradisus Domini venientibus de fonte Patris in ortum solis. Vere de fonte Patris dixi, quia in Christo renati, creduntur exinde non solum ad ortum solis, sed etiam ultra solem usque transcendere. Quem locum beatus pater B Corbeiam alterius de nomine vocitavit, ut signum esset in posterum, a quo prius illud esset fundatum.

Adalhardus suos ad studium paupertatis hortatur.

68. Quis, mi Pater charissime, narrare sufficiat providam doctrinam tuam in omnibus ? vere fateor, quod quoties tui recordor ad liquidum, miror satis quam providus erat in omnibus. Recordor enim doctrinarum tuarum, quibus eos alebas, et instituebas tenellos de fide et charitate, inter quas etiam spem mediam collocabas ; de moribus et de omni doctrina vitæ ; qualiter etiam oblatas sibi res a quolibet suscipere debuissent, cum ipsis inter sollicitudinis negotia peragebas, commendans eis per omnia, ut in C nullo terrenorum cupidi essent, neque quidquam vellent accipere unde alii gravarentur ; et si hæredes essent rerum largitoris, caute considerarent, ne forte ipsi, quorum erat hæreditas, postmodum inopes fierent. Hæc erat ejus sollicita et pia consideratio in omnibus quibuscunque præerat locis, ut neque inhonestum quidquam acciperet, neque aliquis quasi causa misericordiæ postmodum pœnitudine premeretur. Dicebat enim quod multi non solum rectores ecclesiarum, sed etiam ipsi ibidem Deo degentes qui sæculo renuntiasse videntur, ob id decepti essent, quod rebus nimiis abundarent, in tantum ut sæculo servire denuo cogerentur, qui mortui mundo esse debuerant. « Quid, inquiens, prodesse poterit rebus propriis futuros exspoliari D hæredes, et rursus eos [*al.*, eas] mancipari negotiis sæcularibus ? Constat igitur nos in præsenti tempore ideo reipublicæ deservire, quia ipsa nostris attenuata cupiditatibus ex se subsistere non posse manifeste causatur ; et idcirco nos infelices, qui liberi esse in Christo debuimus, facti sumus turpissimæ servitutis, etiam inviti, servi. Occasione itaque accepta, quasi in Dei causa mundi militiam bajulamus, cum Apostolus dicat : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* XXIV). Neque enim a nobis exigitur quod necessaria tantum reti-

[a] De illa cellula ejusque situ et origine, ac de Corbeiæ novæ primordiis dicetur inferius in historia translationis S. Viti, et in Vita Walæ abbatis.

[b] Id est Paderborna, inquit Bollandus, quod Padi fluminis fontem sonat.

Introdusă în format electronic de Google

nemus, sed quia superflua (ut ab ipsis dicitur) possidemus : et unde miseri lati in possessione esse cupimus, inde angustamur in omni opere bono. Quapropter, filioli, estote contenti paupertate Christi, sine qua nemo est dives. Noveritis enim quod beati sunt pauperes spiritu, quibus regnum cœlorum repromittitur (*Matth.* v) ; et ideo, fratres mei, nolite quasi proprietatis opere sectando avaritiam, possessionem æternam perdere. Estote igitur quod vos æterna Christi vocatio esse voluit ; ut paupertate Christi participando, divites esse cum eo sine fine mereamini. »

Ob Corbeiæ Novæ conditionem lætatur.

69. His et hujusmodi cum eos quotidie corroboraret ac confirmaret, construebatur ibidem, Deo agente, non solum monasterii, sed etiam cœlestis patriæ fundamentum. Quid putas quanto tunc gaudio afficiebatur ejus animus, quantaque lætitia, cum Dei omnipotentis amor ita flagraret in eis, ut etiam omnis illa regio Deum per ipsos benediceret ? Fateor itaque, ad nos nonnunquam rediens quod præ amore pio et spiritali gaudio vix se poterat continere, hinc inde exsultans atque gaudens, quod Christus per eum glorificaretur in multis. Nos quidem rigans ac pascens cœlesti pabulo, illos plantans in Christo ac propagans, agebat ut fructum plurimum Deo ferrent : in omnibus se exhibens Christi vices agere, etiam et forma humilitatis omnibus anteire.

De septem gradibus perfectionis.

70. Sicque jugiter uno jubilationis afficiebatur spiritu, et appetebat ingressionis campum : quæ ingressio secundum beatum Augustinum in libro ubi de animæ quantitate loquitur, una de septem, et sexta perfectionis est virtus. Quintus siquidem earum gradus est tranquillitas ; sextus ingressio ; septimus contemplatio : quæ ita decentissime possunt edici, in seipsa dum anima quælibet secum ingreditur et versatur. Ad Deum, dum quotidie ardenter desiderando, ad eum ingreditur, ita dicens : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI, 3) ? apud Deum, cum jam claro lumine indesinenter contemplando ei inhæret, in quem desiderant etiam angeli prospicere. Quo nunc senex noster se pervenisse lætatur, meruisse gratias agit, atque comprehendisse summo alacritatis animo amplectitur.

De Adalhardi in suos charitate.

71. Unde quid aliud dicam quam illud Elisæi (*IV Reg.* II) : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga virtutum ! ecce nos quam subito desolatos relinquis ! et ideo quærimus te lacrymosa voce, et scrutamur mellifluos mores tuos mane in præcordiis nostris ; nec usquam pupilla oculi nostri silet neque consolatur, nisi cum sibi te pro nobis melius adesse promisit. Recordamur enim quibus nos lactabas uberibus, vel quanto in te Dei fruebamur oraculo, quantisque ferebamur alarum remigiis, et nutriebamur charitatis visceribus : ita ut si saxei essemus, tua nos molliret pietatis oratio. Omnia enim nobis omnibus factus eras, ut Christo nos lucrifaceres. Quod si ad speciale quorumdam te vertisses negotium, uni in momento dabas vitæ consilium, alium interdum deliniebas osculis ; porro illius manum stringens, alterius animum miro demulcebas affectu ; atque ita omnibus unus eras, et totus singulis.

Hos in tabella descriptos habebat, et sæpe conveniebat singulos

72. Fratrum vero nomina licet scripta infra viscera sanctæ sollicitudinis semper teneres, de manu tamen certus eorum numerus diligenter scriptus pene nunquam aberat : ita ut omnes sedulo inspiceres, et mores singulorum apud te sollicitus pertractares. Jam enim de singulis tecum in judicio disceptabas, ne damnum postmodum de creditis ovibus sustineres. Bene igitur noveras quid cuiq e expediret, et ideo omnibus exhibebas quod saluti singulorum congrueret. Erat ergo discretio tua in nullo, quantum dici fas est, exorbitans a proposito, facilitate complendi singulis expedita, generaliter vero fiendi cunctis congrua. Nullum ferme per hebdomadam familiaritatis affectu inallocutum relinquens ; nullum quem in die generaliter, nisi ex aliqua impossibilitatis causa, non instrueres : omnibus præbens salubria, nulli prorsus denegans (ut credimus) necessaria. Idcirco filiæ Jerusalem, prout compellor dicere, flete hunc senem nostrum, et lamentum sumite ; flete virum qui vestiebat nos charitatis coccino desuper totum deliciis intextum, qui præbebat cultui ornamenta virtutum. Induite cilicium et amare plangite : quia qui consolabatur nos et fovebat quasi nutrix in gremio, sublatus est et recessit. Unde plorans plorabit anima mea, et erunt lacrymæ in maxillis meis, quandiu non intueor quem diligit anima mea. Putasne veniet mihi, Pater, tempus, quando vel si quoquo modo liceat faciem speciemque vultus tui conspicere ?

Ingens sui desiderium reliquit.

73. Sed quid interim jam deinceps agimus anima ? ecce nunc usque quasi inter roseos versati sumus campos, et conspeximus amœna virtutum, de fonte sancti Spiritus uberius irorata. Nunc vero instat ut mortis ejus finem pandamus, quem habuisse talem glorificandum est, amisisse flendum, pervenisse vero ad beatorum gaudia congratulandum. Sed quanto nobis jucundius est in id quod amatur versari, tanto gravius est ejus absentiam, quam semper præsentem cernimus, tolerare. Unde seu respersum nebula, mœstum est omne quod inspicimus : caligant oculi nostri, operimur singultibus, tremunt digiti, rotatur caput, funduntur lacrymæ, et insuper est pio amoris affectu quædam flendi voluntas. Unde et quanto hæc prolixius ad consolandum cudimus, tanto ardentius amore afficimur, amando quoque dolore premimur. Idcirco, mi Pater

Introdusă în format electronic de Google

charissime, ocius transibo obitus tui paginas, in quo diutius immoranti vehemens languor ingruit. Hinc quidem interim astillat lugendi facultas, sed paulo post consolabimur de perventu, quo tu nunc lætaris in gaudio. Unde quæsumus priusquam incipiat calamus pulsare exitus tui horam, revertere, Sunamitis, revertere, inquam, paululum ut intueamur te : recipiet enim inde spiritum linguæ calamus, et levius transibimus amaros legendi cursus. Revertere, revertere, mi charissime; et quid videbimus in te, nisi ut castrorum acies quomodo sis ordinatus? ad nos saltem semel quæsumus convertere, ut omnes qualem te prius habuimus, et modo quantusque sis videamus. Ecce ascendisti, novimus, per desertum quasi aurora consurgens, pulcher ut luna, electus ut sol, terribilis in Deo, velut castrorum exercitus ordinatus.

Morti proximus verba facit ad suos et ab iis veniam petit.

74. Quid igitur terribilius humanis aspectibus videri potest, quam tui vultus erant aspectus in hora, cum nobis indulgentiam dares? Præceperas enim petentibus nobis, Pater, ut omnes humi sederemus : quatenus tuos nostrum ex integro, et nos tuum erectis oculis potuissemus conspicere : quo fateor nil me ordinabilius a magistro audisse indultum, nilque flammantius aut horribilius aliquid me vidisse, quam in tuis oculis. Pressius itaque enucleans sensum, ita affatim cunctis es locutus : « Ecce de creditis ego ovibus rationem redditurus venio. Vos autem, o mihi commissus grex, de obedientia et inobedientia vestra sententiam excepturi, attendite quod idem qui nunc assisto, in tremendo judicio vobis coram adero, et quid de talentorum pecunia sim lucratus, vel quomodo illam expenderim præsentabo. Attamen interim si quid est in quo excessi in vobis sciens aut nesciens, nolens volensve, indulgete, prout ego juxta quod oportet, si quid est quod meum sit indulgere, vice Christi relaxo. »

Spem ponit in Domino.

75. His igitur tum ita præmissis, plenus fervore spiritus recessit, quasi jam futurus arbiter in suo, ut instrueret se, quasi contra spiritalia nequitiæ tunc in cœlestibus pugnaturus, rationem villicationis suæ redditurum : licet semper quasi in mortis articulo pertractasset, tunc tamen velut contra legiones iturus, diligentius mentis aciem disponebat, si forte ludibria hujus vitæ sine impedimento posset effugere. Sed quia obcursor decuplum ejus viginti millibus superare legitur, semper quæ pacis sunt Dominum precabatur. « Domine, inquit, pone me juxta te, atque ita cujusvis manus pugnet contra me : alioquin turmas non effugiam iniquorum, quia tu solus inventus es inter mortuos liber. Venit enim ad te exactor, et in te non invenit quidquam quod suum esset. Idcirco fac me firmius in te inhærere, ut et ipse per te tuo in corpore mali totius inveniar liber.

Actus suos discutit cum senioribus; fidem suam exponit.

76. Qui totum se ita discutiens, adhuc invenit in se qualiacunque quasi nondum exhausta, et præcepit ea coram quibusdam fratribus exponere (quorum unus, etsi indignus, ego eram), interrogans, si de his se in judicium merito venturum fore pertimesceret. Quibus auditis, juxta divinam Scripturam percensuimus non ad eum pertinere, quæ ipse quasi sua longe diuque plangebat. Quid putas quam subtiliter secum reliqua [*al.*, omnia] disputabat? quam sibi severus erat, qui pro alienis etiam ut pro suis se puniebat? Interea singulos de singulis monens et instruens aiebat, ut post obitum suum in electiones pace, caste ac recte secundum Deum inter se convenirent. Exposuit etiam fidem suam coram quibusdam ex nobis, pene et omnem doctrinam quam docuerat, ut ex hoc etiam firmius commendaret pectoribus nostris. Hinc est quod tali absentes mœrore suffundimur : inde [*al.*, istinc] vero gaudentes sumus, quia de patre talia recoluntur : hinc ad hoc afficimur, ad aliud hinc protrahimur : plangimus in eo siquidem maturitatem morum, fidei firmitatem, soliditatem spei, charitatis fundamento ex integro, altissimam Christi humilitatem, et ditissimam in omnibus largitatem : nec ut Salvator, inquam, miseram Jerusalem ego lugeo; sed ploro in unius morte pariter omnes virtutes occubuisse, non quod nobis desit ille qui abiit, sed quod talem videre desivimus, quem sine lacrymis vix aut nunquam recordari valemus.

Auctor sublevandum dolet tam charum caput. — Quam eloquens fuerit vir sanctus.

77. Quis enim siccis oculis ejus recordabitur, in quo pene omne honestatis decus sublatum est? Aut quis non doleat præsidium totius Europæ subito deperiisse? vel quis sine mentis scrupulo poterit epistolarum ejus nitorem eloquentiæ recitare? quem si vulgo audisses, dulcifluus emanabat : si vero idem barbara, quam Teutiscam dicunt, lingua loqueretur præeminebat claritatis eloquio; quod si Latine, jam ulterius præ aviditate dulcoris non erat spiritus. Idcirco, mihi charissimi o vos omnes, qui nostis quid boni habeat tanti viri præsentia, et transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor nostrum omnium. Videte igitur quam subito vindemiavit nos Dominus, et facti sumus squalidi venustate sublata : aurugo possedit nos, quia decus roseum versum est in favillam.

Triduo ante Natale Christi febri corripitur Adelhardus; quotidie tamen missam audit et communicat.

78. Paraverat ergo se Simeon senex ad natalem Salvatoris accensis lampadibus occurrere, et Regem regum Dominum Jesum Christum procedentem de thalamo suo ulnis suis lætus suscipere; sed tetigit eum triduo ante natalem Domini validissima febris, dum juxta consuetudinem noctis medio in basilica

Introdusă în format electronic de Google

fleret. Qui ita perdurans ad vigilias, una cum fratribus hostiam jubilationis in pectore Domino consecrabat : et quanto, ut multi testes sunt, altius voce canebant chori, eo amplius idem flebat in jubilo; sicque se pertrahens ad matutinorum usque laudes, nec minus amore Christi febricitans elanguebat, sicut scriptum est in Canticis : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II, 5). Et dum quotidie magis magisque multis premeretur doloribus, spiritum non relaxabat semper Deo intentus. Disponebat igitur ita omnia providus, ac si nihil mali ferret in corpore, instituens et ordinans ita singulas officinas, ut nil finis ejus imperfectum inveniret; præcipue ut et sanctus dies dignis celebraretur honoribus. Quo peracto vehementius cœpit urgeri febribus : quotidie tamen ad oratorium [a] beati Martini veniens, quem copioso amore in vita semper dilexerat; ibidemque missas audiens, communionem sanctam percepit, donec ultimus dies vitæ a noctis hujus eum eduxit caligine.

Adveniente Hildemanno episcopo S. Pater gaudio exsultat.

79. Interim vero audiens beatus vir Hildemannus [b] episcopus, quem ipse monachum nutrierat, et per concessum regis tanto Belvacus sublimarat honore, sanctum ægrotare Patrem; advenit illico, et excubabat jugiter ante eum, donec vivendi finem fecit, et eum propriis manibus una cum cunctis fratribus sepelivit. Qui dum advenisset, gavisus est sanctus Pater alacritate maxima et lætatus, ut vix se ferret præ nimio exsultationis gaudio. Agebat namque Deo immensas gratias, quod de hujus eum consolaretur adventu et dicebat : « Deus omnium institutor et rector, gratias tibi ago : quia non sum fraudatus a desiderio meo. »

Serena fronte mortem exspectat.

80. Interea cum cœpisset idem sanctus episcopus a nobis percunctari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato apostolo sancitum est (*Jac.* V), deberet perungui; interrogavimus eum, utrumne vellet, quem procul dubio scieramus peccatorum [c] oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cœlum, cominus obsecrabat ut fieret. Quid putas tum sanctus agebat animus! quantis tunc replebatur lacrymis! Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus vero ad cœlos extensæ; invitansque sanctum Spiritum dicebat : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterii sacramenta. Et nunc quid superest, nisi ut ad te veniam? Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis, tantum fiat voluntas tua. » Alioquin sitiverat jam idem diu venire ad fontem; unde et quasi jocosa voce, plenus gravitate fidei frequenter dicebat : « Hinc ibo, et ad Deum meum veniam; lætus, inquam, veniam, lætus moriar, lætusque transibo ingentes hujus vitæ foveas : quoniam ad gaudia perventurus sum sempiterna, longe mihi diu promissa. »

Christum a se visum dicit.

81. His et hujusmodi dictis sedulo se armabat Christi miles, donec ingressus est locum tabernaculi admirabilis in voce confessionis et laudis : ubi et inventus est exercitus multitudinis festa celebrantis; ibique jam senex noster tripudians creditur præcinere : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12). Qui cum quotidianis diebus adhuc in carne febricitans immensis se Deo taliter commendaret laudibus, contigit subito, dum solus apud se ageret, ad eum ingressum fuisse sanctum episcopum. Ad quem continuo exclamans ait : « Curre velociter, o episcope, præcipio tibi, et osculare pedes Domini mei Jesu Christi, quoniam ecce adest. » At ille audiens valde contremuit, quia quo iret, vel quid ageret penitus ignorabat. Ille vero hoc dicto recepit se sub silentio, et quievit. Tum deinceps peracto die octavo natalis Christi, alacrius cœpit insistere, ut jam hinc ei celebratis diebus liceret abire, si quo modo ipse tandem perveniret ad festum, quod nox non intercipit, neque morbo corrumpi potest. Et peracto igitur jam noctis mediæ spatio ita adorsus est, et fratribus dicebat : « O filii, semper mihi in Domino multum charissimi, scitote quoniam hodie hinc ibo : datum est enim mihi jam hinc exire ac videre (quod utinam fiat), et apparere conspectui Redemptoris mei. Finitus est ergo jam cursus certaminis mei, et restat penitus quid accepturus sim pro vocationis præmio ut ignorem. » Credimus nos tamen, Pater, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (alioquin vacuus est labor fidei) : præsertim qui dicere cum Apostolo potuisses veraciter : *Cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo*, quid aliud quam *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex in illum diem?* (*II Tim.* IV, 7, 8.)

Matutinis dictis, viatico munitus obit.

82. Tum mane jam facto, accersitis nonnullis ex nostris, cœpit idem beatus Pater urgere, quatenus matutinos ocius prævenirent. Quibus dictis, in laude Christi cœlestis ejus lingua obmutuit. Tunc vero simul convenientibus omnibus sanctis fratribus, communionem sanctam percepit ferme in hora diei prima, et cœperunt eum hymnidicis laudibus Domino commendare, atque ita perdurantes in ejus exsequiis usque in horam diei nonam. Tum idem [*al.*, inde],

[a] Istud oratorium patrum nostrorum memoria exstabat eo in spatio, quod modo ad muros oppidi vacuum est inter hortum et amnis Corbei influxum in oppidum.

[b] De sancto Hildemanno agendum infra ad annum 842.

Hinc patet, Radberti, ac proinde fidelium sui temporis persuasionem fuisse unctionem infirmorum potissimum valere ad expurganda peccatorum onera : patetque ex Adelhardi responsione, eum non sanitatis gratia, qui etiam istius sacramenti effectus est ac finis secundarius, hoc sacramentum postulasse, ut dictum est in Præfatione sæculi primi.

Introdusă în format electronic de Google

quando et Christus in cruce, emisit spiritum [a] : ut daretur indicium, quod cujus crucem in vita tulerat, quemque secutus fuerat, ejus et in mortis articulo sequeretur vestigia, donec perveniret ad eum quem quæsierat, quem optarat, quem et diu de toto corde desiderarat. Quis putas tunc ea hora luctus omnium erat, et quam præcipua fuerint lamenta monachorum ! Attollebatur autem sursum vox una canentium in excelso, et fletus omnium deorsum singulorum scindebat pectora : quoniam, sicut alibi dictum est, et pium erat tanto viro congaudere, et pium erat ab ejus abscessu flêre. Quis enim non fleret, etiam si de silice natus esset, ea horâ cum inclytus Dei pastor hinc abiens cœlos expeteret? Ipse enim erat, bone Jesu, quem in toto ex omnibus solum abbatem reperi; ipse ex universis, quem alterius plus quam sua quærentem inveni. Qui sicut mater amat unicum filium, ita quosque tenerrime diligebat, atque ut solidiora caperent invitabat.

Auctor ejus mortem luget.

83. Quapropter, quæso, attendite, viri, et vid te, universi populi, matrem Corbeiam flentem (quod est alvearium monachorum) flentem, inquam, ac dicentem : Ablatus est magnificus meus mihi, et nullus est qui consoletur me ex omnibus charis : quoniam complevit in me Dominus furorem suum, et fecit quæ cogitavit. Complevit ergo quæ præceperat a diebus antiquis : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III) ; idcirco abiit charissimus mihi, et recessit. Reversa est ergo virgo Israel ad civitates suas, et deinceps ambulat gloriose super aquas redemptionis æternæ. Ipse namque est qui erat mihi votorum charissimus : ipse convertens animam meam et custos vitæ meæ : ipse qui consurgens pro nobis in principio vigiliarum effundebat velut aquam cor suum ante conspectum Domini, nunc vero posuit nos Dominus ad modicum desolatos, propter eum mœrore confectos. Ideo ergo ponimus in pulvere os nostrum, sperantes in misericordiis Domini, si forte sit spes ut pervenire possimus quo jam pius Patronus noster pervenisse creditur. Quod donec fiat, donec optata veniat dies, hæreat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero, pater Adalharde, si non te proposuero in principio recordationum mearum ; alioquin obliviscatur me dextera, nisi nomen tuum laudesque pandam. Credo, mi charorum charissime, quod prius maternus amor perire possit, quam nos te non diligere ; quia etsi illa suorum obliviscitur, nos tui nunquam obliti erimus. Sed dum sæcula manent, et nox cum die partitur vices, fama prædicabitur de te semper sanctissimæ vitæ, nosque tua nunquam immunes erimus a laude. Tu autem, quæsumus, trahe nos hinc post te, curramus in odorem unguentorum tuorum ; quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Recti enim te diligunt : et ideo quærimus, quousque perveniamus ubi pascis, ubi cubas ; scimus namque quod in meridie.

Obiter de Orphei ad inferos descensu.

84. Neque igitur, juxta quod fabulæ ferunt Treicium fecisse vatem, gemimus apud inferos conjugis mortem : sed super astra tollimus Patris nomen, quo te solemniter conscendisse fatemur. Ergo etsi felix fuit ille, qui flete potuit lucidum boni fontem visere, et felix qui potuit vincula gravis terræ solvere ; feliciores sumus nos, qui possumus post te patrem talia et tam sancta vota dirigere. Fingitur enim ille præfatus vates flebilibus modis flendo post conjugem silvas currere fecisse, amnes stare inmobiles : junxitque intrepidum latus cerva sævis leonibus ; nec timuit lepus jam cantu placidum canem. Cujus cum fervor intima corporis flagrantia ureret, nec sic mulcerent animum cuncta quæ subegerat ; it mites ad superos quærens conjugem : nec reperta infernas adiit domos : illic sonantibus chordis blanda carmina temperans, quidquid de præcipuis musarum fontibus hauserat. Ad cujus voces umbrarum dea miserans : Tandem, inquit, vincimur arbiter ; et ideo donamus conjugem viro emptam carmine. Quid putas, tum ille juxta poeticam narrationem luctus dabat? quantosque threnos geminans amor moverat? quantisve precibus veniam implorarat, cujus nova carmina stupuerat infernus, ultrices scelerum deæ jam mœstæ madebant lacrymis ?

Honores mortuo Adalhardo exhibiti.

85. Sed nos, Pater charissime, talia non ideo inferimus, quod ignoremus neminem ab inferis sine Christo regressum fuisse ; sed quid boni habeat amor volumus aperire. Amor enim maxima lex sibi est, et ideo imitando quærimus te quasi per legem, quia omnis vita tua lex vitæ fuit ; ut mereamur pervenire ad te, imo ad te, quia ad Christum, quo te pervenisse credimus et optamus. Et precamur, ut Deus nostris precibus motus exaudiat, et doneris feliciter nobis, imo nos tibi, quia te paradiso datum petimus. Credimus namque quod ibidem coronaris jam de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Ista quippe omnia triumphando vicisti : idcirco factus es suavis inter delicias paradisi et decorus, nec est in te macula. Dextera igitur Christi amplecteris, et lævam sub

[a] Nempe IV Nonas Januarii, et quidem anno octingentesimo vigesimo sexto ineunte. Hunc annum colligo tum ex Chronico novæ Corbeiæ, cui quatuor annis præfuit ab anno 822, tum ex Chronico Saxonico ms. in quo ejus obitus reponitur anno 825, secundum veterem calculum, his verbis : *Sanctus Adelhardus Corbeiensis abbas obiit, cui Warinus successit* : tum denique ex Vita sancti Auscharii, qui, mortuo Adalhardo, a Wala abbate ejus successore in Daniam missus est. Ex quibus intelligitur, Adalhardum prope accesisse ad annum ætatis octogesimum, ut in sequenti Ecloga legitur : cum adolescens viginti annorum factus sit monachus non ante annum Christi 770, ex notatis supra in Martyrologio Nevelonis Corbeiensis monachi, qui sæculo XII vixit, leguntur hæc verba : IV *Non. Jan, Corbeia monasterio natalis sancti Adalardi confessoris et abbatis, cui Christus in transitu mortis apparuit.* Wala et Uvarinus in utraque Corbeia successores.

Introdusă în format electronic de Google

capite pacis somno dormiens premis : et ideo factus es coram eo quasi pacem reperiens. Lectulus ergo tuus, quia in pace Christi versaris, floridus juxta meriti qualitatem : tigna domus tuæ cedrina : laquearia vero cypressina. Et nos quidem, Pater amicissime nobis, juxta quod intelligimus gaudemus et gratulamur tibi : quia, eversa domo, inventa est in te drachma quæ perierat. Perierat enim noctis caligine circumfusa, sed accensis lampadibus tibi felicius denuo invenitur. Unde interim quando aliud non valemus, jura sepulcri tui flentes circumsedemus, et superaspergimus orationum flores. Legimus super illud nomen bonum, quod melius acquisisti, quam divitias multas. Nam nostrum alii pallentes violas tibi et candentia lilia carpunt, alii narcissum et florentes rosas : alii serpillum bene olentem B spargunt, isti colocasia et mollibus illud vacciniis pingunt : quidam et suaves intermiscent odores, nonnulli vero salsis lacrymarum rigant fontibus : et ego litterarum superintexo pallas, quatenus ævi temporibus futuris sanctum servetur nomen : neque enim fucatæ artis eloquentia texo ; sed sindone munda puritatis opere illud involvo. Alioquin si quis plenius hunc virum nosse desiderat, quam fortiter fide mundum vicerit, legat illud ubi inscribitur ei nomen novum, et nomen civitatis novæ Jerusalem : et cum intellexerit quibus civitas fulgeat ornamentis, hoc totum illi conferat : eo quod ibidem quodammodo ipse civitas et possessor hujusce civitatis a Deo creditur esse factus.

Cui succedit Wala, frater ejus.

86. Unde gaude et lætare, virgo fidei, felix Corbeia ex antiquo vocata : quia meruisti talem in Christo frui et possidere patronum. Quæso te, mater religionis inclyta, amplectere hunc virum, quem tu tironem cœlestibus sobrie ac discrete instituisti moribus ; et imitare illum, qui te postea multis ampliavit honoribus. Quare igitur mœrore consumeris, virgo et filia Dei summi, quasi non sit tibi consiliarius? Ecce fratrem reliquit tibi hæredem, qui multis adhuc pro te sudabit laboribus. Absterge, quæso, lacrymas : quoniam mittes obviam de medio tui etiam hunc senem, cum universæ terrarum partes miserint eximios quosque viros. Porro vicina monasteria cum dederint, videlicet Vedastum Atrapis, et Centulum sanctissimum Richarium, et circumquaque viros religione nobiles ; dabis fortisan et tu non impari voto virum Deo dignissimum ; neque infecunda tunc eris, cum inter reliquos istum etiam Domino de terræ pulvere generabis : imo lætabunda et gaudens veniendo venies saltem paucos ferens manipulos. Idcirco confortare et robustius age, donec Amalech occurrit in via, quoniam alter Josue jam tecum dux et prævius virtute pugnat in acie. Fulci igitur istum jam in capite inter plurimos dimicantem : attende et illum in monte jam Domino palmas ad sublimia porrigentem ; hic pugnat, ille orat ; hic hostem premit, ille vincit. Iste namque est, charissima mihi mater, fratrum amator et populi Israel. Hic qui multum orat pro suis, charitate perpetuus. Hic qui jugis, ut credo, intercessor erit pro civibus. Unde et, Domine, juxta beati Ambrosii vocem, quia nemo habet quod aliis plus deferat, quam quod sibi optat ; non nos ab illo post mortem separes, quem in hac vita charissimum sensimus : sed ubi es nos facias esse simul cum illo, ut vel sic ejus perpetua visione apud te fruamur in Christo, quem propter te in hac vita charissimum dileximus valde, nunc in Christi pace sepultum.

Adalhardi epitaphium.

87. Sepulta sunt autem decenter membra charissimi senis in basilica beati Petri apostoli sub fastigio inter ejusdem medioximæ quatuor ecclesiæ centra [a], tectus polito lapide : super quem octonis sculptum versibus musici carminis haustu digne legitur :

Hic jacet eximius meritis venerabilis abba,
Noster Adalhardus dignus honore senex.
Regia prosapies, paradisi jure colonus :
Vir charitate probus, moribus atque fide.
Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.
Nam post octavas Domini hic carne solutus,
Succedente die astra petivit ovans.

Medius inter quatuor abbates Corbeiæ jacet.

C 88. Et sunt ibidem perhumati quatuor circumquaque venerandi viri, qui fuerant uno ejusdem officio servitutis a Domino propagati : quod factum non casu contigisse puto, sed ut quorum una in Christo fuit militia post Jesum crucem sublimius eodem in loco ferre propriam, unus esset et sepulturæ locus, qui eo duntaxat secundum similitudinem ejusdem crucis insignius cohæreret. Quorum medius senex noster cernitur, super quem signa [b] ad horas divini officii pulsantur : ut ex hoc clareat juxta quod provenisse creditur, quia fuerit lingua ejus cymbalum sancti Spiritus, et invitatorium ad divini operis officium ibidem dedicatum. Unde et octoni versus, quod post octavas Domini obierit, titulantur : quatenus monstretur eum opere consummato, quo dudum omnes invitaverat, ad octavam Domini, nullo litterarum imminuto numero, feliciter pervenisse.

D Sequitur Ecloga duarum Sanctimonialium, uno favoris planctu complosa, quas idem velut unam sibi in conjugium vice Christi Ecclesiam (*id est* Corbeiam Galliæ) enutrisse ; aliam (Corbeiam Saxoniæ) vero ex eadem secundum monasticam disciplinam miro libramine admodum genuisse peroratur. Quarum quoque unam propter candorem vultus Galatheam vocari, porro aliam propter amorem charitatis Phi-

[a] Vulgo *cintres*, id est, axes fornicem sustentantes, ut dictum in prima parte sæculi secundi. Qui fuerint quatuor illi abbates Corbeiæ Gallicæ, in quorum medio sepultus est Adalhardus, non constat.

[b] Et quidem *ante gradum cancelli inferiorem*, ut notat S. Gerardus in Præfatione libri miraculorum, hoc est ad cancellos qui separabant presbyterium a choro ecclesiæ.

Introdusă în format electronic de Google

lidis nomine consecrasse taxatum iri non ambigitur.

GALATHEA.

Plangite, quæso, viri, mecum pie plangite Patrem,
Omnis et imploret veniam provectior ætas.
Spargite humum lacrymis, componite floribus arva:
Patris ad excubias hinc fletibus omnia sudent.
Officio linguæ prodant sic corda vagitus,
Ut passim resonent etiam simul astra mugitum.
Rustica concelebret Romana Latinaque lingua,
Saxo quo [*al.*, qui *an* quoque] pariter plangens, pro carmine dicat:
Vertite huc cuncti cecinit quam maximus ille,
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen,
Membra beata senis celebri conferre locello,
Qui nobis studuit venas aperire calentes.
Hujus ad exsequias clerus, commista caterva
Vocibus alternis divina poemata narrent
Pastores, fuerit quod magnus versibus edent,
Formosi pecoris custos formosior ipse.
Vulgus et e contra resonet. Deus alme creator,
Dà veniam famulo, paradisi regna precamur,
Et petimus. Miserere senis, miserere tuorum,
Tu quam dignus erat misereri denique nosti.
Hinc rogo cordis amorque, dolor, gemitusque resultet,
Hinc pueri virtute, senes de nomine cernent.

PHILIS.

Quis, rogo, non plangat hominem super astra levatum.
In cineres redigi, quam duro marmore tegi?
Cujus in orbe volat virtutum fama per omnes,
Prosapies Augustorum est quod vermibus esca.
Heu quid huic facimus miseri sub morte locati!
Ploramus, gemimus; sed nec revocare valemus.
Ergo vocatus abest, sed nec exaudit amantes.
Pectora rumpuntur, lacerantur viscera luctu:
Ille nec exaudit lacrymas, nec threna dolentum.
Et quia torquemur, laceramur, corde, tumultu;
Luctus adest animis, nec mors surdissima curat.
Pulveream servamus huic de corpore glebam;
Clarus at ille choro lætatur ad astra relatus.
Unde velim virtute viri, puerique, puellæ,
Plangite corde pio, salsos producite fontes;
Ut quia tristis origo dedit quod patimur omnes,
Atque una ex antiquo est hæc natura priorum,
Una sit et cunctis etiam compassio mentis;
Mæstitiæ fletus, lacrymæ simul æthera pulsent.
Hinc inde unus in ora fluat fletus monachorum.

GALATHEA.

Oro senem senior tumulo Corbeia condas.
Porro minor ego, mox tali viduata patrono,
Vocibus alternis gemitum pro carmine dicam.
Quam dudum generans felicem mater, ab uno
Atque tuo vocitans pridem de nomine faris.
O formosa ego tu mihi nunc eris alter in ævum,
Quam fundavit ovans manibus ter ille beatus,
Plura salutiferis tribuens oracula verbis.
Nam quo sic dæmon sæviebat iniqua potestas,
A Et cultus fani totam fœdaverat árvam;
Vertit aras pecudum, sacravit ovilia Christi.
Funditus inde procul luci radice recisa,
Sancta locavit monachis cœnobia plena.

PHILIS.

O felix nimium! quos cogor inire dolores:
Munere divino quamvis cumulentur opima.
Ambianense prius qui dum meruisse videris
Corbeio præesse gregi, sanctissime pastor;
Te Patrem esse novit etiam Saxonica cespis,
Ut commissa Deo duplicata talenta reportes.
Sed tu, mors malefida, venenis parcere nescis
Ulli [*f.*, illi,] nec nobis: nec tu quoque munera curas.
Nescis amare viros, nescis servare patronos.
B Omnibus una manes sors irrevocabilis horæ,
Quæ nobis stimplo rapuisti morte beatum
Illum, quem pariter querelosis vocibus omnes
Plangimus ac gemimus, flemus, lacrymamus, amamus.
Sed nescis misera miseris miserans misereri.
Proh dolor! ecce trahis omnes sic invida tecum,
Ut quidquid jam viximus hactenus, omnia sorbas.

GALATHEA.

Tum veneranda soror nostrum parvissima dixit:
O verbo quam mitis erat blandusque magister,
Cur nos tam subito liquisti valde tenellos.
Tu siquidem moreris semper per sæcula felix.
Sed ego virgo ferox, multis sanguinea bellis,
Imbrifero post te lacrymarum fonte madesco,
C Atque sub ingenti gemitu rea pectora tundo.
Hinc faciem guttis diluo salsis maculosam,
Quamvis nigra meis maculis sim et fusca venenis:
Ut niveo vultu respersa colore rosarum,
Flavescam, niteam, fragrem, simul atque madescam:
Atque tui nimium felix in tempore plangam,
Quandiu maneat flebilis pars ultima vitæ.

PHILIS.

Tum quoque, mater, ait, cujus de nomine dicta:
Non me tu lacrymis vinces aut fletibus unquam.
Non cantus resonare leves, non pandere vota.
Unde velim tu misce favos, ego floribus ornem.
Tu quoque pallentes violas, ego lilia carpam,
Et super aspergam tumulum quam suavibus herbis:
Hic quoniam condignus erat muneribus istis,
D Delicias nobis qui multas præstitit ipse,
Et totam roseo te pinxit sanguine Christi.
Isaias vatis quod jam prædixerat olim.
Sancta tibi hinc veniunt plaudentia ligna decoris,
Exsultant inibi myrtus, abies, sive pinus,
Vitis et uva nitens; etiam pinguescit oliva:
Ac tanquam paradisus et hortus deliciarum,
Irriguis nutriris aquis de vertice cœli.
Quæ fueras regio sterilis, descensus averni
Porta poli jam facta pates sive janua vitæ.
Nec valet æquiparare prior perfidia mortis
Tam celerem cursum, quo nunc gloriosa superbis.
Jam caput excelsa cœlorum sidera tangis,
Atque nitore tuo nimium splendescis in orbe:

Introdusă în format electronic de Google

Ut citius quam nulla prior nutrix monachorum
Cardine sub quadro poterit fecundior esse.
Unde, soror, facias planctum pro carmine posco
Octoginta [a] Pater quod vix compleverat annos;
Et necdum tua forte manarant ubera lacte;
En subito periit vel fracta est hydria fontis,
Consilium patriæ, Christi sapientia plenus.

GALATHEA.

Ah! mater submixa Deo, tum filia dixit,
Quid tantos renovare velis narrando dolores?
Aut memorare diei, qua nec sævior ulla
Vel fuit, esse potest, poteritque aut esse futura.
Quæ simul abstraxit nobis, pereunte patrono,
Omne decus vitæ, virtutum vota recidens.
Heu! nos quam miseri, absentes qui vivimus illo!
Quod sumus in nimium depressi sorte maligna,
Qui pariter cœlum nequivimus ire locati,
Cum quo namque mori melius quam vivere duxi.

PHILIS.

Quapropter populis Christi quos abluit unda,
Flumineos latices producite pectoris imo,
Virgineumque meum plangamus sorte maritum,
Prudentem, sobrium, castum, charitate repletum,
Mansuetum, humilem, necnon justum atque benignum;
Nobilitate probum, quo nec sapientior ullus.
Cujus in eloquio micuit sapientia Christus.
Fons patuit saliens, vitæ doctrina salitus;
Moribus insignis, virtutum dogmate plenus;
Mitis, pacificus, clemens et valde modestus.
Ista fuere sui cognoscas prædia juris,
Ista meæ redolent viritim sponsalia dotis.
Unde beatus amor tantum mihi crescit in illo,
Quantum vere novos e mundis floribus auget.
Sed proinde magis luctus succrescit in oris,
Quod nimium flagret in eo insatiabilis ardor,
Et quod nulla mei sit abhinc medicina doloris,
Si non vel liceat mihi sanctum pangere nomen.

GALATHEA.

Ad quod quam nimium felix Galathea fatetur
Incipe sollicitos tales jam ponere questus.

A Forte mirantur enim tanto pro funere musæ,
Et stupefactas vos liquerunt carmina, melos.
Omnia congemuere tuis et saxea threnis.
O si, inquit, veniat tunc ille recursus amoris,
Quæ tantis in eo lacrymarum cogimur undis,
Ut tandem renovemur ejus dulcedinis haustu!
Interdum manibus juncti pergamus ad arcem,
Ad thalamos regni, quo dudum nos vocat idem.
Æthereis pascamur eo quam perpete campis,
Quo meruit senior felix intrare Menalcha,
Qui nostros secum quam longe duxit amores.

PHILIS.

Et trahit e nostris post se suspiria fibris.
Illo etenim voti debentur jura coire.
Quanquam adeo nobis media est via triste sepulcrum.
B Sed si constanter pulsamus, quærimus, inquam,
Post cineres quin haud dubium veniemus ad urbem,
Qua pietas, bonitas, pax, lux, opulentia regnant:
Lætitiæ fructus, requies et gaudia fulgent:
Omne bonum renitet, dulcis concordia mulcet:
Gloria, laus, et honor uno de fonte manantur:
Vita perennis ovat, virtutum pascua florent:
Angelicæ gratulantur oves, cœlestia vernant
Præmia, perpetuis firmantur denique donis.
Quo Deus semper adest præsens, reserantur opima.
Inter apostolicas patriarcharumque cohortes
Spirat odor quam dulcis, suavior omnibus herbis.
Martyreo splendente choro muscosa patescunt
Castra, prophetarum redolent dulcedinis haustu.
C Candida virgineo flavescunt agmina flore,
Omnia concelebrant inibi pia gaudia passim,
Et resonant omnes uno de corde canentes
Mellifluas voces, hinc talia carmina quisque.

GALATHEA.

Desine plura soror tu, mater ait Galathea.
Ista quidem inspecta melius tum forte canemus,
Cum paradisus ovans nobis quoque sorte virebit.
Hactenus agrorum flores et lilia carpe,
Donec alleluiatica circum gaudia ridant *.
Sparge viam violis, virtutum floribus arva,
Pinge rosis callem, plateis lilia sterne.

[a] Non integros annos octoginta vixit Adalhardus, siquidem vicennis factus est monachus initio regni Caroli magni, non ante annum 770, proindeque vix attigit annos ætatis octo et septuaginta.

Introdusă în format electronic de Google

EPITAPHIUM ARSENII,

SEU

VITA VENERABILIS WALÆ

ABBATIS CORBEIENSIS IN GALLIA,

A Paschasio Radberto duobus libris scripta dialogico modo.

(Apud Mabill., Act. SS. ord. S. Bened., tom. V, pag. 433, ex pervetusto codice ms. monasterii S. Martini de Campis.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Opus ubi repertum. Quis Arsenius.

1. Aureum hoc opus de gestis Walæ abbatis, quem alii *Walonem Walachumve* appellant, feliciter inveni in ms. codice Parisiacensis monasterii sancti Martini de Campis, qui codex antea fuit bibliothecæ sancti Arnulfi apud Crispiacum. Scripturæ forma facile persuadet codicem membraneum exaratum esse ætate Paschasii Radberti: cujus fuisse autographum, aut certe primarium exemplum manu ipsius recognitum correctumque, inde conjectabar quod initio corrector apposuit, Legi, nec aliud exemplum superest in bibliotheca Corbeiensi. Inscribitur hoc opus *Epitophium Arsenii*: quo viso titulo, et decurso avide codice ms., existimabam in eo agi de Adalhardo abbate, quem Arsenium dictum aliquando fuisse viri docti colligebant ex libro Paschasii Radberti de Corpore et Sanguine Domini. Verum toto hoc epitaphio diligentius perlecto, animadverti Arsenium esse Walam, Adalhardi fratrem, atque in Corbeiensi regimine successorem; et Adalhardum hic Antonium appellari, uti appellatum fuisse tradit Paschasius in ipsius Vita. Et tamen Arsenii nomen Adalhardo aptatum veteri errore fuisse intelligo ex Corbeiensi libro ms. Paschasii de Corpore et Sanguine Domini, in quo post ea verba quæ initio editorum ita jacent: « Novit igitur, nec ambigo, tua experimento disciplinarum solertia, quod Arsenius noster, quem nostra nunc nobis sæcula Jeremiam alterum tulerunt ab illo, in fidei te mihi commiserit ratione: propter quod a primævo indefessus curavi te rapere de inter undas; sed fateor non in vanum cucurrisse: » post ea, inquam, verba hæc sequuntur in ms. codice Corbeiensi: « Præfatus autem Pater, scilicet Adelhardus, uti justitiæ faventibus moris est, exsilium fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum veritatem sciens silere noluit. Unde adhuc suspecti sumus, quid Dei dispensatio ex eo ulterius velit, quem jam inspicimus promissionibus meritorum hinc inde divinitus agitari. Tu tamen non es secutus juvenilia. » Et cætera ut in editis. Quod additamentum ut Paschasii sit, certe illa verba, *scilicet Adelhardus*, inserta sunt a quopiam interpolatore, qui hic de exsilio Adalhardi agi opinatus est, cum sermo sit de exsilio Walæ abbatis, quem Paschasius his in libris perpetuo *Arsenium* et *Jeremiam* vocat.

Historia hæc cur ænigmatica.

2. Constat ergo hoc opus esse de gestis Walæ abbatis, cujus Historiam cum scriberet Paschasius eo tempore quo Walæ æmuli et adversarii in vivis superarant, homines potentes, visum est illi totam historiam fictis nominibus adumbrare, ne res æmulorum invidiam provocaret. Et certe cum Vita hæc duobus libris constet, et in primo quidem de Walæ rebus gestis ante Ludovici Pii exauctorationem, in secundo vero de ipsa exauctoratione agatur; lubrica res erat id argumenti pertractare sive Ludovico Pio vivente, cujus principatu scriptus est primus liber, seu regnante Carolo Calvo, ipsius Ludovici filio, quo regnante conditus est secundus. Hinc est quod Paschasius fictitiis nominibus ubique utitur, ut imperitis ænigma potius quam historiam exhibere videatur.

Clavis historiæ.

3. Quapropter in gratiam eorum qui in historicis rebus minus versati sunt, hic appono clavim historiæ, explicando propria nomina, quibus totius rei arcana reteguntur. Walæ porro Arsenius; Adalhardo Antonius; Ludovico Pio Justinianus; Judithæ Augustæ, Ludovici uxori, Justina; Lothario Augusto, ipsius Ludovici filio, Honorius; Ludovico alteri filio, Bajoariæ regi, Gratianus; Pippino itidem filio, et Aquitaniæ regi, Melanius; Bernardo, Septimaniæ duci et camerario palatii, Naso et Amisarius. Est et alius, Phasur dictus in lib. II, cap. 16; sed quis sit iste divinare non potui. An forte Ruadbernus seu Rodbernus, qui Juditham ex Italia reduxit, ob id carmine laudatus a Walafrido Strabo, is qui postea Caroli Calvi *cubicularius* fuit, ex Audradi revelatione.

Historia hæc quando scripta.

4. Hujus Historiæ liber primus a Paschasio editus est statim a morte Walæ abbatis ante annum 840, id est, superstite Ludovico Augusto: secundus vero post abdicatum a Paschasio regimen Corbeiensis monasterii, quod anno 851 contigisse in ipsius Elogio demonstratum est. Quia enim liber posterior totus est in exponendis turbis quæ in duplici Ludovici Augusti vexatione acciderunt, his scribendis supersedere visum est Paschasio, ne lubrica et invidiosa res alterutrius partis fautores exasperaret.

Paschasio asseritur.

5. Hujus porro lucubrationis auctorem esse Paschasium Radbertum, qui unus ex interlocutoribus est, diffitebitur nemo qui eam legerit; leget autem nemo, qui non multum profecerit sive eximiis virtutum exemplis, sive rei historicæ singularibus factis, qua plurima hic referuntur: adeo ut vix ulla, meo quidem judicio, historia sit de gestis sanctorum, in qua plura scitu digna referantur. Nescio an hoc opus

Introdusă în format electronic de Google

viderat Jacobus Baro, chronographus ac monachus Corbeiensis, qui superiori sæculo scribere desiit. Nam de Wallone agens ait : « Cujus Vitam composuit beatus Radbertus Paschasius cum Vita beati Adalardi abbatis. » Multa peccat iste chronographus in rebus antiquis, in recentioribus probabilior. Hæc de Walæ Historia fusius præfari necesse fuit, tum ad illustrandam lucubrationem hactenus ignotam, tum ad commendandam gratiam R. P. prioris monasterii sancti Martini de Campis, qui codicem optimæ notæ mihi utendum humanissime concessit.

Wala vindicatur a calumniis.

6. Paschasius in secundo libro totus est in vindicando Wala abbate a calumniis adversariorum, qui eum violatæ fidei in Ludovicum Augustum accusabant. Tria fere erant accusationum capita. Primum, quod monachus se civilibus reipublicæ negotiis implicarit; alterum, quod Ludovico Augusto fuisset auctor repudiandæ Judithæ Augustæ; tertium, quod exauctorationis ipsius Ludovici particeps fuisset. Primæ objectioni respondet Paschasius in lib. II, cap. 15 : Walam nempe ejus fuisse dignitatis et auctoritatis in palatio, ut cum ante monachatum inter primores palatii fuisset postea monachus et Abbas factus, *consiliarius totius imperii* constitutus sit ab imperatore, qui antea ipsum Lotharii filii sui pædagogum esse jusserat ex lib. I, cap. 25. Sane quantæ auctoritatis fuerit, docent nos illius temporis monumenta, in primis Agobardi, Lugdunensis episcopi, Consultatio et Supplicatio ad Proceres palatii de baptismo Judaicorum mancipiorum, *beatissimis domnis et dominis, et Patribus sanctis Adalhardo*, WALÆ, *et Helisacharo* inscriptas ejusdemque epistola contra præceptum impium de baptismo Judaicorum mancipiorum : *Dominis sanctissimis, beatissimis viris illustribus, Hilduino sacri palatii antistiti, et* WALÆ *abbati* directa, quos *præcipuos et pene solos in via Dei adjutores Christianissimi imperatoris* esse dicit : *et propterea in palatio esse unum semper*, scilicet Hilduinum; *et alterum frequenter*, nempe Walam, *ut in operibus pietatis prudentissimis suis suggestionibus* imperatori *exhortatores et adjutores* essent. Ut vero ejusmodi negotiis adhiberetur Wala, faciebat in primis voluntas Ludovici Augusti, cujus ipse consanguineus erat. Secundæ accusationi facit satis in lib. II, cap. 8, et sequentibus. Tertiæ cap. 18 et aliis, ubi probat Walam exauctorationi Ludovici semper restitisse, ac demum, ubi nihil se proficere intellexit, a factiosis secessisse in Italiam. Sed quia difficile est in ejusmodi turbis ita modum tenere, ut ne aliquid peccetur, aut saltem adversæ partis non proritare animos; anno 833 nobilium Francorum conventus Aquisgrani ab imperatore Ludovico indictus est, ut in ipsius Vita legitur, « quatenus reconciliationis mutuæ inter se et illum ratio investigaretur. Causa autem prædicta ventilata, atque ad calcem perducta, imperator cum conjuge reconciliari voluit primum ipsi Walæ, dimissis quæcunque in eos commiserat delictis multa alacritate et benignitate cordis; mandavitque per eum et cæteros filio (Lothario) missos, ut quantocius veniret : quod si faceret, consultissime sibi futorum sciret. Qui redierunt, et filio rem retulerunt. Sed ne mandatum imperatoris ad effectum perduceretur, morbus febrisque intercessit : et Walam quidem rebus humanis abduxit, Lotharium vero lectule dejiciens, maximo tempore languere fecit. » Hujus concordiæ cum Wala factæ per imperatorem Paschasius non meminit, qui tamen plerisque Walæ gestis præsens interfuit.

Walæ annus et dies obitus.

7. De morte Walæ iterum agit idem auctor Vitæ Ludovici ad prædictum annum : « Ea tempestate quanta lues mortalis populum qui Lotharium secutus est, invaserit, miserabile est dictu. In brevi enim, id est a Kalendis Septembris usque ad Missam S. Martini, hi primores ejus vita excesserunt : Jesse, olim Ambianensis episcopus; Helias, Trecassinæ urbis episcopus; Wala, Corbiensis monasterii abbas, » etc. Hinc constat Walam humanis rebus excessisse anno 835; at quo die, non memorat Paschasius. In vetustissimo indice abbatum monasterii Corbeiensis ab annis fere septingentis ordinato, *Wala abbas* II *Id. Septembris* obiisse dicitur, et apud chronographum Corbeiensem superius laudatum, *duodecima die Septembris*, quod in idem recidit. Et tamen in indice Pastuum ejusdem monasterii, qui sæculo nono itidem scriptus est, de Wala hæc habentur : *Prid. Kal. Septemb. obiit Wala abbas : de Busco debet fieri ejus memoria.* Et ne quis putet mendum irrepsisse in hunc locum, subjicitur obitus Isaaci abbatis V *Idus ejusdem mensis.* Obiit ergo Wala ante hunc diem : ac proinde corrigendus videtur catalogus abbatum, qui in eodem codice ms. reperitur; corrigendus etiam chronographus, qui prædicto catalogo deceptus est. Nec refert quod in Vita Ludovici Pii Wala dicitur cum aliis obiisse *a Kalendis Septembris*; nam id de pronuntiatione Kalendarum, quæ fit a die 14 Augusti, recte explicari potest : quo modo Kalendas Octobris usurpavit sanctus Benedictus in Regulæ cap. 48, ex notatione Menardi nostri in Concordiæ cap. 55. De Walæ sanctitate cœlitus approbata quædam indicia refert Paschasius in fine libri secundi quæ non ejusmodi sunt, ut ex his eum absolute *sanctum* aut *beatum* dixerint veteres, nequidem Paschasius ipse, aut Bobienses monachi, apud quos sepultus est. Quapropter *venerabilem* appellare satius duxi. In præcitato libro Pastuum præcipitur, ut in die obitus Walæ procuratio fratribus fiat de Busco, *Bus*, quæ præpositura est exemptionis Corbeiensis prope Montem Desiderii.

8. In fine hic moneo librum hujus Vitæ secundum longe præcellere primo, in quo Paschasius dialogos aliquando inutiles interserere videtur.

LIBER PRIMUS.

Interlocutores : PASCHASIUS, ADEODATUS, SEVERUS, CHREMES, ALLABIGUS, monachi Corbeienses.

INTRODUCTIO.

PASCHASIUS.

Sæpe mecum, frater Severe, tacitus multumque admiror, liminio tanti luctus expleto, quid novi acciderit Adeodati nostri, quod rursus juxta illud Maronis, te hortante, ut reor, infandos jubet renovare dolores : et rogat Arsenii nostri morum liniamentis imaginem sæculis in memoriam more Zeuxi pingere. Nec satis igitur cogitat, quod confundor fœdus pictor iconiam tanti viri, suis virtutum floribus gloriosam, litterarum in speculo posteris, ne fœdior appaream, exhibere. Tamen solatii est licet pro multis confundar, quod ejus illustror virtutum meritis : etsi harum rerum initium ullum nequeam invenire

Introdusă în format electronic de Google

idoneum. Unde exordiar narrare partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus, et mente plenius intellexi.

SEVERUS.

Mirabile quidem quod miraris homo.·.·, si ejus imaginem morum probitate venustam erubescis prodere, cujus imitator esse, et paternos (ut aiunt) vultus refundere debueras : quamvis et ego eisdem discipulatus gratia astringar votis, præsertim cum nihil timidius sit nihilque ignavius, quod doleas non sentire; vel quibus opprimaris miseriis, plangere non audere.

PASCHASIUS.

Nitar, faciam, experiar quod hortaris, Severe, cum nemo quod doluerit, qui nesciat deplorare: nemo inter tormenta, qui non audeat ingemiscere. Unde potius animam hinc a corpore relinquam, quam illum amare; et cui expedierit, commendare votis prætermittam.

ADEODATUS.

Optimum est de aliquo, corpore cum abscesserit, quæ virtutis sunt ejus, in animo replicare : ut revirescat in nobis, quod in illo deperisse videbatur. Floridæ enim semper virtutes sunt ad præmium, et virides : nec moriuntur in aliquo, nisi vitio perimantur, etsi perimi queant unquam, vel infirmari. Fiducia quippe fidei est et spei solatium, de aliquo quem bene nosti, in Deum obisse præsumere, et debitum charitatis votis prosequi et diligere; alioquin nunquid velut lanugo sumus, quæ a vento tollitur, deputandi? absit. Sed cum tales præcesserint, credere oportet, quod in illo melius adsint, qui ait : *Omnis qui credit in me, non morietur in æternum* (*Joan.* XI, 26). Propter quod non sunt quasi mortui deplorandi, sed quasi patroni precibus commendandi.

PASCHASIUS.

Omittamus ista, mi frater et fili. Erit enim ut his digni efficiamur donis Spiritus sancti munus (*sic*), qui eum ita vernantibus decoravit virtutum floribus. Sed timeo, ne dum vobis placere procuro, multis offendam. An ignoras, Severe, quod nostræ hunc infelicissimæ vitæ sæcula Jeremiam alterum tulerunt ab illo? Audisti namque et ipse quam sæpe, ut recolo, hunc Arsenium fusis lacrymis proclamare : Væ mihi, mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? Jubesque super tumulum, quod tempus adduxit, condere luctum, epitaphium scilicet more priorum lacrymis irrorare, et nunc sopitis discordiarum jurgiis excitari vis ex cinere vastitatem incendii. Necne vides, Severe, adhuc in tota terra, quod omnia flammis cupiditatum conflagrantur, et cuncta vorax invidia vastat?

SEVERUS.

Video plane, quoniam juxta illud Apocalypsis, *Mons Magnus* coram oculis *ardens missus est in mare* hujus maligni sæculi nostris crescentibus culpis; et *stella de cœlo magna ardens, tanquam facula* (*Apoc.* VIII), discurrit, et redigit mentes singulorum in favillam. Contra quos Arsenius iste pacem Christi ferens, maluit flammas ejus exstinguere : sed vicit peccatis exigentibus amaritudo absinthii dulcedinem tanti viri hinc inde, ne contra improbas plebium voluntates prævaleret.

PASCHASIUS.

Nihil, ut sentio, hercule de hujus ambigis conscientia : sed tuis ad me reductus verbis referam, quid prius quam hæc agerentur, per visum vidi. Videbam enim eminus quasi montem de materie lignorum congestum pene usque ad nubes ignibus succensum : ante quem nescio quis statura procerus, si quo modo magis magisque cremarentur, omnia jam exusta virga decutere moliebatur, cujus incendii finem dignoscere nequivi. Hæc æstimo, talia præsignabant.

SEVERUS.

Ut video, threnos edere noster Adeodatus petiit : e contra tu risum excitare velis. Alioquin nisi dormisses, ea quæ dixi et cernis ipse minime dubiis et somniorum phantasiis approbasses. Nunc autem velim expergiscaris, et quæ petimus insistas.

ADEODATUS.

Uteris frequenter, Severe, Crisippi acumine, et jocose [*f.* jocos] etiam eximios eloquii tui refellis mucrone. Quæso, ne juxta tui præsagium nominis severius agas; quin imo nobiscum age, ut imaginem patris stylo formemus modesto.

SEVERUS.

Placet quod mones. Sed hujus non unius ex vultu plene formabitur, reor, morum imago, qui gessit suis in actibus multorum illustrium probitatem. Videbatur namque mihi quam sæpe conspersionem morum habere prioris Arsenii; nunc vero personam gerere Patris Benedicti; interdum autem, ut prælibatum est, officio Jeremiæ fronte adamantino (*sic*) acrius insistens fungebatur, cum esset mansuetus spiritu et virorum mitissimus.

PASCHASIUS.

Satis utique ostendis in animo tibi, dum superesset, illum pietatis calamo depinxisse, quæ ad omnia utilis est, juxta Apostolum. Verumtamen si velim ista prosequere [*al.* prosequi], nullus vix aut rarus qui credat.

ADEODATUS.

Quis unquam ab historico juratores exegit? Tamen si necesse fuerit, sunt plures quam probi viri, qui tuis assertionibus juramenti dextras dabunt : quo satis indignum est subterfugere veritatis amico, et de veritate aliquid petentibus timide reticere.

PASCHASIUS.

Nonne legisti quod inefficacem [*l.* inefficax] petat studium res quæ caret effectu? quoties ergo veritas sit calcata, istisque de sedibus pulsa plenius nosti. Ideo si probavero nullum amplius nostro in tempore Patris Benedicti formam gessisse, etsi sol iste qui cuncta respicit fuerit attestatus, ratus est, qui audiat, licet veritas tuta maneat.

ADEODATUS.

Non credo quod careat res effectu, si dilectionis

Introdusă în format electronic de Google

pietatisque fert affectum. Unde absurdum non est, A etiam invidi si surdi fiant, paulisper relaxare amoris affectum, qui lacrymis bene pascitur, fletibus delinitur, obtutu in eum quem diligis, revirescens defigitur, et tanti Patris tumulum saltim lamenti floribus irrorari.

PASCHASIUS.

Verum, inquis, et religiose satis hortaris, sanctam Dei hostiam Deoque placentem cum lacrymis ad cœli palatium prosequi : non quia talem eum habuimus, sed quia talem amisimus, et cum illo delictis prægravati necdum comitari quivimus. Sed si proverbium illud antiquius verum esset, quod sola miseria invidia caret; tum cum libere votis prosequeremur. Nunc autem novi in nostris lacrymarum miseriis multam quorumdam invidiam non defore, exsertisque brachiis objurare, maxime si adverterint, fabula de quo texitur. B

SEVERUS.

Hoc est quod supra notavi. Videris mihi quasi litargo [*l.* lethargum] pati. Nonne dixisti morum imaginem te picturum, et quasi rei gestam [*l.* gestæ] historiam texere; nunc autem nobis fabulam adportas.

ADEODATUS.

Mirum, Severe, quod tam assuetis uteris semper verborum acrimoniis. Nam mihi videtur fabulam dixisse, non tibi, sed illis quibus totum fabula est et ludus, quod veritate fulcitur. Historiam autem hujus tua in conscientia legis : unde non fabula tibi, sed veritas declaratur. C

PASCHASIUS.

Jure, Adeodate, agis, quem precibus fatigas, tuis si faveas votis. Sed quid ignoti facient, cum a conscio criminamur? aut non legisti, quid nuper attulit gentilium thema [a], quod quidam Drusillam in cœlum euntem viderit? Fortassis idem vidisse Arsenium habentem iter in cœlum narrabit. Quapropter eum interrogate, si vobismet non creditis, velit nolitve, quæ in cœlo aguntur, quia divinis non credimus, forsitan se vidisse monstrabit. Quem si interroges, vel soli narrabit; coram pluribus, ut æstimo, nunquam verbum facturus. Nam idem ex quo in Senatu juravit eamdem se vidisse cœlum ascendere, eique pro tam bono nuntio nemo credidit; quidquid viderit, verbis conceptis firmavit se nulli dicturum, etiamsi in foro hominem vidisset occisum. D

ADEODATUS.

Sentio quid prætendis paulo timidius quam expediat. Putasne narrare quidpiam, quod omnibus æque placeat, cunctique credant? Quid igitur illo nuntio clarius, quidve felicius, et (quod majus est) quid verius, quod Christus victor ab inferis cum carne cœlos petivit, omnibusque illuc volentibus ire viam præbuit, januas reservavit, peccata remisit, gratiam indulsit, et posse per fidem dedit? Sed quid est quod quidam non credunt, plures operibus contradicunt, et pauci veniunt? ubi tot coruscant miracula, tot patriarcharum concurrunt exempla, et prophetarum quasi digito quod factum est, præconia demonstrant, elementa sentiunt, Angeli obsequuntur et prædicant. De quibus nimirum promissis et gestorum eloquiis testes sunt omnes apostoli, testes etiam martyres Christi, testes innumeri confessores et virgines, quorum fidei miracula meritis protestantur. Etenim quando tot præconia et testes de tam bono nuntio contemnuntur, non habes quid queraris, cum plures suæ salutis præconiis non crediderint, et sint qui de illo satis bona sentiant.

PASCHASIUS.

Verum illud Salomonis, quod ferrum ferro acuitur (*Prov.* XXVII, 17). Sic et tu, mi frater, sæpius amicos quos diligis exacuis, ut diligendo proficiant. Hinc sequor devotus quocunque duxeris : tamen cave ut, ubi emólumentum deest, salutis causa cesset inquiri.

CAPUT PRIMUM.

ADEODATUS.

Quæso, conspersionem morum ex quibus interior integer conficitur homo, pandas, quia facie pene cunctis ac genere notissimus erat; vel quibus sit, sicut Severus meminit, comparandus.

PASCHASIUS.

Verum quod prioris Arsenii a puero ex militia et dignitate gloriam ampliavit. Fuit enim consobrinus maximi Augustorum eique præ cunctis acceptior, in sermone verax (ut de illo [b] dicitur, cujus apud nos nuper delati cineres, tantis coruscarunt miraculis), in judicio justus, providus in consilio, et in commisso fidelissimus. In senatu quidem præ cunctis pollebat ingenio, ut si interrogaretur de quibuslibet rerum negotiis, quidquid melius dici aut inveniri poterat, mox in eodem momento sine ulla dilatione quasi de fonte manabat consilii. Eratque jam in illo tunc temporis virtus summa, multis ex rebus amplificata auctoritas, quem et bonitas ac nobilitas morum generisque commendabat. Illustrabatur autem sapientia, adeo ut et in divinis proficeret, cum in humanis cæteris præcelleret. Eloquentiam quoque utrarumque linguarum, qua sapientia plerumque juvatur, et copiam dicendi ad persuadendum quæ vellet, modestam nimis habebat. Unde dum hujuscemodi reniteret bonis, ab omnibus amabatur.

ADEODATUS.

Velim talis cum esset, mihi replices, quid sit quod virum rixæ, virumque discordiæ se progenitum frequenter ingemuerit, præsertim, ut ais, dum ab omnibus amabatur.

[a] In ms. codice, *tema*. Quæ sit illa Drusilla, an fictum nomen, ignorare me fateor.

[b] Nempe de sancto Sebastiano, de quo hæc verba leguntur in ipsius Actis : *Erat enim vir totius prudentiæ, in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in commisso fidelis*. Unde quod subdit Paschasius, *cujus apud nos nuper delati cineres*, etc., intelligendum est de ejus translatione in Galliam, id est in Suessionense sancti Medardi monasterium : qua in urbe Paschasius eductus a puero fuerat.

Introdusă în format electronic de Google

PASCHASIUS.

Fateor quia de religione zelus ei accrevit, et de gratia uberior virtus. Necdum enim præsentiarum reipublicæ detrimenta noverat, quam augmentari gaudebat. Et ideo plus firmissimas nobilium societates, sanctissimasque plebium amicitias studebat, quam, secundum Jeremiam, peccata et detrimenta rerum, quæ necdum adeo excreverant, deplorare. An ignoras, Adeodate, quod vir bonus non plus sibi quam patriæ consulit et civibus? Scipionem quoque nosti, et reliquos ejusdem sæculi viros, qui pro maximis patriæ ac plurimis virtutum beneficiis odia tulerunt, et varia mortis discrimina.

CAPUT II.

ADEODATUS.

Proh dolor! quod innumerosior pars ima petat, utinam inter religiosos nostræ ætatis viros ista non nossem! Nunc is qualiter ad monasticam venerit disciplinam requiro.

PASCHASIUS.

Verum sæculi gloria nunquam sine invidia est, nec prosperitas sine discrimine alicujus adversitatis: sed vir probus utrisque partibus utitur ad salutem. Unde Arsenius cum pulsaretur quorumdam insidiis, videns violentorum impudentiam sedes occupare indebitas, quod prius in mente Deo voverat, optatum sibi tempus invenit: et quod callidi dissertorum loca tenerent, et infimi notissimos populo atque amicissimos marsa (*sic*) manu prostrarent. Ergo cum tales cerneret adversus sapientes potestate potius agere, esseque superiores, et vulgi æstimatione dignissimos; præmonuit multa incommoda, multaque naufragia populo provenire. Tum vero, multis contradicentibus, sæculum et mundi illecebras sine dolore deposuit, quantum ea sine amore tenuerat: qui cum esset divino amore succensus, relictis omnibus, cœnobium [a] petiit monasticæ disciplinæ, ne suis, sed Christi legibus, et spiritu ageretur divino. Legerat enim, quod qui spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt (*Rom.* VIII, 14); et ideo certatim non se sibi, sed Christum præferebat in omnibus. Ubi qualiter sit conversatus, Severum interroga: quoniam mihi hactenus dum vestra curavi audire, levius tuli quæ tolero. Nunc autem mox ut eum attigi quem videram, qualemque habueram, novos inveni dolores recentesque, quos abisse putabam. Idcirco paulisper sileam, donec oculi mei fontem inveniant lacrymarum, et deducant aquam; quia longe factus est a me consolatur meus, convertens animam meam. Longe igitur factus, quia recessit hinc ad Deum multo miseriarum fatigio pro populo et religione Christi confectus: qui quantorum laceraretur morsibus, cum esset mori paratus, nostrorum nullus est qui nesciat. Agebant enim quasi dicerent illud Jeremiæ in eum: *Venite, percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus* (*Jer.* VIII, 18). Quorum tali tantoque affectus tædio, petiit interdum commorandi locum [b] in adjutorio Altissimi et protectione Dei cœli, quo nullus inimicorum violenter posset adire. Sed nos, dum sibi consuluit, ad horam desolatos et mœrore plenos reliquit. Unde turbata sunt satis viscera mea, effusum est in terra jecur meum super absentiam tanti Patris, et nequeo morum imaginem respicere præ lacrymis. Sed plorans plorabo, donec tabescant oculi, ut vel sic meis consoler miseriis, qui subito consolatorem animi talem amisi.

SEVERUS.

Precor, paulisper quiescas a ploratu, ne rursus commoveantur recentius viscera fletibus, et non possimus expungere quæ novimus. Sed antequam obducantur oculi caligine, morum imago suis venustioribus pingatur coloribus: tum demum plena clari recordatio vultus calentes lacrymarum aperiet fontes, et sic in jubilo illo inspectante desuper dabimus fletus, hinc quidem gaudentes, hinc tristes; hinc mœsti, hinc læti; hinc quoque destituti, hinc subvecti: quoniam etsi doloris est quod amisimus, gaudii esse debet, quod talem eum ad cœli palatium intercessorem præmisimus. An nescitis Jeremiam illum, cujus iste fert typum, licet in lacum satis cœnosum a populo dimersus, quod demum levatus ad astra multum orat? Quod si ille pro his ad Deum preces indesinenter fudit, pro quibus ei interdictum est, dum superesset, ne assumat orationem et laudem; quid putas iste pro his faciet, quos filios utique sibi charos tam subito desolatos reliquit? Dictum namque de illo legimus: *Hic est fratrum amator*, Jeremias propheta Dei, *hic est qui multum orat pro populo, et universa civitate sancta Jerusalem.* Quod si ille pro civitate et populo laudem et orationem etiam prohibitus assumit, quem olim vivens sic deflevit, cui threnos composuit, lamenta instituit; quid facturus iste pro suis, quos dilexit? Fateor quod non tantum pro nobis, verum etiam et pro his, uti et ille, quos inimicos pertulit, intercessor erit: quia utrorum que invectio illorum tam severa contra populum, non de odio, sed de amore fuit. Ista licet minus credant, tamen nos qui eum agnovimus, dubitare nequimus, quod his qui pro veritate tantos pertulit agones, Christi promissis minime privatur. Et si pretio fides emi posset, daremus quatenus cessarent odiis insequi, quem charitas enutrivit, justitia provexit, et pietas decoravit. Unde moneo quiescant, et desinant maledicere, malefacta ne prodant sua: quoniam hujus (ut criminantur) versutiam et infide-

[a] Nempe Corbeiæ Gallicæ monasterium, ut constat ex Paschasio ipso in sancti Adalhardi Vita supra. Id factum post annum 814, quo Ludovicus Augustus Walam cum Warnario, Lantberto et Ingoberto misit Aquasgrani, ut regiæ familiæ scandalum emendaret, ex Vita Ludovici Pii. Hujus secessus auctorem fuisse Ludovicum Augustum inde colligo, quod is in synodo Attiniascensi anni 822 pœnitentiam egerit eorum, quæ *circa Adelhardum abbatem et fratrem ejus Walachum gesta sunt*, teste Eginhardo.

[b] Existimo id per anticipationem dictum de cœnobio Bobiensi, in quo Walam obisse testatur auctor in fine libri II.

Introdusă în format electronic de Google

litatem æmulari oportet plus quam eorum perversam fidem.

PASCHASIUS.

Acriter invehis, frater Severe. Velim caveas illud Terrentii : Ne quid nimis; quoniam omnes quibus minus est conscientia tuta, plus sunt nescio quo modo suspiciosi, atque ad contumeliam omnia accipiunt, et propter sua quæque se semper culpari credunt.

CAPUT III.

ADEODATUS.

Æstimo quod si ostenderis quid sit fides vera proximi, et qualis sit, dominis quæ promittitur, servanda; poterit unusquisque nostrum lucidius intueri, et singuli de propria conscientia judicare : quoniam huic hæc impingitur nota, quasi Augusto debitam non servaverit fidem.

PASCHASIUS.

Optime hortaris, ut eluceat, quam multi adulterant fidem veram, et corrumpunt, nescii quid sit quod promittunt. Est igitur Christianorum fides, juxta Apostolum, quæ per dilectionem operatur. Alioquin tolle dilectionem, et fides abolitur [aboletur], quoniam dilectio jura fidei omnia circumscribit. Porro dilectio Christi et proximi nihil peccati, saltem ex consensu, admittit. Unde constat quod omnis qui diligit aut consentit quod injustum est, inique odit animam suam, et eum quem ad iniquitatem favendo consentit. Ex quo liquido colligitur fidem non quod velit quisque, intendere debere, ut ad voluntatem etiam domini terreni contra Dei præcepta assurgat, ne forte male consentiendo, fidem quæ per dilectionem in proximo operatur, infidelis amittat : sed quæ dilectionis sunt impendere ; et per fidem quæ salutis proximi sunt, constantius et circumspectius adimplere. Alioquin Herodes ille, ejusque complices, quia juramento erat astrictus, alieni a crimine, si fides præscriberet quodcunque velle, et quod promiseris adimplendum. Unde prius cavendum, ne quid fide pollicearis incautus : deinde si voveris, ne ad pejora provenias declina. Nihil enim debeamus, ait Apostolus (*Rom.* XIII, 8), nisi ut invicem diligamus. Idcirco quisque quod debet solvendo adimpleat, et implendo debeat, fidem videlicet, quæ per dilectionem operatur. Alias autem, fides non est fides, quia non est ex dilectione Dei et proximi, sed terrena objuratio animalis et diabolica devinctio. Nemo igitur bene servat fidem, ubi contemnitur Deus, et negligitur futuræ vitæ proximi salus.

ADEODATUS.

Heu quam misera ætatis nostræ sæcula, in quibus semper omnium præcedit velle : deinde quiquid sapit quisque et potest, ad hoc confligere, ut compleatur, licet prava affectu præsertim cum sapere prius esset necessarium quod velle deberes ; deinde velle quod saperes ; sicque demum agere bonæ voluntatis quod posses. Nunc autem monstra omnium pariunt mentes, cum quod sequi debuerat, præcedit; et caput quod præcedere, passim sequitur; mediaque postestas ludibunda hinc inde tumet, ac per hoc omnibus fit illud quod Comicus ait : Volo, nolo; noloque, volo ; et est singulis infelix nimium ac puerilis vertigo.

PASCHASIUS.

Hinc sane eorum aliquis ex senatoribus prior, cum contra eum ut se corrigeret ferme ante biennium depromerem, ratione superatus et sententiis divinis : Audisne ? inquit. Profecto ista quæ narras, licet divina, in eo sæculo, quo nati et quando nati sumus, locum agendæ vitæ habuere et vim dictorum : nunc autem in isto quo nunc sumus, scias nihil utilitatis et rationis inesse. His itaque dictis discessimus ; ille post suum velle desudans, ego a meo posse quiescens.

ADEODATUS.

Ista quippe res non tantum [*l.* tam] cæcitas esse videtur, mi Paschasi, quam mira mentis amentia. Hic enim sentire quo sit; quidve agat aliquis ; recordari vero quo fuerit, qualisve nutabundus eat; nec tamen redire posset aut velle in id quod fuit, sed agendo insensibiliter ire post suum velle, ne ad se redeat qui fuit.

SEVERUS.

Quis, inquam, plus sensu deficisci [deficere] potest, quam qui nec se sentit, vel quid dicat ipse non audit ? Sed forte, ut reor, putatis vos clarius derogantes nec ipsa furibunda silentia possint audire. Idcirco loqui libere talia minime formidatis.

PASCHASIUS.

Loquimur de fide qualis esse debeat circa proximos, qualisve servari. Et ideo minime *silendum* putavi ; quia, ut nosti, hanc Arsenius noster tenuit vere, hanc exhibuit, hanc servavit, quæ cum dilectione operatur, in cunctis veritate fulcitur, justitia roboratur ; non quæ assentationibus male decipit, et quæ cuique libuerit vitiorum extollit : sed in omni negotio et verbo, in omni re et consensu, amicam sibi scrutabatur inesse veritatem, et quasi ab ungue singulas rerum disquirebat negotiorumque causas, ne forte rimam in aliquo falsitas præcidisset. Deinde ut singulæ fidei partes justitiæ harmoniam uno concentu præcinerent, sibi coram oculis omnia assignabat, atque ut omnia intrinsecus charitas ageret, quotidie precibus Domino commendabat.

CAPUT IV.

ADEODATUS.

Miror quomodo inter varias et innumeras, ut audio, causarum occupationes tam intente Deo vacabat, atque ubicunque sibi præsto aderat, præsertim cum nos quantoties dum vacare Deo volumus, abducimur ; et cum quærimus nosmet, vix invenire possumus.

PASCHASIUS.

Fateor, Adeodate mi charissime, quia ubique secum semper cum Deo erat. Non enim se, ut dicitur, rebus tradebat, sed commendabat : suasque cogitationes inter frequentias hominum tractans, aliquid sibi salutare semper in animo gerebat. Et ut infiii

Introdusă în format electronic de Google

fidem recipiant, testor nunquam me vidisse aliquem, qui sibi ubique tam præsto esset, tamque sollicite passim incederet : ita ut vix, vel nunquam se abduceret, licet rebus occuparetur innumeris et maximis. Inter epulas autem cum aut ipse hospites, aut eum magnorum aliquis vocasset; nunquam tam sobrie potui continuis temporibus dignoscere sumentem, ita ut refectio prandii a plurimis summa putaretur abstinentia et parcimonia victus, si ad tantam, saltem Quadragesimæ temporibus, possent contingere abstinentiam. O infelicem me, qui nunc ejus privor aspectibus, nec erubesco agere coram pluribus, quod tunc verebar coram eo. Sciebam enim quod non parceret, si quidpiam immoderate admitterem. De quibus Severum velim interroges, quoniam et ipse quam sæpe mecum istam pertulit disciplinam.

SEVERUS.

Satis utique advertor [adverto] quæ intendis, ut pateat aliquando, forsitam quod manum avidius ori porrexeram : unde quid invexerit inter nos frequenter habuimus, et adhuc hodie pro quam plurima sua invectione saltem conscientia verberamur. Tamen de quibus dicis, testes sunt patres ac fratres et condiscipuli, qui norunt quod in modum agriculæ sarientis, verbum et correptionis sententiam mox in initio peccati pro sarculo ferebat, quatenus Christi messis uberior pullularet. Namque non ut quidam, usque ad excrescentia delicta deliberans agebat : sed mox in singulis peccati originem verbi gladio perimebat. Quomodo igitur suis ignaviter parceret, qui nusquam et nunquam sublimioribus, nisi moneret, cessit? Fecerat enim sententiam Salomonis suam, quod verba sapientis sint quasi stimuli et clavi in altum defixi ; quia defigebat cuspide verbi vitiorum crementa, et virtutum exordia in altum firmius solidabat. Felix nimium beatusque, qui tantis rerum alternisque decursibus occupatus, sibi unus idemque continuus erat censor eximius, qui se tam in alto secessu studiis, Deo charitatique vacabat. Hoc igitur negotium ejus et causa negotii, hoc otium et labor, hæc jejunia et vigiliæ, hæc cura et perpetua mentis sollicitudo, ut nunquam desineret, quod semel cœperat in militia Christi. Unde plurimum aliis enituit, quod sibi ait Deo ac proximis tantus idemque semper fuit ; nec ulli plus quam sibi severus, nec alium magis quam semet judicavit.

CAPUT V.

PASCHASIUS.

Perpendo, frater, et recolo quæ sentis : sed necdum est locus, [a] licet invitus quæ proponis. Tamen de his fateor aliquando me illum interrogasse, cur sibi tam severus, et, dum solus esset, tam tristis incederet. Ad quod ille : Noveris quia mecum sum, et quod in me est, decerno. Idcirco nullis adhuc, nisi de sola spe, hilaresco gaudiis. Perpendant igitur nostri qui eum rodere conantur, et alienis criminantur culpis, qui se ita percensuit. Putantne contra A Apostolum, quod a Domino ulterius justorum extorris a consilio judicetur? imo Christo cui adhæsit in vita complantatus in corpore, gratulabundus canit : *Liberasti me de laqueo venantium et a verbo aspero* (*Psal.* xc, 3). Sed ipse dum talibus et tantis evacuatur malis, nos miseros reliquit : quo velim ignoscant, si prolabimur ad lacrymas secretius in secessu, qui prius repressimus, ne videremur deflere, quem gratis oderant iniqui. Nunc autem tandem illis quiescentibus lamenta relaxabimus, quoniam fletus et lacrymæ fomenta sunt desiderii, desiderium autem jucunda recordatio amissi ; quoniam, etsi mors aspera deterret, blandi nominis memoria delectat. Unde quidam ait quod amicorum mors quamdam habeat voluptatem, eorumque memoria sit ju- B cunda, quomodo poma quæ videntur suaviter aspera. Cum ergo intervenit spatium, pura ad nos spei jucunditas redit, quia sic quos habuimus, diligimus, tanquam et nos hinc subito ituros, sicque amisimus tanquam habeamus. Gloriosa quidem spes beata et suavis. Idcirco, mi pater Arseni, gratulamur tui, solamur nostri ; quia et te ad spei beatitudinem præsumimus pervenisse, nosque tuis illuc meritis credimus adjuvari, licet hinc ad horam mœsti, tamen gaudentes : quia tibi felicior successus, quam nobis maneat exitus, nisi prior tuus interveniat recessus. Forte expedierat ut ires, quatenus paraclesis Christi veniat, ut festini, relictis omnibus, tecum simus mente, et indefessis precibus facultas capessendi sit veniam, et perveniendi fiduciam acci- C piat animus. Non igitur, mi Pater, miseri de te, sed beati, quibus nec præsentia in spiritu deficit, nec cura minuitur pastoris, sed augetur gratia. Quid enim est mors, nisi somnus? sicut ex multarum Scripturarum locis possumus approbare. Quod si in noctis quiete corporeis adhuc vinculis inhærentes, et quasi membrorum in carcere religatæ animæ possunt altiora et quæque suis discreta imaginibus perspicere : quanto magis exuti omni corruptionis labe spectant, ut quidam sanctorum ait, jam puro ætherioque sensu? Unde plus præsto te nobis Patrem confidimus, quam in istius vitæ usu habere nostri prospiciendi ad invicem copiam potuimus. Est enim nobis, ut credimus, ubique præsto dulcisque absentia D præsens, quod tunc illius omnia esse non poterant, sicuti est nunc, insuavis ejus valde præsentia absens ; quoniam in eo esse creditur, cui patent et præsto sunt omnia. Magna igitur potestas et virtus ineffabilis, ita ut nec mors, nec tempus avellere possit, quos ipsa eademque majestas Dei beaverit. Unde, mi Pater, potius crederis nunc vivere nobis, qui tibi melius vivis. Fiunt jam lacrymæ dulces, jucundior fletus ; quoniam, etsi mors odii est, vita nobis tua dilectio. Namque mors ebibita absorpta est in vita, et ideo vivis, Pater, beateque vivis. Quæsumus, adsis nobis, apud quem melius vivis, in quo vivunt omnia, nosque movemur in illo et sumus : cujus nimirum spei promissis refrigeratur ardor animi,

[a] Videtur hic deesse, *et ideo prætermitto*, vel quid simile.

Introdusă în format electronic de Google

relaxatus quoque paulisque evaporatur affectus. Quo A rogo ut advolet assidue tui animi imago, dulcesque perfundat veri (si fas sit dicere) somni visiones, ut totus adsis, qui solis corporeis aspectibus defraudaris. Nam quotidianus tuus usus jugem recordationem excitat, affectus imaginem repræsentat : quibus allatis dolorem renovant. Et ideo, mi Pater, interdum ades, et mente atque animo amplecteris. Osculamur enim te quantoties, alloquimur, comprehendimus. Infelix nimium ego, qui ultima verborum tuorum monita tam longe absens hausi. Ais namque, ut noster mihi Chremes attulit, aisque : Ita, fili, fac, si quomodo, quæcunque scis boni, opere agas, ne tui minor inveniaris. Hæc tua, mi Pater, mihi novissima verba, hæc tuæ æstimationis mandata. Non quod scierim quod perfectum sit ; sed ut B sciendo proficerem, sollicite procurabas. Cui nescius mox futurum quod non præterire licet, longius differri posset, verius quam jocose remiseram, quod æque tria in homine continuis temporibus non inessent, videlicet scire, velle, ac posse. Quoniam multa quæ boni scimus peccatis exigentibus, quandoque nolumus ; quod si jam velle adjacuerit, posse interdum non habemus. Deus est autem solus, cujus nec major scientia quam voluntas, nec voluntas amplior quam potestas : sed quidquid scit, vult et potest ; ideo in sapientia sua omnia operatur. Porro hominibus nihil horum sine gratia Christi. Et ideo quæso precibus instaures, votis adjuves, quoniam tunc doctoris perfecta est monitio, si precum quos monuerit, adjuvet sumptibus. Hoc enim laudis tuæ C officium est, quia sine offensione in nullo subter fuisti, tuis ut minus annuntiares voluntatem Dei, modo si commendes oratione ac meritis : ut quibus per te scire licuit quod expediat, velle ac posse tribuatur a Deo quod placeat.

CAPUT VI.

ADEODATUS.

Vellem altius a puero tanti viri tirocinia repeteres, quoniam merita tantæ perfectionis cum eo crevisse credimus. Non enim veræ virtutes sine innocentia proficiscuntur : innocentia vero virtutum efficacia solidatur. Porro soliditas longa boni operis consuetudine crescentibus meritis firmatur. Alterna quidem proportione perfecti viri ut prudentiæ simplicitas respondeat, et simplicitatem prudentia instauret : quatenus quod est in flore, fructus exhibeat, et fructum bonæ spei prius flores promittant. Potest ut flos nonnunquam sine fructu decidat : fructus tamen non sine flore pullulat. Idcirco pandas velim prius flores, quatenus fructus dulcior exuberet ; quoniam, etsi utilis fructus, teneræ vitæ pulchrior flos redolet. Unde huic quod etsi ante floruit, uberior virtus florendi, Christi gratia fuit.

[a] Hinc est quod misso in Italiam Bernhardo Pippini filio, nepote suo, Carolus *Wallonem filium Bernhardi patrui sui secum esse jussit, quousque rerum eventus securitatem nostris afferret*, inquit Eginhardus ad annum 812 ; et auctor Vitæ Ludovici Pii ad annum 814, *Timebatur*, inquit, *quam maxime*

PASCHASIUS.

Quæris, Adeodate, quæris de his forsitan, quando non eram ; tamen relatione verorum, quia ab utero notissimus fulsit, plura memoriæ dignissima percepi. Fuit enim a puero inter tirocinia palatii liberalibus mancipatus studiis, pollens morum nobilitate ac probitate sensus. Cujus Augustus efficaciam auspicatus ingenii, licet consobrinus ipsius esset, patrui ejus filius, decrevit humiliari cujuslibet instinctu, et redigi inter infimos, non quidem fortuitu, sed divino dispensante judicio, ut tenera ætas fornace tentationis tanquam aurum probaretur, quatenus ediscceret adhuc juvenis, non minus adversa fortiter, quam et prospera æquanimiter tolerare. Scriptum quippe est, quod sicut fornax aurum, ita tentatio probat justos (*Sap.* III, 6). Et ideo jam justitiæ ejus testimonium renitebat, ut amplior gratia præstaretur. Ubi diu multumque camino humilitatis detritus, valde claruit mitissimus : et nescio cui optimatum commissus libera sub custodia probus atque ideneus, plurima ejus quotidie crescebat fama, vitæ et laudis præconia cumulabantur. Quis igitur non agnosceret, quod jam divino probaretur tirocinio, qui nullis existentibus delictorum culpis a proximo sic premebatur innocens et justus, quasi esset reus, Augustique naturæ alienus? Ferunt quidam, quod idem tunc temporis cum esset in via mœstus, bovesque cum plaustro minaret, quemdam ruricolam obviasse, accinctus [accinctum] balteo et armis. Ad quem ipse : Visne, inquit, o homo, arma quæ geris pauper deponere, istaque quibus astringor assumere? His ita dictis tandem vix credulus viator sine damno, suis se viduavit armis, et munera insperata revexit. Tunc noster Arsenius : Melius mihi, inquit, vilia decent cum plaustro, quoniam non militiæ nunc sæculi, sed communis vitæ negotiis vaco. Quid igitur iste, fratres, nisi David usus exemplo aiebat : Adhuc vilior fiam, et ero in oculis meis humilis (*II Reg.* VI, 22) ; præsertim quia cum sibi quisque pro Deo indignior apparet, Deo acceptior fit : et cum sibi magnus sufficiensque, utique, sicut legitur, parvulus æstimatur. Quid plura ? His ita expletis paulo post divina virtus multis eum provexit honoribus, fitque acceptior cunctis, quanto probior. Restituitur palatio, gratia sublimatur. Siquidem quotidie proficiens atque succrescens, constituitur ab Augusto œconomus totius domus, et venerabatur passim secundus a Cæsare, quasi putares alium Joseph sceptra [a] regni movere. Erat enim in ore omnium, et ad omnia quæque præcipuus, maxime justitiarum exactor : cujus solertia jus civile bonis sine tergiversatione dabatur, et præsentia non minus terrebat reos, quam mulcebat pios. Senator, ut ita dicam, senatorum, a secretis jam tunc efficacior

Wala summi apud Carolum imperatorem habitus loci, ne forte aliquid sinistri contra imperatorem moliretur : qui tamen citissime ad eum venit, et humillima subjectione se ejus nutui secundum consuetudinem Francorum commendans subdidit.

Introdusă în format electronic de Google

cunctis, eo quod nihil vellet, nisi quidquid præstantius scire potuisset : ubique providus, ubique promptus ; ac devotus, ubique strenuus ; ita ut nullus de se coram illo aliud, quam justum velle significare auderet. Ante quem jus civium venale nunquam venit : sed liberaliter in omnibus agens, ultroneus petentibus apparebat. Nonnunquam igitur ad ea quæ Augusto proprie agenda fuerant, specialius mittebatur. Unde jam idem ducatum gerens, exercitum vice Cæsaris in hostes [a] duxisse satis fertur egregie : Quem feritas gentium barbararum suis edomita beneficiis, nimium, ut nostis, diligebat, et ad eum demum jam cum monachus foret, quantoties devoti confluebant.

CAPUT VII.

SEVERUS.

Fateor nos sæpe retractasse quid esset, quod easdem gentes diligeret, etiam ut sæpe omissis primoribus nostri Ordinis ad eos alacrius se conferret, et totum se illis infatigabiliter præstaret. Sed facile patet sensus, quod pietatis affectu hæc fecerit, ut eos suis provocaret exemplis, et ad morum instrueret honestatem, qui nuper ad fidem Christi venerant.

PASCHASIUS.

Ita est, mi Severe. Idcirco apud eos præ cunctis acceptior erat, quod ipse sæpe probavi, et præ omnibus charior. Forte recolis, quando illuc causa cœnobii novi [b] cum Antonio nostro simul fuimus, ubi qualis quantusve haberetur, probavi, quasi, ut ita dicam, si advenisset cœlitus, magis quam olim ex palatio, profecto cum esset monachus, venerabatur. Unde cum ad quosdam devenissemus, qui eum mutato habitu non agnoscerent, vastarentque iidem hostiliter suorum agros, et depopularentur finitima ; voluit eos Antonius noster, ut erat benignus, corripere lenitate sua ; nec tamen est auditus. Tum quidem proposuit eis Arsenium, et fecit alloqui, ut se a talibus compescerent. Quo audito, illi cœperunt prospicere attentius, is si esset quem fatebamur ; qui etsi multis persuasi, minime credidere, quod tam eximius et præpotens ad tantam venerit humilitatem et dejectionis formam. Quorum unus ad eum : Tu es, inquit, ille quem noster tam inclytum celebrat orbis ? Tum ille : Ego, inquit. Deinde, fateor, alter ait, quod saltem nec minime extrema digiti ejus vales, quanto magis ut talis tantusque dicaris. His ita dictis, nos omnes subrisimus ac discessimus.

ADEODATUS.

Velim serius agas : quia talia in quibus fastus commendatur sæculi, non intueor quid prosint, penitus cum mors etiam nostra aboleverit, si qua fuerant jucunda. An ignoras quod qui mundum colit, pretiosa perdit ? Pompam namque sæculi repetere, quid aliud est, quam fidem abnegare Christi ?

PASCHASIUS.

Ita plane sentio ; sed probi viri, licet videantur agere quæ mundi sunt, intentum gerunt animum, nec se ad externa omnia sinunt evocari, licet foris universa resonent, et magnis fulciantur tumultibus. Quid igitur putas fortius purpura uti, et vasis auro argentoque confectis, quasi testaceis, vel cilicio ; nec moveri ? An iisdem licet vilibus sic uti, quasi pretiosissimis, nec paupertate affici ?

ADEODATUS.

Utrumque magnæ virtutis dixerim virum : sed talis vix aut rarus invenitur, quem non dejiciat altitudo, quem vilitas non moveat, quem non extollat divitiarum atque honoris sublimitas, quem non paupertas afficiat, et variarum rerum negotia non extenuent.

PASCHASIUS.

Ita, Adeodate, ita est, sed vera virtus in utrisque est, quam bona mens explicat et devota : ubi nec cupiditas, vel avaritia fomentant animum ; sed liberalitas honestat morum, et probitas commendat vitæ. Non virtutes dissident, non vitia premunt, non altera affectionum passio alteram vexat, non ea quæ sunt exterius devastant. Alioquin etiam in eremo quid prodest universæ regionis asperitas et silentium, si affectus improbi fremunt intus, et vitia permutant animum ? Ergo placida quies et vera illa est quam ratio ubique componit, et serenitas religionis commendat. Idcirco quidam, ut comperimus, e sæculo recedentes, adhuc versantur in fluctibus : quia non satis mente exisse probantur. At vero nonnulli, quos tirocinia virtutum enutrierunt in militaribus rebus, postmodum ad Christi militiam puriores ac perspicaciores veniunt, quam si essent inexperti.

ADEODATUS.

Tamen esse debet in his virtutum experientia, pro quibus egregii censeantur, quoniam et pagani duntaxat inter suos idonei probique videbantur, vulgique æstimatione nonnulli inter deos allati dicuntur.

PASCHASIUS.

Videris mihi ad omnia quæ conferimus, nutabundus, et quasi plebeio infectus colore, nullum alium deinceps posse recipere mentis effectum : præsertim cum varius rumor varias rerum conspersionibus inficiat mentes. Fortassis ergo et tu ita infectus plurium infamiis, ut non queas de hoc aliam jam recipere fidem, quem plures ita laniant, et vulgi imperitia corrodit.

[a] Nempe *in Abitrices*, infra cap. 11, quo nomine Abotritos significatos existimo. Pace facta inter Carolum Magnum et Hemmingum Danorum regem anno 811, concordiæ subscripserunt sex de primoribus Francorum, in quibus primus nominatur *Walach filius Bernhardi*, dein alii, *omnes comites*, uti scribit Eginhardus in Annalibus, quo tempore ducum comitumque vocabula fere promiscua erant. His adde Walam fuisse conjugatum ex sequentis lib. II, cap. 8.

[b] Id est Corbeiæ Novæ : quod monasterium Antonius seu Adalhardus abbas adiit anno 822, ut operi jam cœpto supremam imponeret manum.

Introdusă în format electronic de Google

ADEODATUS.

Nonne recolis illud Catonis, quod multi multa loquuntur, et ideo rara est fides? Verumtamen de isto, fateor, optimam habeo fidem, cui adhæsi in novissimis, quem cognovi, licet sero, et dilexi nimium virtutibus decoratum. Sed non omnibus rebus facile fides adhibenda. Unde et Apostoli tardius credidisse leguntur, ne forte fides eorum temeraria videretur. Ita et nos nihil præcipitanter, nihilque inconsulte agere oportet : neque vulgi aut alicujus impressione ita infici, ne meliora recipere valeamus; neque, ut ita dicam, molliri ac si cera, ut omnium sigillorum signa super sculpturam recipiamus. Probanda est igitur imago cujusque, probanda et fides : ut quod semel ad liquidum probaveris, iterum de illo non judices.

PASCHASIUS.

Recte fateris : sed velim perpendas, quam probi viri inter summos sæculi honores vixerint, quam idonei mox de militia ad Christi gratiam pervenerint. Taceo igitur et David, quem nec regalis dignitas multis rerum copiis illexit, nec occupatio negotiorum a dono gratiæ retorsit. Taceo de cæteris omnibus, qui in culmine celsitudinis virtutum floribus exornati, Deo placuisse leguntur, et multis mysteriorum sacramentis refulsere. Veniam ad nostros, quos de mundi militia Christi Ecclesia gloriosos suscepit præsules. Ambrosium loquor, qui de præfectura mox cathedram episcopatus est adeptus; et Hilarium, quem doctorem eximium Gallia concelebrat. Tales ergo et hujusmodi viros sæpe sæculum, imo de sæculo Christi gratia provexit. Et ideo nulli dubium, quod et istum inter senatoriæ dignitatis infulas virtutum gemmis insignitum providentia instituit divina, et clementia decoxit, ut fieret vas honoris de tanto culmine ad monasticam transmutatus.

CAPUT VIII.

SEVERUS.

Diu est quod exspecto, quid de illo dubia proponere velitis, quem plusquam nosmet (ut ita fatear) cognovimus, cui conscii fuimus, quem sectatorem justitiæ ac veritatis non dubitamus, cui quam nobismet amplius credidimus. Fortassis ergo ut quidam philosophorum omnia dubia tenemus, nihilque certum posse comprehendi philosophamur. Alioquin interrogate Chremem nostrum, aut istum Allabigum, cujus clangor buccinæ forte surdis etiam fidem præstabit, quod adhuc in sæculo morum honestate ac virtutum cæteris clarior vixit.

CHREMES.

Nullus qui hoc nesciat, pene quia nulli fuit ignotus : sed livor abnegat, pluribus quod conscientia probat Hinc profecto liquet, quamvis offenderit, quod etiam ab æmulis præstantior omnibus nostri sæculi primoribus fuit : et si eisdem non placeat, bonus tamen ab omnibus prædicatur. Fuit enim in sæculo eleemosynarum largitor, et decimarum ita liberalissimus dispensator; ut probares jam non sua, sed ad hoc sibi commissa distribuere. Qui post annualem decimationem, quotidianam indesinenter tam ex omni redditu ac dispensatione victus, quam et de variis donorum sumptibus Christi pauperibus impendebat, hanc sibi hæreditatis computans partem, hanc lucri pretium, hanc justitiæ suæ mercimonium. Sed, ut video, Allabigus noster, quasi conviciatus, irascitur, ideo forte nudam manu interdum confricat, nec bene sentit de his quæ proponitis.

Tum ille : Quid igitur ludicra jocose seritis? et si calvus vobis videor, Hælisæum quid contemnitis? An nescis, Chremes, quia multi me venti flaverunt? Fortassis ergo jurando per hoc caput ista contraxi. Nunc autem quia non credunt, hoc novum reperi juxta Terrentium, ut consecter eos, qui se primos omnium esse volunt, nec sunt; et cum riserint, arrideo, eorumque ingenia admiror; vel quidquid dicunt, laudo; et si negant, laudo; quid quisque negaverit, nego; aiunt, aio. Deinde imperavi mihi omnia assentari, quia is quæstus nunc est valde uberrimus. Tamen saltem parvam adhibeam fidem, qui mihi de illo quam bene sum conscius, nihilque falsi fingam, quoniam meo cordi nullum chariorem invenio. Fuit enim suo in tempore acceptior cunctis, licet prodigiosa hujus sæculi ætas ultima eum insipienter et maligne oderit, atque mendaciis sit insecuta. Verumtamen quæso me non adeo ignavum putetis, non ingratum, neque inhumanum aut vecordem, ut me non consuetudo tanti viri non irremota vitæ conversatio, non amor, non pudor oblivionis commoveat, ac moneat, illi ut servem fidem, cum quo multa pertuli, a quo plura didici, et ex quo quæque optima virtutum etiam in sæculo cognovi, pro cujus amore primum post Deum sæculum reliqui. Unde si quis vestrum mihi de cornu quidpiam opposuit, tubam audiat veritatis; quia quamvis obsurdescant invidi, Arsenius iste verus Christi athleta fuit : et si plura enumerare nequeam sermone imperitus, lugere tamen etsi coram non erubesco, quoties ad mentem ea reduco, ut vel sic refrigerer plenas miseriarum nostrarum doloribus. Quia etsi gaudendum censeo, quod talem eum habuimus, satis quoque deflendum, qui cum eo semper viximus, quod absentes in extremis fuimus. Fortassis ergo si cum eo essemus, de spiritu ejus amplius participaremur. An non legistis, Elias Elisæo suo petenti, ut spiritus ejus in eo duplex fieret, quid dixerit? *Si rideris*, inquit, *quando tollar, erit quod optas* (*IV Reg.* II, 11). Ita et nos, fratres, si essemus cum eo, hinc ad cœlos quando abiit, pignus nobis forte refunderet sui spiritus. Nunc autem quam miseri, quibus nec horam scire licuit sui exitus, quem vivere putabamus!

PASCHASIUS.

Ut audio, glaber iste qui videbatur idiota, factus est in subito querimoniarum philosophus, nec dubium quin spiritu ejus quem plangimus afflatus. Alioquin nisi eo esset attactus, quomodo talia præoccupavisset, antequam filius eo veniret, quo circumfu

Introdusă în format electronic de Google

sis visceribus lamentandi erit tempus? Non enim assentator est falsi, ut se finxerat; sed invector, ut sentio, præcoque veritatis. Parvipendet enim aliquis quid audiat; præsertim cum nemo amicorum meorum est hodie, apud quem omnia mea occulta exponere audeam, quamvis hic nostra etiam inimicis detegat; quia nonnunquam apud alium prohibet dignitas, apud alium ipsius facti piget ineptia, ne infidelis, ne protervus videar. Idcirco nostrum est intelligere, utcunque atque ubicunque opus sit assentari vel obsequi, de isto si quomodo vel tacere. Ergo quia nec præmeditari potuimus tanti viri obitum, nec præscire; nunc præmeditandum, quid vel cui quandoque loquamur. Noster enim satis pavebat animus de illo prius tale aliquid cogitare, qualia demum contigisse doluimus. Non quod conditionem ignoraremus; sed quidam votorum usus sensum nostrum communis fragilitatis obduxerat, ut de illo nisi secunda cogitare nesciremus. Unde cum olim ab Augusto directus causa negotii quod nostis, antequam in remeando Agrippinam venissem, comperi quem nunc deflemus, exsilium tulisse pro munere, ubi quamplures monachorum simul reficiebamur; eratque lectio in medio Isaiæ vatis, ubi legitur : *Concurrent Ægyptii adversus Ægyptios, et disrumpetur Ægyptus in visceribus suis* (*Isa.* XIX, 2). Tunc quidem infremui, tunc quasi inundans omni lacrymarum imbre perfusus, atque dolore disruptus emarcui, ita ut omnes mirarentur, alii quidem quid contigerit dicentes, alii quasi reatui illius conscius essem, opinabantur; nemo tamen mihi eorum hodie quod heri, licet consolatores optimi viderentur. Fateor tamen eadem hora omnia mihi in animo venisse quæ postea contigerunt. Unde non dubitandum quod divinus Spiritus ubique omnia repleat, etiam et ea quæ non possidet.

SEVERUS.

Dicam de his quæ mihi in mente sunt, vos decernite. Dum ille fuit solus, dum nulla alia spes, dum posse viguit; favebant plurimi, sibique plabant palmam; nunc postquam res inventa [inversa] est, inventi [inversi] sunt et ipsi de quibus quæreris. Sed non adeo dixerim fortuitu talia contigisse, ut et lectio simul ac lacrymæ prodiderint, quod nostra in visceribus suis disrumpenda esset Ægyptus : forte jam tunc venter præcordiorum contra nefanda futurorum, quasi cythara threnabat.

CAPUT IX.

ADEODATUS.

Dum varia rerum incidunt negotia, in colloquio confunditur stylus, nec ordo dicendi servatur, nec flendi copia pectoris de fonte uberior hauritur. Ex quo velim fontem aperias nobis calentem, et qualis quantusve venerit ad monastica, insinues : quia etsi pulchræ sunt virtutes sub absconso chlamyde [*f.* chlamydis], easque inter mundi illecebras vernare; pulchriores tamen in schola virtutum fiunt, ubi resecatis vitiis fragrat ager aliorum odoramentis commilitonum, et sola quæ Dei et sancta sunt, ab omnibus meditantur.

PASCHASIUS.

Si quæris, Adeodate, qualis venerit, fateor talis qualem Virgilius ille tuus Maro describit, totus teres atque rotundus. Qui nimirum versus, licet in Virgilio vestro magnis extollatur laudibus, longe antiquior legitur in Horatio, qui dum de viro sapiente loqueretur, ait, quod sit fortis, et in seipso totus teres atque rotundus. Unde profecto liquet, sicut et in quampluribus locis, quia Maro vester callidus ingenio de cæterorum sententiis laudem tulit, et de multis, ac si mendicus, philosophorum fragmentis convivium vanitatis, saltem pueris, fecit. Sed laudabilior hic noster illo fulsit mox de sæculo Christi gratia illustratus, qui fortis in Deo atque teres seu rotundus, ut aiunt, venit; quia nihil ex omni parte rotundius a puncto, quam sibi [*f.* si] virtutes rationi Deoque consentiunt. Nonne virtus jure tibi videtur quædam æqualitas vitæ, rationique consentiens undique? Quod si aliud ab alio in vita discrepat; magis, ni fallor, offendit, ut ille egregius ait, quam si aliqua pars circuli majore minoreve intervallo quam aliæ partes, distet. Igitur illa est virtus et ratio vera, quæ vitam perfectam faciunt; vita vero perfecta undique, si veritati congruat, et virtutibus æquetur. Unde profecto idoneus in vita et probus jure is censetur, qui tam bene et honeste vivit ut secundum Deum virtutibus vivere videatur. Sed de isto vix talia creduntur, quoniam odiis et invidia ubique jugulatur. Qua de causa parcius laudandum censeo, ubi veritas conviciis suffocatur, et invidia justitia perimitur.

SEVERUS.

Forsitan persecutorum tempore si esses, de Christo aut nescire quidquam te assereres, utique aut mutus esses. Nunc autem, quæso, pone metum : nihil hic iterum jurabis poscenti. Alioquin dic illud, quia si noceo quod amo, sine fine nocebo. Satis enim mihi est amoris, quod semel de illo ebibi, quod aliud recipere non possum. Idcirco si non proficiunt visa, veniamus et ipsi virtutum ad arma : quia pro talibus tantisque Deum si digne laudare non cessem, beatior ero, licet monitis ejus et moribus sim ipse minor.

PASCHASIUS.

Magna molimur, frater Adeodate, sed nulla nisi ardua virtus. Unde narremus, ut fertur, fabulam toto notissimam mundo. Quoniam, ut ais, exigua virtus est præstare silentia rebus; sicut e contrario gravis culpa, quæ tacenda sunt loqui; quamvis utile multis dissimulasse prodenda fuerit, tacendaque prodidisse. Venit enim hic noster Arsenius, sicut melius nosti, ad monasterium [*l.* monasticam] vitam jam pene perfectus, licet demum major meliorque crevisse credatur, quia nemo qui virtutibus hac in vita proficere nequeat. Venit, inquam, sicuti præfatus poeta tuus ait jam,

Introdusă în format electronic de Google

Vir bonus et sapiens, qualem vix repperit unum
Millibus e cunctis hominum consultus Apollo :
Judex ipse sui totum se explorabat ad unguem.

Fateor me neminem sui exploratorem vidisse similem huic, qui non dico quotidie, verum jugiter sua tantum rimabat gestorum intima, quantum nemo solertissimus judicum discutit aliena.

ADEODATUS.

Quæro abs te, quomodo si jam teres atque rotundus venit, sui major meliorque demum fuit? Nunquid rotundo aliquid rotundius esse potest? quod si omnino potest, restat rotundum non fuisse, ut ab immobili puncto, scilicet divinitatis opere, circulus formaretur virtutum.

PASCHASIUS.

Quantum ad formam geometricæ exspectat disciplinæ, videtur fore quod ais; sed si ad virtutum, quia semper ex omni parte Christo introrsus modificante in sphæra æquissime circumaguntur, hinc inchoatio ad formam incipitur; illinc ubi civitas virtutum est, consummatur. Unde in comparatione Dei, sicut nemo bonus, ita nemo perfectus; et sicut nemo perfectus, ita nemo teres seu rotundus. Tamen dicitur et bonus, et perfectus homo : et si perfectus, utique teres, quia in Christo conformatur, in cujus nimirum circuitu iris esse legitur (*Apoc.* IV, 3), ex quo omnis perfectio virtutum designatur. Cæterum nemo proficit ad ista, qui se quotidie major meliorque non invenitur. Hinc quoque propheta : *Beatus vir*, inquit, *cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit* (*Psal.* LXXXIII, 6). Quid sit autem ascensiones disponere, subjungit de singulis : *Et ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem*. Ita ut omnium virtutum forma, propria cujusque charitas efficiat animæ quantitatem aut qualitatem. Constat igitur animam virtutibus crescere; decrescere autem vitiis, et ad non esse tendere. Iste vero noster quotidie sic de virtute ad virtutes, ita de esse ad majus esse tendebat; et sicut ad majus et melius, ita licet jam virtutibus teres, ut formatior atque rotundior esset, jugiter Christi manu formabatur. Sed qualis quantusve jam esset, quando sæculi deposuit militiam, testes sunt præsens Pater et fratres, qui satis intenti ac solliciti, multis eum, dum pulsaret novitius ad ostium monasticæ disciplinæ, perscrutati sunt probationum argumentis et solertiæ disciplinis. Testes quidem, quod velut aurum in fornace fuit probatus, inter omnia increpationum dura et aspera, in tantum qui necdum tiro, ut perfectus jam Christi miles haberetur. Erat in illo Spiritus Dei; et ideo, ut fertur, in nullis frangebatur molestiarum spiculis; sed seipso quotidie probatior renitebat. Quam vera igitur Apostoli sententia, quod omnia cooperantur illis in bonum, qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII, 28). Nam ei et quæ pro malo inferebantur, profecto lucrifiebant. Psallebat enim cum propheta Domino : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI, 4). Fateor, quæ multis dura videntur, illi levia erant; erat enim monachus.

CAPUT X.

ADEODATUS.

Quid laudis est, quod monachum eum prædicas? Nonne et nos ac quamplurimi monachi censemur nomine?

PASCHASIUS.

Vere censemur tantum nomine, sed falsi invenimur opere. Unde quidam de Patribus bene se intuens : Væ, inquit, mihi, qui nomen monachi falsum porto. Unde si diligenter consideres, rari inveniuntur. Sed hic noster unus erat e millibus, qui solus digito monstrabatur. Annon recolitis oculos ad nos omnium venientium? nam mox inter omnes eum intuebantur, et quasi ad lumen erant defixi, eumque requirentes, soli loqui desiderabant; etiam et cum ultimus esset a primordio, a cunctis præ omnibus venerabatur. Nemo igitur, ut assolet, etiam apud Patrem levitatis causa quispiam apud eum reprehensibilis voluit inveniri. Gravitas enim ejus et morum probitas illustrabat omnes; et ideo pudica mente vultum singuli coram eo submittebant. Licentius enim coram sole quam coram eo aliquid admitteres reprehensibile. Nunc vero quam miseri sine illo vivimus, multis allecti illecebrarum usibus! Omnes enim licentia deteriores sumus, quæ cum alicui in mente inciderit, frequenter frena gravitatis amittit. Unde Severum interroga, si quid de illo nosse desideras.

SEVERUS.

Fratres, fratres, quid dicam, quove inveniam dicendi copiam, cum in me nihil remanserit de illo, nisi flendi ac gemendi facultas? Bonum namque mihi erat, cum eo dum portabam jugum adolescentiæ meæ, coram illo quasi solitarius ac tacebam, magis quam nunc, cum loquendi licentia relaxatur; et æstimo impunius licere tunc quæ verebar ne admitterem. Patior usu, qui pene jam omnium hominum est, ut melius aliena videam et judicem quam mea. Idcirco inhonesta quam sæpe committo : præsertim quia cum illis frequenter ago, qui neque jus, neque bonum, aut æquum sciunt. Melius, pejus, prosit, obsit, non curant, neque vident; nihil enim nisi quod libuerit, placet; nihil nisi quæ voluerint, scientia defendunt, etsi eos esse res non sinit ut volunt. Porro nos illi palmam damus, eumque magnifice efferimus, qui vim tantam habeat et potestatem atque efficaciam fallendi, ut falsa pro veris valeat astruere, et improbos optimos judicare. Idcirco non est nunc temporis de isto quidpiam laudabile prædicare; tamen quia omnes norunt, licet oderint et invideant, non multa facundia opus est ad laudem, dum religiosior omnibus nostri temporis a singulis prædicatur et perfectior. Fuit enim in omnibus discipulus monasticæ disciplinæ, militans diutius sub Regula vel Abbate. Discipulus, inquam, quia in cunctis subditum se et humilem exhibuit, magisque subesse gaudens quam præesse; prodesse tamen tam sub jugo magistri, quam prælatus postea curavit. Et ideo demum perfectus invenitur Pater et magister, quia discipulus perfectior cæteris approbatur et filius; quod genus rarissimum

Introdusă în format electronic de Google

invenies, dum singuli magis præesse gaudeant quam subesse et prodesse. Alioquin non tanta prælatorum penuria perfectorum esset, neque proficiendi magna difficultas; quia plurimi, etsi præsunt, prodesse vix paucis appetunt, obesse multis. Hic autem quantus sub disciplina fuerit obedientiæ multorum ore laudatur. Et inde est illud, cum novitius adhuc esset, tumescente alveo fluminis, jussum est more solito, ut fratres irent turgentia resecare herbarum, ne amplius inundaret. Tum ille cœpit reliquos exhortari, ut tunicis tantum induti intus introirent, quatenus melius proficerent. Quo dicto, plures una cum eo introiere. Ubi multo perpessi frigore, relatum est Patri ad monasterium; quo jubente mox extracti sunt, atque coerciti, ne ulterius talia auderent. Unde constat, quod sæpe de fervore boni amoris, si dici fas est, contingit excessus culpæ, dum mens minus deliberat compellente amore charitatis, etsi Paulus apostolus dicat : *Charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII, 18). Hinc quoque quam sæpe talia Petro legimus accidisse, minus considerans, ore quid exprimeret. Porro excessus iste, ut ita fatear, non est amoris, sed inscientiæ nota : unde ipsius flamma levius purgatur. Nonne vidistis eum jam cum hospitalitati nostræ præesset, qualis quantusve erat? quam humilis, quam devotus! Quem enim aliquando nobilium vidistis tam vilia semper appetere, tam aspera tolerare, tam horrida et fœtida diligenter attrectare? non dico vilia calceamentorum hospitum, verum vulnera pauperum, eorumque fœtida vestimentorum, nonnunquam sic quasi aromata bajolans abluebat : omnia quippe eorum sic non lassescens infatigabiliter sustinebat. O Domine bone Jesu, quam infatigabilem eum fecisti ad omnia dilectionis officia! quam strenuum, quam efficacem, quamque devotum! Satagebat enim circa frequens ministerium ita sollicitus, ut pauperum curam et hospitum atque infirmorum ante omnia et super omnia gereret in die; nocte vero somno expleto parvissimi temporis, non minus ante vigilias Fratrum, quam post vigilias una cum Maria indefessus ad pedes Domini Jesu coram sanctis altaribus prostratus humo jacebat. Tu nosti, Domine Christe, quo lacrymarum imbre solum rigabat, te rogans, teque suspirans, te quærens, ad te pulsans, ut aperires ei januam pietatis tuæ : aperires quoque, ubi ei hactenus clauseras; et susciperes, ubi clementer illi aperueras. Quibus januis apertis, ut credimus, tunc penetrando pulsabat fide, nunc fruendo amplectitur charitatis amore. Poterat enim dicere cum Propheta : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me?* (*Psal.* CXVIII, 82.) Fateor ergo sæpe me vidisse loca suis mane madentia lacrymarum imbribus, et conspexisse oculos pene consumptos a fletibus. Vidistis et vos eum, ut reor, frequentius squalentem vigiliarum angoribus, vidistis madentem fletibus, vidistis affectum gemitibus, vidistis utique macie tenuatum et pellem ossibus hærentem victus parcimonia, et tabentem faciem laboris vit A suæ sudoribus. Utrasque namque vitas suis gerebat temporibus, practicam scilicet in die, theoricam vero in nocte; hinc inde earum respersus floribus noverat cum Maria, etsi frequens esset cum Martha, quod unum esset necessarium : et ideo singula ad hoc unum jugiter solidabat; illuc suspiriis anhelans, hac dilectionis officio ad ea propulsans, satagebat in die agrum corporis sui refundere sudoribus, in nocte vero fletibus. Vidisses enim mane illum quasi rore purpureo perfusum, lacrymarumque imbribus irroratum. Unde si velis plenius cognoscere veritatem, Severum interroga, qui semper plus quam ego vigilare studuit ac potuit, et ideo de his omnibus potiora cognovit.

SEVERUS.

B Etsi ficte de me ista dicis, tamen, licet qualitercunque, multa de illo percepi, quæ jure debeant prædicari. Annon recolis cum quanto frigore Domino psallebat, qui pene a sanctis altaribus vix semel in noctibus recedebat, ut ad lectum veniret? Quem si interrogasses, an pervigil canendo, petendo, quærendo, pulsando, noctemque gemitibus et fletibus vincere vellet, responderet illud Catonis : Si velim, aut nolim; et si possim, aut non possim; me tamen vigilare juvat propter illud : Beati qui vigilant ad fores meas, quoniam si mane me quæsierunt, invenient me (*Prov.* VIII, 34). Alioquin, nisi ob beatitudinem perfecti laboris, nunquam talia et tanta sustinuisset vigiliarum officia. Præsertim nullus mane qui non posset videre roscida humi pavimenta, quibus in nocte Domino militabat. O quale tunc tempus! vidisses enim quasi ad unius galli cantum continuis noctibus relīquos omnes excitari, et passim hinc inde altis crepitare gemitibus. Nunc vero quanto plus soporamur, tanto plus mortui vivimus; quoniam dum somno servimus, etsi vivimus, mortui sumus.

C

CAPUT XI.

PASCHASIUS.

Tu tantum de vigiliis narras; cæterum quantus qualisque vixerit, aut non recolis; aut certe quod in me reprehendis, pandere non audes.

SEVERUS.

D Audeo plane, sed de nullo temere loquendum.

PASCHASIUS.

Cave, frater, ne comicorum notam incurras : quia, ut aiunt, neminem liberum, neminem obsequentem, neque qui recte tractare verum possit, neque nosse aliquem, neque ab aliquo ubi non recte vivitur, cognosci. Et ideo forsan nec tu illum ostendere vis quanti penderes, nec ille tibi credere est ausus quod æquum est patri. Quæ si essent, forsitan nunquam illum silere etiam volens posses.

SEVERUS.

Plane cupio de illo quæ virtutis sunt ostendere, quem plus me credidi : quia de se sibi nec ipse quidquam retinuit quod non nossem. Transfudit se ad liquidum, ut paternos in me formaret vultus. Non

Introdusă în format electronic de Google

enim sibi remisit tempus, nec respexit; sed totum se Deo commisit, et transposuit ad ea quæ non videntur. Hinc ergo claruit, si quando vice sua hiemalem fratrum calefiebat [*l.* calefaciebat] domum, quantis augustius virtutibus renitebat, quantisque acrimoniarum fumi nitoribus pice pressius denigratus æstuabat. In tantum igitur illo cremabatur igne et fornacis incendio, ut videres eum jam non carne vestiri, sed effigiem quamdam fuliginis spiritu vegetari.

PASCHASIUS.

Recolo satis et recordor, quoniam tanquam aurum in fornace probabat eum Dominus, ut eum demum quasi in holocaustum acciperet; ipseque se sua sponte laboribus defecabat, plus appetens mala mundi quam quæ suavia sunt, pro Deo in omnibus tolerare. Macerabat se jejuniis, et victus parcimonia temperabat. Gerebat quoque curam de omnibus, et multa fratrum sollicitudine sancta premebatur. Hospitibus vero et fratribus infirmis sedulo serviebat obsequio; cujus cum plures venerationis affectu refugissent obsequium, frequenter aiebat dicens: Heus tu! cur evacuare vis officium meum, et obedientiam mihi commissam tollere? Ad cujus nimirum vocem mox quicunque ejus se manibus præbebat tractabilem. Unde quotidie magis ac magis eum fama ferebat ubique per aures, et prædicabilem commendabat. Quid plura? defuncto Antonio [a] paulo post substituitur Pater eximius ejus in loco. Ob cujus nimirum electionem a fratribus egomet directus, mox optinui apud Augustum quod olim plures optabant. Perrexerat enim prius dilitescendi gratia fratres invisere nostros, et illam secundam [b] excolere, quæ de nomine matris ipsa est, quæ et mater ipsa, sed altera; altera, sed ipsa. Unde revocatus, mox occupavit eum nostra electio. De cujus nimirum vitæ abstinentia et rigore castigationis tunc mihi a quibusdam optimatum, ut persensi, Augusto jubente, suasum est, quod non eum ferre possemus, neque vitæ vestigia imitari. Ad quod ego quasi arridens: An nescis, heus tu, nos qui sumus? nunquid caudam pro capite, ut quidam assolent, monstruose volumus eligere? quid putas si tantus esset, quantus excellentior aliquis Sanctorum? nunquid quia commeare nequimus, eum præferre oportet, qui post tergum eat, et non potius eum qui præcedat? Tum ille paulisper subridens, Augusto hæc, ut credo, retulit, quibus ita dictis, cuncta quæ volui, et ut volui, penitus impetravi; atque cogente illo, nostris, licet invitus, paruit votis, qui dudum subterfugerat quantisper prælatus.

ADEODATUS.

Timeo ne forte qui talem eum oblatrant, sentiant, de quo proposueras ænigmatice loqui, clarius prædicari.

PASCHASIUS.

Non invisa dicimus, neque incognita. Idcirco etsi adumbratur titulus, liniamenta tamen gestorum produnt; uti pictorum mos est, qui bene pingere norunt, qui sæpe ita vultus exprimunt, ut sine litteris et voce loquantur. Sed talibus quia necdum apposui labra, et condita sub silentio servo, erit, ut credo, illa dies, mihi cum liceat ejus aperte dicere facta, et quæ potiora sunt de illo, manifestius explicare. Interdum [interim] vero, sicut mones, ne quid nimis fiat, cautius loqui juvat, et uberius deplorare, qui sine illo vivimus, cum quo melius mori duxerim; quia mors ejus transposita est in vitam, forte ante tempus nobis optatum, ne malitia mutaret cor ejus, quod si non est ita, mente pertracta.

ADEODATUS.

Vere credo et pertracto, quia veridica vox est, *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet* (*Joan.* XII, 44). Iste vero non perfunctorie, sed ex toto cum dilectione credidit: quoniam ea sola est fides qua vivitur, quæ per dilectionem operatur. Et ideo quia sic vixit, et credidit in eo qui vivificat mortuos, non morietur in æternum.

PASCHASIUS.

Etiam et tibi, quia sic credis, suppeditat fides. Quanto magis qui tantis virtutum redolet operibus, credendum, quod jam exinde immarcessibiles capiat fructus? Nam a die professionis suæ mortificationem Christi tulit in corpore suo; et deinceps cum jam Pater esset electus, quasi ejus signifer ad aciem contra immanissimos hostes primus ubique processit ad campum. Mutata siquidem militia mutatus est et miles; et qui primum arma tulerat contra Abitrices [c] gentem indomabilem, demum contra vitiorum portenta virtutum vexilla tulisse gloriosius prædicatur. Unde nunc palmam gestat pro munere, qui olim honores contempsit sæculi pro religione.

CAPUT XII.

ADEODATUS.

Novimus hæc omnia; sed quomodo conversatus sit sub Antonio nostro velim edicas, maxime pro fratribus nostris Saxonia degentibus, quorum fuit ex genere [d], ut sciant ad plenum quales habuerint fidei suæ fundatores.

PASCHASIUS.

Si hoc profecto narrare cœpero, non invenio quo incipiam, quo me primum vertam, vel quo progrediar: quia eorum vita eorumque actus sic indissociabilis fuit, ut non invenias, postquam eos agnovi, quid unus eorum sine altero gesserit. Quia etsi opus

[a] Adalhardo sufectus est Wala anno 826, ut superius ad Vitam sancti Adalhardi dictum est. Qui Wala Ludovico Augusto fuit auctor mittendi Anscharium ad populos Septentrionales.

[b] Id est Corbeiam Saxonicam, cujus inter monachos sub Adalhardo Abbate ibi degentes Wala numeratur in Chronico Corbeiensi apud Meibomium.

[c] An Abotritos Septentrionales populos, trans Albim prope Rugiam insulam incolentes, quos Carolus Magnus sibi subjecisse dicitur in Vita Ludovici Pii ad annum 815.

[d] Idem ait Paschasius infra cap. 13. Lege Observationes prævias in Vitam sancti Adalhardi supra.

Introdusă în format electronic de Google

quodlibet proprium, aut quasi pro viribus, pro tempore, pro officio in aliquo dispar fuit, commune tamen votum et voluntas una fuit; ita ut videres eos quasi sub uno jugo æquanimiter in hac agricultura Domini aratrum trahere, atque invicem onera supportare. Et si quando contigisset eis pro loco, pro tempore quantisper abesse, videres unum eorum, alterum, ac si bos bovem, cum gemitu et desiderio requirere; quia nemo eorum se totum putabat adesse, cum alter deesset. Quin imo ibi magis affectu quam secum quisque eorum erat, ubi alter esset. Et sicut bos frequenti mugitu quam sæpe pium alterius testatur affectum, si forte defuerit cum quo trahere aratrum a latere consueverat, ita sibi ad invicem solliciti congemiscebant præ desiderio, cogitantes quid alter ageret, donec se sibi ad invicem redderent. Licet enim unus eorum esset ætate senior, et alter admodum juvenis; par tamen in eis desiderium. Quia etsi iste robustior corpore, ille ardore charitatis sublimior; una tamen in eis intentio, unum propositum, unaque voluntas; siquidem iste acutior sensu, sed senex noster in consilio et charitate latior. Iste quasi pro justitia ferventior, sed ille maturior circumspectione, et providentia profundior : ita ut iste in subito acutius responderet ad singula, sed ille longius et simul ad præsens considerabat profutura, et quæcunque evenire possent econtra. Quamvis ergo carne essent fratres, et germanissimi fide et voluntate, moribus tamen in hoc dispares videbantur, quod ille egregium in se omnibus repræsentabat patrem; iste autem discipulum monasticæ disciplinæ, et charissimum in omni subjectione filium.

SEVERUS.

De his ergo nemo ambigit, quoniam ipsi, ut omnes fatentur, ex omni regali prosapie singulares essent in sanctitate ac religione, atque in bonitate studiosissimi. Idcirco nec mirum, si se mutuis fovebant virtutibus, qui se etiam aliis imitabiles præbebant exemplis. Sed quoniam Antonius noster jam senectute fessus laboribus et curis videbatur inferior, erat tamen in charitate amplior. Cujus semper latus sollicitior iste affectu piæ devotionis suo fovebat studio, et curas regiminis suis humiliter complebat officiis. Ita ut videres eum omnia procurare ut filium, cui exhibebat reverentiam ut junior, famulatum ut servus, diligentiam ut frater charissimus, teneritudinis amorem aliquando ut pater; imperiosum quoque consilium cum omni humilitate ut senior; cui erat tanta in cunctis patientia, ut nullis moveretur molestiarum injuriis.

PASCHASIUS.

Bene recolis, frater, ita ut unius necessitudinis gratia complurium nobis necessitudinum officia connumerare videaris : quatenus in uno eodemque non unum nos amisisse doleamus, sed plures. Præsertim cum et in isto, et jam in Antonio quid amisimus, necessitas tanti doloris recordari compellat, quorum fraterna claritas [*f.* charitas] et amœnitas vitæ, non tantum nobis, verum in omni imperio regni sic emicuit et resplenduit, quasi videres duo cœli luminaria ubique clarescere : quamvis iste minus, ut ita fatear, et ille majus : quia ille pater erat, et iste filius : ille senex senior, et iste forte agilitate morum acrior, sicut et ætate junior. In quibus nulla adulatio fuit, sed hinc inde expressa pietas, nulla ad invicem dissensio : ita ut non invenires ad eorum propositi simulationem (*id est* similitudinem) quid adderes, quoniam unus spiritus erat in eis et una fides, unaque concordia pacis, et vera in omnibus religio sanctitatis. Et ideo inter eos nihil aliud quam totum quæ charitatis sunt et pietatis, deprehenderes ut nec vices mutarent, nec ad invicem aliud velle cognosceres : quorum erat pulchra morum proprietas, ut si qua alter alterum virtute excelleret, unam in eis ad invicem intelligeres harmoniam honestatis, unumque virtutis temperamentum. Erat enim sic proprium in eis quod erat uni, ut commune probares esse ambobus : ita tenus, ut vere iste dimidius alterius diceretur, sicut et ille integritas istius putabatur. Hinc est, charissimi, quod in Saxonia tam unanimes, tamque devoti novæ plantationis germina plantaverunt; et utriusque sexus [a] a fundamento cœnobia, favente Domino, construxerunt.

CAPUT XIII.

ADEODATUS.

Miror cur velis eos coæquare, cum non iste, sed Antonius, quia loci hujus pastor erat, cui facultas suppetebat ædificandi, ea ædificaverit; hic autem ac si unus erat ex plurimis : licet acceptior in gratia, quia frater; profundior in consilio, prior in voluntate, major in adjutorio, sollicitior in voto. Et ideo quamvis semper plurimum se diligerent, laboremque suum alter eorum alterius esse vellet præmium, tamen illi merito deputatur merces operis, in cujus quæ gesta sunt, dedicantur labore : quia etsi nunquam alteri eorum sine altero fuit voluntas agendi quod pium et sanctum est; illius interea jure deputatur meriti, cujus fuit potestas agendi, quamvis commune fuerit opus laboris.

PASCHASIUS.

Quantum exterius exspectat in humano judicio, ita fama quam sæpe concelebrat laudes in vulgo. Sed divinus Arbiter intus discernit gratiam uniculque quam dedit, et laborem deinceps post gratiam quisque quem impendit. At vero istorum voluntas quia una erat, et utraque eorum ex alterius pendebat voluntate, sermo cum ab ore prodiisset, manifestum est omnibus, quod huic primum divinitus inspiratum est, occasione accepta pro quibusdam sui generis [b], qui ad nos conversionis gratia venerunt, et de rebus suis nobis tradiderunt, quo locus ædificaretur cœnobii. Unde ut erat iste amore fer-

[a] Virorum quidem Corbeiam novam : virginum autem Herefordiense. De utroque in historia de translatione S. Viti.

[b] Id est Saxonici, supra cap. 12.

Introdusă în format electronic de Google

vens circa Deum et circa religionem sanctam, circa propinquos sui generis et patriam; cœpit instantius persuadere, ac crebris Abbatem egregium æquivocum [a] senis, hujus operis ut laborem impenderet, et sumptus præberet; quia ipse jam tunc erat, in quo domestica monasterii nostri sollicitudo et cura residens publica requiescebat. Quibus Pater ille auditis, Arsenii nostri votum et voluntatem suam esse fecit. Sicque cœptum est opus virtutis, et prosperatum tantisper, donec senex Antonius ab exsilio regressus, in gratia est restitutus. Quo regresso istius voluntas mox facta est senis : ita ut videres filium in hac gratia patrem eximium genuisse, cujus crebrior adhortatio in hac parte unam duorum intentionem fecit, unumque vestigium voluntatis, quibus Deus unum velle, unumque nolle dedit; quoniam et ipsi antea in reliquis indivisi erant, quando alter nemo sine altero vivere cupiebat, quorum unus erat affectus mentis, unumque desiderium, et una sollicitudo sanctæ religionis. Quapropter videat prudentia filiorum, maxime quos pariter eorum fides genuit, et charitas in hac gratia Domino dedicavit; utrumne ulli amplior merces esse debeat, quam ei qui et alios hoc post Deum primum velle fecit crebriori exhortatione; deinde ut perficerent coegit. Qui suo fortissimo adjutorio plus quam propriis humeris subvexit, et consilio sollicitius roboravit, et in omnibus apud Cæsarem, apud eximos totius regni, et apud omnes quoscunque potuit, hoc egit omni ingenio, omni arte, omnique studio, ut compleretur opus laboris, ipso exhortante quod cœptum erat.

CAPUT XIV.

SEVERUS.

Hoc nos non latet, quia valde persensimus his universa, et conspeximus oculis quæ egit : ita ut plures clamarent, quod bona monasterii nostri cuncta diriperet, tantum ut loca illa nostris ditaret sumptibus. Sed hoc laudis ejus portio est, quod sine offensione bonorum, illa ex omnibus ditavit bonis, et locupletavit copiis; nec tamen nostra multum minuit. Gubernabat autem fratris domum, et commendabat jam in se officium abbatis, quod futurum erat, quando intus præstabat solatium et formam sanctæ religionis, foris vero scutum defensionis et munimen præstabat ac decus totius honestatis. Porro, ut dixi, jam tunc cum Patre curam monasterii gerens, quasi arbiter in consilio erat, atque ordinator rerum, curam habens de omnibus. Provisor quoque sollicitus animarum, ne displiceret sanctus senex noster in aliquo Deo, sicque ut placeret in omnibus laborabat. Depulsor enim mœroris erat, et baculus senectutis sanctissimi senis, necnon et omnium nostrorum incitamentum virtutum : in quo sibi sanctus senex pro virore gratiæ gaudebat plurimum et congratulabatur, quem ipse suis sanctis illustrabat monitis et virtutibus : ita ut hinc inde videres eos recreari ab invicem, et proficere in cunctis. Quæ omnia melius fortasse Paschasius novit, intus forisve quæ et qualiter egerunt, qui eis comes fuit in omnibus specialis, et quasi tertius inter eos in omni negotio.

CAPUT XV.

PASCHASIUS.

Non aonuo quæ astruis, maxime qualiter in gente illa præfata cœdificaverint cœnobia utriusque sexus; cum quanta devotione et fervore charitatis, cum quanta humilitate et sublimitate virtutum, ita ut in se monstrarent formam sanctæ religionis et exempla perfectionis, ut haberent diebus sæculi sequaces discipuli sub monastica disciplina in eis quæ imitari deberent, quoniam sicut Dominus ait, magister veritatis : *Perfectus erit omnis discipulus, si sit sicut magister ejus* (*Luc.* VI, 40). Et ideo isti vere imitatores facti sunt Christi, ut securius in fundamento positi futurus grex construeretur in Domino, ne aut culmen erigeretur sine quadratura virtutum et firmitate fidei, aut fundamenta locarentur sine culmine summæ perfectionis. Quapropter quia imitabiles se præbuerunt, vere præ omnibus sequendi sunt, et eorum monita et exempla servanda : ne male vacillet in culmine, quod bene constabilitum est in fundamento; et pejus pullulet in germine quod optime jactatum est in semine. Deinde communis sit noster gemitus pro amissis patribus : quia commune nostrum fuit lucrum, quia cum eis sub tanta disciplina viximus. Nam *in* repetendis eorum officiis, recensendisque virtutibus non potest non aflici animus; sed tamen in ipsa affectione animi et mœrore recreamur, et renovatur affectus, maxime qui eos vidimus. Præterea mihi, qui cum eis fui, quando eadem inchoarent, quasi reflexa cervice absentiam eorum semper præsentem intueor, cum irent in via, cum essent in loco, cum disponerent singula, cum essent in consilio, et fabularentur ad invicem; cum haurirem oculis eorum gratiam, et auribus perciperem sermones quos proponebant, et exciperem verba quæ dicebant. Quod si mihi nunc jucunditas est mentis ea respicere, quid putatis, charissimi, quanta erat tunc gratia, quanta lætitia, quam beata tempora, cum eos videm tanta et talia meditantes? Fateor quia non possum retexere, quantum virtutes eorum ipse mecum tacitus admirabar, quantumque mihi applaudebam, quod tales mihi Dominus dederit patronos, quorum in consortio, etsi indignus, tertius eram. Non meritis quidem, non gratia, non ullius dignitatis honore, sed eorum dignatione, tantum visu et auditu intereram pro numero; tamen eis pudice satis adhærens, simplicitatis et innocentiæ saltem efficaciam mihi non desperabam. Quorum cum prudentiam cernerem, simplicitatem columbæ in eis valde mirabar; et si ad simplicitatem respicerem, admirandi pru-

[a] Adalhardum scilicet juniorem, qui Adalhardi senioris exsulantis vices egit in regimine cœnobii Corbeiensis.

Introdusă în format electronic de Google

dentiæ [*f.* prudentiam] spiritus in me pene nullus erat. Quam semper simplicitatem miris jungebant virtutibus; et quæ dicebant verbis prudenter coæquabant exemplis; et ea quæ ambo vix poterant prius, tunc unus eorum complebat solus; et si aliquando alter agebat aliquid sine altero, jam pro consuetudine simul agendi quasi cerneres ambos. Qui licet interdum unus intectum latus exhiberet, alterius tamen affectum in moribus et in officio præmonstrabat: ita ut mirareris in eis unam sollicitudinem mentis, unam sanctam et irrefragabilem gratiam; etsi non corporis, unum vigorem mentis, unumque propositum et unam modestiam meditationis. Qui cum lineas manu tenderent ad opus, et arundine metirent, ac disponerent utraque loca, quibus in locis singula fierent; videbatur quod ædificium metirent structuræ, juxta Ezechielem (XL, 2), vergentis ad austrum, ut fundamenta et culmen in cœlo locarent. Qui cum attollerent pariter gressus, illuc vultum oculosque levabant, ut probares illis committere Deo in cœlis, quodcunque fieri disponebant in terris; et illuc locare katabula fundamenti, quo vix aliorum culmina surgunt.

ADEODATUS.

Ut video, more Thomæ apostoli, isti locorum fundamenta et domorum structuram ponebant, quæ nunquam veteresceret; ædificabant officinas, et culmina erigebant, quæ nunquam corruerent. Alioquin non credo, quod in tam longinqua regione hæc illi tentarent, nisi, quia nova lux Christi in eadem gente nuper refulserat per Spiritum sanctum, visum est eis, ut cœlestia inter eos ædificia constabilirent in terris, quatenus et ipsi possent dicere in spiritu cum Joanne: Vidimus Hierusalem feliciter nostris in locis novam descendentem de cœlis, in utroque sexu ornatam monilibus suis. Sic namque ab universis de eisdem locis prædicatur, ut nemini cunctari liceat, quod in eadem gente hæc divina sint castra cum suis gemellis fetibus Domino dedicata.

CAPUT XVI.

SEVERUS.

Quamvis hæc omnia ita sint, ut asseritis, vellem tamen scire quid Arsenius noster eo in facto plus fecerit, quam unus eorum, qui cooperatores fuimus sancto seni, præsertim cum tunc temporis nulla erat ei potestas, nullaque facultas amplius agendi quam cæteris suis commilitonibus. Propterea cavendum ne aliquid ei plus tribuamus quam oportet, et ipsa veritas se habet. Fortassis ergo, ut præmissum est, in eo divinitus aspirata est talis tantaque voluntas; deinceps vero commune habuit velle cum cæteris fratribus suis; commune posse, vel non posse; aliquid commune agere, et obedire in singulis.

PASCHASIUS.

Primum prærogativam meritorum, ut asseris, hanc habuit in hoc opere gratiam, ut prior omnibus ipse hæc mente conciperet; deinde, ut res claruit, in hoc plus fecit, quia præ omnibus plus voluit; et sua permaxime prior voluntas omnium voluntates in hoc negotio genuit, excitavit, suisque precibus atque assiduis persuasionibus una cum prudenti consilio enutrivit. Ac per hoc, licet in Antonio fuerit potestas, et eximia sapientia peragendi, et virtus magna perficiendi; in isto tamen quodammodo videtur excellentior gratia, quamvis communis fuerit; quia quidquid ille egit, aut voluit; totum ab isto exorsum est una cum Dei gratia et enutritum. Et non solum quod ille voluit et fecit, verum etiam quidquid alii suis præstiterunt suffragiis, ut puta situs loci amœnissimus et locuples valde ac fertilis, quo dedicatum monstratur cœnobium, et omnia quæque sunt, quibus in gyro vallatur ille locus. Igitur nemo nostrum ignorat, cujus [a] fuerit hæreditas, quam nulli alteri omnino cessisset in vita, etiam, ut ita fatear, nec regi; nisi divinis ab isto fuisset compulsus persuasionibus, cui nihil contradicere poterat; quia ab ineunte ætate ejus charissimus atque familiarissimus fuerat præ omnibus. Cujus [*l.* hujus] itaque precibus et consilio appulsus, pro ejus hortatu libenter tradidit Deo quidquid in terra charius possidebat. Unde jure illi hæc gratia deputatur, qui et locum talem a Domino electum olim huic operi aptum elegit et impetrare potuit; quia nescio si ullus alter mortalium potuisset. Erat enim in eadem gente idem valde dilectus, et nimium famosissimus. Quod claruit, cum ad quoddam placitum non multum longe ab eodem loco Antonius venisset, ubi multitudo eorum propter eos confluxerat. A quibus cum suscepti essemus venerabiliter, cœperunt omnes post Arsenium nostrum vultus intendere, eumque pro nimio amore et admiratione pressius circumvallare; ita ut præ gaudio et desiderio abducerent illum a nobis: quia nullus eorum Antonium, cujus erat potestas, respiciebat, quem omnes fulciebamus hinc inde, et venerabamur pro viribus constipati ut dominum: sed nemo eorum nos, nec illum, quinam esset, considerabat. Tum ille gavisus pro sua humilitate, quia nos omnes excluserant, et exsultans pro fratris susceptione, conversus ad me subridens ait: Bene possumus nos hinc, frater, abire, quia nemo nostrum [*f.* nos] hic curat, neque aliquid esse attendit. Sicque acceptis duobus, aliis relictis omnibus, ac si soli, gaudentes et jucundantes regressi sumus ad jam præsignatum locum. Hæc idcirco dixerim, ut sciat nobilitas filiorum quales habuerint fundatores: quia et humilia de se sentiebant in omnibus, et nullis, ut alii assolent, movebantur mundi favoribus. Et ideo nec ille pudore confusus est, nec iste honore insolens effectus: quia istius acceptio et fama in populo, illius erat gaudium et exsultatio; non tantum quia gratus erat, et amabatur ab omnibus, sed quia dignus erat amore atque acceptione, ut bene secundum Deum

[a] Gerardus in Vita sancti Adalhardi scribit, locum illum concessum fuisse a parentibus Theodradi Saxonici, qui Corbeiæ in Gallia monachus factus est.

Introdusă în format electronic de Google

prosperaretur in cunctis. Alias autem in humilitate nescio quis esset sublimior, nisi aliquis in factis eorum hoc voluerit deprehendere. Nam cum esset uterque secundum sæculi dignitatem eximius, vicissim tamen decertabant ut inveniretur quilibet eorum humilior. Inde igitur est quod Antonius, quamvis pater esset et dominus, tantam reverentiam modeste satis impendebat filio et fratri juniori, quantam nescio si ullus impendere velit aut possit coæquali. At vero econtra quantam iste diligentiam adhibuerit, ne ab ullo præveniretur in obsequio, in reverentia debiti honoris, in cura et sollicitudine, atque in omni famulatu debitæ servitutis, in sermone et habitu, necnon et in incessu; nescio si aliquis dicere sufficiat, cum nemo imitari queat. Cæterum ad exemplum aliorum quantam de se præbuerint abjectionem, vel unam de pluribus pandam. Iste cum in cibo vilissimo esset parcior cunctis, voluit et usibus patriæ esse contentus, dicens quod non esset dignum, ut monachus qui vilioribus juxta usum provinciæ in qua degunt, [*l.* degit, contentus esse debet] cultioribus vestiretur indumentis, vel lautioribus uteretur cibis quam comprovinciales inter quos degunt [*l.* degit]. Unde et calciamenta sibi parare jussit juxta ritum patriæ, quos Ruhilingos dicunt, et portare voluit; nisi a Patre discretionis causa prohibitum esset. Sed miror cur ille in hoc facto tam discretus esse voluit, qui in suo (si dici fas est) superstitiosus potest judicari. Nam eo in tempore in itinere positus, nullum in noctibus apparatum sibi sinebat fieri, sicut solent viantes facere, quo tegeremur imbribus; neque tentorium aliquod sibi permittebat exigere die et nocte; sed fusi super terram quiescebamus, et juxta illud quod quidam canit, salubres nobis herba dabat somnos: nisi quod beatus Pater sibi ac mihi providebat egregie satis profundos atque amplissimos (ut assolent fieri illa in terra) agri sulcos, ubi jubebat mihi nostrum sternere lectum, quorum latera hinc inde pulchris nos ambiendo fovebant fulcris, dum equi sella in medio posita, quæ unam mihi alpem ad caput præbebat, alteram illi. Nec aliud quid habentes in eo, nisi quod in die supra et deorsum habuimus. Hæc tota mollities lecti erat, et ambitio satis honesta.

SEVERUS.

Nec hoc superstitiosum videtur, ut æstimas, præsertim cum Jacob dum iret multo labore conjugem emere, in via nihil aliud ad caput quam lapidem habuisse legitur, nec ullas secum delicias vexisse præter baculum. Quid igitur mirum, iste dum vadit uni viro virginem despondere Christo Domino, et castam exhibere uxorem, si nullis fulciatur honoribus, nulloque ornetur apparatu, dum totum in se præmonstrare debuit et in nobis, quidquid sponsam servare voluit, quam ducebat Christo? ut sanctissimam paupertatem magis semper sectaretur quam delicias mundi; et amplecteretur dura et aspera, per quæ omnino itur ad Christum. Novimus enim quod non solummodo in hoc facto se imitabilem præbuit tam sanctus Pater; verum etiam in omnibus, in quibuscunque Christi religio commendatur. Sed forte quia rari sunt qui de se tale aliquid exhibeant, quoniam omnes pompas sæculi sectantur, tu ideo ista dicis. Sed iste de se ampliora ostendebat filiis virtutum exempla, licet ex occasione itineris ista dixeris.

CAPUT XVII.

PASCHASIUS.

Quid si omnino in repetendis eorum officiis, recensendisque virtutibus animum appulero? Ipsa recordatio, ut sentio, renovabit dolores nostros, quorum memoria voluptas est animi et incitamentum virtutum. Et ideo eorum meminisse gratia est suavitatis: quoniam jucundior in mente est atque alacrior eorum sancta recordatio, quam ulla impræsentiarum oblectatio deliciarum; profecto quia instanti tempore jure nulla lætitia est sine mœrore, nulla dulcedo sine amaritudine, nulla honestas sine confusione, nulla jucunditas mentis sine tristitia. Nam ubique luctus, ubique dolor et gemitus; quoniam, non dico quotidie, verum omni hora ubique mala audiuntur, neque aliud quam confusio nuntiatur. Porro duo isti, quamvis jam mala crebrescerent, quia viri virtutis erant, non poterant nos admodum mœstos relinquere, qui nos suis consolabantur verbis, instruebant exemplis, roborabant consiliis, et piis nutriebant disciplinis. Et ideo hodie adhuc manent nobiscum, et semper manebunt, si veri eorum imitatores fuerimus et amatores virtutum; quas si vere amamus, jam hic non esse cœpimus, sed peregrinamur, saltem ex desiderio, quo melior nostra portio est. Nunquam enim in nobis toti sumus, si eos vere dileximus; sed in illis, quia caput erant, in quibus nostri pars major fuit. Et quia uterque eorum in Christo vivit, propterea melius illic nos devote peregrinari oportet, in quo summa universitatis est et portio singulorum. Hinc eorum recordatio jucundior cunctis opibus, et gratior impræsentiarum quibuslibet bonis, in quo nostrorum universus est fructus. Illuc namque et ipsi antequam irent, sua omnia transplantarunt, ut nos sursum attollerent, quos parvulos in Christo nutriebant. Quanto magis eos illuc conversari oportet filios, quos ad hoc genuerunt, ut in cœlestibus quasi lilia florerent, et quasi cedri Libani in altissimis crescerent?

CAPUT XVIII.

SEVERUS.

Ut audio, aliter ædificata est Roma a duobus fratribus, et aliter nova nostro de nomine. Illa siquidem carnaliter in terris, ista spiritaliter, ut dilataretur in cœlis; illa ut edomaret gentes sub suo imperio, ista ut extraheret suos de mundo; illa ut cresceret rebus, et ditaretur rerum copiis; ista vero ut beata paupertate locuples, fundamentum haberet in cœlis. Illa itaque a sanguine cœpit ædificari, et cum sanguine rebus bellicis crevit; ista ut pauper-

Introdusă în format electronic de Google

tatem amaret præsentis vitæ in spiritu, et ditaretur in cœlestibus.

PASCHASIUS.

Quantum video, tuo more agis, qui severe alios antequam corrigas, culpas. Forte percenses eos, quos isti unanimiter duo plantarunt fratres, ut crescerent et dilatarentur in cœlis. Jam tibi contra eorum præcepta et instituta, contra eorum provida satis monita videntur ire, et rebus crescere, deliciis affluere, et honoribus ac pompis sæculi dilatari. Alias autem superfluum esse puto mentionem duorum ædificiorum fecisse, nisi quia illa in sanguinibus terrena ædificata est; istud vero quod ab istis Domino dedicatum est, construitur juxta illud Ezechielis, quasi ædificium vergentis ad austrum. Eisdem itaque mensuris super eadem fundamenta, eadem latitudine et longitudine, totidem habens portas, easdemque fenestras, et nullam crescendi aliam rerum magnitudinem. Ad hoc quippe duo isti eximii fundamenta in gentibus ad boream civitatis eum ponerent una cum turribus et propugnaculis suis, tria ista omnino monebant: ne rebus multum ditescere gauderent, neque divitias sæculi appeterent, ita ut in eis cor apponerent, sed omnino delicias et voluptates, ac si venena fugerent. Ad ultimum ne ullis, ac si pro religione, honoribus et fastu delectarentur superbiæ, ne forte ex toto fatescerent, et in vacuum deperirent, sicut in Galliis multas deperisse a religione ecclesias bene olim fundatas cernimus. Quapropter isti multis jam edocti exemplis, suos præmonebant filios, ne rebus affluerentur [affluerent] humanis, pro quibus sæculo deservirent, sed ut essent pauperes spiritu, humiles et mansueti, mites ac misericordes, et justitiam semper in omnibus esurientes, quatenus de illis omnes bene vellent propter munditiam cordis eorum; bene optarent, ne propter invidiam rerum et felicitatem eis inviderent, et opprimerent eos sæculi servitute. De quibus adhuc favente Deo omnes bona nuntiant, bene existimant; et sunt adhuc virtutibus illustres et mirabiles probitate vitæ: quoniam adhuc in eis eorum odor respergitur, et virtutes vigent, efferuntur laudes, magnificatur religio et prædicatur excellens nobilitas: quorum adhuc benedictio in eis floret; et amplissima vitæ dignitas commendatur; crescit quoque uberrimus meritorum fructus, ac præclara pullulat et extollitur gratia.

CAPUT XIX.

SEVERUS.

Esset laudabile, fratres, quidquid de eis amplissima virtutum fama ubique concelebrat, nisi prius res solemniter monasterio nostro delegatas, et omnia illis in partibus quæ nobis collata sunt, de jure proprietatis cœnobii hujus (quod valde mirabile est) alienaverint, et in sua eos proprietate per sese esse voluerint. Præsertim cum rarus qui locum cui præest, ditescere rebus magis magisque non velit, ut valeat amplius dominari et dilatari, quasi pro religione, fastu potentiæ. Isti autem e contrario non solum locum, cui præerant, ditescere rebus, cum possent, noluerunt, verum collatas distraxerunt, et redegerunt in libertate usibus fratrum, ne ad nos pertinerent.

PASCHASIUS.

Hoc igitur quod docebant verbis, faciebant ut confirmarent exemplis. Monebant enim, ne aut nos, aut illi res non necessarias susciperemus, neque facultatem habere amplam ambiremus [a], quasi pro Dei religione: sed rebus et possessioni Ecclesiæ modum imponeremus, ne digitum illi ultra extenderent, monente propheta, aut agrum agro usque ad terminum loci absque concupiscentiæ fine copularent. Sed ne injusta vobis videatur hujusce libertas facti, noveritis, quia fructuosius atque honestius est, eo quod justius et utilius esset, eas per se in usibus cœnobii Domino sub libertate deservire, quam nostro eas inopportune satis atque superflue dominari hæreditatis jure; quia ubi vel ubi Domino seu Ecclesiæ suæ hæreditas deservire comprobatur, cum in usibus servorum suorum religiose satis cum charitate expenditur. Unde valde locupletatur donum gratiæ, cum ex una radice perfectæ dilectionis duo cœnobia monasticæ disciplinæ geminantur.

CAPUT XX.

ADEODATUS.

Satis sit quod hactenus æque ambos replicas, quorum una fuit virtus operis, una mentis intentio. Sed quia Arsenium in hoc opere lamentis prosequi decrevimus, qui in istis etiam amplius laboravit, solus fletibus commendandus est: quoniam nisi tam cito hinc abisset, forte fratres de quibus loquimur, cœli cives effecisset, qui contemptum sæculi eis in omnibus exhibebat. Fecisset sane etiam eos semetipsos contemnere pro fide, sicut et ipse prius semetipsum contempserat. Redegisset ergo omnium corda in unum gratia charitatis, ne ullus ultra normam et mensuram monasticæ disciplinæ ad eas quæ foris sunt, se extenderet, quod satis ostendit in prælato [b], quem ibi præesse maluerant, cum redisset, si non tam cito rursus propulsus Italiam petisset. Pro certo namque comperimus, quia ultra nequaquam ibi præesset, priusquam de se humilia sentire didicisset; et non inflari pro genere, non delicias amplecti, non lascivire nugis sæculi et vanitatibus, neque quæ mundi sunt, sectari. Vidisses profecto hinc inde quasi ædificia cœlestis patriæ consurgere ad normam illius civitatis, quam supra commemoravi: quæ semper vergit ad austrum, et mensuris cœlestibus metitur, et non humanis in sæculo dilatatur. Vidisses hodie turres ibidem et propugnacula fidei usque ad cœlos

[a] Eadem Adalhardi monita pro Corbeia Nova memorat Paschasius in Vita ipsius Adalhardi, supra.

[b] Warinum, ut puto, intelligit, Adalhardi in novæ Corbeiæ regimine successorem in annos triginta, cui superbiam et tumorem auctor hic videtur imputare, tametsi Warinum egregie commendat libellus de translatione sancti Viti.

Introdusă în format electronic de Google

humiliter exaltari, omniaque virtutum genera consurgere, et non pro fastu superbiæ locum rebus dilatari. Verumtamen, quamvis ita fatear, ejus odor adhuc hodie ibi fragrat, virtutes vigent, doctrina morum pollet, nobilitas conversationis manet, gravitas admiratur, collaudatur charitas, et prædicatur in omnibus disciplinæ honestas, itatenus ut de fecunditate filiæ, matris ubique fama annuntietur valde gloriosa, et ubertas hinc inde dilatata per omnes accrescat prolis. Hæc igitur, fratres, Arsenii nostri sunt præconia, hæc ejus operis beneficia et virtutum insignia : cujus dum sæcula manent, et religio Ecclesiarum erit; ejus laudes famaque bonæ vitæ ab ore hominum nunquam deficient. Nec immerito igitur, quia fructus redundabit in semine multiplici, dum laus satoris crescit rursus in messe, et messis per annos multiplicatur in plures. Unde veri Dei sententia confirmatur, qua ait : *Quicunque reliquerit omnia quæ possidet, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Reliquit ergo iste plura, sed majora in sæculo acquisivit, qui omnes facultates Ecclesiæ, ipsam amando Ecclesiam, suas fecit. Reliquit innumera, qui semetipsum et omnem concupiscentiam præsentis vitæ ad liquidum calcavit. Reliquit cuncta, quando semetipsum sic dejecit, ut eum vidimus quotidie laboribus fatigari, innumeris vigiliis excruciare, jejuniis et abstinentia indesinenter corpus macerari : ita ut videres cum propheta David ejus pelles ossibus hærere, et virtutem carnis præ nimia inedia jugiter tabefieri. Sic denique paupertate Christi vestitus, felix et beatus jure emicuit, qui habitos honores contempsit sæculi pro religione : sed quam strenuus fuerit operum ad virtutes, testis est Severus, qui cum eo multa egit, ut eorum fratres exemplo proficerent.

CAPUT XXI.

SEVERUS.

Hac lege vobis meam astringo fidem, ut quæ novi de illo plura reticeam, et memoriam optime instituam : ut cum tempus venerit, sopitis jam inimicitiarum facibus, palam volentibus audire edisseram; quia si falsum aut vanum vel fictum nunc ex eo aliquis palam enarrat, magis utique placet. Et ideo, uti Allabigus iste fatetur, ego adeo hanc primus inveni viam : quoniam est genus hominum, qui se primos esse omnium rerum volunt, cum nec sint, hos consector, his ego me comparo : ut rideant, hisque ultro arrideo, quoniam nullus de bonis nunc locus dicendi est, quia tales se detrahi putant, cum alios laudari audiunt.

PASCHASIUS.

Bone Jesu! homini homo quid præstat, quod iste sibi virtutem cum re amisit, neque audeat fari quæ novit. Fortassis ergo hunc omnes noti omnesque amici et commilitones ita deserunt, ut nullus de eo audeat loqui.

ADEODATUS.

Formidolosa res est, Paschasi, quod audio, ob favorem malorum bonos consectari non audere. Idcirco velim convalescas, fac ut audeas : et, si fieri potest, Severum revoca, ne multum timeat, et ne bona quæ didicit, simul abligurriet [*l.* abliguriat] spe vana deceptus.

SEVERUS.

Ergone istum laudare prætermittam, quem die noctuque desidero, quem cogito, quem admiror, cujus etiam mihi phantasma visu videre refrigerari est? quem cum recolo, amore acrius inardesco; cum commendo, veritate participor. Huncne apud probos laudare desistam, qui etiam apud eos, quorum inficitur odiis, laudandus convincitur? Gestat enim palmam laudis, etsi contradicitur ab his, ut Jeremias sanctus, qui de corde sibi falsa loquuntur : quoniam jam prælatus, sicut testis est non solum totius, qui præfuit, cœnobii congregatio, verum plurium familiaris notitia monachorum, absque ulla exceptione domnus delinquentium, et abbas omnium nostrum fuit. Abbas quidem, quia cunctorum pater, circa singulos viscera charitatis rore Christi repleta gerens, affectu pietatis exhibuit : domnus vero, quia nulli lascivire, ut assolent qui curam pastoralem parvipendunt, ignaviter indulsit : sed inspector omnium moribus et vita singulos præcessit. Ita tamen ut extremos quosque suis traheret hortatibus, et fetantes cum Christo suis virtutum levaret ac portaret humeris. Nullum igitur, quem non suis calefieret [*l.* calefaceret] fomentis, tepentem reliquit; nullum quem non sapientiæ sale condierit; nullum quoque quem acrimoniarum non curarit doctrinis, si facultas morbi, Christi cooperante gratia, permisit. Verumtamen apposite ad curandum peccati vulnera medici diligenter officia peregit, et ad persuadendum virtutes non minus vitæ præbuit exempla, quam et documenti importune, opportuneve diligentiam. In omnibus unam tenuit charitatem unamque disciplinam; nihil negligens, nihilque parvipendens, quæ ad salutem animarum sibi commissarum videbantur proficere. At nunc velim cætera Paschasius prosequatur, qui magis eum semper assensu consilii, quam exemplis operum consectatus est; licet me nunc assentatorem dicat : quoniam comes irremotus ubique cum eo fuit.

PASCHASIUS.

Ego hominem callidiorem te vidi neminem. Nunquid non tu ita fassus modo ea refugis, quæ consultum iri tibi plaudebas? tamen ne reticeam quæ plures norunt, ad regimen huic similem vidi neminem, qui tanta virtutum polleret industria, et sanctæ sollicitudinis cura tam indefessus ubique vigeret; qui gregem sibi commissum absens præsensve ita intenderet : qui pene nihil aliud cogitabat, qualiter de singulis ante tribunal Christi rationem redditurus esset. Unde quam sæpe cunctos generaliter non minus, quam plurimos specialiter de voluntate liberi arbitrii, et potestate proprii corporis juxta professionem monasticæ disciplinæ satis argumentose monebat, ne nostrum aliquis voluntatem propriam sequeretur.

Introdusă în format electronic de Google

« Alioquin, aiebat, quomodo rationem pro aliquo redditurus ero, nisi et potestatem sui corporis, et voluntatem proprii arbitrii mihi relinquat? quod si ipse sibi in sua se retinuerit potestate vel voluntate, noverit rationem se redditurum, non solum pro suis verborum aut cogitationum vel gestorum factis, verum etiam quia contra professionem monasticæ legis in sua se retinuit potestate vel voluntate cordis. Tanto profecto, inquiens, liber ero, quanto non mihi debita potestas concessa manet, neque voluntas sui relaxatur arbitrii. Attamen quæcunque potero, charitative superimpendam, ut de potestate et voluntate liber inveniar, ne aut perfunctoria fallar potestate, aut voluntate meæ consectationis decipiar. » Bone Jesu, quanta ovium cura et sollicitudine animarum indesinenter afficiebatur, nunc generaliter erudiens omnes, nunc specialiter monens singulos; hunc minis, hunc doctrinarum deliniens blandimentis! istum, juxta quod Propheta dicit : *Infrenabo te laude mea* (*Isa.* XLVIII, 9); quasi adulatorie laudibus revocabat; illum reprimebat conviciis : omnes tamen suis semper provocabat exemplis. Erant autem verba ejus, ut dixi, quasi clavi defixi in altum : et dum omnibus proponeret in conventu, videbatur unicuique quasi specialius affari. Nihil enim ex omni contextu regulæ relinquens intactum, nihil indiscussum; etsi quid omnes quod minus agerent, invenisset, illud coram multis apponens suasionibus, divinis, quamvis parum videretur, non negligere commendabat mandatis. Quod si quispiam ex omnibus sanctæ regulæ verbis aliquid excedens non satisfaceret, hunc coram, hunc secretius arguebat, et sale condiebat doctrinæ. Nihil enim parvipendebat, sed salutem animarum ante omnia et super omnia gerens, etiam minima quæque summa ac præcipua judicabat. Omnis ergo sermo ejus sale conditus erat : idcirco aut curabat vulnera, ne morbidis actibus grex periret; aut sanitatem custodiens animarum, virtutem animis inserebat : ut semper oves sibi commissæ in herbis virentibus accumberent juxta aquarum fontes, et inde uberius pinguescerent; quosque corporeis provocabat etiam beneficiis, ut custodirent legem regulæ, et mandata Christi exquirerent.

SEVERUS.

Quidam ait [a], quod nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, cui non res, ætas, usus semper apportet novi aliquid, et moneat ut illa quæ te scire credas, nescias; et quæ tibi putaras prima, in experiendo repudies, quod nobis satis nunc dolendum evenit. Nam nos vitam duram olim qua viximus cum eo, prope jam excurso spatio amisimus. Quamobrem rem ipsam jam censemus facilitate : et nihil esse homini melius, juxta proverbia Salomonis, quam deliciis afflui [affluere], et suis unicuique frui laboribus. Quod nunc nosse perfacile est, quando aliquis suam semper agit vitam in otio, in conviviis, clemens sibi et placidus est luxu voluptatis; nulli lædere reo ausus pro veritate, nulli contradicere consuetus; arridere omnibus, nullumque redarguere; sibi quidem vivere, sibi sumptus facere : et ecce hunc omnes benedicunt, amant et glorificant. Nos autem denotare quam simus agrestes consuerunt, quam sævi, quam tristes, quam truculenti, quam tenaces, quam cæterorum infamatores. Ergo talibus dum studemus [b] satisfacere, conterimus in quærendo vitam, ætatem; et capimus ab his odium interdum pro fructu laboris, dum suis potiuntur commodis : eosque amant cæteri ac diligunt, nos quoque fugitant, talesque ut vivant, optant. illis quidem sua credunt consilia, apud eos sua commendant vota : nostram autem exspectant mortem, et liberos se promittunt futuros, si desierimus ista culpare, ac nullis eos redarguere posse officiis. Unde si velimus istum laudare, se quoque reprehendi putant.

CAPUT XXII.

PASCHASIUS.

Age, age, nunc experiamur econtra quidpiam blande si possimus dicere, aut benigne facere; sin autem, quæramus nos a nostris reamari; et quæ digna sunt laude, commendare posteris, etiam et ista dando, obsequendo, suadendo, diligendo tentemus emollire, ut et bona diligant, quamvis nequeant imitari, aut nolint; et quæ proponimus veritatis, non spernant. An non recolis tu, quid Arsenius noster egerit, quando quidam e nostris alterius prælationem invidens tumebat, dum se vilissima obsitum cuculla hiemali conspiceret, eumque anteposition ?

SEVERUS.

Recolo plane, et satis reminiscor, quoniam mox de sua utilitate invenit antidotum. Induens ergo se cuculla optimi subtegminis præcipua, post triduum jam illo vaniscente tumore, fratri Pater obvius venit, irruensque super collum ejus deosculabatur; accipiensque exutus induit eum cuculla sua, illiusque vestivit. Tuncque frater blanditiis delinitus alacris, sanusque recessit. Tum porro Pater gloriabatur sui, jucundabatur illius; eo quod talem [tale] reperisset vulneris medicamentum, quo et sibi meritum, illi quoque sanitas augeretur. Multis itaque diebus illa indutus veste, nostram conveniebat superbiam, qui de habitu pretiosiori nonnunquam, unde nos humiliari congrueret, extollimur. Imitatus est ergo summum patremfamilias, qui redeunti filio prior occurrit, eumque stola prima vestiri fecit; ut charitas invitaret ad amorem, quem luxus expulerat ad exsilium. Ecce in uno eodemque facto tria conspeximus, medicinam fratris, Patris augmentum, et omnium nostrum religionis exemplum. Sed quia tales non sumus, valde nobis ingemiscendum, quia de cultioribus dum delectamur rebus, etiam a sæcularibus despicimur, profecto quia sciunt quid esse debuimus.

[a] Terent. in Adelph., act. IV, sc. 4.

[b] Ex his aliisque verbis conjector Severum fuisse abbatem, an Heddonem, qui Corbeiam rexit post Walam.

Introdusă în format electronic de Google

CAPUT XXIII.

ADEODATUS.

Miror, cum tantæ charitatis fuerit tantæque sanctitatis, cur etiam aliquando quasi summitatem lacinii præcidentes de ora chlamydis, austerum eum fuisse seu durum inculcant : præsertim cum in reliquis vitæ virtutibus multis attollant laudibus?

PASCHASIUS.

Ne mireris, quæso, quod ex Evangelio recognoscis. Nam piger servus dominum durum vocat, non quia durus sit; sed piger servus, quia torpet culpis exigentibus suis, dominum infamare laborat. Hinc redeant tales ad conscientiam, ne forte dum durum istum prædicant, atrociora sibi augeant flagra, ei vindictam cumulent. Nam etsi Dominus colligere dicitur, quo non sparsit, exigit cum usuris ubi non seminavit. Quid putas austerum eum fuisse, cum pius ac mitis probatur, nisi quia torpentium ignavia id facit severum? Probant igitur se pigros, qui sequi nolunt : eumque durum vocant, qui vitia leniter vix compressit, et ad virtutes suo provocavit exemplo. Alioquin si durus videtur, duriora erunt tormenta deceptoris : quoniam nihil nisi vitia culpavit, et virtutes coluit, ne talentum sibi collatum vacuus reportaret. Quod si Jeremias talibus præesset, nec dubium quin durior culparetur, quoniam frontem ejus Dominus eorum frontibus duriorem posuerat. Luxus quippe virtutum viros duros judicat semper et agrestes. Verumtamen iste benignus ac pius fuit, qui plus aliis unquam quam sibi indulsit, sed vitia aut repressit, aut funditus ex initio resecavit. Unde si durus fuit, illis utique, qui nec suppliciis a suis reflectebantur conatibus, nec præmiis moliebantur, quorum profecto cor obtorpuerat, ut nec ejus, nec Christi pia monita sentirent, quia quibusque interdum plus proficit timor quam amor. Hinc quoque scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* cx). Et ideo Arsenius nunc minis, nunc plagis, nunc rerum beneficiis, nunc blandis persuasionibus agebat, ut filios nos adoptionis Christi faceret. Omni namque industria et sagacitate curabat circa singulos, ne deceptus diaboli astutia aliquis periret. An non vidistis circa fratrem illum quid egerit, qui vecors recedere gestiebat nolens pati, culpis exigentibus suis quod commiserat?

CAPUT XXIV.

SEVERUS.

Vidimus plane, et cum eo egimus, is ne sic efferatus hinc abiret, ponentes ad portam milites, qui eum deterrerent. Unde ille timore compulsus introrsus rediit, atque prostratus ad pedes cecidit suffusus lacrymis.

PASCHASIUS.

Gaudeo vere quod recolis, et jucundor nimium : quia de quo loquimur, perfectioris vitæ modestiam tenens, plurimum, ut reor, proficit ad virtutes. Bone Jesu, quanta tunc lætitia fuit! Etenim quasi vidisses prodigum filium revertentem, exsultantemque patrem. Flebat ergo ille præ gaudio, flebat et filius jam mansuefactus. Nam et ego cum vidissem eos plurimum flentes, infremui, simulque multas permiscui lacrymas, Deo gratias agentes, ac si de mortuis eum reciperemus. Talis quippe Patris erat austeritas, talia viscera rigoris, talis voluntas, talisque affectus. Sed nunc quam miseri sumus, quibus peccandi libertas datur! alioquin si tunc nemo impune peccabat, et tamen recidivi surgebant casus; quanto magis cum nunc malis blandimur nostris.

CAPUT XXV

ADEODATUS.

Ut video, iste perfectæ charitatis fuit, qui ad quod Christus dilexit, diligebat suos; et quod in divinis invenitur disciplinis, operibus exigebat. Sed aiunt, quod non satis conformis erat; idcirco minus redamabatur, minusque frequentabatur a multis.

PASCHASIUS.

Fateor quod ei sæpe ista intuli verba, licet scissem, quod pene omnibus omnia factus esset. Sed ipse, non ut assolent quidam, excusatorie, imo humiliter respondebat, non tantam se latitudinem cordis habere, quanta est arena maris, ut omnia posset. Ac deinde : Quibus me conformari, inquiens, optas? nunquid ignavis aut vitiosis? nunquid vaniloquis et jocosis? Annon legisti quid Apostolus clamet : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom.* XII, 2)? Talibus ergo et hujuscemodi exemplis altius se jugi conatu erigebat ad virtutes, ne levitas dissolveret mentis, quæ gravitas Domino charitatis offerebat introrsus. Miror, frater et fili, quid velint lasciviis et voluptatibus dediti, perfectiores quosque sibi conformes fieri, cum ipsi potius transire deberent ad formam virtutis : alioquin adoptionis filii non erunt, nisi præsciti et prædestinati fiant conformes imaginis Filii Dei. Ad hanc igitur formam præscitus et prædestinatus Arsenius iste, idcirco puerilibus non se multum coaptabat ludicris : licet interdum celsa in petra stans, rari nantes [a] quosque pueros suis ad littus hortabatur facetiis cominus venire; quibus licet risum moventia parum diceret, gravitate tamen agebat, ne dissolveretur virtus argumentosa : sed ut lactans infantia, suis exuta crepundiis, paternis lactata visceribus, perfectoria appeteret. Nullus tamen eorum vultui credebat risibili coram eo, nisi gravitate se reciperet; quia juxta quod Job ait : *Etsi ridebat ad eos, non credebant ei* (*Job.* XXIX, 24). Quoniam etsi resolvebat gravitatem eloquii, lux vultus ejus non cadebat in terram, agens argute, ut sibi colloquentes ad virtutum studia provocaret. Porro eum cum audirent, exspectabant sententiam ejus, et intenti tacebant ad consilium. Licet Job virtutibus longe inferior esset, auris tamen audiens beatificabat eum, et oculus videns testimonium reddebat ei quod libecabulo :

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

[a] Sic in ms. codice legitur. Auctor alludere videtur ad illud Virgilianum, facto ex duobus uno vo-

Introdusă în format electronic de Google

rasset pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adjutor. Benedictio namque perituri super eum veniebat, quia profecto a puero justitia sicut vestimento est indutus. Unde et causam quam nesciebat, diligentissime investigabat. Quapropter cum pædagogus esset Augusti Cæsaris [a] ultra Penninos (*sic*) Alpes, quid egerit in judiciis, quidve in dispositione rerum et justitiæ disciplina, Chremem interrogemus.

CAPUT XXVI.

CHREMES.

Vereor laudare virum, ne id assentandi magis quam quod habeam ex illo, et gratum facere existimer. Tamen ex toto ne reticeam, qualis quantusve investigator veritatis fuerit, quam strenuus in sententia, quam fortis contra summos judices iniquitatis, quam efficax ingenio contra eos qui corrumpuntur muneribus; unum e pluribus pandam, quo facto nihil iniquius hoc in tempore didici. Nam cuidam judiciario viro vidua quædam nobilis, quasi defensori, sua seque commisit, cui et per testamentum traditionis, etiam pene dimidium rerum suarum assignavit, ut cætera sibi tuta manerent. Ille vero mox callide ad integrum omnia in eodem testamenta apprehendit, et testes adhibuit. Unde præfata mulier ad sua reverti volens suisque rebus uti, adsunt prohibentes ne ad sua ingrederetur, quasi defensori suo omnia tradidisset : et bene (ut aiunt jocose) omnia defendit, qui possessori nihil relinquit. Tum illa infelix vidua suis viduata rebus, imperatorem adiit : illeque suis eam cuidam episcoporum una cum reliquis judicibus terræ sacris commendavit scriptis, ut causam ipsius diligenter quæ-rerent, judiciumque rectum agerent. Sed quia declinaverat unusquisque post avaritiam suam, causa viduarum non ingrediebatur ad eos. Hinc sibi fabricantes mendacium, applauserunt una cum testibus, ut populus non intelligeret talia, et universi usque ad sacerdotes Christi facerent dolum. Quibus ita patratis, suis illa rebus jam explosa, defensor ille a senioribus populi relatum accepit, ne ulterius de his ulla rerum controversia fieret. Verumtamen illa multis vexata malis et molestiarum doloribus, tandem per Alpium aspera juga montium longo confecta itinere, repedavit ad Gallias, regemque suis pulsare fletibus cœpit. Tum rex tantis miseriarum gemitibus permotus, Arsenio nostro eam commisit, qui tunc una cum Augusto filio ejus ob institutionem et dispositionem regni a patre quasi fidissimus mittebatur et propinquus. Quam ille præmittens, ad sua ut rediret jussit, donec veniret idem in patria, ut tunc coram cum suis se præsentaret testibus. Quibus auditis, Italia omnis contremuit, et ad sua callida se convertit fraudis argumenta; cœpitque moliri insidias in morte feminæ : quia cernebat venire, quem muneribus posse corrumpi non putabat. His igitur armis omnium consuevit infringere mentes, et ad suos illicere concupiscentiarum amplexus : quo [*l.* quoniam] pene omnes sequuntur retributiones, et diligunt munera. Sed cum in isto nihil ad impietatem proficere posset, vertit se ad fraudes facto iniquitatis. Cui cum jussisset saltem partem aliquam reddere de rebus, quas injuste per dolum subripuerat; sciens se circumclusum, mox immisi clanculo quadam in via tres de suis qui eam occulte perimerent. Sed quia tres erant in negotio, videbatur non satis tutum ad silentium. Junxit scelus sceleri, ne forte interrogati facinus detegerent. Sepositis longe ab invicem, uni eorum duos interficere jussit, ut jam nullus esset in superficie terræ, qui sanguinem innocentem dolo perfusum reseraret, parvipendens miser, quid divinus arbiter sentiret, tantum ut humanum judicium evaderet. Sed Arsenius noster Dei succensus zelo multis usus est argumentis, ne lateret occultum, quod manifestum constabat : quanquam nec judicio, nec testibus comprehendi posset, a quo esset factum. Reperitur interdum tamen unus eorum in cujusdam specu subterraneo defossus, et fit inde conjectura dissimilis. Tenetur is quidem reus, in cujus invenitur specu : sed criminatur alter, cujus gestum suspicatur instinctu; nullus tamen eorum convinci potest ab aliquo. Qui, putas, dolor tunc erat in mente Arsenii, quive gemitus? Vidisti, Domine Jesu, quantas coram te profuderit preces, quantasque lacrymas, qui sanguinem Abel justi de terra clamantem olim audieras, etiam ut horum a quo fusus esset, aperires. Contra quem tota Auxonia una cum suis senatoribus corrupta muneribus decertans agebat, ne inveniretur reus ab uno, qui omnibus notissimus erat raptor et homicida. Tu autem scrutans corda et renes, Deus, omnia noveras, et tamen athletam tuum multo afficiebaris [*l.* afficiebas] zelo, nec illi demonstrabas quod patebat plurimis, sed suorum complicibus. Moliebantur omnes pene usque ad unum, ne inveniretur reus : quia in uno jam coram te, Deus, erant plures rei facti. Quantis tunc militem tuum iniqui lacerabant infamiis, quantisve derodebant calumniis, quasi solus præ omnibus esset incredulus, solus innocentium contra legem afflictor! Legem igitur proponebant, qui justitiam non metuebant infringere : sed sanguis innoxius de terra clamabat : etiam et perempti, quod eum injuste fudissent, jam apud inferos recepti publicabant. Quid plura? etiam omnes proceres palatii nunc legibus, nunc testibus, nunc vero multis argumentorum ingeniis agebant, ut eumdem reum quasi innocentem dimitteret : interdum autem precibus eum fatigabant.

[a] Nempe Lotharii, filii Ludovici imperatoris, de quo Eginhardi Annales ad annum 822. *Lotharium vero filium suum in Italiam misit, cum quo Walachum monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adelhardi abbatis, et Gerungum ostiariorum magistrum una misit, quorum consilio et in re familiari, et in negotiis ad regni commoda pertinentibus uteretur.* Huc spectat id quod Amalarius in præfatione Antiphonarii memorat de legatione Walæ abbatis Romam, qui exinde Antiphonarii Romani libros *in Franciam*, hoc est in monasterium suum, *secum abduxit*.

Introdusă în format electronic de Google

Ipse vero nullis infatuabatur fallaciis, nullis frangebatur opprobriis : sed invictus agebat quodcunque poterat, si quo modo tandem aliquando veritas manifestaretur. Tunc ad ultimum videntes ejus constantiam, decrevere, quod nisi judicium de eo acciperet, nihil amplius, licet lex pro parte manifesta esset, in hac controversia facerent. Applaudebat autem populus, quasi miles Christi nec judicium vellet recipere. Quibus ille auditis, solita repetit arma, sibique jejunium indixit et nobis qui cum eo eramus, ne forte, ut assolet, in eodem judicio aliqua fraus inimici prævaleret. Totam igitur noctem pervigilem duximus in oratione precantes, ut prius Dominus tanti sceleris reum detegeret. Mane autem facto, confisi de Dei pietate processimus quasi ad spectaculum, ubi omnis populus jam convenerat. Erat quippe tunc magnorum multa insultatio, ita ut plures episcopi ducerentur in hac infestatione : quia profecto causa tanti discriminis non ingrediebatur ad eos. Tunc verus athleta Christi cœpit impellere, ut jam judicium pararent; quorum positus in medio, expansis manibus, preces ad Deum fundebat cum lacrymis, ne tanta fatuitas judicij etiam probos quosque maculis afficeret. Quibus ita profusis mox de maxilla, cœlum penetrant : et quia tribunal humani judicii munus subverterat, thronum gratiæ Christi assistunt lacrymæ, cum quibus pariter de terra sanguis innoxius clamabat. Siquidem internus arbiter, quasi Cain rursus vetustam increpans conscientiam, coegit confiteri quod male tegebatur occultum; et corruit mox ad pedes Arsenii tremens ac gemens : quia judex divinus miseram conscientiam intrinsecus puniebat. Unde novo timore perculsus, cœpit etiam omnes denotare, quorum præsidio est usus, ista ut auderet : nihilque sibi ex omnibus quæ habere poterat, nisi ut astabat, solummodo remansisse, præsertim circumstantibus omnia contulisset. Unde profecto illi excæcati pervertebant judicium, intantum ut Arsenium suis afficerent odiis, et tædiarent insidiis : sed jam divino convicti judicio, confusi omnes discessere; ac miser clementer redditus est pœnitentiæ.

PASCHASIUS.

Infelix nimium tempus, quando aliquis, si quid bene velit aut judicat, nemo obtemperare disponit; sed unusquisque suum velle, et non Dei intendit. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; æque cunctis studium, similis pertinacia. Uno eodemque videntur ludo ad malitiam prospicere, et si hujusmodi ullus est lusus. Hinc sane forsitan parvam adhibeant fidem, quia ex suis studiis nostrum judicant Arsenium, quasi nihil aliud possit esse aliquis, nisi quod ipsi sunt, præsertim cum apud eos nulla sit veritas, quia corruit in plateis, et æquitas non potuit ingredi. Unde sanguis viduæ non ingrediebatur ad eos : sed quia innocens erat, prædæ patuit.

CAPUT XXVII.

SEVERUS.

Quid se de his rerum negotiis Chremes tantum permovet? cum et apud nos degens pene quotidie de abditis cordium receptaculis secreta judiciorum conjiciendo protrahebat ad publicum, ut jam vix esset qui ei sua celare auderet occulta : sed perscrutatis delictorum admissis, lenissimam Christi medicinam mox superponebat ægrotis.

CHREMES.

Vere ita est, ut recolis : sed hic plures erant, qui cum eo talia perquirerent ad salutem : illuc vero nullus aut rarus inventus est, non modo qui veritatem vel justitiam non corrumperet, verum etiam exsertis brachiis contra eum qui scelera iniquitatis non defenderet. Hinc quoque quidam cum testamenta hæreditatis alterius fraude detulisset, testes adhibuit, et in quadam gladii theca ea occulte posuit; sicque causatori suo dolose reddidit. Ille vero nesciens quid acciperet, mox ibidem casu prætermittens, repetebat paginam hæreditatis suæ ut redderet. At vero e contrario cum testibus alter agebat, quod ei omnia sui juris instrumenta reddidisset. Sed quia omnis controversiæ finis sacramentum est, jurantibus illis miser non habuit quid repeteret : tamen veniens ante præsentiam, querelosis aiebat quid gestum esset vocibus. Tunc noster subridens Arsenius, jussit venire reum, ac si conscius esset ordinem tanti criminis : Infelix, inquit, nimium, quomodo hujuscemodi calliditatis strophas tantas taliterve excogitasti? At ille videns se quasi deprehensum, corruit ad pedes, et quod latebat aperuit.

ADEODATUS.

Ut video, sapientia Salomonis in isto fuit, et ideo ad investiganda secreti negotia tam sagax erat.

CAPUT XXVIII.

PASCHASIUS.

Sæpe contigit, quod Parmenus ait [a], ut homo quilibet imprudens plus boni interdum nesciens, quam prius sciens unquam agat. Sed hic noster nihil imprudenter egit a professione sua, qui sæpe latentia suis comprehendit conjecturarum retibus, quod et ipsi quam sæpe videmus in quorumdam Fratrum delinquentiis. Ab initio enim semper peccantes umbras adeunt, et gestiunt subterfugere, ne appareat culpantibus, quod divinis patet aspectibus. Sed quia longe diu Italiam ingressi, eis Penninas Alpes exsulati sumus, ubi aurea vidimus Saturnia regna artesque malignas, seu in quibuscunque mundus regnat et meretricatur Auxonia cespes; Gallias tandem, pene omnibus correctis rebus, et Eugenio sanctissimo apostolicæ sedis ordinato antistite, in cujus nimirum ordinatione plurimorum laborasse dicitur, si quo modo per eum deinceps corrigerentur, quæ diu negligentius a plurimis fuerant depravata, regrediamur.

[a] Apud Terent. in fine Hecyræ.

Introdusă în format electronic de Google

CAPUT XXIX.

ADEODATUS.

Fortassis ergo, Paschasi, non minus occulte, quam callide seu ingeniose, quem laudare decreveras, acriter culpas : quasi videris quæ detulit fratribus oblata munuscula, universa pene quibus divitiarum genera vel ornamentorum mundus regnat ; talia namque vel tanta, qualia nullus nostrum se vidisse simul testamur.

PASCHASIUS.

Nunquam itaque crediderim quod tam suspiciosus esse tamque nemorosus [*l.* morosus], intantum ut ea quæ sinceriter dicta sunt, mei ad calumniam vertas. Nam de his tu forte moveris more quorumdam, ex quibus alium notas. Tamen illa omnia benedictiones (*id est* munera) fuisse castæ dilectionis, aut obsequia magnatorum, quia procurator regni et magister imperatoris erat, debitæ venerationis, nemo qui dubitet, dum recte de proximi conscientia censeat. Qua profecto conscientia tutus coram omnibus nobis : Ista, inquit, omnia quæ cernitis, tam secure sine alicujus discrimine potestis accipere, quam ego sine concupiscentiarum elogio, vel sine ullius rerum dispendio gratis Deo et vobis in me suscepi oblata causa honestæ acceptionis, et honore Augusti, vestræque utilitatis. Alioquin pro his nullus injuste aliquid aut acquisivit, aut perdidit; neque accepta vel data doluit : imo, ut verum est, a plurimis cum nollem accipere, vobis deferri quasi in eleemosynam precati sunt. Quapropter his ita susceptis, patet, non, ut opinaris, a me dictum fuisse, sed usus patriæ et regni delicias prænotasse; quia omnino hunc tam liberalem et mundi contemptorem in omnibus noveram, ut semetipsum juxta Domini vocem reliquerit. Ergo qui semetipsum tam perfecte, ut omnes scire licuit, dereliquit; quid sibi, non dico inique aut cupide, verum etiam licite sibi acquirere potuit? Imo, ut fassus sum, et res patuit nobis, ea magis suscepit, ne forte aut illi (ut assolet) qui dare volebant, læderentur offensi, aut nos, nostris expensis vacuus si rediret, his auditis, quod sprevisset quæ nobis mittebantur, calumniaremur.

ADEODATUS.

Placet quod objecerim eum te culpasse, quia auditum erat de his quæ attulerat : ut omnes intelligant, quam liberalis fuerit, quam alienus a sæculo, quamque mundo mortuus, qui nec pro his omnibus a nobis, neque pro aliis quibuslibet beneficiis, ab extraneis inhoneste saltem gratiam requisivit, sed conscius sibi semper in omnibus Deo placere studuit.

PASCHASIUS.

Ita est, mi frater, ut asseris, intantum ut quidam ex nostris non intellexerint tunc temporis ea illi pro munere data, sed nobis a quamplurimis magnorum, aut a summo Pontifice sedis apostolicæ, qui ei quamplurima largitus est, transmissa. Unde contigit quadam ex die, cum quidam e fratribus eum pro talibus et hujuscemodi factis laudaret, alius respondisse fertur : Quid de illo talia in laude fertis? nonne nobis ea quæ detulit, fuere directa? ad quod, cum dixisset, risimus omnes. Tunc alius : Te forte decet, inquit, tibi talia tantaque mittantur. Misera, inquam, plane humana conditio, quæ tam est hebes, invida, vel ingrata; alias autem eorum is nisi in aliquo laborasset, nequaquam ita fassus esset. Verumtamen constat nostrum Arsenium tantum tunc temporis dilectum fuisse atque famosum, quantum nullus eo in regno. Idcirco talibus tantisque oblectabatur muneribus, intantum ut nolens cogeretur accipere gratis, ne læderetur amor dilectionis. Agant alii quod possunt; insidientur et tereant quantum possunt; vendant justitiam pro muneribus; sæviant fraude vel dolis, et omnia cunctis venalia præstant : nulli tamen eorum tam multiplicia, tamque præcipua, quam isti solummodo pro amore ac veneratione gratis offerebantur. Quibus ita dictis, quia tandem ad Gallias rursus stylum vertimus, finem libri ponamus : quoniam ea quæ deinceps cum gemitu prosequenda sunt, tam dira sunt, tamque immania, ut vix aut nullus qui mente valeat comprehendere, quia formidolosa sunt nimium et confusa. Quæ cum attigerit calamus, quamvis lapideum cor gerat scriptor illarum rerum, nescio si litteræ præ lacrymis possint formari, ne abluantur fletibus : quanto magis ut formetur narrationis ordo et status! Hinc consolemur interdum [interim] nos gaudio conscientiæ, quod talem eum tantumque cognovimus et habuimus, de quo gaudere in Domino non veremur. Et ne ullis frangamur infamiis prævidendum : quia nunc in tempore plurimi etiam honestiores obloquuntur bonos, ita ut nullus exire intactus possit.

LIBER SECUNDUS.

Interlocutores : PASCHASIUS, ADEODATUS, THEOPHRASTUS.

INTRODUCTIO.

ADEODATUS.

Post innumeras intus officii curas, post immensas exterius occupationum causas, post varios rerum negotiorumque eventus et vitæ dispendia, post longa huc illucque diversi itineris fatigia et concursus ubique, post indefessas omnium pressuras; tandem divino dispensante judicio, relictis omnibus, quia tibi, Paschasi, reddita est quies et libertas animi, recordari oportet quod omisimus olim, qua-

Introdusă în format electronic de Google

tenus deinceps aliquando epitaphii Patris formam expleamus, quam commendare litteris cœpimus pridem : alioquin esset honestius non inchoasse, quam inchoata non explere.

PASCHASIUS.

Confiteor ita esse, mi frater. Sed vereor post surda vitæ silentia, post omissa litterarum studia, repetere quod aut oblivio abduxit, aut levitas morum jam audire fastidit. Insuper etsi esset de talibus tempus loquendi, præsertim jam nulla est mihi, etsi quandoque fuerit litterarum facundia scribendi. Tamen ne quod cœpimus, infectum veniat in opprobrium, inimicis in gaudium, et desidiosis in exemplum, experiar quod hortaris, et incipiam, licet inexplebilia sint gestarum rerum lamenta quæ restant. Sed quia interdum Severus ingressus est felix viam universæ terræ, et Chremes inter discrimina [a] nostra jam discessit, necesse est unum eligamus de his more sanctorum Patrum, qui nobiscum cum eo versati sunt : quatenus per eum et veritas, quasi sub tribus testibus, melius commendetur; et noster planctus non diversus vel numero inveniatur. Idcirco, frater, quia tuum fuit quæ cœpimus reincipere, tuum sit consortem in hac parte eligere.

ADEODATUS.

Quamvis ergo minus idoneus sim præjudicio discernendi; quia devotus tuis existo jussis, non abnuo quod exigis. Non enim philosophum ad lamentum rite quærimus, sed eorum aliquem, cujus aut memoria piæ recordationis, aut affectu ad lacrymas incitemur. Unde si tibi videtur, licet glaber sit, ex omnibus eligamus Theophrastum.

THEOPHRASTUS.

Nequaquam igitur cogitaverim, quod jocos ludo velitis serere, aut puerilia sectari.

PASCHASIUS.

Noli mirari, frater, si te glabrum ad hoc Adeodatus elegit, cum me decrepitum longe diu talibus oblitteratum studiis non omiserit : quoniam threnos et veritatem audientibus maxime probi et bene conscii amantes commendare debent. Ideo nos duo in multis possumus jam diu vexati quam bene filiis et amicis nostros pandere fletus.

CAPUT PRIMUM.

ADEODATUS.

Sed antequam veniamus ad lamentum, rogo, indices nobis initium tanti discriminis : quia nullus est sani capitis, qui credat hæc sine offensa Dei in populo contigisse.

PASCHASIUS.

Verum, hercule, quod ais : sed necdum omnia licet omnibus reserare, maxime quibus veritas odio est, et scelera placent. Tamen etsi minus bona eisdem placeant, verum non semper occulendum est : quia hic de quo loquimur, etiam exprobrantibus sibi verbum veritatis libere loquebatur. Ex quo fit, antequam hæc mala totius imperii apparerent, crebrescentibus jam jamque quotidie Dei justo judicio in populo diversis calamitatibus et flagellis, ut imperator una cum suis senatoribus et proceribus terræ requireret, quid esset quod divina majestas offensa tot taliaque longo in tempore isto præmonstraret in populo : quia jam, Scriptura teste (*Isa.* XXVIII, 19), sola vexatio intellectum dabat auditui. Tumque præcipitur, ut singuli de hoc diligentius quærerent usque ad alium Placitum [b], quid esset in quo Deus offensus esset, vel quibus placari posset operibus. His ita quidem jussis, statuit mox Arsenius noster coram oculis miserum orbem, et divinas leges, simulque Patrum decreta : in quibus conspexit illico, quantis Ecclesiæ Christi depravatæ forent modis, qualibusque populus universus carnalium rerum operibus corruptus. Qua de causa parvam edidit schedulam quidem sibi ad memoriam, in qua litteris depinxit universa regni hujus efficaciter vitia, sicque circumspecte, ut nullus adversariorum omnia ita non esse negare posset. Inde ad comitatum rediens, omnia coram Augusto et coram cunctis ecclesiarum præsulibus et senatoribus proposuit singillatim diversorum ordinum officia, excrescentibus malis, et ostendit cuncta esse corrupta vel depravata.

THEOPHRASTUS.

Obstupesco valde, cum ejus tantis provocamur exemplis, quod nemo nostrum qui ad plenum veritatem de illo audeat posteris narrare, licet audeat detegere peccata populi longe diu accumulata, clades, pestilentias, fames, inæqualitates aerum, terroresque etiam visionum. Quibus profecto malis præcessit prior pulverum fallax adinventio, sub qua tanta fuit vexatio et prodigium mendacii, ut prudentibus daretur intelligi, quod universus orbis ad tentandum esset expositus in manibus inimici. Ex quo liquet, pro talibus et hujuscemodi causis peccata regni, quæ necdum completa sunt, quod quotidie in pejus cumulentur. Sicque restat, quod in multis factum comperimus, ut destruatur. Unde timendum ne fiat in nobis, quod in multis jam gentibus actum legimus. Nequaquam igitur dixerim sine causa miracula sanctorum longe diu in Christo quiescentium nuper coruscasse, quanta et qualia nunquam sunt audita a sæculo facta uno in tempore ad reliquias sanctorum : quia omnino, quasi in gallicinio, sancti hoc in regno huc illucque delati, se invicem excitarunt quasi ad concentum cantus. Ut daretur intelligi, quod nostra infidelitas, juxta Apostolum, id exigeret, quia signa non fidelibus, sed infidelibus, ipso teste, verissime dantur : si quo modo post tenebras cæcitatis nostræ ad veram lucem, quæ Christus est, tandem expergefacti resurgamus.

[a] Id est inter turbas quæ Paschasio abbate contigerunt in monasterio Corbeiensi, de quibus in ipsius Paschasii Elogio diximus supra.

[b] Placitum hoc anno 829 habitum fuisse lego in epistola Ludovici Augusti, quæ Concilio Parisiensi sexto præfixa est.

Introdusă în format electronic de Google

ADEODATUS.

Fortassis ergo iste prius si vocatus esset ad colloqui lamentum, quasi proditor nos detegeret, non valens cohibere spiritum in loquendo. Idcirco etsi vera sint quæ tangit, suo in loco dicere non exspectat.

THEOPHRASTUS.

Nequaquam igitur quæ proposui, alio in loco rectius proferuntur : quoniam mala quæ per partes creverant, primum isto in tempore feriuntur. Crevit enim hoc imperium prosperis successibus usque ad præsens, quasi perfectam ætatem plenitudinis : sed vitia quæ per partes, ut assolet, in prosperitate commissa sunt, coacervata inoleverant ; justo Dei judicio, non minus flagellis quam et novis virtutum miraculis arguuntur. Propterea igitur, ni fallor, isto denotanda et plangenda sunt loco : ut si non nobis, saltem posteris veniant correctionis ad exemplum.

CAPUT II.

PASCHASIUS.

Ita esse negare non possumus : tamen quæ noster Arsenius coram omnibus et summis proceribus tum proposuit, omittere non debemus ; quoniam ista et hujuscemodi alia eum ad hoc impulerant, ut cunctis ex divina auctoritate, ac si Jeremias alter ostenderet, in quibus Deum omnes offenderant : et monuit constanter charitatis officio, ut mala quæ admiserant, destruerent, dissiparent et evellerent ; bona vero prætermissa deinceps ædificarent, ac plantarent in reliquo. « Interea nostis, inquit, quibus ordinibus Christi constat Ecclesia. Certum quippe quod secundum singulorum officia requirendus est ordo disciplinæ, et status Reipublicæ. Unde primum considerari oportet intus divina, tum exterius humana : quia procul dubio his duobus totius Ecclesiæ status administratur ordinibus. Ut sit imperator et rex suo mancipatus officio : nec aliena gerat, sed ea quæ sui juris competunt propria ; neque prætermittat ea, quia pro his omnibus adducet eum Dominus in judicio. Episcopus vero et ministri Ecclesiarum, specialius quæ Dei sunt, agant. Deinde rex rectores in regno tales constituat, quales eos Dominus diligenter in lege perquirere jubet, et in quibus rex et pro quibus securus maneat, quos utique probos ad regendum populum sanctum Dei et idoneos cognoscat, non secundum proprios libitus qui ei faveant, sed qui avaritiam oderint, et Deum ac justitiam diligant : cujus profecto officium est, semper quæ recta et justa sunt disponere, et quæ depravata corrigere. Alioquin tu, rex, nisi servaveris quod præceptum est, fortior tibi cruciatus instat, et omnibus in te, si avertatur Deus, unus interitus. Ideo providendum nihil negligas : quia in te uno, secundum Salomonem (*Sap.* VI, 26), totius stabilimentum est regni : in divinis autem ne ultra te ingeras quam expediat. »

ADEODATUS.

Ut sentio, non immerito tu alterum eum Jeremiam dicebas, ob constantiam fidei et frontis duritiam, qui tam audenter Augusto invexit, tanta quæ vidimus, ob luxus desidiam, necnon et pessimas regum consuetudines, officii sui negotia, cum esset præoccupatus vanis rebus, prætermisisse.

PASCHASIUS.

Acriora sunt, frater, quæ tunc prolata sunt, de quibus pauca pandam. Ait namque Cæsari : « Velim, reverentissime imperator Auguste, dicas nobis, tuis quid est quod tantum propriis interdum relictis officiis, ad divina te transmittis ? vel quid est quod das, quando honores ecclesiarum, imo, ut sentio, onera quæ largiris ? Quod si res Domino jure eleemosynarum legitime consecratæ sunt, ecclesiarum ejus sunt : quia suis pauperibus et specialiter sibi servientibus legaliter datæ sunt. Si autem benedictiones et Spiritum sanctum, quem digne Deo electi deinceps a Domino et a sacris consecratis præsulibus percepturi sunt, auctoritate divina dare te existimas, noveris, quod extra officii tui est quod præsumis. Cæterum auctoritate sanctorum Patrum si circumspectius est agere secundum Deum quod agis et fructuosius quod largiris, ita temperandus est modus una cum clero, et plebe Dei, et sanctis pontificibus : ne aut tu tibi tua eligas, tibique divina usurpes, aut vulgus tantam gratiam, seu quilibet personarum in aliquo confundat : quoniam in his non nisi divina consideranda sunt, et salutis nostræ documenta. Ideo identitas est pene et in rebus ecclesiarum : quia facultas earum nihil aliud est, quam pretia peccatorum, vota fidelium, patrimonia pauperum. Idcirco quod semel legitime consecratum est Deo, in suis militibus et pauperibus ad usus militiæ suæ libere concedatur. Habeat igitur rex rempublicam libere in usibus militiæ suæ ad dispensandum : habeat et Christus res ecclesiarum, quasi alteram rempublicam, omnium indigentium et sibi servientium usibus, suis commissam ministris fidelibus : et hoc sit regis officium, ut talibus committatur, qui et fideliter dispensent, et sapienter provideant : quatenus omnes glorificent Deum et gaudeant in Christo, non minus ex futurorum promissis, quam et ex præsentiarum consolationibus. Sin alias, ut Apostolus ait, qui aliena diripiunt, regnum non possidebunt æternum : quanto magis qui ea quæ Dei sunt et ecclesiarum, defraudantur [defraudant], in quibus sacrilegia [*f.* sacrilegis] copulantur ? »

THEOPHRASTUS.

Quod si ita est, ut asseruit, et de his ulla providentia apud Deum, nescio principum nostrorum quis salvus esse possit, quibus nihil tam dulcia (*sic*) sunt, quam prædia ecclesiarum, nihilque tam suavia, sicut scriptum est : *Panis absconditus suavior est, et aquæ furtivæ dulciores* (*Prov.* IX, 17).

PASCHASIUS.

Verum, mi frater, et ideo ira Dei effusa est super principes nostros, qui errare facit eos in invio, et non in via : dum et sæculares ad divina diripienda indebite se ingerunt. Sacerdotes vero Christi et ministri altaris una cum divinis ad exteriora de intimis se ejiciunt, jam quod pejus est sine pudore et trans-

Introdusă în format electronic de Google

fundunt : quamvis scriptum legant, quod nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II, 4). Hinc pessima præsumptio nascitur et confusio, hinc vorax concupiscentiarum flamma, hinc virtutum evacuatio et peccati fomes, dum aut ministri Christi facultatibus rerum, ne amittant, illecti, ad ea quæ sibi non expediunt, expelluntur [*f.* impelluntur] · aut sæculares concupiscentiarum succensi æstibus, quæ Dei sunt, quasi auctoritate regia defensi, temerario jure contra Deum erecti diripiunt. Quibus ita coram rege, et coram Christi præsulibus et principibus terræ ad liquidum explicitis, nullus eorum abnegavit.

ADEODATUS.

Miror quid negari posset, quod omnibus in propatulo est, et pene nullus qui contradicat : imo ad invicem provocati deteriorantur omnia hinc inde, et ad usus convertuntur pessimos.

CAPUT III.

PASCHASIUS.

Proh dolor! quod talis quotidie crescit insania impræsentiarum, ita ut omnes pro talibus gestis et dictis convertantur ad pejus magis, quam ad correptionis augmentum. Hinc igitur tunc omnes cœperunt, maxime ecclesiastici viri, quærere et contradicere, quomodo aliter dignitas et honor ecclesiarum stare potuisset, ac si decreta sanctorum Patrum non legissent. Quibus Arsenius noster : « Considerate, inquit, quæ contra auctoritatem divinam veniunt, quatenus ea ipsius auctoritate Dei corrigantur. Vestris enim in manibus sunt jura non minus humana, quam et divina. Tum sæculares viri : Licet ita sint omnia, inquiunt, quia respublica multis attenuata de causis per se sufficere non valet; nobis cum rebus ecclesiasticis et militibus agendum est, nosque suffragio facultatum earum juvandi. Quapropter pande, aiunt, quod moliris. At ille : Miror, inquit, quid requiritis. Ecce rex noster, ut sæpe ostensum est, de facultatibus ecclesiarum multa in suis suorumque præsumit usibus : sanctorum autem Patrum anathemata multa sunt nimis divina auctoritate prolata, ut ipsi præ manibus quam sæpe relecta scitis, quæ penitus condemnant, si res ecclesiarum vi aut potestate fuerint usurpatæ ullius judicis. Propterea rogo, cogitate si aliquis fidelium sua vota super altare Deo detulerit, parum multumve sit; veniens autem quilibet temere vi aut furto ea quæ delata vel consecrata sunt, rapuerit; super hoc, quæso, vitium hujus facti quale sit, censeatis? Qui simul, ac si novo intus tacti oraculo, sacrilegium esse sanxerunt. Tum ille : Nemo te, inquit, Augustorum clarissime, fallat : quia valde periculosissimum est, res semel Deo fideliter dicatas, ad usus pauperum et servorum Dei, violenter postmodum diripere, et ad sæculares usus contra auctoritatem divinam retorquere. Quod si secundum sententiam veritatis, quæcunque ligaverint isti sancti pontifices super terram ligata erunt et in cœlis, timendi sunt tot anathematismi sanctorum Patrum qui leguntur pro talibus prolati in sacris canonibus : quoniam non minus eorum viget auctoritas, quantum æstimo, qui jam cum Deo regnant. Idcirco, ut dicitis, si respublica sine suffragio rerum ecclesiarum subsistere non valet, quærendus est modus et ordo cum summa reverentia et religione Christianitatis : si quid vos, vestrique ab ecclesiis ob defensionem magis, quam ad rapinam accipere debeatis : ne cum maledictionibus et exsecratione sanctorum Patrum itatenus præsumatur. Porro isti sancti pontifices, si quid ad usus militiæ exhibendum est, sic exhibeant : et sic fiat rationabiliter in quibuslibet rebus, ne ipsi cogantur ad sæcularia transvolare, et pompis sæculi quibus abrenuntiaverunt, irreligiosus deservire : quia juxta Apostolum, ut dixi, nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Sin alias eorum aliquis, nec verus est Christianus, quia adhuc pompis et operibus deservit diaboli. Quo dicto, quærere cœperunt quid essent pompæ. Ille autem : Vestrum est, inquit, hoc decernere, et virum magis evangelicum exhibere, quam in quibus sæculum regnat et gloriatur inhiare. »

CAPUT IV.

THEOPHRASTUS.

Hoc quippe est, ut audio adhuc hodie, quod de eo nonnulli calumniantur; quia voluerit res ecclesiarum dividerentur, tantumque remaneret ecclesiis quantum admodum sufficeret; cætera vero militiæ sæculi deservirent.

PASCHASIUS

Nequaquam igitur ita est, ut male sentis, sicuti et tunc temporis plurimi sensere : quia ille super hac re nihil temere præfinivit, vel significavit : sed hortatus est solummodo, quodcunque fiendum esset, sic omnino fieret, ne utri eorum pro rebus terrenis in Deum peccarent. Unde cum a quibuslibet tentaretur episcoporum, quid exinde vellet; nihil aliquis aliud rescire potuit, quam quod omnibus coram Augusto simul dixit. Monasteriorum interea, dum hæc tractarentur, ostendit et enumeravit pericula, cum jam tunc temporis nonnulla jam a laicis tenebantur : etsi hodie multo minus inveniuntur, quæ de proprio regantur ordine, sed sunt pro pœna peccati omnia pene mundi usibus et studiis occupata vel depravata : quia cum bene cœpisset rex de his, in fine crebrescentibus malis a sæcularibus sunt pervasa. Identidem autem et tunc plurimum detestatus est, quod episcopatus secundum canonicam auctoritatem non rite darentur, neque electio servaretur. Quibus itaque omnibus ita hinc inde ostensis, cum nullus eorum negare posset, quod ordo ecclesiasticus in omnibus corruptus non esset, excogitaverunt ut tribus in locis [a] synodi fierent, in quibus de hoc diligentius quærerent, non quod (quantum exitus pro-

[a] Imo quatuor in locis, nimirum *in Moguntiacensi urbe, in Parisiorum urbe, apud Lugdunum et apud Telosam*, ut legitur in Ludovici epistola mox citata.

Introdusă în format electronic de Google

bavit) emendare talia vellent; sed ut regi interdum faverent : quoniam jam tunc ea quæ postea monstrata sunt, moliebantur humana; idcirco minus procurata sunt divina.

CAPUT V.

ADEODATUS.

Miror absentem, cum ejus commemorantur dicta, quem non mirabamur præsentem. Nam cum esset tam humilis, quo nullus humilior, nullusque magis mortuus mundo videretur, quid est quod tam inter summos ecclesiarum, præsulum videlicet et senatorum, consules, in senatu coram Augusto consulte constanterque loquebatur?

PASCHASIUS.

Non ignoras, frater, quod is erat iste, quem nec terror minarum, nec vis rerum, nec spes præsentium, nec metus futurorum, nec promissa facultatum, aut interminata suppliciorum genera, aut ulla auctoritas poterat revocare a charitate Christi a dilectione patriæ et populi, ab amore ecclesiarum et fide imperatoris. Propterea igitur talia et quamplura, veluti alter Jeremias, constanter loquebatur. Præsertim et militiam clericorum in palatio, quos capellanos vulgo vocant, quia nullus est ordo ecclesiasticus, denotabat plurimum : qui non ob aliud serviunt, nisi ob honores ecclesiarum et quæstus [a] sæculi, ac lucri gratiam sine probatione magisterii, atque ambitiones mundi, quorum itaque vita neque sub regula est monachorum, neque sub episcopo militat canonice; præsertim cum nulla alia tirocinia sint ecclesiarum, quam sub his duobus ordinibus. Aiebat namque idem, quod aut canonicus quisque esse deberet, aut laicus, aut monachus. Quod si neutrum, jam sub nullo monstratur ordine, quia videntur esse sine capite. Quæ profecto hæresis, quamvis aliunde sibi hoc nomen vindicaverit, tamen ut fassus idem est, nulla alia isto in tempore pejor invenitur ecclesiarum scabies : quæ omnia ejusdem jura, ex quo cœpit, corrupit, intantum, quia multi eorum vitiosi erant, ut a laicis pene omnia monachorum et canonicorum, necnon et feminarum monasteria occupentur, et sint omnia depravata. Propter quæ nunquam, quia futura præviderat, dubitavit sententiam pro statu regni, pro salute populi, pro stabilitate ecclesiarum, et religione pacis dignam dicere etsi quibuslibet displicuisset.

CAPUT VI.

ADEODATUS.

Quantum datur intelligi, tales qui tunc fuere, non consules, non provisores patriæ fuerunt, sed latrones : quorum mentes angustas præsentiarum caligo cæcavit, humilitas prava tenebris opplevit, concupiscentia sordibus maculavit, in tantum, ut ipsum consulatus nomen, seu splendorem illius honoris, et magnitudinem tanti imperii, nec intelligere aut intueri, nec capere aut sustinere potuissent. Unde non consules, sed mercatores ac venditores tantæ dignitatis, et perturbatores ecclesiarum sunt dicendi, qui non modo isto monente non consuluerunt, verum subterfugerunt, everterunt et prodiderunt in invicem, ne aut talia corrigerentur, aut etiam deteriora quæ imminebant, obstarent cum potuissent. Et ideo, sicuti Paschasius paulo superius doluit, non immerito talia contigerunt, imo quia noluerunt recipere spiritum veritatis ad correptionem, receperunt spiritum erroris ad vertiginem. Inde est quod adhuc hodie nemo principum explicare potest reipublicæ vias ad justitiam.

PASCHASIUS.

Nec immerito, quia pro Deo stare noluerunt, neque quæ Dei sunt, primum quærere, ut corrigerent quæ jam depravata erant; si Deus ab eis recedens, consilium patriæ deperierit, fides evanuerit, pax aufugerit, et prosperitas ullarum rerum hodie desperata jaceat. Jam rarus qui regibus fidem exhibeat, nullus patriæ aut civibus qui recte consulat, nullus qui sociis et amicis debitam charitatem impendat. Judices non nisi venale aliquid agunt, populus imperialibus non suffragatur officiis, auctoritas non viget prælatorum, quoniam imperialis et regum deperiit : respublica et ecclesiarum pauperrima est, quia prædones ea diripiunt : eloquentissimi omnes muti facti sunt, quoniam evacuata est virtus agendi et loquendi. Nam a sæculo has in partes nihil majus scitum est, neque argumentosius ad excogitandum : sed posse ac scire post uniuscujusque velle desudat. Idcirco, quantum credo, quia tunc vocem hujus, imo Dei non audierunt, versa est omnis prosperitas eorum in contrarium, et confractæ sunt vires; consilium aufugit, et omnis sapientia, juxta prophetam, devorata est. Quod sane ipse, jam futura prævidens, in eodem Placito his explicitis prænonuit. Ubi mox eum vehemens infirmitas, quam lienteriam medici vocant, apprehendit, quatenus virtutem in infirmitate perficeret. Hinc quoque deinceps conticuit, donec Dei judicium nos apprehenderet, et peccata quæ jamjam consummata erant, clarescerent in facto, intantum ut, quæ agimus, solummodo jam non peccata sint, sed pœna peccati.

CAPUT VII.

THEOPHRASTUS.

Cur talia acciderint, jam luce clarius manifesta sunt : sed quod habuerint initium, non ab re quæritur, quoniam jure actum credimus, ut eorum corda obdurarentur, ne audirent culpis exigentibus; divina ultio postmodum ut amplius in nobis peccatoribus juste desæviret.

[a] In ejusmodi clericos aulicos invehitur Walafridus Strabus in carmine de somnio Wetini, supra ad annum 824. Hinc Lupus abbas Ferrariensis in epistola 25 : *Cæterum fama versatur inter nos, clericos palatii diversorum cœnobiorum sibi dominium optare atque poscere : quibus nulla sit alia cura, nisi ut suæ avaritiæ oppressione servorum Dei satisfaciant.* Confer Vitam Benedicti Anianæ abbatis, num. 54, supra.

Introdusă în format electronic de Google

PASCHASIUS.

O dies illa, quæ pene æternas huic orbi tenebras attulit et discrimina, quæ pacatum imperium et unitum concidit particulatim ac divisit, germanitates violavit consanguineos dirempsit [a], inimicitias ubique procreavit, et concives dispersit, fidem exterminavit, charitatem delevit, ecclesias quoque violavit et omnia corrupit! Unde quotidie civilia surgunt bella, ut ita loquar, et plusquam civilia. Exercitus totius patriæ pene huc illucque perimitur: provinciæ, pagi, et urbes passim depopulantur. Si qui residui sunt, sine viribus ubique aut fugiunt, aut cæduntur gladiis. Hinc undique paganorum et hostium incursiones, hinc quod omne vulgus conciditur, villæ, civitates innumeræ cremantur. Heu! misera dies, quam infelicior nox sequitur! sed nulla infelicior illa, quando sceleratus Naso [b] vocatus est ab Spaniis, Amisarius ille, qui cuncta reliquit honesta, in quibus erat ordinatus [c]; et immersit se fatuus ad omnia cœni volutabra; siquidem ut advenit, ac si ferus aper evertit palatium, destruxit consilium, dissipavit omnia rationis jura; consules omnes, divinos, humanosque expulit, et attrivit; thorum occupavit, atque factiose, ita ut insidiæ viderentur, manifestius omnia pervasit; sicque cæcus, ut nihil aliud esse posset, quam quod ipse invenerat, postposuit divina, ad humana se immersit per fas nefasque, cuncta in subito convulsit ac commaculavit, et omnem dignitatem regiam evacuavit; fœdera disrupit, confudit ordinem; ut nullus esset status, singula immutavit; diem convertit in noctem, rursus noctem commutavit in diem. Patri abdicavit filios, et patrem filiis, sicque tyrannidis ejus profecit, ut excederet ultra omnes, et nihil integrum reliquerit. Honores debitos qui habuerant, amittebant; qui necdum indebite qualescunque assequebantur optimi quique virorum, amplissimi et nobiles atque dignissimi, jam auctoritatem agendi omiserant [*l.* amiserant]: quia profecto nullus aliam tunc temporis habuit viam expeditiorem ad honores retinendos et acquirendos, seu ad ea quæ vellet vel concupierat, quam illa sequi, quæ tunc tyrannus Naso mallet. Interea confregerat omnia ossa virtutum vis feminea. Ideo stultus, sine oculis et sensu, ad omnia se immerserat. Movebatur enim jam vertigo totius imperii, ne ullus acquireret potentiam, ne ullus honorem, ne ullus facultates, sine scelere, aut sine aliorum damnationis dispendio. Iste quippe fructus est infidelitatis et discordiæ. Ideo consultissimum est semper serere prudentiæ, justitiæ, fortitudinis ac temperantiæ semina, ut metere possis centuplicatum fructum laboris; quam concupiscentiarum et vitiorum molimina, ex quo remetiatur judicium, et crescat ultio perditionis. O dies illa, dies tenebrarum et caliginis! o dies exsecranda, quando tale cœptum est consilium! Et hæc est hora furoris Dei, hora nostræ ad vindictam retributionis, in qua aperti sunt oculi omnium cum Balaam ariolo; ubi cecidimus omnes, et evigilavit virga furoris Dei; ubi violata sunt omnia jura legum.

CAPUT VIII.

ADEODATUS.

Proh nefas! quod in subito tam immania, tam horribilia crevere in regno detrimenta, licet per partes peccata coaucta id exegerint. Unde petimus quid fuerit, quod rursus Arsenius ad tam acerrima, tamque perniciosa periculorum genera se injecerit: nec potuit fortassis providere quem finem haberent, quibus obviam venire voluit, quæsumus ut aperias.

PASCHASIUS.

Verum, frater, quia videbat mala quæ quotidie surgebant innumera et immensa: sed prænoscere non valuit quæ futura erant: quibus, quantum ex se fuit, obviare voluit, et resistere pro fide regni et regis, pro amore patriæ ac populi, pro religione Ecclesiarum et salute civium: quæ omnia chariora illi erant, quam sua vita. Sed quia in initio hæc non fuerant repulsa et refutata, culpis exigentibus impune ad omnium perniciem prævaluere, ita ut nullus jam esset fortis ac sapiens qui obviaret. Nam idem cum jam de sua infirmitate convaluisset, cœpit audire undique flagitiosa et obscenissima, turpia et inhonesta; non qualiacunque, sed qualia nunquam in isto nostro audita sunt sæculo. Pro quibus profecto mox commota sunt omnia viscera ejus pietatis affectu, eo quod esset theatrum, honestatis olim, palatium factum, in quo tanta sortilegarum præstigia recidiva scaturierunt, quanta in omni mundo jam non credebantur esse. Nec enim poterat se continere præ dolore et amore a fletibus, cum hæc illi a bonis, et summis, ac veracissimis die noctuque nuntiarentur viris: quia quanto plus Ecclesiam Christi et Augustum una cum populo et prole dilexerat, tanto magis afficiebatur doloribus. Veniebant autem et primi palatii ex utroque ordine, qui omnia ita esse asserebant, imo pejus quam vulgo dicebatur. Tum ipse per se delegit illuc qualitercunque venire, si forte quivisset suis argumentose persuasionibus aut consiliis subvenire: furia illa ut rediret, antequam perturbaret omnia, et subverteret. Qui veniens egit quodcunque potuit; et cum Augusto, et cum proceribus locutus est quod intellexerat; et præmonuit, in his quæ fiebant, quod senserat. Nam et belluæ factiosissimæ, quia prius ei pater ejus et ipse amicissimi fuerant, affatus est fideliter cum omni amicitiarum obsequio. Nec immerito igitur, eo quod olim

[a] Sic legitur in codice ms. pro *diremit*, eum ad modum quo Alcuinus in epigrammate 165 scribit *empserat* pro *emerat*.

[b] Bernardus hic est marcæ Hispanicæ præfectus, Septimaniæ et Tolosæ comes, Willelmi comitis seu ducis filius, Theganus in libro de gestis Ludovici, cap. 38, auctor est, ducem Bernardum *purificasse se de objecto stupro, postquam nullus inventus est qui ausus fuisset cum armis jam dictum rem et imponere.* Et tamen Bernardum inconsulte republica abusum, penitus eam evertisse testatur Nithardus, quantumvis Carolo addictus, in lib. I et II.

[c] Id est educatus et institutus ab optimo patre Guillelmo.

Introdusă în format electronic de Google

uxorem [a] sibi sororem ipsius, filiam nobilissimi viri et magnificentissimi duxerat. Unde ab incunabulis quasi pater circa eum in omnibus pium gerebat affectum, curam ac sollicitudinem, plus etiam quam si pater esset. Sed cum vidisset, quod cæcus jam mente alienatus esset, et per præceps rueret; dixit quodcunque potuit : licet jam moribus efferatus, quia felle concupiscentiarum inebriatus erat, audire noluisset, sicque cum in nullo proficere se vidisset, prospectis omnibus dolens ac gemens ad monasterium sine effectu remeavit. Quem mox, dato parvissimo temporis intervallo, secuti sunt jam expulsi et dejecti rectores et primi palatii, flentes et lugentes, quod ab uno impudico violarentur omnia jura totius imperii, pellerentur optimi quique, et opprimerentur ubique fortes et clarissimi viri, non illius virtute constupratoris, sed dolo et fraude pessimæ deceptionis. Nuntiant autem singuli pejora pessimis, et omnes confluunt hinc inde ad Arsenium, et requirunt quasi de fonte consilium. Ille autem mœrens ac lugens, totus animo pendebat ad Deum suspectus, si forte Deus in talibus suis subveniret periculis. Hortatur omnes singillatim, ut sustineant et exspectent Dei judicium. Deinde singuli ut redeant ad palatium, et videant, et intelligant, persuadeant quoque meliora salutis ; conentur nisu quo possunt, obviare talibus tantisque perturbationibus. Quo facto, repelluntur summi, dejiciuntur eximii, colliguntur improbi, honorantur vanissimi, et introducuntur scelesti. Tunc itaque, his ita compertis, renuntiant Arsenio mala in sæculo, quæ unquam vix sunt audita, ut in tam glorioso imperio subito sic omnia fuerint permutata. Fit palatium prostibulum, ubi mæchia dominatur, et adulter regnat : coacervantur crimina, requiruntur nefanda et sortilega maleficiorum omnium genera, quanta nunquam credidi in sæculo remansisse : nihil de universis prætermissum malis, nuntiatur ubique omnibus. Verumtamen vir gravis et cautus, nec sic interdum movebatur, nisi ad lacrymas, donec eorum proderetur factio, et firmaretur ab ipsis, qui erant de tam pravissimis consiliis plane conscii, quod vellet idem tyrannus Augustum perimere clam quolibet pacto, quasi sua infirmitate subito mortuus videretur : deinde filios ejus, una cum optimis regni principibus, quoscunque dolo prius præoccupare potuisset. Cum autem hæc nuntiantur a gravissimis et veracissimis viris ita absque dubio esse; nimio mœrore perculsus, misit iterum rursus atque iterum idoneas et sanctæ religionis personas, et probatissimas, occulte qui venirent, et essent tantisper infra palatium apud quosdam, qui erant qualitercunque in eisdem consiliis : quousque quid verum esset, diligentius perscrutarentur. Qui mox omnia ut dicta erant, a secreto vere pertractata compererunt, qualiter tyrannus, quando vel quomodo decrevisset fieri quod moliebatur : et quod pro certo jam qui conscii erant hujus consilii talia mandassent, retulerunt. Tunc una cum summis consulibus et sanctis quibusdam episcopis, necnon et cum summis officialibus palatii cœpit quærere in fide Christi, ne talia perficerentur ad subversionem totius imperii, quid agere debuisset. Tunc omnes una voce, flentes et ejulantes, magni et summi, cum omnibus qui aderant servis Dei, constanter [*supple* dixerunt], quod non esset Deo fidelis et sanctæ ipsius Ecclesiæ, qui in talibus subvenire posset periculis, nec fecisset. Ita siquidem multis exhortantibus, accepto consilio, una cum electissimis et clarissimis viris misit se pro fide Christi, pro statu imperii, pro pace Ecclesiarum, pro amore regis et regni, pro salute filiorum ejus, zelo Dei succensus, ne fraus prævaleret adversarii, ut dignitas servaretur patriæ, salus maneret civibus, in magnum discrimen ; et salutem suam pro justitia et fide devotus ob omnium libertatem obtulit : alioquin si vellet favere in partibus, acceptior esset omnibus, et honorabilior haberetur universis. Sed is cum esset fortis animo, sanctitate præclarus, justitia vestitus, fide solidatus, charitate fundatus, virtutum armis indutus, magis elegit mori, quam tale facinus et tam crudelissimum sustinere scelus, quod omnibus esset ad ruinam, ad perditionem, et ad exitium, si consentirent, æternæ damnationis. Idcirco nihil jam de se timere cœpit, tantum ut prævenire potuisset christianissimis principibus, præsulibus Ecclesiarum et omni populo, ac liberare omnes de tam atrocissimo mortis periculo : quoniam omnibus bonis unus imminebat interitus.

ADEODATUS.

Unum debuimus deplorare : sed valde diriora nos cogunt quæ contigerunt, quia nimium amariora et crudelissima sunt, quam quæ proposuimus lamentari. Unde oportet ea retexere plangentis affectu. Neque enim ille tam plangendus est, quam jugiter ista deploranda, ut avertatur ira Dei a nobis. Verumtamen sic quæ dolemus, fletibus commendanda sunt, ne hic noster ullis involvatur adversariorum criminibus : etsi singulis, quamvis facultas esset perorandi, respondere nequimus quæ dicuntur ad singula. Idcirco petamus potius pietatis gratiam, quam ingeramus interdum reprehensionum querelas : offeramus præcordiorum nostrorum dolores, quam ingenii nostri ad defensionem ejus suscipere partes. Deinde si acrius aliquid constanter egerimus, aut liberius quam debemus, et ipsi velint ; obsecremus tantum imperitiæ vel intemperantiæ ignoscant, quantum pio dolori vel justitiæ concedendum putant. Namque nullus major esse potest dolor, quam hic noster, in quo tantus Pater in subito sublatus deploratur, tantisque a malis dilaceratur infamiis et odiis, qui multo dignus fuerat amore, quotidie et insequi-

[a] Hinc duo colligimus unum, Walam ante initam vitam monasticam matrimonio ligatum fuisse; alterum, uxorem ejus sororem fuisse Bernardi, Willelmi comitis filiam, Helinbrugam, an Gerbergam : quæ Gerberga postea sanctimonialis facta, Cabilone dolio inclusa, in profluentem Ararim jussu Lotharii, tanquam venefica, projecta est, teste The. ano.

Introdusă în format electronic de Google

tur. In quo et cum quo excidium patriæ, Ecclesiarum eversiones, calamitates pauperum, divitum oppressiones, barbarorum incursiones, cædes vulgi, bella superbientium, insidias universorum, et (quod atrocissimum) perditiones animarum simul immaniter deploramus : quia illo spreto, cum non est auditus, hæc omnia contigerunt. Quapropter rogo, ne deficias, etiam minis insectatus, et blasphemiis lacessitus. Et ne dicat aliquis, in threnis quod talia non sint coacervanda neque replicanda : sciat quod nullo in loco amplius, maxime quando talia crebescunt mala, quando veritas insectatur odiis, quando justitia debellatur. Sic itaque Jeremias propheta post increpationes, post persecutiones et impulsiones, ad lamenta se convertit, et omnia quæ acciderunt pro delictis, amarissime deflevit.

CAPUT IX.

PASCHASIUS.

Bene nos hortaris, frater, nisi tanta essent, quanta rememorare non sufficimus, nec intueri : non dico quæ olim acciderant, sed de his tantum, ex quo iste impurus atque impius hostis omnium religionum confudit, conturbavit et pervertit, honesta omnia obscenis permiscuit, et religiosa vanis : intantum, nec mens, nec lingua, nec vox, quæ narrare queat istius vecordissimi molimina quæ cœpit, ex omnium scelerum colluvione vallatus. Arbitrabatur enim diabolicis omnia præoccupare maleficiis; superare, non consilio, sed auspiciis; præripere et auguriis : eo quod sacratissimum Augustum sic haberet suis delusum præstigiis, ut omnes repelleret, quos aut ipse, aut magnus pater ejus imperator nutrierat a secreto, a colloquio, a familiaritate et consilio, a fidei fide, ab honoribus, et ab omni consortio prioris vitæ. Qui furia et auctor sceleris, cum esset munitus potestate regia, prænituit quod esset ultio præteritorum scelerum, et incrementum mali. Unde factum est, ut in regno nullus aliud posset, nisi quod ipse vellet, aut mandaret. Ita omnes siquidem oppressi sunt, quasi ex indicio furoris Dei, ne ullus auderet resistere vel contraire : quia potestas et voluntas pii imperatoris, ac si innocenter, cum spurcissimo erat. Quod factum ad memoriam sempiternæ turpitudinis factum est. Quandoquidem cum jam inchoarentur quæ dudum cœpta erant, quæ inierant consilia, cum iter arriperet rex et regina, illius sævissimæ bestiæ ducatu ; ibat Augustus quasi innocens agnus ad victimam ; ibat imperator magnus et clemens, deceptus a qua eum Salomon cavere monuerat, imo lenonis ejusdem insidiis, ad mortem : qui non ob aliud servabatur, nisi ejus potestate jus diriperetur imperii, et fraus inimici redundaret in omnes. Nemo igitur est qui credat, nemo qui recogitet quæ gesta sunt, quæ acta, qualiter aut quanta : ideirco nemo est qui intelligat, cur aut quomodo acciderint, quive auctores fuerint mali, vel qui boni. Propterea omnes inscii, mali et pessimi, Arsenium culpant, quasi incentorem malorum. Interea cum hæc ita aguntur, imperator, ac si agnus innocens ad victimam, cum a loco promovisset, et iret nesciens ad mortem, facta est manus Domini super omnem populum : qui simul omnes, ac si divinitus coacti, venerunt in unum pro fide regis et regni, pro salute populi et patriæ, pro stabilitate imperii, et filiorum successione : quoniam audierant omnes, et compererant singuli de locis suis unum esse interitum omnibus præparatum. Ubi ac si divinitus evocati cum simul essent, retulerunt singuli mala quæ audierant, nonnulli quæ viderant et cognoverant, aut interfuerant : quibus undique ita explosis ad liquidum claruit, quod Augusto et filiis una cum universis principibus unum immineret exitium atque interitus vitæ. Nam et Melanius filius piissimi Cæsaris cum his confluxerat, et periclitabatur rex, cum esset una cum suis omnibus; quia contra eum iter arreptum erat inscio patre, ut ipse prior post patrem perimeretur. Deinde cum pro his universi quid agerent, nutarentur mœrore perfusi, advolavit extimis a custodiis, et sacramentis diu detentus, quæ cum patre eo in tempore pertulerat Gratianus, et retulit voce propria quæ dicta, quæ gesta, quæve futura cognoverat : quia in his longe diu commoratus, nihil aliud jam quam mortem imminere sibi videbat : ad quos cum fugisset, narravit omnia, quæ intus detentus resciverat. Ubi de adulterio nulla universis remansit dubitatio, de præstigiis sortilegorum et divinationibus : tuncque per eum audita sunt, quanta et qualia nusquam jam remansisse credebantur, quæ tunc ex omni parte orbis ad palatium coierat [*f.* coierant], ac si Antichristus cum suis maleficiis apparuisset. Ad ultimum vero de nece patris et de totius imperii edixit subversione, qualiter auspiciis, auguriis, consiliis, atque insidiis, necnon et omnibus malignis artibus esset præfixum. Tunc omnes hi proceres et filii duo, Melanius et Gratianus, qui aderant, decernunt potius mori debere eos, quam ultra hæc quoque consentire, ut unus eis scelestus, flagitiosus et auctor totius malitiæ omnibus esset in contumeliam, in ruinam, et in opprobrium sempiternum. Quod sane consilium et definitionem tunc Arsenius cum divino timore mœrens ac dolens consensit : quia nullum jam alium evadendi ingenium invenire potuit : non ut Augustus imperio privaretur, aut inhoneste (quantum rei eventus sinebat) in aliquo aut ab aliquo tractaretur ; sed ut hostis pelleretur una cum suis complicibus; et mœchia quæ jam publica erat, in confusionem omnium ne diutius celaretur. Sortilegæ ibidem aggregatæ, divini, conjectores et muti, nec non somniatores, et hi qui exta consulebant; vel alii quamplures malignis instituti artibus, a sacro pellerentur palatio : quorum tanta et talia erant nefandissimæ artis præsagia, etiam ut plurimos traherent in errorem : quia videbantur omnia diabolicæ artis figmenta in mundo repullulasse, in tantum, cum hæc omnia ita fraude seu dolo circa Augustum agerentur, ut in nullo penitus sentire posset quotidie quæ fiebant. Alioquin malitiosis nisi esset præventus artibus, nequaquam fieri posset, ut fidelissimos quosque consu-

Introdusă în format electronic de Google

les et sanctissimos præsules non audiret, vel crederet sibi talia narrantibus, quos olim semper in consilio habuerat. Non enim alium in fide recipiebat, nisi quem Justina vellet : neque alium aut audire, aut diligere valebat, aut assentire, quousque ista viguerunt, nisi quem illa ei in fide commendabat : et, quod prodigiosius est, ut aiunt, nec aliud velle, præter quæ ipsa vellet. Unde quidam episcoporum, cum coram eo astarent omnes præsules Christi et senatus totius imperii, nec non et omnis populus, eumque jam arguerent constanti fide pro talibus : Scio, inquit, quamvis talia et tanta quæ dicuntur, male deceptus his artibus hactenus assensisses, cum his exutus fueris quibus vestiris, quia te recipies, et eris optimus imperator, quod semper ante fuisti.

ADEODATUS.

A sæculo hujusmodi res gesta, quantum video, non legitur, ut populus pro principe contra principem sic ageret. Fuit enim, æstimo, aut nimia dilectio senatorum et præsulum circa Augustum et ejus prolem, clarescentibus causis, quod eum tam reverenter rursus erigunt in regnum ; aut cæca temeritas, quod talia præsumpsere nullis exstantibus, nisi vulgi æstimatione, causis, mœchiæ sortilegorumque et aliis quibuslibet quorumdam offensis. Unde non mihi videtur, quod pro talibus deberet omnis religio ecclesiastica et ordo totius populi itatenus insurgere et commoveri adversus Cæsarem, nisi forte aliud lateat, quod gravius videatur. Et hoc petimus, quia in eadem concione et negotio fuisti ; paulo clarius aperias, ut Arsenius noster magis excusabilis videatur.

CAPUT X.

PASCHASIUS.

Verum, ut ais, in eadem concione me fuisse, quando universi principes simul pacifice, quantum intelligere tunc potuimus, aggregati, de his altercati sunt contra Augustum, non abnuo : sed omnia retinere quæ dicta, quæve responsa sint, omnino nequeo. Nec itaque mirum, cum et vos ea non recolitis, quæ in brevi paulo superius connumeravi. Alioquin nisi immemor esses, certe aut calumniator ; nunquam parva quæ dolenda retuli, existimasses : quoniam nihil scelestius esse posset, si proceres regni, et creati jam reges filii, fieri permisissent quæ connumeravi. Unde rex in illa concione, cum populo gratias pro his referret ; quamvis in corde aliud occuleret : « Vos enim, inquit, fecistis, qualia nunquam populus unquam fecisse cernitur : quia et ego prior admisi et feci, qualia nullus ante me rex fecisse invenitur. Et ideo, inquit, gratias omnipotenti Deo, qui tam imminens malum ad tam pacificum deduxit exitum. Porro deinceps nihil tale, nihil sine vestro consilio me acturum ulterius profiteor. Imperium namque a me, ut olim ordinatum est una vobiscum, et constitutum, ita manere decerno et volo. Feminæ quoque huic, quam adjudicastis, quia mea est in illa ultio, juxta communes leges, sicut deposcitis, vitam concedo : ita tamen ut sub sacro velamine [a] deinceps degeat (*sic*), et pœnitentiam gerat. » Quibus ita pacifice in eadem concione dispositis, relevatur in throno gloriosus imperator, et erigitur cum laudibus, et subditur ei omnis populus in fide amplius fidelis, si posset fieri, quam prius. Talis quippe est infidelitas Arsenii, falso ut opinantur, quibus non est præcognitum, quod suo sapienti consilio tyrannum prævenerit, ne perficeret quæ moliebatur, ut perimeret Augustum, prolemque ejus omnem exstingueret, et uxorem quam infideliter coinquinaverat, acciperet. Cum qua, si cederetur, imperium pervaderet, et omnes seniores terræ aut interficeret, aut male subjugaret oppressos ; sin alias, ad Hispaniam cum ipsa se transponeret. Propterea ergo dedit se periculo Arsenius, et liberavit omnes a tanti sceleris malo. Nihil itaque idem contra Cæsarem, quamvis aliter inscii malignantes sentiant ; sed pro Cæsare fecit et imperio, pro patria et pro omnibus majoribus natu, pro fide et zelo Dei, pro religione Christianitatis et salute civium. Rescinduntur ergo eo in facto paulo post jura legum omnia, divina scilicet et humana. Occultabatur autem nimia fraus, quasi sub fidei schemate et voluntate regia. Hinc hercule est, quod adhuc hodie plures in eo errant, et dicunt bonum malum, et malum quod omnes tunc detrectabant, bonum. Ex quo sane malo innumera creverunt, et quotidie atrociora crescunt mala. Tunc tamen eum quasi liberatorem omnium omnes magnificabant, et extollebant ubique laudibus ; maxime cum Cæsar Augustus Honorius ab Italis evocatus [b] venisset, eo quod consortem imperii Justinianus sibi olim et successorem totius monarchiæ cum voluntate et consensu omnium eum fecerat ; quem una cum patre præfatus exterminare et subvertere conabatur, cum reliquis fratribus suis regibus : in cujus nimirum adventu detecti sunt plurimi, et quæ dicebantur reserata. Pro quo consilio illius furiæ frater [c], quia-

[a] Vita Ludovici Pii ad annum 830, quo hæc contigerunt : *At vero imperator ut eorum conspirationem contra se et uxorem Bernardumque obstinatissime comperit feraliter armatum ; Bernardum quidem fugæ præsidio se committere permisit, uxorem autem Lauduni esse, et in monasterio Sanctæ Mariæ consistere voluit, ipse autem Compendium petiit.* Addit Auctor, Judith postea per Warinum et Lantbertum compulsam fuisse, ut velum ipsa sumeret, persuaderetque imperatori, ut comam recideret. Hæc vero cum imperatore secreto collocuta, *permittente illo, ut mortem evadere posset, ipsa velum sibi capiti superposuit : de attonsione porro sua imperator tempus deliberandi poposcit.* Confer Annales Bertinianos, in quibus Juditha ad monasterium sanctæ Radegundis Pictavos missa fuisse, et Bernardus Barcinonam refugisse dicuntur.

[b] Nempe *circa mensem Maium*, ex Vita Ludovici jam citata, quam tu consule et confer cum hac historia.

[c] Heribertus scilicet, de quo Vita Ludovici Pii ad annum jam dictum : *Heribertus Bernardi frater luminum amissione multatus est contra votum Imperatoris : Odo consobrinus illius armis ablatis exsilio*

Introdusă în format electronic de Google

convictus et confessus est consensisse, in eodem placito cæcatus est judicio publico, vita sibi clementer concessa. Sed quia cuncta quæ fiebant, non erant ex corde Justiniani, neque ex animo, quoniam ab æmulis veræ fidei et justitiæ instigabatur et adulabatur; femineo rursus devictus instinctu, quasi multa contra eum inhonesta, non pro fide facta fuissent, qui nisi se de his vindicaret, bene deinceps regnare non posse; rursusque si ablatam sibi uxorem non reciperet post velamen. Tegitur interdum vulnus in corde valde defixum, augentur complices iterum, ut rescindatur imperium. Honorius, qui erat longe diu consors a patre, et ab omnibus procreatus imperator, removetur a potestate, repellitur a consortio; sacramenta universorum, quæ illi facta fuerant, auctoritate paterna violantur; boni quoque atque inclyti viri, qui dudum pro fide certaverant, tyrannum fugarant, mœchiam, et universa turpia a conspectu palatii pepulerant; qui patriam et populum salvarant; qui etiam Augustum, ut diximus, et filios liberarant; qui seipsos cum multo discrimine, post talia, quibus eum restituerant in throno imperii, una cum filii consortio in fide, qui pro fide egerant, subdiderunt; ita ut in eis nihil nisi fides et veritas appareret. Sed insidiantibus malis quæritur opportunitas temporis, et locus electus; disperguntur universi, qui ei prius fidem servarant: senatus exsiliatur, et magnati omnes, atque olim charissimi et primi damnantur palatii: inter quos etiam Arsenius noster rapitur, pontificum tamen officio, jubente Augusto, ac si cum honore ingenti, exsiliatur. Retruditur autem et elevatur in quadam longissimo terrarum spatio altissima et arctissima specu [a] quo nullus esset accessus, divino agente judicio, nisi angelicus: ubi cum non post diu ab Augusto directus ob ecclesiasticarum rerum et monasticarum negotia devenissem; quanquam non sine periculo, ob suum solamen, ad eum visitandum ascendi. Ubi simul inter salsissimas abundantissime gaudii et mœroris lacrymas, lætum, etsi tristes, duximus diem: læti quidem de mutua visione et conscientia pura, quia in eo nulla erat reatus culpa: tristes vero, quod pro tantæ virtutis beneficio exsilium tulit et odium, et custodiam carceris, et injuriam diræ calamitatis. Cum quo cum essem, inter dulcia amaraque verba, volui ei persuadere, ut in aliquo se excessisse fateretur, et deinceps, quæ Augustus vellet, in omnibus assentire: si quo modo una cum quibusdam amicis agere quivissem, ut in gratiam rediret; quod et Cæsar satis optabat, si ei solummodo consensisset. Ad quod idem: « Miror te, inquit, si de mea in aliquo dubitas conscientia, qui nihil mihi de his negotiis, pro quibus culpor, magis quam tibi sum conscius. Idcirco te oportuerat amplius me pro justitia persuadere certare debere, quam vel in modico tepescere; vel contra verum quidpiam, vel contra quod honestum est, assentire vel confiteri. » Tum ego: Nequaquam, inquam, dubito: neque amplius vellem in hac parte, quam excessus verbum, et assensus de vobis habere: quia in his duobus credo amicos et me obtinere posse, non solum veniam pro offensis, verum et ampliorem gratiam, honores quoque proprios et majores; insuper quidquid de eo et ab eo vobis placuerit. Tunc ita ille subsannando paululum subridens: « Tu forte, inquit, eum et omnes eos qui eum favent, in tua æstimas potestate? Nunquid Dei judicia non pertimescis? Quid si ego falso contra me protulero sententiam confessionis et reatus mendacium, relicta justitia veræ fidei et puritate cordis? Potest igitur contingere, ut in contrarium vertatur sententia, divino exigente judicio, quam tu existimas; et si ego pro ullius gratia, aut pro honoribus, vel timore, vel favoribus, veritate relicta falsum contra me dixero aliquod; et in his deprehensus Dei justo agente judicio, proprio condemnatus ore, mortis sententiam excepero; dum leviora vitare me rogas pericula, et honores quærere vel gratiam; cavendum, ne crudeliora excipiam: et dum temporales injurias fugere, vel honores quærere me rogas; ineffabili dispensante judicio, sempiternæ mortis damnationem acquiram. Quapropter, frater, stemus in via veritatis ingressi: et spem habeamus, quia hæc nos ad vitam sempiternam, quæ Christus est, admittunt. » Unde his dictis confusus silui. Et constat quod in eo nulla conscientia erat, nisi secundum Deum et propter Deum, circa Augustum et filios, circa patriam et Ecclesias, circa proceres et magnatos, circa religionem et salutem populi: quia non sua in ullo, sed quæ Christi erant, quærebat. Idcirco errat, qui arbitratur Arsenium in periculum exsilii vel capitis vocari, quod deliquerit in his negotiis aliquid sciens vel volens: quod patriam læserit, quod majestatem imperii violaverit, quod Augustum et filios exinhonoraverit (*sic*), quod fidem corruperit, quod pacem perturbaverit. A bonis enim et prudentibus non accusatur, quod ecclesiastica jura non dilexerit, regis gloriam et imperii amplitudinem non amaverit: sed quia nimium ea diligendo in aliquo deliquerit. Propterea merito non reus citatur [accusatur] malevolentiæ in his omnibus, sed reus virtutis; quoniam beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Vocatur autem jure novus virtutum homo, qui perniciosum fraudis et doli restinxit insaniam et furorem; Cæsarem liberavit a morte, filios a perditione, regnum et imperium ab invasione tyranni. A palatio namque sacri imperii pepulit omnes abominationes, mœ-

deportatus, tanquam eorum quæ Bernardo et reginæ acclamabantur, conscii et fautores. Lege Nithardi librum et Annales Bertinianos.

[a] Et quidem ad lacum Lemanum, infra cap. 12, Walæ exsilii mentio est in libro de translatione sancti Viti infra, et apud Nithardum in historiæ lib. I. In vita Ludovici Augusti tantum dicitur *Walach abbas jussus ad monasterium redire Corbeiæ, ibique regulariter obversari.*

Introdusă în format electronic de Google

chiam fugavit, sortilegas damnavit personas, honestatem restituit; patrem filiis, et filios patri reddidit, monarchiam tunc ire in partes non permisit, sacramenta filio Augusto facta violare vetuit. Omnia quippe bona servare voluit, et mala dejicere, ac proterere : quatenus tutam et tranquillam secundum Deum vitam omnes viverent; electio quæ solemniter facta fuerat in filio a patre et ab omnibus; et consecratio imperialis, apostolicæ sedis auctoritate firmata, inconcussa maneret, ob pacis concordiam, ob monarchiæ firmitatem et principatus laudem, ob honorem et gloriam Christianæ religionis, quæ pene jam ubique a perfidis et inimicis tanti nominis conculcatur, affligitur, et tenetur. Voluit enim sui consilii vigilantia providere, tam gloriosum regnum et Christianissimum ne divideretur in partes : quoniam, juxta Salvatoris vocem, omne regnum in seipsum divisum desolabitur (*Matth.* XII, 25) : quod hodie omnes factum satis dolemus, momentis singulis et plangimus. Voluit juramenta, ut diximus, quæ facta fuerant Honorio [a] et fides promissa integra servaretur, ne tantis populus universus fuscaretur perjuriis. Voluit ut unitas et dignitas totius imperii maneret ob defensionem patriæ et ecclesiarum liberationem, ob integritatem rerum, et dispensationem facultatum ecclesiarum : nunc autem, ut cernimus, omnia sunt immutata vel perturbata. Quapropter advertat quilibet inimicus, et intelligat, quam præclaris Arsenius ornatur virtutibus; quam multiplicibus pro justitia commendatur testimoniis : quem non boni et probi viri dilacerant vel infamant; sed nocentes et maligni vel inscii, rumoribus decepti, insectantur odiis : quem honestissima et lautissima ubique commendant acta, et protestatur vita. Idcirco qui cupiunt ejus detrahere vitam, et imminuere laudes, seipsos accusant quod aut non habeant sensum, certe aut noluerint virtutibus decertare, adulatores effecti, ne talia quæ plangimus devenirent; alioquin gloriam quærere et honores, vanum est, sine laboribus et virtute. Unde habeat noster Arsenius laudem, quia ipse una cum Christi gratia æternæ vitæ conquisivit honores; habeat famam et præconia, quia jam ei post inhonorationes, post exsilia datur vita et immortalitas.

ADEODATUS.

Obstupesco satis, nec admirari queo virum, qui tantis et manifestis attollitur præconiis; qui omnium ore laudatur; de quo conscia est omnis Ecclesia, omnis populus, quod mala quæ tunc vigebant et augmentabantur, semper suo depulerit consilio; gloriam regi et imperium ac filiis servaverit; tantisque obviare malis voluerit, ne provenirent, quibus nunc omnis Ecclesia, omnis populus, omnis ætas et ordo patitur et plangit. Quid est, quod sentire nolunt et intelligere? præsertim cum et ipsi eisdem vexantur malis, nec volunt animadvertere nec sentire, unde vel a quo hæc exorta sint, a quibus procreata, vel a quo nutrita et propagata : quia si hujus auditum esset consilium, longe aliud foret quod omnibus profuisset, et omnibus hodie placeret. Sed ne prævaleret consilio contra insidias malignantium oppugnator malorum, contra improbitates iniquorum, imo contra ipsumque Augustum, qui contra filios, contra imperium, contra patriam, contra salutem populi, ut manifestum est quotidie potestate, honoribus, ingenio, arte qua poterat, armis, multitudine militum decertabat; expellitur, dejicitur, exsilio mancipatur, religatur [relegatur], ut asseris, altissima in specu; ne ulli mortalium jam ultra consilium salutis porrigere posset, quod voluntati pessimæ obviare posset. Quoniam non præcedebat sapientia vel consilium, ut voluntas bona duceretur ad prospera et salubria : sed præibat intentio pravæ voluntatis; et agebatur astutia, ingenio et potestate iniqua, ne frangeretur semel deliberata crudelitas et cœpta voluntas.

CAPUT XI.

PASCHASIUS.

Animadvertis, frater, vorax incendii flamma quo veniat : quia nisi esset quibuslibet præstigiis mens male delusa, et inflammata potestas, conservata voluntas invicta, fidelium fides cum omni reverentia humilis et devota; nequaquam agere potuisset tam perniciose contra suam et omnium salutem, partim persuasionibus, partim potestate et ingeniis. Sed quia fides eorum fuit intemerata et incontaminata; qui boni erant, nimia decepti reverentia, noluerunt injuriose contraire ad primum : ideo incurrerunt damnationis discrimen, et facta est ruina pene omnium una. Unde identidem, cum esset in eadem specu, plurimum de se lætabatur, quod pro justitia injuriam pateretur : sed dolebat pro periculis quæ imminere jamjamque videbat. Dolebat quod boni et optimi oppugnabantur; viri innocentissimi, et fideles quique premebantur et exhonorabantur, tradebanturque exsiliis, carceribus, et diversis injuriarum fatigiis. Qui cum pene inter nubes iste elevatus vitam ageret (quantum mortalibus fas est) angelicam non satis tuta visa est Augusto et suis, fautoribusque Justinæ, quæ redierat in conjugium, ejus custodia, propter Honorium, qui illis in partibus et ipse rejectus rex a consortio imperii morabatur. Verebantur enim ne consilium salutis daret eidem vel primoribus, per quod iniquitas frangeretur, et cessaret cœpta virtutibus superata crudelitas. Propterea quam cito deponitur de specu præcelsa, et transportatur ad Herum [b] infra Oceanum insulam, omnium terrarum ultimam : si quomodo cum beato Joanne

[a] Lotharium imperii consortem dixerat Ludovicus Augustus anno 817, idque Romæ per Paschalem confirmari curavit anno 823, datis pro more novo imperatori sacramentis. Adi librum de Vita Ludovici Pii, Eginhardum et alios.

[b] De hac insula dictum est in Vita sancti Adalhardi, qui ibidem relegatus vixit annos septem; et inferius dicetur, ubi de translatione corporis sancti Filiberti.

Introdusă în format electronic de Google

solummodo quæ divina sunt cernat, nec valeat numana contingere sensu, vel recuperationis ulli porrigere verba.

THEOPHRASTUS.

Quantum mente concipio, calamitas illata viro et exsilium sine lege, sine judicio, sine culpa, imo pro fide, pro defensione, pro justitia, non pœna peccati est, sed præconium laudis : quia non imminuit clarissimi nominis gloriam, verum etiam illustravit, et honestam ubique aspergit famam. Nam si quis hodie illuc venerit ubi fuit, sentiet odoramenta virtutum quæ reliquit : quoniam omnis vita ejus plena gravitatis, plena operibus bonis, plena religionis fuit : ideo ei laudem ubique ad sempiternam memoriam temporis pressura vel tribulatio propagavit. Quia etsi optabilius est cursum vitæ conficere sine dolore et sine injuria, tamen ad immortalitatis gloriam et fructum æternæ retributionis plus affert præmii labor pii certaminis, quibus nullus est finis, quam delicata quies. Propterea idem semper fortis et constans in omni optima ratione et labore pio fuit, semper mansuetus et patiens; paratus excipere cum omni devotione quidquid virtus divina decrevisset. Non enim exsilium sibi, ubi vel ubi cum esset, quia cum Deo erat, sed patriam deputabat. Erat igitur in omni loco cum Apostolo bonus odor Deo : et ideo ad famam et gloriam sancti nominis huc illucque deportabatur.

PASCHASIUS.

Ita est ut asseris : et ideo non exsulem eum appellare licet, sed eos qui eum exsulare cogebant; quoniam ipsi in quocunque loco essent, exsulabantur a se, a sensu, a consilio, cum omnem patriam civibus et optimis curis [*l.* viris vacuam] simillimam exsilio suis sceleribus reddebant. Quid est enim exsul ipsum per se nomen? calamitatis utique pœna et turpitudinis. Quando igitur est turpe? Revera, cum est pœna peccati. Opinio est etiam hominum, sicuti huic, cum est pœna injuste damnati. Alias autem hic non in peccato suo nomen tulit exsilii, sed decreto injusto, juste Deo agente. Quia nemo tam insanus mente, qui peccatum dicat agere sancto consilio, pro fide, pro vita Cæsaris, pro filiis et imperio, pro salute populi, et salvatione patriæ, pro justitia et legibus Augustorum, pro stabilitate et unitate regni, pacisque concordia, pro depulsione vitiorum et abominationum, pro adulterio, quod ultimum est, et pro contumelia totius imperii. Adeo igitur nemo furiosus, nemo insanus, nemoque tam imperitus, qui felices eos censeat vel sensatos, qui talia contra conscientiam, contra salutem omnium facta laudant, et hunc vituperant. Quasi non felices fuerint hi omnes, qui pro justitia agonizantes tales sustinuerunt injuriarum triumphos : de quorum omnium collegio electus est suo in tempore iste, qui pro eximiis beneficiis et innumeris, contumeliarum honores perciperet. Hinc etiam novo genere ad Herum magnificentissime honoratus ad exsulandum deducitur, teste conscientia eorum, qui talia ministrabant consilia : quoniam innocens et optimus non ob aliud sic vexabatur, nisi ne contrairet bonis consiliis pessimos conatus. Agebant ergo, quod omnes olim perfidi contra sanctos exercuere : unde et iste similia pertulit, compassus, ut conregnaret.

ADEODATUS.

O prodigiosa intentio et nefanda! Quis unquam audivit ut aliquis eos odiret quorum consilio et providentia reservatus esset ad vitam, suique ac sua eorum salvata fide et auxilio? vel quis ita sapuit, ut illos diligeret ad consensum qui hostes sui erant suorumque, quorum contumeliæ spurcitiarum honestatem ejus omnem suo scelere fœdarant? Heu quam novæ obscenitatis dementia, ubi omnia vitiorum ostia aperiuntur! quando Justina, etsi polluta, recipitur : quod non corrigitur, neque datur locus timori, ut corrigatur. Unde huic parantur insidiæ, et removetur de loco ad locum : quoniam vitiis ubique virtutes displicent; nec satis tute creduntur a vitiosis, dum alicubi esse creduntur. Idcirco virtutis vir, castitatis amator, justitiæ defensor, ejicitur huc illucque sine testibus : quia publica erat ejus virtus, sine judicio, sine crimine, sine audientia, et sine scelere. Quapropter velim ad Herum deportatus, ultimam terrarum insulam, quid egerit pandas.

CAPUT XII.

PASCHASIUS.

Fateor plane, quod aromata solent, quod in prædicta specu : nisi quod ibi cœlum et Penninas Alpes, nec non Limanium lacum cernebat : hic vero solummodo mare cœlumque; hic autem et illuc Deum meditabatur in mente, secum semetipsum semper sibi præsentem ferebat. Cernebat autem, juxta David, mirabiles elationes maris, cernebat mente in altis Dominum. Ergo considerabat rotas et volubilitates, quibus vertitur sæculum; se autem gaudebat in solido constabilitum, et congratulabatur plurimum, quasi in paradiso deliciarum præ amœnitate nimia constitutus : eo quod evasisset de profundo iniquitatis, ubi indesinenter elevant flumina sibi compugnantium fluctus usque ad cœlum, ab impulsione dæmonum, nec tamen operiunt terras : quorum fluctus et elationes, sicut nemo qui dinumerare possit, ita potentia divinæ dispensationis nemo qui apprehendere queat. Unde fidelis quisque audiat vocem Domini cum Arsenio dicentis mari et sæculo : Usque huc venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Alias autem, nisi his solidatus esset promissionibus, et fundatus super firmam petram; inter tot volumina injuriarum, collisiones et fragores tentationum, tam immobilis et inconcussus non permaneret. Ubi non diu, proh nefas! cum beato Joanne, etsi inferior, cum exsultatione et alacritate cordis divina cernere licuit mysteria, tamen quantisper jucunditate refectus æternæ contemplationis, reliquit bonum exemplum fratribus, et posteris famam sanctæ religionis. Et quia nullo in loco satis creditur,

Introdusă în format electronic de Google

quod timidius formidatur : idcirco nec hic extra solum, ac si extra mundum, retrusus permanere patitur; nam et Joannes in carcere religatus pertimescitur. Unde et Justina jam enixa, cum ad conjugium redisset velamine conculcato, requisivit quo idem esset, quem nullo in loco vivere, quantum arbitror, voluisset. Sed et invidus omnium bonorum diabolus, invidit diutius eum frui tantis virtutum oblectamentis : quia nullo in loco esse poterat in hac vita mortali, quo magis delectaretur; ideo removetur a tam amœnissimo deliciarum loco.

CAPUT XIII.

ADEODATUS.

Quæso pandas nobis quid fuerit, quia jam nullus tutior invenitur locus, neque remotior, quod inde expellitur, ubi nullus accessus hominum videtur, neque recessus, nisi longo maris navigio. Nam et ibidem olim Antonium [a] positum fuisse ob firmissimam constat custodiam. Unde et iste ab omnibus plurimum amabatur, licet suis satis jamdudum bonis et beneficiis amaretur. Qui profecto Antonius multa virtutum deposita ibi reliquit, apud Deum merita commendavit, et secum ubique aromata virtutum portavit.

PASCHASIUS.

Quod interrogas, qualis occasio fuerit, prius ostendi, qualem et Joannes habuit in carcere, ut feriretur gladio. Tamen Melanius rex illis erat affinis in partibus, super quem manus mittere decreverant. Ne consilio juvaretur, provisum est, quia idem multis cæcabatur peccati actibus. Hac quippe occasione, quamvis cum honore, quia venerabatur meritis, et timebatur consiliis; relevatur cum injuria exsilio, et deportatur officiosissime, quasi incensum odoriferum, per medias Gallias ad Germaniam. Ipse vero semper ubique secum patriam ferebat : quia ubique notus, ubique dilectus, ubique ab omnibus quanto innocentior, tanto charius amabatur. Equidem jam perfunctus tentationibus, nullam vim, nullum metuebat imperium : etsi necdum expleverat animos adversariorum, neque placaverat odia improborum; saturaverat tamen tantisper perfidiam et scelus proditorum; quamvis non ad plenum, quia reluctabat [reluctabatur] animo quod volebant. Et ideo timore afficiebantur, ne bonis subveniret consiliis, et fraus detecta deperiret. Non enim ei hostes erant jam expulso, sed virtutibus, quas ubique amittere non valebat, Dei protegente auxilio. Quid plura? reliquit monachorum alvearium virtutibus mellificatum; et ecce cum gaudio rursus, ubi perducitur ad Germaniam, monachorum chorus [b] eum suscipit, rursus episcoporum ducatu ad eumdem locum et abbatum, quamvis inhoneste, quodammodo honestatur.

THEOPHRASTUS.

O misera nostra tempora! o stultæ discordiarum A nostrarum insidiæ, quæ ad tantam civilium debacchationem perduxere pacatissimum regnum! Sed felix de quo ubique tanta virtutum respergitur fama. Puto quod nulla sit regio, nullum terrarum nostrarum solum, etiam ultimarum; non pontus, non insulæ, non littora; non locus, non domus, non civitas, in qua non exstent hujus viri laudis præconia, et ubi non maneant impressa casti consilii vestigia, quæ cunctis præstitit cum incredibili gravitate, virtute, atque constantia, et puritate cordis. Erat enim in eo integritas mentis, religio sancta, diligentia rerum, moderatio virtutum, quibus auctoritas in eo plurimum commendabatur. Idcirco, ubi vel ubi, quasi eximius venerabatur patronus, et ducebatur : quia in eorum etiam conscientia venera- B bilis erat pro vitæ merito et virtute, a quibus, quantum in ipsis fuit, exsilio damnabatur. Sed omnino illi non erat exsilium, imo augmentum meritorum : quia, sicut in psalmo canitur, eundo ibat de loco ad locum, mittendo semina sua (*Psal.* CXXV, 6). Ubique confessores Christi intercessores habuit; ubique eorum exempla exhortationis gratia sibi a Deo præstita invenit; ubique et ipse confessor sua reliquit; et monachorum catervam, inter quos fuit, secum habuit, quorum commendaretur precibus, foveretur solatiis, et solemnibus mulceretur officiis; quos et ipse suis instruebat exemplis, exhortabatur oraculis, præstruebat consiliis. Unde adhuc hodie in eisdem locis, quocunque fuit, plurimum diligitur et amatur; prædicatur quoque et commendatur in- C cessanter, etiam ab his qui eum non viderunt, quatenus ejus semper fama vigeat et præconia.

CAPUT XIV.

PASCHASIUS.

Verumtamen in eodem, ad quod pervenerat monasterium, non diu rursus licuit permanere, ne forte Gratiano illis in partibus misceretur consilio vel colloquio : quoniam ipse ubique idem erat; et secundum Deum quæ semel velle debere deliberaverat, infatigabiliter tenebat, ne virtus animi ullis frangeretur molestiarum injuriis. Quid plura? reducitur ad proprium eisdem privatus honoribus cœnobium, quia venerabatur ubique, ne locum haberet contra voluntatem semel illapsam agendi. Qua D de causa, cum redisset, non minus mœrore, quam gaudio suffusi sumus : quia hinc mœsti, quod suo privabatur officio; hinc vero læti, quod eum saltem videre meruissemus, nobiscumque habere licuisset. Ubi cum quanta humilitate et subjectione interdum [interim] fuerit, quam devotus et paratus ad omnia, credo quod a memoria non delebitur. Etenim paulo post, quamvis multis fatigatus injuriarum molestiis, advenerunt missi apostolici [c], regumque filiorum et seniorum, quod omnes simul cum eodem sanctissimo advenissent, pro pace et unitate, pro indul-

[a] Id est Adalhardum Walæ fratrem, uti superius dictum in ejus Vita.

[b] An Fuldensis monasterii? Nulla ejus rei apud veteres, quod sciam, memoria.

[c] Id factum anno 833, quo Gregorius Papa IV in Galliam venit pacis reformandæ causa. Hinc coll.-

Introdusă în format electronic de Google

gentia et satisfactione patris : ut veniam impetrarent auctoritate Pontificis, et salvaretur imperium. Qui detulerunt epistolas ex omni auctoritate divina valde gravidas, et præcipiunt cum omni adjuratione, quamvis pro his multis jam perpessus, ut in adjutorium summi antistitis obviam veniret. Quod si nollet, jusserunt Augusti vi eum abducere, cum omni tamen honore et reverentia. Quod cum audissemus omnes, pertimuimus valde, maxime quia totum a militibus nostrum occupabatur cœnobium. Nos tamen primum nesciebamus quid sibi vellent. Unde plurimum expavimus, et quæsivimus quid esset. Tum illi rei veritatem pandentes; sed idem ire cum eis recusavit. At illi in nos irruentes dicebant, quod si aliter non possent, vi eum auferre deberent. Quibus profecto dictis, hinc inde valde mœrore ac terrore afficiebamur, quoniam multum nobis et illi pariter imminebat periculum, facere, aut non facere quod rogabant : siquidem pro multis ejus jam periculis nimium tristabamur; et quia in nullo prius profeceerat, ne rursus repeteret, deterrebamur. Ostendebatur coram auctoritas, et legebatur, summi pontificis, pro pace, pro reconciliatione patris et filiorum, principum et seniorum, pro statu ecclesiarum, pro adunatione populi et salvatione totius imperii. Erant autem et alii ex parte filiorum pro eis rogantes eum, ut illis suis succurreret consiliis, qui jam pro eis multa pertulisset, ne eos in fine desereret discriminis. Nuntiabatur et virtus divina, quæ præruptam viam Alpium Penninarum obviam coram sacrosancto complanasset apostolico, quæ obstrusa multis fuerat argumentis, ne ultra de illis in partibus ullus amplius huc transiret exercitus: quæ ultro, ut fertur, aperta est eis. Quibus ita prolatis, et aliis innumeris dictis, cœpimus exhortari eum, ut obediret pro pace summo Dei pontifici, etiamsi eum mori cum eo contingeret : quoniam multa est, inquimus, auctoritas, qua vocaris; multa etiam necessitas et justitia, pro qua vocaris. Nec minor itaque obedientia, sub qua devotus Deo bonis et sanctis obedire congruit tanti pontificis, una cum cæteris sanctis Dei fidelibus, jussis.

CAPUT XV.

ADEODATUS.

Hoc est quod multi calumniantur, quasi non oportuerit de his eum ultra curare, neque talibus se admiscere negotiis. Cum omnino Spiritus sancti gratiæ nulla præscribit auctoritas cujuslibet regulæ; imo cuncta Christi dispensat providentia, singuli quantum in singulis, vel quomodo proficiant officiis. Siquidem considerandum quid quisque agat, vel quomodo et ubi. Quia, sicut in eadem legitur Regula, claustra sunt monasterii virtutum instrumenta et bonorum operum, quo diligentius omnia regulariter A compleantur. Qua de causa, cui non licet sine jussione abbatis quidpiam agere, providendum, si licuit ad tam grandia et incerta sine transgressione insilire : quia periculosissimum est quempiam suum relinquere propositum, et ad ea quæ non expediunt, neque suo congruunt officio, inconsiderate se admittere [b].

PASCHASIUS.

Multorum vox ista est : sed eorum qui non attendunt cujus dignitatis esset iste, vel ordinis. Nam postquam electus ab omnibus est pastor, et rectoris officium vocatus a Deo suscepit, ut credimus, consiliarius totius imperii una cum cæteris præelectis constitutus, etiam in fide ac consilio reliquis antepositus; quod et antea jam erat etiam quam idem B esset electus : quia pro genere, pro vitæ merito, pro institutione, quam perceperat pene ab ineunte ætate infra senatum et sapientes regni; pro mentis efficacia et nobilitate sensus plurimum ab omnibus audiebatur, et venerebatur a singulis. Idcirco qui jam cum esset prælatus una cum cæteris ecclesiarum pastoribus, est ordinatus senator cum eisdem ipsis, et cum aliis quibuslibet palatii vel regni senatoribus, ut consilium daret de singulis; non mihi videtur, quod sine periculo sui prætermittere posset, prius ne consilium de his inveniret quæ annumeravimus, in quibus unus omnium profecto immiuebat interitus. Alioquin nullus monachorum major vel sanctior Joanne, qui ideo decollatus est : nullus acceptior Elia, nullus religiosior Eliseo, seu cæteris C sanctis et prophetis, qui viriliter regibus restiterunt, et pro justitia decertarunt usque ad mortem. Nam Zacharias ideo peremptus, Isaias secatus, Jeremias in lacum demersus : sed iste longe inferior in specu altissima est levatus. Errat igitur quicunque dicit quod pro justitia non debuerit stare, pro fide non decertare contra tot mala taliaque quæ occiderunt, non debuerit, quia armis non licebat, saltem consilio, exhortatione, persuasionibus non resistere. Quæ profecto mala omnibus tunc et deinceps in manifesto venerunt majora et atrociora, quam quæ noster stylus fluendo prosequi velit aut possit. Ideo quicunque ea dissimulat se scire, qualia quantaque fuerint, vel quam pessima quæ de his orta sunt et D permanent, omnino aut desipit, aut insanit. Propterea nemo sani capitis qui hunc infamare vult, quod talia sapienti suo consilio voluerit contraire.

THEOPHRASTUS.

Mirabar nimium, et mirantur plurimi quid esset, quod pro tanto imperio, pro tanta dignitate regni et ecclesiarum, nequaquam satis multi præsules vel senatores forti et magno animo invenirentur, qui auderent se et salutem suam in discrimen offerre pro statu totius imperii, pro communi salute. Hoc tempore miretur potius quilibet nostrum, si quem

gitur Walam exsilium passum esse ab anno 830 in id fere tempus, quo jam revocatus erat. Certe Nithardus in lib. 1, ipso anno revocatum Walanam scribit, Elizacharem etiam abbatem Centulensem, Matfridum, cæterosque, qui in exsilium retrusi fuerant.

[b] Vide Regulæ S. Benedicti cap. 4.

Introdusă în format electronic de Google

bonum et fortem virum viderit, quam si quem aut timidum, aut sibi potius quam reipublicæ, quia aut nulla aut parvissima est, consulentem; itaque neque ecclesiis, neque populo, quia omnino non est qui audeat, vel qui corrigere quæ depravata vel perversa sunt, possit. Nam ut omittamus de uniuscujusque casu recordari, uno aspectu intueri possumus eos qui cum consilio, vel cum bonis omnibus tunc temporis dignitatem regiam, et ecclesiarum, afflictam et dejectam, vel constupratam reerexerint, et a latrocinio domestico liberaverint; deinceps eos mœstos, exhonoratos, infideles adjudicatos, et reos capite, fama, carceribus et exsilio: eos autem qui omnia divina et humana violarunt, vexarunt, perturbarunt, everterunt suis rapinis, non solum exsultantes et lætos, fortissimos atque optimos [*f.* opimos], honoratos honoribus et gloriosos; verum inclytis, et sapientibus, atque honeste zelantibus insidias moliri et pericula; sicque de se nihil timere. In quo nimirum negotio cum multa sint indigna et detestabilia; nihil minus tamen perhorrescenda, quod jam non per latrones et rapaces tantum, atque egestate confectos, facinorosissimos quosque, seu suo perditos scelere; verum et per optimos qui fuerant olim viros, per eximios auctoritate religionis, per sublimes nobilitate carnis, pericula mortis et degradationis calamitates inferuntur, a quibus etiam rapinæ et oppressiones inferuntur; quia jam pene nullus, qui suis justisque stipendiis ducat post se milites, sed de rapinis et violentiis: quod Naso ille spurcissimus omnium primus docuit, et ad finem [a] usque semper publicus prædo vixit. Nunc vero et isti, quanto sunt amplius latronibus constipati, tanto potentiores, ne ullus ad rapinas eis contradicat. Sed quamvis militia augeatur pro talibus, nemo tamen eorum, nisi ad civile malum, vires habere videtur. Idcireo nec mirum, si iste vocatus a summo antistite talibus contradixerit, qui primum optabat deleri de libro vitæ cum Moysi pro populo Dei, pro Augusto et filiis; nec non et cum Paulo pro fratribus et ecclesiis anathema fieri.

ADEODATUS.

Nec mirum itaque, tantis fatigatus exsiliis, tantisque sordidatus infamiis si restitit ad primum: quia, sicut vidimus et cognovimus, nisi ab omnibus nobis violenter cogeretur, et tanta auctoritas summi pontificis eum non premeret, jam ulterius nihil tale assentisset. Nunc vero a fratribus impulsus, a summo pontifice cum adjurationibus vocatus, a filiis Augusti regibus imploratus; a populo et præsulibus, cum quibus olim fuerat in causa hujus exordii, deprecatus, pro concordia et pace tandem censuit aliquando coactus illuc venire, summoque antistiti obedire, seque illi conjungere, qui tantum pro omni populo Dei assumpserat laborem; si forte cum eo pacem in regno restituere posset, et discordias removere. Quapropter detrahendi nullus est locus, imo major esset reprehensio, si desereret tantæ auctoritatis jussionem pro ullius discriminis præsentis vitæ periculo: quoniam laudabilius est bene mori, vel periclitari cum bonis et optimis, quam male vivere, aut consentire cum pessimis. Aliud quippe pœna judicii est, aliud vero augmentum peccati. Et ideo non inconsulte, ut aiunt, neque contra propositum veræ religionis rursus idem tradidit se discrimini: sed valde officiosissimum et laudabiliter se obtulit, et medium pro utriusque partibus, si reciperetur æque ab omnibus; neque suis deterreri poterat periculis, qui se multoties ingesserat pro alienis. Unde deinceps Paschasium prosequamur, qui cum eo comes fuit irremotus, quem nullus deterrere potuit præsentis vitæ casus, ne sequeretur quem amaverat in Christo, quem imitari proposuerat; cum quo etiam bene conscius de eo mori optarat pro fide Christi, si tempus immineret discriminis.

CAPUT XVI.

PASCHASIUS.

Fateor plane, quocunque affectu id dicas quod dicis, quia ita est ut dicis. Quod satis probat iter, quod suscepimus inter medias concursiones insidiantium, inter legiones huc illucque qui nobis adversabantur discurrentium: inter quos, donec ad Augustos reges et ad ipsum sacrum pontificem venimus, satis periculosissime semper cum metu ac tremore incessimus, timentes ne non venire ad destinatum licuisset: quia omnino, si compertum esset, arctior nos susciperet custodia quam olim ei esset illata: quia erat cum Augusto Justina tunc temporis, quæ movebat totius monarchiæ rursus sceptra, concitabat fluctus et maria, impellebat ventos, et corda virorum ad omnia quæ vellet convertebat: a qua quia unum ejecerant, de quo diximus, flagitiosissimum [b], alii serviebant facinorosissimi. Nos autem, quia declinare, nisi inter medias eorum cohortes iremus, non potuimus, per medium protegente Deo prospere pervenimus: ubi cum venissemus, cum nimio suscepti sumus gaudio a regibus, a principibus, et ab omni populo. Deinde oblati sanctissimo Pontifici, satis venerabiliter cum magna alacritate nos excepit: quia cruciabatur et ipse animo pro talibus quæ repererat, qualia nunquam prius credere potuisset. Terrebatur autem (quod valde dolendum est) ab Augusto, et ab omnibus suis, etiam ab episcopis, qui sibi pridie quam venissemus dextras dederant, quod unanimes essent ad resistendum his qui ex adverso erant, regibus filiis, principibus et populo: insuper consiliabantur firmantes, proh dolor! quod eumdem apostolicum,

[a] Bernardi finem cædemque ad annum 844 referunt Annales Bertiniani. Hinc patet longe post id tempus scriptum esse hunc secundum librum.

[b] Nasonem scilicet seu Bernardum, qui in Septimaniam se recepit, teste Nithardo in lib. I, tametsi anno 834 in pristinum gradum redire conatus est, ejiciendo Guntbaldo monacho qui cum multum in restitutione Ludovici Augusti laborasset, *secundus in imperio esse volebat*. Is cœnobii S. Medardi monachus fuit, ut ex Nithardo intelligitur.

Introdusă în format electronic de Google

quia non vocatus venerat, deponere [a] deberent. Erat enim ibi Phasur, et reliqui eadem cum Justina sentientes. Quibus auditis, pontifex plurimum mirabatur, ac verebatur. Unde et ei dedimus nonnulla sanctorum Patrum auctoritate firmata, prædecessorumque suorum conscripta, quibus nullus contradicere possit quod ejus esset potestas, imo Dei et beati Petri apostoli, suaque auctoritas, ire, mittere ad omnes gentes pro fide Christi et pace ecclesiarum, pro prædicatione Evangelii et assertione veritatis : et in eo esset omnis auctoritas beati Petri excellens et potestas viva, a quo oporteret universos judicari, ita ut ipse a nemine judicandus esset. Quibus profecto scriptis, gratanter accepit, et valde confortatus est.

THEOPHRASTUS.

Qualem putamus Augustum tunc fuisse, qualemve Justinam, quæ suo tunc cuncta vertebat nutu; qualesque principes, quando tales inventi sunt præsules Christi, ut sicut illi in humana, ita et ipsi consurgerent in divina! Ventilabant enim suis cornibus, ut olim pseudoprophetæ, in omnem ventum populum, et insurgebant contra caput totius Christi Ecclesiæ, ne pacem ferret inter patrem et filios, inter Augustum et principes, ne reconciliarentur, qui dispersi, et exsiliati, atque dehonorati injuste erant; ne pax redderetur ecclesiis, ne statuta priorum temporum, et divisa inter filios regna manerent inconcussa et indiscussa. Hæc erant, quia Justina sic inflammabat studia eorum, neque principi consilia ex corde aut ex animo dabant : sed assentando et adulando pro favoribus, veritatem, justitiam, pacem ac concordiam conculcantes, contra eos qui pro his decertare videbantur, pro viribus repugnabant. Verumtamen quam justitiam habuerint filii et populus, quia hinc inde sibi invicem adversantes pater moliebatur in filios, et filii consurrexisse videntur contra Patrem, atque ideo inimici omnes : quia interfuisti, rogamus aperias nobis.

CAPUT XVII.

PASCHASIUS.

Justitiæ partes constat quia plurima sunt. Alia siquidem est justitia regni Dei, alia regni terreni : alia inter parentes et propinquos, alia inter externos et alienos intantum, quot sunt leges et consuetudines gentium, tot dicantur ex usu justitiæ partes. Propterea ex lege Dei, non minus quam ex lege patriæ, de istis colligendus est modus justitiæ, etiam et ex lege naturæ : quia, sicut scriptum est, filii, obedite vel deferte parentibus, ita et patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros. Quod si utrumque servatum providenter esset, tantum malum non accrevisset. Tamen ut elucescant quæ proposui, commemoranda sunt Capitula [b], quæ Augustus pater quasi pro querela filiis direxit, ut enuntiaret quid contra requireret.

Primum rememorari eos monet, quod filii ejus sint, et ipse eos Deo auctore genuerit.

Ad quod ipsi : « Gratias omnipotenti Deo, inquiunt, qui, quod verum est, de nobis talia recogitare vobis concessit : et quia non solum recogitare, verum etiam mandare dignati estis. Nos enim, præcellentissime Augustorum, in vita nihil post Deum charius, quam vos sacratissimum genitorem; nihil gloriosius possidemus, quam quia vestri filii censemur et sumus; nihil locupletius, nihil ditius, nihilque nobis magnificentius ad honores, ad excellentiam et dignitatem, ad laudem nominis et splendorem gloriæ. Idcirco, gloriosissime, venimus humiles et devoti, subditi, ut decet, et subjecti : tantum dignetur pietas vestra et mansuetudo recogitare de nobis, ne condemnemur injuste, ne abdicemur sine crimine, ne exhæredemur sine culpa. Non enim insurginus contra vos, sicut loquuntur et accusant nos, qui nos perdere inimici moliuntur : sed supplices veniam, indulgentiam et misericordiam postulamus. »

Deinde in alio capitulo : « Mementote, inquit, etiam quod mei vasalli estis, mihique cum juramento fidem firmastis. »

Ad quod rursus idem : « Bene, inquiunt, recolimus ita esse uti mandastis : quoniam et a natura, et a promissis, et ab omni vere fidei sacramento *profecto* fideles sumus. Unde sicut nunquam deseruimus militiæ vestræ servitutem, ita donec spiritus in nobis superest, nunquam desertores erimus : quia nobis gloria vestra, honor et prosperitas charior est quam vita nostra. Et ideo non contra vos venimus, sed pro vobis in omnibus parati sumus : tantum ut gratiam pristinam et misericordiam impetremus. Neque contra vos, hos qui nobiscum sunt, conduximus : sed quia, ut docuerat, simpliciter venire non audemus, pro his qui nobis insidiantur, volentes nos perdere, et imperium gloriæ vestræ pervertere, etiam animum vestrum serenissimum pium et mansuetum, a natura summæ generositatis bonis omnibus repletum, et Christi gratia illustratum, conantur conturbare et corrumpere contra nos et contra fideles quosque, ac permutare in amaritudinem naturæ alienæ : quia nihil aliud olim egerunt, nisi etiam ut vos perimerent. Contra quæ sic venimus ad vestram clementiam, ut et ipsi detegantur, et thronus imperii vestri et majestas, eorum clarescendixisse, pontificem, nisi secundum voluntatem ipsorum venisset, non habiturum ecclesias suas consentaneas, sed intantum contrarias, *ut nihil mihi*, inquit, *in vestris parochiis agere vel disponere liceat, nec quempiam excommunicare vobis obsistentibus.* At de interminatione depositionis nulla querela.

[a] Alibi hujus comminationis mentio nulla, si non fallor. Auctor quidem Vitæ Ludovici Pii testatur episcopos quibus pontifex interminabatur excommunicationem, *si qui inobedientes essent suæ filiorumque imperatoris voluntati*, respondisse : *si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret.* Et Gregorius ipse in epistola ad prædictos episcopos, quæ inter Agobardinas edita est, conqueritur, eos

[b] Hæc Capitula nemo, ni fallor, hactenus retulit.

Introdusă în format electronic de Google

tibus culpis, admodum gloriosius confirmetur : nosque reconciliemur ad veniam, qui in nullo, quantum in nobis est, unquam volendo contraximus culpam. »

Addidit quoque : « Scire vos, inquit, oportet quia longe diu defensionem sedis apostolicæ devotissime suscepi, quamvis nunc indebite usurpetis contra me illud, ut excludatis me ab hujuscemodi officio, quod quandiu advixero, prætermittere non queo. »

Unde Honorius una cum fratribus : « Perpendat, ait, sublimitas vestra, et recordari dignetur, quod æque me præstantissima in Christo providentia vestra suscipere fecit hanc curam et defensionem ipsius permaxime, cæterarumque ecclesiarum, quando me consortem totius imperii celsitudo vestra una cum voluntate populi constituit in omni potestate et honore, in omni conscriptione [a] et numismate, in omni dispositione, vestro conservato honore et providentia. Equidem et ad eamdem sedem clementer me vestra imperialis eximietas misit, ad confirmandum in me quidquid pia dignatio vestra decreverat, ut essem socius et consors non minus sanctificatione quam potestate et nomine. Unde quia coram sancto altare, et coram sancto corpore beati Petri principis apostolorum, a summo pontifice, vestro ex consensu et voluntate, benedictionem, honorem et nomen suscepi imperialis officii, insuper diademata capitis et gladium ad defensionem ipsius Ecclesiæ et imperii vestri; nemo vobiscum magis, qui eam quam ego defendere velit aut debeat. Et quia audivi quod plurimi insidiantur huic, manifestum esse omnibus volo, quod ei sine me nemo nocebit, quem pro pace et concordia conduxi vicarium beati Petri, ad vestri reconciliandam serenissimam animi pietatem. »

Mandavit namque gloriosus Cæsar rursus, non justum esse quod eumdem apostolicum ad se venire minime permitterent, eique vias veniendi prohiberent.

Ad quod Honorius : « Nequaquam igitur, serenissime, vias ei prohibuimus veniendi, sed auxiliante Deo reseravimus, cum essent jussu vestro obstrusæ inter angustias Alpium et præruptæ, ita ut nemo mortalium libere transire posset, donec virtute Dei nostroque labore complanatæ sunt : ita ut queam dicere cum propheta, quod factæ sint pravæ in directas, et asperæ in vias planas : ad hoc quippe ut ad vos tam ille quam et nos devotissimi veniremus, quem profecto hunc ideo laborem assumere coegimus, ut ipse vobis summus intercessor vice beati Petri occurreret, cujus potestas in eo vivit et auctoritas excellit. Propterea non prohibemus, ut culpamur, sed officiosissime exhibemus, quem auditi suppliciter in causa Dei et nostra humiliter deprecamur. »

Iterum Augustus inquit : « Injuste agis, quod filios nostros, fratres tuos, tecum retines, et eos contra me insurgere facis. »

« Absit, absit, Honorius inquit, mi domine, siquidem quia fugati erant et abjecti, longeque persecutionibus expulsi, ad vestram eos clementiam reducere decrevi, rogans suppliciter dignetur sancta paternitas vestra recogitare quia vestri sumus filii, ne nos sine culpa abdicare, vel perdere dignetur majestas vestra : imo moveat viscera pietatis vestræ affectus carnis, et justitia non minus legis naturæ, quam et legis Dei; nostrique misereri dignemini. »

Tunc ad ultimum : « Vassallos quoque, inquit, nostros indebite recepisti, et eos tecum retines. »

Honorius : « Non itaque, sciat beatitudo vestra, ita est : sed cum essent et ipsi dispersi, fugati, aut in custodiis et exsiliis detenti, fecerunt ad nos, et ad istum beatum antistitem confugium, quatenus pro illis apud vestram serenissimam clementiam intercedat, ne injuste damnentur, qui pro fide vestra et justitia exstiterunt, ne fraus prævaleret et dolus scelestissimorum. Hoc semper audivi in vestro sacro concilio, et in clarissimorum senatu virorum, hoc semper in vestris recognovi factis, hoc a vobis audivi, hoc legimus in gestis antiquorum, fortes viros et clarissimos, ac bene meritos honorari magis debere, et gloria illustrari quam depelli; qui pravorum hominum impetus et conatus provide represserunt; qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi et consiliis insidiantium audaciæ restiterunt : eorum scilicet hominum, qui levitate sua et pernicie vestrum cum omni improbitate fœdaverunt imperium. Quos quia isti detexerunt et fugarunt, honorandi essent et glorificandi potius quam a pestilentissimis viris criminandi : quia et ipsi primum vestris sunt enutriti disciplinis, vestrisque edocti consiliis, vestra sublimati dignitate, et illustrati honoribus, semper habiti sunt primi et eximii palatii. Unde censuimus eos reducere ad vestram misericordissimam pietatem, vestrisque repræsentare aspectibus : et ideo non debemus offensam contrahere, si quos fraus factiosorum perdidit, vestris restituimus et reconciliamus profectibus. »

Hæc siquidem est alterna altercatio, hæ querelæ ad invicem : hæc propositio paterna, et responsio filiorum. Cum nec sic ullum assensum obtinere quivissent veniæ, mittitur sanctus et summus pontifex intercessor, vicarius beati Petri : qui cum venisset nullo susceptus est honore [b] condigno : tamen more suo data benedictione, proposuit pro quibus venerat.

[a] Agobardus Dugdunensis episcopus in flebili epistola ad Ludovicum Augustum : *In processu quoque temporis, quotiescunque aut quocunque imperiales litteræ mitterentur, amborum imperatorum nomina continebant : postea vero mutata voluntate, convulsa sunt statuta, et de litteris nomen omissum est.*

[b] Hincmarus Rhemorum episcopus in epistola 41 ad Adrianum II : *Et quomodo Gregorius subreptus cum Lothario, patre suo repugnante, in Franciam venit, et pax postea in Francia, ut antea non fuit, et ipse papa cum tali honore, sicut decuerat, et sui antecessores fecerunt, Romam non rediit.* Et tamen munera ultro citroque data fuisse testatur Theganus in cap. 42. Lege epistolam Agobardi de comparatione utriusque regiminis. Locus ubi Ludovicus cum filiis convenit, dictus est *Campus Mendacii*, *inter Argentariam et Basileam*, ex Thegano.

Introdusă în format electronic de Google

Cui imperator inquit : « Nos ideo te more antiquorum regum, sancte pontifex, non suscipimus cum hymnis et laudibus, alioque dignitatis tuæ et religionis honore, quia tu non sic venisti, sicut tui prædecessores ad nostros vocati venire consuerant. » Cui ille : « Nos, inquit, bene venisse scias, quia pro pace venimus et concordia, quam auctor salutis nostræ nobis reliquit; et mihi prædicanda universis commissa est, et proferenda omnibus. Idcirco, imperator, si nos et pacem Christi digne susceperis, requiescet in vobis ipsa, nec non in regno vestro : sin autem pax Christi ad nos revertetur, uti legistis in Evangelio, et nobiscum erit. »

THEOPHRASTUS.

Proh dolor! quid contigerit, quod tam religiosissimus et devotissimus imperator præ omnibus qui ante se fuerunt, sic insipienter et inconsulte egit, nec honorem Deo dedit, nec beato Petro apostolo. Mala, inquam, et pessima mentis obstinatio ac duritia cordis mala; et persuasio feminea, quæ primum decepit parentem, hæc et hunc male decepisse cognoscitur quod dolemus. Et ideo tantæ auctoritatis et sanctitatis virum plangimus multa caligine pressum, non recordatum quod Veritas ait : *Qui vos recipit, me recipit; et qui vos audit, me audit* (*Matth.* x, 40). Heu! quæ et qualis tunc fuit fascinatio et mentis obcæcatio, quæ talem et tantum virum, inter tot tentationes et pericula, inter tot scandala sic decepit, ut nunquam revocari potuerit, neque ullis mederi Scripturarum sanctarum consiliis. Qui quotidie visus est meditari in lege Dei, et tam longe a lege veræ dilectionis indurato corde recessit. Alioquin filios nunquam tam pertinaciter contra mandatum ad iracundiam provocasset, nunquam eos gladio hostili abdicatos tam frequenter et crudeliter insecutus esset : cum ipsi nihil contra eum mali vellent, nisi ea ut inconcussa manerent, quæ ipse primum et populus universus ordinarant, et juramento firmarant. Quod si aut populum, aut Ecclesiam Christi sibi a Deo commissam, certe aut rempublicam diligeret aut procuraret, nunquam pro unius feminæ voluntate vel persuasionibus tanta admisisset mala in regno quæ acciderunt, quæ nunquam fortassis in perpetuum non ingenio, non virtute hominum, non consilio, non potentia alicujus cessabunt. Interea quia multum dolemus, rogamus quid summus pontifex cum eo egerit, vel quid obtinuerit, pandas.

CAPUT XVIII.

PASCHASIUS.

Quod sæpe legistis, legati, non impetrata pace, unde venerant, rediere : ita et iste sine effectu, sine honore, et sine fructu tanti laboris regressus est. Verumtamen post diem qua rediit, insequenti nocte facta est manus Domini super omnem populum justo Dei judicio, et immutatæ sunt mentes singulorum, terrore Dei concussi ac tremefacti omnes. Unde in eadem nocte reliquerunt Augustum sine ullius (quantum rescire potui) persuasione [a] aut exhortatione; adieruntque omnes, a minimo usque ad maximum, Honorium, suisque castris se junxerunt, et apparuerunt in mane omnium eorum circa eum fixa tentoria : ita ut singuli dicerent a parte filiorum et pontificis : Manu [b] ! quod interpretatur, quid est hoc? Quia omnino nescientibus cunctis valde mirabile fuit, qui pridie tam fortes erant et constantes, confisi in multitudine, in promissis omnium, in consilio pontificum et senatorum, in auctoritate paterna, in promissionibus multiplicibus; quod tam permutabiles inventi sunt et infirmi, ut sine consultu et sine æstimatione alicujus, Cæsarem solum relinquerent cum Justina sua : et ad filium, contra quem venerant, et firmarant, circumcirca, quasi pulli sub alas, tota in nocte convolarent; et mane castra metati, unus populus appareret. Unde valde diluculo ad eumdem pontificem venimus pro miraculo, quod acciderat : et ecce in medio unus Romanorum exclamans, ait voce canentis : *Dextera Domini fecit virtutem*, et cætera quæ sequuntur. Tunc ab eodem sancto viro, et ab omnibus qui convenerant, adjudicatum est, quia imperium tam præclarum et gloriosum de manu patris ceciderat, ut Augustus Honorius, qui hæres erat, etiam consors factus et procreatus a patre et ab omnibus, eum relevaret, et acciperet. Alioquin nisi fecisset, dixerunt omnes quod sibi eligerent unanimiter, qui eis auxilium et defensionem ferret. Quibus dictis consensit Honorius, et suscepit, nescio quo judicio, patrem ducens secum, totius monarchiam imperii. Quæ cum vidissem, interpellavi pro his Arsenium, ac dixi, quod malum mihi videretur tam fortuita res sine majori consilio et ordinatione diligentiori, tantum imperium in subito permutari, qui erat consors factus in fide, ut mox omnem monarchiam ex casu patris sibi evindicaret. Ad quod idem : « Nostrum fuit, inquit, huc venire, pro omnibus bona voluntate labore, pacisque consilium dare, intestinum bellum, quod imminebat, sedare. Nunc autem, sicut nemo nos audit, ita nemo quæ didicimus qui attendat : quia omnes, ut legisti, aut metuunt, aut cupiunt, aut gaudent, aut dolent. Metuunt pridem quod accidit, ne rursus quod factum est, vindicetur. Cupiunt autem omnes, et unusquisque eorum, dum tempus est, ad ea quæ habuit, ocius pertingere; vel quæ nundum habuit acquirere. » Gaudent vero pro eis de honoribus avidius, et exsultant : quia sua omnes quærunt, pauci quæ Dei sunt, et utilia. Ergo dolent reliqui, qui timent perdere : quorum audacia vel consiliis talia Cæsar Augustus contra filios gessit.

CAPUT XIX.

ADEODATUS.

Quantum intelligo, et isti potius milvi fuerunt,

[a] Theganus tamen ait id communi consilio factum fuisse, et auctor Vitæ Ludovici Pii partim donis, partim promissis et minis populum defluxisse ad filios Ludovici.

[b] Lege *Manhu*. Quæ fuit vox filiorum Israel viso primum manna, Exodi cap. xvi, vers. 15.

Introdusă în format electronic de Google

quam consules, qui nihil aliud quam de honoribus propriis arbitrati sunt statuere, unusquisque sibi quanto amplius rapere potuisset : cum deberent jam, quia ceciderat imperium de manu patris, cogitare atque perquirere cum eodem pontifice, una cum Honorio et fratribus, cur ceciderit : deinde simul ea corrigere, ac firmare, et constabilire, quomodo deinceps unitum et inconcussum maneret. Multa siquidem providentia primos et summos, multoque consilio invigilare oportuerat, ne respublica et status totius imperii collapsus, rursus per discordiam deperiret : quoniam nullus discordiarum alius solet esse exitus inter claros et potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, et regni rursus unitas, pacisque, ac concordiæ reparatio. Sed quia nec iste consulte constabilitur in solio, nec victor dominatum, quia ex Dei judicio pater cecidit, cum Deo tenuit; neque pax, dum singuli sua quærunt, ad plenum restituitur : et ideo regnum iterum deperiit in manu filii et relabitur, sicque alternatim dum neuter eorum sinceriter coram Deo incedit, labefactatum adhuc hodie jacet et divisum. Manet quoque obscurum odium inter fratres, atque in pectoribus insitum vulnus penitus, et inustum animis hominum amplissimorum : pro quibus indesinenter ad pejus tendit respublica, et collabitur. Quæruntur occasiones, singuli et exspectant tempus : quia cecidit auctoritas regum, quæ deceat, et expediat ad regimen, et consensus omnium divulsus habetur et disruptus. Perierunt judicia, rectaque consilia. Suffragia namque virorum coacervantur : sed effeminati viribus non proficiunt, in tantum ut vix inveniatur vir, qui se pro patriæ salute opponat, aut pro civibus offerat se periculis. Idcirco juxta Veritatis sententiam, divisum regnum quotidie desolatur, et corrumpitur : quoniam ubi non est gubernator, populus corruit. Gubernatorem autem Deum hinc inde amiserunt singuli, quando ficto inter discrimina requisierunt corde. Unde cum quadam die primi et consules palatii secretius insisterent, ac vigilarent; cum Augusto filio totum sibi diviserunt imperium, non attendentes prærogativa (*sic*) parentum, nec coæqualitates magnorum, non innumerositatem nobilium, non bene meritorum retro fidelium, non ecclesiarum (quod majus est) dignitatem, non Dei ex corde reverentiam. Quod cum subito factum esset, supervenit Arsenius. At illi confusi, quia conscii, obtulerunt ei distributionis sortes, si quidpiam esset quod displicere potuisset. Tum ille, ut erat sagax in responsis : « Totum, inquit, bene dispositum est, nisi quod Deo sui juris nihil reliquistis, neque quod bonis placeat ordinastis. » Quibus ita illatis, magis magisque contristari cœpit : quoniam pene in nullo jam audiebatur, cæcorum cupiditate superatus. Unde factum est, momentis singulis regia potestas labefactata potius deperiret, quam cresceret. Augmentantur scelera, inflammatur rursus discordia, concitantur jurgia, nutriuntur insidiæ : reanimatur Augustus pater plurimis exhortantibus, recreari debere ad thronum imperii. Concitantur hinc inde seditiones, et augentur discrimina, in tantum ut nulla sit domus, nulla civitas, nullumque municipium, nullus pagus, et nulla provincia, in qua non regnet hactenus discordia. Sed tunc vicissim majora augebantur pericula, quousque Augustus pater resuscitaretur in sede regni, et filius pelleretur.

CAPUT XX.

PASCHASIUS.

Non itaque pulsus est, ut asseris, neque tam insipienter egit, ut tu plangis : quoniam regnum et imperium quod ceciderat, comitante secum Augusto patre sustinuit, et servavit : neque in eo quidpiam admisit, nisi quod universus senatus coegit et populus, in potestatis privatione et judicio præsulum, qui eum sub pœnitentia redegerunt. Hæc omnia quidem Arsenius noster una cum Dei gratia temperabat, ne utra eorum pars in altero crudelius quam natura sinit, aut scelestius pro tanto discrimine ageret. Sed cum vorax flamma discordiarum amplius sæviret, nec pater Augustus in aliquo acquiescens sponte emollesceret; ne forte parricidium proveniret, fecit suo sancto consilio, Augustus filius relicto patre rursus in solio imperii, petita venia, cum suis omnibus qui cum eo consenserant, liber ut abiret : quia hinc inde super omnem populum furor Dei effusus efferbrerat. Nam secundum Job (II, 6), tabernacula abundabant prædonum ex utrisque partibus, qui satis audacter provocabant suis pravis operibus Deum. Et ideo jam minus Arsenius suis proficiebat consiliis. Erant enim ostia concupiscentiarum ubique aperta, et conflagrata cupiditas. Idcirco suspendium elegit, de medio eorum ut recederet : quia cum Deus omnia dedisset in manibus eorum, nemo tamen Deum ex corde quærebat, apud quem est sapientia et fortitudo : ipse quidem habet consilium et intelligentiam. Unde liquido constat quod quem ipse omnipotens destruxerit, nemo est qui ædificet; quem concluserit, nemo est qui aperiat. Et ideo, quia hos alternatim destruebat quos erexerat, et reerigebat quos concluserat, maluit abscedere liber, quam inter eos manere servus peccati. Considerabat enim jam stupefactus, quod fortitudo hominis et ingenia nulla essent, quod sapientia magis stultitia recte videretur; nam, teste Scriptura (*Job* XII, 16), decipientem et eum qui decipitur, ipse novit. Propterea cum vidisset diversos dolos et fraudes hinc inde compugnare, fecit ut filius patri deferret, et cum suo exercitu illæsus abiret; ac pater cum his qui cum eo vellent, in imperio remaneret, ita ut daretur omnibus intelligi quod ipse sit rex solus omnipotens, qui adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem : balteum quoque regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum, quod huic sane contigisse vidimus. Sed quia neutra pars eorum ex toto digne Deum requisierat, vicissim alternis successibus commutantur, et flagellatur populus : ut intelligant omnes quod ipse sit Deus, qui adducit sacerdotes inglorios, et optima-

Introdusă în format electronic de Google

tes supplantat. Alioquin nunquam, nisi eorum ex culpis, tanta esset vexatio et confusio omnium. Commutatum namque erat labium veracium, et ablata doctrina senum. Propterea solus iste non poterat jam contra omnes, nisi tantum quod egit: ne tunc rerum eventus in pejus deveniret, quod hinc inde plurimi hortabantur: quoniam effusa erat contentio ac despectio super principes. Sed quod tunc obstitit, proh dolor! postea factum vidimus, ne civile bellum inter eos surgeret. Verumtamen hic noster potius mori, quam tale aliquid assentire, aut interesse vellet. Hinc persuasit filius ut abscederet una cum suis omnibus; et pater olim male tractato potiretur imperio, quandoquidem Deus, quia indurarat cor ejus qui commutat corda principum terræ, et decipit eos, ut frustra incedant per invium; ejus totum commisit judicio, ne aliquid quod scelestius esset, proveniret inter eos. Erat enim triste tunc videre, culpis exigentibus, quod Job ait: *Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce; et errare eos faciet quasi ebrios: quoniam ipse solus est, cujus nemo averiere potest cogitationem; sed faciet quæcunque voluerit, suo justo judicio* (*Job* XII, 25). Quæ nimirum judicia considerans hic noster quæ acciderant, quæ quotidie fiebant pejora, et augebantur; idcirco, licet sero, prævidit futura, quæ hinc inde ad præsens jam completa cernuntur. Unde elegit magis aufugere, quam cum aliquo eorum remanere. Nam pater voluit eum, me teste, multum instanter secum tunc cum omni honestate et reverentia summi honoris retinere, etiam si vellet juramentum a suis fidemque facere: deinde Augustus filius secum abducere. Verumtamen ille neutrum eorum audiens, imo fortiter resistens, ab utrisque discessit, pennigeroque gressu Italiam ingressus, infra cœnobium [a], sancti Columbani se recepit: quod sane cœnobium ne invaderetur a raptoribus, ut cætera omnia sunt pervasa, ipsis petentibus fratribus suscepit ad regendum; et quandiu advixit, nobiliter ac pacifice eum [id] rexit.

CAPUT XXI.

THEOPHRASTUS.

Hinc est quod multi eum reprehendere conantur, quia suum in quo professus et electus est, reliquit; et aliud, quasi cupiditate ductus, quolibet pacto præripuit. Fortassis ergo religiosius esset, aut in suo permanere, paulo ante quod fassus es pacifice facere potuisse: aut in eodem sine regiminis onere subsistere. Esset quippe in uno eorum voti adimpletio, in altero vero humilitatis cum laude exsecutio.

PASCHASIUS.

Forte non legisti Vitam et Actus ejusdem beati Columbani, qui expulsus zelo cujusdam feminæ [b] a Luxovio, hunc rursus [*pro* item] cœdificavit locum, et præfuit ibi multis fratribus laudabiliter usque ad finem vitæ. Non enim talentum sibi creditum abscondere in terram debuit [c], sed erogare fratribus, quod beatum Benedictum et alios quamplurimos fecisse legimus. Nequaquam igitur minus videtur eum defendisse ab hostibus, et religiosissime rexisse sub sancta Regula, et augmentasse studiosissime; in ipsa eademque professione quam primum illud inchoasse. Namque in suo quia non satis se credidit quiete vivere posse, neque in officio regiminis proficere; credo quod nullus sanæ mentis eum reprehendere velit, si ad quietem et ad utilia valde fratribus sub eadem religione se contulit, plurimis profuturus: qui nescio si se salvare posset nobiscum inter tot discrimina, ubi jam nulla fides, vel vix rara inveniuntur, maxime inter eos, qui summi esse cupiunt, vel videntur: inter quos, honores contemnere sæculi pro religione, ignavia putatur.

CAPUT XXII.

ADEODATUS.

Novimus hæc omnia, quomodo conversatus sit inter eos: et si honores contemnere criminis est, paupertatem Christi amare, imprudentia judicatur. Sed quoniam retro quæ gesta sunt, quæ contigerunt, Paschasii, doluimus, rerum discrimina et varios eventus deflevimus, tentationes quoque recensuimus, et varia causarum negotia plangentes enumeravimus; nunc restat ad finem intendere, ejusque obitum, quia præsentes non fuimus; nec ad excubias ejus, et circa tumulum lacrymas pro floribus sparsimus; saltem longe post absentes precibus Domino commendemus: nosque quia dies [*l.* diem] sepulturæ ejus nescivimus; vel diem anniversarium, dum vita nobis manet, commemoremur. Quæ profecto dies, futuræ quietis est nostra in mente repræsentatio, in qua vivit qui mortuus putatur; ejusque memoriæ commendatio declarat, quod melior est dies mortis, quando perpetuam ingressus est vitam, quam dies nativitatis ejus, quando ut vivere cœpit, mox morti obnoxius fuit.

PASCHASIUS.

Bene nos hortaris, frater, qui ejus obitum sic adoriri jubes et retexere, ut nostrum doceas non lugendum: quoniam sicut per unius peccatum mors in omnes homines pertransiit, ita et per unum resurrectio præstatur, apud quem omnes qui pie moriuntur, beate vivunt. Et ideo quia auctorem non refugimus generis, auctorem non valemus effugere mortis: et si eum non effugimus, nec vitare possumus quod commune omnibus est; indecens est ut desperemus de vita, quæ in Christo est, quoniam ipse unus auctor vitæ et resurrectionis est.

[a] Bobiense scilicet, cujus monasterii catalogus abbatum exstat imperfectus apud Ughellum in Italiæ sacræ tomos, omisso Wala, qui non solido anno loco præfuit; et Ebone Rhemorum archiepiscopo, cui hæc abbatia commissa est, testante Frodoardo in Historiæ Rhemensis lib. II, cap. 20.

[b] Brunechildis scilicet, Francorum reginæ, ut patet ex Actis S. Columbani.

[c] Totus hic locus valde intricatus et obscurus est, qui prima fronte Columbano tribuendus videtur: tametsi attentius rem expendenti perspicuum fit, ab hoc loco, aut certe a sequente periodo, sermonem esse de Wala, non de Columbano.

Introdusă în format electronic de Google

Ac per hoc sicut per unum mors, ita credendum verissime, quod et per unum Jesum Christum vita; et non qualiscunque vita, sed beata et sempiterna vita. Idcirco, dilectissimi, dies obitus Patris nostri potius dies vitæ est quam mortis, quando sempiternam hanc per mortem intravit vitam. Hinc nos magis consolari decet quam plangere, quia mors ista usus omnium est : nec debemus durum putare quidquid universorum est. Unde nec lugenda est, primum quia communis est et cunctis debetur; deinde quia nos ab omnibus sæculi ærumnis absolvit; postremo quia species somni est, dum ab istius mundi laboribus seu curis nos liberat, et quietem post miserias et dolores præsentis vitæ præstat. Et ideo nobis annua hæc dies jure vigorem tribuit fidei, spem dat perveniendi, et charitatem refundit amoris. Quem enim non soletur resurrectionis gratia? quem non sustollat spes, et non corroboret perveniendi fiducia? quem non accendat charitas, et quem non vivificet tantus amor interius, qui nonnisi de Spiritu sancto nascitur? Propter quod etsi varios accidentium casus et miseriarum labores hactenus deflevimus, restat nunc mentem illuc dirigere, diemque illam conspicere, in qua Deus vivit; intentionem nostram post eum refundere : quia melior est dies illa, quamvis una et singularis, in atriis Domini, super millia; ita ut non totis sensibus defigamur in Patrem, ne obrepat mœstitia rursus pro absentia. Sed ne exsules simus tantæ pietatis et gratiæ ab eo quem diligimus; mente cum eum commorari oportet, ubi tanta prædicantur gaudia, ad quæ nimirum invitatus venit, et ipse ad ea cum gaudio introivit.

THEOPHRASTUS.

Quid igitur est quod invitatum eum dicis? Nunquid non omnes invitati sunt, qui regenerationem per fidem susceperunt baptismi? Omnes quidem ad eamdem immortalitatem sunt vocati, et ideo absurdum est hunc quasi mortuum deplorare : quamvis etiam stultum sit id specialius deflere, quod scias omnibus præscriptum esse, quia hoc est animum super conditionem extollere, legem mortis communem non recipere, naturæ consortium recusare, mensuram carnis nescire. Si autem iste, ut ais, ad hanc invitatus venit, ut volens eam susciperet, causam exponis justi debitoris, qui quod debet, sponte occurrit, paratus reddere quod debet.

CAPUT XXIII.

PASCHASIUS.

Nequaquam igitur sine causa invitatum eum venisse dixi : quia quodam sancto narrante audivi episcopo, antequam dies obitus ejus appropinquasset, non solum semel, verum et secundo per visum vocatum fuisse et invitatum, quasi legationem suam expleturus ante conspectum æterni Regis, et pro laboribus gratiam accepturus : ita ut Arsenius noster ei diceret, etiam antequam febrem [a] incurreret mortis, quod paulo post hinc iturus per mortem esset. Et, ut ipse præfatus intelligere potuit episcopus, alacrior in spe deinceps vixit, et securior in febre non diu laboravit : qua correptus sollicitior pro Augusto imperatore, apud quem tunc agebat, quam pro se erat : ne forte quod nuper patri promiserat, omitteret occasione accepta : quia ipse febribus vexabatur. In quo patet quia invictus permansit in fide, et in charitate devotus, spe consolatus suæ vocationis. Quo profecto triplici funiculo religatus ad Christum, securus animam cœlo reddidit [b] : cujus corpusculum in basilica qua beatus Columbanus requiescit, ad latus terra suscepit. Nec igitur ab re factum crediderim, ut pariter una domus ambiret, unaque vicinitas sepulturæ commendaret, quos una religio tenuit, æqua pene tentatio a suis quasi peregrinos expulit sedibus, et Italiam fugavit. Fuerunt enim reginæ non dispari nequitia, quæ hoc fecerunt duæ, non uno in tempore, sed sub uno impietatis scelere conjunctæ et consociatæ : quæ pro consimili zelo non ferentes sanctos viros earum consimilem reprehendere nequitiam nefandam satis, neque in aliquo contraire; idcirco coegerunt dolo et fraudibus eos insidiando, ut relictis in quibus præerant propriis cœnobiis, Auxoniam peterent. Qua [c] demum quorum una fuit conversatio, etsi parum dispar causa; una religio, unaque fuga insidiarum duarum mulierum; una esset quies laboris et sepultura funeris. Ille siquidem ut sanctus confessor Christi virtutibus approbatus; iste ut ejus pedisequus meritis fulciretur, commendaretur præconiis, et auxiliaretur precibus. Nec igitur absque providentia Dei factum credo, qui pro fide, pro zelo Dei, pro religione, pro æquitate judicii atque intentione virtutum se discrimini obvios obtulerunt, quod uno in loco finem perceperunt laboris. Et ideo dubitare non licet, quod Pater egregius cum sancto confessore Dei togatus requiescat in æterna requie, qui pari exemplo exsul pulsus est de cœnobio suo, dejectus a patria et ab officio regiminis : ut quorum fuit una tentatio, una eos refoveat consolatio quietis in æterna pro qualitate meritorum, et exornet alterna proportio justitiæ in cœlo.

Unde oportet pro tanta spe nos ad invicem consolari potius, quam dolere : quia mœstitiam tanti luctus non solum fiducia beatitudinis ejus lenivit; verum tempus oblitteravit, et ratio devicit, necnon et prudentia jam olim mitigavit. Etsi planximus jure, dum varias ejus deflevimus impulsiones, et tentationes multiplices dinumeravimus, casus quoque exposuimus; decet nos deinceps jam congratulari illi,

[a] Luem vocat auctor Vitæ Ludovici Pii, ut significaret eam in plurimos sæviisse. Sane febrem appellat agens de Wala et Lothario, quem febris ista *lectulo dejiciens, multo tempore languere fecit.* De Lothario Paschasius idipsum attestatur paulo infra.

[b] Walam anno 835 obiisse tradit sæpe laudatus auctor Vitæ Ludovici Pii, cujus auctoris verba retuli superius in Observationibus prævis, ubi de die obitus ejusdem Walæ actum est.

[c] Id est in Auxonia, seu in Italia, ubi uno in loco ambo conversati sunt, etsi pro dispari causa.

Introdusă în format electronic de Google

et gaudio refoveri pro luctu, lætitia bonæ spei recreari pro mœrore, et exsultatione intus indui pro tristitia; eo quod pro certo scimus, quia Pater egregius corpori supervivit. Qui licet absens fuerit a nobis, quando obiit, præsens tamen est : quia in eo qui ubique est, beate vivit. Nam depositis proprii sensus anima ejus repagulis expedita, jam libero cernit obtutu, quæ ante sita in corpore videre non poterat. Si enim dormiendo anima ad altiora se subrigit, velut sepulta in corpore, et renuntiat nonnunquam corpori rerum absentium vel etiam cœlestium visiones; quanto magis cum absoluta est ærumnis sæculi, et tota vivit in Domino, qui ubique vivit, et ubique omnia complet et regit? Non enim alicubi longe peregrinatus est Pater noster, nisi ad eum, cui et in quo vixit, qui ubique in se est, et ubique vivit. Ad hoc quippe quotidie moriebatur cum Apostolo, ut perfectius viveret Deo : quia, ut philosophi dicunt, sapientis viri vita, meditatio mortis est. Meditabatur autem pervenire ad id quod perfectum est, quando revelata facie, non ex parte, neque in ænigmate vel in umbra, sed in veritate, prout est, speculanti appareret æterna visio manifesta, quod impræsentiarum esse non poterat, quia, juxta Apostolum, impræsentiarum ex parte scimus, et ex parte prophetamus. Cum autem pervenerit in nobis quod in ea vita perfectum est, evacuabitur quod ex parte; et erit tunc perfectum, quod nunc ex parte est (*I Cor.* XIII, 9). Nam nemo festinaret ad finem fide confisus in Domino, nisi vitæ istius fugeret incommoditates, pro quibus David plangit dicens ad Deum : *Ecce dies meos veteres posuisti coram te, et substantiam meam tanquam nihilum ante te; verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens* (*Psal.* XXXVIII, 6). Et ideo iste, fratres, postquam cognovit, postquam didicit, nunquam moratus est fugere voluntatem suam, neque voluit in sæculo vane conturbari, neque sperare in incerto divitiarum : sed speravit in Deo vivo, ad quem pervenit; et ideo dum mortem gustavit corporis, vitam invenit, quia non primam animæ incurrit mortem. Triplici namque modo mors dicitur : uno cum morimur peccato et vivimus Deo; alio cum peccamus ad mortem, de qua dicitur : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4); tertio est vitæ hujus excessus, qua mortuus est etiam Christus; et omnis quicunque vitam gustaverit istam, morietur, ne ultra peccare possit. Unde una spiritalis vocatur, altera naturalis, tertia quoque pœnalis. Sed quæ naturalis jam vocatur, quamvis quibusdam pœnalis videatur, non eam pro pœna Dominus dedit, ut ipsi volunt qui de bono mortis scripserunt libros, sed pro remedio datam dicunt, quoniam Adæ aliud præscriptum est ad pœnam, et aliud ad remedium. Nam pro pœna cum dicitur : *Quia audisti vocem uxoris tuæ plusquam me, et manducasti de quo præceperam ne manducares, maledicta terra in opere tuo*, seu cætera, *donec revertaris in terram, de qua sumptus es* (*Gen.* III, 17). Ecce pœnarum genera, cum maledicitur, et in operibus ejus spinæ et tribuli germinantur : quæ spinæ et tribuli verbum suffocant vitæ; curas quoque ac sollicitudines generant, quibus necatur et excluditur cibus qui de cœlo venit : quo vivit omnis homo, qui Deo vivit; et includitur mors, qua anima pœnaliter vivat. Unde a pio Domino mors ista pro remedio data est, quasi finis malorum. Hinc quoque Adæ non dicitur : Quia audisti vocem uxoris tuæ, reverteris in terram; hæc enim si dixisset, esset pœnalis sententia, quemadmodum est illa : *Maledicta terra in opere tuo*, et cætera. Habes igitur mortem animæ, peccatum; habes et pœnam, quæ vera mors jure vocatur; habes et mortem, quæ magis pœnarum nostrarum finis est et remedium, qua cursus hujus vitæ ad horam præciditur. Hinc ergo mors ista, qua mortuus est Abraham, mortuus est et Pater noster, qua morimur omnes, non solum malum non est, verum etiam bonum est. Et ideo etiam beatus Ambrosius de Bono mortis edidit librum satis pernecessarium. Quapropter si planximus in obitu tanti Patris, varios rerum mœrores et ejus labores plurimos, gaudeamus cum eo, quia ei vivere Christus fuit et mori lucrum. Commoriamur autem cum eo, ut vivamus in Christo cum eo; discamus quotidianis usibus mori sæculo, ut segregemur a carne, et tanquam in cœlo meditatione vivamus. Suscipiamus interdum imaginem mortis, ne pœna nos invadat mortis : ut per bonum mortis ad vitam possimus pertingere sempiternam, in qua mors jam ultra non erit, neque luctus. Moriamur autem morte justorum, ut cum illis vivamus; moriamur et morte tanti Patris, quia ipse, ut credimus, jam beate vivit, ut cum eo et nos vivere valeamus : quod ipse semper oravit, et docuit. Offeramus in nobis vota ejusdem Patris, quia ipse nos Deo vovit et obtulit, ac si hostiam, maxime fratres nostros, oblationem novam in sacrificium, quos Domino dedicavit. At non solum quos ipse instituit et collegit, sed et eos quicunque futuri sunt ibidem ad eamdem institutionem, quam ipse Domino dedicavit : qui non solum sibi vixit et Deo, verum omnibus nobis vixit ad exemplum et doctrinam, ut nos doceret vivere Deo. Et ideo ejus vivere nobis profuit, cui cum Apostolo mori lucrum fuit. Hinc supplices exoremus, ut Christus qui Deo Patri sanctorum offert vota, ipse in nobis pro ejus augmento meritorum sua conferat dona, quæ largius ad cumulum mercedis ejus offerantur Deo Patri pro eo, ut simul nostra atque ejus in nobis oblatio per Christum accepta sit in sacrificium sempiternum : quatenus quorum in sacramento sacræ confessionis una fuit professio, una sit et æternæ remunerationis participatio in gaudio.

CAPUT XXIV.

Quod autem ad æternæ vitæ gaudia angelicis sit ipse deportatus manibus, venerabili referente Ermengardi regina omnino cognovimus. Quæ quam sæpe piæ recordationis affectu aiebat [a], in exitu

[a] His verbis satis innuit auctor hunc librum scriptum esse post mortem Ermengardis reginæ seu

Introdusă în format electronic de Google

tanti viri, et in hora obitus ejus misisse se per diversa Italiæ loca, ut singuli beati viri animam precibus Domino commendarent. Inter quæ, quod miserit etiam ad monasterium suum valde egregium, quod est infra mœnia Brixæ [a] civitatis Domino dedicatum, distans a Ticino ferme quadraginta millibus, in quo sanctimonialium multitudo Domino famulatur, similiter eis præcipiens obnixius et obsecrans, ut beatam animam viri Dei Christo Deo precibus commendarent. Ad quod municipium missi cum pervenissent directi, invenerunt easdem Christi famulas de obitu præfati viri jam pertractantes, atque horam et tempus exitus ejus præscias, loquentes ad invicem. Tuncque relectis sacris litteris quas regina miserat, invenerunt omnia de eo, ut illis ab angelis declaratum fuerat. Nam exstiterant inter eas duæ sacratissimæ virgines, quæ hæc omnia illis, ut prædixerant, testabantur, eo quod audissent choros angelicos, in cœlum, quasi per eumdem locum, animam beati viri deferentes. Ad cujus exsequias inter cætera hymnum *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, alternis vocibus more ecclesiastico decantabant, et symphonizando beati viri exsequias pio Domino commendabant. Quas cum duæ tantum longe diu laudes intenderent, demum convocarunt reliquas omnes, ut et ipsæ easdem audirent : sed nemini earum admodum concessum est, ni illis duabus solummodo, ut testes existerent veritatis. Quibus, ut dixi, ita loquentibus, relectis sacris litteris quas præfati detulerant veredarii, invenerunt hora et die eadem eum obisse in qua ipsum angeli detulerant cum laudibus. Unde constat verum esse quod Scriptura testatur : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* (*Jac.* 1, 12). Et ut hæc ita esse manifesta fierent, verissimo relatu ab omnibus mandatum est reginæ, quod duæ tantummodo hæc talia et ineffabilia alia audissent.

Sed forte ad hæc sycophanta quilibet incredulus dicturus est, virum tantis expositum tentationibus, et jactatum pressuris, talia non promeruisse, præsertim cum ipse judex Christus, qui exposuit et probavit, probatum autem, ut credimus, remuneravit, sicut promisit in Evangelio dicens : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui* (*Matth.* xxv, 21) : fac ergo falsa esse quæ dico, cum sint vera.... quæ de eo retro narrantur. Idcirco propriis justisque... est a Deo, æternæ vitæ præmia percepisse... pro eo ex Evangelio dicentem (*Matth.* xx, 23) : Amice, non facio tibi injuriam... gratis dono. Nonne et tu convenisti mecum ex denario vitæ æternæ? Annon licet mihi facere quod volo? quoniam non nisi gratis alicui aliquid rependo mercedis, quia ego bonus sum. An oculus tuus nequam est, quod gratis impendo... nulli nisi quia... ex opere Deo. Unde, quæso, gratis agamus Deo, fratres, qui huic ista concessit, et nobis se promisit, talia ei præstitisse...[b]..

imperatricis, conjugis Lotharii Augusti, quæ anno 851 decessit.

[a] Sic veteres, ut Riculfus Suessionensis episcopus in Constitutionis cap. 19, ex Gregorio Magno. Nos Brixiam dicimus. Brixiæ monasterium sancti Salvatoris et sanctæ Juliæ celebre jam tum erat, ab Ansa, Desiderii Langobardorum regis uxore, ædificatum : quod Hermingardæ uxori suæ, et post ipsius mortem Gislæ filiæ commendatum esse voluit Lotharius Augustus, dato diplomate quod exstat in Bullarii Casinensis tomo II, pag. 24; et pag. 33 habetur aliud Ludovici II imperatoris pro anniversario ejusdem Gislæ sororis suæ, ejusdem loci abbatissæ. In eodem monasterio Engilberga, ipsius Ludovici conjux, mortuo viro suo sanctimonialis effecta est.

[b] Paucula hæc, quæ punctulis notata omisi, omnino corrosa exciderunt, nec sane magni sunt momenti. In fine hic unus tantum versus deest, in quo desinit WALÆ EPITAPHIUM. Sic enim Paschasius Radbertus superiores de Walæ gestis libros duos, ut initio prænonui, inscripsit, cum ad modum quo Ursus S. R. E. subdiaconus, ejus temporis auctor, Basilii Magni EPITAPHIUM appellat orationem funebrem quam de eo scripsit Gregorius Nazianzenus. Locus habetur in Ursi præfatione ad Vitam Basilii Amphilochio ascriptam, his verbis : *Sane notandum est quia cum quidam legunt in his actibus quæ sanctus Amphilochius scripsit, discrepasse autumant ab his quæ sanctus Gregorius Nazianzenus in* EPHITAPHIO *hujus magni viri commemorat*. Quem locum ita commentatur Rosweidus : « Basilii EPITAPHIUM, seu oratio funebris, a Gregorio Nazianzeno conscripta, habetur tomo I Operum Gregorii Nazianzeni, oratione 20. Idem quoque Epitaphium seu carmen funebre de eodem composuit », etc. Sic Walæ EPITAPHIUM Radbertus vocat suum ipsius de Wala laudatorium opus, quod statim ab ejus morte, orationis funebris vice, aggressus est.

INDEX

RERUM ET VERBORUM NOTABILIUM

EXPOSITIONIS IN MATTH., IN PSAL. XLIV ET IN THRENOS.

(Revocatur Lector ad numeros crassiori characlere in textu expressos.)

A

Abbreviati dies qui dicantur, et qualiter, 993.

Abel in figura Christi occisus, 820.
Abiu quid sonat, 79.
Abominatio desolationis, quid, 989.

Abraham quid significat, 65, 66, 67.
Abraham cur in principio genealogiæ Christi ponitur, 25. Abraham cur de

Introdusă în format electronic de Google

terra sua et de cognatione fuit a Deo separatus, 64, 65.
Achaz quid significat, 78.
Acus foramen, quid, 808 *et seqq.*
Adam in tribus vitiis tentatus, 211.
Adoptio filiorum Dei, 325.
Adventus Christi duplex, 979, 991, 995
Adversarius, cui in via consentire jubemur, quis sit, 270. Adversarius noster quomodo nobiscum graditur in via, 272.
Æternitas vera, quid, 1264.
Æternum an aliquid est, quod tamen circumscriptum quibusdam teneatur lineis, 362.
Agnus habens cornua septem quid in Apocalypsi designat, 13.
Agrum suum quisque excolere debet, 1019 et 1020.
Ain littera quid significat, 1547, 1455, 1416.
Alæ Christi quæ, 968.
Aleph quid significat, 1409.
Alma quid significat apud Hebræos, 198, 199.
Alphæus quid significat, 478.
Altaria, sancti, 1379.
Altilia unde dicta, et quid designant, 907 *et seqq.*
Amasias, quid significat, 77. Amasias rex, deos filiorum Seir adoravit, 52.
Aminadab quid significat, 73.
Andreas quid significat, 225, 475.
Angelus Domini cur in somnis Josepho apparuit, et non in alia revelatione, 100 *et seqq.*
Angeli in ministerio hominum positi, maxime prædestinatorum, 738. Orationes nostras offerunt Deo, 738, 739. Angeli alii assistentes, alii administratorii, 738, 741. Angeli in auxilio Ecclesiæ deputati, 772.
Angulo (in) quinam orare dicuntur, 310.
Anima quot modis dicitur, 511. Anima quando sordes habere dicitur in pedibus, 1334, et quando pretiosa quæque pro cibo dare, 1336. Anima qualiter cibo egere dicitur, 353, 354. Anima quando captiva dicitur, 1513. Anima nonnunquam pro vita temporali in Scripturis posita, 147. Anima muta et surda quæ, 457. Anima ad molam pro ita, qualiter eam vertere dicatur, 1020. Anima qualiter plorans plorat in nocte, 1317. Anima quando suos omnes magnificos ablatos plangere dicitur, tropologice, 1345, 1346. Anima qualiter ab oculo deprædatur, 1457.
Antemurale, quid, 1382, et qualiter lugere dicatur, 1382, 1385.
Antichristi qui dicantur, 977.
Antipater procurator Palæstinæ provinciæ, 118 et 119.
Apostoli cur sic dicti, et unde, 480, 512. Apostoli sal terræ dicti, cur, 255, 256, 257; item lux mundi, 258, 259. Apostoli, duodecim fundamenta civitatis, 471; duodecim boves æneum mare sustinentes; duodecim tribus filiorum Israël; duodecim fontes in Eelim, 472; leones duodecim thronum ferentes Salomonis; duodecim lapides altaris; duodecim horæ diei, 480. Apostolorum numerus multis figuris præsignatus, 471, 472.
Aqua, quid designat in baptismate, 178. Aquas propria pecunia bibere, quid, 1533.
Aquilæ, discipuli Christi, 998, 999.
Aram, quid significat, 75.
Aram extendere, quid, 1372.
Arbor, voluntas hominis, 375, *et seq.*
Arborum malorum fructus quinam, 374; per arbores animorum status significatus in Scripturis, 166.
Arca Noë, Ecclesiæ figura, 908.
Arca præsentis Dei Ecclesiæ typus, 173, 174.
Archelaus Judæorum rex, 150. Lugdunum exsilio deportatus, *ibid.*
Arcus extensus quid significat, 1426.
Arianorum hæresis, 533, 801, 827.
Aridítas manuum nostrarum qualiter a Deo curatur, 543, 544.
Asina et pullus ejus ad Christum adducti, figura Judæorum et gentium, 853, 854 *et seqq.* Asinæ nomine gentilitas designata, 732.
Asinus, gentilium figura, 536.
Asir quid significat, 57.
Auditus in Moyse a Domino dedicatus, 827.
Aurum à Magis Christo oblatum, quid designat, 133, 136. Aurum obscuratum, quid, 1478. Aurum sanctum quodnam, 951.
Azarias filius Joiadæ, lapidatus, 963, 966.
Azur quid significat, 79.
Azymorum dies prima quæ, 1087.

B

Baal idolum ubi erat, 504.
Bacchiontæ vel Baccroperitæ, 490.
Baptisma quid significat, et unde sic dicitur, 810. Baptisma cur in aqua et Spiritu sancto constitutum, 178.
Barachias quid significat, 962
Bariona, quid significat, 670, 671.
Barrabas quid significat, 1151, 1152, 1155.
Bartholomeus quid significat, 476.
Bartimæus, cæcus à Christo illuminatus, 847, 848.
Βαρὶς, genus domus in Palæstina, quale, 1279.
Bel, Beelzebub, et Beelphegor, 502.
Benedictio in cœlestibus quid, 1263, 1264 *et seqq.*
Bersabea cur suo nomine non exprimitur in genealogia Christi, sed uxor Uriæ solum dicitur, 44. Bersabea quid significat, 44, 45, 46. Bersabea, Ecclesiæ figura, 48 *et seq.*
Beth, quid significat, 1314, 1419
Bethania, quid significat, 852, 1074, 1078.
Bethlehem quid significat, 121.
Bethlehem Judæ, quæ, 120, 121, 130.
Bethlehem totius Ecclesiæ typus, 121, 131, 132..
Blasphemia spiritus, quale delictum, 558, 559, 560.
Bona sæculi quæ, 369. Bona æterna et spiritalia semper quærere ac petere debemus, 369.
Booz, quid significat, 40, 74, 75.
Booz, figuram Christi tenuit, 41.
Bos. Per bovem Judæi designati, 536.

C

Cæcus juxta Jerico a Christo illuminatus, figura totius humani generis, 848.
Cæsarea nunc Paneas vocata, 547.
Calamus scribæ, quis, 1260, 1261, *et seqq.*
Calceamenta ferre prohibiti apostoli, quare, 487, 489.
Calceamenta quid mystice designant, 170, 171. Calceamentorum corrigiam solvere quid denotat, 171 *et seqq.*
Calculus candidus, mediator Dei et hominum Christus, 522, 523.
Calicis et paropsidis mundatio quid figurate designat, 951, 953 *et seqq.*
Calices duo porrecti discipulis a Christo, 1629. Calices duo a Christo accepti in cœna, quid designent, 1096, 1097.
Calvariæ locus unde dictus, 1161.
Canes quinam dicuntur, 565.
Canticum amantissimi quid, 1243.
Caph littera, quid significat, 1357, 1363, 1414.
Capharnaum quid significat, 465. Capharnaum ubi sita, 528.
Capilli nostri qualiter numerati Deo, 506.
Charitas per Jacob significata, 67, 68, 69, 409. Charitas quamvis lata dicatur, angusta tamen est, qualiter, 571. Charitas per oleum significata, 1031. Spiritus sanctus, 1032. Charitas per aurum designata, 1284. Charitas cur major appellatur, 68, 69. Charitas Dei diffusa, 1095.
Caro sæpe pro uxore in Scripturis, 762, 765. Caro Christi. *Vide* Corpus Christi et Christi caro, infra.
Casia quid, et ejus proprietas, 1276.
Centesimus numerus ad virgines seu martyres relatus, quare, 584.
Centurio, figura gentilitatis, 406.
Chananææ fides quanta, 646 *et seq.* 647, 648, 649 *et seq.*
Chobar quid significat, 179.
Christiano bono nihil est felicius, 1613. Christiani unde nomen acceperunt, 1300.
Christus cur de Juda nasci voluit, prætermissis tribus ejus fratribus, 72. Christus cur de desponsata nasci maluit, quam de simplice virgine, 93, 94 *et seqq.* Christus cur eo tempore natus, quo firma pax in omni terrarum orbe existebat, 116, 117, 118. Christus cur à Joanne baptizari voluit in aqua Jordanis, 175 *et seqq.* 176, 177. Christus cur in montem ascendit, ut doceret turbas, 234 *et seqq.* Christus in tribus vitiis tentatus a diabolo, 211, 212, et cur in montem ab eo assumptus, 213. Christus cur in Galilæam secessit, cum audisset Joannem traditum in carcerem, 218, 219 *et seqq.* Christus gallinæ comparatus, 969 *et seqq.* Christus unctus oleo præ participibus suis, qualiter, 1274, 1275 *et seqq.* Christus cur filius David et Abraham dicitur, 20 *et seqq.* 21, 22 Christos, homo, Deo, vitulus, aquila, 389, 390 *et seqq.* Christus cur præ filiis hominum speciosus dictus, 1252, 1253, plenus gratia Spiritus sancti præ participibus suis, 1255. Christus semel moriens, ultra non moritur, 1578. Christus cur Emmanuel vocatus, 110, 111. Christus in altari visus à Presbytero religioso, 1593. Christus cur servus appellatus, 546; item puer. Christus qualiter super solium David sedisse dicitur, 19 *et seqq.* Christus cur Nazaræus appellari voluit, 151. Christus legem implevit in duabus præcipuis causis, 261, 262. Christus in Jona figuratus, 662, 663. Christus cur quadragesima secunda generatione natus, 64. Christus qualiter de spiritu sancto natus intelligi debet, 102 *et seq.* Christus sol fulgens, et luna perfecta, 23.
Christi generatio cur per Joseph et non per Mariam deducta, 59 *et seqq.* Christi bonitate et intercessione fit, quod non e vestigio in corpus Domini injuriæ puniuntur, 1577.
Christo qualiter diabolus omnia regna mundi ostendit, et quare, 213. In Christo omnis plenitudo corporaliter, 1601.
Cibus, eloquia præceptorum, 533.
Cilicium quodnam designat, 157.
Civitas supra montem posita, quæ, 259.
Clamor quot modis ad aures Dei pervenire dicitur, 113, 144.

Introdusă în format electronic de Google

Claves regni cœlorum, quæ, 674.

Cœlum et terra qualiter in fine seculi transibunt, 1012, 1013 *et seqq.* 1016.

Cogitationes ex propria nascuntur voluntate, 645.

Cognosce re, quot modis in Scripturis accipitur, 112, 113.

Columbæ simplicitas, 495, 496, 497. Columbæ corpus, in cujus specie Christus apparuit, quale fuit, 180 *et seqq.* Columbas vendere, quid mystice, 866, 867. Columbarum privilegia quæ, 181.

ommune quid dicatur, 638.

Communicare, pro, coinquinare unde, 638.

Commutatio animæ, quid, 687, 688 *et seqq.*

Concubinæ David quid designant, 1532.

Concupiscentia, omnium malorum radix, 217. Concupiscentia, laqueus, 581. Concupiscentia per Ruben denotata, 72.

Confessio quot modis in Scriptura dicitur, 507. Confessio vera fidei per foramen acus designata, 806 Confessio fidei per Judam figurata, 71 *et seqq.* Confessio peccatorum ad veram pœnitentiam necessaria, 158. Confessione omnes indigent, 161.

Continentiæ virtus, quando perfecta, 793.

Convivium Domino quinam recte parare dicuntur, 434, 435.

Coph littera quid significat, 1351, 1352, 1363, 1465, 1466.

Core quid significat, 1236. Core filii qui dicantur, 1256. Core, Christus, 1257.

Cornua Ecclesiæ quando confringi dicantur, 1570.

Corona capitis nostri quando ruere dicatur, 1545

Corpora cur impræsentiarum cruciantur, 536.

Costa Adæ in mulierem ædificata, Ecclesiæ typus, 784, 785 *et seq.*

Croceis vestiri, quid est, 1494, 1495.

Crux per litteram Tau significata, 1358, *et seq.*, Crux quot modis tollitur, 510, *et seq.* 511. In crucis honore dedicata loca, in quibus olim condebantur ossa mortuorum, quare, 1267.

Crucem tollere, quid, 685, 686. Crucem in angariam portare qui dicuntur, 292, 293.

Cubiculum quid figurate, 311.

Cubile cordis ingredi debent oraturi, 311, 312, 313.

Cutis ossibus adhærens quid significat, 1500.

D

Dæmonum sævitia erga humanum genus, 422.

David quid significat, 44. David figura Christi, 44. David cur filius Jesse dicitur, 42, et cur Rex in genealogia Christi dicitur, 43 *et seq.*

Debita nostra, quæ dimitti nobis a Deo postulamus, qualia, 336, 337 *et seq.*

Debitores tribus obnoxii modis tenemur, 337.

Decimarum oblatio, 951, 952 *et seqq.*

Decor omnis quando ex Sion egreditur, 1325.

Decuriones qui dicebantur, 1193.

Dejicere Dei, quid, 1507, 1508.

Dentium officia varia, et quid significent, 1355, 1356.

Desertum quid in Scriptura significat, 196. Per desertum quinam designantur, 137, 1317.

Deus ubique est, 320, et qualiter, *ibid.* Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, cur dicitur, 70, 71.

Dextera, pro virtutum operibus, 308.

Diaboli nomen omnes execrantur, 552.

Didragma quid, et unde dicitur, 721.

Didymus quid significat, 477.

Dies abbreviati qui, 993, mali, *ibid.*

Digitus Dei quis, 553. Digitus, Spiritus sancti gratia, 543.

Dilectio proximi commendatur, 370.

Dilectus quis, et quot modis quæritur, 1440.

Divites non facile intrant in regnum cœlorum, 806, 807 *et seqq.*

Divitiæ blandæ, et fallaces, 582.

Dolor super dolorem, quid, 1546.

Domim qui locus, et quid significat, 198.

Domus nostra quæ, 430. Domus nostra, anima et corpus, 1021. Domus septem columnis firmata, typus Ecclesiæ, 13. Domus Simonis Leprosi, typus Ecclesiæ, 1078. Domum ædificare supra petram, quid, 381. Domus eburneæ quæ, 1279.

Donec, quid in Scripturis significat, 113, 114.

Δόξα, quid significat, 813.

Δουλεία quid, 215.

E

Ecclesia, Christi sponsa, 906 *et seqq.* Ecclesia, virgo, 1233, 1234. Ecclesia per mulierem sanguinis fluxum patientem designata, 447, 449, 453. Ecclesia qualiter plorans plorare dicitur, 1315. Eccles a cur pulchra ut luna, electa ut sol prædicatur, 196. Ecclesia quando in terram dejici dicatur, 1368. Ecclesia Dei supra petram fundata qualiter debet intelligi, 671, 672, 673. Ecclesia super omnes apostolos ædificata, 672.

Edom quid significat, 1523.

Eleazar quid significat, 81.

Electi cur a Christo benedicti Patris sui vocentur, 1059.

Eleemosyna absconsa quando recte fit, 308.

Elephas magnæ castitatis inter alia quadrupedia, 1279.

Eliachim quid significat, 79. Eliachim rex, qui et Joachim, 54, 55, in Babylonem perductus, 55.

Elias et Moyses cur cum Christo in monte apparuerunt, 700, 701.

Eliud quid sonat, 81.

Emmanuel quid significat, 110, 111.

Ephesinæ synodo ut Evangelio credendum, 1632.

Ephrata, quid significat, 131.

Esca, doctrina spiritalis, 333.

Ethnici quinam, et cur prolixius orabant, 313, 314.

Evangelistæ quatuor electi, quare, et quo ordine, 781 *et seqq.* Evangelium, quid, 10. Evangelium quot modis principaliter dicitur, 10, 11. Evangelium Matthæi, cur Liber generationis Christi inscriptum est, 10, 11 *et seqq.*

Evangelii prædicatio grano sinapis comparata, 591, 603.

Eucharistiæ usus, 1579, vide Corpus Christi supra, et infra Sacramentum.

Eulogiæ, quæ, 1261.

Eunomii hæresis, 534.

Eunuchorum tria genera, 793, 794 *et seqq.*

Expulsio quot modis accipitur, 254.

Exterminare quid est, 345.

Ezechias cur fletu magno flevit, 53.

F

Farinæ mensuræ tres, quid mystice designant, 595 *et seqq.*

Fasciarum usus varius, et quid significant, 1296, 1297.

Faustus Manichæus mentis oculos perdidit, ut principium Evangelii B. Matthæi attigit. Fausti errores circa generationem Christi, 85, 86, 87 *et seqq.*

Feliciana hæresis, 801, 837, 1013, 1040.

Femur, opera nuptiarum, 1266.

Fenum super discumbere et convivari quid significat, 619.

Fermentum conspersum et absconsum, regni cœlestis typus, 593, 594.

Ficus arefacta quid designat, 870, 871 *et seqq.* 874.

Fides per Abraham designata, 65, 66, 67. Fides, quibus oculis in altero videatur, 426. Fides ut efficax sit, quid requiritur, 420. Fides grano sinapis comparata, 592, 717, 718. Fides, initiatrix ac radix omnium virtutum, 450. Fides centurionis quanta, 405, 406 et ejus fructus. Fides Christianorum qualis esse debet, 876. Fides Ecclesiæ in Petri fide designata, 650, 651. Fides gentium in filia Chananææ præparata, 651. Fide ad Christum venitur, 427.

Filius æqualis Patri, 550, 551 *et seqq.* Filius hominis qualiter in nubibus cœli videbitur, et a quibus, in fine seculi, 1003, 1004, 1005 *et seqq.*

Fimbria vestimenti quid designat, 449, 1296.

Fons signatus, uterus Virginis, 96.

Fortunatiani et Victorini opuscula in Matthæum, 5.

Frater in nos peccans, qualiter corripiendus, 746, 747, 748.

Fullones, qui dicantur, 693.

G

Galileæ duæ, et quænam illæ, 220.

Gallina, Christi typus, 968, 969 *et seqq.*

Gaudium magnum, quod, 134, 135.

Gehenna, quis locus, et unde sic dictus, 504. Gehenna duplex, 505. Gehennæ filii, alii simpliciter, alii dupliciter pro gravitate criminum, 948 *et seqq.*

Genæ Ecclesiæ ut turturis, 1516.

Genealogiam Christi ad Evangelium pertinere probat Radbertus, contra eos qui negant, 8, 9 *et seqq.*

Generationes duæ in Scripturis, bonorum scilicet et malorum, 964.

Genesareth quid significat, et unde dicitur, 632.

Genesarenorum fides quanta, 633.

Genesis, seu Generationis Liber, 17, 18.

Gethsemani quid significat, 1108.

Gimel quid significat 1318, 1421.

Gladius Dei quot et quibus adumbratur significationibus, 1502. Gladius, quem venit Jesus in terram mittere, quis intelligi debet, 1266. Gladius ex utraque parte acutus, verbum Dei, 508. Gladius, quo Petrus usus est, quid designat, 1127, 1128 *et seqq.*

Gladius solitudinis quis, 1558.

Gloria omnis Ecclesiæ, vel animæ, intrinsecus, 1295.

Golgotha quid, 1161.

Guntlandus monachus sancti Richarii, 1.

Gustus in Abraham gratissimus Deo, 823.

H

Habitus quid, 292.

Hædi a sinistris, reprobi, 1058, 1059.

Hæretici vulpibus comparati, 416.

He littera, quid significat, 1323, 1426.

Hebionitarum hæresis, 442.

Helenæ imago qualiter depicta fuit, 6.

Introdusă în format electronic de Google

Helias, vide Elias.
Helvidii error circa conjugium Josephi et Mariæ, 112.
Herodes rex, alienigena, 53. Herodes rex non ex Judæorum gente, sed ex alienigenis natus, 118, 119. Herodes cur pueros a bimatu occidi jussit, 141, 142 *et seqq*. Herodes libros omnes, quibus Judæorum genealogiæ texebatur, igne cremavit, quare, 128. Herodes tetrarcha quis, 610.
Herodiadis nuptiæ cum Herode a Joanne Baptista reprehensæ, cur, 611. in Herodiade Synagoga significata, 612.
Herodiani qui, 916, 917.
Herus insula, 1673.
Heth littera, quid significat, 1529, 1458.
Hierusalem quomodo prophetas occidisse dicatur, 967. Hierusalem terrena, figura cœlestis, 48, 49.
Hildemannus episcopus Bellovacensis, 1680.
Homo, Deus Pater in parabolis, 883, 904.
Honor tribus modis Deo redditur, 637. Honor in divinis litteris non tam in salutationibus et obsequiis, quam in eleemosynis et donis servatur, 635, 636.
Hortus conclusus, uterus Virginis, 96.
Hymnus post cœnam dictus, quis, 1102 et seq.
Hypocritæ qui dicuntur, 306.

I

Iairus quid significat, 446.
Idida quid significat, 1245.
Ignis æternus quis, 1064, 1065 *et seq*. Ignis inexstinguibilis quis, et cur dicitur, 174. Ignis purgatorii, 172. Igne baptizari quid est, 172.
Indulgentia pœnitentiæ, 366.
Infantes qui dicantur, 869.
Infirmitas et languor in quo differunt, 470.
Infirmitates multæ pro peccatis eveniunt. Inimicus homo superseminans zizania, quis, 586, 587.
Intentio mala tenebræ, 330.
Jod littera quid significat, 1503.
Ira quid, 266.
Isachar quid significat, 479.

J

Jacob, postea Israël dictus, quid designat, 67, 68.
Jacobus quid significat, 230, quid designat, 67, 68. Jacobus Alphæi, frater Domini dictus, quare, 478.
Jechonias quid significat, 55, 56. Jechonias prior, Josiæ filius, 55. Jechonias secundus, pater Salathiel, 55. Jechonias quos designat, 78.
Jecur (per) quinam recte intelligantur, 1389, 1390.
Jejunantes quo decore uti debent, 345, 346.
Jejunare non posse sponsi filios, qualiter intelligendum, 442. Jejunare Deo, sibi, et hominibus, in quo differunt, 347.
Joachaz filius Josiæ, in Ægyptum translatus, 54.
Joachim rex, qui et Jeconias, 55.
Joannes quid significat, 230. Joannes cur se vocem nominavit, 156. Joannes cur in aquilæ similitudine figuratur, 388.
Joannis Baptistæ victus et vestitus qualis, 156, 157. Joannis Baptistæ caput in disco, quid designat, 613, 614.
Joas filius Ochoziæ qualis fuerit, 51.
Jonathan quid significat, 78.
Job cur in sterquilinio sedisse perhibetur, 1313.
Jonas Christi typus, 563, 564, 566, 662.
Joram quid significat, 77. Joram qualis fuerit, et cur ejus memoria usque ad tertiam generationem de ordine nativitatis Christi sublata sit, 80.
Jordanis quid significat, 179. Jordanis typus humilitatis, 464. In Jordane fluvio cur baptismi mysterium celebratum, 176.
Josaphat, quid sonat, 77.
Joseph quid significat, 81. Joseph cur filius fuisse Jacob a Matthæo commemoratur, cum Lucas eum filium Heli fuisse dicat, 58 et seq. 59, 60. Joseph apostolorum typus, 148. Joseph cur in Judæam ire timuit, cum Archelaum in ea regnare audivit, 149, 150. Joseph cur sponsus a Virgine Maria assumptus, 94, 95. Joseph justus dictus, quare, 98.
Josias rex justissimus, 54 et ejus mors,
Jubilæus annus, 775.
Judas quid significat, 71.
Judæ cum Thamar commistio quid mystice designat, 34.
Judas Scarioth unde sic dictus, 479.
Judæa tributaria facta post Augustum Cæsarem, 721.
Jugum Verbi qualiter grave, 1141, et qualiter leve, 1122 Jugum Evangelii suave, 556, leve 557. Jugum iniquitatis animæ qualiter in manu Domini vigilet, 1344.
Juramentum an a Christo prohibitum et qualiter, 283, 284, 285.
Juramenta fugienda, et quæ præsertim, 613 Justitia quid, et quibus virtutibus integratur, 211, 212, 213. Justitia vera quæ, 216. Justitia Christianorum quæ, 265.
Justitiæ duo termini, initium et perfectio, 287.
Justitiam nostram facere quid est, 303, 304.

K

Καυσία quid, 360.

L

Lacinias tenere quid, 1507, 1508, 1509.
Lacrymarum genera varia in Scripturis, 1309 *et seq*. Lacrymarum vallis quæ, 1309.
Lamazabachthani quid significat, 1176.
Lamech littera quid sigoificat, 1537, 1363, 1446.
Lamentationes lamentationum, 1507. Lamentationes variæ in Scripturis, 1510 et seq.
Lamia quid, et unde dicitur, 1486, 1487.
Lampades unde dicuntur, et quid designant, 1034.
Languor et infirmitas in quo differunt. 231, 479.
Lapis positus in fundamentum, Christus, 896, 897.
Lapides, Gentiles dicti, cur, 164, 165. Lapides sanctuarii in capite omnium platearum dispersi, quid sunt, 1479, 1480 *et seq*. 1481. De Lapidibus filios Abrahæ suscitare, quid, 163, 164, 165.
Latitudo populi quid, 77.
Λατρεία quid, 215.
Lectus infirmitatis, quis, 430.
Leprosus manu Christi curatus, 394, 395, 396. Ad Sacerdotem ire jussus quare, 399.
Lia quid significat, 67, typus activæ vitæ, 68.
Liber generationis cur utrumque Testamentum inscribitur, 17.
Libros plures a pluribus fieri, utile, cur, 4.
Ligandi solvendique potestas Apostolis concessa, 675, 676, 750, 751.
Ligna in pabulum Dominici ignis pretio emere, quid, 1553.
Linguam lactentis ad palatum adhærere, quid, 1489, 1490 *et seq*.
Locustæ, Judæorum figura, 138.
Lucas cur in specie bovis figuratur, 388.
Lucerna quosnam designat, 260. Lucerna cunctis diebus lucens coram Deo, quæ, 47, 48.
Luctus beatus quis, 240 *et seq*. 241.
Ludere in Scriptura quid significat, 622.
Lunaticus quis mystice dicatur, 713, 714, quorum teneat formam, 715. Lunatici qui dicuntur, 253.
Lupi, hæretici, 495.

M

Magi quinam fuerunt, 121, 122, 123, et quomodo venerunt ex Oriente, 122, 123 *et seq*. Magi cur Hierusalem intraverunt prævio lumine, 125, 126 *et seq*.
Malchus quid significat, 1126.
Malum. A malo liberari postulantes, quid petimus, 340 *et seq*. Mali prophetarunt frequenter, 378.
Mammona quid, 352.
Manasses quid significat, 78. Manasses Ezechiæ filius, 54.
Magichæorum errores, 9, 10, 425, 453, 586, 640, 931, 942.
Mansuetudinis commendatio, 1269, 1272, 1273.
Manus, vita activa, 280. Manus arida a Christo curata, cujus rei typus, 542, 543, 544. Manus et pedes quando ligari dicuntur, 915.
Maria ex semine David, 86. Maria Christi mater ex stirpe David oriunda, 62. Maria virgo cur desponsata, 93, 94, 95. Maria Virgo, scala Jacob, porta cœli, 1245. Maria Cleophæ quæ, 478.
S. Mariæ Monasterium Suessione, 1225.
Marcionis hæreses, 429, 455.
Marco cur leonis forma tribuitur, 388.
Mathan quid sonat, 81.
Matthæus quid significat, 451, 477. Matthæi vocatio, 451. Matthæo cur humana facies tribuitur, 388.
Maxilla dextra quid significat, 280. Maxillæ animæ quæ, 1317.
Meditatio legis divinæ, animarum cibus, 333.
Men littera quid significat, 1541, 1447.
Mens sæpe pro viro in scripturis, 762, 763.
Meroe, regina Austri, 566.
Messis in agro, genus humanum, 538.
Μετεμψυχώσεως secta, 610.
Misericordia quid, et unde sic dicta, 243. Misericordiam vult Deus, et non sacrificium, 457 *et seq*.
Mites quinam, et quare beati a Christo prædicati, 238, 239.
Mœchia quid, 277.
Mola asinaria, quæ, 732. Mola, opus legis, 1018; duæ molentes in mola, de quibus intelligi debet, 1019.
Mons, Ecclesia, 254, 852, 975. Christus, 255.
Mors quid sit, 1182. Mortem gustare et mortem videre in quo differunt, 693. Mortes duæ, quæ, 692.
Moyses et Elias cur cum Christo in monte apparuerunt, 700, 701.
Mulier sanguinis fluxum patiens, Ecclesia mystice, 447, 449; anima, 453.
Munditia cordis, 244, 245.
Mutus a Christo sanatus, typus gentium, 457.

Introdusă în format electronic de Google

Myrrha a Magis Christo oblata, quid denotat, 135, 136.

N

Naason quid significat, 74.
Navis, Ecclesia, 419.
Nara, quid significat, 109
Nazaræus quot modis in Scriptura accipitur, 151. Nazaræi qui 128.
Nazareni hæretici qui, et quare sic dicti, 151.
Nazareth quid significat, 151.
Negotiator quærens bonas margaritas, quid, 601, 602.
Ninivitarum pœnitentia, 565.
Nomen Dei qualiter in nobis sanctificatur, 321 *et seq.*, 322
Nomen novum in calculo quid, 525.
Nubes lucida, Moysen, et Heliam obumbrans in monte, quid significat, 702, 706 *et seq.* Nubes opposita oculis, peccatorum densitas, 1454.
Nun littera quid significat, 1343, 1344, 1449, 1450.
Nuptiæ Ecclesiæ cum Christo, 906 *et seq.* 908.

O

Obed quid significat, 75.
Ochozias quot annorum erat, cum regnare cœpit, 51.
Oculus, mentis intentio, 364. Oculus, Magistratus, 280, vita contemplativa, 281. Oculus dexter, quid 278, 280, et quando eruendus ac projiciendus, *ibid.* Oculi beati qui dicuntur, 579. Oculi præ lacrymis deficientes, qui, 1388.
Odilmannus Severus, 1307.
Oleum accipere in vasis, quid, 1030, 1031 *et seq.* Oleo Spiritus sancti omnes Christiani uncti, 183.
Oliveti mons ubi situs, et quale contineat sacramentum, 974, 975.
Opera nostra Regi dicare, quid, 1259, 1260.
Operationes duæ in Christo, 1115.
Ophir quid significat, 1485.
Oreb mons, Christi typus, 74.
Oriente (ab) et Occidente multos venire ad Christum, quid est, 409 *et seq.*
Osanna quid significat, 859, 860.
Osias quid significat, 77.
Ossa quid significant, 1500. Ossa, virtutes animæ, 1416. Ossa mortuorum, quæ figurate, 956 *et seq.*
Otiosus esse nemo debet in vinea Christi, 832, 833.
Ostium Christus, 367, 368.
Ovis errans ac perdita, à Pastore quæsita, et humeris ejus reportata, quid significat, 740, 741, 742. Oves a dextris, electi, 1058. Oves nonaginta novem in monte relictæ, de quibus dicantur, 743, 744 et *seq.*
Ovum, spes, 369.
Ozias cur filius Joram a S. Matthæo inscribitur, 50.

P

Pacificorum gradus et beatitudo, 245, 246.
Paleæ, peccatores, 173.
Pallium (per) quid designatur, 291.
Panis, Christus, 368. Charitas, 369.
Panis supersubstantialis, quis, 331, 332 *et seq.* Panes septem, quibus plebs a Christo refecta, quid designant, 652, 653 *et seq.* Panes propositionis à Davide comesti, 540, 541.
Paralysis animæ, 427.
Paralytici qui dicuntur, 253.
Parasceve quid, 1198.
Parisiorum ædes a piratis vastati, 1506.
Parvuli innocentia et simplicitas ad exemplum apostolis proposita, 727, 728, 729 *et seq.* Parvuli Christo oblati ut manus eis imponeret, quorum prætendunt figuram, 795, 796, 797.
Passeres olim venales in Templo, 506.
Passio Christi signum Jonæ dicta, cur, 662.
πάθος quid, 276, 277.
Pauperes beati quinam, 236, 237. Pauperes spiritu qui, 238.
Paupertas duplex, 237.
Pax vera quæ, 246. Pax omnem sensum exsuperans, 246, 247 *et seq.*
Peccatum incredulitatis quale, 1329.
Peccata cur usque septies remittenda putavit Petrus, 754. Peccata carnis stercora, 1494. Peccatorum remissio nunquam sine confessione fit, 559. Peccatorum remissio usque septuagies septies a Christo præcepta qualiter debet intelligi, 755, 756, 757, 769, 770.
Pelagianorum hæresis, 876.
Pellis nostra quasi clibanus livida, quid 1539.
Pelles arietum rubricatæ, quid significant, 1413, 1414 *et seq.*
Perfectio qualis in nobis esse debet, ut simus filii Dei, 300 *et seq.*, 301.
Persecutionum tria genera, et quænam illa sint, 284.
Perventores qui dicuntur, 400.
Petrus quid significat, 474. Petrus a petra dictus, quare, 671. Petrus et Andreas quando, et qualiter a Christo vocati, 224, 225. Petrus apostolus *vide* Simon Petrus, infra. Petri apostoli fides quanta, 629, 630, 666, 671, 672. Petri negatio quam male a quibusdam defenditur, 1107 *et seq.*
Phares, quid significat, 36, 73, et quos denotat, 37, 38.
Pharetra patris, Scriptura sancta, 1428.
Pharisæi unde dicti, 935. Pharisæorum hæresis, 919.
Phe littera quid significat, 1348.
Philippus quid significat, 476.
Photini hæresis, 601, 801, 931.
Pietatis primus gradus quis, 959.
Pipinus junior, 1546.
Piratæ Ecclesias cremantes, 1506.
Piscinæ in Hesebon, quid, 1457.
Piscis fides, 369. Piscis, qui prior ascendit, staterem habens in ore; figura Christi, 723. Stephani Martyris, 724. Pisces duo, quid mystice designant, 816 *et seq.*
Platea unde dicitur, 1479.
Platearum latitudo quorum est, 1500.
Pluviæ, voluptatum illecebræ, et concupiscentiarum imbres, 381.
Pœnitentia, Dei donum, 159. Pœnitentia pro baptismo, apud Apostolum, 160. Pœnitentiæ modus triplex, 159. Pœnitentiæ virtus qualis, 153, 154; primus ad veram viam gradus. Pœnitentiæ fructus dignus quis, 162, ad pœnitentiam quinam a Deo vocentur, 438; sine pœnitentia dona et vocatio, qualiter, 159, 160.
Porci qui, mystice, 424.
Porta angusta, quæ, 571.
Portæ inferi plures, 674.
Potentium duo genera infra Ecclesiam, mystice, 1512.
Præcepta legis cur gravia dicantur, 955.
Prædicatio Evangelii gratuita esse debet, 484.
Prædicatores a Christo mitti et dirigi debent, 467 *et seq.*
Præscientia Dei quid sit, 107, 108.
Preces breves an apud Deum potiores, quam prolixæ, 314, 315, 316. Precum gradus septem, 341, 342, 343.
Primogenitus quis dicatur in Scripturis, 114, 115 *et seq.*, 116.
Princeps pro filia rogans, quid typice significat, 445, 451.
Προσάβατον quid inter Græcos, 276, 277.
Prophetia alia ex prædestinatione, alia ex præscientia Dei, 107.
Proselyti, qui dicebantur, 947 *et seq.*
Prudentia in serpente commendata, 495. Prudentia rectoribus ecclesiarum necessaria, 1025.
Pulverem de pedibus excutere, quid, 493 *et seq.*
Pupilli facti absque patre qui dicantur, 1530, 1531 *et seq.*

Q

Quadraginta dierum jejunium quid designat, 200, 201 *et seq.* Quadraginta duæ mansiones populi ex Ægypto redeuntis, 64. Quadraginta duæ generationes in nativitate Christi quid designant, 64.
Quadrans quid mystice, 275.
Quaterdenus numerus in generatione Christi quid insinuat, 63, 64 *et seq.*
Quis, in divinis litteris cum dicitur, quid significat, 19.

R

Raab, Ecclesiæ typus, 39, 40.
Racha quid significat, 266.
Rachel quid significat, 68, 145. Rachel typus Ecclesiæ, 131, 145. Rachel plorans filios suos quid denotat, 146.
Radices arborum, cogitationes, 167.
Rama quid significat, 143.
Rebecca in Mesopotamia nata, quid designat, 67.
Reges an durius increpandi, vel non, 611.
Regina Austri, Ecclesiæ figura, 566.
Regnum Dei, vinea, 883, 884 *et seq.* Regnum Dei primum quærere, quid est, 367 Regnum Dei, quod advenire postulamus, quale, 323, 324, 325. Regnum cœlorum, pro Evangelio, 325. Regnum cœlorum cur decem virginibus comparatur, 1028 *et seq.* Regnum cœlorum grano sinapis comparatum, 589, 590, 591, 592, fermento, 593, 594, thesauro absconso in agro, 598, 599; negotiatori, 601, 602; sagenæ, 603. Regnum cœlorum quot modis accipitur, 590. Regnum cœlorum appropinquasse, qualiter intelligi debet, 482, 483. Regnum cœlorum qualiter violentia rapiatur, 529, 521. Regnum cœlorum claudere, quid, 945 *et seq.*
Regni filii quinam, 410 *et seq.*
Repulsionis differentiæ duæ, 1550.
Res littera quid significat, 1353, 1354, 1363, 1468, 1469.
Respicere, pro comprehendere, 15.
Ruben quid significat, 72.
Ructus quid, 1238.
Ruth quid significat, 75.
Ruth, Ecclesiæ typus, 40.

S

Sade littera quid significat, 1349, 1462, 1463, 1464.
Sadducæi qui, et eorum hæresis, 919, 920.
Sadoch quid significat, 79.
Sagena missa in mare, prædicatio Evangelii, 603 *et seq.*
Sagittæ militiæ Christianæ quæ, 73. Sagittæ acutæ quæ, 1271 *et seqq.*
Sal pro sapientia figurate, 253, 257 *et seq.*
Salathiel quid significat, 57, 78.
Salomonis cor a Deo aversum, 22.
Salutis elementa quatuor, 499.
Samaritana mulier, Ecclesiæ typus, 45.
Samech littera quid significat, 1345, 1346, 1363.

Introdusă în format electronic de Google

Samson fortis, Christi figura, 1141.
Sancti, nubes dicti, cur, 476.
Sanctificatio nominis Dei quid, 321.
Sanctificatio diei septimi quid designat, 343.
Sanctuarium, anima fidelis, 1483.
Sandalia Domini Romæ, 487.
Sapientia divina plus sectanda, quam eloquentia humana, 665. Sapientia et scientia in quo differunt, 341.
Sargon dux Assyriorum, quid significat, 1378.
Satanas, quid significat, 682.
Scandala evitanda, 731, 733. Scandala seminantes quantis involvuntur culpis et reatibus, 734 *et seq.*, 735.
Scharioth, quid significat, 475, 479.
Scientia quid, 341.
Scriptura sancta, potus lactis, 1491.
Sedilia juxta sedem Dei, de quibus intelligi debent, 1055.
Semen Abrahæ quod, et ejus benedictio, 21 *et seq.* Semen verbi secus viam seminatum quid designat, 580.
Senes qui dicuntur typice, 1543.
Sensus quinque per virgines prudentes designati, 1028, 1029 *et seqq*
Serpentis prudentia, 495. Serpentis astutia in malo, non in bono, 959.
Servitus Deo soli debita, quæ, 215.
Servus bonus et fidelis quis dicatur, 1046, 1047, et quis, inutilis et malus, 1048, 1049 *et seq. usque* 1055. Servi, dæmones, 405. Servi fideles et prudentes, qui, 1023, 1024.
Sexagesimus numerus ad viduas refertur, quare, 584.
Sigilla septem a Christo soluta qualiter, 11, 12 *et seq.*
Simon quid significat, 225, 474, 475, 1100.
Simon Chananæus, 479, Zelotes dictus, quare, *ibid.*
Simon Petrus primus apostolorum, an quoad ordinem et numerum, an quoad meritum, 473.
Simoniaca hæresis multoties in Galliis propugnata, sed nunquam expugnata, 863.
Simplicitas in columba commendata, 496, 497.
Sin littera quid significat, 1555.
Sinapis granum, figura regni cœlestis, 589, 590, 591.
Sinistra, pro vitiis, 308.
Socrus Petri a Christo sanata, cur ministravit ei, 412, 413.
Sol et luna qualiter in fine sæculi obscurabuntur, 1000, 1001, 1002.
Solarium quid, et unde nomen accepit 46.
Sollicitudo de crastino damnatur, quare, et qualiter, 360.
Spes per Isaac designata, 67.
Spicarum ab apostolis confricatarum cibus, cujus rei figura, 539.
Spiritus sanctus cur in columba apparuit, 180, 181, 182 *et seq.*, 183, 184. Spiritus sanctus cur in igne apparuisse legitur, 172. Quis Spiritus Christum in desertum duxit, 199 *et seq.* Spiritus sancti dona septem, 11, 13. Spiritus septem in filiis Job præsignati, 14.
Sportæ septem, quibus ciborum dominicorum fragmenta condita, quid designant, 658.
Stacte quid, 1276.
Stantes qui dicantur, 691.
Stater quid, 725.
Stella dux et comes itineris Magorum, ubi orta, et qualis exstitit, 123, 124 *et seq.*, 125, 126, 127. Stellas de cœlo cadere quid mystice, 1002.
Stephanus unde dictus, 961. Stephanus, primus martyr, per piscem staterem habentem in ore designatus, 724.
Stercora quid in Scripturis significant, 1493, 1494 *et seq.*
Sterilitas terræ, quid tropologice, 1503.
Struthionis natura, et significatio tropologica, 1486, 1487.
Suessio, 1225, 1288.
Superbia omnis peccati initium, 217.
Synagoga ficui comparata, 871, 872 *et seq.*, 874.

T

Tabernaculum, Christus, 702.
Taddæus apostolus, quis, 478.
Talenta quinque, duo, et unum, quid designant, 1040, 1041, 1042 *et seq.*
Tau signum, 1575. *Tau* littera quid significat, 1337, 1358 *et seq.*, 1473, 1525.
Tecta (super) prædicare, quid, 503.
Teloneum quid, et unde dicitur, 432.
Tenebræ exteriores quæ, et quæ interiores, 914.
Tentatio triplex, 206. Tentatio expleta quando dicitur, 217. In tentationem ne Deus nos inducat, postulare quid et qualiter intelligi debet, 338 339.
Terra homines dicti, cur, 493, 494.
Testamenti utriusque principium cur generationis nomine appellatur, 17.
Teth littera, quid significat, 1332, 1362, 1467.
Thalamus sponsæ quid mystice, 1301.
Thamar cur in generatione Christi posita, 31, 32, et quid designat, 32, 33. Thamar, Ecclesiæ typus, 34, 36.
Theodectes tragœdus, cæcitatem incurrit, quare, 9.
Theopompus mente turbatus, quia irreligiose divina scrutatus erat, 8, 9.
Thesaurus in agro absconsus, quid mystice, 598, 599 *et seq.* Thesauros in terra condere quid moraliter, 348.
Thomas quid significat, 477.
Thus a Magis Christo oblatum, quid denotat, 135, 136.
Torcular quid in Scripturis significat, 1346 *et seq.* Torcular in vinea, quid, 888.
Tormentorum differentia in inferno, 948.
Torques in collo quid designant, 1545.
Transfiguratio Christi, 696, 697, 698.
Tribuli, qui dicantur, 373.
Tricesimus numerus ad conjuges refertur, quare, 584.
Trinitatis mysterium in baptismate Christi certissime prædicatum, 186, 187 *et seq.*
Triticum, sancti, 589.
Tuba canere ante se quid est, 306.
Tunica quid in Scriptura significat, 291, 292. Tunicas duas portare apostoli prohibiti, quare, 490, 491.
Turris, quid mystice, 1305. Turris in vinea ædificata quid, 888, 889.
Tyrus ubi sita, 1291.

U

Umbra mortis, quid, 221.
Unguento quonam jejunantes perungi debent, 346. Unguentorum varietas, quæ super Jesum effusa sunt, 1079 *et seq.*
Urias quid significat, 44, 45. Urias, typus populi Judaici, 46.
Ursi natura et significatio, 1423, 1424 *et seq.*
Utres novi, apostoli, 444.
Uxor pro sponsa in Scripturis, 98. Uxores dimittendi plures olim causæ, 282. Uxores dimittere cur Judæis permisit Moyses, 786, 787. Uxores licet dimittantur licite ob causam fornicationis, manet tamen vinculum prioris conjugii, 788, 789, 790 *et seq.*

V

Vau littera, quid significat, 1321, 1430.
Ventilabrum, divini judicii typus 173.
Ventrem (per) qui designentur 1353.
Verbum bonum, quodnam, 1249, 1250 *et seq.*
Veritas disputatione quæritur, 3.
Vesona, 1288, 1293.
Vestimentum vetus, quid, 442. Vestimenta Christi candida, quid designant, 699 *et seq.*
Vestitus deauratus sponsæ quis, 1283, 1284.
Via, Christus, 271. Via deserti, qua, 372. Viæ Sion qualiter lugere dicuntur, 1320 *et seq.*
Vigilia noctis tam longa esse debet, quam est longa vita hominis, 1021. Vigilia quarta noctis, quid, 625.
Vindemiare, quid, 1359.
Vinea, quid in Scripturis, 883, 884 *et seq.* Vinea, Ecclesia Christi, 1246.
Vincti terræ qui dicuntur, 1446
Violenti qualiter regnum cœlorum diripiunt, 520, 521.
Viperarum natura, 161. Viperarum progenies, Judæi dicti quare, 161, 163.
Vir, pro sponso, in Scripturis, 98
Virga ferenda, et non ferenda, qua significatione intelligi debet, 485. Virga justorum, et virga peccatorum, 486.
Virgo, ut Christi sponsa sit, qualiter se gerere debeat, 1231. Virgines, qui dicantur, 1028. Virgines cur quinque fatuæ, et quinque prudentes introducuntur, 1028 *et seq.* Virginitas semper esse debet armata, ac si in acie, 1266. Virginitas in mundo sola libera, 1304. Virginitatis vocabulum unde, 1233.
Virtutes sæpe fiunt a reprobis, et pro quibus causis, 378.
Viscera, conceptiones cogitationum, 1390.
Vitis, Christus, 373.
Vocatione (in) sua quisque permanere debet, 226 *et seq.* Vocationes quinque Christi ad quinque sensus relatæ, 823 *et seq.*
Volucres cœli, dæmones, 415.
Voluntas per arborem designata, 375 *et seq.* Voluntas Dei, quam fieri postulamus, quænam, et qualis, 325, 326, 327 *et seq.* Voluntatem Dei facere quid, 326. Voluntatem Dei fieri in terra sicut in cœlo, quid, 327, 328, 329 *et seq.*
Vox quot modis ad Deum clamare dicitur, 143, 144. Vox in Rama audita, quid significat, 143, 144. Vox cordis quæ, 1467.
Vulpes qui dicantur in Scriptura, 1546, 1547. Vulpes, hæretici seu hypocritæ, 415.
Wisira, fluvius. 1674.

Z

Zabulon quid significat, 463.
Zacharias propheta a Joa occisus, 31.
Zacharias Barachiæ filius quis, 962, 963.
Zain littera quid significat, 1536, 1432, 1431.
Zara, quid sonat, 36, 37, et quos designat, 37 *et seq.*
Zebedæus quid significat, 250, 476. Zebedæi filii Boanerges dicti, quare, 475, 476.
Zebub quid significat, 502.
Zizania, hæretici, 587, 588.
Zona, ministerii apparatus, et efficacia operis, 490. Zona pellicea circa lumbos, quos insinuat, 158.
Zorobabel quid significat, 29. Zorobabel filius Salathiel, 56, 57.

Introdusă în format electronic de Google

INDEX

AD PASCHASII RADBERTI OPUSCULA DOGMATICA,

Nempe

De Corpore et Sanguine Domini,—Epistolam ad Frudegardum,—librum de Partu Virginis, — et tractatum de Fide, Spe et Charitate.

(*Revocatur Lector ad columnas nostras.*)

B

Baptismi, fides non immutanda, 1409.

Bonum nostrum aut a Deo est, aut ipse est Deus, 1476.

C

Carnaliter sapere de Eucharistia, non recte sapere est, 1356.

Caro quæ dat vitam in Eucharistia non caro hominis est, quæ nullatenus est vivificatrix, 1536. Caro quæ in Eucharistia sumitur ea ipsa est quæ in cruce pependit, 1351.

Charitas, una, sed duo præcepta charitatis, 1467. Charitas, etsi de cœlo credatur data, nutrienda tamen est, quia ignis iste perpetuus esse debet, 1478. Charitas fons vitæ et ablutio est omnium criminum; ubi regnat, nulla valent delicta, 1487. Quasi alter baptismus animarum est, 1482. Quos replet ardentes facit et Deo conjungit, 1460. Si abest corde, quidquid ore profertur nihil prodest loquenti, 1483. Charitas sola non nisi bonis percipitur, 1484. Charitas vinculum sanctæ perfectionis et radix est omnium bonorum, 1484. Charitas virginalis tenera quidem et dulcis in spiritualibus est ubi Sponsus et anima fœderantur. 1480. Charitate polleus anima est quasi hortus irriguus cunctis donorum repleta muneribus, 1485. Charitatem ordinatam habet qui quod diligendum est diligit: non amplius tamen quod minus, neque minus quod amplius diligendum, diligat, 1472. Charitatem nemo novit nisi qui accepit, 1485. Charitatis bonum Deus Trinitas est, et ipsa Trinitas Deus charitas est sempiterna, 1487. Charitatis nutrimentum imminuta cupiditas est, 1478. Charitatis officium diligere est, et diligendo mandata Christi adimplere, 1474. Charitatis opera faciat quisque secundum Deum proximus esse vult, 1461. Charitatis venenum est rerum temporalium cupiditas, 1478.

Christi nativitas et incarnatio non secus ac ejus passio, mysterium et sacramentum salutis, 1360. Christum ex corruptione natum asserere impium est, si enim ex corruptione, jam ex maledicto natus esset, 1369. Christus ex quo conceptus est homo, idem semper qui ante Deus fuit, 1382. Christus non secundum legem naturæ natus est, qui non secundum usum naturæ est procreatus, 1368. Christus vicit mortem moriendo, ut qui in Christo moriuntur non jam mortui, sed vivi ac beati in Christo inveniantur, 1508.

Cœlestia et sempiterna, cum non habentur, fastidio sunt, magno autem in desiderio cum percipiuntur, 1479.

Cœna eucharistica ea est quæ ipsi manducaverunt et biberunt apostoli, 1350.

Consilium quæ sunt contraria saluti ut effugiamus, insinuat, 1422.

Corpus et sanguinem quæ in remissionem peccatorum tradita sunt sumimus in Eucharistia, ergo et ipsum Christum sine quo nulla fit remissio, 1358.

Credendum nequaquam in quem sperare non licet, 1404.

Credentibus in Deum magna multitudo dulcedinis, 1409.

Credere sine intelligentia longe melius sane quam male intelligentem erroribus subjacere, 1407.

Credibilia de Deo dicta divinitus, quæ non nisi prius credantur, intelliguntur, 1405.

Credibilium genera sunt tria, 1404.

Credit in Deum qui eum spe et charitate colit, 1405.

D

Dei dilectio non integre servatur, si fides proximo negetur, 1404. Dei est totum miserentis quod credimus, quod fide viventes justificamur, 1419. Dei natura quam nec angeli apprehendunt a fortiori hominibus impervia est, 1409. Deitatis arcana temere volentes comprehendere, multi longius a fide recesserunt, 1423. Deo nihil melius, nec sine illo boni quidpiam invenitur, 1472. Deo, qui est veritas, dicenti absque ulla dubietate credendum, 1399. Deum corde credere ad justitiam, stare est in substantia Dei per fidem, 1397. Deus ab homine talli nequaquam potest, quia superior nostri, sensibus nostris non subjacet, quia immensus, immensum requirit fidem qua capiatur, 1391. Deus nec minor in parte quam in toto est, neque major in toto quam in parte, 1414. Non ex accidente, sed essentia veritas est, 1399. Quia justus est, non impune mali sumus, 1477. Deus ubique totus nullo continetur loco, 1413. Deus unus in tribus personis quærendus, 1410. Deus, via per quam fide currimus, veritas in quam credimus, vita qua fide justificamur, 1419 *et seq.*

Desperare, a Deo retrorsum alienari est, 1450.

Desperatio quatuor ex causis nascitur, 1450. Desperatione remota, major quantiscunque sceleribus Dei misericordia, 1451. Desperationis malo nihil pejus, 1450.

Dilectio Christi ad quatuor se extendit, 1467. Dilectio nostra ad eum referenda est ex quo et per quem et in quo solum boni esse valemus, 1477. Dilectio recta est, cum malumus Dei esse quam nostri, 1478. Dilectio sibi vindicare volentis quod proprie Deo debetur, non charitas sed odium nuncupatur, 1468. Dilectio sola inveniet per desiderium quod spes jam tenet per fidem dilectionis, 1489. Dilectionis Dei, dilectio proximi argumentum est, 1467.

Diligendus proximus ut in proximo Deus diligatur, 1467.

Diligens se homo integre in Deum, diligit et proximum secundum Deum, 1469.

Discipulis duos calices porrexit Christus, nempe in uno voluit passionem suam exprimere, in altero fidelium suorum passionem præfigurare, 1359.

Discrimen inter illud typicum pascha quo immolatus est agnus, et istud quod secundum ordinem Melchisedec in pane et vino celebratur, 1359.

Duo intelligi debent Testamenta per duos calices, unus ad agnum pertinens, alter ad mysterium corporis, 1360.

E

Eucharistia in digne accedentibus vitam, in indigne sumentibus judicium damnationis operatur, 1356. Eucharistia non quamdam solummodo virtutem carnis Christi, sed ipsam Christi carnem continet, 1357. Eucharistia non umbram aut figuram corporis Christi, sed ipsum corpus exhibet, 1367.

F

Fidelis nemo nisi gratis præveniat misericordia, 1417.

Fide apprehenditur Deus, apprehensus vero in cordibus nostris servatur ac tenetur, 1394. Fide devotus ardenter festinat ex iis quæ intellectu conspiciuntur ad ea quæ nondum intelligit, 1398. Fide evacuata, manet substantia fidei nempe incommutabilis veritas visione fruenda, 1396. Fide nosse Deum nihil prodest ad salutem, si moribus et factis abneges, 1400. Fide, quæ per dilectionem operatur, sublata, homo jam non justus, sed mortuus inter impios deputatur, 1398. Fidei fundamentum Christus, 1422. Fidei potentiam solus novit, qui Deum ex toto corde et credit et diligit, 1414. Fidei potestas quanta sit, nemo qui noverit, nisi ex Deo et in Deo vivat, 1415. Fidei secundum mensuram cætera charismatum dona unicuique præstantur, 1425. Fidem facit prius in nobis Deus, quam inspirat, 1434. Fidem haud alteram proximo debemus quam quæ per dilectionem operatur, 1402. Fidem novimus in altero esse a fructibus quos

Introdusă în format electronic de Google

operari solet fides per dilectionem, 1398. Fidem quam a proximo servari nobis volumus, hanc et talem et tantam huic servemus, 1401. Fidendo quanto magis tepescis, tanto plus fidei fortitudinem amittis, 1424. Fides adhibenda Deo qui non mentitur, 1351. Proximo, propter charitatem, etiamsi veritas non elucescat, nisi pateat mendacium, 1402. Fides cæterarum virtutum initiatrix, 1389. De præteritis agit, nec non et de præsentibus et de futuris, 1429. Fides ea est per quam vere credimus et confitemur etiam si nondum intelligimus, 1399. Fides ea quæ per dilectionem operatur justos nos efficit, 1418. Fides est præstantior intellectu, 1487. Fides falsa falsam prætendit spem, idcirco non fides sed error, sicut nec spes, sed delusio dicitur, 1393. Fides ideo sperandorum substantia est, quia illa omnia in se gerit quæ non videntur, 1394. Fides integra est, Deum ex toto corde credere, mandataque ejus omnia servare, 1400. Fides justitiæ est origo, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum, 1391. Fides magis in passionibus gaudet quam in prosperis, 1422. Fides maximum Dei donum est, 1436.

Fides, nisi fiduciam habeat de victoria Christi, infirmatur, 1424. Fides nuda sit viribus humanis; nulli unquam defuit victoria, nisi cui talis fides defecit, 1425. Fides pendeat tota ex Deo et maneat in Deum necesse est, 1392. Fides proximi rara, quia multi multa loquuntur, 1401. Fides qua creditur discernanda ab iis quæ creduntur, 1397. Fides, quamvis omnium, propria sit unicuique sua, 1425. Fides quocunque ratio deficit vel intellectus, succrescit, 1423. Fides recta verior est quam visio; visu quandoque fallimur, fide nunquam, 1395. Fides reputatur ad justitiam non ei qui ex parte solummodo, sed qui ex toto credit, 1420. Fides specialis et propria habetur in singulis propter differentiam donorum, 1425. Fides tam prodigiosa in quibusdam defunctis operatur, ut vel mortui, magis quam viventes, vivere videantur, 1417. Fides totum ex eo potest quo confortatur, in quem credit, 1417. Fides totum in se gerat quidquid in futuro speratur, 1427. Fides turris illa est quæ virtutum suo ptibus construitur, 1422. Fides una quidem sed non æqualis in omnibus, 1426. Fides vera et gratia est, ideo nunquam infructuosa, neque sine illa quippiam operatur, 1418. Fides vera tota requiescit in Christo, 1423. Fides virtutes exercet et charismata complet sacramentorum, 1391.

Fortitudo nostra in Christo qui vicit mundum, 1424.

Fruitio summi boni charitas est, 1454.

G

Gratia nobis dat velle; currere viam, bonis operibus inhærendo, ministrat fides, 1419.

Gesta qualiacunque nostra ex fide pensantur, 1425.

H

Homini cuilibet impervia est virtutum theologicarum intelligentia, nisi per Spiritum sanctum insufflctur, 1389. Homo quæ fide spopondit opifici iisque ad mortem servare debet, 1399. Homo suæ infirmitati plus committens quam firmitati promissionis Dei, mox prolabitur, 1434.

I

Incipiendi et perseverandi sufficientia nostra ex Deo est, 1443.

Infidelitas nos a ligno vitæ expulit, fidelitas revocet necesse est, 1392.

In ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœli aperiuntur, 1355.

Initium justificationis apud Deum fides est, 1420.

J

Justificatio ab his duobus pendet, volendo nimirum ex gratia, currendo per fidem, 1419.

Justitia est vera fidei, de meritis non præsumere, 1419. Justitia fidem ut loricam induit ne lædatur, 1422. Justitiæ radix non ex operibus prius, sed ex rudicæ justitiæ, fructus operum crescunt, 1421.

Justus de singulis rebus prout sunt sentit, quomodo diligendæ diligit, utitur quomodo utendum, 1472.

M

Meritorum dona sunt varia, varius labor, varius et ordo, 1476.

Misericordia Christi sicut non sine justitia est, ita nec justitia sine misericordia, 1456.

Motus animi leniter utque suaviter componunt mansuetudo, modestia, benignitas, 1422.

N

Naturæ potioris et immensæ causam et rationem non capit nec intelligit natura inferior, 1358.

Nemo absque fide, spe et charitate salvus, nemo Christianus jure creditur, 1393. Nemo ad Christum, id est ad charitatem venit, nisi prius attraxerit eum Pater, 1485. Nemo perfecte fidelis, donec Christum et Spiritum sanctum in se habitare sentiat per fidem, 1428. Nemo quidquam potest ex se, nisi quantum a Deo accepit, 1433. Nemo quidpiam a se habet nisi vitia, 1433. Nemo recte pœnitet, nisi prius intelligat excellentiam charitatis et gratiam quam amisit, 1481. Nemo sufficit sibi ut incipiat quodcunque opus bonum, neque ut perficiat, 1433. Nemo tam malus in hac vita qui boni, nemo tam bonus qui mali aliquid non admittat, 1472.

Nullam reperire est naturam quæ non sit aut ipse Deus, aut ab ipso, 1430. Nullus sine fide adhæret Deo, 1389.

O

Obedientia usque ad mortem, non divinitatis Christi fuit, sed humanitatis, in qua officia nostra suscepit ac nomina, 1360.

P

Pax in homine cui tota mens in dilectionem Dei versatur, 1453.

Peccans homo non nisi imperfectam fidem habet, 1420.

Pecuniarum usum, non dilectionem Deus hominibus dedit, 1486.

Perfectionis summa in sola dilectione consistit, quia charitas nihil iniquitatis admittit, 1484.

Petro, Paulo, angelis, sanctis, cuivis creaturæ credimus, in Deum solum credimus, 1405.

Placendi gratia, nihil nisi secundum Deum agamus, 1478.

Pœnitentis recte anima sibi sordet per culpam, quæ jam Deo redolet per veniam, 1482.

Probatio spem facit, spes vero confidentiam, 1456.

Præcepta sola fide sunt implenda, 1409.

Proximus noster omnis homo accipitur, 1469.

Prudentia, quasi oculus acutus, quæ sint salutis, quæve adversa saluti, contemplatur, 1422.

Puerperium Virginis, per quam tanta effloruit benedictio et gratia manavit, non doloribus subjacuit, 1375. Puerperium Virginis sanctissimum venerari animo et corde, divini muneris est gratia, 1567.

R

Ratio cœlestis et divina non subjacet humanis sensibus, 1353.

Res nulla fit, qua frui, nisi Deo debemus, 1471. Res sunt quibus frui, aliæ quibus uti; aliæ quibus frui et uti debemus, 1470.

Retractandum de fide nihil; sed quæ credimus, omnibus modis custodienda, 1410.

S

Sacrificium acceptum Deo nullum est quod non igne crematur charitatis, 1484.

Salus generis humani cæterarumque virtutum efficacia ex virtutibus theologicis et in istis pendet, 1389.

Sancti per fidem omnia potuerunt, etiam mori pro Christo, 1416. Sancti pie venerantibus se quam plurima conferunt, 1491.

Scientia rerum quas in mysteriis divina virtus operatur, in fide est; ratio in Deo operante, 1358.

Scripturas qui legit, et non inde fidem et genuinam charitatem Dei et proximi ædificat, non intellexit, 1479.

Sensus omnino corporeus, ad ea quæ sunt æterna, ut pote inferius jacens non penetrat, 1408.

Sperare absurdum nisi in Deum, 1404.

Speratur jure atque amatur quod scitur et creditur quia summum est bonum, 1454.

Spei manu, quæ est anchora animæ, Christus tenetur a nobis et constringitur, 1437. Spem quandiu tenemus propositam, tuti ac securi sumus, 1438. Spem solidat fides, fidem spes subrigit ad ea quæ sempiterna sunt et non videntur, 1438. Spes adaugetur patientia et consolatione Scripturarum 1449. Spes ad meliora virtutum incitamenta nos elevat, 1455. Spes et fides sicut vocabulo, ita rationabili differentia distinguendæ sunt, 1438. Spes fortissimum ac inviolabile nobis solatium, 1435. Spes nostra in Deo ponenda quia summum bonum est, 1477. Spes nostra non in solo æquoris sed in Christo qui est petra firmissima anchorizatur, 1435. Spes, si falsa nihil juvat sperantem, si vera beatificat, 1451.

Spiritualia mente melius videntur, quam sensu corporeo persentiuntur, 1413.

T

Timor, si interdum reprimit et humiliat mentem, quandoque consolidat et confortat, 1457.

Turris quam ædificat fides, Deus ipse: in ista turre im-

Introdusă în format electronic de Google

marcessibiles thesauros, radicata dilectionis amore thesaurizat, 1423.

V

Velle et currere nobis a Deo datur secundum consilium voluntatis suæ, non secundum voluntatis nostræ meritum, 1434.

Verbum Dei omnipotentis efficax est ad omnia quæ vult, 1359. Verbum Dei Spiritus sancti gladius est, 1422.

Virginem quamlibet corruptam suscitare quidem post ruinam Deus, coronare autem non potest, 1182.

Virginitas Beatæ Mariæ virginis omnium Ecclesiarum decus, ac præsertim bonos sanctimonialium ac forma virtutis, 1367.

Virgo Maria in tantum a gemitu et doloribus fuit extranea, cum pareret, quantum aliena fuit a culpa, 1374. Virgo Maria non peperit naturali lege Dominum, 1383.

Virtus bonorum operum in tantum accipitur quantum ex fide offertur, 1457. Virtutes animi per ipsum intelliguntur ex quo sunt, 1486. Virtutes pabulum sunt ignis Dominici, 1479.

Visio Dei non corporeis sensibus deprehenditur, 1412.

Vultus venire ad Deum, incipite a Christo qui appellatur initium viarum Dei, 1477.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

SANCTUS PASCHASIUS RADBERTUS CORBEIENSIS MONACHUS.

Prolegomena. 9
EXPOSITIO IN MATTHÆUM. 31
Prologus. 31
Præfatio. 37
LIBER PRIMUS. 43
Prologus libri secundi. 101
LIBER SECUNDUS. 103
Præfatio libri tertii. 181
LIBER TERTIUS. 183
Prologus libri quarti. 267
LIBER QUARTUS. 269
Prologus libri quinti. 331
LIBER QUINTUS. 337
Præfatio libri sexti. 395
LIBER SEXTUS. 397
Præfatio libri septimi. 481
LIBER SEPTIMUS. 483
Præfatio libri octavi. 555
LIBER OCTAVUS. 555
Præfatio libri noni. 643
LIBER NONUS. 645
Prologus libri decimi. 735
LIBER DECIMUS. 737
Prologus libri undecimi. 795
LIBER UNDECIMUS. 795
Prologus libri duodecimi. 875
LIBER DUODECIMUS. 875
EXPOSITIO IN PSALMUM XLIV. 993
LIBER PRIMUS. 993
LIBER SECUNDUS. 1011
LIBER TERTIUS. 1039
EXPOSITIO IN LAMENTATIONES JEREMIÆ, 1059
Prologus. 1059
Præfatio. 1061
LIBER PRIMUS. 1065
Prologus libri secundi. 1103
LIBER SECUNDUS. 1103
Prologus libri tertii. 1139
LIBER TERTIUS. 1141
Prologus libri quarti. 1197
LIBER QUARTUS. 1197
Prologus libri quinti. 1235
LIBER QUINTUS. 1237
DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI. 1255
Versus quos scripsit ad Carolum regem Paschasius Radbertus abbas, quando ad eum misit librum suum. 1259
Epistola ad Carolum regem. 1259
Versus de corpore et sanguine Domini. 1261
Incipit prologus. 1263
INCIPIT LIBER. 1267
CAPUT PRIMUM. — Christi communionem verum corpus ejus et sanguinem esse non dubitandum. 1267
CAP. II. — Quod hoc mysterium Christi nullus fidelium debeat ignorare. 1272
CAP. III. — Quid sint sacramenta, vel quare dicantur. 1275
CAP. IV. — Utrum sub figura an in veritate hoc mysticum calicis fiat sacramentum. 1277
CAP. V. — Quid sit inter immolationes veterum figurasque legalium, et inter sacramentum Dominici corporis et sanguinis. 1280
CAP. VI. — Quid sit autem digne ad vitam percipere corpus et sanguinem Christi. 1282
CAP. VII. — Quibus modis dicitur corpus Christi. 1284
CAP. VIII. — Quod in hac communione aut judicium percipitur, aut præmium. 1286
CAP. IX. — Quid necesse fuerit quod semel gestum est in re, Christum quotidie immolari. Vel quid boni tribuant hæc mysteria digne accipientibus. 1293
CAP. X. — Cur in pane et vino hoc mysterium celebratur. 1303
CAP. XI. — Cur in calice aqua misceatur. 1307
CAP. XII. — Utrum plus habeat hoc mysterium, quoties a bono; an minus, si a malo conficiatur ministro. 1310
CAP. XIII. — Ut quid hæc colorem aut saporem in sacramento minime permutant. 1315
CAP. XIV. — Quod hæc sæpe visibili specie apparuerint. 1316
CAP. XV. — Quibus verbis hoc mysterium conficitur. 1321
CAP. XVI. — Utrum hoc corpus post consecrationem panis jure queat vocari. 1324
CAP. XVII. — Utrum plus ex eo habeat, qui majus aut qui minus acceperit. 1324
CAP. XVIII. — Cur hoc mysterium ante passionem discipulis traditur. 1325
CAP. XIX. — Ut quid in sanguine Christi fragmen corporis admisceatur. 1327
CAP. XX. — Quare nunc a jejunis mysterium sacræ communionis celebratur, cum Dominus post cœnam apostolis hoc tradiderit. 1330
CAP. XXI. — Quid sit quod Dominus ait : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei.* 1332
CAP. XXII. — Si ulla differentia sit in hoc mysterio justo et pœnitenti reconciliato. 1341
EPISTOLA DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI AD FRUDEGARDUM. 1351
LIBER DE PARTU VIRGINIS. 1365
Monitum. 1365
LIBER PRIMUS. 1367
LIBER SECUNDUS. 1383
LIBER DE FIDE, SPE ET CHARITATE. 1387
Observatio prævia. 1387
Invocatio. 1387
P. Radbertus Warino salutem. 1387
INCIPIT LIBER DE FIDE. 1387
CAPUT PRIMUM. — Quid sit fides? 1389
CAP. II. — Si fides circa ea versatur quæ non videntur, utrum evacuanda sit cum illa per speciem apparuerint? 1398

Introdusă în format electronic de Google

Cap. III. — Utrum fides visibilis sit, cum sit substantia sperandorum, argumentum necdum apparentium. 1397
Cap. IV. — Quare dicta sit fides, et quod nonnisi inter duos integra jure habeatur fides. 1399
Cap. V. — Quod gemina sit, una eademque fides, sicut charitas una prædicatur. 1401
Cap. VI. — Quod nunquam recte de alio hoc genus locutionis, nisi de Deo solo, et in Deo accipitur, quando dicimus : *Credo in Deum*. 1402
Cap. VII. — Credibilium genera quot sunt? 1404
Cap. VIII. — De vera et indubitata fidei disciplina. 1406
Cap. IX. — De fide baptismi non immutanda. 1409
Cap. X. — De potentia fidei. 1414
Cap. XI. — De justitia fidei. 1417
Cap. XII. — Quid sit armatura, vel instrumenta fidei, quibus tanta possit. 1422
Cap. XIII. — Quod propria sit unicuique sua, quamvis sit omnium fides. 1425
Cap. XIV. — Quod fides recte circa tria versatur tempora, et ultra ad æterna. 1429
Cap. XV. — De dono gratiæ, et perseverantia fidei, 1432
Prologus in librum de Spe. 1435
Incipit liber de spe. 1435
Caput primum. — Quid sit spes? 1435
Cap. II. — Quid sit inter spem et fidem. 1438
Cap. III. — De participatione fidei atque spei. 1440
Cap. IV. — Quare dicta sit spes. 1443
Cap. V. — Quid sit inter spem veram falsamque vel si dici queat spes, nisi in Deum. 1445
Cap. VI. — De desperatione. 1450
Cap. VII. — Quod impræsentiarum nec spes sine timore admodum agitor, nec timor sine spe ad alta subrigitur. 1455
Prologus in librum de charitate. 1457
Incipit liber de charitate. 1459
Caput primum. — Quid sit charitas? 1459
Cap. II. — Cujus lingua sit charitas. 1461
Cap. III. — De sententia Pauli, ubi ait : quod *major est charitas*. 1464
Cap. IV. — Quod charitas gemina sit. 1466
Cap. V. — Quod quatuor sint diligenda. 1467
Cap. VI. — Quid sit proximus quem jubemur diligere. 1469
Cap. VII. — Quid fruendum quidve utendum sit. 1470
Cap. VIII. — De ordine charitatis. 1472
Cap. IX. — Quid sit initium charitatis, quidve perfectio. 1474
Cap. X. — Quomodo diligat nos Deus? ut fruatur nobis, an ut utatur. 1476
Cap. XI. — De nutrienda charitate. 1478
Cap. XII. — De differentia charitatis, utrum sit aliqua eorum qui primam fidem custodiunt, et qui post lapsum ad pœnitentiam redeunt. 1480
Cap. XIII. — De eo quod Apostolus supereminentiam viam Corinthiis insinuat charitatem. 1483
Cap. XIV. — De eo quod scriptum est : *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* 1487
DE PASSIONE SS. RUFINI ET VALERII. 1498
VITA SANCTI ADAHARDI CORBEIENSIS ABBATIS. 1507
EPITAPHIUM ARSENII seu VITA WALDÆ. 1557
Observationes præviæ. 1557
LIBER PRIMUS. 1559
Introductio. 1559
Caput primum. — 1564. — Cap. II. — 1565 — Cap. III. — 1567 — Cap. IV. 1568. — Cap. V. — 1569 — Cap. VI — 1571 — Cap. VII. — 1573 — Cap. VIII. — 1575 — Cap. IX. — 1577 — Cap. X. — 1580 — Cap. XI. — 1582 — Cap. XII. — 1584 — Cap. XIII. — 1586. — Cap. XIV. — 1587 — Cap. XV. — 1588 — Cap. XVI. — 1589 — Cap. XVII. — 1592 — Cap. XVIII. — 1593 — Cap. XIX. — 1595 — Cap. XX. — 1594 — Cap. XXI. — 1595 — Cap. XXII. — 1598 — Cap. XXIII. — 1599 — Cap. XXIV. — 1599 — Cap. XXV. — 1600 — Cap. XXVI. — 1601 — Cap. XXVII. — 1604 — Cap. XXVIII. — 1604 — Cap. XXIX. — 1605.
LIBER SECUNDUS. 1605
Introductio. 1605
Caput primum. — 1607 — Cap. II. — 1609 — Cap. III. — 1611 — Cap. IV. — 1612 — Cap. V. — 1613 — Cap. VI. — 1615 — Cap. VII. — 1614 — Cap. VIII — 1616 — Cap. IX. — 1619 — Cap. X. — 1621 — Cap. XI. — 1626 — Cap. XII. — 1628 — XIII. — 1629 — Cap. XIV. — 1630 — Cap. XV. — 1631 — Cap. XVI. — 1634 — Cap. XVII. — 1635 — Cap. XVIII. — 1639 — Cap XIX. — 1640 — Cap. XX. — 1642 — Cap. XXI. — 1643 — Cap. XXII. — 1644 — Cap XXIII. — 1645 — Cap. XXIV. — 1648.

FINIS TOMI CENTESIMI VIGESIMI.

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google



3 2044 015 466 923

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOK DUE
FEB 9 1988
2307378

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google